DE
IVRE ABBATVM, ET ALIORVM PRÆLATORVM,
TAM REGVLARIVM, QVAM SÆCVLARIVM EPISCOPIS INFERIORVM, TOMVS TERTIVS:

IN QVO DE EORVNDEM PRÆLATORVM POTESTATE IN VNIVERSALI bonorum temporalium administratione: putà, Ministris, beneficiatis, ac feudatarijs deputandis, charitatiuis subsidijs exigendis, Capitulis celebrandis, legibus condendis, Ecclesiis construendis, ac destruendis, vniendis, & disiungendis, earúmque bonis alienandis, locandis, emphyteuticandis: item, de potestate eorundem in Nouitijs recipiendis, & ad professionem admittendis, de vna ad aliam Religionem transmittendis: Apostatis, fugitiuis, ac eiectis tractandis: ac tandem de spolijs, & Iudicibus Conseruatoribus instituendis, fusissimè disseritur, iuxta Romanæ Curiæ stylum, & praxim.

ACCESSERVNT VIGINTI ET VNA SVPRA CENTVM S. ROTÆ Romanæ Decisiones, quæ varias supra ius eorundem Prælatorum datas Decisiones, iis maximè necessarias, & perutiles continent.

ADIECTA EST AD CALCEM PRAXIS CRIMINALIS ABBATVM.

Authore D. ASCANIO TAMBVRINIO DE MARRADIO, *S.T.M. Abbate Passinianensi, Congregationis Vallis-vmbrosæ: olim eiusdem Congregationis Generali, Serenissimi Principis Cardinalis Caroli Medices à sacris Consultationibus.*

EDITIO TERTIA NECESSARIIS INDICIBVS ILLVSTRATA.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ANISSON, & Soc.

M. DC. L. empt ...

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO,

D. IOANNI GERINO,

S. D. N. INNOCENTII X. A SECRETIS CVBICVLIS.

NOVVS hic ſtudiorum meorum partus, tertium de Abbatum iure volumen, in ſacroſanctâ meæ Vallis-vmbrâ, vbi formari primùm, atque apparere cœpit, tutiùs delireſcebat, vt auicula ſuo in nido. Verum latebrarum impatiens, in publicum Solem, vbi ne minimæ quidem maculæ diſſimulari poſſunt, furtim volatum explicuit, atque à typis honorem ambiuit, litterariis laboribus debitum hominum eruditorum. Suſceptum temerè, atque ex improuiſo conſilium, quoniam reuocare ſeu retractare non licuit, emendari certè debuit, & ab imminente lapſu præſeruari. Proles, quam enixus ſum, nondum exceſſit infantiam, aliſque caret, quibus tutò peruolitet quaqua verſus; itaque de tuo (ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME DOMINE) aliquid mihi audacius comparaui, quod illi momentum adderet, atque aduerſus violentiam tempeſtatum fulcimentum opportunè ſupponeret. Tantum ſpei tuum dabat nomen, ſi illo dumtaxat noſtras haſce elucubrationes licuiſſet inſcribi; idcircò cum adhuc prælo typographi conſtrictæ tenerentur, eximi è vinculis minimè paſſus ſum, nec in publicâ litteratorum luce verſari, niſi dicatas vni tibi, ínque tuum patrocinium perbenignè receptas. Optimum ſanè conſilium, eíque par, quod Apibus natura præſcripſit: ne enim minimæ animantes impetu ventorum in volatu iactentur, arrepto inter perexigua crura lapillo, facilè librantur, ac reflantibus Auſtris tutiſſimæ volant. Mercium mearum leuitas, ne diſtraheretur in præceps, ac plumæ modo in altum ſublatæ iactaretur, ſimile quippiam quærebat ſibi remedium. Id inuenit in te,

cuius illustrissimo nomine insignita prodiuit: in te, inquam, qui ab ineunte ætate sub optimis præceptoribus ad præclaram institutus litteraturam, meritò eruditorum apex haberis, Romanáque dignissimus curiâ, ab Innocentio X. Summo Pontifice feliciter hac tempestate regnante, in Vaticanam aulam inuectus es; ibique in sanctissimo famulatu à secretis condecoratus cubiculis, vt nimirum in sacrâ Petri nauiculâ tu quoque sanctissimo Antistiti ad clauum sedenti adsis, atque exhibitâ domi fidelissimâ seruitute, vires ad cursum opportunas, sedulò diligentérque sufficias. Neque hic sistit tui nominis auspicatissimum pondus, non hæc tuæ authoritatis est meta, non hic dignitatis est limes; quicquid strenuissimus Carolus frater tuus, Illustrissimus Marchio in aulâ Mediceorum apud Serenissimum Carolum Medicem prometitus gloriæ est, quod sanè plurimum esse censemus, in te quoque redundat; imò tuæ fulgor virtutis, quem Roma sola non capit, congeminatus in illo videtur, totius Hetruriæ oculis natalis tibi terræ conspicuus. Me iam in publicum euolasse non piget, quando sub tanti vmbrâ patrocinij liceat diutius permanere, quò eloquentiæ an humanitatis symbolum, canorus lituus, quem geris in stemmate me pellexit, quò catenulis suis gentilitiis, melius quàm Herculeis sentio continenter me rapi. Patere igitur tuis hisce vinculis, quæ charitatis & beneuolentiæ sunt, astrictum prodire meum hoc Opus ab iis tantummodo sperat libertatem volandi, nec vllam à censoribus labem, nullam vim ab Aristarcho metuit, nullam à Momo perniciem imò scit proditurum se sub huiusmodi tesserâ non quasi captiuum, sed veluti victorem laureatum, qui æmulos atque hostes suos nobilissima pariter ac validissima catena domuerit. Interim viue Nestoreum æuum, & librum qui tibi offertur, eiúsque authorem immortalitati commenda. Vale

Dominationis tuæ Illustrißimæ & Reuerendißimæ

Obsequentissimus & Addictissimus seruus,

D. ASCANIVS TAMBVRINIVS,
Abbas Paßinian.

INDEX

INDEX

Disputationum, & Quæsitorum, quæ in hoc tertio Tomo, iuxta ordinem, quo digesta sunt, continentur.

DISPVTATIO PRIMA.

De potestate Abbatum, & aliorum Prælatorum Episcopis inferiorum, quoad Capitulorum, & domesticorum Conciliorum celebrationem.

DISPVTATIO II.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Episcopis inferiorum, quoad instituendum, ac prouidendum Officiales, & Ministros in suis Monasterijs, & Ecclesiis.

DISPVTATIO III.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Episcopo inferiorum, quoad statuta condenda.

DISPVTATIO IV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium circa Regulam.

DISPVTATIO V.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad Monasteriorum constructionem, vel destructionem.

DISPVTATIO VI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium, quoad Nouitios recipiendos, eósque ad professionem admittendos.

DISPVTATIO VII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum regularium quoad transitum Religiosorum ad aliam Religionem.

DISPVTATIO VIII.

De potestate, & munere Abbatum, & Prælatorum regularium circa Apostatas, fugitiuos, & eiectos.

DISPVTATIO IX.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad beneficiorum collationem.

DISPVTATIO X.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad exactionem charitatiui subsidij à subditis, & beneficiarijs.

DISPVTATIO XI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa bonorum temporalium administrationem.

DISPVTATIO XII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa feuda, & Vassallos.

DISPVTATIO XIII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad alienandum bona suarum Ecclesiarum.

6 Vtrùm

DISPVTATIO XIV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad bona suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum locanda, siue in emphyteusim, vel feudum concedenda.

DISPVTATIO XV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum quoad beneficiorum, Ecclesiarum, vel Monasteriorum vniones, & disiunctiones faciendas.

DISPVTATIO XVI.

De spolijs Abbatum, & Prælatorum Episcopo inferiorum.

DISPVTATIO XVII.

De Iudicibus, & Conseruatoribus.

PRAXIS CRIMINALIS, ET IVDICIARIA pro Abbatibus, & Prælatis Regularibus.

INDEX
ALPHABETICO ORDINE DIGESTVS.
QVÆSITORVM OMNIVM,
quæ in hoc tertio Tomo continentur:

Prior numerus disputationem, alter quæsitum, tertius quæsiti numerum; quartus demum paginam indigitat.

A

ad

Abbas

Index Quæſitorum.

Abba

Index Quæsitorum.

Bona

Index Quæſitorum.

Iudices

Index Quæsitorum.

Priora

Index Quæsitorum.

R

Index Quæsitorum.

S

T

Transiens

INDEX CONSTITVTIONVM, & Bullarum Apoſtolicarum.

Quæ in hoc tertio Tomo integræ, vel per particulas referuntur.

INDEX ALPHABETICVS ARGVMENTORVM DECISIONVM S. ROTÆ ROMANÆ,

QVÆ IN CALCE TOMI HVIVS TERTII adiunctæ sunt.

INDEX MATERIARVM, ALPHABETICE DIGESTARVM.

Quæ ex prædictarum Decisionum titulis, post nomina locorum, quorum Index pag. 315. & seqq. appositus est, eruuntur.

APPRO

APPROBATIO.

EGo Don HORATIVS MERANDIVS, Abbas S. Praxedis de Vrbe, Congregationis Vallis Vmbrosæ, iussu Reuerendiss. P & D. Fr. Nicolai Rodulfij, Sacri Palatij Apostolici Magistri, vidi tertium Volumen *De iure Abbatum*, &c. à R P. Don ASCANIO TAMBVRINIO, Congregationis eiusdem Monacho, & S. Theologiæ Magistro concinnatum; & cùm nihil contineat, quòd Catholicam fidem, aut bonos mores offendat, censeo, licentiam impertiri posse, quòd Typis excudatur: in quorum fidem manu propria subscripsi Datum in Monasterio S. Praxedis de Vrbe, die 26. Martij, 1628.

Ego Don HORATIVS MERANDIVS, *qui suprà, manu propria.*

CENSVRA OPERIS.

EGo AVGVSTINVS BARBOSA, V.I.D. Lusitanus, Protonotarius Apostolicus, de mandato Reuerendiss. P. F. Nicolai Rodulfij, Sacri Apostolici Palatij Magistri, vidi Tomum tertium *De temporali Abbatum, & aliorum Prælatorum, Episcopis inferiorum, iurisdictione, & potestate*: Authore admodum R. P. D. ASCANIO TAMBVRINIO, Monacho Vallis Vmbrosæ, & S. Theologiæ Magistro, nihilque in eo inueni, quod fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur; & ideò Typis mandari posse censeo. In Vrbe, hac die 25. Maij, 1628.

AVGVSTINVS BARBOSA, *manu propria.*

IMPRIMATVR.

FR. NICOLAVS RODVLFIVS, *Ord. Prædic. S.A.P. Mag.*

CENSORVM IVDICIA.

EGo D. FELIX DE PATRIARCHIS, Romanus, Abbas S. Praxedis de Vrbe, Congregationis Vallis Vmbrosæ, & in Romana Prouincia Generalis Vicarius Reuerendissimi Patris D. Angeli de Grassis, prædictæ Congregationis Præsidentis Generalis, vidi, & legi Additiones ad primum, secundum, & tertium Tomum, *De iure Abbatum*, Authore D. ASCANIO TAMBVRINIO, S. Theologiæ Magistro, & in Romana Curia Procuratore Generali eiusdem Congregationis Vallis Vmbrosæ: nihilque in eis reperi, quod fidei Catholicæ, & bonis moribus aduersetur: imò illas valde proficuas existimans, Typis demandari dignas affirmo, & licentiam, vt demandentur, si iis, ad quos spectat, videbitur, concedo. Datum in Monasterio S. Praxedis de Vrbe, die 1. Ianuarij, 1635

Ego D. FELIX *Abbas, & Vicarius qui suprà, manu propria.*

IMprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri, Magistro Sacri Palatij.

A. TORNIELLVS *Vicesgerens.*

EGo ANGELVS LVCIANVS, I.V.D. & in Gymnasio Almæ Vrbis Pontificij Iuris Professor primarius, & ordinarius, vidi, & diligenter examinaui Librum inscriptum, *De iure Abbatum*, &c & præcipuè quasdam Additiones ad eundem, admodum R. P. D ASCANII TAMBVRINII, Monachi de Valle Vmbrosa, eiusdem Ordinis Generalis Procuratoris, quemadmodum iniunxit R. P. Nicolaus Riccardus, Sacri Palatij Magister: & nihil reperi, quod vel bonis moribus, vel Religioni repugnet: & ideò posse in commune bonum Typis mandari affirmo: in quorum fidem hanc mea manu scriptam, & subscriptam dedi. Romæ, 26. Aprilis, 1635. Ita est.

ANGELVS LVCIANVS, *qui suprà, manu propria.*

IMPRIMATVR.

Fr. ANTONIVS CELLIVS, *Mag. & Socius R.S.A.P. Magistri.*

DE

DE IVRE ABBATVM, ET ALIORVM PRÆLATORVM,

Tam Regularium, quàm Sæcularium, Epiſcopis inferiorum,

TOMVS TERTIVS.

DISPVTATIO I.

De poteſtate Abbatum, & aliorum Prælatorum Epiſcopis inferiorum quoad Capitulorum, & domeſticorum Conciliorum celebrationem.

QVÆS I. Vtrùm expediat Abbates & Prælatos, tam regulares, quàm ſæculares, Congregationes Capitulares celebrare.

II. Quod ſit munus Abbatum, & Prælatorum, qui generalibus, & Prouincialibus Capitulis tanquam Diffinitores præſunt.

III. Vtrùm Patres Diffinitores exiſtentes in Diffinitorio, teneantur ſub mortali liberè & expreſsè propriam ſententiam proferre.

IV. Ad quos ſpectet electio generalis Patrum Diffinitorũ, & quomodo eligendi ſint.

V. Vtrùm Diffinitores teneantur ſub mortali de his, quæ in Diffinitorio aguntur, & terminantur, nihil publicare.

VI. Vtrùm Abbas, vel alij Prælati in Monaſterij negotiis, debeant Monachos ad conſilium adhibere.

VII. Vtrùm Abbates, & alij Prælati Regulares teneantur, non ſolùm Conuentus conſilium in negotiis gerendis requirere, verùm etiam conſenſum expectare.

VIII. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus, diſciplinæ, & culparum Capitulum celebrare debeat.

QVÆSITVM I.

Vtrùm expediat, Abbates & Prælatos, tam regulares, quam ſæculares Congregationes capitulares celebrare.

SVMMARIVM.

1 *Generalia, aut prouincialia Capitula in Religionibus celebrari, quam ſit neceſſarium, oſtenditur.*

2 *Concilium prouinciale ſingulis trieннiis, & diæceſanum ſingulis annis congregari debet.*

3 *Conſilium ſynodale congregari debent etiam Abbates habentes iuriſdictionem priuatiuè ad Epiſcopum.*

4 *In Conciliis, & Capitulis, ac Congregationibus obſeruare quid debeant Patres congregati.*

QVAM ſit expediens, imò neceſſarium, Abbates regulares Capitula generalia, vel prouincialia, aut notionalia celebrare, patet ex nonnullis rationibus. Primò, vt Religioſorum defectus corrigantur, & honeſti mores laudentur. Secundò, vt diligentiùs morum reformationi inſiſtatur & vitia, quæ ſæpè in Religionibus irrepunt, tollantur. Tertiò, vt ipſimet Abbates, ſiue Generales, aut Prouinciales, vel alij Prælati viſitentur, & de ſuis criminibus con- 1.

dignam pœnitentiam [illegible] iant, & publi[illegible] corrigantur, [illegible], vt sue eiu[illegible] rum exem[illegible] bus p[illegible] andis d[illegible] reant. Vnde Patres Congregat[illegible] assinenti *in cap. 1. de Capitulo generali* [illegible] *constitut. parte 1. p[illegible] zimitt[illegible] A[illegible] quorum P[illegible] m f[illegible] a [illegible] estigia, & autoritate apostolica m[illegible] vigore [illegible] rnari a regularis [illegible] aterna-que clar[illegible], & diuturna, ac constans inter [illegible] per[illegible] neret in [illegible] firmiente concordia.*

2\. Non, [illegible] ut E[illegible] ia Dei promod[illegible] andis fidelium moribus, corrigendis excessibus, ac controuersiis componendis, singulis triennius prouinciale Concilium, ac singulis [illegible] dioecesanum congregari man[illegible] t, vt [illegible] ex Concilio Lateranensi sub Leone X. [illegible] *ap.* 1[illegible], ita in Congregationibus Religiosorum Capitula generalia, siue prouincialia expedit congregari, vt de Religionis reformatione, ac morum [illegible] a[illegible], & regularis obseruantiæ quomodo cura [illegible] ac [illegible] uerit, si quæ forte in Religi[illegible] in [illegible] teneantur. Quæ o[illegible] ta [illegible] eis Lateranense Concilium sub Innocentio III. [illegible] statuit in singulis Regnis, siue Prouinciis, Commune Capitulum Abbatum, atque Priorum, Abbates proprios non habentium de triennio in triennium celebrandum esse, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione Ordinis, & obseruantia regulari: statuens insuper, vt in eodem Capitulo eligantur religiosæ, ac circunspectæ personæ, quæ singulas eiusdem Regni, aut Prouinciæ Abbatias visitare debeant, corrigentes, ac reformantes, quæ correctione, ac reformatione indigere cognouerint, vt habetur *in cap. In singulis, extr. de statu Monachorum.*

Et Concilium Tridentinum *sess. 15. cap. 20.* agens de huiusmodi Capitulis generalibus, hæc habet verba: *E[illegible] durabiliter huiusmodi commendæ, Priores claustrales, aut in Prioratibus Conuentum habentibus Superiores, qui correctionem, & spirituale regimen exercent, a Capitulis generalibus, vel ipsorum Ordinum Visitatoribus [illegible] tur.* Et in cap. 22. similiter de eisdem Capitulis generalibus, & prouincialibus agens sic statuit: *Et quia [illegible] Synodus desiderat, omnia supra[illegible] quamprimum executioni demandentur, præcipit om[illegible] Monasteriis sibi subiectis, & in omnibus aliis [illegible] superioribus decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus, ac Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, vt statim prædicta exequantur: & si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia prouincialia suppleant, & coerceant, Regularium verò Capitula prouincialia, & generalia, & in defectum Capitulorum generalium [illegible] prouincialia per deputationem aliquorum eiusdem Ordinis [illegible] ca[illegible].* Ex quibus verbis manifestè colligitur necessitas Capitulorum generalium, & prouincialium.

3\. Idem necessarium est, ad huiusmodi Concilia conuocanda Abbatibus, cæterisque Prælatis iurisdictionem habentibus priuatiue ad Episcopum, quæ sub alio nomine Synodi nuncupantur, in quibus omnia, quæ ad eorum officium spectant, facilius possint adimplere; & ea, quæ correctione, & emendatione, & comparatione indigent, [illegible]; & omnes abusus tollere, ac bonas consuetudines, & Canonum obseruationes introducere, & [illegible] eisdem [illegible] ndatur, vt semel saltem quotannis faciant, Conuentum totius Cleri conuocantes, *ex cap. Quoniam. & cap. Annis singulis.* [illegible] quibus de huiusmodi [illegible] supradictis agen[illegible]. Et quia Prælati per se ipsos ea omnia executioni [illegible] non possunt, vt habetur *in cap. Illud. [illegible] dist.* ideò præcipitur eis *in cap. de Off. ordinar.* vt per personas idoneas plura exequantur, & Coadiutores, & Vicarios in hoc munere obeundo secum habeant.

In quibus Capitulis, tam generalibus, quàm prouincialibus, ante omnia obseruata sunt, quæ præcipit Concilium Mediolanense IV. sub D. Carolo Borromæo *in Constit. de his, quæ ad pia loca pertinent. §. Cum capitula,* vbi sic statuitur: *Cum Capitula, Congregationesque habentur, tum initio, tum in fine, sanctis precibus, & orationibus in libro Officij Beatissimæ Mariæ Virginis eo nomine præscriptis vtantur. Cum verò aliquid aggrediuntur, quod ad cura suæ rationes pertineat, initium à pia oratione faciant, vt quod inchoatur, benè, salutariterque succedat: omnis denique morum grauitate, vitæ integritate, pietate, Religione, & spiritualium exercitationum Episcopo probatarum, quas inter se coniunctim præstent, studii tales se præbeant, vt eorum locorum rectam administrationem, piamque institutionem non solum conseruent; sed optimis progressionibus, Deo authore, adiuuent, atque amplificent.* 4
Ex quibus verbis colligant Prælati, quidquid præmittere debeant in suis Capitulis tam conuocatis, & iuxta laudabiles Constitutiones saluberrima pro regimine suarum Religionum, & Ecclesiarum pertractent.

QVÆSITVM II.

Quod sit munus Abbatum, & Prælatorum, qui generalibus, seu prouincialibus Capitulis, tanquàm Diffinitores, præsunt?

SVMMARIVM.

1 *Regimen Congregationum Regularium ordinarium quale sit.*
2 *Regimen monarchicum omnium aliorum optimum est.*
3 *R[illegible] omnium [illegible] Religionum ex Monarchia, & Aristocratia [illegible].*
4 *Be[illegible] Aristocratia regitur, & gubernatur [illegible] Congregatio D. Basilij, vt num. 5.*
6 *D. Augustini Ordo, ac omnes Congregationes sub eadem Regula militantes Aristocratia gubernantur.*
7 *D. Francisci Congregationes reguntur Democratia.*
8 *C[illegible] Regulares gubernantur Aristocratia.*
9 *Vallumbrosana Congregatio regitur Aristocratia.*
10 *Carmelitarum Congregationes Democratia, & Aristocratia gubernantur.*
11 *Societas Iesu regimine partim monarchico, partim aristocratico vtitur.*
12 *Minimorum S. Francisci de Paula Congregatio regimine mixto ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia gubernatur.*
13 *Ministrantium infirmis Congregatio regitur Aristocratia.*
14 *Camaldulenses aristocratico regimine vtuntur.*
15 *Cælestinorum Congregatio gubernatur regimine aristocratico.*
16 *Montis Oliueti Congregatio similiter Aristocratia regitur.*
17 *Aristocratico regimine vtuntur omnes Congregationes, quæ à Sede apostolica approbatæ in Capitulis generalibus negotia pertractanda Diffinitoribus & Visitatoribus committunt.*
18 *Diffinitorum præcipuum munus quale sit.*
19 *Diffinitores, ac Prælati in Capitulis quænam pertractare debeant, sicut & Abbates iurisdictionem episcopalem habentes, vt num. 20.*

21 Decreta

21 *Decretata Capitulis, & Synodis facta per Cancellarium capitularem, in particulari libro registrari debent.*

22 *Legata annua, & onera Eccleſiarum, manu publici Notarij in particulari libro deſcripta, in Archiuio reſeruari debent.*

23 *Prælati, tam regulares, quàm ſæculares, in Capitulis, & Synodis nihil ſtatuere debent, quod iuri communi, priuilegio, & exemptioni Religionum, ac Eccleſiarum aduerſetur.*

24 *Votum non ſolum conſultiuum; ſed etiam deciſiuum habent Diffinitores*

25. *Cauſa expedienda cum conſenſu Diffinitorum debent collegialiter expediri: & ſi ſinguli ſeparatim conſentirent, actus eſſet nullus. Limita, vt num. 26. & 27*

1. SVpponendum eſt in primis, ordinarium Religionum ferè omnium regimen à principio fuiſſe monarchicum cum ariſtocratico admixtum: nam non ſolùm vnus Generalis toti religioni ad illam gubernandam, & regendam tunc præficiebatur; verùm etiam ei conſultores aliqui adhibebantur, ſine quorum ſuffragiis deciſiuis ea, quæ ad Religionis gubernationem pertinebant, definire non poſſet. Et licèt Patres Religionum Inſtitutores monarchicum regimen elegerint, ac ſuis in Regulis tradiderint, vt D. Pater Benedictus *Reg. c.* 3. monet Abbatem, vt cum conſilio Fratrum gubernet: ſubdit tamen: *In Abbatis pendeat arbitrio, vt quod ſalubrius iudicauerit eſſe, ei cuncti obediant.* Et *cap.* 65. etſi dicat, Abbatem debere conſilio Fratrum Deum timentium vti; omnia tamen in eius arbitrio, & voluntate conſtituit: quod idem de Regula D. Auguſtini teſtatur Nauar. *in Comment.* 3. *de Regular. n.* 8. & D. Baſilius, *in Regula* 48. ait: *Nullo modo quis curioſè Antiſtitis conſilia peruestiget, aut in eius facta anxiè inquirat, his duntaxat exceptis, qui, cum dignitatis gradu, tum conſilij prudentia Antiſtiti ipſi proximi ſunt.* Et paulò infrà: *Quas quidem ille neceſſariò ſibi, quandocunque de re aliqua erit deliberaturus, in conſilium, ac maturam conſiderationem adhibebit; nimirum, præcepto illi obtemperans: Omnia fac cum conſilio.* In quibus verbis conſilium tantùm; non autem conſenſum requirit: licèt inquam, antiqui Patres religionum Inſtitutores potius Monarchiam, quam aliam regendi ſpeciem
2. elegerint, quæ verè omnium aliarum optima eſt, iuxta D. Thomam 3. *Polit. lect.* 6. & 4. *Politic. lect.* 1. & *lib.* 1. *de Regimine Princ. cap.* 3. 4. & 5. tamen ob deprauatos hominum mores, ac naturæ humanæ corruptionem, & quia (vt ait Nauar. *d. Comment* 3. *n.* 15 *verſ. Ad decimumquintum.*) non omnes, qui regunt, eſſe poſſunt Auguſtini, aut Benedicti, nec ſubditi Poſſidonij; factum eſt, vt Religiones loco Monarchiæ abſolutæ, cum ea ſimul Ariſtocratiam am-
3. plexatæ ſint: imò ferè omnes Religiones, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, regimen ariſtocraticum elegerunt, relicto monarchico, vt patet ex communi ſingularum vſu; atque ſimul cum Abbate, vel Præſidente, etiam aliquot alij Patres electi ſunt, qui ſimul cum illo totius Religionis regimen adminiſtrarent.

4 Vt autem hoc faciliùs mihi probare contingat, ad particulares Religiones deſcendam, ſecundùm earum Conſtitutiones, quæ mihi ad manus peruenerunt. Et primò loquendo de Benedictina, Dico, hanc Congregationem gubernari Ariſtocratiæ, vt patet ex eorum Conſtitutionibus *ſuperius* citatis, & *inferius* citandis. Et ne dicas, hoc eſſe contra Regulam *locis ſupradictis*: nam Reſpondeo cum Abbate Tritbem. *in Commentar. ad cap.* 3. *Regulæ S. Bened.* quòd Regula, quæ Euangelio concordat, vult, quòd illud, quod vtilius iudicauerit Abbas, illud faciat. Vnde dicit ipſe Trithemius, quòd Abbas vtiliùs faciet, ſi ea, quæ à Superioribus ſuis præcepta ſunt, adimpleat. Superiores autem, & in primis Summus Pontifex, deinde Diffinitores eiuſdem Religionis, multa præcipiunt ab Abbate exequenda, non arbitrio ſuo; ſed etiam conſenſu Monachorum: imò ipſe Trithemius *eodem loco* multa enumerat, ab Abbate exequenda, non ſolùm conſilio; verùm etiam conſenſu Monachorum, vt ſunt verbi gratia, res Monaſterij immobiles, agros, prata, & alia huiuſmodi vendere; licèt in his nec etiam ſufficiat conſenſus Abbatis, & Monachorum, vt dicemus *ſuo loco*. Secundò dicit, quòd non poteſt recipere ad profeſſionem Monachum ſine conſenſu Conuentus. Tertiò, quòd non poteſt Monaſterium grauare pignoribus, & aliis cautionibus, magnam ſummam recipiens pecuniarum ſuper bona Monaſterij, abſque euidenti neceſſitate, & Fratrum ſuorum conſenſu. Quartò, quod non licet Abbati dimittere Monachum ad aliud Monaſterium eiuſdem Ordinis, ſine prædicto conſenſu. Quintò, non poteſt aliqua Statuta ipſis imponere, quæ ſe vltra Regulam extendant, niſi conſentiant Monachi. Sextò, non poteſt aliquem ad Confraternitatem ſpiritualem totius Monaſterij accipere, niſi concurrant Monachi ſubditi. Septimò, non poteſt præbendarios perpetuos recipere ad Monaſterium, ſine voluntate Conuentus. Deinde ſubdit hæc verba: *Sunt & alij caſus, in quibus, ſi non eſt ſemper neceſſarium, eſt tamen honeſtum, vt ſine Fratrum ſuorum Abbas aſſenſu, eorum nihil attentet. In diſciplina autem conſeruanda poteſt Abbas, ſine ipſorum conſenſu, vel voluntate, ſi tamen expedit, limites Regulæ non omittens, agere, prout ſibi melius viſum fuerit expedire; in aliis quoque minoribus agendis non cogitet requirendum conſenſum ipſorum, niſi aliud canonicum impedimentum obſiſtat, vtpote in emptione, pro vtilitate Monaſterij, animalium, vel frumentorum, & cæterorum huiuſmodi: tutius tamen videtur, vt omnia faciat cum conſilio, & poſt factum non pœnitebit.*

Ex quibus ſequitur, Congregationem Benedictinam in ſuo regimine ariſtocratico non aduerſari Regulæ Benedictinæ, imò eſſe valdè conformem, vt ex ſupradictis liquidò conſtat, quidquid dicat Antonius Perez *in Comment. Regulæ S. Benedicti, cap.* 65. *num.* 2

Congregatio D. Baſilij regitur etiam gubernatione ariſtocratica, vt habetur in Regula *cap.* 54. per illa 5.
verba: *Præpoſiti Conuentuum de rebus difficilibus inter ſe communicent, & conferant.* Idem habetur in eius Regula breui *cap.* 1 to. vbi, quando aliquis admittendus eſt ad Religionem, ſtatuitur, quòd conſciis cæteris Fratribus admittatur.

Ordo etiam D. Auguſtini eodem modo regitur, 6.
quidquid Nauar. *de Regul. Comment.* 3. *num.* 15. quem poſteà ſecutus eſt Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 9. qui ambo aſſerunt, S. Auguſtinum ſignificaſſe *in ſua Regula*, ſuos Regulares debere regi per Monarchiam: quod videtur pugnare textui eiuſdem Regulæ, quæ potiùs Democratiam, aut Ariſtocratiam inſinuare videtur, vt patet in cap. 11. Sed, quidquid ſit de hoc regimine, quod præcipit S. Auguſtinus *in prædicta Regula*, de quo adhuc lis inter Doctores: Dico Religionem Auguſtinianam gubernari per Ariſtocratiam: quia Priori Generali dantur duo Aſſiſtentes, ſine quorum conſilio nihil agere poteſt, vt habetur *in Conſtit.* 5. *Paul V.* quæ incipit: *Prouiſionis.* in append. Bullar. Laërtij Cherub. *pag.* 60. *tom.* 3.

Eodem regimine gubernantur Canonici Lateranenſes ſub Regula Auguſtiniana principaliores mili-

tantes, vt constat ex eorum Constit. *part.* 2. *cap.* 1. *&* 2. sicut etiam Patres Dominicani, vt docent Constitutiones eorum *parte* 3. *cap.* 3. qui omnes cùm obseruent Regulam S. Augustini, & non sit credibile, quod ei aduersentur, fatendum est contra Nauar. & Suar. supracit. Regulam S. Augustini potiùs præcipere Aristocratiam, quàm Monarchiam in suo regimine

7. Militantes etiam sub Regula S. Francisci Democratia reguntur, & gubernantur, quicquid dicat Corduba *in cap.* 8. *d. Regulæ*: licèt non aduersetur nostræ sententiæ, dum fatetur, Militantes sub Regula S. Francisci regi Monarchia mixta. Videatur *caput* 7. eiusdem Regulæ, vbi prædictum regimen manifestè colligitur.

8. Clerici Regulares Aristocratia etiam gubernantur vt probant eorum Constitutiones *cap.* 5. *&* 7.

9. Idem fatendum est de Religione mea Vallumbrosana, quæ eodem regimine gubernatur, dum Præsidi Generali, & duobus Visitatoribus sua præcipua munera committit, vt habetur in nostris Constitutionibus, & in declarationibus Regul. *cap.* 3 *per totum.*

10 Carmelitani etiam Democratia reguntur, & gubernantur; quod constat *ex cap.* 2. Regulæ descriptæ ab Alberto Patriarcha Hierosolymit. *cap.* 2. vbi hæc expressa habentur verba: *Præterea iuxta situm loci, quem inhabitare proposueritis, singuli vestrûm singulas habeant cellulas separatas, sicut per dispositionem Prioris ipsius, & de assensu aliorum Fratrum, vel sanioris partis eadem cellulæ cuique fuerint assignatæ.* Et licèt Regula prædicta fuerit mitigata ab Hugone authoritate Innocentij; in hoc tamen mutata non fuit.

Fratres Discalceati Ordinis eiusdem Carmelitarum gubernantur item Aristocratia, vt constat ex Bulla Clementis VIII. apud Laërtium Cherub. *tom.* 3. *constit.* 25. *eiusdem Pontif.* vbi Præposito generali eiusdem Ordinis adiungit Summus Pontifex sex consiliarios, siue assistentes cum voto decisiuo.

De Societate IESV affirmant aliqui, eam gubernari per Monarchiam, quod probant ex Constit. Pauli III. apud Laërtium Cherub. *tom.* 1. *constit.* 25. & per Constit. Iulij III. apud eundem Laërtium Cherub. *eodem tom.* 3. quæ Constitutiones habentur *in.* 2. *tom. disput.* 24.

11. Sed in hac re satis mihi probatur sententia Suar. *tom.* 4. *de Relig. tract.* 3. *lib.* 10. *cap.* 1. *num.* 3. asserens, Monarchiam hanc participare in multis cum Aristocratia.

12. Religio Minimorum S. Francisci de Paula gubernatur ex Monarchia, Aristocratia, & Democratia, regimine mixto, vt probat vnus ex eius alumnis Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato, q.* 1. *cap.* 2. *n.* 12.

13 Congregatio Ministrantium infirmis Aristocratia regitur ex Constit. 17. Greg. XIV. apud Laërtium Cherub. *tom.* 2. per illa verba: *Totius Congregationis Superior Præfectus generalis appellabitur, cuius officium perpetuum erit, quoad viuet; socios autem habebit quatuor, qui Consultores dicentur: votum eorum æquè, ac Præfecti, decisiuum erit.* Et licèt anno 1600. die 28. Decembris, eidem Congregationi exhibita fuerit Constitutio Clementis VIII. in qua prouinciales Consultores votum consultiuum solummodò habent, & ex quatuor Consultoribus Præpositi generalis duo sint Laïci, & duo Sacerdotes; & ex duobus Consultoribus prouincialibus vnus sit Laïcus, alius Sacerdos; nihilominùs non mihi videtur mutatum regimen, sed in aliquo variatum.

14. Camaldulenses pariter Aristocratia reguntur, vt earum Constitutiones *cap.* 13. apertè demonstrant in his verbis: *Si verò aliquis Prælatus inferior infra annum mori, vel amoueri contigerit, ad Reuerendissimum Patrem generalem, & Visitatores spectabit alium in demortui, vel amoti locum subrogare.*

Monachi Cælestini, etiam eodem Aristocratico gubernio, eisdem à Sancto Petro Cælestino Papa descripto, & ordinato, vsi sunt, & in præsenti vtuntur, vt habetur in eorum Constitutionibus nouissimè Romæ impressis *tract.* 2. *cap.* 15. §. 1. vbi de Abbate generali sermo est in his, quæ sequuntur verbis: *Diffinitoriali Capitulo præesse, ac in omnibus, & singulis in ipso tractandis, ordinandis, terminandis, statuendis, faciendis rebus, causis, & negotiis primum votum dare.* Et infrà §. 2. *Solus autem Abbates, Priores, & Prælatos in Monasteriis principalibus (excepto principali Monasterio Abbatiæ) instituere, seu actu legitimo, & voce actiua, & passiua priuare, suspendere, aut transferre, non nisi de consensu Patrum, vt suprà, aut ad officia obtinenda perpetuò, seu ad tempus inhabilitare nequeat, neque onera imponere, neque vendere, neque alienare, neque pignorare, neque ære alieno bona ipsius Religionis obstringere, aut statuta condere, vel supra Constitutionibus aliquid innouare, vel magnas lites, & causas, præcipuáque ipsius Congregationis negotia terminare, aut per Capitulum generale, aut Diffinitoriale degradatos, priuatos, suspensos, aut etiam inhabiles redditos in pristinum restituere; Religiosos alterius Instituti recipere ad habitum, aut etiam Monachis nostris veniam commorandi extra Claustra Congregationis, concedere, aut, vt impetrent litteras, & priuilegia contra harum Constitutionum edicta, seu forsan illarum dispensationem permittere, seu bona stabilia, vel mobilia, aut sese mouentia donare, vel distribuere, vltra id, quod sibi à iure, & priuilegiis, ac Constitutionibus permittitur; sed omnia & singula præmissa & similia, cum Coabbatibus, Visitatoribus, & Diffinitoribus, vel ipsorum aliquibus respectiuè conferat, eorúmque interuentu, consilio, & sententia (dum congregantur) faciat, & exequatur secundùm modum, & formam in his Constitutionibus expressam.* 15.

Congregatio montis Oliueti itidem Aristocratico ministerio regitur, sicuti ostendunt Constitutiones eiusdem Congregationis *parte* 1. *de Capitulo generali celebrando*, in hoc tenore: *Abbas generalis nihil possit peragere contra capitulum in negotiis magni momenti, nisi de consensu maioris partis Visitatorum per secretum scrutinium: quæ verò agenda erunt, ab ipso Abbate generali proponantur.* 16.

Idem dicendum puto de omnibus Ordinibus, & Congregationibus, quæ omnes à Sede apostolica habent singulares Constitutiones celebrandi Capitula, tam generalia, quàm prouincialia, vel intermedia, in quibus ea, quæ pertractanda sunt pro earum regimine, Abbatibus, Diffinitoribus, Visitatoribus simul vnitis commissa dignoscantur. 17.

Horum igitur munus præcipuum est, in Capitulo generali, seu prouinciali simul cum Abbate, seu Præsidente generali, diffinire, ac expedire omnia, quæ ad bonam, & exactam gubernationem totius Congregationis, vel etiam cuiuslibet particularis Conuentus respectiuè pertinent: súntque Abbates isti Diffinitores ad instar Senatorum à quibus iam in Romana Republica cuncta expediebantur; præcipuè cum magni momenti, & grauitatis erant, & illis inconsultis, nihil consideratione, & æstimatione dignum agebatur. Hos ergo Senatores Monastici, & Religiosi Senatus Patres imitati sunt: & isti Patres Diffinitores sunt sui Generalis, vel Prouincialis Collegæ, siue Coadiutores. 18.

Vt autem ad specialia, & præcipua à prædictis Abbatibus peragenda in Capitulis descendamus, dicendum est cum Trithemio *in Constitutionibus capitularibus, rubr.* 12. *&* 14. iuxta Constitutionem Nicolai de Cusa Cardinalis S. Petri ad Vincula, & per Germaniam 19.

niam de latere Legati, Abbates, & Prælatos supradictos Statuta condere debere primò, & principaliter pro diuino cultu peragendo, & de debita Sacramentorum administratione prouidentes, vt Regulares statutis temporibus confiteantur, & communicent, & Sacerdotes celebrare ne negligant; & quod Ecclesiæ ab idoneis ministris curentur; & quòd substantialia Regulæ custodiantur; quòd iura Monasteriorum conseruentur, bona non negligantur, & à superfluis Prælati, & Ministri abstineant. Circa ergo prædicta versari debet Prælatorum munus in Congregationibus, & Capitulis habendis iuxta opportunitatem temporis, & particularia Religionum Statuta, alia non omittentes condere, quæ pro bono regimine necessaria sunt.

20. Quod verò spectat ad Abbates, & Prælatos iurisdictionem episcopalem exercentes, debent in suis Synodis, & Capitulis, propriis Ecclesiis prouidere, Ministros idoneos pro animarú cura deputare, & alia huiusmodi statuere, quæ Episcopus in suis Synodis decernere solet. De quare videantur Praxes episcopales; sed presertim Augustinus Barbosa *de officio, & potest. Episc. per totum.* Sed pro breuiori tractatu videatur idem Barbosa *in nouissimo Opere de iure eccl. lib. 1. cap. 11.* vbi optimam praxim episcopalem Prælatis supradictis adaptandam tradit sub breui, & claro transumpto.

21. Decreta verò in Capitulis, & Synodis ab omnibus peragenda, scribantur, vt præcipit Consilium Mediolanense I V. sub S. Carolo Borromæo *in anteced. quæsito cit.* in libro præcipuo capitulari à Cancellario, & in eodem libro ad verbum Constitutiones omnes, & Decreta describantur.

22. Idem Concilium præcipit, vt liber præcipuus conficiatur, in quo omnia, singuláque annua legata, & onera distinctè, & ordinatè describantur, cuius libri exemplum Notarij publici manu, & signo munitum in Archiuio conseruetur.

23. In his autem omnibus caueant Prælati, tam Regulares, quam sæculares, vt in prædictis Conciliis, & Capitulis nihil constituant, quod possit iuri communi, & priuilegio, & exemptioni Religionum, & suarum Ecclesiarum aduersari, vt statuitur *in cap. Si diligenti de foro competenti.* & *in l. Ius publicum. ff. de pactis.* quod etiam docent Syluest. *verbo, Priuilegium. q. 10.* Armill. *eod. verb. n. 9.* Nouarius *in quæst. foren. p. 1. q. 66. n. 2.* Sanch. *in Sum. t. 1. lib. 4. cap. 39. n. 29* Lauorius *in variis lucubrationibus, tit. 4 cap. 14. num. 87.* Suar. *de leg. 8. c. 6. n. 2.* quod etiam docui *in t. 1. disp. 16. q. 15. n. 3.*

24. Hi omnes Prælati votum, nonsolùm consultiuum, verùm etiam diffinitiuum, ac decisiuum habent, & ad eos pertinent cuncta in Capitulo occurrentia, ac etiam de religione disponere, vt diximus, & probatur ex etymologia ipsius nominis, *Diffinitor*, quod non solùm significat consulere; verum etiam diffinire; habent etiam vocem electiuam Abbatum localium, & aliorum Officialium infra Præsidentem generalem in nostra Religione: in aliquibus habent potestatem etiam eligendi, & ordinandi Præsidentem generalem totius Congregationis, vt apud Patres Cassinenses.

25. Et Abbas, siue Præsidens generalis nullam causam, quæ per Constitutiones, siue ex consuetudine cum consilio expedienda est, iudicio suo, absque ipsorum Diffinitorum consensu collegialiter, & simul habito, diffinire potest; aliàs si singuli separatim consentirent, actus prorsus irritus, & nullus esset, *ex cap. In Genesi. de elect.* Dec. *in c. Cùm omnes. n. 47. de Constit.* Rot. *in Cæsar augustana electionis, 30. Martij. 1623. coram R. D. Coccino Decano*, Barbos. *in collect. ad d. cap. In Genesi. post n. 2. in vlt. impress.* quod non solùm in electionibus, verùm etiam vniuersaliter, ac indistinctè procedere asserunt Panormit. *in cap. Cùm Ecclesia. n. 14. de caus. possess. & propriet. in cap. Quia propter. n. 12. de elect. in c. Ecclesia. n. 2. de sortileg. in c. Cùm omnes. n. 5. de Constitut.* vbi Felin. *n. 24. & seq.* Syln. *verb. consensus, n. 5.* & alij apud. Fratr. Sigismund. à Bononia *de elect. & potest. Prælat. regul. dub. 111. num. 3. & 9.*

Hoc tamen dupliciter restringitur. Primò imminente necessitate, & periculo in mora: quia in tali casu non est requirendus consensus, quando commodè haberi nequit, etiamsi aliàs esset requirendus *per c. vnic. § penult.* vbi Gloss. *verb. in mora, ne Sede vacan.* alia Gloss. *in c. Si pro te. verb. assensus, de rescript. in 6.* & alij apud eundem Sigismund. *loco citato, n. 4.* contra Rebuff. & Sanchez. Secundò limitatur, quando ipsi Diffinitores debent consensum præstare circa actum: qui si non petatur, eorum consensus non est ipso iure nullus; sed per ipsos irritari posset: quia tunc huiusmodi potestati illum irritandi possent etiam non collegialiter renunciare. Ita idem Frater Sigismund. *d. dubio 111. n. 5.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm Patres Diffinitores existentes in Diffinitorio teneantur sub mortali, liberè, & expressè propriam sententiam proferre.

SVMMARIVM.

1 *Diffinitores in Diffinitorio existentes tenentur sub mortali secundum conscientiam liberè, & expressè propriam sententiam proferre, etiamsi cognouerint eorum sententiam à Superiori agrè ferendam, & n. 3. & 5.*

2 *Ille qui tenetur loqui, & tacet, habetur pro consentiente.*

4 *Veritatem occultans metu alicuius, peccat mortaliter. Limita, vt num 6.*

7 *Consultationes quare in publico, & communiter exerceantur?*

8 *Consuetudo, quæ permittit Diffinitoribus consensum singillatim, & priuatim præstare, dicitur abusus.*

9 *Diffinitores si voce tenus suffragium, seu consilium præstare debeant, incipiendum est à iunioribus.*

10 *Promouendi ad dignitatem defectum detegere debent Diffinitores, & quando.*

RESpondeo dicendo, quòd Diffinitores in Diffinitorio existentes, in omnibus negotiis, & præcipuè grauioribus, in quibus eorum consilium expostulatur, tenentur liberè, & expressè propriam sententiam, secundùm suæ conscientiæ dictamen, sub mortali aperire: & si his, quæ ibi tractantur, consentire nolunt, expressè contradicere: alias habentur pro consentientibus, & quoad peccatum, & quoad pœnam, si aliqua ibi malè agerentur. Quia Diffinitoris proprium munus est, votum suum in concernentibus negotia per Diffinitorium expedienda exprimere, nam ad hoc eliguntur, & ad Diffinitorium conuocantur, vt suum assensum præstent, vel negent. *arg. cap. 1. de his, quæ fiunt à maiori par. Cap.* Ille autem, qui tenetur loqui, & tacet, habetur pro consentiente. *l. de ætate. §. Qui tacuit ff. de interrog. action. cap. Si præsitum. de confess. lib. 6.* Ita Petrus de Anchar. *cons. 157.* Panorm. *in d. cap. 1. n. 13. & in cap. 2. in fin. de locat. & conduct. & cap. 2. n. 9. de his, quæ fiunt à Prel. & in c. Dilectus filius. el. n. 9. de simon.* Felin. *in cap.* 1. 2.

Cùm omnes.n. 11. in fine, de constitut. Rodetic.*qu.*
regular. tom.2.q. 45. art. 4. & seqq. Mirand. *in Ma-*
3. *nual. Pralatorum. tomo 2. q. 17. art. 4.concl. 1.*Et
hoc, etiamsi cognouerint, eorum sententiam à Præ-
sidente generali, vel alio superiori Prælato fore ægrè
ferendam, quo câsu non sufficit tacere; sed, salua
semper veritate, propriam sententiam omni, qua
possunt, reuerentia, ac verborum lenitate propalare:
tamen, si nulla dicendi humilitate, vel sermonis
dexteritate Prælatum à sua sententia reuocare pos-
sent,nequeunt, absque culpa lethali id, quod propria
conscientia dictat, & veritati consonum esse censent,
prætermittere,iuxta sententiam D. Augustini ad Casu-
lanum,relatam à Gratiano *in Can. Quisquis.* 11.q.3.
4. cuius verba hæc sunt: *Quisquis metu cuiuslibet pote-*
status veritatem occultat, iram Dei super se prouocat:
quia magis timet hominem, quam Deum. Et paulò in-
fra: *Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui*
mendacium facit: ille, quia prodesse non vult; iste, quia
nocere desiderat. Facit etiam illud Chrysostomi *homil.*
25. super Matth quod refertur *in Can. Nolite timere.*
eadem c & quæst. cuius verba sunt: *Non solum ille pro-*
ditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palam
pro veritate mendacium loquitur: sed etiam ille, qui
non liberè veritatem pronunciat, quam liberè pronun-
ciare oportet; aut non liberè veritatem defendit, quam
liberè defendere conuenit, proditor est veritatis. Corde
enim creditur ad iustitiam; ore autem confessio fit ad
salutem. Nec obstat, quòd Religiosus, cui Superioris
voluntas innotuit, ex obedientiæ voto tenetur ei ad-
hærere: quia id habet locum in subditis, qui (gene-
raliter loquendo) tenentur suo Superiori obtemperare
in illis rebus, in quibus ei subduntur, vt latè diximus
in disputatione de potestate Abbatis circa votum obe-
dientia. At de Diffinitoribus aliter dicendum est: ipso-
rum enim munus postulat, vt rem discutiant, & exa-
minent, & quod publicæ Communitati magis salu-
tare, ac vtilius iudicauerint, in medium adducant.
ita Roderic.*d.q.45.art.4.* Mirand.*d.art.etiam 4.concl.*
1. & 2.

5. Neque sat est, vt notat Miranda *loc.cit.* Diffinito-
res tacere, seu caput Superiori maiori inclinare:
quin verò tenentur veritatem aperire, etiamsi id exi-
stiment ingratum esse Prælatis, vt *suprà* diximus: quod
nisi fecerint, à peccato coram Deo non erunt immu-
nes: quod elicitur *ex cap. Quisquis.* 11.*q.*3.& ex ver-
bis *superiùs* citatis S.Chrysostomi. Consentiant ergo,
aut contradicant.

6. Neque excusari potest à culpa, & peccato graui, si Generalis, vel alius Superior, ei metum grauem inferat; compellatque illum in suam sententiam inclinare, dummodo propter talem metum consentiendo in illis, quæ intrinsece mala sunt, veritatem, & iustitiam, siue bonum publicum lædat.

7. Hinc ortum habuit consulatio communis, & publica, quæ in Capitulis coram Generali, & Diffinitoribus exercetur, ne in priuato, & abscondito hic, vel ille Diffinitor supradicto metu perterritus faciliùs Superiori maiori quasi inuitus, minis, seu illicitis promissionibus consentiat contra iustitiam, & bonum Religionis in eius sententiam inclinando; ideò statutum est, vt necessariò omnes Diffinitores in vnum collegialiter congregati, & non aliter, consentiant, vel dissentiant; aliàs eorum assensus, vel dissensus nulli, & inualidi redderentur, *cap. In Genesi de elect.* & *l.1.c.de decurio.lib.10.* Decius *in cap. Cùm omnes.n.47. de const.* & Panor. *in cap. Cùm Ecclesia.n.14 de caus. possess. in d.cap. Ecclesia n.2. & alibi*, & Felinus *in d. cap. Cùm omnes.de constit. n.24.* Gonzal. *in Regul.8. Cancel.gloss.47.n.64.* Bartol. *in l. Omnes populi. in 3.q. princ.ff. de iust. & iur.* Ioan. Bapt. Ferret. *in d. cap. Cùm omnes.n.52.de const.* & Rota *in recen p.2. decis. 382. n.3.* qui ferè omnes loquuntur, non solùm de electione, verum etiam de aliis congressibus, vbi negotia publica peraguntur.

In hac re non est admittenda quorundam senten- 8.
tia, qui putant, hoc non procedere, vbi aliter consuetudo viget, vt Diffinitores consentiant singillatim, & singulariter: nam contra hanc sententiam acriter pugnant Felinus *in cap. Cùm causa. n.21. de re iud.* & Ferret.*loc. cit.n.56.* vbi confutat rationes sententiæ contrariæ: nam talis consuetudo abusus est.

In his ergo collegialiter peragendis operæpretium 9.
est aduertere cum Laur. Portel. *in dub. regul. verb. Diffinitores, seu Consiliarij, n.1.* quòd ratio, & consuetudo Tribunalium docet, quod si voce tenus Diffinitores debeant suffragium, seu consilium dare, non Maiores, & Seniores incipiant dicere; sed Iuniores; ne forte Iuniores post Seniores dicêtes metu reuerentiali, vel authoritate coacti teneantur à Seniorum dictis non recedere: quod prius docuit Rodrig. *tom. 2. qq reg.q.43.art.3.*

Postremò necessarium est hîc aduertere cum S. 10.
Thom.2. 2. *q.69. a.2.* si proponatur ad dignitates, & officia aliquis, cuius defectus notabilis est publicus, ignotus tamen Generali, & maiori Superiori, Diffinitores tenentur sub mortali huiusmodi defectum detegere, ne admittatur indignus ad officium: imò, si defectus esset secretus, sed notabilis; & eligendus à tali defectu non esset emendatus, & instaret periculum Communitati, cui non posset aliter obuiari; Diffinitores ad idem, *vt supra*, tenerentur, vt constanter affirmat Bcia *in Respon. moral. p. 3. casu 38. §. Quòd si defectus.*

Cum maxima igitur spiritus liberalitate, modestia, humilitate, & grauitate, & vrbanitate, qua decet viros graues, doctos, & religiosos, suarum Religionum principatum repræsentantes in prædictis congressibus, & Capitulis, incolumi, atque inuiolata semper permanente veritate, sententiam suam proferant cum vero Dei zelo, & communis boni vtilitate, cogitantes se de tali sententia rationem reddituros esse in tremendo Dei iudicio.

QVÆSITVM IV.

Ad quos spectet electio Generalis, & Patrum Diffinitorum; & quomodo eligendi sint.

SVMMARIVM.

1 *Electio Abbatis Generalis de iure communi spectat ad totam Congregationem, scilicet, ad Prælatos ipsam repræsentantes, vt num.2*

3 *Vallis Vmbrosa Generalis Abbatis electio fit à Prælatis Monasteriorum.*

4 *Electio Diffinitorum fieri debet ab habentibus suffragium in Capitulo.*

5 *Electio Diffinitorum per vota, & scrutinia secreta facienda est.*

QVoad electionem Abbatis Generalis absolutè 1.
dicendum est, pertinere de iure communi actiuè, & passiuè ad totam Congregationem. Ita colligitur *ex cap.finali 16.q.7.* & *cap. Abbatem.1. & 2.18. q.2.* Et tradunt Doctores *in cap. Dilectus. de consuetud.§.Iubemus.Authent. de sanctissimis Episc.* & præsertim Butrius *in 1. lect. num. 7.* & Cardinal.*n.9.q.1. gloss.1. in cap.2.* vbi Archidiac.& Turrecrem. *num.1. dist.66.* & Rota *part.1.in recent.decis.65.num.1.*

Nec

Nec obſtat, quod in prædictis capitibus, & ſpecialiter *in d. cap. Abbatem*, ſe etiam ſæpè in corpore iuris, non ſit ſermo de Abbatibus generalibus, ſed localibus: nam eadem Rota *ſupracit.* conſtanter tenet, ſicuti electio Abbatis cuiuſcunque Monaſterij particularis actiuè, & paſſiuè pertinet ad Monachos, & Congregationem illius Monaſterij; ita electio Abbatis Generalis, qui toti Congregationi præficitur, actiuè, & paſſiuè pertinet ad totam Congregationem: quod fuit etiam confirmatum ab eadem Rota *in vna Valliſoletana Præeminentiarum*, 29. *Martij*, 1605. *coram Pamphilio*.

2. Hoc de facto obſeruatur ab omnibus Congregationibus, vt electio Abbatis Generalis pertineat ad Prælatos Congregationem repræſentantes; de cætero ſeruatis ſeruandis in electione canonica, vt fusè notaui *tom.* 1. *diſput.* 5. vbi modus canonicè eligendi ſatis oſtenditur.

3. In mea Congregatione Vallumbroſana in primæua ſui fundatione electio Abbatis Vallis Vmbroſæ, qui ſimul totius Ordinis Generalis erat, à Prælatis Monaſteriorum habebatur, vt in præſenti Diplomate videri poteſt.

VRBANVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei.

☞ Dilectiſſimis Filiis vniuerſæ Vallis Vmbroſanæ Congregationis ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Cùm vniuerſis ſanctæ Eccleſiæ Filiis ex apoſtolica Sedis authoritate, ac beneuolentia debitores exiſtamus, illis præcipuè locis, atque perſonis, quæ ſpecialiùs, ac familiariùs Romanæ adhærent Eccleſiæ, quique ampliori religionis gratia eminent, propenſiori nos conuenit charitatis ſtudio imminere. Quia igitur diuina propoſitum veſtrum præueniente, ac ſubſequente clementia, Religionis veſtræ ſimplicitas, bonæ opinionis odorem, & propè, & longè poſitis aſpirauit; Nos veſtro prouectui (annuente Domino) prouectum adiungere cupientes, Cœnobium veſtrum pro Beatæ Mariæ ſemper Virginis reuerentia, cui dicatum eſt, in Romanæ Eccleſiæ proprietatem, & tutelam, atque protectionem apoſtolicæ Sedis accipimus, & apoſtolicæ illud authoritatis priuilegio munientes, ab omnium perſonarum iugo liberum permanere decernimus. Per præſentem igitur noſtri priuilegij paginam apoſtolica authoritate ſtatuimus, vt quæcunque hodie veſtrum Cœnobium iure poſſidet, ſiue in craſtinum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, vel oblatione fidelium, iuſtè, atque canonicè poterit adipiſci, firma vobis, veſtriſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant; illis ſucceſſoribus dico, qui eundem Religionis ritum, & fidei conſtantiam conſeruaſſe, & ſtrenuè omnipotenti Domino in eodem propoſito deſeruire ſategerint. Chriſma, Oleum ſanctum, Conſecrationes Altarium, ſiue Baſilicarum, Ordinationes Clericorum, liceat vobis, à quocunque volueritis Catholico Epiſcopo, & Romanæ Eccleſiæ gratiam, atque communionem obtinente percipere, qui noſtra fultus authoritate, quæ poſtulantur, indulgeat. Ad hæc cenſemus, atque ſtatuimus, ne vlli omninò hominum liceat, idem Cœnobium temerè perturbare, aut ei ſubditas prouiſiones auferre, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſeruentur eorum, pro quorum ſuſtentatione, ac gubernatione conceſſa ſunt, vſibus profutura. Nec vlli Epiſcopo poteſtas ſit, excommunicationem, aut interdictionem vobis ingerere, vt qui in ſpeciales eſtis filios apoſtolicæ Sedis aſſumpti, nullius alterius iudicio temerè exponamini. Quia verò plura iam Monaſteria, Congregatio, videlicet, Sancti Saluij iuxta Florentiam, Sancti Fidelis de ſtrumis, Sancti Saluatoris de Sophena, Sanctæ Mariæ de Nerana, Sancti Caſſiani de Monte ſcalario, Sancti Angeli de Paujniano, Sancti Saluatoris de Ficielo, Sancti Angeli iuxta Piſtoriam, Sancti Saluatoris de Vaiano, Sancti Petri de Muſceto, Sancti Pauli de Razolo, Sanctæ Reparatæ de Fauentina Diœceſi, & Congregatio de Riuis Cæſaris, & Congregatio de Fontana Thaonis, & Congregatio de Monte armato in Bononienſi Diœceſi (inſpirante Domino) in eandem vobiſcum formam conſenſerant Religionis; Nos & ipſis, & omnibus, qui ſe in craſtinum eidem Religionis vſui ex integro ſociare voluerint, præſentis Priuilegij libertatem, apoſtolica authoritate concedimus, quandiu in eadem Religionis, & conſuetudinis vnitate perſiſtere procurauerint. Conſtituimus autem, vt eorum omnium caput, veſtrum, quod in Valle Vmbroſa ſitum eſt, Monaſterium habeatur. Sanè cùm terminus vitæ Paſtori veſtro (diuina diſpoſitione) contigerit, qui eius loco ſubſtituendus fuerit, quia vt vobis, & aliis omnibus præeſſe debebit, omnium, qui cæteris præeſt Monaſteriis, conſenſu, & iudicio eligatur. Quòd ſi fortè ex ipſis Abbatibus quilibet (Domino diſponente) ad hoc generale regimen electus fuerit, ad veſtrum principale Cœnobium principaliter tranſeat, & eius mox iudicio, ſicut in diebus venerandæ memoriæ Ioannis I. Abbatis veſtri, factum conſtat; cætera omnia vnita vobis Monaſteria diſponantur. Vos igitur, Filii in Chriſto dilectiſſimi, nolite negligere gratiam, quæ in vobis eſt, quæ data eſt vobis per vnitatem ſanctæ conuerſationis, & Religionis; hæc meditamini, in his eſtote, vt profectus veſter manifeſtus ſit omnibus: participes enim Chriſti effecti eſtis; ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineatis. Mementote, quòd Dominus ait: Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. Itaq; ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Ad indicium autem perceptæ huius de Romana Eccleſia libertatis, per annos ſingulos duodecim ſagi cilicini brachia Laterano Palatio perſoluetis. Sanè, ſi quis in craſtinum Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, aut Imperator, aut Rex, Princeps, aut Dux, Comes, Vicecomes, aut Iudex, aut perſona quælibet magna, vel parua, potens, aut impotens, huius noſtri Priuilegii paginam ſciens, contra eam venire temerè tentauerit; ſecundò, tertióve commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit; à Chriſti, & Eccleſiæ corpore eum authoritate poteſtatis apoſtolicæ ſegregamus. Conſeruantes autem, pax à Deo, & miſericordia præſentibus, ac futuris ſæculis conſequentur. Amen. Datum Romæ per manus Ioannis, S. R. E. Diaconi Cardinalis, anno Dominicæ Incarnationis 1090. Indict. 13. octauo Idus Aprilis. Anno Pontificatus Domini Vrbani PP. II. tertio.

Huius tenoris Conſtitutiones Summorum Pontificum, imò ampliores, habentur in libro priuilegiorum noſtræ Congregationis.

Electio Patrum Diffinitorum generalium de iure fieri debet ab iis, qui habent ſuffragium in Capitulo generali, & pariter Diffinitorum prouincialium, ſeu nationalium ab habentibus vocem, & votum in Capitulo prouinciali, ſeu nationali. Quia, cùm ipſi Patres Diffinitores, vnà cum Abbate, vel Præſidente generali, ſiue prouinciali, aut nationali totam Congregationem reſpectiuè regere, & gubernare debeant; meritò ab iis eligendi ſunt, quibus præeſſe debent. Denique in particularibus Conſtitutionibus ſingularum Religionum apoſtolicæ Sedis priui- 4.

legio munitis hoc disponitur, vt apud Cassinenses *p.1.Const.c.12.* nouem Diffinitores generales, qui totam Congregationem vnà cum Præsidente generali regendi potestatem habent in Capitulo generali, quod singulis annis celebrant, totius Congregationis Vocalium suffragiis eliguntur. Hodie tamen obseruantur Statuta ordinata à Paulo V. fel. rec. anno 1607. die 6. Aprilis, pro bono regimine eiusdem Congregationis Cassinensis, vt deinceps in Diffinitorio æqualitas votorum habeatur in electione Diffinitorum quoad nationes, & prouincias eiusdem Congregationis. Idem seruatur à Camaldulensibus, vt ex eorum Constitutionibus *lib. 2. cap. 6.* erit videre; & etiam à Cistercienfibus, vt patet ex eorum Statutis, & Ordinationibus iuxta Bullam reformationis Gregorii XIII. *cap.11.* Similiter pro Congregatione Canonicorum Lateranensium quoad hanc electionem Diffinitorum videatur Bulla eiusdem Paul. V. quæ incipit: *Pastoralis nostri.* sub datum Romæ 1605. die 30. Decembris: & pro Congregatione Seruorum Beatæ Mariæ Virginis videatur Bulla Clementis VI. anno 1346. die 23. Martij; quæ Bullæ originaliter extant apud eosdem Patres.

5. Horum autem electio facienda est per vota, & scrutinia secreta iuxta dispositionem Concilij Tridentini *sess. 25. de Regular. cap. 6.* vbi decreuit, vt electio quoruncunque Superiorum, ac aliorum Officialium in Religionibus fiat per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur; quod seruandum est in electione Patrum Diffinitorum, sicot cum effectu seruari videmus in singulis Religionibus, vt de *suprà* memoratis constat *in locis* eorum Constitutionum *pariter citatis.*

QVÆSITVM. V.

Vtrum diffinitores teneantur sub mortali, de his, quæ in diffinitorio aguntur, & terminantur, nihil publicare.

SVMMARIVM.

1 *Diffinitores tenentur sub mortali seruare secretum de omnibus, quæ in Diffinitorio tractantur, & resoluuntur*

2 *Reuelare secretum, quod peccatum sit.*

3 *Pœna apud Ethnicos arcana reuelantibus imposita.*

1. RESpondeo dicendo, quòd Diffinitores tenentur sub mortali seruare secretum de omnibus, quæ in Diffinitorio tractantur, & resoluuntur: quia
2. reuelare secretum, præcipuè in rebus grauibus, est peccatum ex genere suo mortale, grauius quolibet furto, iuxta Sot. *de tegendo secreto, membr. 1 q. 1. & 2.* præsertim in magistratibus, & reliquis omnibus aliquod publicum munus gerentibus, quorum est, iustitiam administrare; quales sunt Patres Diffinitores, qui secreta Diffinitorij propalando, peccant mortaliter, non solùm contra charitatem; verùm etiam contra iustitiam, & contra fidelitatem suo muneri debitam. Eò magis, quia arcanorum reuelatio grauissimum est crimen ab omnibus vbique damnatum,
3. grauissimáque pœna punitum. Apud Ethnicos quippe Sisyphus ille, eò quia Deorum arcana hominibus patefecit, ad eam apud Inferos pœnam fertur damnatus, vt saxum ingens vsque ad montis cacumen deuoluat, indéque ad radices proiectum iterum repetat, sicque huiusmodi labore perpetuò lassetur, authore Seruio *in Comment. Virgil. in 6 Æneid.* & Tarquinius Romanorum Rex Marcum Tullium Duumuirum culeo insutum in mare proiici iussit, ex eo, quia librum secreta ciuilium sacrorum continentem, eius custodiæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum tradiderit; sic referente Valerio Maximo *lib. 1. tit. de cultu Deorum*, & ex eo Salzed. ad Bernard. Diaz *cap. 106.* vbi addit, quòd apud Ægyptios arcana reuelanti lingua abscindebatur. Ex his constat, quàm stricta sit obligatio prædictorum Patrum Diffinitorum, nunquam reuelandi secreta Diffinitorij, etiam cum propriæ vitæ discrimine, prudentissimum illud Senecæ *epist.* 88. sæpius repetentes: *Vre, cæde, occide, non prodam: sed, quò magis secreta quæret dolor, hoc altius condam.* Eò maximè, cùm magni sunt momenti, ac eorum reuelatione macula, vel detrimentum Prælatis, vel particularibus Religiosis oriri posset. Vnde in Religionibus benè ordinatis solet illis id iniungi sub præcepto obedientiæ, & in contrauenientes rigorosè animaduerti. Videatur Roder. *qq. reg. tom.* 2. *quæst.* 36. *art.* 3. Mirand. *Man. Prælat. tomo* 2. *q.* 17. *art.* 5. Et in Constitutionibus Patrum Congregationis Cassinensis *p* 1. *cap.* 13. sic statutum est: *Nullus tam ipsorum Diffinitorum, quàm etiam aliorum, quacunque ex causa à Diffinitoribus aduocatus, ea, quæ tractantur in Capitulo, siue, quæ ibi audierit, reuelare audeat, donec fuerit Capitulum absolutum, & etiam ad longum tempus, si rei materia poposcerit: & hoc etiam intelligendum est, de Dietis intra annum celebrandis. Quòd si à quoquam contrà factum fuerit, ita quod scandalum oriatur, aut verisimiliter oriri possit, quod arbitrio maioris partis Diffinitorum, si tempore Diffinitorij talis reuelatio publicata fuerit; sin autem Regiminis arbitrio declaretur: siquidem Diffinitor primo sequenti anno, quo fuerit habilis ad officium Diffinitorij, non possit eligi in Definitorem: & præter hoc, si durante Capitulo de tali reuelatione constiterit, expellatur de Diffinitorio; cum Diffinitorum tamen arbitrio, si maiori parti eorum videbitur reuocandus. Si verò is qui reuelauerit, Diffinitor non fuerit, comedat semel in terra in Refectorio tempore Capituli, die, quo statuerint Diffinitores pro qualitate transgressionis; arbitrio Patrum Diffinitorum seu Regiminis, si intra annum de tali reuelatione constiterit, puniendus.* Decet ergo Diffinitores, vt viros prudentes, secreta Capituli custodire, cùm scriptum sit Prou 11. *Vir prudens tacebit: qui reuelat secretum, ambulat fraudulenter: qui autem fidelis est, celat amici commissum*, & cap. 20. eorundem Prouer. *Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commisceatur.* Hinc est, quòd Seneca *in lib. 5. de Beneficiis*, in hæc prorumpat verba: *Querar cum eo, qui arcanum sermonem non continuerit, & fidem datam, nec seruatam, indignabor.*

QVÆSITVM. VI.

Vtrùm Abbas, vel alij Prælati in Monasterij negotiis debeant Monachos ad consilium adhibere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas in grauis momenti negotiis debet omnium Monachorum consilium adhibere: ad minora autem Seniorum tantum, vt n. 2.*

3 *Consilium huiusmodi si omitteretur, an actus gesti sint validi, ostenditur.*

4 *Constitutiones Religionum speciales præscribunt modum de adhibendis ad consilium Fratribus.*

DIuus Pater Benedictus *Regula cap. 3.* cuius titulus est: *De adhibendis ad consilium Fratribus,* sic ait:

sic ait: Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, conuocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse, vnde agitur; & audiens consilium Fratrum, tractet apud se prudenter, &, quod vtilius iudicauerit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpè iuniori Dominus reuelat, quod melius est.

1. In grauis igitur momenti negotiis sui Monasterij nihil debet Abbas, ex præscripto verborum prædictorum Regulæ D. Patris Benedicti, non habito priùs Monachorum suorum consilio, gerere: & meritò quidem: nam etiam seclusa Regula, & ordinatione nostri Legislatoris, prudentia ipsa postulat, vt res graues non sine maturo consilio expediantur; cùm rectum in eis iudicium pendeat ex multis circunstantiis, & rationibus, quæ non omnes Abbati notæ esse poterunt: nam consilium supplet id, quod deest prudentiæ eorum, qui consultant, vt notauit D. Basil. orat. de felic. & infortun. *In consiliis enim sapientia inhabitat*. Prouerb. cap. 23. Et iterum. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*. ibidem. Debet autem omnem Congregationem Abbas ad consilium vocare, quando aliquod graue, præcipuùmque negotium tractandum est iuxta præceptum Sancti Patris: *quia*, cùm sancta sit, proximus est veritatis assequutioni, ac propalationi: & ideò per iuniores, & minores illius sæpè Deus reuelat, quod melius est: vnde (vt notauit Basil. *vbi proximè*) reuelauit Deus Moysi per Iethro socerum suum, quod illi magis congruebat; & tamen Moyses in Ægyptiorum sapientia instructus, & sæpè cum Deo facie ad faciem loqui solitus erat, vt habetur *Exod.* 18. Nec mirum, quoniam Deus quoque intellectum dat paruulis, & infirma mundi eligit, vt fortia quæque confundat. vnde puero Danieli dedit sapientiam ad arguendos, & confundendos senes; & cum Samuele, non autem cum Heli loqui voluit, vt obseruatur 1. *Reg.* 4.

2. Et non solùm maiora, ac grauiora; sed etiam minora cum consilio expedire debet Abbas, iuxta eiusdem Regulæ legem: in his autem non totius Conuentus, sed Seniorum tantùm consilium adhibebit: *in fine* enim *d. cap.* 3. ita subditur: *Si qua verò minora agenda sunt in Monasterij vtilitatibus, Seniorum tantum vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio: & post factum non pœnitebis.* Vnde patet, quòd non ideò, quia negotia Monasterij parui sunt momenti, Abbas ab obligatione consilium petendi soluitur, si in eis adsit causa dubitandi. Seniores autem Monasterij in nostra Congregatione sunt Prior claustralis, Decanus, Magister Nouitiorum, & Cellarius. Ita etiam in nonnullis aliis monachalibus Congregationibus, vt apud Cassinenses, & apud Congregationem montis Oliueti Seniores intelliguntur vicarius Monasterij, qui est idem, quod Prior claustralis, Cellarius, Magister Nouitiorum, Procurator, & Senior, secundùm professionem, vt in eorum declaratorio Regulæ *p. 1. super d. cap.* 3.

3. Hic autem aduerto, quòd si Abbas omitteret Conuentus sui consilium in negotiis arduis Monasterij pertractandis, ac Seniorum in rebus minoribus, actus ab eo gesti essent nulli: quoties enim capitularis consultatio necessaria est, si illa omittatur, corruit actus, *cap. Noui.* adiuncta Gloss. *de his, quæ fiunt à Præl. sine consensu Cap.* Bart. *in l. 1. §. Si plures. n. 3. ff. de exer. act.* cum aliis ibi per eum adductis. Burfat. *lib. 1. consf. 90.* Pahormit. *in cap. Porrectum n. 5. & 6. & cap. ad Apostolicam. n. 4. & 12. de Regular.* Sed dubium est, vtrùm non solùm consilium requirere, verùm etiam consensum Conuentus expectare debeat, de qua re in sequenti.

4. Fateor, quòd in hac re attēdendæ sunt speciales Cōstitutiones Religionum, quarum nonnullas vidi, quæ cùm in pluribus conueniant cum laudabilibus Cōstitutionibus meæ Congregationis Vallis Vmbrosæ; ideò huiusmodi hîc apponere studui sub præcisis verbis decisionem præpositi quæsiti concernentibus. Ad cap. ergo 3. Regulæ D. P. Benedicti de adhibendis ad consilium Patribus, habentur hæc verba.

Abbas, vel Superior in præcipuis Monasterij negotiis pertractandis consilium ex hoc Capitulo requisitum adhibere teneatur, alioquin præter nullitatem actus, si inde damnum aliquod Monasterio, seu Congregationi sequatur, tandiu ab exercitio sui officij suspensus permaneat, quandiu damnum illatum resarcire distulerit. Nec interea ad aliud officium, seu dignitatem in Congregatione assumi valeat, si tamen nullum damnum inde sequatur, nihilominus Patris Præsidis arbitrio puniatur. Monachi verò, qui præmissorum inobseruantiam, & damnum illatum ipsimet P. Præsidi vltra decem renunciare distulerint, voce actiua, & passiua arbitrio eiusdem priuentur.

Quædam in Monasterio sunt negotia Abbatis personalia tantùm, vt electio Decanorum Monasterij iuxta decretum capitis 25. Aliqua cum solo Monasterij Cellario discernit, vt si pecunias pro necessitatibus Monasterij, infra quinquaginta nummorum summam, mutuò accipere contingat, venditionem rerum ex annuis Monasterij prouentibus (vulgò, grasciarum) frumenti, vini, olei, lignorum, & huiusmodi, dummodo non excedat summam vigintiquinque scutorum.

Quædam Abbatis, & Seniorum, vt collatio beneficiorum proprij Monasterij, & venditio rerum in summa supra vigintiquinque scutorum. Nonnulla sunt, in quibus totum Monasterij Concilium exigitur, alioquin inualida forent, vt Abbas finito tempore Nouitiatus, quos habiles inuenerit, & legitima sextidecimi anni ætate expleta ad professionem admittat, & professos tantum in sacris constitutos ad electionem, vel reprobationem conuocet; quos omnes eodem modo conuocet, si Syndici, aut Procuratores, siue Monachi, siue sæculares pro negotiis Monasterij perficiendis, constituendi sint. Si bona feudalia, aut emphyteutica, quæ liuellaria vocantur, vel defectu descendentium, vel quacunque recaducitatis ratione ad Monasteriū redire, seu deuolui contigerit, si tanquam bona solita locari, sic iterū in emphyteusim concedenda, & locanda essent: si qua bona in affictum ad triennium locare, aut accipere contingat, nisi tamē in Procura, seu Mandato Procuratoris à Capitulo constituti facultas consensū præstandi vice totius Monasterij expressè concessa esset. Idē quoque faciat Abbas, quoties Cōuentuales, & Scriba Monasterij eligendi sūt.

Quædam Patris Præsidis, & Visitatorum notitiam, & consensum requirunt, vt si permutationes bonorū immobilium, seu etiam rerum mobilium pretiosarum supra quinquaginta nummos aureos, aut quæcunque emptiones bonorum immobilium fieri contingat: sine eorum cōsensu loca Montiū pro Monasteriis non emantur. Ad censū nulla pecuniarum summa detur, nec accipiatur. Et quia bona sæcularium sæpiùs periculosa, quia sub fideicommisso sunt, cautè procedendum, si pecunias supra quinquaginta nummos aureos mutuò accipere opus fuerit. Idem quoque consensus eorum habeatur, si fabrica supra quinquaginta nummos aureos fieri oporteat.

Quoties Patris Præsidis, & Visitatorum, aut Diffinitorij, vel Diætæ consensus requiritur, Abbas rem anteà cum suis Senioribus pertractare teneatur; deinde rem benè, & maturiùs discussam toti Capitulo Monasterij, & Seniorum consilio à maiori parte supra dimidiam Professorum in sacris per vota secreta approbandam proponat. Quòd si Monasterij Capitulum in euidentem vtilitatem expedire iudicauerit, antequam contractus ineatur, & fiat, ea de re P. Præsidem, & Visitatores certiores facere teneatur, à quibus (si confirmauc-

maueris)licentiam in scriptis obtineas, seruato semper ante omnia (quatenus opus sit) Sedis apostolicæ beneplacito. Ex quibus quid in mea Religione circa quæsitum seruandum sit, claré manifestatur.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbates, & alij Prælati regulares teneantur non solùm Conuentus consilium in negotiis gerendis requirere; verum etiam consensum expectare.

SVMMARIVM.

1 *Consilium alicuius quando quis requirere debet, non adstringitur illud sequi.*

2 *Consilium licet excitet ad deliberandum; non tamen adstringit ad sequendum.*

VIsum est *in præcedenti quæsito*, quòd Abbas ex præscripto Regulæ D. Patris Benedicti teneatur ardua Monasterij negotia cum consilio Fratrum expedire: superest, vt videamus, vtrùm eorum consensum expectare debeat; In quo iuxta ipsam Regulam respondendum est negatiuè: in ea enim dicitur: *Et audiens Abbas consilium Fratrum, tractet apud se prudenter; & quod vtilius iudicauerit, faciat*. Et paulò pòst: *Sed magis in Abbatis pendeat arbitrio; & quod salubrius esse iudicauerit, ei cuncti obediant*. Ex quibus verbis satis constat, quòd, licèt S. Pater moneat Abbatem, vt cum consilio Fratrum gubernet; omnia tamen in eius arbitrio, & voluntate constituit: quod
1. pariter disponit *in cap. 65. eiusdem Regulæ*. Prætereà regulariter, quandoquis consilium alicuius requirere debet, non adstringitur illud sequi; etiam in casibus, in quibus, si non requireretur, actus esset nullus, per tex. *in c. Cùm in veteri*, & ibi Gloss. *verb. In tractatu*, & *verb. Expectatum*, ac Panormit. *ibidem, n. 12. de elect.* idem Panormit. *in cap. Ad apostolicum n. vlt. de Regular.* & *in cap. Quando n. 5. de his, quæ fiunt à Præl.* Sylu. *verb. consilium, q. 1.* Gonzal. *ad Regul 8. Cancell. Gloss. 41. n. 61. & Gloss. 47. n. 7.* nouissimè Barbos. *in tract. Axiomatum iuris vsufreq. Axiom. 55. n. 2.* & *in collect. ad reg. Nullus 62. n. 3. de regul. iuris, in 6.* vbi refert Menoch. *de præsumpt. lib. 6. præs. 34. n.*
2. *25.* Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 34. n. 24.* Consilij enim natura est, vt quamuis excitet ad deliberandum; non tamen obstringat ad sequendum. *l. In furto. §. rectè. ff. de furt.* Felin. *in cap. Cùm omnes. in 10. limit. de constitut.* At in Regula dicitur, vt consilium tantùm Abbas adhibeat; nec est sermo de consensu: ergo Abbas, licèt sui Conuentus consilium in Monasterij negotiis administrandis requirere teneatur; tamen auditis Consultorum sententiis, quod sibi melius expedire videbitur, exequi potest. Hæc autem etsi iuxta Regulam ita se habeant, secundùm quam (vt alibi diximus) Abbatis potestas est perfectè monarchica; nihilominùs ex peculiaribus vniuscuiusque Congregationis statutis ab apostolica Sede approbatis, huiusmodi regimen mutatum est, totáque potestas, ardua ac grauiora Abbatiarum, Congregationum negotia decernendi, ac tractandi ad Diffinitores, vel alios Superiores translata.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus, disciplinæ, & culparum Capitulum celebrare debeat?

SVMMARIVM.

1 *Disciplinæ Capitulum Abbas sæpè tenere debet.*

2 *Culparum Capitulum singulis diebus, exceptis Dominicis, & Festis de præcepto, faciendum esse præscribunt Constitutiones Congregationis S. Iustinæ de Padua; licet per Constitut. Pauli V. hæc obligatio redacta sit ad semel in hebdomada, vt num. 3.*

DIsciplinæ Capitulum celebrare non parum ad Religionis rigorem conseruandum conducit: 1.
& propterea illud sæpè tenere debet Abbas in Choro, vel in alia secretiori Conuentus parte, sicut passim apud omnes bene ordinatas Religiones obseruari consueuit. In quo omnes Religiosi publicè culpam delictorum suorum verecundè, ac humiliter dicunt, & pœnitentiam ab Abbate postulant; veniámque ab eo precantur: qui illorum transgressiones, excessus, ac negligentias paterna correptione increpat, obiurgatque: ex qua increpatione non modicos fructus Monachis obiurgandis prouenit, si eam æquo animo, ac libenter ferant. Vnde Diuus Basilius *super Isaiæ cap. 2. & orat. 9. de ira*, sic ait. *Omnis reprehensio palam attingens eum qui reprehenditur, ipsius animum acri dolore excruciat ob oculos ponens turpitudinem peccati, ita vt non mediocri beneficio videatur affecisse eum, qui nullo sensu suorum peccatorum tangebatur, reuocans eum ad conscientiam malè commissorum, & ad suscipiendam peracrem pœnitentiam perducens: quale enim vulnus corporis tam vehementem affert dolorem, qualem inurit animæ obiurgatio? pudore afficiens eum, qui sibi est vitiorum conscius: sermo enim mordicus anxietatem, ac mærorem animæ ingerit.*

Et hic modus publicè à Religiosis coram Abbate 2.
culpas suas dicendi traditus, ac præceptus fuit à D. P. Benedicto *Regulæ cap. 46.* vbi dicit: *Si quis, dum in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit, aut fregerit quidpiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbiuis; & non veniens continuò ante Abbatem, vel Congregationem ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum, cum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi.* In cuius capitis declaratione Patres Congregationis Sanctæ Iustinæ statuerunt, vt Capitulum culparum ob id singulis diebus post Primam tenendum sit, exceptis Dominicis diebus, vel Festis de præcepto Ecclesiæ, vel de consuetudine ciuitatum, vt etiam habetur *in declaratione cap. 17.* & Benedictus XII. *in Constitutionibus eorundem Monachorum Cassinens. cap. 5.* statuit, vt in quolibet Monasterio, aliòve conuentuali loco ipsius Congregationis singulis diebus regulare Capitulum teneatur, in quo, antequam ad tractandum procedatur, Monachorum excessus, negligentiæque corrigantur, ac de disciplina, & reformatione regulari tractetur salubriter, & agatur. Idem stabiliuit ipsemet Benedictus XII. pro Canonicis Regularibus *tit. de Capitulis quotidianis faciendis.* Id expressè etiam pro eisdem Cassinensibus Patribus statuit Paulus V. in sua Bulla incip. *Romani Pontificis prouidentia circunspecta.* edita anno Domini 1608. die 21. Martij, Pótificatus sui anno tertio ad declarationem, & moderationem Statutorum, & ordinationum pro bono regimine eiusdem Congregationis anteà editorum, vbi ad propositum sic ait. *Culpæ Monachorum in Capitulo semel in qualibet hebdomada ad minus audiantur.* Videatur super hac re Ioan. Trullus *de Canonic. regular. lib. 2. cap. 11.*

DISPV

DISPVTATIO. II.

De poteſtate Abbatum,& Prælatorum Epiſcopis inferiorum,quoad inſtituendum,& prouidendum Officiales,& Miniſtros in ſuis Monaſterijs, & Eccleſijs.

QVÆSITVM I.

Vtrùm expediat Abbati, pro ſui Cœnobij regimine, ſecum aliquos graduatos Officiales & Miniſtros adhibere.

SVMMARIVM.

1 *Ordo vbicunque auferetur, neceſſe eſt, Eccleſiæ pulchritudinem, & ſubditorum vtilitatem auferri.*
2 *Abnegare ſemetipſum, eſt, propriam voluntatem, per quam homo eſt homo, abnegare.*
3 *Seruire Deo, regnare eſt.*
4 *Abbatem alios ſibi ſubordinatos Miniſtros ad ſui cœnobij regimen aſſumere expedit.*

ORDO, ſecundùm Nazianz. *oratione de modo ita in diſputatione habenda in Eccleſiis*, conſtituit, vt alij Duces, alij Paſtores, alij præſint, alij ſubſint, atque imperia accipiant, alius caput ſit, alius pes, al... manus, al... oculi, alius aliud quoddam corporis ... ad ... Eccleſiæ concinnationem, & ornat..., vtilitatémque, vel ſubditorum vel
1. Præfectorum. Vbicunque ... auferatur hic ordo, neceſſe eſt, & ... tem ... , & Eccleſiæ pulchritudinem, & concinnation... auferri. Voluntatem ergo noſtram alterius gubernaculo ſubmittere debemus, ſicut Paulus ad Hebræos 13 iubet dicens: *Ob... Præpoſitis veſtris, ... ſubiacete eis* Inde enim Chriſtum imitamur, & ſequimur; & perfectio religioſi ſtatus ... acquiritur, iuxta illud: *Qui vult venire poſt me, ab... ſemetipſum, ... tollat Crucem ſuam, & ſequatur me*.

2. Abnegare enim ſemetipſum eſt, propriam voluntatem, per quam homo eſt homo, abnegare. Vnde, ſi in hoc perfectio con... vt o... relictis ſequamur Chriſtum ne...ſſe eſt, ... homas ait 2. 2. q. 186. *art.* ... al... el gere Præpoſitum, qui nomine Chriſti per... onis tantum ad... cupientem, dirigat etiam impe... opus eſt ... quod Chriſto pollicitus eſt, bona fi... uat Ita Sot. *de iuſtitia, ... iure, lib. 7. q. 5. ar 4.* A... o Religionis Antiſtiti parendum eſſe, ex ... & ... & neceſſariò concluditur. Sed an Abbas alios ſibi ſubordinatos miniſtros ad Cœnobij regimen aſſumere, & an Religioſi pluribus Miniſtris per ordinem obedire debeant, & ſit rationi conſonum, quæſtio hîc eſt. Et primò dicam, quòd confert, noſtram voluntatem alteri ſubmittere, ad hoc vt præfati ſumus: quò pluribus enim eiuſmodi obſequimur, perfectiores euadimus. Inſuper, ſi ſeruire Deo regnare eſt, quò pluribus illius nomine nobis Præpoſitis obedientiam præſtamus, perfectiùs regnamus.

Id præterea alia & iſta pariter ratione expedire oſtendit inter alios Benedictinæ Regulæ Expoſitores, Antonius Perez *in Comment. ſuper cap. 65.* nempe, 4.
quia Abbate in alias Monaſterij curas abdicato, ac diuerſis occupationibus diſtracto, ſine aliorum Miniſtrorum auxilio, & ope, myſticum ſui Monaſterij corpus in Conuentuali officio acephalum videretur. Quod etſi de Præpoſito neceſſariò ordinando dicat; tamen de omnibus etiam alijs Officialibus, & Miniſtris in genere ſuo hæc eadem ratio militat, idémque congruit (vt dicebamus) ſanctorum Inſtitutorum, & omnium Regularium Conſtitutionibus, vt experientia rerum Magiſtra in eorum Regularibus domibus, tam virorum, quàm mulierum edocemur, & prout in ſequentibus Quæſitis clariùs oſtendetur.

QVÆSITVM. II.

Quales, & quos Officiales, vel graduatos, debeat ſecum ad Cœnobij gubernationem Abbas adhibere.

SVMMARIVM.

1 *Monaſterij ad officia peragenda tales deputandi ſunt, qui fideles fuerint, & diſcreti.*
2 *Præpoſitum, ſiue Priorem clauſtralem qualem Abbas in Monaſterio inſtituere debeat?*
3 *Decanos in Monaſterio creare debet Abbas.*
4 *Oeconomum, ſiue Cellarium in Conuentu Abbas inſtituere debet, & qualem?*
5 *Oſtiarius ad Cœnobij oſtium deputandus qualis eſſe debeat.*
6 *Abbas diligenter curare debet, vt Fratribus infirmis charitatis miniſterium exhibeatur.*

HÆc duo relatiua ſubſtantiæ, & qualitatis, *quales*, & *quos* ſeorſim conſiderare, abs re non erit, vt duplici præſentis Quæſiti ſenſui ſatisfaciamus. A prima igitur dictione incipientes, quærenti quales Miniſtros debeat ad gubernandum Cœnobium ſecum Abbas adhibere. Reſpondemus, iuxta Dominicum eloquium,

eloquium, viros prudentes, ac Deum timentes, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, *Exodi.* 18. Quod clariùs in secunda dictione singulorum ministrorum nomina, & qualitates à sanctissimo Patre descriptas assignantes ostendemus. Ex iuxta Innocentij
III. sententiam *in c. Cùm ad Monasterium. §. Tales.*
1. de stat Monach. *Tales deputari ad officia Monasterij agenda mandantur, qui fideles fuerint, & discreti.* Adde illud euangelicum: *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam:* Vnde Basilius Magnus *in Regulis breuioribus, interrog.* 104 *&* 152. hac de re verba faciens, ac explicans, quæ ratio tenenda sit in officiis Fratribus delegandis, docet, vt adhibito peritiorum, expertorúmque consensu Ministros eligat Antistites; non tamen ex solo ipsius arbitrio.

2. Hos itaque Abbas Monasterij Ministros graduatos, seu Officiales ordinet. Primò, Præpositum, seu Priorem claustralem, nisi à superioribus Abbatibus, vel Capitulo illum recipiat, hoc instituat modo: *Ideóque nos prouidemus expedire propter pacis, charitatisque custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem Monasterij sui. Et si fieri potest, per Decanos ordinetur (sicut antea disposuimus) omnis vtilitas Monasterij, prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut Congregatio petierit rationabiliter cũ humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunque elegerit Abbas, cum Consilio Fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi Præpositum. Qui tamen Præpositus illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint, nihil contra Abbatis voluntatẽ, aut ordinationem faciens: quia, quantò prelatus est cæteris, tantum eum oportet sollicitius obseruare præcepta Regulæ. Qui Præpositus, si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbia, aut contemptor sanctæ Regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsque quater: si nõ emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis.* Ita D. Pater Benedictus *Reg. cap* 65. Hæc annotaui, vt ordinationem Præpositi, & aliorũ Ministrorũ quisque ex illis possit perspicere. Dices, cur Sanctus Legislator Benedictus huic Præpositi ordinationi non apposuit illius qualitates, sicut agendo de Decanis Cellario, Ostiario, aliisque Graduatis, & Ministris, aut Officialibus facere consueuit, vt inferiùs dicitur Respondeo, cùm primum Præpositi officiũ excusetur in Monasterio, quoties per Decanos suppleri potest; Sanctum Patriarcham Benedictum existimasse, eiusdem qualitates non esse recensendas. At hæc quidem responsio parum subsistere videtur: quia subdit, vt instante Præpositi necessitate, in Congregatione creetur Præpositus. Et ideò Respondeo secundò cum Antonio Perez *in Comment. super Reg. S. Benedicti, cap.* 65. D. Benedictum supposuisse, enarratas Abbatis qualitates in Præposito præfulgere debere, cum præcipuè vicem absentis Abbatis gerat: de quibus Abbatis qualitatibus *in* 2. *&* 64. *cap.* & nos *in* 1. *lib.* satis egimus, Innocentius verò III. quibus virtutibus, & qualitatibus ornatum esse oporteat claustralem Priorem, explicat *in cap. Cùm ad Monasterium. §. Prior autem de stat. Monach.* his verbis: *Prior autem præ cæteris post Abbatem potens sit in opere, & sermone, vt exemplo vitæ, verbóque doctrinæ Fratres suos instruere possit in bono, & à malo etiam reuocare, zelum Religionis habens secundum conscientiam, vt delinquentes corripiat, & castiget, & obedientes foueat, & confortet.*

3. Debet deinde Abbas ordinare Decanos, vt præcipitur *in c.* 21. *Reg* his verbis: *Si maior fuerit Congregatio, eligantur de ipsis Fratres boni testimonij, sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui sollicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus secundùm mandata Dei, & præcepta Abbatis: qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum. Quod si quis eis, aliqua forte inflatus superbia, repertus fuerit reprehensibilis, correctus semel, & iterum, & tertiò, si emendare noluerit, deiiciatur; & alter in loco eius, qui dignus sit, subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.* Ordinandi ergo sunt ab Abbate Decani, vbi frequens Fratrum existit Congregatio. Si petas, an vnus, vel plures Decani sint ab Abbate ordinandi? Respondeo, si maior fuerit Congregatio, vt habetur *in verbis citatis*, plures eligantur: si verò minor, vnus: & in hoc obseruetur ab Abbate suæ Congregationis Institutum.

Tertiò, ordinare debet Abbas Cellarium, siue Oeconomum Monasterij secundum Regulæ præscriptũ 4.
cap. 31. vbi de Cellarij ordinatione hæc habentur: *Cellarius Monasterij, qui eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus; sed timens Deum: qui in omni Congregatione sit sicut pater, curam gerat de omnibus, sine iussione Abbatis nihil faciat; quæ iubentur, custodiat, Fratres non contristet* Verba hæc ab Abbate sunt valdè animaduertenda in ordinatione Cellarij: reliqua verò sequentia eiusdem cap. verba ad officium Cellarij spectantia à Cellario memoriæ mandanda: fidelem enim hunc Oeconomum esse oportet, ne bona Monasterij furtim corripiat, sitque tanquàm Iudæ imitator, qui cùm esset fur, loculos habebat. Necesse est etiam, vt exactè futura mala prospiciens commoditatibus Monasterij tempore congruo diligenter consulat. Ita Ioannes Trullus *lib. 2. de Can. Reg. cap.* 14.

Quartò, debet Abbas ad ostiũ Monasterij idoneum 5.
Ostiarium constituere, iuxta id, quod præcipitur *in c.* 66. *Regulæ*, vbi hæc aduocantur: *Ad portam Monasterij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum, & reddere: cuius maturitas eum non sinat vagari.*

Quintò, ordinare debet Abbas, & constituere in suo Monasterio artifices, qui cum humilitate, & reuerentia suas exerceant artes, *cap.* 57. *Reg. per tot.*

Sextò, caueat super omnia, vt Fratribus infirmis 6.
charitatis ministerium exhibeatur ab illis, quibus ab ipso Abbate tale demandatum est onus, ex Reg. *cap.* 37. & *alibi.* Et in hoc maximè meminisse debet Abbas, se Christi personam in Monasterio gerere: & eligendus est, secundùm Hugonem, timens Deum, qui erga infirmos magnam, specialémque curam gerat; & quod opus eis fuerit, ministrare strenue studeat, & eo affectu, & studio illis deseruiat, ac si ipsi Domino Iesu Christo deseruiret: ipse enim dicturus est in Iudicio: *Infirmus fui, & visitastis me.*

Septimò, prouideat, vt hospites, peregrini, & pauperes summa excipiantur humanitate, *cap.* 53 *Reg.*

Octauò, ordinet hebdomadarios pro mensa, *cap.* 38.

Nonò, septimanarios coquinæ, *cap.* 35.

Tandem, cum tota Monasterij cura sit penes Abbatem, omnes alios regimini necessarios constituat, ne eius incuria, aut negligentia vituperetur ministerium Dei.

QVÆSITVM III.

Vtrùm per solum Abbatem, vel etiam Monasterij Congregationem, an autem per Abbates superiores eligantur, & ordinentur Officiales, & Ministri Conuentus.

SVMMARIVM.

1 *Ministros, & Officiales in Monasterio deputare*

de

[illegible] iure communi, & secundùm Regulam D. Pa. Benedicti, ad Abbatem solum [illegible].

1. PLuribus de causis venimus in dubium, an per solum Abbatem ordinari debeant Officiales, & Ministri Conuentus. Prima est, quia tempore Sancti Benedicti [illegible] Mon. Tertia, [illegible] ordinationem Officialium, & Ministrorum non à proprio Abbate, sed [illegible] rixæ, detractiones, [illegible] vt habetur [illegible] 5. *Regula*. Secunda [illegible] eodem capite præcipitur, vt Abbas [illegible] Præpositos, [illegible] Monasterij [illegible] *quæsito*. Tertia, [illegible] S. Legislator, vt eadem ordinatio [illegible] Fratrum fiat. Quarta, quia moderni Abbates [illegible] Ministros a Capitulis generalibus, & a [illegible] Abbatibus recipiunt. Auton. Perez tamen [illegible] *Reg. cap.* 5. docet, penes Abbatem [illegible] totum Monasterium suum ordinare, & omnes Ministros: quod elicitur *ex cap. 11.* per verba illa: *Ideoque nos prouidemus expedire, propter pacis, charitatisque custodiam, vt Abbatis pendere arbitrio Monasterij ordinationem.*

Dices, Abbates Congregationum plerique suos Ministros, & Officiales non ordinant, sed ordinatos recipiunt a Capitulo, & Superioribus. Respondeo: Vtrumque à nobis concedendum est, scilicet, Abbates secundùm Regulæ mandatum ordinare omnes Officiales, & Ministros Monasterij, quod in Multis Congregationibus, & Cœnobiis adhuc obseruatur: & etiam quòd aliqui Abbates recipiant Ministros, & Officiales ordinatos à Capitulo, & superioribus Abbatibus, secundùm illorum Constitutiones à Sede apostolica approbatas.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbas in sua absentia possit Vicarium constituere.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarius Abbatis Vicarius est Præpositus, siue Prior claustralis.*
2 *Abbas non [illegible] in eius absentia alium Vicarium constituere [illegible] prior claustralis esset ei à Capitulo assignatus.*

1. ORdinarius Abbatis Vicarius, eiusque vices gerens est Præpositus, siue Prior claustralis qui in [illegible] bus Congregationibus à proprio Abbate, in [illegible] llis verò à Capitulo, & Superioribus eligitur, [illegible] est [illegible] nominùs, cùm præter illius voluntatem [illegible] gere debeat *ex cap. 65. Regula*, censendus [illegible] Vicarius, eique in omnibus subie[illegible] non hinc inferendum est, eum semper ab Abbate [illegible] quia, cum ipse habeat iurisdictionem o[illegible] non cogitur [illegible] potiùs, quàm illi eam d[illegible] forte al[illegible] Congregationis Constitutiones [illegible] Abbatis Vicariam ipsi Priori

2. claustrali [illegible] committant. Si enim Priores à Capitulo [illegible] & eis iniunctum, vt in Abbatis absentia [illegible] exerceant, certe tunc ipsi Abbatis absentia Vi[illegible] tenentur, nec liceret Abbati alium V[illegible] deputare, vt elicitur ex Clusi[illegible] *Frecons.* vbi habe[illegible] ere protegi, Officialem à Principe superiore electum amouere.

Tamburini Tom. II I.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Abbas debeat Lectores in Monasterio instituere, & studium pro suis Monachis erigere.

SVMMARIVM.

1 *Heptateuchum quid sit.*
2 *D. Pater Benedictus quid præcipiat circa lectiones in Cœnobio habendas.*
3 *Abbates in eorum Monasteriis, quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneos Magistros tenere debent, qui lectionem sacræ Scripturæ habeant: quòd si negligentes fuerint, Episcopi locorum, vt Sedis apostolicæ delegati, ad hoc eos compellere possunt.*
4 *Locentia Ordinarij, ad lectionem sacræ Scripturæ in domibus Regularium habendam, non requiritur.*
5 *Religiosis non solum discere, verùm etiam docere licitum est.*
6 *Lectores, & Magistros in Cœnobio quot Abbas instituere debeat.*

CVm tria in hoc quæsito nobis dilucidanda proponantur, quæ distinctam exigunt inuestigationem, studium, scilicet, lectio, & lectores; eadem distinctè pertractanda erunt, prout ad rem nostram facere videbuntur. Et à lectione exordium sumemus dicentes, quòd Abbas præcipuè curare debet, *vt legat vnus Collationes, vel vitas Patrum; aut certè aliud, quod ædificet audientes; non autem Heptateuchum, aut Regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile, illa hora hanc lectionem audire; aliis verò horis legantur.* 1.

Circa verbum illud, *Heptateuchum*, sciendum, hac voce denotari volumen illud continens quinq; libros Moysis, & duos alios Iosue, & Iudicum. Et non vult etiam, quòd legantur in illa hora libri Regum, *vt d. Reg. cap. 42.* & *ibidem* ex Anton. Perez *in Comment.* 2.

Nec per prædicta verba Sanctus Pater lectiones sacræ Scripturæ excludit; imò potiùs præcipit, iam post lectionem Collationum, & Vitæ Sanctorum Patrum, post cœnam, vel post Vesperas, tempore ieiunij, sacram Scripturam legi voluit, dicens: *Aliis verò horis legantur.* Sciebat enim S. Benedictus, in sacræ Scripturæ lectione, quasi in speculo quodam, hominem seipsum considerare, & agnoscere, qualis ille sit, & quò tendat; & ab eadem sacra lectione animam purificari, timorem incuti, & amorem Dei, vt ait S. Aug. *serm. 112. de tempore*. Clarum quoque erat eidem S. Patri Benedicto Christi eloquium Ioan. 5. *Scrutamini Scripturas: quia vos putatis, in ipsis vitam æternam habere; sed illa sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Ideoque legitur, S. Patrem Benedictum, & asseclas suos, sacrarum Litterarum lectioni ita addictos fuisse, vt mira, & altissima Dei eloquia post Apostolos, eorumque discipulos, quasi primi, & præcipui in toto terrarum Orbe prædicatione, disputatione, ac scriptis propagarint, tótque Prouincias, ac Regna ad Christi fidem perduxerint.

Vnde in Concilio Viennens. à Clemente V. sic statutum legimus: *Rursus vt ipsis Monachis proficiendi scientiæ, via opportuna, non desit; in singulis ipsorum Monasteriis quibus ad hoc suppetunt facultates, idoneum teneatur Magister, qui eos in primitiuis [illegible] instruat diligenter.* Habetur in Clementina *Ne in agro, §. Ad amplationem. de stat. Monach.* vbi Gloss. *verb. facultates*, inquit: *[illegible] Abbas [illegible] dicit facultatem non sufficere: Episcopus [illegible] de hoc [illegible] si inueniat illas sufficere [illegible] ad hoc,* 3.

vel ponet ibi Magistrum. Concordat Sacra Tridentina Synodus, dum *cap. sess.5. de reform.* super hoc negotio ita statuit: *In Monasteriis quoque Monachorum, vbi commode fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur: qua in re si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc, vt Sedis apostolicæ delegati, eos ad id opportunis remediis compellant.* Circa quod decretum notat August. Barbosa *de offic. & potest. Episc p.3.alleg.56 n.16.* quòd Episcopus, vt à Sede apostolica delegatus potest Regulares suæ Diœcesis compellere, vt lectionem sacræ Scripturæ in suis Monasteriis habeant. Atque ita resoluunt Franc. Leo *in thes. fori eccl.p 2.cap.2.num.59* Campanil *in diuer. iur.rubr 2. cap 13. num.5.* Prax. nuu. Episc. *part. 2. cap.3. num.41.* vbi refert, Paulum V. sua Const. quæ incipit: *Apostolica seruitutis.* Cal August.1610.ordinasse, vt in omnibus Regularium Domibus, seu Monasteriis, lectio linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, & Arabicæ habeatur.

Notandum est insuper, quòd ad talem Lectionem S.Scripturæ in Monasteriis habendam, non requiritur licentia Ordinarii, prout refert decisum Galetius *in Margarita casuum consc. verbo, legere, & verbo, licentia*, 3. Et ita etiam docet Barbosa *loco cit. num.17.*

Quod spectat ad studium sacræ Theologiæ, nedum moralis, sed scholasticæ, quæ vtraque sacræ Scripturæ tanquàm fundamento innititur, secundùm Sanctarel. *var. resol. q.3 num.18* Barbos. *d. alleg.56, n 28* dicimus, sanctissimum nostrum legislatorem in omnibus sententiis eruditissimum studium nunquam prohibuisse; imò potiùs erexisse, vt ex contextu ipsius Regulæ pluribus in locis videre est: quod postmodum prædicatione, disputatione, & scriptione ipse, eiúsque discipuli, ac suæ Regulæ Professores experimento comprobarunt. Quamobrem Abbates tanti Abbatis successores, & imitatores, vbi commode fieri potest, suis Nouitiis, & Monachis, cùm monasticam perceperint disciplinam, & in ea profecerint, studium erigant, sicut hactenus Abbates Hispanos, Germanos, Gallos, multósque Italos laudabiliter fecisse, plura probant exempla; & eisdem Monachis, vel Nouitiis, vt illos literarum accendant desiderio: cum mellifluo Abbate Bernardo dicant: *Legite, Fratres, Scripturam: quia omni melle dulcior, omni pane suauior. In illa inuenitur, quomodo Deus Deorum sit longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter maiestatem, profundum propter sapientiæ immensitatem. In illa enim inuenitur, quomodo natus de Maria, & homo factus: quomodo nos amat vt charitas; nouit, vt veritas; sedet, vt æquitas, dominatur, vt maiestas; tuetur, vt salus; operatur vt virtus, reuelatur, vt lux; assistit, vt pietas.* Et paulò inferius ab eodem protinus subditur: *Quid homo sine literis reputatur? Quid est? Nunquid non pecus vel hœdus? Nunquid non bos, vel asinus? nunquid non equus, vel mulus, quibus non est intellectus?* Hæc, & alia Diuus Bernardus Abbas, Regulæ Benedictinæ sectator. Ex quibus duo licet inferre. Primum, eadem verba expresse docere, vt non solùm sacra Theologia scholastica, ac positiua, & moralis etiam sigillatim consideretur, idque intuenti facilè patebit. Secundum, ceteris imò esse, (quoniam hæc à Diuo Bernardo ad suorum discipulorum instructionem prolata sunt,) Abbatem debere Monachis studium aperire, & ad literarum certamen inuitare. Pro qua possent nonnullæ adduci Constitutiones à Sede apostolica approbatæ, præcipientes, & decernentes, vt omnium literarum, & scientiarum, tam diuinarum, quàm humanarum, quæ maximè Monachos decent, studium instituatur, curetur, augeatur, & erigatur.

Vnum verò omitti nolo, nempe, audiendos non esse eos, qui scientiarum cognitionem à religioso Claustro alienam esse debere asserunt, ex eo, quia denique ex scientia sæpe intumescunt, & insurgunt contra eorum Abbates, illos accusando: ex quo multa damna Monasterio proueniunt. Nam, vt inquit Panormitan. *in cap Non magnoperè, num.7. Ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.* ex scientia benè percepta multa & infinita bona proueniunt Ecclesiæ etiam vniuersali, quæ ad suum regimen Viris literatis maximoperè indiget, vt asserit tex. *in capit. Cùm ex eo de elect. lib.6.* Et Deus dixit per Oseam Prophetam: *Quia tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris Sacerdotio*, Oseæ 4. Et habetur transumptiuè in *cap Omnes psallentes. in fine, 38 dist.* & *cap. Nisi cum pridem §. Pro defectu quoque, de renunciat.* & D Hieronymus *ad Rusticum Monachum* inquit: *Si te Clericatus titillat desiderium, discas, quod possis docere; ne sis miles, antequàm tyro: ne prius Magister, antequam discipulus. Mihi placet, vt Sanctorum Doctorum habeas contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es*, vt habetur *in cap. Si Clericatus, 16.quæst.1.* & idem D.Hieronymus *alibi ad eundem*, (vt refertur *eadem caus. & q.cap.Sic viue*,) inquit: *Longo tempore disce, quæ postmodum doceas.* Ex quibus concludendum est cum prædicto Panorm. *loc. cit.* Religiosis non solùm discere, verùm etiam docere licitum esse, dummodo ad docendi Officium assumantur per habentes potestatem, vt notant Doctores *in cap. Quia nonnulli, de magist.* Illud tamen aduertere oportet, quòd non requiritur licentia, seu examen Ordinarii ad illam lectionem sacræ Scripturæ in Conuentibus Regularium habendam, secundùm dispositionem Concilij Trid. vt resoluit Galet. *in Margarita casuum conscientiæ, verbo, legere, & verbo, licentia.* 4.

5. Ad tertium, & vltimum transeo, scilicet, quos Lectores, & Magistros instituere debet Abbas in Monasterio. Et huic rei satisfiet *ex argum. cap. De quibus. dist. 37* vt Magistri, & Doctores constituantur, qui studia literarum, liberaliúmque artium dogmata assiduè doceant. Et Conc. Tridentino allegato superiùs *sess 5.* decretum est, vt lectio dignioribus Magistris assignetur. & in Collegiis, & Monasteriis docti Viri constituantur, qui Theologiam doceant, quodque in eo præstando eum ordinem teneant, qui maximè auditoribus sit commodus, vt lectionis adminiculo non doctiores tantùm, sed probatiores euadant: in iudicio enim suo sedet, qui benè vixerit, & benè docuerit, vt habetur *dist. 4. cap Multi.* & benè viuendo, & benè docendo populum instruit, quomodo viuere debeat: benè autem docendo, & malè viuendo Deum instruit, quomodo illum debeat condemnare: & qui benè sederit super Cathedram, honorem accipit Cathedræ; qui male sederit, iniuriam facit Cathedræ. Eligi quinetiam ad imbuendos tyrones Magistri debent, qui diu, & optimè didicerint, vt optimè doceant: ne (vt *in cap. Si Clericatus 16 q 1.*) sint priùs milites, quàm tyrones, & priùs Magistri, quàm discipuli, quod miserum est: & *ex dist 48. §. 1.* in arrogantiam, quæ est ruina Diaboli, incidunt, qui in puncto horæ, nedum discipuli, fiunt Magistri. His omnibus curam impendere volumus. Et hæc pro præsenti Disputatione satis erunt.

DISPVTATIO. III.

De Potestate Abbatum, & Prælatorum Episcopo inferiorum, quoad statuta condenda.

QVÆSITVM. I.

Vtrùm Abbas possit statuta condere.

SVMMARIVM.

1 *Statuta condere quis possit, ostenditur.*

2 *Abbates Conuentuales non possunt statuta perpetua condere.*

3 *Statuta perpetua an condere possint Abbates generales.*

4 *Capitulum generale, Sede vacante, an possit huiusmodi statuta condere.*

1. POTESTAS statuendi dependet à iurisdictione, & imperio in statuente, & subiectione quoad eum, in quem statuitur, 96. *distinct. cap. Bene quidem,* vbi Glossa. Is habet iurisdictionem statuta condendi, qui & leges condere potest, vel canonicas, vel ciuiles respectiuè. Ita Syluest. *verbo, statutum, num.* 1. Et quantùm quis habet de iurisdictione, tantùm habet de authoritate condendi legem, vel statutum. Ita Bald. *in l. Omnes populi ff. de iustitia & iure.* Vnde secundùm gradus, & latitudinem iurisdictionis nascitur facultas condendi statuta, vel leges. Relictis ergo iis, apud quos est summa potestas, v. g. Papa; Concilio generali, Papæ authoritate congregato; item Legato in Prouincia; item Concilio prouinciali, siue Legato ad illud faciendum specialiter destinato, de quibus satis constat, vt apud Syluestr. *in verb. lex, n.* 4.

An Abbatis statuta condere valeat, perpendere ad rem nostram attinet. Et primò videtur, Abbates etiam locales statuta facere posse: quia Episcopus habet facultatem condendi statuta perpetua: sed Abbates habent iurisdictionem episcopalem, seu quasi: ergo poterunt statuta facere.

2. Contrarium tamen dicendum est, scilicet, non posse Abbates conuentuales inferiores, condere statuta perpetua, quæ habeant vim, & rationem legis: quia tota Religio se habet tanquam vnum corpus politicum, quod seruare debet vnitatem, quoad fieri possit: & ideò regulariter expedit, vt non solùm substantialia Regulæ; verùm etiam statuta perpetua, & leges, siue Constitutiones eædem in tota Religione sint: propterea hæc potestas reperitur in iis, qui publicam iurisdictionem, & potestatem in tota Religione habent. Nec obstat argumentum adductum: nam non in omnibus Abbates parem habent, aut similem cum Episcopo potestatem, & ideò quasi episcopalem iurisdictionem habere dicuntur; Episcopi enim habent per se, ac immediatè iurisdictionem à Summo Pontifice, cui etiam immediatè subiecti sunt; ideóque per se iurisdictionem ad statuta condenda habent: sunt enim quasi Ecclesiæ Principes sub supremo Capite: Abbates autem inferiores non immediatè à Papa, sed vel à Generali, vel à sua Religione habent iurisdictionem subiectam, & dependentem à Generali; & ideò non conceditur illis iurisdictio sine Generali, vel Religione, ad condenda statuta, quæ est res grauissima, & quæ concernit totum corpus Religionis. Ita Suar. *tomo 4. de Religione, tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 4.

Ergo dices: Abbas generalis, qui est tanquàm Proprius Episcopus totius Religionis, immediatè sub Pontifice Summo constitutus, habebit facultatem hanc statuta faciendi? Respondeo, Abbates generales, nisi cum vniuersali Congregatione eiusmodi authoritate non frui. Generalis enim Abbas non est simpliciter totius Religionis supremum Tribunal: nam Capitulum generale superius illo est; & ideò regulariter Capitulo hæc potestas reseruatur, quæ meri & mixti imperij iurisdictio vocatur à Iurisconsultis. Bald. *in l. prima. ff. de iust. & iur.* D. Thom. 1. 2. q. 90. *art.* 3. *& qu.* 67. *art.* 1. Canonistæ communiter *in cap. Cùm accessissent de constitutionibus, & cap. Ex literis. eod. & cap. Cùm consuetudinis. de consuetudine, & cap. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælatis.* ita quòd alter sine altero statuere nequit. Et probatur: Abbas enim, cùm sit factus Caput Capituli, sine illo gesta firmitatem 3.

minimè obtinent, vt habetur *in cap. Cùm non liceat. de rescript.* Atque ita Roderic. *tom.* 1 *qu.* 10. *art.* 1 Salas *de legib d. spat.* 8. *sect.* 12. *n.* 56. Bonacina *eodem tract. disp* 1. *qu* 1. *punct.* 3. *n.* 15. Suar. *loco citato*, & alij communiter.

Notandum verò, quòd in hoc differunt Capitulum Generale, & Abbas Generalis: quia Generalis non potest facere statutum absque concursu maioris partis Capituli, & si id facit, & non tenet, argumento eorum, quæ tradunt Doct. *d. cap Cùm accessissent. de constit.* Innocent. & Panorm. *in cap.* 1. *de nou. oper. nunciat.* dicentes; quòd in rebus arduis agendis semper debet conuocari Capitulum. At è contrà, quauis Capitulum, non præsidente Generali, per se, aut per suum Vicarium legem ferre non possit; non propter eà pendet ex Prælati consensu: quia, si maior pars Capituli consenserit in condendo statuto, etsi Generalis sit alterius opinionis; tamen præualebit sententia Capituli, dummodo pars Capituli ita excedat, vt superet qualitatem, vel prærogatiuam Generalis, si quam habet, iuxta Religionis Constitutiones. Ratio est, quia potestas adæquata est in Capitulo; & Generalis ibi est tantùm vnus ex Suffraganribus; & ad summum eius votum duobus solet æquiualere: siue solet vincere, vbi est æqualitas in numero, vt latè Suar. *de Relig. tom* 4. *tract.* 8. *lib.* 2 *cap.* 8. *n.* 8. Ratio dictorum est: quia statutum fieri debet in vtilitatem publicam, & totius Religionis bonum: itaque cum eorum, quorum interest, consensu condi debet; imò nec statutum vlteriùs extenditur; nisi hi, quorum interest, consentiant, vel ad minus sint præsentes, secundùm Innocent. *cap.* 1. *de locat.* & *in cap. A nobis el.* 1. *de sentent. excom. nun.* & *cap. finali, de his, quæ fiunt à Prælatis.* Vnde Generalis, sicut & cæteri Abbates, poterunt præcepta tantùm non statuta modo supradicto facere: differentia enim magna est inter præcepta, & statuta: præcepta enim præcipientiom morte finiuntur; sed statuta legitimè facta durant etiam post mortem statuentium, nisi expressè reuocata fuerint, ex doctrina Panormit. *in d. cap A nobis. de sent. excommun.* & facit *cap. final. de offic. delegat.*

4. Hic autem notandum, quòd ipsum Capitulum generale, Sede vacante, potest de iure communi, ante electionem Abbatis generalis leges, & statuta perpetua condere, nisi aliter per eiusdem Religionis Constitutiones, vel priuilegia cautum sit. Ratio est: quia illud Capitulum habet supremam iurisdictionem in talem Religionem immediatè à Summo Pontifice. Et licèt tunc Religio Generali careat, non tamen carere potest Vicario aliquo, seu Præsidenti, qui pro tunc simul cum toto Capitulo habeat eandem potestatem ad statuendum, quam habere potest Capitulum cum Generali iam electo. Ita Suar. *d. cap.* 8. *n.* 9. & 10.

QVÆSITVM II.

Vtrum Abbas generalis cum Capitulo possit condere statuta contra ius commune.

SVMMARIVM.

1 *Statuta contra ius commune condere nequit Abbas Generalis cum Capitulo absque specialibus priuilegiis: & nisi à Summo Pontifice in speciali forma confirmarentur, inualida sunt: & num* 3.

2 *Lex Superioris per inferiorem tolli nequit.*

3 *Statuta contra ius commune condita nihil iuuantur confirmatione Legati à latere, quantumuis amplissima.*

5 *Ius canonicum intendit principaliter hominem dirigere ad Deum.*

QVanuis in nonnullis Religionibus adsint aliqua statuta, quæ sunt contra ius commune, quæ ad regularem statum videbantur necessaria, vt Religionis alumni, qui à sæcularium moribus, & viuendi modo in multis segregati sunt, per prædicta statuta dirigerentur; nihilominùs dicendum est, ea de expressa Summi Pontificis licentia, aut priuilegio fuisse 1.
in Capitulo generali condita: quia nullus Prælatus Romano Pontifice inferior, absque speciali eius authoritate sibi tradita, posset aliqua statuta condere, quæ sint contra ius commune, vt *per cap. Quod super his. de maiorit. & obedient.* & *ibi* Doct. cùm lex Supe- 2.
rioris per inferiorem tollit nequeat, *Clem. Ne Romani de elect.* Quia inferior nullam habet iurisdictionem contra Superiorem. Nauar. *lib.* 4. *consil. tit. de Regular. cons.* 5. Et inferior Superioris iura subuertere nequit. Surd. *cons.* 98. *n.* 6. Crauet. *cons.* 238. *n.* 5. Cardos. *in praxi Iudicum, verbo, lex*, 9. Roder. à Cunha *in cap. Inferior. n.* 2. *dist.* 21.

Et notandum est cum eodem Nauar. *loco citato*, *n.* 10. quòd non sufficit generalis licentia ad statuta condenda; sed requiritur, vt Generalis cum Capitulo obtineant specialem facultatem, vt derogari possit iuri communi: aliter nullius momenti erunt statuta condita: quando enim Summus Pontifex dat licentiam generalem condendi statuta aliqua in communi, ac denique in generali illa confirmat; intelligitur, dummodo sint licita, & honesta, ac sacris Canonibus non aduersentur: & hoc est valdè notandum.

Et dato, sed non concesso, quòd in prædictis Capitulis generalibus, siue prouincialibus, statuta conderentur contra ius commune, absque specialibus priuilegiis Sedis apostolicæ, tunc statuta illa inualida redderentur: nec sufficeret allegare priuilegia 3.
communia, & incerta, vt colligitur ex Panormitano, & Decio *in cap. Si duobus. de appell.* & Rodrig. *tom.* 3. *qq. regul. q* 11. *art.* 1. & Nauar. *lib* 1. *consil.* 3. *num.* 1. Duard. *in Bulla Cœnæ, lib.* 1. *cap.* 1. *q.* 1. *num.* 2. Suar. *de leg. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 7. & habetur decisum apud Ludouisium *decis.* 267. & in aliis decis. ab eo allegatis, *& in decis.* 103. *num.* 7. *part.* 2. *diuers.* Secùs dicendum esset, si statuta contra ius commune sancita à Capitulo, confirmata essent à Summo Pontifice, vt diximus, in forma speciali, non in forma communi: sicut habetur *in decis. eiusdem Ludouisij, decis. cit.* 267. Imò in hoc ca- 4.
su confirmatio statutorum facta à Legato à latere Papæ, quantumuis amplissima, nihil iuuat, vt fatentur Gratianus *discept forens. cap.* 9. *n.* 10. *in fine*; & Marchesanus *part.* 3. *tit. de commiss. nullit. sanat.* § 5. *num.* 84. & Rota *decisione* 145. *part.* 1. *& decis.* 339. *part.* 2. *in recem. & decis.* 4. penes eundem Marchesanum *part.* 1. *tit. de commiss. appell. in caus. benef. cap.* 7. quod in terminis resolnit Rota *in vna Toletana Canonicatus*, 18. *May* 1584 quæ extat apud Gratianum *de benef. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 165. Ratio est manifestissima, quòd contra ius canonicum, & commune non possint condi statuta; & eam assignat Panormit. *in cap. Cùm in tanto. num* 9. *&* 10 Et talis est: 5.
quia ius canonicum principaliter intendit hominem dirigere ad Deum: & venit ad bonum publicum ecclesiæ e. Vnde statutum contrarium editum ab inferioribus præsumitur temerarium, & ambitiosum, & contrarium fini æterno, & supernaturali.

QVÆ

QVÆSITVM III.

Vtrùm Abbates, & Prælati ſeculares exempti habentes iuriſdictionem epiſcopalem, poſſint ſtatuta condere.

SVMMARIVM.

1 *Abbates ſeculares habentes iuriſdictionem epiſcopalem ſeu quaſi, poſſunt ſtatuta condere.*

2 *Leges, & ſtatuta contra ius commune condere non poſſunt Abbates ſæculares iuriſdictionem quaſi epiſcopalem habentes.*

3 *Abbates regulares habentes territorium, & ſubditos ſæculares, in quos iuriſdictionem epiſcopalem exercent, poſſunt ſtatuta condere.*

4 *Statuta, & leges condere poteſt Epiſcopus, & Prælatus iuriſdictionem priuatiuè ad Epiſcopum habens abſque conſenſu Capituli, & Synodum Parochorum, & num. 6.*

5 *Præceptum Concilij Prouincialis non ligat Epiſcopos, & epiſcopalem iuriſdictionem habentes.*

7 *Leges, & ſtatuta condere debet Epiſcopus, & alius Prælatus cum conſenſu Capituli, quando talis eſt conſuetudo, & agitur de rebus pertinentibus ad Capitulum.*

1. RESpondeo affirmatiuè: quia ſe habent tanquàm Epiſcopi; & iure ordinario habent in ſuo territorio poteſtatem excommunicandi, ſuſpendendi, interdicendi, & ſimilia, quæ Epiſcopi poſſunt, faciendi, vt docet Suarez *de cenſur. diſput.* 2 *ſect.* 2. *num.* 9. Facultas autem condendi ſtatuta eſt annexa poteſtati, & iuriſdictioni epiſcopali; cùm Epiſcopis liceat ferre leges eccleſiaſticas: quia habent authoritatem publicam, iuriſdictionem, & vim coactiuam, vt ait Suarez *lib.* 4. *de leg. cap.* 4. *num.* 2. qui teſtatur de communi. Tales autem Abbates habent iuriſdictionem epiſcopalem in ſuo territorio: ergo habent poteſtatem, leges, & ſtatuta condendi. Ita docent Sebaſtian. Medices *de legib. part.* 1. *quæſt.* 15. Suar. *d. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 4. Salas *de legibus diſput.* 8. *ſect.* 10. *num.* 50. Bonac. *eodem tract. diſputat.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 3. *num.*
2. 28. Limita, vt non poſſint leges, & ſtatuta contra ius commune condere, ſicut neque idem poſſunt Epiſcopi: quia inferiores non habent poteſtatem in ſuperiorem. Ita Panormit. *cap. Cùm dilectus, num.* 10. & *cap. final. num.* 5. *de offic. Legat.* Nauarr. *lib.* 3 *conſil titul. de regular. conſil.* 26. *num.* 8. & alij apud Salas *d. diſputat.* 8 *ſect.* 6. *num.* 40. in terminis Bonacina *loco citato.* Ratio eſt: quia ſolùm ſupra ius eſt Papa conditor, alij verò ſunt inferiores: ac ideò minor in maiorem poteſtatem non habet. Iaſ. *in l. Omnes populi, num.* 11. *ff. de iuſtit.* Tiraq. *de pœnis temper. in præfat. num.* 26. Hippol. *ſingul.* 182. Idem dicendum exiſtimo de
3. Abbatibus Regularibus habentibus territorium, & ſubditos ſæculares, in quos iuriſdictionem epiſcopalem exercent: hi enim, licèt quoad Monachos, & Religioſos ſibi ſubditos, nequeant leges, & ſtatuta ferre; tamen reſpectu ſubditorum ſæcularium id benè poterunt: hæc enim poteſtas eis competit, quatenus epiſcopali iuriſdictione potiuntur, & habent ſubditos, in quos illam exerceant; cùm talis poteſtas epiſcopali, vel quaſi epiſcopali iuriſdictioni annexa ſit, aiunt Doctores citati.

Ad confirmationem eorum, quæ diximus, poſſunt 4.
adduci omnes canones, & omnia iura, & omnes Doctores, qui fatentur, Epiſcopos poſſe condere leges; quicquid dicant Ioannes Andr. *cap.* 2. *de conſtit. lib.* 6. Panormit. *in cap. Cùm conſuetudinis, n.* 5 *de conſuet.* & *cap.* 2. *n.* 3. *de conſtit.* & Decius *cap. Omnes, num.* 30. *de conſtit.* qui fatentur, Epiſcopum ſine conſilio Capituli non poſſe leges, & ſtatuta condere; & ſecundùm eorum ſententiam, nec etiam Abbates, & Prælati iuriſdictionem epiſcopalem priuatiuè ad Epiſcopum habentes, non poſſe ſtatuta, & leges condere ſine prædicto conſenſo Capituli; quod negare intendo, & probare, quòd Epiſcopus, vel alius Prælatus iuriſdictionem habens priuatiuè, vt dixi, ad Epiſcopum, poſſunt ſine Synodo Parochorum leges, & ſtatuta condere, vt benè notat Vaſquez *diſput.* 153. *cap.* 1. *num.* 4. imò poſſunt leges condere ſine conſenſu Capituli, & Synodo Parochorum ſine cauſa, quicquid dicat Menchaca *lib.* 1. *controu. cap.* 121. *num.* 14. Ita docent Albertus, Cynus, & Petrus de Bellamera *per text. in leg. Humanum. C. de legibus*, & eſt communis opinio, vt reſoluit Sebaſtianus Salas *de leg. q.* 95. *tract.* 14. *diſput.* 8. *ſect.* 8. *num.* 44. vbi plura iura, tam canonica, quàm ciuilia, & Doctores cumulat, quæ quidem omnia adaptantur, tam Epiſcopis, quàm Abbatibus, & Prælatis iuriſdictionem, vt præfertur, epiſcopalem habentibus.

Neque obſtat Concil. Carthaginenſe IV. *cap.* 22. vbi habentur hæc verba: *Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita vt ciuium conniuentiam, & teſtimonium quærat.* Neque obſtat id, quod habetur *in cap. Alienationes.* 12. *q.* 2. vbi irritæ iudicantur alienationes bonorum, & ordinationes perſonarum ſine conſenſu Capituli factæ: neque ſimiliter obſtat id, quod habetur *in cap. Epiſcopus.* 16. *q.* 7. per illa verba, ſcilicet: *Vt Epiſcopus nullius cauſam audiat abſque præſentia ſuorum Clericorum, alioquin irrita erit ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmetur.*

Nam ad id, quod dicitur de Concillo Carthaginen- 5.
ſi, Reſpondeo, illud eſſe præceptum Concilij prouincialis, quod Epiſcopos, & Prælatos epiſcopalem iuriſdictionem habentes non ligat. Ad id autem quod dicitur *in cap. Alienationes.* 12. *q.* 2. Reſpondeo, illud caput non agere de legibus, ſed de alienationibus bonorum eccleſiaſticorum, & de ordinationibus Clericorum, & quantùm ad has, videtur, conſuetudine, aut alio iure Decretum illud abrogatum eſſe, vt notat idem Salas *loco cit. num.* 43. Ad illud *cap. Epiſcopus* 15. *q.* 7. dico, illud decretum abrogatum eſſe contraria conſuetudine, quæ, vt ait Bonifacius VIII. *in cap. Non eſt, de conſuet. in* 6. eſt optima legum interpres: nunc autem, quando contra aliquem Canonicum procedit Epiſcopus in criminalibus, tenetur adhibere duos ex Capitulo, de quorum conſilio, & conſenſu in cauſa tali procedat, ſicut
præcipit Concil. Trid. *de reform. cap.* 6. Ad ferendas 6.
autem leges, nullò iure requiritur conſenſus Capituli: quia hoc in ſacris Canonibus nullo modo determinatum reperitur, quod Epiſcopi, ſiue Prælati iuriſdictionem epiſcopalem habentes in legibus, & ſtatutis condendis indigeant conſenſu Capituli, vel Synodi, vel Parochorum.

Si verò de rebus ad Capitulum ſpectantibus in vti- 7.
litatem Capituli ſermo ſit, dico, quòd ſi lege, vel conſuetudine legitimè præſcripta Epiſcopus, vel alius Prælatus leges, & ſtatuta condere ſoleat cum conſenſu, & conſilio Capituli; tunc ſine eodem conſilio, & conſenſu leges prædictas res Capituli concernentes ſtatuere non poſſet. Videatur Panormit. *in cap. Cùm conſuetudinis. num.* 5. *cit.* & Decius *in cap. Cum*

accessissent. num, 22. *de constit.* & Felinus *in cap. Cùm omnes. de constit. num.* 15. & Archidiac. *in cap.* 1. *de consecr. dist.* 3.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbas Generalis obligetur legibus Capituli generalis, & statutis specialibus Prouinciarum, & Monasteriorum suæ Religionis.

SVMMARIVM.

1 *Abbas Generalis, & Prouincialis obligantur legibus Capituli generalis, & prouincialis respectiuè.*

2 *Prælati Religionum Superiores tenentur ad leges à se latas quoad vim directiuam, sicut & tenentur ad leges alicuius prouinciæ, quando ad illam accedunt, vt num. 3.*

Maximè si lex, & statutum rationi naturali nititur, vt num. 4.

5 *Prælatus Superior non seruando legem alicuius prouinciæ, an intelligatur illam abrogare.*

6 *Legem irritantem à Superiore latam, an teneatur ipse obseruare.*

7 *Statutum Capituli generalis obligat Abbatem generalem, & omnes alios, tam quoad vim directiuam, quam coactiuam.*

1\. ANtequàm ad conclusionem deueniamus, suppono, Generales, & Prouinciales respectiuè teneri directè ad obseruandas leges Capituli generalis, & prouincialis, sicut & Abbates, & alios Prælatos locales: licet enim Abbates Generales, & Prouinciales sint capita prædictorum Capitulorum; tamen sunt inferiores ipsis Capitulis, & subditi; & ideò tenentur prædictorum Capitulorum statuta obseruare, sicut alij tenentur eadem obseruare: vnde non possunt hac ratione apellari legislatores, licet ad leges condendas conuenerint. Ita affirmant Azorius 1. *part. instit. moral. lib.* 5. *cap.* 11. *q.* 5. Sebastianus Salas de *leg. disput.* 14. *sect.* 2. Suar. 3. *de legib. cap.* 35. *n.* 19. Malderus *in* 1. 2. *S. Thomæ*, *q.* 29. *art.* 5. Vasquez 1. 2. *disp.* 167. *cap.* 3. Roder. *tom.* 1. *q. regular. qq.* 68. *art.* 3. quibus præmissis:

2\. Dico, quòd Prælati superiores Religionum tenentur obseruare leges à se latas, præsertim quoad vim directiuam, id est, quatenus illa lex dirigit illos, quod tenentur facere in conscientia secundùm rationis dictamen, & peccarent eodem genere peccati, quo subditi, si leges à se conditas transgrederentur. Ita affirmant S. Thomas *p.* 1. 2. *q.* 96. *art.* 5. *ad* 3. & Couarr. *in cap. Alma mater. p.* 1. §. 1. *n.* 7. Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 19. Vasquez *parte* 2. *disputat.* 167. *cap.* 3. *num.* 17. Probatur ex illo Matthæi. 23. per illa verba: *Dicunt, & non faciunt: alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere.* Et ex illo D. Pauli ad Rom. 2. *Qui alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas, non furandum, furaris; non mœchandum, mœcharis. Propter quod inexcusabilis es, ô homo omnis, qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipsum condemnas*, &c. Hinc est, quòd Lactantius Firmian. *de diuin. instit. lib.* 9 *cap.* 23. quasi moueat hoc dubium, resoluit, dicens: *Quicunque præcepta dat hominibus, ac vitam, moresque fingit alterum, quæro, debeátne ipse facere, quæ præcipit, an non debeat? Si non fecerit, soluta præcepta sunt: si enim bona sunt, quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant, non se debet ipse præceptor à numero, cœtúque hominum segregare, inter quos habitat, & ipsi eodem modo viuendum est, quo docet esse viuendum, ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat, leuioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resoluat, quod verbis nititur astruere.* Idipsum probari posset ex iure canonico, & præsertim *in cap. Cum omnes. de constit. & cap. Iustum est. dist.* 9. *& ex cap. Non liceat Papæ.* 12. *q.* 2. Probatur etiam ratione: quia sicut ius naturæ præcipit inferioribus, vt obediant; & conformentur cum suo Capite; ita præcipit, vt Superiores proprias leges seruent, vt conformentur cum suis membris: turpis est enim illa pars, præsertim caput, si non congruat cum aliis partibus: vnde id, quod oneris tibi imponi non vis, id neque aliis imponere debes. Quapropter, cùm Superior aliquid præcipit subditis; debet id seriò præcipere, vt ad obediendum moueantur subditi, qui de facili non mouentur, nisi exemplo Superioris priùs moueantur potius, quàm verbis. Idipsum probat Suarius *loco cit.* vbi existimat, Generales, & Prouinciales condentes leges in Capitulis, eas teneri obseruare: quia cum tali conditione implicita, vel explicita data est illis à Summo Pontifice immediatè, vel mediante Religione, huiusmodi potestas ferendi leges, & constitutiones, vt iisdem legibus ipsi subdantur. Quod colligitur ex eo, quòd potestas leges condendi datur illis, non vtcunque; sed in ædificationem, non in destructionem. Si autem prædicti Superiores maiores sua statuta condita non obseruarent, hoc cederet in destructionem, non ædificationem; daretur enim tunc causa seditionum, litium, & perturbationum; & posset quilibet subditus dicere suo Prælato: *Medice, cura teipsum.*

Existimatem etiam, quòd Prælati superiores, 3.
quoad eandem vim directiuam, teneantur obseruare statuta laudabilia alicuius Prouinciæ, ad quam accedunt, vel transeunt, existentes in Monasteriis illius Prouinciæ: quod etiam fatetur Suar. 3. *de legib. cap.* 35. *num.* 14. & Salas *de legib. disp.* 14. *sect.* 2. *num.* 23. Dicunt enim hi Doctores, quòd Princeps non tenetur obseruare consuetudines particularis Prouinciæ, nisi illa esset propria habitatio Principis. Ratio est: quia huiusmodi statuta sunt ab inferiori lata, ideò non obligant Principem, qui in eodem loco Prouinciæ iurisdictionem maiorem, & superiorem habet, etiamsi huiusmodi statuta fuerint per principem approbata: cùm enim non fuerint pro tota sua iurisdictione approbata, non videntur posse Principem obligare. Ita Tiraquellus *de retract. lign.* § 1 *gloss.* 13. *num.* 301. Sed hoc limitat *n.* 39. nisi 4.
statutum, vel consuetudo naturali ratione nitatur: quæ quidem limitatio apertè indicat, Generales & Superiores maiores obligari consuetudinibus alicuius specialis Prouinciæ, illasque teneri obseruare, maximè propter bonum exemplum: tum etiam, quia nulla lex potest habere vim perpetuitatis, nisi sit à Superiori approbata: vnde, nisi à superioribus Prælatis prædicta laudabilia statuta non obseruarentur in illa Prouincia, viderentur non esse approbata ab illis Prælatis superioribus. Videatur Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 24. qui de hac re agit, & nostram sententiam docet.

Si dicas: Si Generalis, vel alij Superiores maiores non obseruantes huiusmodi præcepta à se lata, necnon laudabiles consuetudines alicuius Prouinciæ, vel loci, eo ipso censeantur illis præceptis & consuetudinibus derogare? Respondeo, posse quidem legislatorem suum statutum mutare, & abrogare, sicut etiam mutare, & abrogare potest statuta sui an-

teceſſoris, dummodo in poteſtate illum non excedat, vt bene docet D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 97. *art.* 1. Vaſquez *tom.* 2. *diſp.* 178. *cap.* 1. *num.* 3. Saytus *in Claui Reg. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 13. Non tamen inferas, poſſe legiſlatorem abrogare legem ſemel datam pro ſuo libito: nam ad hoc, vt talem legem abroget, requiritur cauſa iuſta; ſcilicet, quòd damnum aliquod afferat, & non vtilitatem; & maius ſit damnum quàm vtile. Si tamen eam abrogaret, nulla exiſtente cauſa iuſta, vt diximus; valida eſſet abrogatio, licèt iniuſta. Quo poſito patet reſponſio ad obiectionem, quòd ſi Prælati Superiores publicè non obſeruent ſtatuta à ſe condita, affirmandum eſt, eos velle prædicta præcepta abrogare; maximè ſi præcepta, & ſtatuta non ſunt vtilia: & hoc elicitur *ex l.* 1. *ff. de conſtit. Princip.* Secùs dicendum eſt, ſi Prælati non publicè, ſed ſecretò pro aliqua vice diſpenſare videantur in ſtatutis à ſe conditis, illáque ſtante rationabili cauſa aliquando non obſeruent: per vnicam enim tranſgreſſionem non derogant prædictis ſtatutis. Si verò frequententur actus in tali inobſeruantia, præſertim in Religionibus benè ordinatis, tunc diceretur, Prælatos illos derogare ſuis ſtatutis, vt benè notat Gutier. *can. q. lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 3. Si verò Prælati diſſimularent ſuarum legum tranſgreſſionem; non intelliguntur tamen illi legibus ſuis derogare, vt optimè notat Sotus *lib.* 1. *de iuſt. q.* 7. *art.* 2. *ad* 1.

6. Hic oritur dubium, an Prælati Superiores teneantur obſeruare ſuas leges irritantes: exempli gratia, ſi Abbas præcipiat, ne aliquis diſtrahat aliquid per venditionem, vel commutationem, ſub pœna nullitatis contractus ipſo facto; & hoc ipſe non obſeruet: quæritur, an contractus ſit nullus.

7. Reſpondeo negatiuè. Ita Saytus *loco citato*, *n.* 8. Leſſius *lib.* 2. *de iuſt. & iure, cap.* 35. *dub.* 5. *num.* 32. Suar. 3. *de leg. cap.* 35. *num.* 25. Salas *loco citato, diſput.* 14. *ſect.* 3. *num.* 32. Ratio eſt: quia illa nullitas, cùm ſit purè pœnalis, ſuum legiſlatorem non comprehendit.

Ex his ergo omnibus habetur, quòd cùm Capitulum generale ſit ſuperius Abbate generali, dubio procul illius ſtatutum ipſum, cæteróſque Abbates, tam medios, quàm locales illius Congregationis: non ſolùm quoad vim directiuam, ſed etiam coactiuam, obligabit: quia ſunt leges, & ſtatuta Superioris. Nec habet locum in hac re illud axioma, quòd Princeps obligatur ſua lege quoad vim directiuam, non quoad coactiuam: nam Abbas generalis, reſpectu legis Capituli generalis non ſe habet tanquàm Princeps, cùm Capitulum generale ſit ipſo ſuperius. Ideò in Religionibus, vbi Generales Abbates temporales ſunt, aliquando puniuntur finito tempore, quando leges Capituli generalis tranſgreſſi ſunt; licèt eo tempore, quo fuerunt Generales, puniti non ſint ex defectu Superioris intra Religionem. Poſſent tamen à Papa puniri, ſi de illorum tranſgreſſione ſibi conſtaret. Imò, quando Generalatus eſt perpetuus, ſi, eo durante, Capitulum generale coadunetur de tranſgreſſione, poterit cognoſcere, & Generalem tranſgreſſorem punire. Si autem in aliqua Religione, vel Congregatione ex particulari ſtatuto talis poteſtas non adeſſet, cùm hoc procedat ex ſpeciali conceſſione, aut reſeruatione Summi Pontificis, ad ipſum ſpectabit in Generalem tranſgreſſorem animaduertere. Ita Suarez *de Rel. tomo* 4. *tractat.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 18.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Abbates in eorum præceptis, ad hoc, vt obligent in conſcientia, teneantur conſultationem adhibere.

SVMMARIVM.

1 *In leuibus præceptis imponendis Abbates conſilium adhibere non tenentur: ſecùs verò in grauioribus præceptis, vt num.* 2.

VT præſenti quæſito ſolutio recta adhibeatur, diſtinguimus ſic: quòd vel Abbas imponit aliquod præceptum particularibus perſonis: & tunc, niſi ſit valdè oneroſum, & extraordinarium, ipſe ſolus, proprio iudicio, & authoritate, abſque aliquo conſilio illud imponere poteſt. Ratio eſt; quia eſſet valdè moleſtum, pro ſingulis perſonis, in quolibet actu, conſilium congregare. Si tamen præcepta grauia imponere voluerit; debet ſufficiens conſilium, vel maius, iuxta negotii grauitatem, adhibere. Ratio eſt: quia prudentia requirit, rem grauem abſque maturo conſilio non decerni. 1. 2.

Vel Abbas toti Monachorum Communitati præceptum ferre intendit: & tunc abſque dubio multò magis conſilium adhibere debet; maximè ſi ad longum tempus illud imponere voluerit: quia tunc res valdè grauis erit. Sed, quando imponitur pro vno actu, facilè ferri poterit, huiuſmodi conſilio non adhibito; cùm eius occaſio, & tempus citò tranſeat; dummdo per propria ipſarum Religionum ſtatuta id ſpecialiter non ſit prohibitum. Et hoc expreſsè colligitur ex Regula Sancti Patris Benedicti *cap.* 3. per ea verba: *Quoties aliqua præcipua agenda ſunt in Monaſterio; conuocet Abbas omnem Congregationem.* Et deinde verſùs finem: *Sicut ſcriptum eſt: Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.*

QVÆSITVM VI.

Vtrùm ſtatuta Abbatis generalis, & capituli generalis obligent omnes regulares ſubditos ad eorum obſeruantiam; & an præter prædicta ſtatuta, & eorum Regulas, obligentur alia à ſacris Canonibus ſancita obſeruare.

SVMMARIVM.

1 *Statuta generalia à Generali, & Capitulo condita omnes obligant.*

2 *Statuta prouincialia, & alicuius particularis Conuentus obſeruare tenentur hoſpites ibi commorantes.*

3 *Poteſtas Prælatorum, vt fundata in voto, ex ſuo genere ad lethale obligat per ſua ſtatuta: vt autem iuriſdictio eſt, obligat iuxta materiam rei præſcriptæ.*

4 *Legis obligatio dependet à voluntate legiſlatoris, & capacitate materiæ præſcriptæ: quæ, licèt leuis in ſe ſit; ratione tamen finis, & circumſtantiarum grauis eſſe poteſt.*

5 *Præcepta Abbatum, & ſuperiorum ordinaria, quæ ſiunt ore tenus, ſecluſo ſcandalo, & con-*

temptu non obligant ad mortale, licèt materia grauis sit.

6 *Verba praeceptiua sub mortali, communiter solent esse:* Præcipio tibi in virtute sanctæ obedientiæ, vel, sub pœna excommunicationis.

7 *Monachus habens propositum operandi contra omnia praecepta sua Religionis, etiam ad culpam non obligantia, peccat mortaliter; secus autem, si non habeat tale propositum, licèt passim praedicta praecepta transgrediatur, vt num. 8.*

9 *Consuetudo mala, & praua operandi contra legem, non dicitur contemptus legis.*

10 *Abbates, & Superiores tenentur sub mortali corrigere subditos, qui frequenter transgrediuntur [...]aliter.*

11 *Religiosus subditus transgrediens praeceptum Superioris [...] re graui, vnum tantùm peccatum contra votum committit.*

12 *Religiosus, qui statuta sua Religionis ad solam pœnam obligantia transgreditur, vt illorum finem impediat, mortaliter peccat.*

13 *Religiosus contemnens statuta sua Religionis, etiam in re leui, peccat mortaliter.*

14 *Transgressio in Religioso circa materiam, etiam extra praescriptum sua Regula, obligantem; non est duplex peccatum.*

15 *Circumstantia aggrauantes, an necessariò aperienda sint in confessione.*

16 *Religiosus professus, qui facit contra votum solenne castitatis, satisfacit, si in confessione tantùm dicat, se violasse votum castitatis.*

17 *Episcopus, vel quilibet alius Praelatus, qui mortaliter peccauit, non tenetur in confessione explicare se esse Episcopum, vel Praelatum.*

18 *Fœmina, quæ se mis[...] cum Sacerdote, vel Professo, satis facit, dicendo in confessione, se habuisse rem cum viro vo[...]stitatis adstricto.*

19 *Religiosus, qui vouet de non habenda mollitie, aut fornicati[...]e, non tenetur explicare circunstantiam talis voti post emissam professionem.*

20 *Regulas, & statuta Ordinum, tam in habitu, & conuersatione, quam in aliis obseruantiis à suis Institutoribus praescriptis, obseruare tenentur Regulares.*

21 *Religiosus tenetur ad obseruantiam omnium eorum, quæ de vita, & honestate Clericorum sacri Canones praecipiunt.*

22 *Venationes, aucupationes Religiosis prohibentur; sicut & canes, aut aues venaticos alere.*

23 *Silentij obseruantia, & quibus in locis praecipitur Religiosis.*

24 *Ioca sacularia Regularibus prohibita sunt, sicut & ebrietas, ornamenta inconuenientia, & deliciosa vita.*

25 *Carnium esus prohibitus est Monachis.*

26 *Arma prohibita intra septa Monasterij absque suorum Superiorum licentia non possunt tenere Reg[...]ub pœna excommunicationis.*

27 *Procura[...] & Aduocati munus exercere non possunt Regulares sine sui Superioris licentia, & vtilitate Monasterij.*

28 *Tabellionis officium exercere, arbitri, & testes iudiciarij esse non possunt Regulares, vt n. 29. & 30.*

31 *Monachus testimonium scribi potest in instrumento, sine sui Superioris licentia.*

32 *Chirurgia artem cum incisione, vel adustione, exercere non possunt Religiosi; sicut nec artem Medicina, vt num. 33.*

34 *Tutores testamentarij Religiosi esse nequeunt.*

35 *Fideiubere non possunt Religiosi, nisi cum licentia Abbatis, & maioris partis Capituli.*

36 *Executores testamentorum ad causas profanas, imò neque ad pias, esse possunt Religiosi claustrales, absque licentia suorum Superiorum: secus autem est de Religioso, qui manet extra Claustra, & praeest perpetuo beneficio, vt num. 37.*

38 *Laureola, & Doctoratus insigne in iure ciuili, vel medicina obtinere non possunt Regulares; bene tamen Laureola, & Doctoratus iuris canonici, & Theologia.*

39 *Pœnas quas, & quando incurrant Religiosi Claustrum exeuntes ad leges audiendas, vel Physicam.*

40 *Religiosi prohibentur sub pœna excommunicationis accedere ad quauis studia literarum posita extra oppidum, in quo situs est Conuentus.*

41 *Monachis, & Canonicis Regularibus sub pœna excommunicationis ipso facto prohibitus est accessus ad Curias Principum saecularium, absque licentia suorum Abbatum, cum animo eis nocendi.*

42 *Decimas Ecclesiarum occupare sub pœna excommunicationis Religiosis prohibetur.*

43 *Decimas non esse soluendas Ecclesiis, quibus debentur, Religiosi praedicantes ipso facto excommunicantur.*

44 *Excommunicatos, & nominatim interdictos ad diuina Officia admittere prohibentur Regulares.*

45 *Religiosis prohibitum est, in suis praedicationibus Praelatis Ecclesiarum aliquid detrahere; & Laicos à frequentia & accessu praedictarum Ecclesiarum retrahere.*

46 *Indulgentias indiscretas promulgare prohibitum est Religiosis.*

47 *Testatores a restitutionibus faciendis, vel legatis piis Ecclesiis Matricibus relinquendis retrahere Religiosi testamento interessentes non debent.*

48 *Sepulturam vt sibi eligat, prohibentur Religiosi aliquem cogere, vel ad promittendum inducere.*

49 *Interdictum ab Ecclesia Matrice obseruatum, debent obseruare Regulares.*

50 *Officia diuina in suis Ecclesiis debitis horis Religiosi persoluere debent.*

51 *Monachis quid iuxta antiquos Canones prohibitum sit.*

VIsum est suprà, quòd Abbates Conuentuales 1.
solùm in Religiosos sui Monasterij, & circa ea, quæ ad illud spectant; Generales autem in totam Religionem erga omnes illius Monachos potestatem, ac iurisdictionem sibi traditam exercere possunt. Visum est etiam, quòd perpetuas leges, & statuta nemo, nisi Generalis Abbas, vnà cum maiori parte Capituli generalis, condere potest. His sic præmissis, rursus pro explicatione Propositi quæsiti dicimus, quòd aut alia statuta sunt vniuersalia, siue generalia; & tunc certum est, omnes eius Religionis Monachos indifferenter obligare, etiam in conscientia. Si autem talia statuta pro alicuius tantùm Monasterij regimine lata sint; tunc eos solummodò ad eorum obseruantiam adstringent, qui illi Monasterio assignati fuerint, vt doctè more solito, & fusè probat Suarius *de Religione, tomo 4. tractatu 8. libro 2. cap 8. n. 3.*

Si petas, an Monachi alterius Prouinciæ, vel Conuentus, hospites alterius obligentur statutis illius Conuentus, vel Prouinciæ, dum ibi commorantur; Respondeo, illos non solùm cogi posse in 2.
foro exteriori ad particularia Monasteriorum statuta obseruanda, dum ibi sunt hospites; sed etiam in foro

ro interiori, propter scandalum. Ita Glos. *in cap.* 1. 3.
96. Suar. *loc. cit. n.* 25. Rodriq *t.* 1. *quæst. regul. q.* 68.
art 4 Miranda *t.* 2. *Manual. q* 29. *art.* 6 Fagundez *in
precep.* 4. *Eccles. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. Malderus 1. 2. *q.* 96.
art. 5. Sed limita, dummodo non excusentur aliqua
iusta causa, vt elicitur *ex can. Quæ contra mores.* & *vbi*
Glossa *distinct.* 8. & *ex can. Illa. distinct.* 10. & *ex can.*
.1. distinct. 41. vbi habetur, teneri ad sequendum
consuetudines eorum, inter quos commorantur: tur-
pis est enim omnis pars, vniuerso suo non con-
gruens; & est contra societatis leges, Vnde resolui-
tur, omnes Monachos obligari ad obseruantiam
Statutorum generalium legitimè conditorum, ac
etiam hospites ad statuta particularia Monasterij, in
quo commorantur.

Sed maior insurgit difficultas de obligatione præ-
ceptorum, & statutorum, quantùm obligent sub-
ditum præcepta, & statuta Abbatum, & Prælato-
rum. In hac re notandum est cum Suar. *tom* 4. *de*
3. *Relig. lib.* 2. *cap* 9. *num* 25. certum esse, potestatem
Prælatorum extendi ad culpam lethalem: vnde, si
consideretur talis potestas, quatenus fundata est in
voto, quod ex suo genere obligat sub mortali,
tunc transgressio mortalis erit: si verò consideretur,
vt iurisdictio est, se extendit ad obligationem ma-
teriæ conuenientem rei præceptæ: quia ratione
constat, non tantùm in Summo Pontifice; verùm
etiam in Episcopis reperiri hanc potestatem, quam
participant Abbates, & Prælati Regulares. Sed so-
lùm dubitatur de vsu, & actuali obligatione, quan-
do præceptum Prælati tale est, vt obliget sub lethali.
Ex supposita supradicta potestate, duæ conditiones,
4. tanquam necessariæ, requiruntur; nimirum, mate-
ria capax talis obligationis, & voluntas Prælati. Circa
primam est cauendum, aliquam actionem, vel ma-
teriam secundum se consideratam, posse leuem vi-
deri, quæ in tali statu, & ratione finis, seu circum-
stantiarum, sit grauis: quia eius dilatio in tali statu po-
test afferre nocumentum graue Religioni. Circa ve-
5. rò potestatem Prælati aduertendum est, communem
consuetudinem Religionum esse, vt præcepta ordi-
naria Abbatum, & Prælatorum, quæ fiunt ore te-
nus, non existimentur ita obligare, vt dempta negli-
gentia, & contemptu, vel alia simili occasione,
transgressio mortalis sit, quantumuis materia sit gra-
uis, & verba sint præceptiua. Ratio est: quia huius-
modi verba ex vsu indicant in Abbate voluntatem
obligandi, vt elicitur ex S. Thom. 2. 2. *q* 186. *art.* 9.
& S. Bernardo *lib. de precept. & di pens. cap.* 12. &
S. Antonino 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 9. Imò, vt
aduertit idem Suar. *loco. cit. num.* 26. si Abbas, &
Prælatus præcipiendo, verba subiungat, quibus suf-
ficienter indicet, voluntatem suam obligandi in con-
scientia, iuxta materiæ capacitatem; tunc supposita
grauitate materiæ obligatio erit sub peccato mortali.
Ita docent omnes Doctores, vt fatetur idem Suar.
loco citato. Quòd si petas, quæ sint huiusmodi ver-
ba indicantia talem voluntatem Abbatis. Respon-
deo non posse certam regulam assignari: sed in hac
re attendendum est vsus huius, vel illius Religionis.
In mea Religione Vallis Vmbrosæ, sicut etiam in
aliis Congregationibus, vt audiui, verba Præla-
torum obligantia ad peccatum mortale sunt hæc:
Præcipio tibi in virtute obedientiæ, vel *sanctæ
obedientiæ*
6. Idem dicendum est, quando Prælati præci-
piunt aliquid subditis sub pœna excommunica-
tionis. Et quidem, si excommunicatio imponatur,
ipso facto incurrenda propter transgressionem præ-
cepti, res manifesta erit, cùm excommunicatio non
incurratur, nisi propter lethale: si verò adiungatur
solùm excommunicatio ferenda, quamuis aliqui
putent, non esse signum sufficiens ad ostendendam
obligationem sub peccato mortali; nihilominùs
communiter sentiendum est, huiusmodi verba ex-
communicationis ferendæ esse sufficiens signum
obligationis peccati lethalis, dummodo aliquo in-
dicio sufficienter constet, illam non esse meram com-
minationem externam. Ita Caietanus 2. 2. *q.* 186.
art. 9. Alphonsus à Castro 1. *de leg. pœnal. cap.* 5. *do-
cum.* 4. *ad finem.* S. Antoninus *loco cit.* Angelus *ver-
bo, lex*, §. 3. Tabiena *eodem verbo*, §. 28. Syluester
verbo, præceptum, q 3, qui omnes Doctores loquun-
tur vniuersaliter de quocumque præcepto Ecclesiæ:
quia per transgressionem huiusmodi præcepti om-
nes efficiuntur digni excommunicatione: hoc au-
tem non potest esse, nisi per peccatum mortale,
etiamsi per Iudicem excommunicatio ferenda sit.
Vnde à fortiori in Religionibus, in quibus rarò
proponitur hæc censura excommunicationis ad osten-
dendum rigorem præcepti, proculdubiò erit suffi-
ciens signum ad indicandam voluntatem Superioris
ad obligationem sub peccato mortali, vt notat idem
Suar. *loco cit.*

His positis, primò dubitari potest, an Monachus
habens propositum operandi contra omnia statuta
regularia, vel præcipua suæ Religionis, etiam ad
culpam non obligantia, peccet mortaliter. Secundò,
an subditus, qui prædicta statuta passim violauerit,
etiamsi non obligent ad culpam, lethaliter peccet.
Tertiò, an Regularis subditus transgrediens huius-
modi præcepta in re graui, duplex peccatum morta-
le committat.

Ad primum Respondeo, peccare mortaliter. Ra- 7.
tio est: quia Monachus tenetur sub pœna lethali sic
viuere, vt non sit perniciosus suæ Religioni, indu-
cendo alios exemplo suo prauo ad relaxationem mo-
nasticæ vitæ; ex quo sequeretur perturbatio totius
Monasterij, & Congregationis, dum nollet, verbi
gratia, obseruare statutum silentij, præceptum ora-
tionis, legem ieiunij, & alias obligationes regulares.
Vnde non sunt audiendi aliqui Doctores, qui affir-
mant, Monachum non esse in statu damnationis, si
tantùm vellet obseruare vnum præcipuè statutum
Religionis; alia verò nequaquam: quia obseruantia
illius statuti, quantumuis principalis, & inobseruan-
tia aliorum inducerent ruinam illius Monachi, &
scandalum in re graui inter Regulares. Ita affirmant
Corduba *super Regulam S. Francisci, cap.* 1. *q.* 3. & So-
tus *in* 4. *dist* 15. *q.* 2. *art.* 1.

Ad secundum Respondeo, non peccare mortali- 8.
ter: quia actus replicati sunt eiusdem speciei cum pri-
mo: vnde si primus est venialis, cæteri etiam venia- 9.
les erunt, Vnde mala, & praua consuetudo operan-
di contra legem, non dicitur contemptus legis ex D.
Thom. 2. 2. *quæst.* 186. *art.* 9. *ad tertium*: quia in
solo actu interiori voluntatis perficitur contem-
ptus. Et consequenter ob solam operis externi mul-
tiplicationem contemptus huiusmodi induci non
potest.

Aduertant tamen Abbates, & Prælati, si in suis 10
Monasteriis tales transgressiones sunt frequentes,
quòd tenentur sub mortali transgressores illos cor-
rigere: quia peccata venialia, quamuis in singulis
Monachis non sint damnum notabile, tamen quan-
do in Monasterio ita sæpè frequentantur, sunt ma-
gni momenti, ad destruendam regularem obseruan-
tiam, nisi à Prælatis corrigantur: quidquid dicat An-
gelus *verbo, inobedientia, in fine*, & Vasquez
1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *disputatione* 158. *cap.* 6.
num. 60.

Ad tertium Respondeo, esse vnum tantum pec- 11.
catum

catum contra votum: quia Prælatus non habet aliquod ius præcipiendi, nisi ratione voti obedientiæ: ideò committitur vnum peccatum, & non duo peccata: quod etiam ratio manifesta suadet, quòd vbi vnum est propter vnum, ibi tantùm censeatur esse vnum. Ita affirmant Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 9.* & Sotus *lib. 7. quæst. 2. de iustitia, art. 3. ad 1.* & Ledesma *in summa, tract. de pœnitentia, cap. 19.*

12. Ex quibus faciliter colligi potest, quid dicendum sit de Monacho statuta suæ Religionis, etiam ad solam pœnam obligantia, ideò transgrediente, vt impediat, quantùm in se est, illorum finem: peccat enim mortaliter: quia hoc modo transgrediens præcepta Religionis, se habet proportionabiliter ad finem præcepti, sicut ille, qui ex contemptu transgreditur ratione præcepti: sed hic peccat mortaliter: ergo & ille. Ita Vasquez *loco cit. num. 57.* & Caietanus *in Summ. verbo, peccati transgressio*, Valentia 1.2. *disput. 7. quæst. 5. punct. 6.*

13. Si quæras, an Religiosus, qui in re leui contemnit statuta suæ Religionis, peccet mortaliter. Respondeo affirmatiuè: quia circumscripto, quòd materia præcepti obligantis sub veniali sit leuis; nihilominus contemptus ille præcepti grauis est: quia Religiosus ideò transgreditur præceptum, quia præceptum est, & recusat se subiicere Superiori, à quo statutum, & præceptum emanauit. Ita affirmant Valentia *loco citato, disput. 6. q. 5. punct. 6.* Vasquez *loco citato, quæst 96. art. 4. disputat. 158. cap. 4. num. 37.* Corduba *in Regul. S. Francisci, cap. 10. quæst. 3. part. 2.* In qua re non satis mihi probatur sententia Caietani, qui limitat hanc doctrinam *in Summa, verbo, contemptus*, primò, quando subditus est inobediens in vna re ex quadam indignatione, vt suo Abbati rem gratam non faciat; in aliis tamen rebus, & obseruantiis paratus sit obedire. Et talis contemptus, dicit Caietanus, non est mortalis: sed reuerà mortalis est: quia agit contra mentem sui superioris; imò in tali contradictione, vltra inobedientiam, apparet praua voluntas, & contemptus grauis in re statuta à Superiore, quod peccatum lethale demonstrat. Secundò, limitat, quando subditus paratus est obedire in grauioribus; non autem in minimis: quæ limitatio indiget alia limitatione, dummodo non oriatur contemptus in præcepto Superioris, & talis contemptus parturiat frequentes actus inobedientiæ, etsi subditus, dum minima spernit, paulatim decidit.

In transgressione horum præceptorum regularium vulgaris oritur difficultas, & à multis Doctoribus agitata, an tam Abbates, quàm subditi, in transgressionibus legum, & statutorum regularium committant duplex peccatum, circa materiam aliàs ex præcepto obligantem: & an in confessione necessarium sit exprimere prædictam transgressionem, & etiam se egisse contra Regulam, quam ipsi professi sunt.

14. Bartholomæus à S. Fausto *in thesaur. Relig. quæst. 110.* ait, quòd non omnia alio præcepto debita, & contenta in Regula, in alia continentur cum intentione ea particulariter præcipiendi, cùm Regula multa præcepta aliàs proponat cum intentione ea reducendi in memoriam, & transgressio huiusmodi non est speciale peccatum contra Regulam; quia nullam nouam obligationem inducit, nisi constet de intentione Institutoris volentis ea de nouo præcipere. Ita affirmant etiam Caietanus 2.2. *q. 186. art. 8.* & Valentia 2. 2. *disput. 10. quæst. 4. punct. 5.* Imò Caietanus *eodem loco, art. 9.* negat esse duplex peccatum; sed vnicum grauius: quia diuersitas præcepti, vt ait ipse, auget malitiam peccati; non autem parit specificam diuersitatem, quæ ex obiecto, non autem ex præcepto sumenda est.

Sed hîc maior oritur difficultas, an transgressio habeat duplicem malitiam in confessione explicandam; nimirum, vnam contra commune præceptum, & aliam contra votum obedientiæ, vel aliud essentiale votum: quod est idem ac quærere, an circunstantiæ aggrauantes necessariò in confessione exprimendæ sint.

In qua re duæ famosæ inueniuntur opiniones. Prima est affirmatiua, scilicet, circunstantias notabiliter aggrauantes esse in confessione à pœnitentibus explicandas. Ita Sotus *in 4. dist. 18. q. 2. art. 4.* Alens. *part. 3. q. 18. memb. 4. art. 3. §. 2.* Caietanus *in Sum. verbo, Confessio, condit. 15.* Altisiodorens. *lib. 4. Sum tract. 6. cap. 3 q. 3.* Maior. *in 4. q. 4.* Marsilius similiter *in 4. dist. 12. art. 1. part. 1. dub. 1.* Suar. *in 3. part. tom. 4. disput. 22. sect. 3.* Victoria *in Sum. num. 177.* Sanchez *in summ. tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 24.* Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 2. concl. 2.* Llamas *in Sum. part. 3. §. 14.* Ioan. de la Crux *in direct. consc. part. 2. de Sacram. Pœnit. q. 3. dub. 5. concl. 1.* Couinch. *de Sacram. tom. 2. de Sacram. disput. 7. dub. 3. concl. 1. num. 13.* Corillo *post Itinerar. Ordin. in repet. can. fin. dub. 7. num. 54.* Petrus Fay *in addit. ad 3. part. q. 9. disput. 5. concl. 1.* Ledesma *in Sum. tom. 1. de pœnit. cap. 18. concl. 4.* qui omnes affirmant, contrariam sententiam improbabilem, & nulla ratione ad praxim reducibilem. Sed falluntur: quia plures Doctores inuenio adhærentes sententiæ negatiuæ, quàm affirmatiuæ supradictæ, qui asserunt, circunstantias aggrauantes non esse in confessione manifestandas; & in primis S. Thom. *in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quæstiuncula 5.* S. Antoninus *3. part. tit. 14. cap. 19. §. 7.* S. Bonauentura *in 4. dist. 17. q. vltim.* Palud. similiter *in 4. q. 3. art. 3.* Scotus *ibid. q. 1. art. 2.* & Carthusianus *q. 2.* & Almainus *q 1. art. 2.* & Albertus *dist. 16. art. 24.* Herrera *2. 2. disp. 31 q 7 corol. 3. post. regulam secundam.* Turrecremata *de pœnit 5. cap. 1. num. 11.* Couarruu. *in 4 decret part. 1. cap. 1. num. 14.* Viguerius *in instit. cap. 16. vers. 17.* Syluester *verbo, Confessio, q. 9.* Angelus *eod. verbo 1. num. 13.* Armilla *verbo, circunstantia, num. 2.* Summa Confessor. *lib. 3. tit. 34. q. 81.* Nauarr. *cap. 6. num. 7 & in cap. Consideret de pœnit. distin. 5. num 6.* Hadrianus *q. 4 de confess. art. 2.* Ouandus *in 4 distin. 16. propos. 23.* Cordub. *in Sum. q. 3.* Medina *C. de confess. q. 7. de circunstant.* Vasquez *in 3. part. tom. 4 q. 91. art. dub. 2.* Alphonsus Regius *in resol. cas. 30. num. 5.* Lessius *lib. 4. de iust. & iur. cap. 3. dub. 12. num 8.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 11. punct. 1.* Gypsius *de casib. reseru. cap. 8. num. 5.* Iosephus *de ortu Parochi, in specul. Paroch. cap. 9. num. 7.* Zanardus *in direct. theolog. part. 1. de Sacram. Pœnit. q. 58.* Orriz *in Sum. cap. 23. num. 44.* Ioannes Sancius *in pract. disp. disp. 11. n. 6.* Ocbagauia *in Sacram. tract. 2. q. 14.* Pesantius *in addit. ad 3. part. quæst. 10. §. de integrit. confess. disput. 3. quæst. 3.* Puteanus *in 3. part. S. Thom. part. 2 quæst. 2. dub. 4. concl 1.* Zerola *in prax. de pœnit. cap. 12. q. 5.* Fagundez *de præcept. Eccl. punct. 2. lib. 4. cap. 2. num. 6.* qui cum Henriquez *lib. 5. cap. 7. num. 4.* & cum Pitigiano *in 4. distinct. 16. quæst. vnic. art. 5. concl. 5.* probabilem putat sententiam supradictam Doctorum præfatorum, & hanc nouissimè defendit Pater Diana *in suis resol. moral. tract. 7. de circunstantiis aggrauant. resol. 1.* vbi illam probat, primò: quia iure diuino non tenetur quis confiteri, nisi peccata mortalia: at tacendo circunstantias, quæ non prohibentur præcepto peculiari, tunc confitetur quis omnia peccata mortalia: ergo non tenetur circunstantias aggrauantes aperire in confessione.

[illegible] Probatur minor: quia peccatum, communiter [illegible] t, est [illegible] um, vel conceptum contra legem Dei. ergo, si aliqua circunstantia non prohibetur [illegible] ali præcepto, non est peccatum aliquo [illegible], vel speciale. Probatur etiam ex Concil. Tri [illegible] . 14 [illegible] 5. vbi agens de circunstantiis, ait, esse præ [illegible] tendi illas, quæ speciem mutant: ergo, cum de a [illegible] auantibus taceat Concilium, virtute negat ta [illegible] præceptum ad illas extendi. Consequentia probatur: quia doctrinam integram tradit de omnibus necessa [illegible] is ad hoc Sacramentum: tum etiam, quia præmittit [illegible] verba dictum Concilium, scilicet: *Nihil aliud ab [illegible] esia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquàm quis [illegible] diligenter se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit.*

16. Ex quibus infertur, si verbis Religiosus professus violauerit votum castitatis, illum satisfacere in confessione, dicendo, se violasse tale votum castitatis, non manifestando votum solenne, quod professus est. Ita affirmant Henriquez *lib. 5. de pœnit. cap. 5. num. 6. in gl. ∬. l* [illegible] Llamas *in Sum. part. 3. cap. 8. §. 14.* Villalobos *in Summ. tom. 1. tract. 9. dub. 37. num. 33.* Fagundez *de præcept. Eccles. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 6.* Megala *in 1 part. lib. 5. cap. 11. num. 8.* Sanchez *de Matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 27. numero 17.* Filliuccius *tom. 1 tract. 30. cap. 9. numero 114.* qui fatentur, sufficere in confessione, Religiosum professum dicere, se fregisse toties votum castitatis, & tacere circunstantiam professionis. Ratio est: quia votum solenne non differt à voto simplici: neque alterius rationis est vinculum, sed solùm accidentaliter; quicquid dicant Auctores contrariæ sententiæ affirmantes, votum sacerdotale castitatis differre specie à voto simplici, sicut tenent Rodriquez *in Sum. cap. 109. num. 5.* & Medina *in Summa, lib. 1. cap. 14. §. 8.* Coninch. *de Sacram. disputatione 7. dub. 4. numero. 10.* Ledesma *in Sum. tom. 1. de Pœnitentia, cap. 19. in circunstantia persona, dubio 2.*

17. Similiter Infertur, quòd si Generalis, vel Prouincialis alicuius Religionis peccet mortaliter; non tenetur explicare se esse Generalem, siue Prouinciæ lem. Idem dicendum est de Episcopo, vel alio Prælato. Ita docent Filliuccius *tom. 1 tract. 30. cap. 7. num. 125.* Sanchez *de matrim. tom. 2. lib. 7. disput. 27. num. 33.* Coninch. *de Sacram. disput. 7. dub 4. num. 18.* Henriquez *lib. 5. cap. 5. num. 6. in gloss. litt. G* qui affirmant, quòd Episcopus fornicans non tenetur circunstantiam Episcopatus confiteri, nisi talis fornicatio facta ab Episcopo, vel Generali, siue Prouinciali, publica esset, in quo casu, ratione scandali, teneretur eam aperire: quicquid dicant Nugnus *in addit. ad 3. part. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 2.* & Fagundex *in præcept. Eccles. 2. lib. 4 cap. 3. num. 8.*

18. Infertur etiam, si fœmina carnaliter se miscuit cum Sacerdote, vel cum Regulari professo, sufficit, si in confessione dicat, se copulam habuisse cum viro voto castitatis adstricto. Ita P. Diana *loc. cit. resol. 4.* qui notat contra Fagundes *loc. cit. tract. 2. lib. 4. cap. 3. num. 10.* quòd qui votum castitatis simplex in sæculo, vel Nouitiatu emisit, & postea in Religione professus est; vel, si post votum castitatis simplex Ordinibus sacris initiatur; sufficere, si dicat, se votum castitatis habere, & non tenetur explicare circunstantiam sacrorum Ordinum, vel Professionis in Religione: quod etiam docet Sanchez *loco citato, num. 35.*

19. Similiter Religiosus professus, qui votum emisit de non habenda mollitie, aut fornicatione, non tenetur explicare in confessione hanc circunstantiam voti emissi post professionem. quia per votum solenne castitatis in professione emissum ad idem tenebatur: vnde noua votorum multiplicatio nullam addit circunstantiam aggrauantem. Ita Fagundez *loco citato, num. 11.* vbi alios citat. Hinc est, quòd Filliuccius *tom. 2. tract. 30. cap. 7. num. 26.* affirmat, habentem votum solenne, & simplex non teneri vtrumque exprimere, cùm solenne votum, & simplex differant tantum accidentaliter, & non est circunstantia in confessione detegenda.

An verò præter prædicta statuta, & eorum Regulas obligentur Religiosi ad alia à sacris Canonibus sancita, quærendum est. Et pro intelligentia huius quæsiti, fatendum est, multa esse, quæ Regularibus à sacris Canonibus præcipiuntur, multáque prohibentur, quæ quidem in eorum Regulis, & statutis forsitan omnia non reperiuntur. Vt autem hîc ordinatè procedamus.

Dicendum est, Regulares omnes teneri, vt diximus, ad obseruandas quidem eorum Regulas, & statuta Ordinum, tam in habitu, & conuersatione, quàm in orationibus, diuinis Officiis, Sacramentorum frequentationibus, lectionibus, sacrarum Litterarum studiis, ieiuniis, abstinentiis, & aliis huiusmodi, quæ à suis Institutoribus ordinata sunt, vt habetur *in cap. Iuxta cum seqq. q. 1. cap. Recolentes. de stat. Monach.* Et ideò statutum fuit in Concil. Nicæno, vt refertur *in cap. 1. 16. q. 1.* sic: *Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, vt Monachorum conuersatio, & vita, secundum etymologiam nominis, ab omnibus discrepet: Monachus enim Græcè, & Latinè singularis dicitur: vnde Monachum per omnia singulariter agere oportet,* &c. Et S. Hieronymus, & alij Sancti Patres *in cap. Monachus. & in cap. Placuit. & in cap. Interdicimus. & in cap. Decimas. 16. q. 1. & in cap. Nunquam de consecr. dist. 5.* & S. Athanasius *in lib. exhortat. ad Monach.* & alij optima monita pro regulari disciplina Monachis tradiderunt: quæ quidem præcepta partim in sacris Canonibus relata, siue eorum Regulis inserta, ab omnibus Regularibus obseruari deberent: vnde Concil. Tridentinum *sess. 25. de regul.* sciens, quantùm ex Monasteriis piè institutis, & administratis in Dei Ecclesia splendoris, vtilitatisque oriatur, censuit, *necessarium esse, quò facilius, ac maturius, vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur; & constantius, vbi conseruata est, perseueret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad Regula, quam professi sunt, præscriptum vitam instruant, & componant; atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt, alicuius Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum respectiuè essentiam, necnon ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia fideliter obseruent, omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, vt ab illis non recedatur. Cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim illa, quæ bases sunt, & fundamentum totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium, necesse est.* 20.

Ad hæc autem obseruanda maximè necessarium est, vt Regulares Prælatis suis obediant, sicut tenentur ex vi sui voti: si enim inobedientes extiterint, aut incorrigibiles fuerint, possunt ab eis excommunicari, & expelli. *cap. Cum in Ecclesiis de maior. & obed. & cap. Cum ad Monasterium. de stat. Monach.* Nec facilè appellare eis permittitur, *cap. Reprehensibilis. de appellat.* nisi à correctione, quam facit Abbas

bas excedendo modum, & limites Regulæ *cap. Licet. [illegible] ffic. Ord[illegible] , cap. de Prior. de appell.* Nauar. *co [illegible].4.sub. tit de appel.& consil vn[illegible]co, num.6.de [illegible] t. & re iudic.* Ita etiam Emanuel Roder. *qq. regul. [illegible] 19. art. 2. & tom. 2. q 53 a[illegible] 10* Sayrus *in Claui reg. lib.12. cap. 17. num 38.* F[illegible] un[illegible] *in quinque Eccl.precept. prac. 2. lib.8.cap.5. num.13* S[illegible] mund[illegible] accia *de appell q. [illegible] num.8.* Sanchez *de matrim. tom. 2. [illegible] b 6 cap. 8. num. 102.* vbi cum Sayro, Azorio, & Nauarro [illegible] non obstare Concil. Trid. *d. sess.25. de Regul. cap.4* quia non interdicit appellationem ad Superiorem, sed recessum à Monasterio prætextu adeundi Superiorem; de expulsione tamen aliàs redibit sermo, vbi multa propter nouas Summorum Pontificum Constitutiones animaduertenda sunt.

His ergo præmissis, tanquàm fundamentis disciplinæ regularis, sciendum etiam est multa præcipi Regularibus, ac prohiberi, præter illa, quæ in eorum Regulis, & mandatis suorum Superiorum continentur.

21. Primò igitur, tenentur Regulares obseruare omnia, vel vitare quæ de vita, & honestate Clericorum sacri Canones præcipiunt: Clericorum enim appellatione in his rebus Regulares veniunt; & specialiter omnibus Religiosis idipsum mandatur, quod ad vitam, & mores Clericorum spectat, *in cap. Deus qui. & in cap. penult. & in cap final.de vit.& honest. Cleric in Clem. Ne in agro §.1 de stat. Monach & in Clem. Exiut de verb signif.*

22. Secundò, Regularibus omnibus interdicuntur à sacris Canonibus venationes, aucupationes, illisque prohibetur canes, & aues venaticos alere, vel tenere, *ex d.Clem Ne in agro.1.§. Porrò.* & Nauarr. *Comm.4. de Regul num. 26.* Azor. *instit. moral part. [illegible] lib. 12. cap. 9. q. 16.* multò magis, ita vt illis nec recreationis causa sit licita venatio, quamuis redditus proprios in venatione habeant, vt resoluit Perez *lib. 1. tit. 12.*

23. Tertiò, Regularibus præcipitur, vt silentium seruent continuum in Dormitorio, Oratorio, Refectorio, & certis horis in Claustro, *ex cap. Cùm ad Monasterium de stat. Monachorum.*

24. Quartò, prohibentur etiam Regularibus ioca sæcularia, aleas amare, gulam, & ebrietatem sectari, ornamenta inconuenientia quærere, ac in deliciis viuere, *ex d.cap. Cleric, vel Monachi.*

25. Quintò, *in cap. Carnes de consecr. d.st.5.* præcipitur Monachis, ne carnes, nisi in necessitate comedant.

26. Sextò, non debent Regulares arma intra septa Monasterij tenere, absque suorum Superiorum licentia, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: sic illis præcipitur *à Clement.d.Ne in agro. §.Quia verò. de stat. Monach.* quod etiam affirmant Suar *tom.5.de cens. disput 23 sect 5 num. 8.* Nauarr. *in manual. cap. 27.num. 139. vers. 37.* Roderiq. *qq. reg. tom.2.quæst.60. art.2.* Fillinccius *tract 14. cap.8. q[illegible]* Iu[illegible]ius [illegible]anorius *de Indulg. part.2. cap. 13. num. 45* Bonacina *de cens. extra Bullam disput.2.q 9.punct. 16.* Augustinus Barbosa *de off[illegible] potest Episc. part.3. all[illegible] g. 5[illegible] num. 2[illegible]* secundùm Lugdunens impress.

27. Septimò præcipitur etiam Regularibus, vt Procurat[illegible]s, vel Aduocati[illegible] nus non exerceant, nisi Superi[illegible] licentiâ, & ve[illegible] tate Monast[illegible] concurrentibus, *[illegible] cap M[illegible] .16.q 1.* vbi habentur hæc verba *[illegible] r, [illegible] M[illegible] chorum forensis negotij susceptr[illegible] execut[illegible] quoad Monasterij exp[illegible] Abbate [illegible] erat te.* Ita [illegible] m Syr[illegible] C[illegible] egia, l[illegible] .22. num. 3. [illegible] ueibet verba, Aduoc. tus, quæst. 6.* Roderiq. *qq. regul.tom.3.q.41.art.[illegible]* Sanchez *in præcep. Decal tom. 2.lib.6.cap.1[illegible] n[illegible].* dicit [illegible] comprehendi in hac p[illegible] Religiosus. Duplex er[illegible] con[illegible] conjunctim [illegible]ritur, vt diximus [illegible] quia textus *in d cap Mo[illegible]* vtranque requirit. V[illegible]antur Rodoanus *de p[illegible] q.2.n.27.* Sanchez *l[illegible] cap.1[illegible].n.3* vbi [illegible].4. [illegible] si altera ex his deficiat nec in f[illegible] ecclesiastico integrum c[illegible] Religiosi [illegible] munere A[illegible]cati, vel Procuratori obire; benè tamen [illegible] sentibus Deinde *n.8.* d[illegible]it, quòd licentia non videt [illegible] perita; sed opus est eam obtinere: *n.* verò 5.ait, quòd sufficit, vt hæc licentia [illegible] susceptionem mandati præcedat: & *eodem n. 8.* ait, quòd talem licentiam concedere potest Superior immediatus Religionis.

Octauò: Religiosi non possunt Tabellionis officium exercere, *arg. text. in cap. Sicut [illegible]ne Cl[illegible]rici vel Monachi.* Vide Sanchez *loc [illegible] it. cap 13. [illegible]num. 46.* dicit, quòd si de facto absque Superioris [illegible] Monachus, qui in sæculo erat Tabel[illegible], [illegible] instrumenta conficiat, valida erunt, & pot[illegible] Monachus [illegible] post professionem complete, & signare instrumenta, quæ dum Tabellio erat in sæculo confecerat, vel in suo protocollo breuiter conscripserat, vt posset per otium, quoties opus sit, latiùs extenderet. Ita resoluunt Roder *qq.Regul. tom.3.q.8. art. vlt.* Sanchez *loco. cit. cap. 13. num 49.* vbi *num. 50.* ait, quòd exigitur ad hoc Superioris licentia: imò *num. 56.* subdit, quòd potest Monasterium conueniri, vt Monachus antè Notarius hæc instrumenta perficiat. 28.

Nonò: Non possunt esse arbitri regulares, nisi pariter concurrant vtilitas Monasterij, & licentia Superioris. Ita Fuluius Pacianus *cons. 162. num.188.* & Sanchez *loco cit. cap.13.num. 55.* vbi *num. 57.* ait, quòd Religiosus factus Episcopus, & Monachi simplices habentes aliquam administrationem, aut prioratum, possunt esse arbitri: *num.* verò 58. ait, quòd Superior Religionis non indiget licentia, vt arbiter sit: & *num. 60.* quòd non interdicitur Religioso officium arbitratoris: & *num. 66.* resoluit, Franciscanos non posse, etiam de licentia Superioris, & cum vtilitate Monasterij, arbitri munus obire, benè tamen arbitratoris. 29.

Decimò: Regulares non possunt esse testes iudiciarij absque Superioris licentia: quia Iudex petiturus iuramentum ab illis Regularibus, non est proprius illorum Iudex. Ita Sanchez *d.tom 2.lib.6.cap.13. num. 104.* vbi plures Doctores cumulat, & sequitur. Si autem Monachus absque licentia sui Abbatis coram sæculari Iudice, vel alio non suo Iudice testificetur, testimonium valebit, quia nullibi irritatur; & potiùs interpretandum est, vt valeat, quàm vt pereat, vt colligitur ex Barth Socin *cons.17 num 16.vol 1.* Molin. *de iust.tract.2.disp.127.* Farinac. *in pract.crimin. tract. de testib.q 61.num.134.* Paulus Pacianus *cons.d.162. num.75. vol.1.* 30.

Sed aduertendum est, quòd, vt Monachi testimonium scribatur in instrumento, nulla exigitur Superioris licentia: quia id non est aliquem iurisdictioni alienæ submittere ex Sanchez *loc.cit. cap.13 n.106.* sed opus est licentia Superioris, vt Regulares testes in aliquo testamento scribi possint: quod probatur *ex cap. Nuper si de test.* & ex Farinac. *loco cit d q.61.n.130.* etiam quando Monasterium instituitur hæres, vel ei aliquid legatur. Ita Sanchez *d cap.13.n.112.* Surdos *decis.119. num. 1* & Hieronym. Roderic. *in compend. qq. regul. resol.135. n. 15.* & Sanchez *loco cit.n.8.* resoluit, non posse impugnari testamentum si Religiosi absque Superioris licentia in eo tanquàm testes extiterint. 31.

Vndecimò: Non possunt Religiosi exercere artem Chirurgiæ cum incisione, vel adustione, *ex cap. Tuam nos*

nos. de homicid. Idem habetur apud Sanchez *d. tom. lib.6.cap.14.n.15.* qui ſubdit *n.16.* verum eſſe nec cauſa pietatis id licere:quia,ſi ægrotus decederet ex cauſa talis aduſtionis , vel abſciſſionis , licèt illud non imputetur ei ad peccatum ; imputabitur tamen illi ad irregularitatem, vt docet Abbas *n.3.d.cap. Tua nos.*&c. & Pariſius *conſ.96.colum. vlt. volum* 4. Auila *de cenſ. part.7. diſput. 6.ſect.1. dub.2.* Beller. *diſquiſit.Cleric. part. 1. tit. de diſciplina Cleric.* § *5.n.6.* Sanchez *loc. cit.cap.14.n.16.* Hoc tamen indiget limitatione, ſcilicet , niſi faciat hoc neceſſitate vrgente, quando non adeſt alius qui hoc munus exerceat. Ita Auila *loco cit.ſect.1.dub.*10 Molin. *de iuſt tom.4.diſput.75.n.3.*

33. Duodecimò: Artem etiam Medicinæ exercere non poſſunt Religioſi , vt benè probat Sanchez *d.cap.13. num.18.& num.19.* vbi aſſerit,ſi cauſa pietatis hoc faciant , poſſunt illam exercere erga miſerabiles,dummodo nullum mortis ſubſequendæ immineat periculum.

34. Tertiodecimo : Nec etiam poſſunt eſſe tutores teſtamentarij , *ex cap.final.d.86.*& *authent.de ſanctiſſimus Epiſcopus.*§. *Deo autem amabiles.collat.9.*& Azorius *part.1.inſtitut.moral.lib.12.cap.11.q.3* Sanch. *loco cit.cap.14.n.22.* qui docent, etiam non poſſe Regulares eſſe tutores teſtamentarios ex licentia ſuorum Superiorum:quòd ſi tutelam ſuſcipiant,irritum eſt,quod gerunt ; nec etiam legitimam tutelam ſuſcipere poſſunt,vt habetur expreſsè *in d.cap.*§. *Deo autem amabiles*,quod etiam affirmant Molina *de iuſtitia,tract 2. diſput. 221. col.3.verſ. Religioſus tutor.* Greg. Lópes *l.14.verbo, Pueda,tit.16.part.6.* Ioan.Bapt.Coſta *de remed. ſubſid. remed. 72.n.7.* Sanch. *d.cap.14.n.25.* Hoc tamen limitatur:nam ſi miſerabilium perſonarum tutelam ſuſcipiant,illam non ſolùm poſſunt exercere, imò vt illam exerceant,ſuſcipere tenentur,vt benè dicit Gloſſ. *verbo , tutelae, in fine d.cap.final.* Syluester *verbo , tutela,q.3.* Roſella *eod.verbo 2.* Tabiena *ſimiliter q.1.n.2.* Nihilominùs Sanchez *d.cap.14.n.26.* contrarium tenet,dicens,nec perſonarum huiuſmodi poſſe Religioſos eſſe tutores, imò nec teneri,quæ ſententia mihi placet:quia conformatur *d cap.finali*,in quo nec quidem verbum, huiuſmodi obligationem imponens inuenitur.

35. Decimoquartò : Non poſſunt fideiubere Regulares , niſi cum licentia Abbatis, & maioris partis Capituli , *ex cap penult de fideiuſ.leg.2.tit.12.part.5.* Azor. *inſtit. moral. part. 1. lib. 12. cap 11. q.2.* Rebell. *de oblig iuſt. part. 2. lib. 16. q. vnic.de fideiuſ. num* 13. Molin. *de iuſt. tract. 2. diſput.549.num.19.* Sanchez *d. tom. 2. lib. 6. cap. 14. num. 38.* vbi *num. 39.* reſoluit , Abbatem Monaſterij non poſſe ſine maioris partis Capituli conſenſu facultatem fideiubendi concedere : & hoc ita verum eſt,quòd ſi de facto Monachus fideiubeat ſine licentia ſui Abbatis , ſit irrita fideiuſſio , vt docent Molina *loco cit. tract. 2. diſp* 540. Azor. *ſimiliter loco citato , lib. 12. cap. 11. q. 2.* Sanchez *d.cap. 14. num. 41.* vbi rationem reddit , quare Clerici , quibus fideiuſſio interdicta eſt, ſi de facto fideiubeant obligati remaneant, non ita Regulares : vnde Sanchez *loco cit.* animaduertit, quòd licet Monachus de licentia ſui Abbatis , dum exiſtit in ſtudio , poſſit contractus inire ; non poteſt tamen validè fideiubere : quod expreſsè affirmat Surdus *de alimentis,tit.8.priuil.q 7.num. 1.*

36. Decimoquintò : Regulares non poſſunt eſſe executores teſtamentorum , neque ad cauſas pias , neque profanas , ſine licentia ſuorum Superiorum , *ex cap.2.& vlt.de teſtam. in 6.Clementina vnica,eod.tit.* Azor. *inſtit moral. p. 1. lib. 12. cap.11. q.1.* Hieron. Rodriq. *in compend quæſt. regul.reſol.135.n.16.* Nauar. *comment. 2. de Regul. n. 64.* Sanch. *in præcepta Decal. tom. 2. lib. 6 cap. 11. in princip.* Vnde ſi per Regulares, teſtamentorum executiones fiant ſine Superioris licentia , inualidæ erunt ; quamuis nihil oppoſitum fuiſſet. Ita Molin. *de iuſt. tract. 2. diſp 247. verſ. Religioſus tamen.* Emmanuel Rodriq. *quæſt. regul. tom. 1.q.65. art. 3.* Licentiam tamen executoris teſtamentorum officium acceptandi poteſt Abbas quilibet , & Superior etiam conuentualis, Religioſis ſuis concedere , vt benè probant Molina *loco citato , diſputatione 247. col. pen.* Sanch. *d.cap. 11.n. 15.* qui *n.16.* ait hoc limitando,niſi conſuetudo illius Religionis obtinuiſſet, vt hæc licẽtia à maiori Superiore Religionis ſit obtinẽda.& *n.19.* dicit, Monachũ non poſſe ex Epiſcopi licentia , contradicente ſuo Abbate, officium executoris ſupradictum ſuſcipere. Aduertendum tamen , non ſufficere obtinere licentiam à ſuo Superiore poſt ſuſceptum officium executoris, ad illud rectè obſeruandum,nec ſufficit tacita eiuſdem Superioris licentia. Ita Sanch. *loco cit. cap. 11. n.10.& n.11.* qui *n.12.* dicit,non requiri eiuſmodi licentiam, quando Religioſus ille eſſet executor teſtamenti ſolummodo quoad legata pia , & etiamſi executio teſtamentorum cedat in vtilitatem Monaſterij.

37. Hoc autem quod dictum eſt de licentia à Superiore petenda quoad officium executoris teſtamenti,non valet de Religioſis , qui manent extra Clauſtra , & beneficiis perpetuis præſunt : hi enim poſſunt prædictum officium obire ; quia non ſunt ſub obedientia Abbatis,& in eis ceſſat prohibitionis ratio. Ita Gloſſ. *verbo , Religioſis , verſ. Et Clauſtrali intelligo. in d. cap. 2.* vbi Franc. *n. 5.* & Gregorius Lop. *l. 2. verbo, Fraslec.tit.* 10. *part.6.* Sanch. *loco cit.cap.11.n.4.* Rot. apud Farinac. *deciſ 87.n.2 p.2.recent.*

Excluduntur omninò à prædicto munere executoris Fratres Minores , etiam cum licentia ſuorum Superiorum , quos non poſſe vltimæ voluntatis executores eſſe docet Gloſſ. *verbo , Religioſus,in d.cap.2.* & Hier. Rodriq. *d. reſol.135.n.17.* & Sanch. *loco cit. n.24.* Solùm prædictis Fratribus Minoribus permittitur facere electionem pauperum ; ſcilicet , ſi teſtator præcipiat executoribus ſui teſtamenti aliquas pecunias pauperibus diſtribuendas , & pauperes eligendi ſint à Fratribus minoribus , quod non eſt executoris munus exercere: maximè cùm talis electio pauperum non ſit quid iuri[s] ſed potiùs quid facti *ex l.Cum Pater.19* § *hæreditati cm 1.ff.de legat.2.*& Couar. *in cap. Tua nos. n. 1, in fin. de teſtam.* Emmanuel Rodriq. *quæſt. regularium tom. 3.q. 70.art. 2.* Flamin Pariſ. *de reſignat.beneſic.lib 5 q.3.n.25.* Gratian. *diſcept. forenſ. cap.123.n. 25* Barthol. de Vecchis *in praxi Nouitiorum,diſp.8.dub.13.n.1.* Nauar. *conſ.408.n.4.vol.1.* Molin. *de iuſtit.tract.2. diſp.247.* & alij.

38. Decimoſextò : Regulares in Iure ciuili , vel Medicina , promoueri non poſſunt, ad Laureolam , & gradus Doctoratus *ex cap. Non magnoperè , & cap. Super ſpecula. ne Clerici,vel Monac.* & Sanch. *tom.2. de matr.lib.6.cap.14 n.43.* Ad Laureolam autem , & Doctoratum Theologiæ , & Iuris canonici poſſunt Religioſi promoueri , habita ſui Superioris licentia. Ita Tabiena *verbo , Magiſter , q. 2. n. 3.* Armil. *eod. verb.n.4.* Nouar. *comm.2. de Regularibus , n.2.* Emmanuel Rodriq. *q.regul.tom.2.q. 14.art.1.* & alij.

39. Decimoſeptimò : Religioſi profeſſi prohibentur exire Monaſteria ad leges audiendas , vel Phyſicam; & ſi intra duos menſes non reuertantur , incurrunt excommunicationis ſententiam ipſo iure ; & in nulla cauſa poſſunt patrocinari : vnde in Capitulo , vel Choro erunt vltimi : & ſine diſpenſatione Papæ non poterunt promoueri. Ita habetur *in cap. Non magnoperè. ne Cler. vel Monachi.* & idem docet Suar. *de cenſ. diſput.23. ſect.3. art.* 10. Nauar. *comment. 2.de*

Regul. num. 17. Filliucius *tract.* 14. *cap.* 8. *q.* 2. *num.* 127. Santarell. *de Apost. cap.* 1. *num.* 15. Bonac. *de cens. extra Bullam, disput.* 2. *q.* 9. *punct.* 7. Sanchez *in pracept. Decal. tom* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *num* 74.

Sed superest difficultas, à qua die sit computandum spatium dictorum duorum mensium? Respondit Glos. *verbo, duorum, in cap. vlt. ne Cler. vel Monach.* computandum esse à tempore scientiæ, siue publicationis huius constitutionis. Alij tamen, & probabilius, putant, computandum esse à die, qua Religiosus egreditur ad præfatas scientias audiendas & hoc probant ex prædicto textu, *Non magnopere.* in quo manifestè indicatur, initium ab exitu e Claustro desumendum esse. Ita affirmant, inter alios Sayrus *de cons. lib.* 3. *cap.* 33. *num.* 4. Fillincius *loco citato, q.* 2. *num.* 129. Bonac. *similiter loco citato, num.* 11. Santarellus *d. cap. cit. num.* 20. Sed de hac re inferiùs redibit sermo in propria disput. de Monachis existentibus extra Claustra.

40. Decimooctauò: Prohibentur prætereà Regulares, etiam sub pœna excommunicationis, accedere ad quæuis studia litterarum, nisi à suo Superiore cum consilio sui Conuentus, vel maioris partis sibi eundi ad dicta studia sit primitùs concessa licentia, *ex cap. Vt periculosa.* 2. *Ne Cler. vel. Monach. in* 6. Vnde prohibetur accessus Religiosis prædictis causa studiorum ad studia extra oppidum, vel ciuitatem sui Monasterij, non solùm si legibus vel Physicæ operam dare vellet; sed etiam sacræ Theologiæ, aut sacris Canonibus, cùm supradictus textus sit vniuersalis, & generaliter loquatur, vt docet Sayrus *de cons. cap.* 33. *num* 20. Filliuccius *tract.* 14. *cap* 8. *q.* 4. *num.* 136. Bonac. *de cens. extra Bullam, disput.* 2. *q.* 8. *punct.* 8. *num.* 3 qui *num* 4. dicit, Religiosum sine licentia accedendum ad studia sui oppidi, non affici huiusmodi excommunicatione. Similiter si accedat, & se transferat ad aliud Monasterium suæ Religionis, intentione operam dandi studiis, quæ extra monasterium existunt.

41. Decimononò: Sub pœna similiter excommunicationis ipso facto incurrenda prohibentur Monachi, & Canonici Regulares accedere ad Curias Principum sæcularium, absque licentia suorum Abbatum cum intentione prædictis suis Abbatibus, aut Monasteriis nocendi, *ex Clem. Ne in agro.* 1. *de stat. Monach.* & Suarez *tom.* 5. *de cens. disput.* 23. *sect.* 5. *num.* 6. Bonac. *de cens. extra Bullam, disput.* 2. *quæst.* 8. *punct.* 9. Filliuc. *tract.* 14. *cap.* 8. *q.* 6. *num.* 140. qui omnes resoluunt, tali excommunicatione etiam ligari illum, qui bono animo Curias prædictas ingreditur; sed dum in Curia permanet, vult damnum inferre: & hoc valet de illis Regularibus, etiam accedentibus ad prædictas Curias, cum tali intentione damnum inferendi, licèt re ipsa nullum damnum inferant, quantumuis accedat licentia suorum Superiorum.

42. Vigesimò: Sub eadem pœna excommunicationis prohibentur Religiosi vsurpare decimas Ecclesiis debitas, quæ decimæ ad ipsos iure aliquo non pertinent. In eandem pœnam incidunt, si dolis, & malis artibus prohibeant Ecclesiis solui decimas ex animalibus suorum familiarium, vel pastorum, vel aliis animalibus, quæ suis permiscentur, vel ex eis, quæ in fraudem Ecclesiarum emunt; & si admoniti intra mensem non desistunt, aut si id, quod temerario ausu vsurpant, intra duos menses post admonitionem non restituunt illis quibus de iure debentur, *ex Clem.* 1. *de decimis* quod etiam docent Filliucius *tract.* 14. *loco citato num.* 125. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap* 13. *q.* 13. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.* 3 *alleg.* 150. *num.* 212. *secundum Lugdun. impress.* Bonac. *de cens. extra Bull. disp.* 2. *q.* 8. *punct.* 12. Gambarupta *de casib. reser. cap.* 11. *num.* 7. At, quia text. supracitatus loquitur vniuersaliter, & generaliter; ideò non solùm viri Religiosi; verum etiam fœminæ Moniales comprehenduntur in hac excommunicatione, vt resoluunt Gloss. *ibid. verbo, quicunque.* Sayrus *de cens. lib.* 3. *cap.* 34. *num.* 24 & Suar. *de cens. disput.* 31. *sect.* 6. *num.* 9 dicit, hanc excommunicationem extendi ad Equites militantes, qui verè sunt Religiosi.

Vigesimoprimò: Sub eadem pœna excommunicationis ipso facto incurrenda prohibentur Religiosi, 43.
qui audent à decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahere in sermonibus, & prædicationibus, vt habetur *in Clem. Cupientes de pœnis.* Religiosus verò, qui alicui mandat, vt alteri, qui decimarū onere tenetur, suadeat, ne soluat; non afficitur hac excommunicatione, cùm nihil aliquid dicatur proferre auditoribus, qui decimas soluere debent. Ita Filliuc *loc. cit. tract.* 14. *cap.* 8. *q.* 8. *num.* 146. Suar. *tom.* 5. *de cens. disput.* 5. *sect.* 23. *num.* 37. Bonac. *loco cit. q.* 8. *punct.* 13. *num.* 1. vbi *num.* 4. dicit, ad excommunicationem hanc incurrendam, quòd non sufficit proferre verba præfata ex inaduertentia; sed requiri dolum, & scientiam cum intentione retrahendi auditores à solutione decimarum. Idem affirmat Barbos. *de offic. & potest. Parochi, cap.* 28 §. 4. *num.* 21. qui *num.* 22. dicit, Religiosis quoque præcipi *in d. Clem.* sub pœna suspensionis ipso facto ab officio prædicationis, vt confitentibus conscientiam faciant de soluendis decimis, dum à Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum super hoc requiruntur.

Vigesimosecundò: Prohibentur etiam Regulares 44.
admittere excommunicatos, & Nominatim interdictos ad diuina officia, cùm potiùs eos vitare teneantur *ex cap. In Lateran. de prabend.* & *cap. Cum & plantare. §. excommunicatio, cap. Nulli de sententia excommunicationis* Vgolin. *de cens. tab.* 2. *cap.* 23. *in princ. num.* 2. Sayrus *eodem tract.* 2. *cap.* 11. *num* 32. & Couar. *in cap. Alma mater. part.* 1. *num* 3.

Vigesimotertiò: Prohibentur prætereà Reli- 45.
giosi in suis prædicationibus Prælatis Ecclesiarum aliquid detrahere, & laicos ab Ecclesiarum suarum accessu, vel frequentia retrahere, *ex Clem.* 1. §. *Quibus. de priuil.* & Farinacius *in prax. crim. par.* 3. *quæst.* 105. *num.* 406. Emmanuel Rodriq. *qq. Regul. tom.* 3. *quæst.* 32. *art.* 2. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12 *cap.* 13. *quæst.* 5 *num.* 3.

Vigesimoquartò: Prohibentur prætereà Regula- 46.
res Indulgentias indiscretas promulgare, *ex d. Clem.* 1. §. *Quibus. de priuileg.* & Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 13. *q.* 5.

Vigesimoquintò: Si Regulares testamentis con- 47.
dendis intersunt, non debent testatores à restitutionibus faciendis, aut Legatis piis Ecclesiis matricibus relinquendis retrahere, neque curare, vt legata debita, & malè ablata sibi, aut Fratribus sui Ordinis, vel Conuentibus in aliorum præiudicium relinquantur, ex Concilio Lateranensi sub Leone X.

Vigesimosextò: Prohibentur Regulares prætereà 48.
aliquem cogere, vel ad promittendum inducere, vt apud illos sepulturam eligat, *ex Clem. Cupientes.* §. *final. de pœnis,* & Gambarupta *de casibus reseruatis, c.* 7. *num.* 4. Barbos. *de offic. & potest. Episc. par.* 3. *alleg.* 50. *n.* 100. *secundum Lugdunens. impress.* Reynerius *in Catalog. censur. extra Bullam, cap.* 2. *in princ.* Iulius Lauotius *de indulg. cap.* 21. *num.* 25. Filliucius *tract.* 25. *num.* 170.

Vigesimoseptimò: Tenentur Regulares obseruare 49.
interdictum, quod ab Ecclesia matrice obseruari viderint,

dèrint, *ex Clem.* 1. *de ſent. excomm.* & Nauar. *in Manual. cap.* 27. *num.* 146. Azor. *inſtit. moral. part.* 1 *lib.* 12. *cap.* 13 *verſ.* 18. Emmanuel. Rodriq. *qq regul. tom.* 2. *q.* 60. *art.* 2. Enriq. *in Sum. lib.* 13. *cap.* 46. §. 4. Gambarupta *de caſib reſeru cap.* 11. *num.* 17. Auila *de cenſ. part.* 2. *diſput.* 5. Layman *in Theol moral. lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 3. *cap.* 3. *num.* 4. Iulius Lauotius *de Indulg part.* 2. *cap.* 13. *num* 38 Barboſ. *de officio, & poteſt Epiſc. alleg.* 50. *num.* 52. *ſecundum Lugdunen. impreſſ.*

50. Vigeſimo octauo: Religioſis omnibus præcipitur diuina Officia perſoluere debitis horis in ſuis propriis Eccleſiis, *ex Clem.* 1. *de celebrat. Miſſar.*

51. Vigeſimononò: Secundùm antiquos Canones multa prohibentur Monachis, præſertim pœnitentias imponere, præterquàm ſibi ipſis; & Monachos ſepelire, niſi Monachos ſecum commorantes, vel aduenientes Fratres, qui apud eos deceſſerint, ſicut etiam prohibentur aliis eccleſiaſticis officiis deſeruire *ex c.* 2. *& ſeqq.* 16. *q.* 1. niſi Preſbyteri, aut Epiſcopi ſiant, & ſint docti, & probatæ vitæ, & Apoſtolorum figuram teneant; quod eis ex priuilegio conceſſum eſt, vt conſtat *ex cap. Doctis.* & *cap. Ex authoritate.* 16. *q.* 1. ſic etiam prohibitum erat illis, nouas, & reparatas cellulas ſibiipſis ædificare abſque licentia, *ex cap Cellulas.* 18. *q.* 2. Multa alia poſſent hîc recenſeri in ſacris Canonibus recenſita, quæ aut hodie non ſunt in vſu, aut correcta reperiuntur à nouis conſtitutionibus apoſtolicis, & priuilegiis Religionibus conceſſis, quando exemptæ fuerunt ab Ordinariorum iuriſdictione. Alia plura aſſignantur iura, & ſtatuta, præſertim Concilij Trident. & aliorum ſacrorum Canonum, quibus Regulares ligantur *infrà, diſput.* 5. *quæſit.* 15.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbates Generales, & Capitula generalia poſſint abrogare ſtatuta in alio Capitulo, etiam Generali condita.

SVMMARIVM.

1 *Decretum diffinitiuum contra aliquem Monachum a Generali cum Capitulo generali latum, non poteſt a ſubſequenti Capitulo generali reuocari.*

2 *Statutum, ſeu conſtitutio in generali Capitulo abſque Papæ authoritate edita poteſt per ſubſequēs Capitulum generale reuocari.*

3 *Statutum, ſeu conſtitutio in Generali Capitulo edita, a ſubſequenti, vel alio Capitulo generali, reuocari nequit ſi authoritate pontificia ſit firmata, non tantùm in vim priuilegij, ſed per modum decreti ſeu mandati, vt num. 4.*

5 *Ius alterius remittere nemini licet.*

6 *Statutum, & conſtitutio per generale Capitulum edita ad hoc vt per aliud Capitulum generale nequeat reuocari, debet ita confirmari, vt confirmatio ſit eſſentialis: & num. 9. & non ſolum accidentalis, vt num. 7. & 8.*

10 *Electiones per ſchedulas ſecretas facere Fratribus S. Franciſci de Obſeruantia indixit Sixtus V.*

11 *Conſtitutiones, conſuetudines, ſeu declarationes præter Regulam non adſtringunt Fratres Minores ſub pœna alicuius cenſuræ, vel vinculo peccati mortalis.*

12 *Statutorum interpretatio duplex, alia iuridica, alia doctrinalis.*

13 *Statuta à Superioribus Prælatis condita iuridicè, & obligatoriè per naturalem rationem declarare poteſt inferior Prælatus, ſi verba ſtatuti ſint dubia, & caſus clarus, ac de facili deciſibilis, vel ſi non ſit facilis recurſus ad Superiorem: ſecus, ſi caſus eſſet maximè dubius; tunc enim declaratio ad Superiores maiores ſpectat, vt num. 14.*

RESpondeo diſtinguendo, quòd vel ſtatuta in an- 1.
tecedentibus Capitulis lata ſunt, abſque Papæ
authoritate: & tunc ſubdiſtinguo: nam aut ſunt ir-
reuocabilia, vt decretū diffinitiuum prolatum à toto
Capitulo aduerſùs aliquem Monachum iuris ordine
ſeruato, quod, iuxta communiorem Doctorum ſen-
tentiam, non poteſt ſubſequens Capitulum generale,
quod idem repræſentaret, reuocare: decretum enim
diffinitiuum, maximè ab eo, qui illud tulit, eſt irreuo-
cabile, vt patet *per c. In litteris d. offic. delegat.* & ibi. 2.
Doct. Vel dicta ſtatuta ſunt reuocabilia, ſeu lata, non
interueniente apoſtolica authoritate: & certum eſt,
quòd ſubſequens Capitulum generale, antecedentis
repræſentatiuum, illa poteſt abrogare, quia retinet
eandem facultatem, quam antea habebat.
Si autem in talibus ſtatutis Papæ authoritas inter- 3.
ceſſerit, ſubſequens Capitulum nullo modo eadem re-
uocare poterit, abſque expreſſa, & ſpeciali eiuſdem
Sedis apoſtolicæ licentia. Et ratio eſt: quia ſtatuta
Papæ authoritate condita, non tam Religionis, quam
eiuſdem Summi Pontificis ſtatuta cenſentur. Inferior
autem nullo pacto quæ per Superiorē decreta, atque
ordinata ſunt, derogare valet, vt per Felin. *in cap.*
Cum aceſſiſſent. n. 9 *de conſtitut.* Et hoc intelligendum 4.
eſt, quando Summus Pontifex, per modum decreti,
ſiue mandati, ſeu conſtitutionis authoritatem ſuam
in talibus ſtatutis interpoſuit, & non tantùm in vim
priuilegij: quia huiuſmodi ſtatuta ſemper reſpiciunt
bonum commune. Vnde in præiudicium totius Reli-
gionis Capitulum generale ea nullo modo abrogare 5.
poteſt: nam nemini licet, alterius ius remittere, *iuxta*
l. 1. §. *Sed & totum titulum de reb alien. l. Ius publi-*
cum ff de pactis, &c. Si diligenti. de for. compet. per
quæ iura cauetur, quòd ius publicum Vniuerſitatis,
vel Collegij conſtitutum per legem Superioris, non
poteſt per eandem Communitatem remitti. Tenent
etiam communiter Doctores *in cap. Cùm acceſſiſſent.*
de conſtit. & *cap. Dilecta eod. tit.* Ratio eſt: quia,
quando Princeps condit aliquod ſtatutum circa Com-
munitatem inferiorum, eo ipſo conſtituit ſe eiuſdem
Communitatis Rectorem, quoad effectum conſer-
uandi bonum illud prætenſum per idem ſtatutum, ac
proinde intendit ſibi reſeruare poteſtatem diſpenſan-
di in illo ſtatuto, aut ipſum immutandi, quaſi ipſe
ſolus Communitatem illam repræſentet, ac ipſe ſolus
ius illud remittere poſſit, non autem inferiores.
In hoc autem diſtinguendum eſt. Nam, vel con- 6.
firmatio ſummi Pontificis fuit ſubſtantialis, & eſſen-
tialis, vt quando Summus Pontifex confirmando in-
tendit illis robur addere, ac ea propria facere, vt ſi ita
leges, & ſtatuta illa confirmet, quòd velit, eas ſuo
nomine ſubſiſtere: aut, ſi in confirmatione dicat,
quidquid in contrarium factum fuerit, irritum ſit, &
inane: & tunc Capitulum generale nequit proprias
leges; & ſtatuta hoc modo confirmata abrogare, nec
in eis diſpenſare propria authoritate: quia huiuſmodi
leges, & ſtatuta cenſentur ab ipſo Summo Pontifice
lata, & conſequenter nequeunt ab inferiori, abſque
ipſius conſenſu abrogari; quia eadem poteſtas neceſ-
ſaria eſt ad abrogandam, quæ ad ferendam legem,
auth. d. contra C. de repud.

Si verò Papa eas leges & ſtatuta confirmauerit accidentaliter, vt declarando ea eſſe laudabilia, atque à ſubditis obſeruanda; non tamen faciendo ea propria, nec eis nouam vim tribuendo; tunc Capitulum generale vtique poterit ea, abſque Papæ confirmantis conſenſu, abrogare, ac ſi non eſſent à Papa confir-

matai quia huiuſmodi leges, & ſtatuta non cenſentur lata à Summo Pontifice, ſed ab ipſo Capitulo: nam accidentalis confirmatio non conſtituit leges, ſed illas ſupponit: & confirmatio ſolùm apponitur ad maiorem robur legis authoritatem, vt ſupponimus. Ita Salas *de legib. diſput.* 20. *ſect.* 3. *n.* 29. Bonacina *eod. tract. diſput* 1. *q.* 2. *punct.* 1. *n.* 16.

8. Et quòd præcepta Religioſorũ condita authoritate Summi Pontificis, & ab illo confirmata reuocari poſſint in alio Capitulo à ſubſequenti Generali, etiamſi non interueniat ſpecialis Summi Pontificis licẽtia, docet etiam Rodriquez *tom.* 1. *qq. regul. q* 68 *art.* 5. dicẽs, non eſſe hoc diſpenſare in lege Papæ: quia ibi Papæ cõfirmatio circa ſtatuta fuit quid acceſſorium, & non principale. Et pro hac re citat *cap. Cum acceſſiſſent de conſt.* vbi Capitulum Cathedralis Eccleſiæ receſſit per ſe à ſtatuto per Summum Pontificẽ confirmato: præterquàm quòd confirmatio illa habet vim fauoris, non verò legis Papalis, vt docet Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. q.* 29. *art.* 8.

9. Contrarium tamen dicendum eſt, ſi Summus Pontifex præciperet alicui Capitulo generali, vt tale ſtatutum conderet, ſicut fecerunt multi Pontifices præcipientes Generalibus, & Capitulis, vt pro bono regimine Religionum aliquas leges conderent, inter quos
10. Sixtus V. fel. record. præcepit Fratribus Ordinis S. Franciſci de Obſeruantia, vt electiones per ſchedulas ſecretas fierent: & hoc præceptum nunquam fuit immutatum; ſicut nec etiam, quòd Abbatiſſæ eſſent triennales. Ita habetur ex Laurentio Portello *de dub. regul. verbo, ſtatutum*, *num.* 11. quo loco colligit, ſtatutum prouinciale factum in vna prouincia, præſente, & confirmante Generali, poſſe poſteà immutari, ſi fiat aliud Capitulum prouinciale in eadem Prouincia.

11. Ad hoc facit id, quod adducit prædictus Portellus *loco citato*, quòd Sixtus IV. conceſſit Fratribus Minoribus, quòd non poſſint ligari aliqua cenſura eccleſiaſtica, nec vinculo peccati mortalis, propter ſtatuta, & conſuetudines, & declarationes dicti Ordinis præter Regulam, etiamſi prædictæ cenſuræ latæ eſſent à quocunque Prælato, & confirmatæ authoritate apoſtolica, niſi aliunde tales conſuetudines, & ſtatuta ex lege diuina, vel præcepto Romanæ Eccleſiæ inducerent ad mortale, & cenſuras omnes, & pœnas aliter latas annullauit, & voluit, quòd haberent ſolùm vim pœnæ comminatoriæ.

12. Quo verò ad declaranda ſtatuta, eáque interpretenda, notandum eſt, quòd interpretatio eſt duplex; vna eſt iuridica; alia doctrinalis. Prima ſpectat ad eum, qui condit ſtatuta: ſecunda verò ad quemlibet Doctorem: verbi gratia, interpretatio priuilegiorum Sedis apoſtolicæ, ſi de prima interpretatione loquamur, ſpectat ad Summum Pontificem, *cap. Cum venient. de iudic.* Hæc interpretatio eſt obligatoria, nec habet minorem vim, quàm priuilegium ipſum. Secunda verò non obligat; ſed illi plus defertur, vel minùs: quo præmiſſo,

13. Dicendum eſt quoad hanc declarationem, & interpretationem, quòd ſi dubium ſit ſuper validitate, & ſubreptione legis, & ſtatuti, ſeu ſuper verbis euiſdem, tunc ſi clarus eſt caſus, & de facili deciſibilis, poteſt etiam Abbas localis, & inferior iuridicè, & obligatoriè declarare ſtatuta à ſuperioribus Prælatis condita: quia in his rebus facillimis ſupponendum eſt de mente Superiorum maiorum; aliàs difficile redderetur, introducere obſeruantiam ſtatutorum: imò idem dicendum puto etiam in caſibus maximè dubiis, ſi non pateat recurſus ita faciliter ad Superiorem; & tunc poſſunt interpretari ſtatuta per naturalem rationem: at, ſi dubitaretur de intentione ferentis ſtatutum, & ſine maximo dubio caſus decidi non poſſet, tunc ad Legiſlatores, & Superiores maiores pertinet declaratio, & interpretatio, vt docent Salas *de legib. diſp.* 21. *ſect.* 2. *n.* 2. & Roder. *tom.* 1. *qq. regul. q.* 11. *art.* 1. & in hoc caſu vltimo poteſt etiam Generalis in his, quæ ad ſerenitatem conſcientiæ ſubditorum pertinent, ſtatuta declarare, vt habetur ex Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. q.* 29. *art.* 9. & Roder. *loc. cit. qq.* 68. *art.* 6.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas poßit obligare Nouitios ad leges, & ſtatuta Religionis.

SVMMARIVM.

1 *Nouitij poſſunt obligari ab Abbate in his, quæ cadunt ſub iuriſdictione epiſcopali: & num.* 4. *&* 6. *non autem ad leges, & ſtatuta Religionis, vt n.* 3.

2 *Poteſtas Abbatis, & Prelati Religionis duplex, dominatiua vna, iuriſdictionis altera.*

5 *Commodum qui ſentit, debet etiam incommodum ſuſtinere.*

7 *Statuta & Regulares obſeruantias aliquando obſeruare debet Nouitius, non ratione votorum; ſed ex lege iuſtitiæ, & ſemper ex conuenientia, vt n.* 9.

8 *Statuta, & Regulares obſeruantias tranſgrediens Nouitius non incurrit pœnas tranſgreſſoribus impoſitas.*

Difficultas huius quæſiti in hoc conſiſtit, quòd cùm obligatio oriatur in ſubdito, ex vi ſuæ traditionis, & profeſſionis ſolennis ad Religionem; & poteſtas obligandi contrahatur in Superiore ex vi poteſtatis dominatiuæ, non videtur, Nouitium obligari ad leges, & ſtatuta Religionis: quia nondum ſe tradidit per profeſſionem ſolennem in poteſtatem Religionis, & euiſdem Abbatum Superiorum. Ita Angel. *verb. Nouitius*, *q.* 18. Syluest. *verb. Religioſ. q.* 6. Armill. *verb. Nouitius, n.* 18. ſicut Catechumenus Eccleſiæ legibus non adſtringitur, & tenetur, donec ſit ſacro Baptiſmate renatus.

Aſſerendum tamen eſt, Nouitios eo tempore, quo ſub Abbatis cura degunt, poſſe ab eo obligari in 1. his, quæ cadunt per ſe ſub epiſcopali iuriſdictione, nullo habito reſpectu ad religioſam profeſſionem, vt docet Suarez *tom.* 4. *de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 17. vbi ait, quòd in hoc conſideranda eſt duplex 2. poteſtas Prælati Religionis; dominatiua, ſcilicet, & iuriſdictionis: neutra enim, quatenus eſt propria Religioſorum, locum habet erga Nouitios, qui non emiſerunt votum obedientiæ, nec propriè ſe ſubiecerunt, vt Religioſi; & ſic non poſſunt hac ratione obligari ad ſtatuta, & leges ordinarias Religionis: 3. tamen, quia pro eo tempore ſunt ſub cura Abbatũ, & Prælatorum Religionis, poterunt ab illis obligari in his, quæ per ſe cadunt ſub iuriſdictione epiſcopali, ſine ſpeciali reſpectu ad profeſſionem religioſam. 4. Quibus addendum cenſeo, quòd quamuis Nouitij ratione voti, aut præcepti, quod Regula, & Inſtitutum Ordinis conſtituit, Religionis ſtatutis non adſtringantur, quæ profeſſos tantummodo adſtringunt; tamen Superiorum præcepto ligari, & cogi poſſint; non quidem abſolutè, & ſimpliciter: nam in eorum facultate eſt, liberè, vbi libeat, à Religione deſciſcere: ſed, ſi in probatione perſiſtere volunt, debẽt Superioris imperio parere, id enim poſtulat illorum probatio: & in probatione verſari, eſt, ſui ad experiendum copiam facere, & Superiori ſubiici, & obligari; alioquin nolle ſubiici, & nolle parere præceptis,

eſt

eſt nolle probari, & conſequenter velle eiici. Abſolutè verò, & ſimpliciter Nouitium ſtatutis Religionis non alligari, teneo cum Angelo, Sylueſtro, & aliis multis, quos refert Barboſ. *in tract. de appellatiua verborum vtriuſque iuris ſignif. appell.* 233. *n.* 26. Quòd ſi obiicias: Nouitius multis Religionis priuilegiis potitur, & gaudet: ergo etiam ſubiicitur pœnis; nam,
5. qui habet honorem, ſentire etiam, & ſuſtinere debet onus. Reſpondeo, quæ ſpectant ad fauorem, & gratiam, pleniſſimam interpretationem recipere; in odioſis, & pœnalibus reſtrictiorem. Ita tenet Azor. *p.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 20. *de Nouitiorum probat. quæſito* 10. & nos de his latè diximus *alibi*.

6. Ex his ergo ſatis probatum reſtat, Nouitios non ſolùm non obligari per ſe, & directè ad vota Religionis, nec ad leges regulares, vt de communi Doctorum ſententia fatetur Bartholomæus de Vechiis *in prax. Nouitiorum, diſp.* 21. *dub.* 14. vbi ait, Nouitium ſimpliciter non obligari ad obſeruantias regulares: deinde interpretans particulam illam, *ſimpliciter*, ait, cùm Nouitius intendat præſeruare in probatione, debet ſe ſubiicere aliquo modo diſciplinæ religioſæ, quatenus à Prælatis dirigi, gubernarique poſſit: quinimò, durante probationis ſtatu, Prælatus Religionis reſpectu Nouitij ſuſtinet curam proprij Parochi, & Epiſcopi: & licèt ratione voti obedientiæ nequeat Nouitio aliquid præcipere; poteſt tamen illi mandare, etiam ſub cenſuris, ſi neceſſe ſit, quæ Parochus, & Epiſcopus præcipere poſſunt: quia tale præceptum fundatur in iuriſdictione eccleſiaſtica per Summum Pontificem Prælatis conceſſa, cui ſubditur Nouitius ex pacto virtualiter inito cum Religione, quando habitum regularem ſuſcepit. Ita Suar. *loco cit. n.* 18. & Emanuel Sa *in aphoriſ. verbo, Religio, num.* 4. Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato q.* 3. *cap.* 1. *n.* 120.

7. Verum tamen eſt, quòd ſtatuta, & regulares obſeruantias obſeruare deberet Nouitius, vt Religionis auſteritatem experiretur, & ne aliis Religioſis ſcandalum afferret: & ex hac parte obligari poterit aliquando, vel ſtatum religioſum relinquere, vel in rebus publicis ſaltem Regulam obſeruare: licèt enim non teneatur ex voto ad vſum paupertatis; cogitur tamen ex lege iuſtitiæ Religionis bona, vel Romanæ Eccleſiæ non vſurpare, eò quòd ſua non ſint, & ampliorem vſum earum non debet accipere, quàm ei a Superiore concedatur; & ſicut profeſſus conſcientiam ſuam lædit vtendo ſuperfluis rebus, eas largiendo, & diſſipando contra mentem Superioris; ita eodem modo Nouitius poteſt ſe labe peccati coinquinare, non ratione voti paupertatis, ſed legis iuſtitiæ, vt fatetur idem Bartholomæus de Vechiis *loco cit, num.* 3. & 4.

8. Ex his tamen non inferas, Nouitium obligari ad obſeruantiam ſtatutorum regularium, & incurrere pœnas tranſgreſſoribus impoſitas: quia, cùm Nouitius non obligetur per ſe, & directè ad talia ſtatuta Religionis; non videtur particeps huiuſmodi pœnarum, nec peccati. Ita affirmant Angelus *verbo Nouitius*, §. 18. Roſella *eodem verbo, num.* 32. Armilla ſimiliter *num.* 15. Tabiena *num.* 13. Azorius *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 2. *quæſ.* 10. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 7. Emmanuel Sà *verbo, Religio, n.* 8. Sylueſter *eod. verbo* 5. *q.* 6. Campanil. *in diuerſ. iuris, rubr.* 12. *cap.* 3. *num.* 2. Roderiq. *tom.* 1. *qq. regular. qu.* 21. *artic.* 11. Graff. 1. *part. deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. Vechius *loco cit. num.* 1. Coriolanus *de caſibus reſeru. part.* 1. *ſect.* 3. *art.* 18. *num.* 3. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. Reginald. *in praxi, lib.* 18. *num.* 384. Ratio eſt: quia, cùm nondum admiſſus ſit ad profeſſionem; ſed tantùm ad probationem, ad experiendum, an ſit admittendus ad Religionem; non debet ex iuſtitia Profeſſorum legibus adſtringi: debet tamen ex conuenientia eas ſeruare, ne aliis ſcandalum ſit, vt diximus; 9.
tum etiam, vt probet, an poſſit eas ſeruare ex debito, qui fuit finis ſui ingreſſus; licèt in hoc ſit ei etiam aliquid indulgendum, ſicut aduertunt Tabiena, Angelus, Sylueſter, Suarez *locis citatis*: quòd ſi non ſeruet, eiiciendus eſt, vt dicit Coriolanus *loco cit.* & Bariola *in aphoriſ. verbo, Nouitius, in fine.*

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbas, vel Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus, teneatur obſeruare leges, & ſtatuta ſuæ Religionis, & alias obſeruantias monaſticas; & quid ſi ad Papatum aſcendat,

SVMMARIVM.

1 *Religioſus factus Cardinalis, vel Epiſcopus, vota eſſentialia Religionis, mutatis mutandis, obſeruare tenetur.*
2 *Religioſus factus Epiſcopus an ſit dominus redditruum ſuæ Eccleſiæ.*
3 *Sententia probabilior exponitur.*
4 *Regularis factus Epiſcopus obſeruantias regulares, quæ ſtatum epiſcopalem non impediunt, & pontificio muneri non obſtant, ſeruare tenetur: & num. 7*
5 *Religioſus factus Epiſcopus, vel Cardinalis, habitum ſuæ Religionis deferre tenetur.*
6 *Religioſus factus Epiſcopus tenetur Officium recitare, ſecundum ritum ſuæ Diœceſis, non Regulæ.*
8 *Religioſus, antequàm ad dignitatem epiſcopalem aſcendat, conſignare tenetur omnia, quæ habet, Monaſterio; & Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, ſi ante conſecrationem non reſignet, eſt ſuſpenſus ab executione pontificalis miniſterij: vt n. 9.*
10 *Religioſus factus Epiſcopus, licèt non teneatur obedire ſuis Prælatis ſuperioribus; tenetur tamen ex iuramento præſtito, & ex voto obedientiæ Summo Pontifici obedire.*
11 *Religioſus ad parochiale beneficium promotus, an teneatur ad vota, & deferre habitum ſuæ Religionis.*
12 *Religioſus ex Ordine Minimorum ad Epiſcopatum aſſumptus tenetur ad obſeruantiam vitæ quadrageſimalis.*
13 *Religioſus ad Summum Pontificatum euectus, an liberetur ab obligationibus regularibus.*

IN re tam graui, & tanti momenti, ſcitu digniſſima per diſtinctas concluſiones ad maiorem intelligentiam procedendum eſt.

Prima ergo Concluſio: Abbas, ſiue alius Regularis 1.
factus Epiſcopus, vel Cardinalis, tenetur vota eſſentialia obſeruare, mutatis mutandis; nempe, ad caſtitatem ſimpliciter tenetur abſque alio reſpectu; ad obedientiam erga Summum Pontificem, vt latiùs dicemus in concl. 6. Solùm difficultas eſt de modo quoad tertium votum, nempe, paupertatem.

In qua re Sanchez *in Sum. tom,* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. 2.
num. 8. Tannerus 2. *D. Thom. diſput.* 5. *q.* 4. *dub.* 6. *num.* 131. Santarellus *in tract. de Apoſt. cap.* 6. *dub.* 3. *num.* 20. Bartholomæus à S. Fauſto *in theſaur. Relig. lib.* 6. *q.* 190. Barboſa *in collect. tom.* 4. *part.* 2. *cauſa* 18. *q.* 1. *num.* 13. negant, Religioſum factum Epiſcopum effici dominum redditruum eccleſiaſticorum:

quia sic, dicunt isti, absolueretur à voto paupertatis; cùm autem vota à Religiosis emissa in Religione non laxentur, nec limitentur, nisi quatenus obstant muneri episcopali, tanquam maiori bono; non poterunt Religiosi in sententia prædicta effici domini redditTuum ecclesiasticorum: quia sic laxaretur votum paupertatis, quod muneri episcopali non obstat,

3. Alia sententia, quæ mihi probabilior est affirmat, Religiosos factos Episcopos, effici dominos redditTuum ecclesiasticorum, ad instar Episcoporum sæcularium; quia eodem prorsus modo adiudicatur sua portio Episcopo sæculari, ac regulari, cum libertate, & facultate transferendi in alium dominij administrationem: quæ sententia, nisi probabilis esset; sequeretur, quòd aliàs Religiosi Episcopi debent superuacaneè consumpta restituere; & etiam accipientes ab ipsis, eidem restitutioni obnoxij essent. Hanc sententiam docuerunt Sotus *de iustit. lib.7. q. 4. art. 2. ad ult.* Vasquez 1.2. *q.96. art.4. disp.165. cap.8. num.91.* Pater Diana nouissimè *in suis resol. moral. tract.2. de dub. Regul. resol.50.* vbi pro eadem sententia citat Medinam, Palatium, Angles, & alios. Prætetquàm quòd non dicitur proprium possidere ex eo, quòd redditus suæ Ecclesiæ administrat; sed potiùs distribuere: ratione enim sui officij est redditTuum suæ Ecclesiæ dispensator, non dominus, *cap. doctus. cum seqq. 16. q.1. cap.2. §.1. de statu Monach.*

4. Secunda Conclusio: Regularis factus Episcopus, siue Cardinalis, tenetur obseruare eas omnes suæ Religionis obseruantias, quæ non impediunt episcopalem statum. Ita S. Thom. 2.2. *q.185. art.8.* vbi Caietanus, S. Bonauentura *in 4. dist.38. art.2. q 3 ad ult.* S. Antonin. 3. *part. tit.* 20. *cap.3. §.7.* Tostatus *cap.3. Numer. q.* 109. Armilla *verbo, Episcopus, num.8.* Syluester *verbo, Religio,* 6. *q.*10. Rosella *eod. verbo, num.4.* Angelus *verbo, Monachus, num.7.* Valentia *tom.3. disp.10. q.3. part* 8. Nauar. *de redditib. Eccles. monit.* 9. Vasquez 1.2. *disp.* 165. *cap* 8. *num.93. ad finem,* & *in Opusc. de redditib. cap.3. dub.1.* Lessius *de iust. & iure lib.2. cap.40. dub.14. num.113.* Roderiq; *tom.2. qq. regul. q.58. art.3.* Ledesm. *cap.3. de statu Episcopi, concl.* 25. Vega 2. *part. Sum. cap.52.* Tabien. *verbo Episcopus,* § 6. & alij apud Sanchez *lib.6. in Decal. cap.6.*

Probatur à S. Thoma *loco citato*: nam adueniente perfectione præstantioris formæ, non excluditur dispositio illam conseruans, nisi fortasse quoad id, quod perfectioni non congruit: sed status episcopalis se habet ad statum religiosum, sicut forma perfectior ad dispositionem quandam, cùm sit Episcopus velut Magister perfectionis, & Religiosus, sicuti discipulus: igitur regularis obseruantia, quæ potest esse cum statu episcopali, & illius perfectionem custodire, adhuc obligabit Religiosum ad talem dignitatem euectum: tum, quia Religiosus ille Episcopus ad Episcopatum assumptus adhuc manet Religiosus, & verè, ac realiter à statu intrinseco Religionis non est solutus: sed hæc vota sunt essentialia status religiosi; vt habetur *in cap. Cùm ad monasterium. in fine, de statu Monach.* ergo Religiosus ille factus Episcopus, tenetur non solùm obseruare vota essetialia suæ Religionis; verùm etiam ea, quæ sequuntur illa, dummodo muneri episcopali non obstent.

5. Tertia Conclusio: Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis, tenetur deferre habitum suæ Religionis. Ita affirmat Ledesma *loco cit.* Sanchez similiter *loco cit. n.* 22. cum aliis multis, quos citat, & sequitur: habetur etiam *ex cap. Clerici. §. Pontifices, de vita, & honest. Cleric.* vbi habetur, quòd Episcopi, qui Monachi fuerunt, tenentur portare habitum monachalem.

Si quæras, an prædicti Episcopi Religiosi dimittentes habitum suæ Religionis peccent mortaliter, & incurrant excommunicationem latam *in cap. 2. Ne Clerici, vel monachi. in 6.* Respondent Ledesma, & Sanchez *loco cit.* quòd tenentur sub mortali deferre habitum suæ Religionis: eosque incurrere prædictam excommunicationem affirmant Henriquez *lib.3. de Sacram. Ord. cap.33. num.4.* Syluester *verbo, Religio, 7. q.11.* Contrarium tamen Sanchez *lib.6. in Decal. cap.6. num.23.* Rodriquez *tom.2. qq. regul q.58. art.3.* Couarruu. *de testament. cap.1. num.18.* Ledesma *loco cit.* & Diana *loco citato,* Villalobos *loc. cit. tract.35. dub.4. num.19.* Barbos. *in collect. tom 3. lib.3. tit.24. cap.1.*

Quarta Conclusio: Religiosus factus Episcopus 6.
tenetur Officium iuxta ritum suæ diœcesis, non verò iuxta ritum suæ Regulæ recitare. Ita censuit sacra Rituum Congregatio die 11. Iunij, 1605. statuens similiter, eius socium Regularem posse in recitatione diuini Officij cum Episcopo se conformare, & sic Officio satisfacere. Ita Barbosa *de iure eccles. lib.1. cap.44. num. 239.* vbi allegat huiusmodi declarationem sacræ Congregationis Bartholomæus à S. Fausto *in Thes. Religios. lib. 6. quæst. 194. num. 3.* & Diana *in resolut. moral. tract.2. de dub. regul. resolut. 51.* & alij.

Quæres, an Religiosus factus Episcopus teneatur, 7.
saltem sub veniali, ad obseruantias regulares, quæ pontificio muneri non obstant. Respondent Lessius *de iust. & iure, lib 2 cap 40. dub.14. num.112.* Villalobos *in Sum tom.2. tract.35. dub.40. num.6.* Santarellus *tract. de apostasia, cap.6. dub.3. num.14.* Sanchez *in Sum. tom.2. lib.6. cap.6. num.19.* Religiosum factum Episcopum debere illas obseruantias suæ Religionis sequi ex quadam honestate, & debito morali. Ex quo infertur, Religiosum Episcopum, si edat carnes sexta feria, in quam Natalis Domini incidit, contra id, quod præcipitur in sua Regula, non peccare. Ita Barbosa *in collect. tom.4. part.2. causâ 12 q.1. num.5.* Santarellus *loco cit. num.20.* Sanchez similiter *loco citato, num.20.* Cenedo *de paupertate religiosa, dub.43. num.20.* quidquid dicat Caietanus 2.2. *q.185. art.8. dub.1. in fine.*

Quinta Conclusio: Religiosus factus Episcopus 8.
hac lege ligatur, & statuto, vt omnia, quæ habet, antequàm ad talem dignitatem ascendat, teneatur Monasterio consignare. Ita Henriquez *lib.19. de Sacram. Ordinis, cap.33. num.4.* Rodriquez *tom.2. qq. regul q. 58. art.6.* Laurentius de Peyrinis *tom.1. de subdito, q.1. cap.10. §. vnico, concl.2.* vbi fatetur de communi opi-
nione: & ait, quòd ex Ordine Prædicatorum assum- 9.
ptus, si priùs accipiat munus consecrationis, quàm resignauerit Ordini libros, & alia, quæ habet tempore suæ promotionis, eo ipso est suspensus ab executione pontificalis ministerij ex priuilegio dicto Ordini concesso à Clemente IV. & Alexandro IV. in quo priuilegio præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ Fratribus Prædicatoribus promotis, vel promouendis ad dignitates episcopales, vel alias, vt libros, & alia, quæ ipsos promotionis suæ tempore habuisse, vel habere constiterit, submota qualibet dilatione resignent Generali, vel Prouincialibus Ministris: nisi forsitan prædicti Ordinis Prælati vsum huiusmodi rerum illis ad tempus concesserint de gratia speciali. Quo priuilegio gaudent omnes Religiones cum ipsa communicationem habentes, vt notat Passarellus *in Compend. priuileg. Minimorum, pag.35.*

Sexta Conclusio: Religiosus factus Episcopus, 10
licèt non teneatur obedire Superioribus suæ Religionis; non tamen eximitur à voto obedientiæ; sed eam debet Summo Pontifici, non eo modo, vt ait Sotus *de iustitia, lib. vlt. q. vlt. art. vlt.* quia Summus

Pontifex

Pontifex est omnium Religiosorum Supremus Prælatus, & omnes Christiani fideles tenentur Summo Pontifici obedire; sed alia peculiari debita ratione iuramenti, quod omnes Episcopi præstant Summo Pontifici, & insuper alia peculiari obedientia ratione ipsius voti, quod omnes Religiosi in solenni professione emittunt, vt fatentur Suárez *tom. 2. de Religione, tractatu de voto, lib. 6. cap. 7. num.* 10. Henriquez *lib.* 10. *de Sacram. Ordinis, cap.* 33. Bartholom. à S. Fausto *de voto obed. lib.* 6. *q.* 171. Et quòd à tali voto obedientiæ non sint Religiosi facti Episcopi absoluti, vt falsò putauit Angles 2. *part. quæst. vnic. de voto*, affirmant contra eum ferè omnes Doctores, & præcipuè S. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. *ad* 4. Sotus *loc. cit.* Nauarr. *comm.* 5. *de Regul. num.* 46. Henriq. *loco cit. cap.* 32. *num.* 5. Valentia 2. 2. *disp.* 10. *q.* 3 *punct.* 8. Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 7. *quæst.* 1. Lessius *de iustit. & iure, lib.* 2. *cap.* 40. Vasquez 1. 2. *q.* 96. *art.* 4. *disp.* 165. *cap.* 4. Caietan. 2. 2. *q.* 105. *art.* 8. qui licèt non omnes fateantur de hac peculiari obligatione erga Summum Pontificem; affirmant tamen, Religiosum prædictum non esse solutum à voto obedientiæ. Ex quo infert Bartholomæus à S. Fausto *loco cit* quòd Summus Pontifex virtute voti obedientiæ potest præcipere Religioso ad Episcopatum prouecto omnia, quæ sunt secundùm Regulam suæ Religionis, sicut poterant præcipere Superiores illius Religionis, antequàm ad Episcopatum assumeretur. Ratio est: quia votum obedientiæ secundùm Regulam in Religione emissum, non est cassatum, sed integrum perseuerat respectu Pontificis, qui potest Religiosum illum ad Religionem reducere: quia respectu Summi Pontificis votum obedientiæ in illa Religione emissum manet illæsum, & priuilegio solius Pontificis fuit ille Religiosus exemptus ab obedientia Prælatorum Religionis, & sic poterit Religiosus ille ad pristinam Religionis obedientiam reduci à Summo Pontifice. Ita Vasquez *loco cit. num.* 93. & sic Episcopus depositus rediens ad Monasterium, vel indigeret nouo obedientiæ voto, vel vt denuò Summus Pontifex omnium Religiosorum supremus Prælatus eum subiiceret Religionis Prælatis ad hoc vt teneretur illis obedire: quia cùm omninò amotus fuerit ab obedientia Prælatorum suæ Religionis, quando fuit factus Episcopus, non poterit se illis obstringere, nisi nouo voto, aut nisi Summus Pontifex Superioribus Religionis illius subiiceret.

11. Si quæras de Religioso ad beneficium parochiale alicuius Ecclesiæ promoto, an teneatur prædictis votis, & portare habitum suæ Religionis, & præcipuè voto obedientiæ suorum Prælatorum. Barbosa *de iure ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 44. *num.* 240. ait, quòd Religiosus ad beneficium parochiale promotus, tenetur votis suæ professionis, & portare habitum suæ Religionis. Quo verò ad obedientiam Prælatorum Religionis, procedendum est cum distinctione. Nam, si Ecclesia illa nullatenus subiiciatur Prælatis Monasterij, eximitur Religiosus ab obedientia Prælatorum Religionis, *ex cap. Parochia.* 16. *q.* 1. & subiectus manet Episcopo: si verò subiiciatur Prælatis Religionis quoad sola temporalia, eximitur quoad spiritualia ab obedientia illorum Prælatorum *ex cap. Visis.* & *cap. Sanè.* 16. *q* 2. Si autem subiecta est Prælatis Religionis quoad omnia, manet plenè illis subiectus. Ita Syluester *verbo, Relig.* 7. *q.* 11. Cucchus *lib.* 3 *instit. moral. tit.* 1. *num.* 158. Emmanuel Roder. *qq. regul. tom.* 1. *q.* 34. *art.* 6. Sanchez *in precep. Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *num.* 39. vbi ait, talem Parochum Regularem ab iis solùm obseruantiis regularibus absolui, quæ in Ecclesia sæculari simul cum munere parochiali commodè seruari nequeunt, & teneri illum ad obseruantias, quæ suum officium non impediunt: imò *num* 38. resoluit prædictum Monachum parochum absolutum esse à diuino officio iuxta ritum suæ Religionis persoluendo, cùm illud recitare teneatur, & persoluere secundùm ritum suæ Ecclesiæ.

Septima Conclusio: Religiosus ex Ordine Minimorum assumptus ad Episcopatum tenetur ad obseruantiam vitæ quadragesimalis. Ita Montoya *in Chronic. Minim. cap.* 13. §. 9. Vasquez 1. 2. *disp.* 155. *cap.* 8. *num.* 89. Ledesm. *part.* 2. *Summa, cap.* 3. *de stat. Episcop. concl.* 25. *d.* 2. Hoc idem videntur asserere Caietanus 2. 2. *q.* 185. *art.* 8. *dub.* 2 Sotus *de iustit. lib. vlt. q. vlt. art. vlt. concl.* 7. Valentia *tom.* 3. *disp.* 10. *q.* 3. *punct.* 8 quatenus dicunt isti Authores non teneri ad Regulares obseruantias ex præcepto, & vi coactiua: secùs autem esset de votis: quia hæc expressè vouit. Et probatur: quia talis Religiosus tenetur obseruare Religionis essentialia, vt docet S. Thomas 2. 2. *q* 88. *art.* 11. *ad* 4 sed votum vitæ quadragesimalis in Ordine Minimorū est quid essentiale in Ordine illius Religionis: ergo ad illud tenetur supradictus Religiosus factus Episcopus. Vnde Laurentius de Peyrinis *tom.* 1. *de subd. regul. q* 4. *cap.* 2. ait, quòd obseruantiæ vitæ quadragesimalis votum obseruatum fuit ab Episcopis, qui ex sua Religione egressi sunt; imò meliùs obseruare possunt huiusmodi votum prædicti Religiosi ad Episcopatum assumpti ex sufficientia ciborum quadragesimalium, quàm pauperes Religiosi illius Congregationis. Nec poterunt excusari, vt de facto à quibusdam Scriptoribus excusantur, non teneri propter graues curas episcopales: quia Generalis eiusdem Ordinis, qui est in continuo motu, & laboribus, obseruat vitam quadragesimalem. 12.

Si dicas, quòd qui ab inferiori ad superiorem gradum ascendit, non tenetur ad ea, quæ sunt inferioris gradus, vt patet de Religioso erga ea vota, quæ in sæculo emisit: sed Religiosus, qui assumitur ad Episcopatum, ascendit ad perfectiorem, imò perfectissimum: ergo non tenetur Religiosus factus Episcopus obseruare ea, quæ vouit in Religione.

S. Thomas respondet huic argumento *loco citato q.* 85. *art.* 8. quòd vota sæcularis se habent ad vota Religionis, sicut particulare ad vniuersale: quia illa sunt quorundam particularium operum, & homo per Religionis votum se totum Deo deputat: vnde, cùm particulare in vniuersali includatur, mirum non est, quòd per Religionis votum cessent omnia vota in sæculo facta: vota autem Religionis, & in Religione facta se habent ad episcopalem dignitatem, sicut dispositio ad perfectionem; ideò non cessant adueniente tali dignitate, cùm dispositio adhuc necessaria sit obtenta perfectione. Videatur Peyrinus *loco cit.* vbi de hac re fusiùs.

De Religioso verò ad culmen omnium dignitatum, scilicet, Summum Pontificatum euecto, an eo ipso à Religionis votis sit absolutus, posset ex his, quæ *supra* diximus: meritò dubitari. Nauarrus *comment.* 2. *de Regul. num.* 17. & Aragon. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 11. dicunt, non esse liberum: quia militant in eo rationes *supra* traditæ de Regulari assumpto ad Episcopatum; & per accidens est, vt omninò nulli subditus sit, ex eo, quòd in terris Superiorem non habeat. Et Aragon. *loco cit.* addit, dominium bonorum temporalium manere apud Christum Dominum; non tamen est incapax dominij acquirendi, si de facto contra paupertatis votum vellet acquirere: quia huiusmodi incapacitas non prouenit ex natura voti; sed ex Ecclesiæ constitutione, cui Pontifex non subditur. 13.

DISPVTATIO IV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium circa Regulam.

QVÆS. I. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares teneantur suam Regulam, & omnia in ea contenta obseruare.

II. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint immunitates, & libertates subditis concessas coarctare.

III. Vtrùm Religiosus teneatur obedire Prælato, nedum in iis, quæ secundùm Regulam; sed etiam in iis, quæ sunt infra, supra, vel etiam contra Regulam; ita vt nouæ Regulæ institutæ parere debeat.

IV. Vtrùm omnia contenta in Regulis sanctorum Patrum, & præcipuè S. Benedicti, obligent ad peccatum mortale.

V. Vtrùm Regulam Religiosorum consuetudine laxatam teneantur Professi obseruare prout stat in primo rigore, etiam antequam per Abbatem Generalem, & Capitulum reformetur.

VI. Vtrùm subditi Regulam propriam iam collapsam, seu relaxatam à Prælatis superioribus ad pristinum statum redactam cum maiori parte Capituli obseruare teneantur.

VII. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis possit in præceptis Regulæ dispensare.

VIII. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis possit in omnibus Regulæ statutis cum subditis dispensare.

IX. Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis possit dispensare in Regula ad libitum, & sine causa.

X. Vtrùm Abbates, vel alij Prælati Regulares possint indifferenter dispensare cum suis subditis in mandatis Regulæ.

XI. Vtrùm Abbates, & Prælati dispensantes in propriis legibus sine causa peccent: & quid de subditis dispensationem petentibus; & an dispensatio talis valida sit?

XII. Vtùm Abbates, & alij Prælati Regulares possint etiam secum ipsis in præceptis Regulæ dispensare.

XIII. Vtrùm Abbates, vel alij Prælati Regulares possint compellere suos subditos ad recipiendam dispensationem à seipsis factam.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbates & Prælati regulares teneantur suam Regulam, & omnia in ea contenta obseruare.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte negatiua.*
2 *Abbates, & Prælati regulares suam Regulam obseruare tenentur.*
3 *Responsio ad obiecta.*
4 *Regula S. Benedicti quid circa hoc decernat.*
5 *Religiosus adstringitur præceptis Regulæ suæ secundùm præscriptum eiusdem Regulæ.*

1.
IDETVR, quòd non: quia Regulæ monasticæ, & præcipuè Benedictina, omnia in dispositione Abbatis relinquunt: ergo respectu suæ Regulæ Abbas quoddammodo constituitur Superior, & Legislator: sed Superior propriis legibus non ligatur: ergo Abbas non tenebitur seruare Regulam, respectu
2. cuius est Superior constitutus. Dicendum tamen est, teneri Abbatem ad obseruantiam suæ Regulæ: quod probatur ex ipsis monasticis Regulis, quæ sui obseruantiam omnibus sub se militantibus præcipiunt; & præcipuè ex Reg. S. Bened. *cap.* 3. vbi per verba hæc expresse colligitur nostra conclusio: *In omnibus igitur omnem magistram sequantur Regulam, neque temerè ab ea declinetur à quoquam.* quæ verba extenduntur tam ad Monachos, quam ad Abbates; vt benè notant *in suis Comment. eod. cap.* Card. Turrecr. & Pet. Diac. Cassin. & B. Theuzonius noster Vallumbrosanus, & communiter omnes *ibi* scribentes: & præcipuè Antonius Perez *in Comment. d. Reg. cap. 3. n. 11.* vbi ait, quòd tam subditi, quàm Prælati per omnia sese Regulæ attemperent, & omnino subiiciant, & quisque suum munus expleat, subditi obediendo, & Prælati imperando, aliàs quid momenti Regula haberet, certè nullum in bonum, sed maximè in malum, vti cùm à Domino dictum est Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Præsertim, quòd, vt ipse iterum ait Lucæ cap. 12. *Seruus sciens voluntatem domini, & non faciens, plagis vapulabit multis.* At qui sciens fecerit, maxima bona acquiret, cùm scriptum sit ad Galatas 6. *Quicunque hanc Regulam secuti, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Quod etiam probatur ratione: quia in Regula præcipitur obedientia Monachorum erga Abbates, & omne id, quod est ipsius obedientiæ consecutiuum: necnon quicquid ad benè suum officium obeundum attinet, obseruare debeat Abbas: aliàs nullius esset momenti Regula. Probatur insuper hoc expresse *ex ead. Reg cap.* 3. per ea verba: *Ipse tamen Abbas cum timore Dei, & obseruatione Regulæ omnia faciat, sciens, se proculdubio de omnibus iudiciis suis, æquissimo Iudici Deo rationem redditurum.* Ex quibus clarè colligitur, Abbatem in omnibus Regulæ obseruationem attendere debere.

Ad

3. Ad argumentum respondeo, Abbatem non constitui Superiorem Regulæ; sed in aliquibus dispensatorem, vt dicetur infra, ideo falsum erit consequenter, illum esse Legislatorem respectiuè ad Regulam, quæ tanquàm lex à sanctis Legislatoribus instituta fuit, & vt vera Monachorum lex ab Ecclesia approbata, & tam Monachis, quam Abbatibus obseruanda tradita. Ideo tanquam lex allegari potest, & consuluit Ioan. de Anania *in cons.62 incip. In nomine sancta, & indiuidua Trinitatis. Visis, & ponderatis priuilegiis* in 1. dubio. refert, & sequitur Collegium Bononiense *cons.2. post.consilia.* Card. Zabarellæ *n* 41.

4. Ad hæc omnia confirmanda S. P. Benedictus *in eadem sua Regula, cap.2.part.2.* vt demonstret, Abbatem esse debere verè Regulæ obseruatorem factis, & operibus, & non tantum verbis, ait: *Cum ergò aliquis suscepit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est omnia bona, & sancta, factis, plus quàm verbis ostendere, vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat, duris verò corde, & simplicioribus factis diuina præcepta demonstret.* Quæ quidem verba videntur satis illustrata à Concilio Turonensi III. sub Carolo magno *cap.4* sub his verbis: *Sint Abbates suis subditis benè viuendo duces, & prauis viam demonstrent, qua rectè gradiendo ad meliorem vitam peruenire valeant.* Similiter Concilium Aquisgranens. *de ordinando Rectore,* & Concilium Parisien. III. *lib.1.cap.37.* & Rhemense *cap.23.* vnanimiter affirmant: *Vt Abbates Gregibus sibi commissis instanter inuigilent, & geminam eis pastionem impendant, quatenus absque murmurationis vitio seruire valeant.* Si ergo Abbas non esset suæ Regulæ perfectus obseruator non posset verbo, neque exemplo suis Monachis ducatum præstare, sicut omnia iura monastica clamant. Ita Isidorus Hispalensis *epist.25, ad Abbatem Hisburgensem,* vbi ait, quòd tam doctrina quàm vita debet Abbas fulgere, præsertim in obseruantiis regularibus: nam doctrina sine vita arrogantem reddit Doctorem: & vita sine doctrina facit illum inutilem, Hinc est, quòd Dominus ad Apostolos, & Prælatos dicat: *Vos estis sal terræ: vos estis lux mundi,* propter doctrinam: *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est,* propter exemplum.

Quo verò ad ea, quæ in Regula contenta sunt, cauendum est, quòd quatuor rerum genera in omni Regula continentur. Primi generis sunt, quæ præcipiuntur iure diuino, naturali, aut ecclesiastico, secundi generis sunt, quæ ad vota Religionis spectant, nimirum, essentialia: tertij generis sunt supererogationis opera: quarti verò generis, obseruantiæ cuiuslibet Religionis: quibus positis,

5. Dicendum est, omnes Abbates, aliósque Religiosos promittentes seruare Regulam aliquam, se obligare ad res in ea contentas eo modo, quo in ipsa continentur; nimirum, si continentur, tanquam præcepta obligantia sub mortali, tenentur ad ea sub mortali: si solùm vt obligantia ad veniale, tenentur sub veniali: si vt opera supererogationis, ad nullam culpam obligabuntur. Ratio manifesta hoc suadet quia, qui profitetur aliquam Regulam seruare, non promittit in ea singula contenta, sed tantùm viuere secundùm Regulam, & tendere ad reformationem suorum morum secundùm illam, sicut secundùm quoddam exemplar: ergo eodem modo intelligitur obligari, quo Regula præscribit, & obligat, alioquin status Religionis esset periculosissimus, cùm multa particularia, & minutiora in Regulis descripta sint, quæ à viris perfectissimis vix obseruari possunt. Hæc colliguntur ex S. Thom. 2. 2. q.186. *art.9.* & Vasquez 1. 2. q. 96. *art.4. disput.162. cap 4.num.6.*

& nouissime Bartholomæus à S. Fausto hæc omnia insinuans *in thesaur. Relig. lib.6. q.109.* subdit, hoc verissimum esse, etiamsi profitens intenderet, se obligare sub mortali ad singula, quæ in Regula continentur, putans ex errore ita velle Institutorem Regulæ: quia re vera intendit profiteri, vt consuetum erat in tali Religione; & maior obligatio est inuoluntaria, vtpote quæ ex errore processit. Ita ille. Ex quo sequitur, omnia contenta in Regula, quæ sub præcepto alio mortali debita sunt, obligare sub mortali; quæ etiam seclusa Regula ad mortale obligarent.

QVÆSITVM II.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint immunitates, & libertates subditis concessas coarctare.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares possunt libertates, & immunitates in Regula subditis concessas coarctare.*

2 *Libertates, & immunitates Monachis concessas coarctare non potest Abbas, seu alius Superior, quando in Regula, seu Constitutionibus sibi prohibetur.*

CVm distinctione huic quæsito respondendum nobis videtur: nam, si libertates, & immunitates in Regula Monachis concessæ sunt; neque Abbati potestas, eas ex parte, vel in toto, in casu occurrenti ex iuxta causa coarctandi adimatur; dicendum est, tunc posse Abbatem eas coarctare, ac Monachos ad illi obtemperandum teneri; quoniam, etsi nequeant Abbates in vniuersum huiusmodi immunitates mutare; possunt tamen aliqua iusta de causa illas coarctando, Regulæ obseruationem sub pœna peccati præcipere; maximè, nisi sibi (vt dixi) in Regula vel Constitutionibus coarctatio hæc prohibeatur. 1.

2. Si verò Monachis supradictæ immunitates ita concessæ sint, vt supra eas Abbas nullam habeat iurisdictionem, non poterunt tunc ab ipsis coarctari: quia præceptorum Regulæ limites excederet. Ita Cordub. *in Reg. D. Franc. cap. 10. quæst. 2.* Lauren. de Peyrin. *de subdito, quæst.1.cap 8.§.vlt.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm Religiosus teneatur obedire Prælato, nedum in iis, quæ sunt secundùm Regulam; sed etiam in iis, quæ sunt infra, supra, vel etiam contra Regulam, ita vt noua Regula instituta parere debeat.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus non solùm ex voto obedientiæ tenetur obedire Abbati in his, quæ spectant ad obseruantias regulares; verùm etiam in his, quæ sunt omnibus Christianis communia*

2 *Prælati præceptum, fundatum in aliqua falsa præsumptione, an teneatur subditus exequi.*

3 *Regula noua an imponi possit ab Abbatibus & Prælatis Regularibus à subditis obseruanda.*

4 *Statuta arctiora an possint Prælati, inuitis subditis, condere.*

5 *Religiosi propriam voluntatem omninò in suos Superiores transtulêre.*

6 *Prælatus*

6 *Prælatus quomodo possit præcipere aliquid subditis secundum Regulam.*

7 *Prælatus an possit præcipere aliquid subditis supra Regulam.*

8 *Voluntatis propria subiugatio in Superiorem est omnino libera, & voluntaria.*

9 *Prælatus an possit aliquid contra Regulam subditis suis præcipere.*

10 *Prælatus nullum habet dominium supra Regulam, quã illud, quod sibi à propria Regula cõceditur.*

11 *Prælatus an possit subditis aliquid præter Regulam præcipere.*

12 *Prælatus an possit aliquid subditis præcipere, quod sit intra Regulam.*

13 *Potestas præcipiendi, sicut & obligatio obediendi, variantur secundùm diuersitatem Regularum.*

14 *Summus Pontifex an possit cogere Regularem ad arctiorem Regulam seruandam, quam non est professus, & num. 16.*

15 *Religiosi vltra debitum, quod habent cum aliis Christianis, obediendi Summo Pontifici, habent etiam aliud debitum ratione voti obedientiæ.*

IN hac re procedendum est cum distinctione: vel enim sunt directè secundum Regulam, & explicitè; vel indirectè, & implicitè. Si expressè, & directè, hoc modo pertinent ad Regulam ea tantùm, quæ in eius statutis continentur: si verò indirectè, & implicitè, ea pertinent ad Regulam, quæ, licèt in ea non exprimantur, in vniuersum tamen in Regula continentur, tanquàm necessaria ad illam obseruandam, vt sunt mutua obsequia, sine quibus religiosus status nequit conseruari; & ea similiter, quæ spectant ad pœnas transgressionum regularium, quæ omnia spectant ad conseruationem regularis Instituti, vt benè docent S. Thomas *quodlib.* 10. *art.* 10. & *in* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *art.* 3. & *ibi* Durand. *q.* 4. *num.* 5. Syluester *verbo*, *Religio*, 6 *q.* 6. Angelus *verbo*, *Religiosus*, *num.* 29. Rosella *verbo*, *obedientia*, *num.* 10. Caiet. 2.2. *q.* 88. *art.* 8. *dub. vlt.* Cordub. *in exposit. Regul. S. Francisci*, *cap.* 10. *q.* 2. *dist.* 6. Leonardus Lessius *de iustit. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. Tapia *authent. ingressi*, *verbo ipso, ingressi*, *cap.* 1. *num.* 44. & 59. *C. de sacros. Eccles.* Gabriel Vasq. 1.2. *q.* 95. *art.* 2. *disp.* 154. *n.* 20. Sanch. *in præcept. Decal. lib.* 6 *c.* 2. *n.* 9.

1. Ex quo *sub num.* 10. aduertere licet, Religiosum non tantùm teneri ex voto obedientiæ obedire Abbati præcipienti ea, quæ sunt peculiaria Religionis; sed etiam illa, quæ sunt omnibus Christianis communia: vt, si Religiosus iubeatur Sacrum audire, & ieiunare illis diebus, quibus in Ecclesia hæc præcipiuntur: hæc quippe pertinent indirectè ad Regulam, tanquàm præambula necessaria: quod priùs docuerat Caietanus 2.2. *q.* 186. *art.* 5. *in solutione ad primum* & multa alia huius generis possunt præcipi ab Abbate suis Monachis, quæ hic, breuitatis gratia, omittuntur. Possunt etiam pertinere indirectè ad eam Regulam pœnæ pro transgressoribus ipsius Regulæ, & etiam pœnæ pro omnibus alijs delictis ex iure consurgentibus, in quibus tenetur Monachus obedire. Ita Durandus *loco cit. q.* 4. *num.* 5.

2. Dices, quando præceptum Abbatis fundatur in falsa præsumptione circa huiusmodi Regulæ obseruantiam, teneturne Monachus ei obedire? Respondeo, non teneri, dummodo cesset scandalum: vnde, si ea pœna sit secretò exequenda, non tenetur subditus ad illam; si verò in publico executioni sit mandanda tenetur propter exemplum aliorum. Ita docent Nauarr. *in Sum. cap.* 23. Vasquez 1.2. *q.* 96. *art.* 5. *disp.* 174. *cap. vlt. n.* 26. Tapia *loco cit. n.* 58.

3. Quo verò ad aliam Regulam, & statuta arctiora pro subditis condenda, certum est, non posse Prælatos, etiam superiores, maiores, & cum consensu maioris partis Capituli generalis, aliam nouam Regulam imponere subditis suis, siue statuta noua arctiora facientia nouam Religionem. Ratio est: quia obligatio Religiosi tota est ex suo voto, quæ quidem obligatio solùm denotat ea, quæ explicitè, vel implicitè, vt diximus, continentur in Regula. Ita Bartholomæus à S. Fausto *in thesaur. Relig. lib* 6. *q.* 100. Secùs tamen dicendum est, si Superior Generalis cum consensu Capituli alia conderet statuta strictiora ad reformationem Regulæ iam promissæ, & ad integram eius obseruantiam. Ratio est: quià huiusmodi statuta non sunt supra Regulam, sed secundùm Regulam, & inclusa in voto obedientiæ: quod habetur diffinitum in Concil. Trid. *sess.* 5. *cap.* 1. *de Reform.* vbi sancta Synodus. *Necessarium esse censuit, quò faciliùs, ac maturiùs, vbi collapsa est vetus, & regularis disciplina, instauretur, & constantiùs, vbi conseruata est, perseueret, præcipere, prout hoc decreto præcipit, vt omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad Regula, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ aliæ sunt alicuius Regulæ, & ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectiuè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conseruanda pertinentia, fideliter obseruent. Omnisque cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur, tam in Capitulis generalibus, & prouincialibus, quàm in eorum visitationibus, quas suis temporibus facere non prætermittant, vt ab illis non recedatur; cùm compertum sit, ab eis non posse ea quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent relaxari; si enim illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum corruat ædificium, necesse est.*

Ex quo licet inferre, improbabilem esse sententiam, 4.
dicentium, posse Superiores Religionis cum maiori parte Capituli, inuitis aliis, noua statuta arctantia singulos Religiosos ad arctiorem vitam condere, ex eo, quòd Religiosi propriam voluntatem omninò in 5.
suos Superiores transtulère: quod ego non nego: sed dico, procedendum esse in hac propositione cum limitatione; nimirum, quòd subditi transtulerunt propriam voluntatem secundùm essentialia Regulæ: ideò dicit Concilium suprà citatum: *Vt omnes Regulares tam viri, quàm mulieres, ad Regula, quam professi sunt præscriptum vitam instituant, & componant*, &c.

Supradictam sententiam sequuti sunt Archidiac. *cap.* 2. *dist.* 74. *in fine.* Innocent. *cap. Super eo. de Regul. in fine*, vbi Abbas *num.* 6. & Card. *num.* 2. *q.* 4. & Henricus *num.* 10. & 11. & Alexander de Neuo *n.* 6. Præpositus *cap. Ante triennium. vers. Tamen si per statutum dist.* 31. Rosella *verbo*, *lex*, *num.* 5. Contra quos disputant constanter Turrecremata, & Decius *in cap. Ad nostram. in noua edit. n.* 9. *de appell.* Felin. *cap. Cùm omnes, num.* 55. *vers. Pro qua fallentia. de const.* Angelus *verbo*, *Religiosus*, *num.* 19. Tabiena *eodem verbo, q.* 21. *n.* 12. Syluester *verbo*, *Religio*, 6. *q.* 6. Armilla *eod. verbo*, *num.* 10. Cordub. *in exposit. Regul. D. Francisci*, *cap.* 10. *q.* 2. *disp.* 6. Vasquez 2.2. *q.* 95. *art.* 2. *disput.* 154. *cap.* 4. *num.* 25. Tapia *authent. ingressi, verbo ipso, ingressi*, *cap.* 1. *num.* 70. *C. de sacros. Eccl.* Roder. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 44. *art.* 1. *Bannes* 2.2. *q.* 1. *art.* 10. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 13. *cap.* 8 *q.* 2. qui omnes dicunt non posse Prælatum arctiora statuta subditis præcipere; sed sola ea, quæ sunt secundùm Regulam, siue directè, siue expressè, siue indirectè, siue implicitè ad eam spectantia: & ideò subditus non tenetur obedire Prælato iubenti, quæ ad Regulam nullo ex his modis reduci possunt, quæ sunt ita indifferentia, & vana, vt sint omninò præ-

tcr

ter Regulam. Sed pro maiori intelligentia huius rei, quæ à Doctoribus valde agitatur,

6. Notandum est, Abbates, & Prælatos Regulares posse pluribus modis aliquid Monachis suis præcipere. Primò secundùm Regulam, eo modo, vt diximus, si contineantur in ea directè, & expressè, siue indirectè, & implicitè: quo modo tenetur subditus simpliciter obedire, vt communis Doctorum sententia fatetur. Ita S. Thom. 2.2. q. 105. art. 5. ad 3. & quodlib. 10. art. 10. in corpor. & in 2 dist. 44. q. 2 art. 3. vbi S. Bonauent. art. 3. q. 2. & Durand. q. 4 art. 4. & Riccard. art. 3. q. 2. ad 1. & Paludanus in 4. q 4. art. 2. num. 24. Maior similiter in 4. dist. 38. q. 15. in fine, S. Antonin. 3. p. tit. 16 cap. 1. §. 9. Angelus verbo Religiosus, num. 19. Syluester verbo, Religio, 6 q. 6. Rosella verbo, obedientia, num. 10. Tabiena eod. verbo, q. 5. num. 6 Driedo lib. 2. de libert. Christiana, cap. 1. post secundam propositionem. Caietanus 2. 2. q. 88. art. 8. Cordub. loco cit. cap. 10. q. 2 punct. 6. Sotus lib. 7. de iustit. q. 3. art. 1. dub. 2. vers. in secundo ordine, Nauarr. in Sum. cap. 23. & in commentar. 4. de Regul num. 23. Cucchus lib 3. instit. maior. t 1. n. 112. Galarz in opusc. de claus. Monial. in princ. Sess. de largit. mun. Regul. interdict. num. 10. & 11. Palatius in 4 distinct. 38. disputatione 1. fol. 834. Angles in florib. 2. part. q vnic. de voto, art. 2. difficult. 15. Roderiq. 2. tom. Summ. cap. 9. num 1. & tom. 3. qq. Regul. q. 19 art. 3. Leonardus Lessius lib. 2. de iust. & iure, cap. 4. dub. 9. num. 76. Toletus in Summ. tract. de septem peccat. mortal. cap. 16. num. 1. Valentia 2. 2. disput. 7. q. 3. punct. 2. in fine. Vasquez. 1. 2. q. 95. art. 2. disput. 154. cap. 4. num 21 Beltramus de voto paupert. cap. 4. in fine, Azor. tom 1. institut moral. lib. 13. cap. 11. q. 19. Tapia loco cit. num. 41. & 59. Bartholomæus à S. Fausto in thesaur. Relig. lib. 6. q. 101. & Laurentius de Peyrinis tom. 1. de subdito, q. 1 cap. 8. concl. 1

7. Secundo modo potest Prælatus præcipere supra Regulam, in quo casu subditus non tenetur obedire. Ita D. Thom loc. cit. S. Antonin. 3 part. tit. 16. §. 9 Rosella verbo obedientia, num. 10. Tabien, eod. verbo, q 5. num... & Armilla similiter num. 4. Angelus verbo, Religiosus num. 28. Sotus loco cit q 3. art. 1. dub. 2. Caietan. loco cit. art. 8. dub vlt. vers. Ad primum. Nauarr. comment. 4. de Regul num. 21. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 15. Sed hoc indiget limitatione, scilicet: Nisi forsan imponatur præceptum à Superiore in pœnam alicuius delicti; vel hoc sit necessarium ad seruanda vota, vt dicunt ferè omnes citati Doctores. Probatur: quia subiugatio propriæ voluntatis in Superiorem est omninò libera, &

8. voluntaria; sub certis tamen finibus, & limitibus, nempe, professæ Regulæ, ad quam profitendam nullo iure, vel lege poterat cogi subditus, ante quam ipsam Regulam profiteretur, vt benè dicit D. Thom. quodl. 3. art. 13. ergo non decet postquàm est professus Regulam, cogere subditum ad obseruandum aliquod excedens Regulam, & suam iam obligationem ratam, & promissam, quod esset contra iustum. Hinc est, quòd dicebat S. Bernardus de dispens. & præcept. *Prælati, iussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis: nec vltrà extendi potest, ne contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi: nec plus exigat, quàm promisi: vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate* & infrà: *Monentes eos, non cogentes ad celsiora condescendentes eis, cum necesse fuerit, ad remissiora.*

9. Tertio modo Prælatus potest præcipere subdito aliquid contra Regulam, de qua re etiam tractaui in 2. tom. disput. de voto paupertatis. sicut etiam de aliis superioribus modis præcipiendi, & subsequentibus; & præter ea, quæ ibi dixi, addo in hoc tertio modo, non teneri subditum obedire præcipienti Prælato Ita S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 5. Toletus in Sum. lib. 8. cap. 16. num 2. Nauar. in cap. 23. num. 38. Caiet. 2. 2 q. 104. art. 5. cum eodem S. Thom. S. Antoninus 3. part. tit. 16. cap. 1 §. 9. Tabiena verbo obedientia, num 10. Rosella eod. verbo, similiter n. 10. Angelus verbo, Religiosus, num. 19. & Syluester verbo, Religio, 6. q. 6. Lessius de iustitia, & iure, lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 76. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 3. num. 8. Miranda tom. 1. Manual Prælat. q 26. art. 8. Maior. in 4. dist. 38. q 15. in fine. Cordub. in Regul. D. Francisci, cap. 10. q. 2. punct 2. Valent 2. 2. disp. 2 quæst. 3. punct. 2. in fine. Tapia loco supra citato, num. 56. qui ferè omnes affirmant, non teneri subditum parere Superiori præcipienti aliquid contra Regulam nisi forsitan Abbas posset super illo puncto dispensare. Quod probatur: quia Prælatus nullum aliud super Regulam dominium habet, præter 10
illud, quod sibi ab eadem Regula conceditur. Quòd si haberet facultatem dispensandi super Regula, in dispensatione rationabiliter facta tenetur subditus suo Superiori obedire: nam tunc non contra Regulam, sed secundùm ipsam præcipit: dum autem subditus non est certus, an subsit dispensandi iusta causa, vel etiam facultas in Prælato, adhuc obedire tenetur. Ita Angelus, Syluester, & Tabiena locis citatis.

Quarto modo potest Superior præcipere aliquid 11.
subdito præter Regulam, id est, indifferentia, prout à Doctoribus appellantur: quæ quidem indifferentia sunt in duplici discrimine secundùm D. Thom. Primò quæ nullo modo pertinent ad Regulam, vt, verbi gratia, aspicere aues volantes, leuare festucam. & alia huiusmodi. Secundò, quæ pertinent ad conseruationem Regulæ, vt sunt, verbi gratia, obsequia subditorum cum Prælato, & alia huiusmodi: hoc secundo modo Prælato præcipienti tenetur subditus obedire; quia, quæ præcipiuntur, aliqua ratione ad Regulam reducuntur, & non sunt ex illis, quæ simpliciter, & omnino extra Regulam sunt; sicut sunt ea, quæ primo modo indifferentia diximus: nam hæc præcipienti Prælato non tenetur subditus obedire. Ita D. Thom. in 2. dist. 44. q. 2. art. 3. in corp. Armill verbo obedientia, n. 4 Rosella eod. verbo n. 10. Sanctus Antonin. 3. pars tit. 16. cap. 1. §. 9. vers. Secundo, dico. Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. q. 26. art. 9. Tabien. verbo, obedientia, num. 5. Syluester verbo, Religio. 6 q. 6. Probatur ex eod. D. Bernard. de dispens. & præcept. vt superiùs diximus: *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltrà extendi potest, nec contrahi citra.*

Quinto modo potest Prælatus subdito præcipere ea, 12.
quæ sũt infra Regulã. id est, laxiùs, quàm Regula præscribat: quod potest dupliciter contingere, vt notat Peyrinus tom 1. de subdito q. 1. ante 1. concl. vel enim nulla ratione nititur, quod iubetur, vel subest aliqua ratio iubendi. Exempli gratia, Regula singulis diebus præscribit vnam horam orationis mentalis: coarctat Prælatus ad mediam horam, cuius coarctationis potest esse aliqua ratio, nimirum, debilitas subditi, vel aliquod opus faciendum; vel huius coarctationis nulla redditur ratio; sed tantùm fit pro libertate Superioris. Dico ergo, Prælato præcipienti ea, quæ sunt infra Regulam, subditus non tenetur obedire, nisi fortè subsit aliqua causa rationabilis taliter præcipiẽdi, vt dicunt Angelus, Syluester, Rosella locis citatis, & Lessius de iustit. & iur. cap. 41. dub. 9. num 76. Nauarr. de Regular. num. 12. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q. 26. art. 9. Probatur ex D. Bernardo loco citato Quo autem ad illud, quod teneatur obedire, si subsit iusta causa, patet ex cap. Quid ergo 12. q. 3.

Cauen

13. Cauendum tamen est, Regulas, & Constitutiones in Religionibus varias, & diuersas esse, ac proinde præcipiendi, & iubendi potestatem, sicut & obediendi obligationem esse variam, & ad plura, vel pauciora extendi: in Regula enim S. Francisci *cap.* 10. iubetur Fratribus, obedire in omnibus, quæ non sunt contra Regulam, vel animam: & in Constitutionibus Societatis Iesu, *part.* 3. *cap.* 1. §. 13. habetur obedientiam esse exhibendam in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cerneretur. Plurimùm ergo conferunt ad cognitionem exactam huius rei Regulæ speciales, & Constitutiones Religionum, quæ iuxta eorum statuta attendendæ sunt.

14. His positis, denodatur magna dubitatio inter Doctores, an Summus Pontifex possit cogere Religiosos ad arctiorem Regulam seruandam; quod præstare nequeunt, vt diximus, Superiores Religionis, etiam cum maiore parte Capituli. Pro qua re

Duæ principales reperiuntur sententiæ. Prima affirmat, Summum Pontificem cogere posse omnes Monachos ad clausuram, verbi gratia, seruandam, sicut Moniales: & hoc probant *ex c p vnica, in princip. de stat. Regul. in* 6. vbi Summus Pontifex indicit clausuram Monialibus, quæ vitam multò austeriorem reddit: & tamen Moniales illæ clausuram professæ non fuerant, Hanc sententiam sequuti sunt Ioan. Andr. *in cap. Ioannes, num.* 18. *de Regul.* vbi Ancharan. *num.* 8 & *ibidem* Panorm. *num.* 6. Maior *in* 4. *dist.* 38 *q.* 2. *col.* 5. Felinus *in cap. Ad nostram. de appell. num.* 6. Probant etiam aliqui ex supradictis Authoribus hac ratione, imò ex facto iam sequuto tempore Pij V. qui anno 1567. Fratres S. Francisci in Hispania degentes coegit, vt ad aliquem ex Ordinibus Mendicantibus absq; mora transirent: quod tamen eorum Regula ab ipsis professa non præcipiebat.

Alia sententia, quam communem appellat Bartholomæus de S. Fausto *in thes. Religiosorum, q.* 99. affirmant, non posse Summum Pontificem ad arctiorem vitæ Regulam seruandam Regulares cogere; neque ad id, quod prima Regula, & antiqua instituta postulant, siue quod sit simpliciter supra ipsorum regulam quòd si præcipiat, non tenentur Religiosi iam professi ei parere.

Hanc sententiam docent Corduba *in expos. Reg. S. Franc. c.* 15. *q.* 2. *dicto* 6. Less. *lib.* 2. *de iustit. & iur. c.* 41. *dub.* 9. *n.* 77. Dec. *in cap. Ad nostram. in nona edit n.* 19. *de appell.* Tapia *auth ingressi, verbo eod. c.* 1. *n.* 71. *C. de sacr. Eccles.* Sylu *verbo, Religio,* 6. *q.* 6. Sanchez *lib* 6. *in Decal c* 2. *n.* 22. Oldr. *cons.* 96. *n. vnic.* quę sentētia mihi satis probatur: quia Romanus Pontifex nequit Religiosum, qui vnā Religionē professus est, compellere, vt ad aliam arctiorem transeat; alioquin posset etiam
15. præcipere, vt quis Religionis votum emitteret. Vnde debitum, quod habent Religiosi obediendi Summo Pontifici vltra alios Christianos, est ratione voti, ideò non potest obligare, plusquàm votum eos obliget; nec potest plus à Religiosis exigere, quàm soluere promiserunt: sed soluere promiserunt solummodo, ea, quæ in Regula continentur: ergo supra Regulam, vel arctiora Regulâ antiquâ eis præcipere nequit. Probatur insuper ex D. Gregorio Magno *lib.* 1. *Registr. epist.* 19. vbi ait. *Iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus.* Idem habetur *in cap. Gesta. dist.* 74. vbi hoc dictum S. Gregorij relatum est. Confirmatur ex S. Bernard. *lib. de precept & dispens. cap.* 7. dicente: *Is, qui profitetur, spondet obedientiam; non tamen omnimodam, sed determinatè secundùm Regulam, neque aliam, quam S. Benedicti, vt oporteat eum, qui præest, non fræna sua laxare voluntati super subditos; sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram; & sic demum sua imperia moderari circa id solum quod rectum esse constiterit; nec quodlibet rectum. sed id tantùm, quod prædictus Pater instituit: sic se quippe habet professio: Promitto, non quandam Regulam, sed obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, non ergo secundum voluntatem Præpositi. Proinde si professione facta secundum illam Regulam, Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non sit secundùm Regulam, aut etiam quod non sit secundum ista instituta, verbi gratia, Basilij, Augustini, Pachomij; quanam mihi, quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? Solum quippe id a me posse exigi, arbitror, quod promisi.* Et *cap.* 8. *in eodem loco*, subiungit: *Videtis iam ergo obedientiæ limites, quos requiritis: est enim modus obedientiæ, tenor professionis: nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis: profectò citrà, & vltrà, necnon etiam è contra aliquid aliud, quam obedientia limites quosdam censuerim, & hic suis terminis virentem eandem circumcludi.*

Operæ pretium est tamen in hac re perpendere sen- 16.
tentiam Sanch. *loco cit.* qui dicit, quòd professuri tenentur ad statuta illa arctiora, & supra Regulam à Summo Pontifice ordinata: quia, cùm non sint illam adhuc professi, nulla fit illis iniuria, si à Summo Pontifice aliquid supra Regulam, siue arctiora pro deinceps profitentibus iubeantur. Hic tamen procedendum est cum limitatione, vt notat Laurentius de Peytinis *tom.* 1. *de subdito, q.* 1. *cap.* 8. §. 1. *vers. An autem,* scilicet, si professi illa statuta receperunt, sed cum protestatione, quòd eum essent supra Regulam professam, nolebant ea obseruare: secùs autem, si nullo modo receperunt cum de ratione legis sit, vt recipiatur, vt dicunt Valentia *tom* 1. *disp* 7. *q.* 5 *punct.* 5. & Nauarr. *lib.* 1. *cons. de const. cons.* 1. *q.* 5 *num.* 23. vbi ait, quòd si professi non obseruant, nec obseruare cœperunt. habent iustam causam ipsi professuri, non obseruandi: quia, cùm lex sit in vtilitatem communem, non est verisimile, legislatorem eos ligare velle ad obseruandum, cùm alii Confratres non obseruent.

Ad primam rationem contrariæ sententiæ respondeo, clausuram Monialibus indictam fuisse à Summo Pontifice: quia hoc erat valdè necessarium pro custodia castitatis seruanda, vt habetur ex Concil. Trid. *sess.* 25. *cap. de Refor. Monial.* quidquid dicat Oldr. *cons.* 96. *num. vnic.* vbi ait Summum Pontificem non potuisse Monialibus imponere clausuram: hoc enim falsum est; quia imponere clausuram Monialibus, non est noua vita arctior vt benè notant Sanch, *loco cit. num.* 24. Dec. *cap. Ad nostram in nou. edit. num.* 19. *de appel.* Rosella *verb. lex, num.* 5. Sylu. *verbo, Religio,* 6. *q.* 6. Angelus *verb. Religios. num.* 29. Carthus. *opusc. de refor. Monial. art.* 1. Nauarr. *comment.* 4. *num* 4. *de Regul.* Vega 2. *tom. Sum. c.* 88. Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *c.* 8. *quæst.* 2. & alij.

Ad aliam rationem dico, Summum Pontificem non ex eo, quòd ad aliquam ex Religionibus Mendicantium coëgerit Fratres S Francisci, præcipere nouam Regulam, seu statuta arctiora: sed, quia voluit sub vna ex Religionibus approbatis eiusdem Ordinis illos Fratres degere, si vitam regularem iuxta præscripta à Seraphico Patre ducere vellent: quod non est nouam Regulam, seu statuta condere; sed Religiosos secundùm Regulas approbatas instituere. Nec enim in tali casu redarguendus est Pius V. propter suam sententiam latam contra partem non citatam, & inauditam: quia ille re maturiùs considerata, & perpensis scandalis multis in Hispania ortis propter relaxationem eorum vitæ, iis probatis, & notoriis sententiam illam tulit, in quo casu poterat, non citata parte, tanquàm supremus Princeps, vt testatur Bald. *l. Nec causas, n.* 3. *C. de appel.* Nauar. *in Sum. cap.* 25. *num.* 10.

QVÆ

QVÆSITVM IV.

Vtrùm omnia contenta in Regulis Sanctorum Patrum, & præcipuè S. Benedicti, obligent ad peccatum mortale.

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua probatur nonnullis rationibus.*
2 *Regula Sanctorum Patrum, & præcipuè Sancti Benedicti, non continent omnia ſub præcepto, & n. 4. Nec enim obligant ſub peccato mortali.*
3 *Monachus quando peccet mortaliter circa ea, quæ ſunt de conſilio.*

1. PArs affirmatiua poteſt quibuſdam rationibus ſic oſtendi. Primò, S. Bernardus *lib. de præc.* loquens de Regula S. Benedicti ait: *Omnia contenta in Regula S. Benedicti non profitentibus, id eſt, Nouitiis, monita, ſeu conſilia ſunt cenſenda, nec grauant non ſeruantes: cum tamen profitentibus præcepta, præuaricantibus in crimina fiant.* Ergo profeſſis huius Regulæ, illius tranſgreſſio erit peccatum mortale, ac per conſequens omnia in hac Regula contenta (vt videntur probare verba S. Bernardi) obligant ad mortale. Confirmatur: nam facere contra votum, eſt peccatũ mortale: ſed Religioſi tranſgrediendo Regulam faciunt contra votum: ergo peccant mortaliter, & ſic ea, quæ ſunt in Regula, obligant ad peccatum mortale. Maior probatur per illud Apoſtoli 1. *ad Tim.* 5. vbi habetur, quòd viduæ, quæ volunt nubere, damnationem habent: quia primam fidem irritam fecerunt. Minor probatur: quia Monachi voto profeſſionis Regulæ adſtringuntur: ergo faciunt contra votum: ergo tranſgredientes Regulam peccant mortaliter, quod obligationem ſub mortali manifeſtè demonſtrat ad omnia eius præcepta obſeruanda.

2. Communis tamen ſententia eſt Regulas Sanctorum Patrum, & præcipuè S. Benedicti, nõ omnia continere ſub præcepto; nec omnia in eis concepta obligare ſub peccato mortali; ſed aliqua eſſe ſub admonitione, & conſilio, quæ non ad mortale; ſed ad veniale tantùm obligant. Ita S. Thom. *quodlib.* 1. *q.* 9. *art.* 4. S. Bernardus *in lib. de præc. & diſpenſ.* S. Anton. 3. *p. tit.* 16. §. 7. Turrecr. *in expoſ. Reg. S. Bened.* & alij communiter. Quod probatur primò ex S. Th. 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. Quia ſtatus Religionis eſt ſecurior, quàm ſtatus ſæcularis. Vnde S. Greg. 1. *moral.* comparat vitam ſecularem mari fluctuanti: vitam autem religioſam portui tranquillo: ſed, ſi quælibet tranſgreſſio eorum, quæ in Regula continentur, obligaret Monachum ad peccatum mortale, ſtatus Regularis eſſet periculoſiſſimus propter multitudinem obſeruantiarum, vt diximus *quæſ.* 1. ergo non omnia quæ in Regula continentur, obligant ad lethale. Secundò probatur: quia Monachus quando profeſſionem ſolennem emittit, non vouet, ſe Regulam obſeruaturum, vt habetur *ex cap.* 58. *Reg. S. Bened.* & conſtat ex verbis S. Bernard *lib. de præcept. & diſp.* vbi ait: *Nemo, cum profitetur, ſpondet Regulam; ſed determinatè ſecundùm Regulam ſuā quiſq; conuerſationem ſe dirigere pollicetur.* Idem docet S. Th. *loc. cit. ad* 2. ergo, cùm Monachus non obligetur ex voto ad ſingula, quæ in Regula continentur, non peccabit mortaliter, quoties quodlibet eorum violauerit. Confirmatur concluſio hac ratione certiſſima: quia non quælibet violatio legis humanæ, ſiue ciuilis, ſiue eccleſiaſticæ, facit hominem dignum pœna mortis, vt conſtat manifeſtè: ergo à fortiori, nec quælibet tranſgreſſio legis monaſticæ, præcipuè S. Benedicti, quæ benigna eſt, & diſcretione plena, vt dicit S. Greg. *in lib. Dialog.* Vnde

Ad primum reſpondeo cum S. Anton. *loc. cit.* S. Bernard. non accipere ibi præceptum propriè, & rigoroſè; ſed pro quacunque iuſſione, & ordinatione, quæ non ad mortale, ſed ad veniale obligat.

Ad ſecundum reſpondeo cum S. Thom. *loc. cit. ad primum*, quòd ille, qui profitetur Regulam, non vouet ſeruare omnia, quæ ſunt in Regula; ſed vouet regularem vitam, quæ conſiſtit eſſentialiter in tribus, votis; & ideò falſa eſt minor argumenti.

Aduertendum tamen eſt, poſſe aliquando Monachum peccare, etiam mortaliter, circa ea, quæ ſunt de conſilio, & admonitione Regulæ, ſi contemptus accedat, vt bene oſtendit S. Thom. *loc. cit.* ſi autem hæc quæ ſunt de conſilio, & admonitione, tranſgreditur propter aliam cauſam, putà, concupiſcentiam, vel iram; non eſt contemptus, nec per conſequens peccatum mortale; etiamſi frequenter ex eadem cauſa, vel ſimili peccatum iteret. Ita S. Aug. *lib. de natura, & grat. tit.* 7. *cap.* 29. *circa med.* 3.

Ex quibus ſequitur, non omnia in Regula contenta eſſe ſub præcepto, vt colligitur ex eadem Regula in principio, per illa verba: *Auſculta, ô Fili, præcepta Magiſtri, & ordinationem pij Patris libenter excipe.* Quæ denotant, alia eſſe in Regula ſub præcepto, ſiue ſint de iure diuino naturali, vel eccleſiaſtico, ſiue ad tria vota eſſentialia Religionis pertineant: alia verò ſunt admonitiones, & conſilia: ſicut ea, quæ ſunt in Euangelio, alia ſunt ſub præcepto, alia ſub conſilio. 4.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Regulam Religioſorum conſuetudine laxatam teneantur. Profeſſi obſeruare, prout ſtat in primo rigore, & antequàm per Abbatem generalem, & Capitulum reformetur.

SVMMARIVM.

1 *Referuntur variæ ſententiæ ſuper hac materia.*
2 *Religioſus tenetur, non obſtante qualibet diuturna conſuetudine, ſubſtantialia Religionis obſeruare; ſecus dicendum de accidentalibus, vt num. 3.*

1 SVper hoc variæ adſunt opiniones. Alij tenent, quòd ſic: & mouentur ea ratione; quia votum obſeruandi Regulam eſt verè, & realiter votum: & proptereà adſtringit de iure diuino naturali; quod nulla deſuetudine relaxabile, aut reuocabile eſt. Ita Maior *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 10. *arg.* 2. *cont.* 1. *concluſ.* Corduba *in Regul. S. Franc. cap.* 10. *q.* 15. *punct.* 1. Alij tenent partem negatiuam, aſſerentes, non teneri Profeſſos ad obſeruantiam Regulæ circa ea, quæ in deſuetudinem abiêre: & adducunt rationẽ; quia votum de obſeruanda rigoroſitate Regulæ, quæ aduerſa conſuetudine eſt relaxata, non præſumitur, quandiu non explicatur. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *quæſt.* 1. *art.* 3. *quæſt.* 1. *ad* 5. Turrecrem. *in Comment. Reg.* 17. *q.* 1. Cardinal. *cap. Ad monaſterium.* §. *in Refect num.* 4. *quæ.* 1. *de ſtat Mon.* Nauar. *in Summ. cap.* 12. *num.* 50. Alij verò, vt Abbas Panormitan. *c. Super eod. num.* 4. *& 5. de regular.* & *c. Cum ad Monaſterium, de ſtat. Monach.* Felin. *cap. Nam ad concupiſcentiam, num.* 12. *de conſtit.* Sylu. *verb. Religio,* 6. *q.* 12. dicunt, quod aut conſuetudo per tantum tempus ſeruata eſt, vt de eius initio non adſit memoria: & tunc obſeruantia Regulæ, quæ per eam conſuetudinem relaxata eſt, non obligat Profeſſos. Ratio huius eſt: quia talis Regula diuerſa à prima putatur. Vel huiuſmodi conſuetudo eſt recens, nec ab hominum memoria deleta: & tunc dicunt, Abbatem poſſe Monachos coge- 1.

2. re ad pristinæ Regulæ obseruantiam. Verùm, vt aduertit idem Panorm. *in d.c. Super eodem.* si agimus de substantialibus Religionis, quæ sunt tria vota, scilicet, castitatis, paupertatis, & obedientiæ; tunc qualibet diuturna, & immemorabili desuetudine non obstante, tenentur Religiosi ad illorum veram obseruantiam: quia prædicta vota iure diuino naturali obligant, contra quod nulla consuetudo introduci potest. Ita etiam Nauar. *in Manuali, cap.* 12. *num.* 50. Roderic. *tom.* 1. *quæst.* 69. *art.* 2. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. *quæst.* 15. Reginald. *in praxi, lib.*
3. 18. *num.* 396. Sanch. *in Decalog. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 26. & alij communiter. Si autem est sermo de accidentalibus ipsius Regulæ, & ordinatis ad finem illorum trium, & monasticæ vitæ perfectionem; tunc non solùm antiqua immemorabilis consuetudo; verùm etiam diuturna tantùm, putà 40. annorum, quamuis memorabilis, sufficiet ad excusandum Monachos ab obseruantia eorum quæ per eam relaxata sunt: cùm enim hæc sint accidentalia, & possint adesse, & abesse stante Religione in illis tribus substantialibus, in tantum Religiosus solùm obligatur, in quantum habent vim legum, & constitutionum, quæ abrogari possunt, & vim obligandi amittunt per contrariam consuetudinem legitimè introductam. Ita DD. proximè citati communiter, quibus addo Salas *de legib. disp.* 8. *sect.* 12. *num.* 62. Ant. Perez *in Commentar. in Reg. D. P. Bened. cap.* 7. *num.* 35.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm subditi Regulam propriam iam collapsam, seu relaxatam, à Prælatis superioribus ad pristinum statum redactam cum maiori parte Capituli, obseruare teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ variæ in hac re recensentur.*
2 *Abbas, & Prælatus generalis cum maiori parte Capituli generalis potest Regulam iam collapsam, & laxatam reformare.*
3 *Licèt ad inducendam strictiorem vitam Religiosis requiratur singulorum consensus, tamen pro reformanda Regula iam laxata sufficit maior eorum pars. Limita, vt num.* 4. 5. *& 6.*
7 *Regulam iam collapsam potest Abbas Generalis, seu Prouincialis, per seipsum sine Capitulo reformare.*
8 *Abbas localis potest condere præcepta pro obseruatione Regulæ relaxatæ secundum priorē rigorem.*

1. IN hac quæstione à Doctoribus satis exagitata quatuor sententias reperio. Prima est quorundam, quos tacito nomine refert Innocentius *cap. Super eo. de Regul. num. vnico.* qui Doctores distinguunt, & dicunt, si Professus ille erat vir discretus, tenetur seruare Regulam denuò reformatam: quia cogitare debuerat, posse euenire, vt ad statum pristinum illa restitueretur: si verò fuerit indiscretus, vt fœmina, siue puer, nō tenetur, sicut discretus; & poterit in hoc casu ingredi Religionem laxiorem, qualis erat Religio illa tempore professionis, antequàm à Superioribus cum maiore parte Capituli Regula ferè collapsa, & destituta ad pristinum statum redacta fuerit.

Secunda sententia est valdè similis primæ, scil. si Professus erat Iurisperitus, compellitur seruare Regulā: si verò fuit indoctus, tunc si illi fuerit lecta Regula ante, vel post professionem, & respondet nolle se obligare, nisi ad Regulam ita collapsam, non cōpellitur ad Regulam reformatam. Hanc sententiā docent, Hostiensis *Sum. tit. de voto, § Vtrùm, & per quem, n.* 17. & *cap. Super eo. n.* 2. *de Regul.* & *ibi* Ioan. Andr. *n.* 4. *in fine.* S. Antoninus 3. *part. num.* 16. *cap.* 3. *in fine*, vbi ait quòd si vterque fuerit indoctus, nec lecta sit illi Regula, eum teneri ad reformatam Regulam, nisi limitatam intentionem habuerit obligandi se eo modo, quo tunc seruabatur.

Tertia sententia affirmat, Professos teneri obseruare Regulam reformatam, etsi à tempore immemorabili collapsam, & intentionem habuerint limitatam, obligandi se ad Regulam sic collapsam. Ita tenet Probus *in addit. ad Monach. cap.* 1. *num.* 15. *de Regul.*

Quarta sententia constanter affirmat, omnes Professores Regularum teneri ad illas obseruandas, si reformentur, & ad pristinum statum restituantur per maiorem partem Capituli.

Dicendum est ergo primò, posse Abbates genera- 2.
les cum capitulo generali, vel saltem cum maiori eius parte Regulam iam ferè collapsam, & Religiosorum desuetudine laxatam reformare, atque ad statū priorra obseruantiæ reducere, adeò vt Religiosi iam Professi ad Regulæ sic reformatæ obseruantiam teneantur, & adstringi possint: quia subiiciens se alicui in ordine ad aliquem finem, se quoque ei subiicit in his, quæ valdè ad talē finem conducunt, quale est Regulam iam laxatam reformare: præsertim, quòd cùm Regulæ Professores nō coacti, sed sponte religiosæ vitæ, & regulari obseruantiæ se subiiciant, séque, vt quantùm ad eos attinet, ad illius conseruationem procurandam parati esse debeant: & propterea, si regularis obseruantiæ neruus laxatus sit, tenentur pati, vt restaurentur, & ad antiquā rigorositatē reducatur, & demū Regulam sic reformatam obseruare. Atque ita docent Innocent. *in cap. Super eo. de Regul.* & ibi Panormit. *n.* 6. Felin. *in cap. Cùm omnes, col.* 10. *sub. n.* 15. *vers. Pro qua fallentia*, cum aliis per eum ibi adductis *de constitut.* dicentes, quòd licèt ad inducendam strictiorē vitam Religiosis requiratur 3.
singulorū consensus, vt per Gloss. *In Regula.* quod omnes tangit, *de reg. iur. in* 6. Archid. *in cap. Gesta.* 74. *dist.* & Lapū *alleg.* 85. nihilominùs vbi agitur de reformāda Regula, ac ad pristinum statum obseruantiæ restituenda, sufficit consensus maioris partis. Ita etiam Syluest. *verb. Religio,* 6. *q.* 6. Tab. *eod. verb. n.* 21. Cord. *in expositione Regulæ D. Francisci, c.* 10. *q.* 2. *punct.* 6. Azor. *inst. moral. p.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. *q.* 17. Vasq. 1. 2. *disp.* 154. *cap.* 4. *n.* 25. *& duob. sequen.* Regin. *in praxi, lib.* 18. *n.* 396. *vers. Consequens est tertiò.* Ant. Perez *in Comment. Regula D. P. Bened.* cap. 7. *n.* 37. Apponuntur tamen huic conclusioni ab aliquibus Doctoribus quædam limitationes.

Prima est, quando Professus est ita debilis cōplexio- 4.
nis, vt austeritates, & reformationes inductas ferre nō valeret: quia tunc posset cum eo dispensari, vt se ad æqualem illi, quam professus est, vel etiam laxiorem Religionem transferret. Ita Innocent. *loc. cit.* Nauar. *lib.* 1. *cons.* 43. *n.* 2. *sub tit. de Regul.* Sanch. *d. cap.* 2. *n.* 38. Et iusta causa existente, huiusmodi dispensationem concedere posset Prælatus Religioso delicato, vt ait idem Nauar. *d. lib.* 3. *cons.* 56. *n.* 1. *eod. tit. de Regul.*

Secunda limitatio est, nisi aliquis Religiosus vo- 5.
uisset Regulam tempore professionis, prout tunc obseruabatur, vel non habuisset animum se adstringendi, nisi ad Regulam, prout eo tempore obseruabatur: quia votum non obligat vltra intentionem vouentis: & ideò non poterit compelli ibi manere; sed poterit laxiorem Religionem ingredi. Ita Tabiena *loco cit.* Nauar. *d. cons.* 43. *n.* 2. Sanch. *d. cap.* 2. *n.* 39.

Tertia limitatio est, quando Regulæ obseruantia 6.
authoritate Summi Pontificis, aut consuetudine legitimè præscripta, iam abrogata esset tēpore, quo Religiosi professionē emiserunt: tunc enim Professi compelli non possunt ad talē reformationē acceptandam: quia

quia Religiosi censentur voluisse obedientiam Regulæ, quæ tunc obseruanda erat: & non censentur vouisse primam Regulæ institutionem, sed præsentem: secùs autem dicendum est, si Regula aliquorum culpa non seruabatur: nondum autem legitima consuetudine abrogata erat: tunc enim Religosi obligantur ad Regulæ decreta seruanda, & nouis constitutionibus ad id compelli possunt: nam vouerunt Regulam illius Religionis, & ideò ad eius obseruantiam constitutionibus ad hoc necessariis, & opportunis compelli possunt. Ita Nauar. *loc. proximè cit.* Sanch. *d.c.*2.*n*.41. Salas *de leg. disp.*8.*sect.*12. *n.*58.*&* 62. Bañes 2.2.*q.*1. *art.*10. *dub.*6. Bonacina *de leg. disp.* 1. *q.*1. *punct.*3.*n.* 18. *vers. Addo Prælatos.*

7. Dicendum secundò Abbates generales, seu prouinciales, per se ipsos, & sine Capitulo posse Regulã iam collapsam reformare, & illam ad primæuam institutionem redigere. Ita affirmant Panormit. *in cap. Super eo. de Regular. n.*6. & Sanchez *in præcept. Decalogi, lib.*6. *c.*2.*n.*35. & Laurentius de Peyrinis *tom.*1. *de subdito regulari, q.*1.*c.*8.§.3. Et probatur: quia, cùm prædictis Abbatibus, & Prælatis iniunctum sit prouidere subiectis sibi ouibus, vt per viam salutis incedant; debent errantes oues reuocare, illásque dispersas colligere: ergo illorum erit collapsam, & relaxatã Regulam reformare, vt sine periculo ad viã salutis errantes oues perducant; maximè ad hoc, vt vota essentialia, & alia Religionis statuta laudabilia seruentur: quod quidẽ contingere nequit, saltem non ita faciliter, sicut in benè reformata Religione, & ordinata Regula. Vnde ait Vasq. *loco citato*, pensandum esse, an ea noua statuta sint valdè necessaria ad reformationem status Religionis, idque arbitrio prudentis viri relinquendum esse, & ad talem reformationem inspiciendam esse hanc, vel illam Regulam benè ordinatam, & ad instar illius remedium adhibere: non enim oportet noui aliquid addere, nisi id iudicaretur necessarium pro temporis, & loci occasione: quia non est credibile, statuta Religionis initio edita, non fuisse satis idonea ad consequendum finem sibi constitutum.

8. Et Sanch. *loco cit. n.* 37. addit, quòd quamuis priuatus Superior Religionis, cui non datur condere statuta, sed præcepta imponere, quæ in morte ipsius, seu finito officio expirant, non possit condere statuta; poterit tamen in suo conuentu, vel Prouincia sibi subdita imponere præcepta obligantia, & necessaria ad reformationem prioris Regulæ, & ad obseruantiam illius: quia tales Superiores habent eandem potestatem imponendi præcepta, nõ perpetua; sed durante eorum officio, quam Superior maior cum maiore parte Capituli habet ad edenda statuta perpetua: tum, quia Abbati incumbit prouidere, vt in suo Monasterio obseruetur perfectè Regula, & eã collapsam restaurare: & sic poterit quilibet Superior priuatus præcepta imponere in loco, vbi habet iurisdictionem pro reformatione Regulæ. Ita docent Syuester *verbo, Religio*, 6. *q* 6. Rosella *verbo, lex*, *n.*5. & Sanch. *loco cit. n* 37. & alij, qui docent, posse Superiores præcipere, quæ ad obseruantiam pleniorem Regulæ conducunt, tanquàm implicitè, seu indirectè in Regula: ad ea namq; sola non extenditur eorum potestas, quæ ita sunt supra Regulam, vt nec directè, nec explicitè, vel indirectè, seu implicitè ad eam reducantur.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus regularis possit in præceptis Regulæ dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio requirit authoritatem, & causam iustam.*

2 *Dispẽsandi potestas duplex, ordinaria, & delegata.*

3 *Dispensare potest in lege, qui eam tulit.*

4 *Dispensandi potestas, quando alicui committitur à iure, transit in ordinariam.*

5 *Dispensandi iurisdictio non est concessa Abbatibus, & Prælatis non exemptis.*

6 *Dispensandi potestas in Abbatibus, & Superioribus exemptis est ordinaria.*

7 *Dispensandi potestas, siue ordinaria, siue delegata, amplè interpretanda est. Limita, vt num.*8.

9 *Rescriptum concedens dispensandi facultatem, est amplè interpretandum, licèt dispensatio censeatur odiosa.*

10 *Dispensare vt possit Abbas, vel alius Prælatus, requiritur authoritas, aliàs nulla est dispensatio, & peccatum committitur, vt num.*11. *An verò veniale, vel mortale, ostenditur num.*12.

13 *Dispensationẽ factam ab Abbate, de cuius authoritate dubitaretur, tenetur Monachus acceptare.*

14 *Dispensare potest Abbas, vel alius Prælatus Regularis in præceptis Regulæ, quatenus ei dispensatio permittitur, vel à Regula, vel à priuilegio, vel à iure.*

15 *Dispensare an possit Abbas inferior in Regula, stante axiomate:* Inferior non potest dispensare in lege Superioris

16 *Dispensandi facultatem potest tollere, vel limitare Capitulum, & superiores Prælati Abbatibus, & Prælatis inferioribus.*

17 *Dispensare potest Prælatus, etiam extra suum territorium existens, cum suis subditis, etiam absentibus; sed in foro conscientiæ tantùm.*

18 *Dispensatio facta à Prælato cum subdito, licèt non petente, valida est.*

19 *Dispensare non est integrum Prælatis in iis, quæ reseruantur in Regula Superiori maiori.*

20 *Societatis* IESV *nullus Prælatus Generali inferior dispensare potest, nisi quatenus sibi concessum est. Limita in omnibus Prælatis, vt num.*21.

1 CVm in dispensationibus primò, & principaliter requirantur authoritas, & causa iusta dispensandi, vt communiter affirmant Doctores, & præsertim S.Thom. 2.2.*q* 88.*art.*12. *ad* 2. cum Caietano & reliquis Expositoribus *ibi*; videndum erit in hoc quæsito de hac potestate; in aliis verò subsequentibus de causa iusta dispensationis. Pro quo 1.

Supponendum primò, duplicem esse potestatẽ dispensandi, scilicet, ordinariam, & delegatam: ordinaria est illa, quæ competit alicui ratione officii, siue ab alio recepta sit, siue non: & ex sua natura non requirit, vt Superior per se ipsum illam exerceat, nisi speciali iure in aliqua persona aliud cautum sit; ideò potest delegari: & sic potestas delegata erit illa, quæ manat ab ista ordinaria, & alicui committitur ab illam habẽte: ita vt huiusmodi potestas delegata aliquando sistat in ordinaria potestate, ne procedatur in infinitum, non quòd in omni ordinaria sistat, quia vna ordinaria interdum manat ab alia ordinaria: sed in aliqua ordinaria sistat, nempe, in ordinaria supremi Principis, siue Prælati, & Legislatoris, qui à nullo accipit iurisdictionem. 2.

Ex quo sequitur, admissa huiusmodi distinctione, illum, qui tulit legem, posse in illam dispensare, cùm lex ab ordinaria eius potestate dependeat: vnde per illum auferri, & restringi potest. Idem dicendum est de Superiore ipsius in iurisdictione: quia quicquid potest ipse, potest etiam Superior formaliter sumptus; seu in eo, in quo Superior est, vt benè notat Salas *de legib. disput.*20.*sect.*3.*n.*15.*&* 16. Vnde Summus Pontifex poterit dispensare in legibus Episcopi, & prælatorum Episcopis inferiorum: quia potestas inferior non obli- 3.

gar, nisi cum subordinatione ad Superiorem, & dependentia: quod de æquali in eadem sede, & iurisdictione sentiendum est: vt, verbi gratia, de successore in aliquo officio, siue præeminentia: moraliter enim, tam de vno, quàm de alio idem sentiendum est. Et Summus Pontifex, qui est supremus omnium, potest dispensare in toto iure canonico: quia est æqualis antecessoribus suis. De qua re videatur Turrecr. 3. *Sum. cap. 52. & 53.* Couarr. 2 *part. 4. cap. 6. §. 9. n. 6.* Viuald. *in append. ad Candelabr. aureum, n. 17.* Panorm. *in c. Significasti de elect.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 15. q. 5.*

4. Hæc potestas potest pluribus modis aliis committi, vel à iure, vel ab homine. Quando committitur primo modo, tunc transit in ordinariã, & non in delegatam, etiamsi commissa sit; maximè si commissio sit perpetua, & simpliciter: vel saltem æquiparatur ordinariæ, *iuxta l. 1. ff. de eo, cui commissa est iurisdictio.* Secundo modo, quæ, scilicet, fit ab homine, dupliciter contingere potest: primò, per modũ gratiæ, & priuilegij specialis: secundò, per modum propriæ delegationis; quod fit, quãdo iurisdictio simpliciter committitur, & in ea potestas dispensandi includitur: vnde, quando delegatio pura, & simplex est, mortuo, & amoto delegante cessat dispensandi potestas in delegato, vt manifestè colligitur *ex cap. Gratum de offic. delegat.* Si verò cõcedatur per modum gratiæ specialis, & priuilegij, si absolutè, & absque limitatione concessa est, mortuo delegante etiam durat, vt colligitur expressè *in Regul. 16. de Regul. iuris, in 6.* quod etiam communiter fatentur Doctores, vt affirmat Salas *loco citato.*

5. Quibus præmissis, certum est: huiusmodi iurisdictionem dispensandi non esse concessam Abbatibus, seu Prælatis non exemptis: quia hoc pertinet ad iurisdictionem episcopalem, quam ipsi non habent. Excipiendi tamen sunt aliqui casus in iure expressi, de quibus Suar. *tom. 4 de Relig. lib. 2. cap. 8. n. 2.* maximè cùm ex concessione Episcoporum possint Abbates huiusmodi non exempti habere talem iurisdictionem: quia ipsi Episcopi, tanquàm Superiores ordinarij, possunt delegare talem authoritatem dispẽsandi, & illam prædictis Abbatibus, tãquam Vicariis suis, cõmittere, & communicare, quæ potestas purè delegata erit in his Abbatibus non exemptis, quia non conuenit illis ex vi proprij muneris, sed ex cõcessione Episcoporum.

Existimat tamen Suar. *loco cit. num. 11.* potuisse Episcopos, ad quos spectabat antiquitùs institutio, & approbatio Religionum in suis Diœcesibus, cõstituere prælationem Abbatis cum ordinaria iurisdictione ad dispensandum, iuxta mensuram ab ipsis præscribendam: quod non videtur excedere episcopalem potestatem, quandiu apostolica Sedes sibi non reseruauit: postquàm verò Summus Pontifex sibi approbationem, & confirmationem Religionum reseruauit, in nullo Prælato Regulari reperitur iurisdictio ordinaria ad dispensandum, nisi illam à Summo Pontifice habeat, quòd si Religio exempta sit, vt hodierna die sunt ferè omnes Religiones, quæ eodem tempore, vt approbantur à Sede apostolica, eximi solent; eo ipso iuris-
6. dictionem habet à Summo Pontifice; & sic potestas dispensandi ordinaria reperietur in omnibus Religionibus exemptis, & in earum Abbatibus, & Prælatis, & in suo ordine supremis; Summo tamen Pontifici immediatè subiectis: qui exercent respectu suorum subditorum iurisdictionem, & munus episcopale; & nihil refert, quòd Prælatus sit vnius loci, vel pluriumt nam omnes Prælati Religionum exemptarum, tam Generales, quam Prouinciales, siue Abbates locales, hac potestate ordinaria dispensandi fulciuntur, & eorum Vicarij delegata, vt benè probat S. Thom. 1. 2. *q. 97. art. 4.* Caietanus 2. 2. *q. 147. art. 4.* Sotus *de iustit. lib. 1. q. 7. art. 3. dub. 1.* Rodriq. *qq. regul. tom. 2. q. 46. art. 9.* Nauarr. *in Sum cap. 21. num. 21.* quod etiam probat Suar. 4. *de Relig. lib. 2. cap. 8. num. 13.* vbi ait, quòd omissis Generalibus, quoad hanc potestatem de Prouincialibus est res certa: quia sunt tanquàm Episcopi in suis Prouinciis, maximè cùm Religio sit in tot Prouinciis diuisa, & dispersa, vt non possint commodè omnes Religiosi Generalem adire: quapropter necessarium fuit Prouincialibus illam communicare. Quæ ratio, vt dicit ipse Suar. *loco cit.* suo modo, licèt non tam vrgenti, locum habet in Abbatibus & Prælatis conuentualibus: quia necessitas dispensandi potest esse præsentanea, & quotidiana; & ideò non debet semper pendere à Prouinciali; quia sæpè est absẽs ab hoc, vel illo Monasterio; prætetquàm quòd potestas dispẽsandi sæpè necessaria est ad bonũ spirituale subditorum, vt Prælati etiã locales nõ tãtùm salutem subditorum; verum etiam perfectionem tendendi ad statũ Religionis per dispensationẽ procurẽt.

Supponendum est etiam, potestatem huius- 7.
modi ordinariam, siue delegatam, esse amplè interpretandam, & posse aptari, vt per illam dispensare possit Prælatus in casibus, qui aptabiles sunt casibus expressè, & inclusis in casibus expressis: secùs verò dicendum est de dispensatione facta à Superiore iam data, & concessa: nam interpretanda est rigorosè in propria acceptatione verborum, & ad similes casus nõ debet extendi. Ita Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 2.* vbi fatetur de communi: Portellus *in dub. regul. verbo, dispens. num. 14* vbi cùm Sanchez duas ponit limitationes de potestate supradicta amplè interpre-
tandi; prima est, quòd si præiudicium tertij vrgeat. 8.
stricte interpretanda sit: secunda, vt si committatur, quòd dispenset cum certis personis nominatis, similiter strictè interpretanda sit: si verò personæ illæ dispensandæ non nominentur, amplè interpretanda est. Stante verò dubio, quòd potestas dispensandi extendatur ad aliquem casum, erit interpretanda, quòd extendatur ad illum: & è conuerso, si sit dubium, an dispensatio iam facta extendatur ad hunc casum; non est extendenda ad illũ: ratio est; quia potestas dispẽsandi est amplè interpretãda ad casus necessariò inclusos.

Similiter rescriptum concedens dispensandi facul- 9.
tatem est amplè interpretandum, quamuis ipsa dispẽsatio censeatur odiosa, & stricti iuris: quia potestas dispensandi fauorabilis est; & ideò amplè interpretanda, salua semper verborum proprietate. Ita Panormit. *in c. At si Clerici. § de adulteriis, n 6. de iudic* & Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 2. c. 1* cum aliis multis Doctoribus, quos ibi in vnum congerit, & sequitur: imò fatetur de cõmuni. Ratio est: quia potestas dispẽsãndi legibus nõ repugnat, & eius vsus vtilis est, si prudẽs, & moderatus sit: ideò tanquàm fauorabilis amplè interpretãda est facultas dispẽsãdi in rescripto cõtẽta.

Dicendum ergo, quòd ad hoc, vt Abbas possit in 10.
Regulæ præceptis dispensare, debet habere authoritatem, ea doctrina D. Thom. 2. 2. *q 88. art. 12.* & Lopez. 1 *p. instructory, cap. 4.* Nauarr. *in Sum. prælud. 9. n. 15.* Soto *lib. 1. de iustit. q. 7. art. 3.* Salas *de leg. disp. 20. sect. 4.* qui multos alios Doctores citant, & hanc authoritatem dispensandi certum est residere in Abbate, ex Regulæ præscripto, præcipuè S. Benedicti, & communi Doctorum consensu, quod confirmat S. Bernard. *de dispens. & præcep.* dicẽns: *Patet ergo quod magna ex parte regularis traditio subest ei, qui præest; etsi non voluntati, certè discretioni.* Quæ authoritas habet locum, non solùm in iis, quæ ius, vel consuetudo declarat; sed etiam in triplici genere rerum secundùm Caiet. 1. 2. *q. 97. art. 4.* & Sot. *lib. 1. de iust. q. 7.* de quibus *in 2. quæsito huius disputationis.*
Hæc autem authoritas dispensandi in præceptis Re- 11.
gulæ, ita necessaria est, vt si ea desit, dispensatio nulla

la sit; & tam Abbas dispensans, quàm Monachus cum quo dispensatur, peccabunt. Ita Salas *loc. cit.* An autem peccent venialiter, vel lethaliter; non ita facilè constat. Sot. *lib.* 1. *de iust.* *q* 7. *art.* 3. & Nauarr. *in Manual. prælud.* 9. *n.* 14. qui Caiet. citat, dicunt,
12. eos peccare venialiter. Sed reuerà Caietanus hoc non dicit, imò potiùs videtur affirmare, in hac re attendendum genus illius rei, & conditionem, & grauitatem illius legis, & præcepti; & penes hoc iudicandum de grauitate peccati. Hac igitur deficiente authoritate, quidquid actum fuerit circa Regulæ præcepta, inualidum esset *secundum reg.* 26. *de reg. iuris, in* 6.

13. Dices: Si Monachus dubitat, dispensationem factam ab Abbate excedere authoritatem eius, teneturne eam acceptare? Respondeo teneri: quia in dubiis tutior pars est eligenda, *cap. Ad audientiam.* & *cap. Significasti el* 2. *vers. quod si discerni,* & *cap. penult. de homicidio,* & *cap. Iuuenis de sponsalibus, & matrimon.* Si autem sciret Monachus, quando Abbas excedit limites suæ authoritatis in dispensando, peccatum esse illud, quod dispensatur; & certus est, non dubius, tunc tenetur non acceptare dispensationem. Ita Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 9. *n.* 14. & Roderiq. *tom.* 3. *qq. reg. q* 19. *art.* 5. Et probatur: quia nullum præceptum eximit Monachum ab obseruatione legis diuinæ: sed tunc eximeret in casu, quòd esset peccatum, acceptando dispensationem, quod de se clarum est: ergo Monachus non tenetur dispensationem illam, vt sic acceptare. His ergo tanquàm fundamentis huius quæsiti positis, & determinatis:

14. Dicendum est secundò, Abbatem posse in præceptis Regulæ dispensare, quatenus ei dispensatio permittitur, siue à Regula, vel à priuilegio, vel à iure. Ita Innoc. *in c.* 2. *de eo, qui furt. Ord. suscepit.* Abb. *in c. At si Clerici.* §. *de adult. n.* 13. *de iud.* Sylu. *verb. dispensatio, q.* 14. *n* 20. S. Th 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Rosell. *verb. dispensatio, n. vlt.* Et probatur à Sylu *loc. cit.* hac ratione: quia dispensatio est relaxatio iuris: sed Abbas non potest Regulam relaxare, vltra terminos ibi præfixos: ergo Abbas in tantum poterit dispensare, in quantum ei permittitur: & maximè ei ex iure permissa est dispensatio, quando, nulla existente reseruatione, vsus obtinuit, vt in tali lege dispensetur, alioquin magnum incommodum Monachis oriretur, si pro singulis dispensationibus obtinendis esset ad Superiorem recurrendum. Quo verò ad priuilegium dispensandi in Regula, sic probatur. Nam, vbi primùm quis dignitatem acquirit, statim censetur authoritate dispensandi pollere ob eandem dignitatem, vt benè notat Caiet. 1. 2. *q.* 97. *art.* 4. Quoad Regulam ipsam certum est: quia Legislatores monastici hanc facultatem illis in suis Regulis concesserunt, vt videri potest præcipuè in Regula S. Benedicti *pluribus locis.* Sed hîc oritur difficultas: nam inferior non potest dispensare in lege Superioris, vt probat Salas *de legib. disput.* 8. *sect.* 16. *n.* 68. §. *Quidam dicunt.* Sed.
15. Abbas se habet tanquàm inferior respectu Regulæ; quia ei subditur ratione huius professionis: ergo non potest dispensare in Regula, quæ ei, suisque Monachis tanquàm lex præscripta est. Nec valet responsio, quòd Abbas se habet tanquàm superius caput Magistratus monastici: quia adhuc remanet inferior ipsius Regulæ: Magistratus autem inferior non potest dispensare in legibus sui Superioris, vt benè notat Bonac. *tract. de legib. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *n.* 12. Sed hæc difficulas tota diluitur per id, quod docet Bonacina *loc. cit.* vbi ait, quòd inferior non potest dispensare in lege Superioris, quoties Superior dispensationem sibi reseruauit, & prohibuit inferiori dispensandi facultatem. Ratio est: quia inferioris potestas pendet à Superiore: vnde cùm Abbatibus non sit ablata potestas dispensandi super Regulam, imò concessa; poterunt dispensare in Regula cum suis Monachis.

Sed obiicies: Capitulum generale, & Abbates superiores omnem dispensandi facultatem primò, & principaliter habent: ergo possunt hanc potestatem ab inferioribus Abbatibus auferre: ergo talis potestas dispensandi à Regula concessa istis non suffragatur.

Respondeo, posse Capitulum, & Abbates generales tollere, aut limitare hanc dispensandi facul- 16.
tatem, quod nos non negamus; si autem nullam huius dispensationis prohibitionem faciant, eandem dispensandi Abbates inferiores habebunt: quia, quando dispensatio non est reseruata, præsumitur data facultas dispensandi ex vsu, & consuetudine. Restat ergo resolutum, Abbatem posse dispensare cum suis subditis in Regula. Et hoc insuper probatur, non solùm per ea, quæ dicta sunt; sed etiam ratione: nam Superior potest cum inferiore in legibus dispensare; sed Abbas se habet tanquàm Superior: ergo poterit in legibus regularibus dispensare. Maior est Sot. *lib.* 1. *de iust. & iur. q.* 7. *art.* 3. Nauar. *in Summ. prel.* 9. *n.* 17. Suar. *de leg. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 2. Sayr. *in clau. reg. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 5. & aliorum communiter. Minor probatur: nam Superior legis, vel est ipse Legislator, vel ipsius Superior, vel successor in iurisdictione, vt benè ostendit Bonac *de leg. disp.* 1. *q.* 1. *p.* 5. & 3. sed Abbas est successor in iurisdictione sui Legislatoris: ergo poterit dispensare. Dices: Quomodo Abbas potest esse Superior, si ille Regulæ subiectus est, & eius præcepta obseruare tenetur, dicente Sancto Legislatore Benedicto, cap. 65. suæ Reg. *Quantò prælatus est cæteris, tantò eum oportet sollicitius obseruare præcepta Regulæ.* Respondeo, prout ad rem nostram facit, Regulam duo importare: primum obseruantiam ipsius Regulæ: secundum, iurisdictionem præceptiuam eiusdem obseruantiæ. Respectu prioris Abbas se habet tanquàm subditus; quia (vt dictum est) tenetur ad obseruantiam Regulæ: respectu posterioris se habet vt Superior, & vt talis poterit dispensare.

Imò fatendum est, posse Abbates, & Prælatos
cum suis subditis dispensare, etiamsi ipsi Abbates, 17.
& Prælati sint extra suum territorium, vel existentibus illis in territorio subditi sint absentes: sed hoc in foro interno tantùm, extra Sacramentum, vt benè docet Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. disp.* 19. *num.* 7. *& seqq.* simul cum Doctoribus ab eo citatis: vbi docet, duplicem dari iurisdictionem, scilicet, contentiosam, quæ inter partes litigantes exercetur, actorem, nimirum, & reum, cum strepitu iustitiæ; & proinde dicitur contentiosa, quia inter litigantes exercetur, quorum alter est inuitus, quæ quidem iurisdictio non potest exerceri ab Abbatibus, & Prælatis extra eorum territorium, ne alieni Prælati alterius territorij iurisdictio turbetur: alia dicitur iurisdictio voluntaria, quæ nec inter litigantes, aut inuitos exercetur, sed circa voluntarios, ac volentes quæ iurisdictio potest ab Abbatibus, & Prælatis, vt diximus, extra territorium modo dicto exerceri: quia sine strepitu iudicij exercetur, & sine læsione iurisdictionis alieni Prælati

In his autem dispensationibus, siue in proprio 18.
Monasterio, siue in Prouincia, aut tota Religione, siue extra territorium, si Abbates, & Prælati dispensent cum aliquo subdito non petente, neque alio pro illo similiter non postulante, adhuc valida est dispensatio: quia ad hoc, vt dispensatio valida sit, non requiritur, quòd præcedat postulatio alicuius, vt docet Suar. *de legib. lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 8. Hinc est, quòd

si Prælatus Regularis in Capitulo conuentuali, vel prouinciali dicat in communi: *Dispenso vobiscum, &c.* omnes circunstantes habentes necessitatem illius dispensationis, manent absoluti; etiamsi antea ipsi nihil petierint pro tali dispensatione. Ratio est: quia tunc Prælatus habet voluntatem dispensandi, ad quam non requiritur postulatio, siue deprecatio subditorum.

19. Non est tamen integrum Prælatis, & Abbatibus, posse dispensare cum subditis in his, quæ reseruantur in Regula maiori Superiori Religionis: vnde fatendum est, quidquid non est eis prohibitum in Regula, siue in iure, posse dispensare; quia ex vi prælationis habet vnusquisque Prælatus hanc potestatem, & habet omnem illam potestatem, quæ in tali Religione respectu subditorum reperiri possit, nisi prohibeantur iure speciali

20. Si dicas, quòd in Venerabili Societate Iesu contrarium obseruatur per Bullam Gregorij XIII. per quam nullus Prælatus Generali inferior potest dispensare, nisi quatenus sibi concessum est, ita vt quidquid ei non est concessum, censeatur prohibitum, & non è conuerso; scilicet, quidquid non est prohibitum, censeatur concessum: quod dici potest de aliis Religionibus. Respondet Suar. *tom.* 4. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 15. quòd hoc est speciale statutum suæ Religionis, quod vniuersaliter non est accipiendum, de quo statuto fusiùs tractat. *loco cit. lib.* 10. *cap.* 5.

21. Quod si talis potestas conueniat Prælatis, & Abbatibus ex specialibus priuilegiis Religioni concessis directè, siue indirectè per communicationem; tunc Regula dicta non est omninò attendenda, sed inspiciendus est tenor priuilegiorum: quia, si verba sunt generalia concedendi Abbatibus, & Prælatis potestatem dispensandi in hac, vel illa re, & per aliud indultum & per Regulam illius Religionis non limitantur, tunc procedit optimè Regula posita, quòd, scilicet, potestas dispensandi in omnibus reperitur, qui specialiter non prohibentur: quòd si verba priuilegij sunt specialia ad Generales, vel Prouinciales tantùm directa; tunc habet locum altera Regula, nimirum, inferiores Prælatos posse solùm dispensare in illis, quæ à Superioribus fuerunt concessa: quia, cùm alibi datum non sit, ex natura rei ipsis est prohibitum, quandiu illis non est concessum: & sic habetur virtualis quædam prohibitio respectu inferiorum. Ita Suar. *loco citato, num.* 16.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis possit in omnibus Regulæ statutis cum subditis dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Dispensare non potest Abbas, vel alius Prælatus in substantialibus, & essentialibus status Religionis, & Christianæ, ac regularis disciplinæ.*

2 *Dispensare non potest Abbas in aliquo actu, qui sit contra obligationem Regulæ, status religiosi, & regularis disciplinæ.*

3. *Dispensandi potestas competit Abbatibus, & aliis Prælatis regularibus ex dispositione iuris communis, & ex specialibus etiam priuilegiis, vt n. 4 & 5.*

6 *Dispensandi potestas in Prælatis, an extendatur ad culpam mortalem, vel etiam ad quancunque aliam grauem obligationem. Limita. vt num.* 7.

8 *Dispensare possunt Abbates, & Prælati Regulares cum suis subditis, in preceptis Ecclesiæ, sicut Episcopi.*

Notandum est, in Regula contineri quædam de 1.
iure diuino, quæ ab Abbate dispensari non pos-
sunt; quædam verò essentialia, & substantialia sta-
tui monastico, vt sunt tria vota essentialia Religio-
nis, in quibus similiter non potest Abbas dispensare,
vt constat *ex cap. Cùm ad Monasterium in fin. de stat.*
Monach. vbi habetur: *Non æstimet Abbas, quod super*
habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispen-
sare: quia, abdicatio proprietatis sicut & custodia casti-
tatis, adeò annexa est Regulæ monachali, vt contra eam
nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Sicut
nec in aliis ad Ecclesiæ Dei ordinationem spectanti-
bus, & huius rei similibus, quæ ad fundamentum,
& basim disciplinæ regularis spectare videntur. Quod
voluit Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de regul.* dum ait:
Cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad sub-
stantiam regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim
illa, quæ bases sunt, & fundamenta totius regularis
disciplinæ, exactè non fuerint conseruata, totum cor-
ruat ædificium, necesse est. Hoc tenent communiter
Doctores, præsertim Angel. *verb. dispensatio. num.* 8.
Syluest. *eodem verb. q.* 74. *n.* 20. *casu* 9. Turrecrem.
in Regul. S. Bened tract. 148. *dub.* 3. Roderic. *q.* 9.
Reg. t. 1. *q.* 26. *artic.* 1. Mirand. *tom.* 2. *Manual. Præl.*
q. 9. *a.* 6. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 12. 2.
num. 25. vbi addit, quòd Prælatus non solùm non
potest dispensare in his, quæ diximus; sed nec etiam
in aliquo actu, qui sit contra obligationem eorũ, quæ
relata sunt. Si ergo Abbas non potest in his dispen-
sare, videtur colligi per argumentum à contrario sen-
su, posse dispensare in omnibus, quæ non contra-
riantur illis, quæ dicta sunt; scilicet, in reliquis ob-
seruantiis, & statutis: quod etiam intendit probare
sententia S. Bernardi *lib. de præcep. & dispens.* vbi di-
cit: *Omnia prouidè S. Bened instituit; exceptis tamen*
nonnullis de spiritualibus, v. g. de charitate, humilitate,
& mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse,
quàm Deum; & hoc penitùs non esse mutandum. De
cætero reliqua vniuersa profitentibus ita necessaria di-
xerim, vt ex eis minimè præiudicetur necessariis, ratio-
nabilibúsque dispensationibus. Et est hoc rationi con-
gruum: quia dispensatio hæc, cum frequenter neces-
saria sit, oportet, quòd sit commissa ordinario Præ-
lato Monachorum: ac per consequens talis potestas
Abbatibus competit ex vi iuris communis, vt probat
Suar. *loc. cit n.* 26. Hæc autem, in quibus potest Ab- 3.
bas dispensare, reducuntur ad tria genera rerum ex
Caiet. *p.* 2. *q.* 97. *a.* 3. & Sot. *lib.* 1. *de iust. q.* 7. *a.* 3.
nempe, ad leuia, ad frequentia, & ad propria: datur
enim potestas circa hæc tria Abbatibus: quia in his
nimis molestum esset, semper recurrere ad supremum
Prælatum. Ita Valentia *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 5. *de leg. hum.*
puncto 9. Non solùm de iure communi hæc potestas 4.
dispensandi conuenit Abbatibus; sed etiam ex iure
speciali, & priuilegiario, quo multæ Religiones po-
tiuntur: in Ordine enim Minorum Prælati habent à
Pio II. quòd possunt condescendere, seu dispensare
cum subditis suis debilibus, & infirmis in his, quæ
non sunt contraria Regulæ, in quo priuilegio expri-
muntur aliqui casus, vt de sotularibus in itinere, ac
de equitando: licèt non sit arcta necessitas, vel infir-
mitas; & de acceptione frumenti pro nutriendis Fra-
tribus, vbi non est alius modus habendi, & de pro-
curandis eleemosynis in die Sabbati pro carnibus vbi
consuetum est, & similibus: neque propter hoc di-
cuntur facere contra Regulam. Circa quæ verba no-
tat Corduba *in addit. ad compend. tit. dispensatio* §. 8.
quòd

quòd Papa concedit Prælatis ſui Ordinis, etiam Guardianis, quòd poſſint condeſcendere, & diſpenſare, & compati infirmis debilibus in his, quæ non ſunt contraria Regulæ, id eſt, in his, quæ non ſunt omninò contra ſubſtantiam obligatoriorum Regulæ, neque contra, neque extra totam latitudinem ipſorum præceptorum, ſeu obligatoriorum: quod pro eo dicit; quia ex aliquali cauſa portare calceamenta, & equitare exiſtente aliqua neceſſitate, ſine cauſa, quamuis non ſic vrgente, licèt aliqualiter ſit contra ſubſtantiam obligatoriorum Regulæ; non tamen ſimpliciter; ſed contra aliquam conditionem, ſiue circunſtantiam requiſitam ad plenam obſeruantiam ipſius præcepti requirentis manifeſtam, & vrgentem neceſſitatem ad hoc, quòd quis poſſit calceari, & equitare. In his ergo, quæ non ſunt omninò contra ſubſtantiam principalem Regulæ, nec extra latitudinem ipſorum obligatoriorum Regulæ, ſed ſolum ad conditionem requiſitam ad cognitionem ipſorum, concedit Pontifex, vt Prælati poſſint diſpenſare.

5. Similibus priuilegiis fulciuntur aliæ Congregationes, quæ quidem priuilegia nihil noui concedunt, ſed explicant magis poteſtatem Prælatorum ad tollendos ſcrupulos, vel concedunt aliquam circunſtantiam peculiarem, ad quã non videbatur extendi ordinaria poteſtas Abbatum; quæ poteſtas, an extendatur ſolùm ad culpam, ſaltem mortalem, vel etiam ad quancunque grauem obligationem, & ſub mortali ex Regula, vel ex voto Religionis prouenientem præter tria ſubſtantialia, dubitat Roderiq. *tom. 1. qq. Regul. q.*

6. *26. art.* 1. vbi tria diſtinguit in Religione; ſcilicet, quædam ſubſtantialia Religioni formali, quæ indiſpenſabilia ſunt ab Abbatibus; alia verò ſubſtantialia tali Religioni, vt talis Religio eſt, quæ indicat Concil. Trid. *ſeſſ. 25. cap. 1. de Regularib.* dicens: *Ac ſi qua alia ſunt alicuius Regulæ & Ordinis peculiaria vota, & præcepta ad eorum reſpectiuè eſſentia pertinentia.* Huiuſmodi enim ſunt omnia vota, quæ in aliqua Religione, præter tria ſubſtantialia, fiunt. Secundò, ſunt omnia præcepta, quæ ad peccatum mortale obligant. Tertiò, ſunt omnia accidentia, quæ in Regula continentur, & obligationem non includunt. Quibus præmiſſis, dicit ipſe Rodriq. poteſtatem Abbatum, & Prælatorum regularium extendi ad omnia, tam in ſecundo, quàm in tertio ordine contenta: quia Concilium dicit, Religioſum Prælatum non poſſe relaxare ea, quæ ſunt de ſubſtantia regularis vitæ; & non dicit huius, vel illius vitæ regularis; ſed abſolutè, vitæ regularis, quæ ſolùm ſunt ea, quæ pertinent ad primum ordinem: & ſic indicat, in omnibus aliis poſſe Abbates, & Prælatos diſpenſare, iuxta illud ſæpè repetitum: *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Et pro ſua ſententia citat D. Bernardum *lib. de præcept. & diſpenſ.* & S. Thomam 2. 2. *q.* 47. *art* 3. Syluestrum *verbo, diſpenſatio, q.* 14. Soto *t. de iuſtit. q. 7. art. 3.*

7. Quæ doctrina iuxta ſententiam Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 12. n. 28.* non poteſt ſuſtineri ſine limitatione: ideóque ad veritatem explicandam diſtinguere debemus cum illo, vota peculiaria vniuſcuiuſque Religionis è Regulis, & præceptis ſub mortali obligantibus, quæ maximè diſtant inter ſe, licèt ambo ex Regula, & voto oriantur: nam vota peculiaria ſecundùm Regulam fiunt; & præcepta Regulæ includunt aliquo modo obedientiæ votum; extat tamen differentia: quia, licèt Regula ordinet, vt votum fiat; tamen immediatè non oritur obligatio ex Regula, ſed ex voto, vt patet in Religione S. Franciſci de Paula: Regula enim ordinat fieri quartum votum abſtinendi à carnibus; voto autem facto, carnes comedere, eſt ſacrilegium immediatè oppoſitum voto; è contrario verò, ſi Regula ſola ad eandem abſtinentiam obligat immediatè, verbi gratia, etiamſi obliget ſub mortali, non eſt obligatio voti, neque excedit obligationem præcepti humani eccleſiaſtici: quia votum obedientiæ, quod ſupponit illa lex, obligat immediatè ad ſeruandam vnamquamque Regulam.

An verò Abbates, & Prælati poſſint diſpenſare in præceptis Eccleſiæ, Dico breuiter cum Suar. *loco cit.* 8.
num. 18. & Ioan. de la Cruz *lib. 1. de voto obed. cap. 6. dub.* 21. & Ioan. Bapt. de Lazans *in Sum. quæſt. regul. cap. 8. num* 54. Abbates habere hanc poteſtatem diſpenſandi: nam quidquid iure communi poſſunt Epiſcopi in hoc genere circa ſuos ſubditos, poſſunt etiam Abbates, & Prælati circa ſuos ex illo principio multoties repetito: quia huiuſmodi Prælati habent iuriſdictionem epiſcopalem, vel quaſi epiſcopalem, quæ in diſpenſationibus neceſſaria eſt, & hæc poteſtas regulariter verſatur in his, quæ ordinariè occurrunt. Et quia non poteſt ſemper fieri recurſus ad Summum Pontificem; ideò prædictis Abbatibus talis poteſtas data eſt, vt poſſint perfectè gubernare: maximè cùm tota cura animarum perſonarum regularium ablata ſit ab Epiſcopis, & tranſlata ad Abbates, & Prælatos regulares: ſed Epiſcopi, vt de ſe clarum eſt, poſſunt cum ſuis ſubditis in præceptis Eccleſiæ diſpenſare: ergo & Abbates, & Prælati poterunt cum ſuis in eiſdem præceptis diſpenſare: & hoc habent de iure communi, & eo modo, quo habent Epiſcopi, ſtatim vt Religiones exemptæ fuerunt ab Ordinariis locorum, & Prælatis earundem Religionum Summo Pontifici immediatè ſubiectis traditæ fuerunt in cuſtodiam, & gubernationem.

Nec obſtat, quòd in aliquibus Religionibus habeantur priuilegia Summorum Pontificum, virtute quorum Abbates, & Prælati poſſint in præceptis diſpenſare: quia huiuſmodi priuilegia nihil concedunt ſupra ius commune; ſed tantùm iudicant ſcrupuloſis, vt *ſupra* diximus, hanc poteſtatem reperiri clarè, & manifeſtè in eorum Prælatis. Videatur Rodriq. *tom. 1. q. regul. q.* 42. *a.* 7. & *quæſtione.* 21 *artic.* 10.

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbas, vel alius Prælatus Regularis poſſit diſpenſare in Regula ad libitum, & ſine cauſa?

SVMMARIVM.

1 *Diſpenſatio cauſam requirit.*
2 *Diſpenſatio facta à Summo Pontifice circa ius naturale, & diuinum ſine cauſa, nulla eſt; & ea vtentes non ſunt ſecuri in conſcientia, quin peccent mortaliter.*
3 *Diſpenſatio facta à Papa in iure purè humano, & poſitiuo, etiam ſine iuſta, & rationabili cauſa, valida eſt.*
4 *Diſpenſatio inferioris circa legem Superioris, abſque rationabili cauſa facta, inualida eſt. Limita, vt num. 6*
5 *Diſpenſatio eſt legis relaxatio.*
7 *Diſpenſare non poteſt Abbas in Regula ſuæ Religionis ſine cauſa.*
8 *Diſpenſatio facta ab Abbate ex præſumpta iuſta cauſa, licèt non ſit, an ſit valida? Et quid facere debeat Abbas factus malæ fidei, vt num 9.*
10 *Diſpenſatio in lege propria, vel inferioris ſine cauſa facta, an ſit valida, & an ſic diſpenſans mortaliter peccet?*
11 *Diſpenſare debent Abbates, iuſta, & rationabili exiſtente cauſa, alioquin peccarent.*

12 *Dispensatio quando debita sit.*

13. *Prælati non debent esse nimis indulgentes in dispensationibus.*

14 *Religiosus subditus quid facere debeat, si non adsit Prælatus, & habeat iustam causam dispensationis? Et quid, si Prælatus ex malignitate nolit dispensare, vt num. 15.*

1. SVpponendum est, ad dispensationem semper requiri causam: quod sic ostenditur ex inductione: nam dispensatio facta à Summo Pontifice sine iusta, & rationabili causa. in foro conscientiæ, quamuis sit circa legem purè humanam, independentem à iure naturali, & diuino, non est licita, vt communiter fatentur omnes Doctores, præsertim D.Thom.1.2.q 96. *art.*9 & Caietanus *ibidem*, Victoria *lib. de potest. Papæ, & Concily, q.*7 Nauarr. *in cap Statuimus. num.*10. Soto *lib.*1. *de iust. & iur. q.*7. *art.*3. Medina 1.2. *quæst.*97. *art.* 4. vbi hoc probat ex verbis D. Pauli 1. Corinth. 10. *Potestatem & facultatē accepit dispensandi, sed in ædificationem Ecclesiæ, nō verò in destructionem.* Idipsū tenent omnes Interpretes *in c. Cum omnes. de constit.*

2. Similiter supponendum est, dispensationem factā à Summo Pontifice circa ius naturale, & diuinum sine causa, nullam esse: imò illa vtentes non sunt securi in conscientia, quia mortaliter peccent. Ita communiter Doctores, vt affirmat Miranda *tom.*2. *Manual. Prælat. q.*30. *art* 4. *concl.*2. & præsertim Sotus *lib.*1. *cit q.*7. *art.* 3. & Caietanus 1.2.*q.*96 *art.*5. & Medina *loco cit.* vbi dicit, si Papa dispensasset cum Episcopo, vt potestatem habeat testandi de bonis ecclesiasticis, quæ pauperibus distribuenda erant, huiusmodi dispensatio prorsus coram Deo inualida esset.

3. Similiter supponendum est, dispensationem factam à Papa in iure purè humano, & positiuo, sine iusta, & rationabili causa, quamuis peccatum committatur ab illo; tamen validam esse, illáque vtentes non peccabunt mortaliter, sed venialiter. Ita Nauarr. *in Manual. cap* 23. *num.* 42. Soto *loco cit. quæst.* 6. *art.* 4. Victoria *de potest. Papæ, num.* 15. qui dicunt contra Caietanum 1.2.*q.*97. *art.*4. dicentem, peccare mortaliter eos, qui vtuntur tali dispensatione: & dicunt etiam contra Panormitanum asserentem, neque mortaliter, neque venialiter peccare illa vtentes. Videatur pro hac re Medina 1. 2.*q.*97. *art* 4. vbi probat sententiam nostram suprapositam hac ratione: quia obligatio illa dependet à iure humano, super quod Summus Pontifex cum causa potest dispensare: dispensatio autem tollit obligationem; quamuis sine causa id faciendo peccet mortaliter, sicut procurantes dispensationem? vtentes verò dispensatione, non mortaliter, sed venialiter peccant. His ergo suppositis,

4. Certum est, omnem dispensationem inferioris circa legem Superioris factam sine rationabili causa,
5. nihil valere; ideò cùm dispensatio ab Abbate habenda in obseruantiis, & statutis modo dicto *in antecedenti quæsito*, sit quædam relaxatio ab inferiore, nimirum, ab Abbate in lege sui Superioris, scilicet, S. Patris Benedicti, vel SS. Basilij, Augustini, & aliorum Legislatorum; si causa legitima desit, ita vt pro suo arbitratu dispenset Abbas, tunc dispensatio nulla erit, Ita communiter Doctores, præsertim Innocent. *cap. Cùm ad Monast. n.*4 *de stat. Monach. ibidem* Hostiens. *n.* 33. & Panorm. *n.* 17. & Cardin. §. *vlt. n.* 5. Baldus *l. Barbarius. n.*7. *ff. de offic Prætor.* & Salas *de legib. disp.*20. *sect.*4. *n.*21. vbi Vasquez, Valent, Nauar. Sanch. Ang. Syluest. Armill. Sot. & Couar. Ioann. And. Felin. Turrecr. Aret. & alios cumulat. Ratio horum Doctorum est: nam dispensans sine causa, excedit facultatem sibi datam, quæ illi in ædificationem, non in destructionem, & sub conditione causæ iustæ commissa est: vnde talis dispensatio si-
ne causa facta, dissipatio potiùs. & destructio diceretur 6.
ex S. Bernardo 3. *de consider.* Quidam tamen apud Salas *loc. cit.* temperant hanc propositionem, dicendo, nisi inferior habeat plenitudinem potestatis concessam à Superiori: quæ limitatio est magnæ considerationis, præsertim in Abbatibus militantibus sub Regula S. Benedicti: sed hoc potiùs consilio, & prudentiæ Abbatis, quàm huic paginæ relinquendum esse arbitrior; ideò

Dicendum est, Abbatem non posse dispensare in 7.
Regula suæ Religionis sine causa: quod præter rationem factam, probatur ex illo Lucæ 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Vnde, si arbitratu suo absque ratione, ac consilio dispenset Abbas; nequaquam fidelis, & prudens dispensator inuenitetur: quo in negotio consideret Abbas de conuenientia dispensationis, & de maiore augmento charitatis; & tunc ad dispensandum procedat. Sed præ oculis verba S. Bernard. *de præcep. & dispens.* habeat, dum ait: *Ideò autem hanc ipsam mutationem taliter, & à talibus recipere possunt: quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt. Porrò inuenta, ac instituta fuerunt, non quia aliter viuere non liceret; sed quòd ita magis expediret. nec plus è ad aliud, quam ad lucrum, & custodiam charitatis. Quandiu ergo charitati militant, immobiliter fixa sunt, & mutari omninò, nec ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt.* Et alia quamplura *ibi* subsequentia eiusdem D. Bernardi verba ab Abbate scitu pernecessaria, atque ad dispensationem ab eo faciendam perutilia.

Sed hîc statim oritur dubium, si Abbas bona fide 8.
putat, causam esse iustam, & sufficientem, quæ reuerà non est, valétne dispensatio? Respondeo affirmatiuè. Ita Sanchez *lib.*8. *de matrim. disp.* 17. *n.* 5. & Azor. *tom* 2. *instit moral. lib.*7. *cap.*29. *q.* 6. quidquid dicat Philiarchus *de offic. Sacerdot. tom.*1. *p.*1. *lib.*3 *c.*4. Et tam Abbas, quàm subditus dispensatus non pec-
cant. Si autem Abbas factus est malæ fidei, antequàm 9.
subditus dispensationem acceptet, debet illam Abbas reuocare, & subditum de causa non legitima admonere. Ita Ludou. Lopez 1. *p. instruct. c.*4. *vers. Præterea secundo.*

An verò dispensatio in lege propria sine causa, vel 10.
inferioris, sit valida, & an dispensans sine causa peccet mortaliter; adhuc dubitari potest. Aliqui apud Vasquez *in* 1. 2. *tom* 2 *disput.*178. *cap.*4. negatiuè respondent, sicut & ipse. Contrariam sententiam sequuntur Suar. *de legib. lib.*19. *num.*6. Salas *de legib. disput.*20. *sect.*4. *num* 27. Pontius *de matrim. lib.*8. *cap.*14. *num.*7. Villalobos *in Summ. tom.*1. *tract.*2. *dub* 41. *n.* 5. Lorca *in* 1. 2. *tom.* 2. *disput.* 27. Sed notandum est contra Suar. *loco cit. num.*9. Superiorem dispensantem in propria lege sine iusta causa, non peccare mortaliter; sed tantùm venialiter, secluso scandalo, & graui damno alterius. Ita docent Layman *in Theol. moral. lib* 1. *tract* 4. *cap.*22. *num.* 13. & Tannerus *in* 1.2 *disp.* 5 *q.*7. *dub.*2. *num.* 29. Quod etiam verum est in dispensationem petente: nam tantùm venialiter peccat: quamuis in vsu posteà huius dispensationis obtentæ sine causa nullam etiam culpam venialem committat. Ita Malderus *in.* 12.*q.* 97. *art.*4. *dub.*2. Suar. *de legib. lib.*6. *num.* 14. Azor. *tom.*1. *instit. moral. cap.*15. *q.*3. Diana *in resol moral. tract.*10. *de legib. resol.*32. Sed de hac re fusiùs *in quæsito*, 10.

Ex his inferri potest, imò concludi, quòd Abba- 11.
tes, & Prælati iusta, & rationabili causa existente, debent dispensare; alioquin peccant: Ita affirmant S. Antoninus. 1 *part. tit.*17. *cap. vnic.* §.10. Turrecremata *in Regul. S. Benedicti, tract.*148. *dub.* 5. Panormit

mit. *in cap. Paſtoralis. de appell. num.* 17. Syluester *verbo diſpenſatio, q. 1. num. 3. in fine.* Piſanella *eodem verbo, §. diſpenſatio,* Armilla *ſimiliter,* & Roſella *n.* 4. Emmanuel Sà *in Aphoriſ. verbo, diſpenſatio,* & communiter Doctores *in cap. Vt conſtitueretur. diſt. 50. verbo, detrahendum,* & *in cap. Domino ſancto, §. 1.* vbi Gloſſ. *verbo, neceſſe.* Probatur: quia diſpenſandi poteſtas in Abbatibus, & Prælatis eſt in ſubditorum bonum, cui Abbas, & Prælatus proſpicere tenetur. In hoc tamen Abbates debent cognoſcere cauſam à ſubditis propoſitam, illámque examinare diligenter, aut vera ſit, vt benè aduertunt Salas *loco citato, ſect. 9.* Roſella *verbo, diſpenſatio, num. 6.* Azor. *loco citato, cap. 15 q. 7.* & Caietanus 2. 2. *q.* 147. *art. 4. ad 1. dub.* Hæc tamen intelligenda ſunt, quando eſt neceſſaria diſpenſatio ad bonum commune, vel notabile bonum alicuius priuati.

12. Ideò dicendum eſt, non ſemper exiſtente iuſta cauſa, diſpenſationem debitam eſſe; ita vt peccent Abbates, & Prælati non diſpenſantes cum ſubditis, vt affirmant Archidiac. *in cap. Licet. de elect. in 6.* & *in cap. Vt conſtitueretur. ſuper Gloſſ. relaxatio, diſt. 50.* Turrecremata *ibid. num.* 9. Dominicus *d. cap. § Super reſidentia. num. 3. ibid.* Franchus *§. His etiam. num. 2. verſ. Secundò, infertur.* Panormit. *in cap. At ſi Clerici. §. de adulteriis, num. 5.* Sanchez 3. *de matrim. diſput. 10. num.* 13. vbi plures Doctores cumulat & ſequitur: *& num.* 26. citat Sotum, & alios aſſerentes, quòd ſi Prælati denegent iniuſtè diſpenſationem in denunciationibus matrimonialibus, poſſunt contrahentes ſine illis matrimonium contrahere. Probatur ergo ſententia ſupradictorũ Doctorum: quia diſpenſatio in iure appellatur gratia *ex d. c. Licet de elect. in 6. in fine:* & aliquãdo appellatur indulgentia *ex c. 1. de ſtatu Monach. in 6.* aliquando miſericordia *ex c. Poſtulaſti. de cler. excom. min.* Sed gratia, indulgẽtia, & miſericordia eſt indebita: ergo. Confirmatur: quia non quidquid Iudicis poteſtati permittitur, neceſſitati iuris ſubiicitur, *l. Quidquid. 40. ff. de iudic.* Probatur præterea ex diuiſione diſpenſationis in prohibitam, debitam, & permiſſam, quæ habetur apud Panormit. *cap. Conſil. 1. num. 4. de conſeruat. ieiunij.* Sed omnis diſpenſatio ſine cauſa iuſta eſt prohibita: ergo diſpenſatio cum cauſa iuſta, quædam eſt debita, alia verò indebita, ſeu permiſſa tantùm.

12. Quando verò diſpenſatio huiuſmodi debita ſit, ita vt Prælatus teneatur diſpenſare cum ſubdito, controuerſia eſt inter Doctores.

Prima ſententia affirmat, diſpenſationem debitam eſſe, quando Prælatus Superior præcipit inferiori, vt diſpenſet. Ita affirmant Turrecramata, & Franchus *in cap. d. Licet. §. Super reſidentia. & §. His etiam.*

Secunda ſententia affirmat, quoties diſpenſatio eſt neceſſaria ad bonum commune, ſiue ad vitandum ſcandalum multorum, vel eſt longè vtilior Eccleſiæ; tunc eſt debita diſpenſatio; ſecùs verò dicendum, ſi ſit neceſſaria ad bonum priuatum. Hanc ſententiam videtur ſequi Panormitanus *cap. Etſi Clerici. §. de adulter. num. 20. de iudic.* & Abulenſis *in Matth. 22. q.* 117. quæ quidem ſententia, licèt quoad primam partem veriſſima ſit; falſa tamen eſt quoad ſecundam partem. De prima parte certum eſt, & indubitatum, diſpenſationem debitam eſſe, quando eſt neceſſaria ad euitandum ſcandalum, aut aliud malum commune: eſt verò falſa, cùm dicat, diſpenſationem non eſſe debitam propter bonum priuatum; quia etiam propter tale bonum priuatum debet talis diſpenſatio aliquando concedi.

Tertia ſententia affirmat, diſpenſationem debitam eſſe, quando diſpenſatio non ſolùm neceſſaria eſt ad bonum commune, & ad vitandum ſcandalum multorum, & vtilior Eccleſiæ, & etiam quando eſt neceſſaria, & vtilis valdè bono priuato; quam ſententiam docet Salas *de legibus, diſput 20. ſect. 7. num.* 74. eámque probat ex Concil Trid. *ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim.* vbi inſtituit Ordinarium, vt diſpenſet in denunciationibus, quando viderit aliquos velle malitioſè matrimonium impedire: quia, nimirum, tunc iure naturæ diſpenſare tenetur, eò quòd neceſſaria eſt diſpenſatio directè ad bonum priuatum, ex quo reſultat publicum, & commune: & eodem modo, ſi diſpenſatio neceſſaria eſſet ad ſcandalum vnius vitandum, vel alterius, licèt non multitudinis; deberet tamen diſpenſatio concedi: & denique, quoties eſt neceſſaria, vel expediens ad bonum priuatum animæ, vel corporis, ſiue honoris alicuius particularis. Quando verò non ſunt cauſæ vrgentes, ſcilicet, quia diſpenſatio non eſt neceſſaria, nec valdè vtilis communi bono, vel priuato; tunc quanuis iuſtæ adſint cauſæ diſpenſationis; tamen Prælati non tenentur diſpenſare, licèt poſſint, vt habetur *in cap. Si Clerici. §. de adulter. de iudic.* vbi habentur hæc verba: *De adulterijs, & aliis criminibus, quæ ſunt minora, poteſt Epiſcopus cum Clericis poſt peractam pœnitentiam diſpenſare.*

Dicendum tamen, iuſta exiſtente, atque rationabili cauſa poſſe, Abbates, & Prælatos, imò debere cum ſuis ſubditis miſericorditer diſpenſare: quod habetur in Gloſſ. communiter recepta *in cap. Vt conſtitueretur. diſt. 50. verbo, detrahendum:* vbi habetur, quòd diſpenſatio quandoque eſt debita: quod probat d. Gloſſ. *ex cap. Vbi ſtrages multorum.* & *ex cap. Licet. diſt. 45. cap. Diſpenſationes. 1. q. 7. cap. Plerunque. 11. q. 3. cap. Vons. in fine, 23. q. 1. cap. Conſiderandum. diſt. 50.* quia, vt in his capitibus concluditur, diſpenſatio eſt quædam miſericordia; & quilibet in caſu vrgente ex cauſa tenetur. Non debent tamen Prælati eſſe nimis indulgentes, dicente Caietano *loco cit.* quòd minùs ſapiunt Prælati, qui petentibus ſubditis in cauſa dubia diſpenſationem cœnandi in ieiuniis Eccleſiæ, aut ieiunium aliter ſoluendi, præueniendo horam ieiunij, remittunt eos in conſcientia ſua. Graffius etiam aduertit *in 1. part. deciſ. lib. 2. num.* 57. quòd debent Prælati, cognita ieiunandi impotentia, compati infirmitatibus ſubditorum, & benignè diſpenſando, illos à ſcrupulis liberare, & ieiunium in ſeptem Pſalmos, vel alia opera commutare. 13.

Dices cum Roderiq *tom. 1. qq. regul. q. 26. art. 5.* quid facere debet ſubditus habens iuſtam, & neceſſariã cauſam diſpenſationis, ſi non adſit ſuus Abbas, qui cum eo diſpenſet. Et reſpondet idem Roderiquez, quòd tunc poteſt ſubditus recurrere ad epiicheiam, quæ non eximit ſubditum per licentiam, caſu, quo teneretur; ſed explicat, quòd illo caſu non tenetur. Epiicheia autem non ſolùm Prælatis; verùm etiam ſubditis competit, & differt à diſpenſatione in hoc: quia diſpenſatio ſolùm competit Prælatis; epiicheia verò Prælatis, & ſubditis, qui in neceſſitate poſiti epiicheia vti poſſunt ſua propria authoritate, ſentientes, & exiſtimantes in tali caſu rigorem legis cum illis eſſe mitigandum. In qua tamen epiicheia videant ipſi ſubditi, vt aduertit S. Antoninus *q. 1. tit.* 14. ne ſibi iniquitas mentiatur, fingentes neceſſitatem in præceptis. 14.

Sed ſupereſt maior difficultas, ſi adſit quidem Abbas; ſed ex malignitate, & odio nolit diſpenſare cum ſubdito. Reſpondeo, ſi manifeſta neceſſitas, vel vtilitas ibi adſit, & Abbas iniuſtè deneget, cùm tamen teneatur diſpenſare, videtur in iſto caſu ipſo iure cum illo diſpenſari. Ratio eſt: quia diſpenſatio iuſtè petita, & iniuſtè negata videtur ipſo iure conceſſa, vt habetur apud Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 13. num.* 4. & elicitur *ex cap. Placuit. de pœnit. diſt. 6.* 15.

QVÆ

QVÆSITVM X.

Vtrùm Abbates, vel alij Prælati Regulares possint indifferenter dispensare cum suis subditis in mandatis Regulæ.

SVMMARIVM.

1 *Particula illa*, indifferenter, *quid importet.*
2 *Dispensare cum Monacho infirmo potest Abbas in esu carnium.*
3 *Dispensare potest Abbas ex septem causis enumeratis.*
4 *Dispensare potest Superior, & Prælatus, etiam intuitu dignitatis personæ respicientis necessitatem, & vtilitatem publicam, & priuatam.*
5 *Præter causas enumeratas, adsunt alia multa, de quibus non potest certa Regula statui.*
6 *Dispensationem si iniustè neget Abbas, stante necessitate, vel vtilitate manifesta, quid agendum, ostenditur.*
7 *Quid faciendum, (eadem stante necessitate, vel vtilitate,) si Abbas, vel alius Prælatus absit à Monasterio.*
8 *Dispensare potest Prælatus in præceptis Regulæ, vt pura præcepta sunt, etiamsi ad mortale obligent in aliquo particulari casu.*
9 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
10 *Dispensare non debet Abbas, seu Prælatus, nisi cum discussione causæ.*
11 *Dispensationem acceptare non tenetur subditus, si certus sit, dispensationem esse contra Regulam, & Prælatum non posse præcipere, & dispensare, seu non dispensasse ex iusta causa.*

1. PArticula illa, *indifferenter*, idem importat, ac si quæreretur an Abbas omni tempore, & loco, cum qualibet persona, iisdemque circumstantiis accedentibus, indistinctè, eodémq; modo debeat dispensare. Ad quod dico, in dispensatione ab illa generalitate loci, personæ, temporis, aliorúmque hisce similium, semper esse cauendum: absurdum enim est, cum toto Monasterio in vna, eadémque re, & cum singulis di-
2. spensare: quia, v.g. cum Monacho infirmo potest Abbas in esu carnium dispensare, cognita necessitate personæ; & sic cum aliis infirmis, & imbecillibus, *ex cap. 39. Reg. S. Bened.* qua sanè dispensatione vti cum robustis benè se habentibus, nec laborantibus, non est necesse, nec expedit; sed ad hoc, vt recto dispensationis tramite procedant Abbates, & alij Prælati, debent habere vnam ex septem causis, quas enumerant Salas *de legibus, disput.20. sect.8.* Miranda *tit.2. Manual. Prælat. q.30. a.5.* Syluest. *verb. dispensatio, q.1. num.3.* Angel. *eod. verb. num.2.* Armill. *num.4.*

3. Prima causa est tempus, scilicet, quando temporis conditio requirit, vt relaxetur rigor obseruantiæ regularis, quæ causa non potest indiuidualiter assignari; sed prudenti Abbatis, & Prælati arbitrio relinquitur.

Secunda causa est vtilitas, quando, nimirum, ex dispensatione, & relaxatione oriri potest maior vtilitas, tam in publico, quàm in priuato, vel saltem huiusmodi vtilitas speratur.

Tertia causa est personæ qualitas: potest enim fieri aliqua dispensatio cum viro bene merito, studiis, aut concionibus, vel Confessionibus incumbente.

Quarta causa est necessitas; vt, scilicet, Prælati patienter sufferant, si infirmi, vel aliquem corporis defectum naturalem patientes, aliquibus regularis obseruantiæ grauaminibus exonerentur.

Quinta causa est pietas, quæ vt plurimùm confunditur cum necessitate, & cum tertia causa.

Sexta causa est euentus rei, quando experientia duce potest ex dispensatione aliquid boni euenire.

Septima est Scandalum multitudinis, quo mediante prudens Abbas parcit Communitati Monasterij in aliquo transgredienti, ne graue oriatur scandalum, si omnes puniret. Has causas assignant multi, Salas *de legib. disp.20. sect.8.* Pisanell. *verb. dispensatio, in princ.* Syluest. *eod. verbo, q.1. n.3.* & Angel. *ibidem, num 2.* & Armill. *num.14.*

Ad omnes has causas supradictas, quæ respiciunt 4.
necessitatem, vel vtilitatem publicam, aut priuatam, addenda est octaua causa, scilicet, dignitas personarum, quæ respicit necessitatem supradictam, & vtilitatem publicam, aut priuatam: dispensatio namque cum personis in dignitate constitutis ad bonum commune Reipublicæ, vel Religionis maximè vtilis, & necessaria est. Probatur ex S. Thom. 2. 2. *q.63. art.2. ad 2.* vbi ait, quòd dispensatio matrimonij contrahendi principaliter fieri consueuit propter fœdus pacis fundandum: quod quidem est magis necessarium vtilitati communi circa personas excellentes; & ideò cum illis faciliùs dispensatur absque peccato acceptionis personarum. Idem affirmant Couarru. *in 2. part. 4. cap 6. § 9 num.7. in fine* Ledesma *de matrim. q.56. art. vlt. in fine*, Sanchez *lib.8. de matrim. disp.19. num. 5.* Conradus *p.2. q 97. art.4. ad 2.* Soarez *de matrim. Regis Angliæ, dub.2. ad 4. num.2.* Salas *de legib. loco cit. sect. 8. num.75.* vbi ait, quòd præstare gratiam Principibus, etiamsi pax inter ipsos ex matrimonio non penderet, multùm interest Summo Pontifici, & Ecclesiæ; & ideò faciliùs cum ipsis dispensandum est: quod confirmat ex Concil. Trid. *sess.24.* vbi de matrimonio statutum est, ne in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Deinde subdit idem Salas, quòd Summus Pontifex, qui solus in eo gradu potest dispensare, ea lege non adstringitur; & potest ex aliis causis cum eisdem, & inferioribus personis dispensare, quod etiam fatetur Sanchez *loco cit. num.4.* qui *num.1.* notauerat, & optimè, quòd, licèt dispensatio fieri non debeat contra commune bonum; tamen necessariò fieri non debet directè, immediatè, & proximè propter commune bonum; sed sufficit, si indirectè, vel remotè ad commune bonum possit referri, sicut diximus *in antecedenti quæsito*, quò refertur dispensatio, quæ respicit bonum priuatæ personæ. Sed modò addo, & limito, dummodo non in aliarum personarum detrimentum: nam bonum est Reipublicæ, quòd priuatæ personæ affluant diuitiis, & fruantur salute, & aliis bonis: quapropter leguntur aliquæ causæ dispensandi respicientes bonum priuatum *in cap. Requiritis, §. Nisi rigor, 1. q.7.* & sæpè sæpiùs experientia docet, quod dispensatur in impedimentis matrimonij propter inopiam mulieris, & in castitatis voto propter periculum continentiæ.

Non propter hoc coarctantur Abbates, & Præ- 5.
lati ad has causas tantùm; sed adsunt multa alia, quæ hîc statui non possunt; ex quibus fieri potest legitima illorum dispensatio. Et, vt vnico verbo multa dicam, hæc pro certa regula sit omnibus Prælatis, vtilitas, vel necessitas, vt dicit *cap. Etsi illa, 1. q.7.* cum Gloss. *ibid. verb. vel rerum.* Id ipsum fatentur Sot.
de instit. lib 1 q.7. art 7. Rodriq. *t.1. qq. reg. q.2. a.5.* 6.

Hinc sequitur, si adsit manifesta necessitas, vel vtilitas, & Abbas dispensationē iniustè deneget suo subdito; in tali casu videtur nihilominùs cum illo dispensare, stante manifesta necessitate, vel vtilitate: quia, vt ait Henriq. *lib.6. de Pœnit. cap. 13. n. 4.* dispensatio iure petita, & iniustè negata videtur ipso iure concessa. Idem fatentur Magister Sentent. *in 4. d. 21.* & S. Thom. *ibid. in exposit. littera.*

7. Eadem stante necessitate, vel vtilitate, in casu, quo Abbas præsens non adsit; tunc potest Monachus indigens dispensatione, recurrere ad epiicheiam, modo, quo *quæsito præcedenti* diximus: nam tunc possunt subditi rigorem Regulæ, quem existimant mitigandum, epiicheia gubernare, vt benè resoluit rationibus, & auctoritatibus S. Antonin. t. *p. tit.* 17. *cap. vnico*, §. 20. de qua ce fusiùs Salas *loc. cit disp.* 5. *sect.* 10.

8. Possunt etiam Prælati dispensare in reliquis præceptis Regulæ, vt pura præcepta sunt, etiam si ad mortale obligent in aliquo peculiari casu: sed discretè; ita vt non sit eis interdicta facultas dispensandi, existente vna ex supradictis causis dispensationis, siue saltem alia causa reductiuè ad illas. Ita affirmant Turrecremata *in Regulam S. Benedicti, tract.* 48. *dub.* 3. Miranda *Manual. Prælat. q.* 9. *art.* 6. Angelus *verbo, dispensatio*, *num.* 8. & alij: quod probatur ex Gloss. *cap. Monachum.* 20. *q.* 4. & *cap. Cum ad Monasterium.* §. *Refert. de stat. Monach.* ibi enim conceditur Abbatibus, posse in aliquibus super Regulam dispensare. Et cùm illis prohibeatur in essentialibus Regulæ posse dispensare, per consequens illis conceditur, vt in non essentialibus dispensare possint: ex-

9. ceptio enim firmat Regulam in contrarium, vt habetur tritum in lege: & apud Couarr. 2. *variar. resol. cap.* 5. *num.* 6. Sed semper existente causa iusta, & eo modo, quo *suprà* diximus. Probatur ex D. Bernardo *de dispens. & præcept.* vbi ait: *Quandiu charitati militant statuta Regula, immobiliter fixa sunt, mutarique omninò, ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt: at si è contrario contraria fortè aliquando visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & prouidere creditum est, nónne iustissimum esse liquet, vt quæ pro charitate inuenta fuêre, pro charitate quoque expedire, vbi videtur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodius demutentur.*

10. Ex quibus licet inferre, quòd quando Prælatus dispensat, seu præcipit aliquid, hoc facere debet cum discussione causæ, ne talis dispensatio potiùs dissipatio sit: nam existente per talem discussionem causa legitima, & iusta, tunc tollitur deformitas à præcepto, & à dispensatione. Quòd si dubitet subditus, an habeat Prælatus causam iustam; tenetur tamen dispensationem acceptare, vt fatentur D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 2. *in fine*, & Sanchez *lib.* 6. *in Decal. cap.* 3. *num.* 8. & Tabiena *verbo, obedientia, q.* 13. Ra-

11. tio est: quia in dubiis subditus obedire tenetur. Ad hoc autem, vt subditus non teneatur acceptare dispensationem, & obedire Prælato, requiruntur tria. Primum, quòd sit certus, rem dispensatam esse contra Regulam. Secundum, quòd esse certus, quòd Superior non possit in illo præcipere, & dispensare. Tertium, quòd si potest, non ducatur tamen ex iusta causa; vno autem ex dictis deficiente, cùm res adhuc remaneat dubia, tenetur subditus dispensationem acceptare, & suo Prælato obedire.

QVÆSITVM XI.

Vtrùm Abbates, & Prælati dispensantes in propriis legibus sine causa, peccent: & quid de subditis dispensationem petentibus, eâque vtentibus: & an dispensatio talis valida sit.

SVMMARIVM.

1 *Dispensationem in propria lege factam sine causa, inducere culpam mortalem ostenditur.*

2 *Probabilior sententia fatetur, Prælatos in propriis legibus dispensantes sine causa, peccare tantum venialiter.*

3 *Dispensationem sine iusta causa petens à Prælato in lege propria, non peccat mortaliter, secluso scandalo, & damno aliorum.*

4 *Dispensationem petentes à Summo Pontifice sine causa, ad enitanda dubia, an peccent.*

5 *Dispensationem petens absque causa à Prælato in lege alterius Superioris, peccat mortaliter.*

6 *Dispensatione sine iusta causa facta vtentes an peccent, & quomodo.*

7 *Dispensatio in voto, aut iuramento, etiam si fit à Summo Pontifice, sine causa, nulla est, sicut dispensatio pensionum ecclesiasticarum, vt num.* 8.

9 *Dispensare potest Abbas cum Monacho irregulari cui prius, inscio Abbate, denegata fuerit dispensatio, etiam à Summo Pontifice. Sed limita, vt n.* 10.

11 *Dispensandi potestas an auferatur ab Abbate locali, per hoc, quòd Generalis, vel Prouincialis denegauit dispensationem subdito illius Abbatis.*

12 *Religiosus subditus repulsus à Sũmo Pontifice, Nuncio, Generali, siue Prouinciali, in petitione dispensationis, an teneatur facere mentionem talis repulsa coram suo Abbate.*

13 *Dispensare potest Abbas cum subdito, quem antè à præsentauit Summo Pontifici, licèt dispensationem non obtinuerit.*

14 *Dispensare an possit Prælatus inferior in lege Superioris, existente rationabili causa, sed sine eius cognitione.*

15 *Dispensatio vt valida sit sine causa cognitione, debet esse notoria.*

16 *Notorium non eget examine.*

Prima sententia est Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *num.* 6. Armilla *verbo, dispens.* 8. *num.* 13. Couarru. 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 9. *num.* 7. qui dicunt, quòd ex se, & ex genere suo prædicti Prælati dispensantes in legibus suis sine causa, peccant mortaliter: licèt ex leuitate materiæ possit peccatum aliquando esse veniale. Mouentur hac ratione: nam hoc esset contra iustitiam distributiuam, vel legalem; & multùm derogat communi bono; & datur occasio, vt leges violentur. Hinc est, quòd Concil. Trid. *de reform. sess.* 25. *cap.* 18. dicat, sine causa dispensare nihil aliud esse, quàm vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Probatur etiam: quia sine extrinseca malitia ex materia propria potest culpa talis esse grauis, vt dispẽsãre in pluralitate beneficiorũ, in obseruatione quadragesimali, in cœlibatu Sacerdotum, & similibus casibus, quæ ad obseruationes graues spectant. Et sic restat, quòd ex proprio genere culpa sit grauis, & lethalis, quæ in indiuiduo ex leuitate, & paruitate materiæ potest esse venialis: vt est, verbi gratia, in gradu affinitatis dispensare, & similibus, sicut etiam dispensare in lege obligante sub veniali: per se solum enim peccatum veniale erit, nisi lædatur bonum publicum. Sentiunt ergo prædicti Doctores, ex suo genere dispensationem prædictam esse sub peccato mortali interdictam.

Alia sententia est Valentiæ *tom.* 2. *disput.* 7. *q.* 5. *punct.* 5. Villalobos *in Sum. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 4. *num.* 6. Soti *tom.* 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. Nauarr. *in Sum. prælud.* 9. *num.* 11. Caietani t. 2. *q.* 96. *art.* 5. Ludouici Lopez 1. *part. instruct. cap.* 4. *col.* 2. *vers. sexto.* Philiarchi *de offic. Sacerd. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. Vinaldi *in append. ad Candelabr. num.* 23. Azor. 1. *part. instit. moral. lib.* 5. *cap.* 15. *q.* 2. Salas *de legibus, disp.* 20. *sect.* 5. *numero* 54. Diana *in resol. moral. tract.* 2.

tract. 10. *de legib. resol.* 35. qui omnes fatentur, dispensationem Abbatum, & Prælatorum in propriis legibus factam sine causa, inducere tantum peccatum veniale, semoto scandalo, ac notabili damno aliorum; quale esset alios nimis grauari ex eo, quòd quisque sine causa liberaretur à lege tributi. Probatur à Salas *loco cit.* quia his cessantibus non est res tanti momenti, quempiam sine causa ab obligatione legis eximi: imò multi in hac re nullam pœnam agnoscunt, nec culpa fit mortalis ex multiplicatione, & frequentia actuum; sed ex circumstantia scandali extrinseca, vel alterius damni notabilis: quo scandalo secluso, & damno graui aliorum, non est nec etiam peccatum veniale, dispensare in propria lege sine iusta causa; sicut, nec etiam peccant dispensationem sic petentes, & illa vtentes sine iusta causa: quia, cùm talis dispensatio sit valida, nulla amplius obligatio legis remanet, cuius transgressio ad venialem culpam possit obligare: imò Sanchez, qui contrariam sententiam tenet *in tom.* 3. *de matrim. disput.* 18. *num.* 10. vbi citat, & sequitur Caietanum, Armillam, Vegam, Rodriq. & alios, probabile putat, quòd néque dispensantes, neque petentes, siue vtentes dispensatione modo dicto, peccent mortaliter: sed de petentibus, & vtentibus *inferius, hoc eodem quæs.* dicemus.

Ad id, quod dicunt Doctores primę sententię, quòd committitur peccatum cōtra iustitiam distributiuam, Respondeo, non omne peccatum contra iustitiam distributiuam esse ex genere suo graue, & mortale? sed tantùm esse peccatum lethale, quando reperitur materia grauis propter scandalum, vel alia incommoda.

Ad illud, quod dicitur in Concilio Trid. fateor, verum esse, quòd dispensare sine causa, sit occasionem dare violandi legem; & interdum tantam esse talem occasionem, vt scandalum oriatur, & etiam peccatum lethale: hoc autem est per accidens.

3. Quo verò ad petentes dispensationem à Prælatis in propria lege sine causa, Corduba *in lib.* 4. *qq. q.* 8. *in fi.* Valentia *p.* 2. *disput.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. Sotus 1. *de iustit. q.* 7. *art.* 5. dicunt, non esse peccatum mortale ex suò genere, licet per accidēs possit esse peccatum ratione scandali, & damni aliorum, quod probant: quia Princeps, quando dispensat sine causā, solùm peccat venialiter: ergo & subditus petendo dispensationem, venialiter pecabit ex suo genere, & per se. Hinc attendenda sunt verba S. Bernardi in epist. 171. ad Theobaldum: *Forsitā & mortaliter peccabit: quippe rem illicitā petit à Principe, & ei fit coadiutor in peccato mortali.* Idipsū affirmat Conar. *in* 3. *part.* 4. *c.* 6. *§.* 9. *n.* 7. vbi ait, quòd ille, qui à Principe dispensationem petit sine causa, venialiter peccat: quia non erit tutus apud Deum. Et ad corroborandam suam sententiam adducit verba supradicta S. Bernardi, quæ non sunt contraria suæ sententiæ, licèt dicant, *mortaliter peccabit*, propter verba subsequentia: *Et ei fit coadiutor in peccato mortali.*

4. Si dicas: Si ergo petere dispensationem sine causa à Superiore, est peccatum veniale; illi, qui quotidie petunt à Summo Pontifice dispensationem sine causa ad euitanda dubia, quæ circa causas oriri possunt, peccabunt.

Respondeo, quamuis non detur causa ex parte personæ petentis; datur tamen ex parte Summi Pontificis dispensantis, qui ad sumptus boni communis aliquam portionem pecuniariam taxat: imò magna causa est, conciliare animos Principum, & nullum relinquere dubium de dispensationis valore.

5. Secùs dicendum est, si petatur dispēsatio à subdito in lege alterius Superioris; sciens non subesse causam: tunc mortaliter peccabit, & dispensatio erit nulla, dummodo intendat illa vti, & inducere tertium ad vsurpandam alienam iurisdictionem; ex leuitate tamē materiæ potest esse peccatum veniale. Ita dicunt Recentiores apud Salas *de legibus, disput.* 20. *sect.* 6. *num.* 59.

Quo verò ad vtentes dispensatione sine causa iusta, 6.
& rationabili obtenta, an peccent. Respondet Aragon. 2. 2. *q.* 89. *art* 9. & Azor. *lib.* 5. *instit. moral. tom.* 1. *cap.* 15. *q.* 3. quòd, cessante scandalo, & damno alieno, nō peccant: quia, cùm talis dispensatio valida sit, nulla obligatio præcepti superest, cuius transgressio constituat vtentē reum. Quæ sententia mihi probabilis est: quia, cùm dispensatio sit valida, eius valor reddit vtentem immunem à peccato. Hanc sententiam tenent Caietanus 2. 2. *q.* 96. *art.* 5. Valent. *loc. cit. q.* 5. *disput.* 7. *punct.* ... Viuald. *in append. ad Candelab. n.* 25. Sot. 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. Emmanuel *tom.* 1. *qq. regul. q.* 22. *art.* 4. & alij, qui fatentur de communi, & dicunt, quòd ille, qui vtitur tali dispensatione, non obligatur ea lege: quia dispensatio valida est cum eo, & ille non pecabit: quòd si aliquod peccatum committat, tantùm erit veniale. Ita Ledesma 2. *par. Sum. q.* 17. *art.* 3. Gigas *de pens. q.* 6. *n.* 9. Ioan Baptista *de pens. q.* 19. *n.* 24. Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disp.* 18. *n.* 12. vbi ait, sibi certum esse, quòd, per se loquendo, non est mortale. Idem affirmat Valentia 2. *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. *in fine*, Philiarchus *de offic. Sacer. tom.* 1. *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4.

Imò probabile est, vt dicunt aliqui recentiores apud Salas *loco cit. num.* 60. vtentes tali dispensatione, nec etiam venialiter peccare, secluso malo exemplo, & scandalo, quod tunc cessabit, si obseruantia legis occultè adhibeatur. Vnde Viualdus *loco cit. cap.* 12. *num.* 8. apertè testatur, quòd in lege positiua, si Summus Pontifex sine causa dispensauit, vtentem tali dispensatione, vix, aut nunquam peccare; & dispensatio valet, & illa potest vti, qui eam obtinuit absque peccato, secluso scandalo, & damno alieno, vt sæpè diximus.

Miranda *tom.* 2. *Manual. Prælat. quæst.* 10. *art.* 7. *concl. vnic.* constanter affirmat, vtentem tali dispensatione peccare mortaliter, quod probat ex illo Sancti Pauli *ad Rom.* 1. dum ait, *quòd digni sunt morte, non solum, qui ea faciunt, verùm etiam, qui consentiunt facientibus.* Ex quibus verbis infert ille, quòd si, vniuersaliter loquendo, peccant mortaliter cooperantes peccato alieno, quantò magis, & qui causæ sunt iniustæ dispensationis, ipsam sine causā iusta procurantes, eáque vtentes. Posteà in fine huius conclusionis videtur mutare sententiam, dum ait, hoc valere, si exoneratio vergit in aliorum damnum, & detrimentum, vt si quis priuilegium procuraret, vt se subtraheret à soluendis tributis sine causa, peccat mortaliter, si ex tali subtractione oritur alienum grauamen; secùs verò, si nullum sequatur detrimentum, quod etiam nos superiùs fatemur. Vnde argumentum ab eo desumptum ex verbis D. Pauli, restat resolutum ex verbis eiusdem Mirandæ; præterquàm quod argumenta à simili in moralibus in tantum valent, quantùm sonant.

Ex quibus infertur, supradictam dispensationem,
factam à Prælato in propria lege, validam esse, 7.
dummodo alium defectum non habeat. Sed hoc est valdè limitandum, cùm de omni dispensatione facta sine causa hoc affirmari non possit: quia dispensatio in voto, vel iuramento, etiamsi sit à Summo Pontifice, sine causa, nulla est, vt de communi fatentur Sanchez *lib.* 8. *de matrim. disput.* 17. *num.* 3. & ferè omnes Theologi *in* 4. *dist.* 38. & Iurisperiti cum Gloss. *verbo, Adimplere, de voto.* Idipsum affirmant Sotus 1. *de iustit. art.* 3. *ad* 3. Syluest. *verbo, votum*, 4. *q.* 5. Et probant: quia non est probabile, & verisimile, Deum concessisse ad dispensandum potestatem, nisi

nisi ex iuxta causa: quia non solet dari potestas œconomo, vt bona Domini dispenset, nisi intra præscriptum, maximè cùm à Deo data sit potestas in ædificationem, & non in destructionem: tum etiam, quia Prælatus à Deo constitutus est dispensator, non dissipator.

8. Idem dicendum est de dispensatione pensionum ecclesiasticarum ex Toledo *lib. 5. cap. 83. causa 2.* quem sequitur Alexand. Archirota *tract. 8. de voto paupertatis.*

His præmissis, oritur curiosa difficultas de Monacho habente irregularitatem, siue inhabilitatem, vel aliquid aliud, super quo potest suus Abbas secum dispensare; ipse tamen Monachus, inscio Abbate, Summum Pontificem, vel Nuncium apostolicum adit pro dispensatione obtinenda: Summus verò Pontifex, vel Nuncius apostolicus denegant dispensare. Quæritur, an stante tali denegatione dispensationis facta à Summo Pontifice, vel Nuncio, possit Abbas dispensare, cùm per talem denegationem videatur inducta lex pontificia, siue Nuncij apostolici, ad non dispensandum; qua lege, & statuto cognito ab Abbate, non videtur posse dispensare, stante denegatione, vel quasi, vt dixi, lege supremi Superioris.

9. Respondeo tamen cum Sanchez *lib. 8. de matr. disp. 14.* in illo, qui priùs petiit à Papa dispensationem negante, & postea adit Abbatem aliàs potentem dispensare, posse Abbatem, non obstante, quod Papa negauerit, dispensare cum illo subdito. Probatur: quia ex eo, quòd Papa negauerit dispensationem, ordinariam iurisdictionem non aufert ab Abbate, aliàs in illo casu Papa negando dispensationem, redderet casum Monachi indispensabilem. Idipsum probatur: quia præter potestatem dispensandi in Abbate ordinariam, quam Summus Pontifex non aufert denegando, habentur etiam priuilegia Abbatibus concessa, vt possint cum suis Monachis dispensare, quæ priuilegia non auferuntur à Summo Pontifice, siue à Nuncio per supradictam denegationem: tum, quia ex eo, quòd Summus Pontifex, vel Nuncius negauerint, causam non præueniunt, neque interdicunt, ne alius dispenset, maximè cùm Monachus adeundo Papam, vel Nuncium, non cesserit iuri suo, adeundi suum Abbatem, si opus fuerit. Idipsum tuetur Laurentius Portellus *in dub. regul. verbo, dispensare, num. 18.*

10. Hoc tamen indiget limitatione; nimirum, si Summus Pontifex, vel Nuncius negantes talem dispensationem, indicent non adesse iustam causam dispensandi; tunc nec Abbas dispensare valebit, nisi noua causa adueniat: in tali enim casu, deficiente causa, videtur Summus Pontifex, siue Nuncius desinire, non posse cum illo Monacho in tali casu dispensari. Si verò Summus Pontifex, vel Nuncius, negarent dispensationem, non ob defectum causæ, sed in pœnam Monachi, vel criminis; secus dicendū erit, maximè quando Abbas sciat, quòd Summus Pontifex Monacho negās, aliis tamen concedit eandem dispensationem. Et idem Suarez *ibid. num. 6.* affirmat, non teneri Episcopum dispensantem sua potestate ordinaria, ad illas solas causas, quas solet Summus Pontifex attendere: quia, si adsint aliæ iustæ causæ, quæ sibi sufficientes videantur, adhuc poterit dispensare cum subditis: & addit, id etiam posse facere dispensantem per potestatem à Papa delegatam; quia Papa in commissione, qua committit, vt dispensetur in aliquo casu, solùm requirit, vt sit iusta causa, non limitando hanc, vel illam.

11. Hinc obiter resoluitur aliud curiosum dubium regulare, an Generales, vel Prouinciales denegantes dispensationem subdito, auferant potestatem dispensandi Abbati locali, quam ordinariam habet.

Respondeo enim, idem sentiendum esse, quod in *superiori quæsito* diximus de Monacho adeūte Sūmum Pontificem, vel Nuncium apostolicum. Ita Sanchez *loco cit. disput. 14. n. 7.* & Portellus *loco cit. n. 20.* quibus ego addo, quòd in hac re procedendum est cum limitatione, posita in antecedenti dubio. Imò etiam addo cum Sanchez *loco citato*, quòd Confessor per Bullam Cruciatæ, vel aliud priuilegium valens aliquid dispensare, vel absoluere, id præstare poterit, non obstante, quòd pœnitens ab Abbate iam receperit repulsā: quia adiisse Superiorē nullū effectū præuentionis operatur.

Hæc intelligenda sunt, dummodo sit causa dispensandi, & potestas in inferiore Prælato, cum iniuncta sufficienti pœnitentia.

Si quæras, an Monachus repulsus à Summo Pontifice, siue Nuncio apostolico, vel Generali, seu Prouinciali, in petitione dispensationis teneatur mentionem facere talis repulsæ coram Abbate, & Prælato locali, à quo cupit dispensari. Respondet Sanchez *loco cit.* quòd non tenetur, nisi quando Summus Pontifex, vel Nuncius, aut Generalis, vel Prouincialis declarauerint, non dari iustam causam dispensationis. 12.

Sed adhuc in eadem re insurgit difficultas: nā dato, quòd Monachus petierit dispensationem ab Abbate, qui illum remittit ad Papam, an post præsentationem Pontifici factam, possit adhuc redire Monachus ad Abbatem, qui cum ipso dispenset virtute alicuius priuilegij. Respondeo, adhuc posse Abbatem causam assumere, & cum illo dispensare, non obstante *cap. Licet. de offic. legati.* vbi decernitur; Iudicem desinere esse, postquàm causa ad Superiorem remissa est: textus enim prædictus intelligitur in contētiosa causa tātum; non autem in causa dispensationis, quæ est causa gratiosa, & misericors, quæ sit absque iudicij strepitu & ex eo, quòd Monachus adierit Papam, non dicitur eius delictum esse positum in foro contentioso, ita vt non possit Abbas cum illo dispensare: quia petere aliquid à Summo Pontifice, non est ponere suum casum in foro contentioso ipsius: forum enim contentiosum significat iudicij locum, in quo est persona actoris, & rei: quod non inuenitur in casu nostro, quando Monachus postulat à Summo Pontifice dispensationem Ita Portellus *loco cit. n. 20.* 13.

Ad perfectam huius quæsiti notitiam, decidendum restat, an dispensatio inferioris in lege Superioris, existente iusta, & rationabili causa, sed sine eius cognitione, valida sit? 14.

Sententia negatiua probari potest: quia quoties inferiori facultas conceditur dispensandi in lege Superioris, intelligitur præmissa cognitione causæ, vt elicitur *ex cap. Necessaria. 1. q. 7.* vbi habetur, varietatem temporum exposcere aliquando, vt relaxentur leges adhibita diligenti consideratione. Sed magis cōfirmatur ex definitione dispensationis à quibusdam tradita, quòd, scilicet, dispensatio sit iuris relaxatio præmissa causæ cognitione. Hanc sententiam tenet Azorius *lib. 5. instit. moral. tom. 1. cap. 15. quæst. 9.* & Couarruu. *de matrim. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 12.*

Alia tamen sententia, quæ mihi probabilior est, procedit cum distinctione in huiusmodi validitate dispensationis cum cognitione causæ, dicens, quòd valida est dispensatio inferioris in lege Superioris, vt *supra*, in foro conscientiæ, donec in externo reuocetur, vt reuocari potest. Ita affirmant Innocentius *cap. Diuersis. n. 1. de Cler. coniug.* Sanchez *8. lib. de matrim. disput. 17. n. 11.* Bellam. *cap. Veniens. n. 18. & 19. de filiis Presbyter.* Lopez *1. part. instruct. cap. 4. colum. antepenult.* Armilla *verbo. dispēsatio, n. 14. in fine.* Hostien. *in cap. Cùm ad Monasterium. n. 32.* Ioan. Andr. *ibid. in fine*, Panorm. *cap. At si Clerici. §. de adult. n. 11. de iudic.* Probus *in addit. ad Monach. c. vnico, n. 4. vers. postremo, de stat. & qualit.* Botgarius *de irregular. part. 2.*

titul de differ. term in mater. dispensationis. Hi ergo omnes Doctores tenent, dispensationem concessam inferioribus, causa existente iusta, ac illius præmissa cognitione: si verò non adhibita cognitione causæ dispensauerint, dicunt, reuocandam esse dispensationem per Superiorem: & sic fatetur, validam esse, donec reuocetur, etiam in foro externo: quod probatur *ex cap. Nihil de elect.* vbi habetur, electũ sine cognitione causæ esse reiiciendum, quando est indignus: ergo si est dignus, non reiicietur: & sic electio est valida in foro externo. Idem erit de dispensatione facta sine cognitione causæ quāuis appellati possit quodāmodo nulla in foro externo, cùm possit haberi recursus ad Superiorem, vt illam reuocet, qui ex officio potest illam reuocare, vt affirmat Salas *de legib. disput.* 20. *n.* 79 vbi fatetur de communi. Et subdit, quòd illa forma in dispensationibus præscribitur à Superiore inferiori; & est requisita iure naturæ, vt dispensatio sit licita. Et sic restat de primo ad vltimum, quòd si eam inferior non seruet, Superior potest reuocare dispēsationem etiamsi constet, factam fuisse cum causa. Hoc

15. tamẽ limitatur à Gloss. *c. Manifesta.* 2. *q.* 1. *sic. Ad hoc, vt dispensatio valida, & licita sit sine causa cognitione, debet esse notoria illa causa: quia in notoriis non requi-*

16. *ritur ordo iuris.* Et, vt habetur *in d. cap. Manifesta. Notorium non eget examine.* Vnde, si dispensanti Prælato causa manifesta esset, non peccaret dispensando sine examine ejusdem causæ, cùm examen causæ ad nihil aliud deseruiat, ne dispensatio temerè fiat: & huiusmodi temeritas cessabit, si Prælato dispensanti constabit de causa. Hæc ergo dispensatio modo dicto erit valida: quia habet re vera id, quod ius intendit, & petit: tum etiam nullibi habetur, eam dispensationem esse nullam.

QVÆSITVM XII.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares possint etiam secum ipsis in præceptis Regulæ dispensare.

SVMMARIVM.

1 *Dispēsare secū possunt Abbates. Distingue, vt n.* 2.
3 *Dispensandi secum facultatem habent Prælati ab eodem, à quo habent dispensandi cum subditis.*
4 *Causa rationabili stante, debent Abbates non solùm cum subditis; verùm etiam cum seipsis dispensare, aliàs peccant.*
5 *Confessarij ab Abbatibus electi, ex eorū commissione, cū ipsis dispensare possunt in omnibus, in quibus possunt ipsi dispēsare cū subditis, licèt habuerint delegatam tantum potestatem, vt n.* 6.
7 *Dispensandi potestatem limitatā ad certum numerum personarū, vel cum specialibus personis habens Prælatus, secum dispensare nequit.*
8 *Prælati, qui secū dispensare possunt, enumerantur.*
9 *Prælati, vt secum dispensent, vices suas alteri committere debent.*
10 *Priuilegium Pauli III. pro dispensatione, tam in se, quam in aliis habenda, refertur, & n.* 11.
12 *Dispensari possunt super irregularitate, & inhabilitate à suis Prælatis Religiosi, quando super ipsis dicunt illa verba:* Absoluo vos ab omni censura, & dispenso vobiscum. *&c.*
13 *Abbas, qui ex priuilegio facultatem dispensandi cum subditis habet, potest illam aliis delegare. limita, vt num.* 14.
15 *Dispensare potest Abbas cum subditis absentibus.*

VT Abbates, qui præ aliis Regularibus in Dei Ecclesia præeminentiis, honoribus, & meritis decorandi sunt, non sint peioris conditioois quàm sui subditi, fatendum est, posse etiam cum seipsis dispensare in præceptis, & obseruantiis Regulæ, sicut 1.
possunt cum suis Monachis. Quod probati potest *ex cap. fin. de pœnit. & remiss.* cuius capitis argumento ad nostrum intentum probandum vtitur Mirand *in Ma i. Pral.* 1. 2. *q.* 31. *art.* 9. vbi expressè tenet, posse Prælatum secum dispensare in omnibus, in quibus potest cum suo subdito. Verùm hanc distinctionem 2.
admittit *eod loc.* scilicet, Prælatum in his, quæ sunt iurisdictionis, seu iudicatiuæ potestatis, non posse secum dispensare: quia in propria sua causa nemo potest esse Iudex; sed sulummodo in his, quæ sunt authoritatis, & superioritatis: hanc enim distinctionem ponit, vt vim multorum argumentorum effugiat. Doctrinam hanc docent multi Doctores, vt S. Thomas 2. 2. *q.* 185. *a.* 8. *in corp.* Sanch *lib.* 8. Videatur Sanch. hîc citatus *de mat. disp* 3 *n.* 1. 2. *&* 3. Roderiq. *tomo* 1. *qq. reg. q* 26. *art.* 6. Cordub. *in Compend priuileg. Mend. verb. accedere ad Monasteria Monial.* Ludou. Beia 4 *p. resp. casu* 5. Naldus *in Sum. verbo, dispensatio, n.* 13. Caiet. 1. 2. *q.* 96. *a.* 5. & Laurent. de Peytin. *de sub q* 1. *de voto obedientia, conc.* 6 Salas *de leg. disp.* 20. *sect.* 12. *n.* 105. vbi hac ratione hanc no- 3.
stram nititur probare sententiam dicendo, quòd Prælati Religiosorum ab eadem, à qua habent facultatem dispensandi in votis, vel legibus cum subditis, habent facultatem dispensandi secum in iisdem: quæ ratio multùm conuincit, maximè cùm à simili de Episcopis respectu subditorum, & sui ipsius probent omnes Authores citati & multi alij quos citat Sanch. *loc. cit.* Imo, sicut, postulante rationabili causa, pecca- 4.
rent Abbates, & Prælati, nisi dispensarēt cum subditis, Abb. *in cap. Pastoralis. de appellat. n.* 1. & Syluest. *verbo, dispensatio, q.* 1 *n.* 3 & Rosell. *eod. verb. n.* 4. & Armill. *ibid n.* 14. ita existimo, illos peccare, si, eadem stante rationabili causa, secum minimè dispensarent. Ratio est: quia dispensatio non solùm datur propter bonum subditorum; sed etiam Prælatorum.

Nec obstat *d. cap. final. de pœnit & remiss.* quòd ibi sermo sit de Confessario eligendo; non autem de potestate cum seipso dispensandi: nam ex eo, quòd Prælatus potest sibi Confessarium eligere, videtur prædictum textum Prælatis in omnibus prospicere, quæ possunt ipsi Prælati in subditos exercere, eos absoluēdo, & quando opus fuerit cum illis dispensando: & sic per Confessarium videtur, textum illum prouidere Prælatis, vt ea, quæ in subditos suos per absolutionem, & dispensationem operantur, eisdem etiam per Confessarium eligendum hæc eadem operi demandentur. Et de dispēsatione, præsertim de Episcopo erga seipsū habenda per Confessarium proprium, fatentur Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 4. *concl.* 4. *n.* 41. Sanctus Antonin. 3. *part. tit.* 17. *cap.* 2. §. 2. Gabriel *in* 4 *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 2. *in princ.* Syluester *verbo, Confessor,* 1. *q.* 9. Angelus *verb, confessio,* 3. *n.* 7. Tabiena *verb., absolutio,* 1. *n.* 37. Maiolus *lib.* 2 *de irregul. cap.* 2. *n.* 12. *lib.* 5. *cap.* 51. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit cap.* 4. *n.* 3 *in comment. lib.* 2. Antonius Gomez *in exposit. Bull. Cruciatæ, claus.* 10. *n.* 85. Emmanuël *Sa in aphoris. verbo, Confessor, n.* 16. Sayrus *in thes casuum, tom.* 1. *lib.* 7. *c.* 14. *n.* 5. quorum Doctorum sententia, & præsertim Emmanuël Sà, & Enriq. qui expressè loquuntur de Prælatis regularibus, ad prædictos Prælatos regulares adaptatur proprie, & formaliter, cùm prædictus textus non minùs probet de Prælatis regularibus, quàm de Episcopis, qui omnes habent potestatem, sibi Confessarium eligendi, vt satis probauimus *in* 2. *tom. disput.* 6. *quæst.* 10.

Confessarij ergo ab Abbatibus electi, ex eorū com-

missione cum ipsis dispensare possunt in omnibus, in quibus possunt dispẽsare ipsi cum subditis, imò, vt aduertit Suar. *de cens. disput. 41. sect. 2. n. 9.* hoc decretum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione, & Sanchez *lib. 8. de matrim. disp. 3. n. 3.* ait, idem esse dicendum de casibus occultis concessis Episcopo in concil. Trid. *sess. 24. cap. 6. de reform.* in quos casus si Episcopus incidat, potest absolutione sui Confessarij ab illis absolui. Et subdit, quòd neque existimat oportere, vt Prelatus illi Sacerdoti fateatur, aut illi intendat fateri: sed satis est, vt concedat absolutionis sacramentalis impẽdendæ Prælato licentiam, vel aliàs Sacerdos ille iurisdictionem habeat audiendi confessionẽ illius Prælati, aut illum eligat ad hãc solam dispensationẽ faciendã: quia iurisdictio illa cum Prælato dispensandi, sicut & absoluendi, ab ipso Prælato emanat, vel à Pontifice, qui *cap. final. de pœnit. & remis.* concessit Prælatis exemptis posse eligere Confessarium.

6. Et quod dico de Abbatibus, & Prælatis habentibus ordinariam potestatẽ dispẽsandi cũ subditis, intelligo etiam de illis nõ ordinariam, sed delegatam potestatẽ dispẽsandi habẽtibus: quia talis potestas, etiã delegata, non est limitata ad subditos tantùm, aliàs, vt diximus de habentibus potestatem ordinariam, essent peioris cõditionis, quàm sunt illi, qui in Communitate viuunt. Ita Emmanuẽ Roderiq. 2. *tom. Sum. cap. 30. num. 4.* & Sanchez *lib. 8. cit. disp. 3. num. 10.*

7. Si dicas: Si quis habet limitatã potestatẽ dispẽsãdi cum determinato numero personarũ, & cum certis, & specialibus personis, potéstne secum dispensare. Resp. negatiue: quia illa potestas non debet excedere limites suæ concessionis, nimirum, certas personas, & numerum determinatum, in quibus dispensans non videtur comprehensus: tum, quia mens concedentis non potest protrahi ad seipsum.

8. Si petas, quinam sint isti Prælati Regulares, qui possint cum seipsis dispensare modo dicto. Respondeo, quòd sunt Generales, Prouinciales, Abbates locales, & etiam Vicerectores, & Vicepriores, vt aduertit Sanchez *loco cit.* hi enim in omnibus possunt secum dispensare, in quibus possunt cum subditis: & possunt dispensare in ieiuniis, in votis, & in præceptis ad instar Episcoporum, cùm sint Pastores ordinarij [illegible] Religiosorum, sicut Episcopi sæcularium. [illegible] dicendum est de illis, sicut de Episcopis. Et dum cum toto Conuentu supradicti Prælati, siue cum tota Religione, vel Prouincia, dispensant; possunt [illegible] eadem dispensatione [illegible] vt bene aduertunt Molina *tom. 1. de iust. & iur. tract. 2. disp. 47. vers. Religiosus tamẽ.* Emmanuel Sa *in aphor. verbo Relig. num. 47.* Azor. *1. part. Instit. moral. lib. 7. cap. 29. q. 7.* Emmanuël Rodriq. *in Bulla Cruciata, §. 8. dub. 7. num. 11.* & *tom. 2. Summæ cap. 30. num. 4.* Sanchez *de matrim. loco cit.*

9. Aduertant tamẽ, sicut *supra* innuimus, quòd quãdo Prælati secum dispensant necessarium est, vt vices suas alicui cõmittant, vt cum illis proximè dispenset. Ratio est: quia in causa sua, & propria, nemo est bonus Iudex: tum, quia iurisdictionis exercitium requirit distinctionem personarum. Hoc tamen ad congruitatem dico, non necessitatem: quia dispẽsatio est actus iurisdictionis voluntariæ ei, cum quo dispensatur: & quia delegata potestas tota pendet à delegante: [illegible] enim, verbi gratia, Summus Pontifex concedat [illegible] in lege pontificia secum dispenset, sicut & cum aliis, id poterit optime efficere, & iurisdictionem delegatam in seipsum exercere.

10. Pro dispensatione autem, tã in seipso [illegible] in aliis, hic maximum priuilegiũ adnotare mihi [illegible], nõ solùm dispensationi, verùm etiam absolutioni peruile, & necessarium [illegible] Abbatibus, & subditis: & hoc refertur à Rodriquez *in Bulario, pag. mihi* 817. vbi apparet, quòd Paulus III. Summus Pontifex cõcessit Monachis S. Benedicti Vallisoleti, quòd singulis annis, prima die Lunæ Quadragesimæ, huiusmodi omnes, & singulas vtriusque sexus personas Ordinis, & Congregationis prædictorum Religiosas, ac eidem Ordini, & Cõgregationi Oblatas, seu Donatas, necnon Eremitas sub cura eorum existentes, intra septa, seu ipsorum pro tempore absoluendorum Monasteriorum, seu aliorum Regulariũ locorum, ab omnibus, & singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & pœnis, per eos pro tempore quomodolibet incursis, etiam in casibus quomodolibet reseruatis, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, absoluere, & cum eis super quibusvis irregularitatibus per eos pro tempore, quauis occasione, vel causa contractis dispensare, prout hactenus, vt fertur, cõsueuerũt: & subdit firmissimã cõfirmationẽ irreuocabilẽ, ita vt si dicta cõcessio reuocetur, iterum reintegrari, vel restitui censeatur.

Circa quod priuilegium notat Laurentius Portellus *de dub. regul. verbo, dispensare, in addit. sub n. 1.* hoc ei videri maximum, & insolitum priuilegium: quia, licet excipiat Bullę Cœnæ casus; tamen in multis aliis insolitum est pro pœnis, scilicet, absoluendis, & irregularitatibus dispensandis. Quod vt melius intelligatur, aduertit primò, quòd conceditur Reformatori generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus prædicti Ordinis, & consequenter aliis Prælatis aliorum Ordinum cum illis communicantibus, qui respondent prædictis officiis, & dignitatibus Ordinis S. Benedicti Vallisoleti. Secundò aduertit, quòd Prælati possunt facultatem prædictam absoluendi, & dispensandi à Papa eis concessam alicui Confessario delegare: quia habens priuilegium Papæ, habet etiam facultatem in eo concessam ordinariam, vt docet Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 41. n. 14.* Tertiò aduertit, quòd conceditur supradictis Prælatis Ordinis Vallisoleti, vt possint subditos vtriusque sexus Monachos, & Moniales ab omnibus casibus Sedi apostolicæ reseruatis, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, absoluere, & in prædictis irregularitatibus dispensare: & quod idem possint erga Oblatas personas, & Donatas viuentes intra Monasteria, vel in aliis locis regularibus subiectis eisdem Abbatibus, & Prælatis Vallisoletanis, nempe, Oratoriis, Granciis & similibus: quia hæc sunt loca regularia illis subiecta. Quartò aduertit, quòd Summus Pontifex conceditin illo Priuilegio, quòd prædicti Prælati possint omnes illos absoluere ab omnibus censuris, & pœnis, inter quas venit quæcũque inhabilitas ad Officia Ordinis, & priuatio officiorum: sed hoc in foro conscientiæ, hæc enim duo intelliguntur nomine pœnæ ecclesiasticæ. Aduertit quintò, quòd conceditur prædictis Abbatibus, vt dispensent cum subditis in omni irregularitate, quauis occasione, vel causa contracta: & non limitatur in supradicto priuilegio, si sit homicidij voluntarij, neque casualis; neque limitat, si sit occultum delictum, vel publicum, neque etiam excipit bigamiam, sed absolutè, & in communi ait: *Quauis occasione, & causa contracta.* Vnde, cùm talis concessio sit tam ampla, & generalis, & Summus Pontifex illam possit concedere, nec ab alio successore hoc priuilegium reuocatum inueniatur in speciali, videtur posse illos Prælatos ea vti, sicut iacet, sine limitatione, iuxta illud vulgatum in lege: *Cùm lex, nec Princeps distinguit, neque nos debemus distinguere.* ibi enim nõ distinguit, vt faciant hoc in foro sacramentali confessionis, vel conscientiæ: vnde manifestè concludi potest, quòd Prælati Vallisoletani, & cum eis communicantes prima feria secũdæ Dominicæ Quadragesimæ possũt Pœnas, & irregularitates dispensare extra Sacramentũ pœnitentiæ: quæ quidem concessio est pro singulis annis; non autem pro semel in vita. Postremò aduertit 11.

quòd supradicti Prælati vtentes prędicti dispensatione, debent condignam satisfactionem iniungere.

12. Poterunt etiam Religiosi habentes aliquam irregularitatem, & inhabilitatem, dispensari à suis Prælatis, si ipsi subditi fuerint præsentes in Capitulo visitationis, vel in alio Capitulo quando ipsi Prælati dicunt in generali: *Absoluo vos ab omni censura, & dispenso vobiscum in omni irregularitate, & habilito vos ad omnia.* Vnde, si illi subditi præsentes fuerunt irretiti aliqua censura, irregularitate, vel inhabilitate, tunc absoluuntur, quia datur absolutio & dispensatio à potestatē habentibus, & sortitur effectū, vt bene probat Nauarr. *in Sum. c. 26. n. 23.* dicens, quòd Religiosi notare debent, quòd ab irregularitate & aliis censuris generaliter absoluuntur in visitationibus à Superioribus: nam esto tunc non meminerint illarum, sublatæ censentur, nec tenentur aliam solutionem quærere.

13. Hic etiam adnotare mihi libuit, quòd Abbates locales potentes dispensare super irregularitatibus, & inhabilitatibus, poterunt etiam delegare potestatē, & illam committere Confessario, vt dispenset in foro conscientiæ: quia, quicunque habet potestatē ex priuilegio, vt diximus, dicitur habere illam tanquàm ordinariam, vt probat Sanchez cum multis Doctoribus, quos refert, & sequitur *lib. 2. de matrim. num.* 14.

14. Hoc tamen indiget limitatione, scilicet, nisi in priuilegio dicat Summus Pontifex, quòd per se faciant, sicut dicit Pius V. in quodam priuilegio concesso Dominicanis, quod habetur *in Bullario* Rodriq. *fol. mihi* 120. Quòd verò possint Prælati habentes potestatem dispensandi cum subditis in Capitulis, etiam ipsis non petentibus, eam delegare, habetur *in cap. Cùm Episcopus de offic. Ordin. in 6.* & latè probatur à Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 31. n. 1.* Ex quibus probatum restat, Abbates posse dispensare cum subditis, ipsis inuitis, & etiam non petentibus.

Superest difficultas, an possit dispēsare cū subditis absentibus. Signorol *cons. 127. n.* [illegible] *...* Sen. *cons. 10. n. 1.* & alij putant, requiri præsentiā illorū, cū quibus dispensatur: quod licet [illegible] *cis cit.* ipsi manifestè nō dicant; tamen hoc implicitè ex eorum verbis colligi potest.

15. Dicendum tamen, non requiri præsentiam illorum, cum quibus debet fieri dispensatio à Prælatis: possunt enim Abbates beneficium dispensationis impertire subditis per rescriptum, siue per delegatum, sicut etiam dispensandus poterit dispensationem impetrare per Procuratorem. Ita resolutum fuit in Rota coram Eminentissimo Ludouisio, postea Gregorio XV. *decis. 41. n. 4.* vbi fatetur de communi. Vnde iuxta tenorē priuilegiorū poterunt Superiores regulares dispensare cū subditis, non solū inuitis, & non petētibus; verum etiā absentibus, maximè vbi talis dispensatio cederet in commodū Religionis: nā priuilegia toti Congregationi concessa sunt extēdenda, tanquàm fauorabilia, vt habetur *in l. personæ. in fin. ff. de Relig. & sumpt. funer.* & Sanchez *de matrim. lib. 8. disp. 1. n. 13.*

QVÆSITVM XIII.

Vtrùm Abbates, vel alij Prælati regulares possint compellere suos subditos ad recipiendam dispensationem Regulæ à seipsis factam.

SVMMARIVM.

1 *Monachus tenetur, ex vi voti obedientiæ, suo Abbati obedire, maximè si præceptum licitum sit.*
2 *Monachus Abbati obedire tenetur in re dubia.*
3 *Subditus in quibus casibus non teneatur dispensationem factam acceptare, ostenditur.*

CVm Monachus ex vi voti solennis obedientiæ teneatur in conscientia suo Abbati obedire, maximè si præceptum licitum sit, vt *in 1. tom. in disp. de voto obedientiæ, q. 1.* resolutum est, sequitur, posse Abbatem illum compellere ad acceptandam dispensationem cum legitima causa factam: quia hac admissa tollitur à præcepto deformitas, & fit præceptum licitum, cui tenetur in conscientia Monachus obedire, & ad illud potest cogi: quod omnes fatentur. Imò, si Monachus dubitaret an Abbas possit dispensare, & an habeat iustam causam dispensandi, tenetur etiam obedire, & potest ad præceptum dubium compelli: quia in re dubia tenetur Monachus, Prælato obedire. 1.
Ita Angel. *verb. Religiosus, n. 29.* Syluest. *verb. Religio. 6. q. 6.* Sanchez *lib. 6. in Decal. cap. 3. n.* 8. Tabien. *verb. obed. q. 11.* Rosella *verb. eod. n. 19.* qui omnes Doctores concludunt, in tribus tantùm casibus non posse compelli ab Abbate Monachum, nec teneri ad acceptandam dispensationem factam: primò, si Monachus sit certus, dispensationem illam esse contra Regulam, vel præceptum maioris Superioris. secundò, si sit certus, non autē dubius, Abbatem non posse in illo dispensare: tertio, si Abbas potest; & tamen non ducatur ex causa iusta ad dispensandum. Vna ex his deficiente, tenetur subditus obedire, & potest ad obediendum, & ad dispensationem acceptandam compelli. Et probatur ratione: quia potestas dispensandi in Abbate est propter bonum Monachorum, qui Abbatis curæ, & custodiæ commissi sunt: ergo, si propter subditorum imbecillitatē hoc bonum respuatur, potest Abbas, cuius interest Monachorū bonum, ad illud acceptādum per dispensationem alicuius præcepti Monachos cogere. 2. 3.

DISPVTATIO V.

De potestate Abbatum, & Prælatorum [illegible]eriorum quoad Monasteriorum constructionem, vel destructionem,

QVÆS I. Vtrùm Abbates, & Prælati possint ædificare de nouo Monasteria, seu ædificata recipere [illegible] Summi Pontificis, & Episcopi diœcesani.
II. An pro construct[illegible] Monasteriorum, & Ecclesiarum, possint compelli vicini ad [illegible] prop[illegible] vend[illegible].
III. Vtrùm A[illegible] ædificare Ecclesias, & Cœnobia prope Ecclesias, & Mona[illegible] Re[illegible]arum, & e conuerso.
IV. V[illegible] & Ab[illegible] Regularium possint de vno ad alium locum, nulla [illegible] licentia, transferri.
V. Vtrum, [illegible] Abbatialis mutet statum, retineat sua priuilegia.

V I. Vtrùm

VI. Vtrùm translata Abbatia de vno ad alium locum, auferantur, & tollantur ipsius iura, & priuilegia.

VII. Vtrùm Abbates possint sua Monasteria, seu Ecclesias deserere, & destruere.

VIII. Ad quem pertineat locus & bona Monasterij iam destructi; & quid si in pristinum statum restituatur.

IX. Vtrùm, destructa Abbatia, tollatur dignitas Abbatialis, & pereant, & extinguantur eius iura, & priuilegia.

X. Vtrùm Abbas ædificans Monasterium in loco non exempto, acquirat illi iura exemptionis.

XI. Vtrùm Monasteria in diœcesi aliqua ædificata cum eorum personis sint, & in quibus casibus Diœcesano subiecta; & in quibus possint conueniri coram illo, & excommunicari; eique subiici: & de causis, quibus mediantibus fuerunt Monasteria à Sede apostolica exempta ab Ordinariis.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati possint ædificare de nouo Monasteria, seu ædificata recipere, absque licentia Summi Pontificis, & Episcopi diœcesani.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria noua ne erigantur sine Episcopi Diœcesani licentia, Decreto Concilij Tridentini cautum est.*

2 *Modus seruandus in licentiis concedendis pro erectione Monasteriorum præscribitur.*

3 *Licentia Summi Pontificis in erectione Monasteriorum necessaria est, & num. 8.*

4 *Priuilegia varia Religionibus concessa pro noua erectione Monasteriorum referuntur; sed renocata fuerunt, vt num. 5.*

6 *Religiosorum numerus in quolibet Monasterio quantus esse debeat.*

7 *Monasteria duplia, siue duplicia, scilicet, virorum, & mulierum, ædificari non possunt.*

9 *Monasteria ampliari possunt absque noua licentia.*

10 *Constitutio prohibens Mendicantibus Monasteriorum erectionem nouam, non comprehendit hospitia.*

11 *Licentia concessa absque cognitione causæ pro Monasterio ædificando inualida est.*

12 *Responsiones aliquæ sacræ Congregationis Concilij super Constitutione* de celebrat. Missar. *&c.*

13 *Decretum sacræ Congregationis Concilij super receptione Monasteriorum.*

14 *Mutatio Religiosorum de vno Conuentu in alium, in eadem ciuitate, vel oppido, non dicitur noua acquisitio Monasterij.*

15 *Regulares Mendicantes, qui sine licentia Sedis apostolicæ Monasteria de nouo acceptant, vel hactenus accepta mutant, aut quouis titulo alienationis transferunt, incurrunt sententiam excommunicationis nulli reseruatam.*

16 *Constitutiones, & Decreta circa erectionem nouam Monasteriorum apponuntur.*

1. CONCILIVM Trid. *sess. 25. de regul. cap. 3.* decreuit, quòd noua Monasteria sine authoritate Episcopi diœcesani non erigantur, his verbis: *Nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi in cuius Diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* quod etiam habetur in c. *Cum ex iuncto* 18. q. 2. & *c. Cum olim. 2. de priuileg. c. Authoritate. eod tit. in 6.* Videatur Campanil. *in diuer. iur. canon. rubr. 12. cap. 13. num. 8. & 11.* Ludouic Mirand. *in Manual.* Prælat. *tom. 1. q. 33. a. 1. concl. 3.* Piasec. *in prax. Episc. part. 2. cap. 3. num. 47.* Roder. *in compend. qq. regul. resol. 55. num. 3.* qui omnes fatentur, quòd Monasteria noua erigi non possunt sine licentia Episcopi, in cuius Diœcesi sunt erigenda. Ratio est: quia hoc cederet dominio, & iurisdictioni episcopali. Ita Abbas *in d. cap. Cum olim 2. de priuileg. in 6. num. 9.* Franchus *in d. cap. Authoritate.* Antonius de Pratis *de iurisd. Episcopi, num. 3.* Angel. *in Summ. verbo, exemptus, num. 11.* sicut nec etiam possunt Oratoria, Capellas, & Ecclesias ædificare sine Episcopi diœcesani licentia, vt fatetur Selua *tract. de benef. part. 1. q. 6.* Si tamen accedat licentia Episcopi ante ædificationem aliquid sibi reseruantis, Ecclesia per exemptum ædificata exempta censebitur. Ita Innocent. *cap. Dudum. n. 2. vers. Item videtur. in fi. de priuileg. c. Inter dilectos. de fid instr.* & Brixiensis *in repert. verb. exemptio in fi.*

Tamburini Tom. III.

Qui verò modus obseruandus sit ab Episcopis in concedenda licentia pro Monasteriis nouis ædificandis, videatur *in constit.* Clement. VIII. quæ incipit: *Quoniam ad instituam.* sub dat. Romæ 13. Iulij, 1603. quæ cum aliis hanc materiam concernentibus, scilicet, *cum constitutione* Gregorij XV. quæ incipit: *Cùm aliàs* & *cum constitutione* Vrbani VIII. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* in fine quæsiti ponetur. 2.

Præter licentiam Episcopi requiritur etiam authoritas Summi Pontificis in erigendis Monasteriis Regularium, vt constat *in cap. 1. de excessibus Prælat. lib. 6.* & *in cap. vnic. de relig. Domib. eod. lib.* vbi cautum est, ne Prælati Religionum recipere possint Conuentum aliquem, seu locum, absque speciali licentia Sedis apostolicæ, non obstantibus quibuscunque priuilegiis, si de huiusmodi prohibitione mentionem specialem non fecerint. Ita Hieronymus Roderiq. *loco cit. resol. 55. num. 2.* Nec Concil. Trid. *loco cit.* abrogauit dispositionem iuris communis; sed prætereà statuit, vt adhibeatur altera loci Ordinarij licentia, quod declarauit sacra Congregatio, vt refert Campanil. *loco cit. num. 80.* quidquid dicant Roderiq. *qq. regul. tom 2. q. 49. art. 2.* & Sorbus *in compend. Mend. verbo, Ædificare, in annot. §. 20.* 3.

Vnde notandum est, quod multæ Religiones in hac re obtinuerunt priuilegia: nam Iulius II. concessit Fratribus Minoribus, quòd si ab aliquo Principe, Duce, Marchione, aut Comite in suis dominiis ipsi Fratres fuerint requisiti, vt aliquam Domum ædificent pro vsu, & habitatione perpetua Fratrum regularis obseruantiæ, construere atque ædificare eosdem Fratres posse, & locum pro constructione huiusmodi recipere. Hoc priuilegium habetur *in lib* qui dicitur: *Monumenta Ordinis. primæ impressionis, fol 43.* & *2. impressionis, fol. 226. concess. 268.* Similiter idem Iulius II. concessit Fratribus Minimis, vt Domos, seu Ecclesias, loca, & Oratoria quæcunque pro eorum perpe- 4.

tuis vsu, & habitatione possint construere, & ædificare, seu construi, & ædificare facere, absque alia desuper facienda noua concessione apostolica; & quòd prædicti Ordinis Conseruatores, quoties opus fuerit, eisdem Fratribus in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant; ac ne Prælati ecclesiastici quicunque, cuiuscunque dignitatis existant, illos in aliquo damnificare, molestare, perturbare, ac inquietare vllatenus audeant, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna inhibuit. Habetur hoc priuilegium *in Supplement. fol. 8. concess. 27.* circa quod priuilegium notat Cullectot priuileg. mendic *verbo, Ædificare*, §. 10. quòd prædicti Fratres possint ædificare loca, seu ædificata recipere vbique, absque alia licentia, etiam Ordinarij, & quocunque Prælato ecclesiastico contradicente: & affirmat hoc practicatum fuisse contra quendam Archiepiscopum Hispalensem.

Et Fratres Ordinis Carmelitarum discalceati obtinuerunt, vt de sola licentia Ordinarij possint vbique noua Monasteria à fel. rec. Paulo V. *constit. 10.* quæ incipit: *Ad Ecclesia.* anno 1605. à quo benigno Pontifice etiam Monachi B. Mariæ Fuliens. *ex Constit. 51.* quæ incipit: *Monasterio.* 1608. idem obtinuerunt. A quo etiam Patres Congregationis Clericorum Regulatium S. Pauli Decollati simile priuilegium impetrarunt, vt habetur *in eius constit. 64.* quæ incipit: *Ecclesia.* 8. Maij, 1610.

5. Hæc omnia priuilegia, & concessiones erigendi nouos Conuentus, & Monasteria, reuocauit sacra Congreg. Emmentissimorum Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum, Gregorio XV. approbante sub die 17. Augusti, 1621. & nouissimè S. D. N. Vrbanus VIII. *in sua constit. 25.* quæ incipit: *Romanus Pontifex.* sub die 28. Augusti, 1624. reuocauit, & annullauit omnes licentias à prædecessoribus suis concessas, fundandi, erigendi, & instituendi vbique locorum Monasteria, Domos, Conuentus, Collegia, & alia loca regularia, seruata sacrorum Canonum, & Concilij Trid. forma, de sola Ordinarij licentia, seu etiam non seruata forma, & absque licentia huiusmodi: & hæc quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conuentuum, & aliorum locorum Regularium, vt patet *in eius constit. in fine quæsiti* ponenda.

6. Sed, cùm in duplici differentia sint huiusmodi Monasteria Regularium, alia, scilicet, Mendicantium; alia verò non Mendicantium; aduertendum est, quòd in Monasteriis Mendicantium is tantùm numerus Religiosorum haberi debet ex præscripto prædictarum constitutionum *in fine quæsiti* ponendarum, qui ex consuetis eleemosynis, & paucis redditibus commodè sustentari valeant. In Monasteriis verò non Mendicantium non debent supra eum numerum personæ aliquæ recipi, quæ ex redditibus consuetis sustentari non possunt. Ita Gregorius XV *const. 31.* quæ incipit: *Cum aliàs.* Quod etiam colligitur *ex cap. Quoniam, de vita, & honestate Cleric. & ex cap. 1. & cap. Authoritate. de instit. & cap. vnic. §. Sanè de stat. Regul. lib. 6. & ex Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* & sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trid. interpretum *in decret. de celeb. Missar. §. 7.* sub die 21. Iunij, 1625. hoc ipsum renouauit. Vnde antiqua iura ad construenda Monasteria non Mendicantium, tantam dotem assignari præcipiebant, vt in eis esse possint Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Cantores, & Lectores, & quòd in eis possent hospites recipi, & iura episcopalia solui. Ita tex. *in cap. de Monach. de prebend.* & text. *in cap. 15. eod. tit. in 6.* & Menoch *in consil. 159. n. 3.*

7. Monasteria similiter, quæ dupla, seu duplicia vocantur, id est, Monachorum & monialium simul, nullatenus ædificari possunt, & omninò prohibita sunt: quia id scandalum multis efficitur, vt habetur *in cap. Diffinimus. 18 q. 2.* quod etiam in pluribus Concilijs, & Pontificum decretis prohibitum habetur, vt constat *ex d. cap.*

8. Quibus positis, examinanda sunt, quæ docet Miranda *t. 1. Manual. prel. quæst. 33. art. 1. conc. 3.* vbi ait, quòd hodie post Concilium Trid. non possunt Regulares loca noua recipere absque licentia Ordinarij illius Diœcesis, in qua Monasterium construendum est, vt habetur *in d. Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.* & circa huiusmodi decretum notat, quòd non habentibus priuilegium, non sufficit licentia Diœcesanorum, absque alia Summi Pontificis de nouo requisita: Concilium enim Trid. non reuocat decretalem Bonifacij VIII. *in cap. Cum ex eo, de excessib. Prælat. in 6.* sed addit, quòd vltra illam simul petatur licentia Ordinarij. Hactenus d. Miranda, & benè.

Deinde sequitur: *Vnde, cum secundùm ius supradicta Papæ licentia requiratur, etiam modo requiritur: quod non sic est in habentibus priuilegium: nam Concilium minimè annullat nostra priuilegia; quin verò voluit in omnibus, quæ illi non contrariantur, ea in suo robore permanere: & sic pro nobis dictis Fratribus Minoribus non est necessaria modò alia Summi Pontificis licentia, cùm absque illa per superius dicta Monasteria possint recipi; sed tantummodo est necessaria licentia Episcopi diœcesani: quod est multùm notandum.* Optimè quidem diceret Miranda, nisi nouissimè in hac re editæ essent constitutiones post Clementem VIII. de quibus *in fine huius quæsiti.*

His positis, insurgunt difficultates. Et prima, an, si Regulares ampliare vellent Monasteria, quæ habent, indigeant licentia Ordinariorum. Secunda, an Bulla Clementis VIII. inferiùs ponenda, de non danda licentia Mendicantibus, ædificandi noua Monasteria, comprehendat hospitia. Tertia, an Diœcesanus concedere possit licentiam construendi noua Monasteria absque cognitione causæ.

9. Ad primam respondeo, non esse necessariam licentiam nouam pro ampliatione Monasterij: quia additamentum iudicatur, sicut Monasterium vetus, & antiquum, cui additur, siue addi potest noua fabricæ constructio absque noua licentia. Quod elicitur *ex cap. final. de concess. prebend. in 6.* Quod etiam docet Roderiq. *in qq. regul. tom. 1. q. 49. art. 9.* & Laurentius de Franchis Neapolit. *in suis controuers. pag. mihi 509 q. 1.* Suarez *tom. 5. de cens. disp. 23. sect. 5. num. 33.* Hieronym. Roder. *in compend. qq. regul. resol. 45. num. 10.* quorum aliqui affirmant: quòd possunt mutare in totum Conuentum ad commodiorem locum propter aliquam causam, vt si propter sanitatem, existentem in vallibus, mutant ad colles; nouum enim dicitur, quod denuò acquiritur, vel nouo quæritor titulo; non autem quod renouatur, vel augmentatur. Ita Barbos. *de iur. eccl. lib. 2. cap. 12. num. 78.*

10. Ad secundam respondeo, in hac constitutione Clementis VIII. non comprehendi hospitia: quia appellatione Monasteriorum non venit hospitium, ideò Eremitis Camaldolensibus, quibus prohibetur Monasteria propè ciuitates facere, vt docet Carolus Tapia *in authent. ingressi, verbo, Monasteria, cap. 40. de sacros. Eccles.* permittitur, habere propè ciuitatem hospitium: quia ibidem considerantur tanquàm viatores, vt dicit Iason *in l. Plerisq. num. 18. ff. de in ius vocand.* Nec dici possunt ibidem propriè habitare, *l. 1. §. habitare. ff. de his, qui deiecer. vel effuder. §. penult. §. in factum. ff. nautæ, caupon. & stabul.*

Quare.

Quare dixit Baldus *in l. Ea, quæ. in fin. C. quom. & quand. iud.* quem sequitur I. ion. *in l.cit. Quia pleriq;* quòd si statutum puniet offendentem aliquem in domo, non comprehendit offendentem in hospitio. Neque obstat, quòd Monasterium dicatur omnis statio Monachorum, secundùm Panormit. *in cap. Monasteria. de vit. & hon. Cleric.* quia hoc procedit de forma habitationis Monachorum; non autem de illa, quæ fit per transitum de vno loco ad alium, vt benè aduertit Aloysius Riccius *in praxi fori eccles. decis.* 652.

11. Ad tertiam respondeo, dispositionem Bullæ Clementis VIII. adeò inducere formam, & esse de substantia, vt eius omissio vitiet concessionem, teste Gratiano *lib.3. discept. forens. cap.*527. Ratio est: quia in prædicta Bulla habetur clausula decreti irritantis, quæ nullitatem operatur, & in oppositum omnia destruit. Ita Rota *diuers. decis. 24. num. 5. part. 2.* Gonzalez *ad Regul. 8. Cancell. gloss.67. num.12.* ita vt per clausulam illam inficiatur omnis titulus, & processio, quæ prætenditur capta. Ita Bisignetus *decis.1. num.6.* Cassador. *decis.11. num.5. super Regul.* cum aliis per Socc. *cons.63.colum. penult.ad fin. num. 9. lib.3.*

Ad pleniorem huius quæsiti intelligentiam, antequàm apponantur constitutiones Summorum Pontificum in hac re editæ, soluendæ sunt aliquæ difficultates, quæ ex citata constitutione *de celeb. Missar.* oriuntur.

12. Prima difficultas oritur supra decretum septimum eiusdem constitutionis, quo cauetur, vt in singulis Monasteriis Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis redditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari; quæritur, an vbi hæc præfixio iam facta fuerit in vim similis decreti sanctæ mem. Pauli V. absque tamen computatione redditum cuiusque Religiosi, sit denuò facienda, nécne. Et sacra Congregatio Cardinalium respondit, numeri præfixionem esse iterum faciendam, seruata forma vltimi decreti hac de re editi.

Secunda dubitatio, an Nouitij ad habitum regularem admissi possint admitti ad professionem in Monasteriis, in quibus habita, vt suprà, præfixione numeri, commodè ali non possunt. Respondit S. Congregatio esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Tertia difficultas oritur super vltimo decreto, quo cauetur, vt nulli recipiantur Conuentus Regularium, nisi, præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni Ordinarij. Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera Missarum recipere, vt sunt Religiones Capucinorum, ac Societatis IESV. Sacra Congregatio respondit, comprehendere.

13. Quarta, & vltima dubitatio, an idem decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur Monasteria, nisi, &c. habeat locum in Italia duntaxat, an verò etiam extra Italiam. Sacra Congregatio respondit habere locum etiam extra Italiam.

De receptione verò Monasteriorum, & Conuentuum extat, præter Constitutiones hîc apponendas, Decretum Sacræ Congr. Concilij Tridentini, superiùs citati, in his quatuor difficultatibus enodandis sub datum Romæ die 21 Iunij, 1625. sub his verbis: *Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi, degere, & ex redditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt suprà, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. rec. Gregorij XV. hac de re editi; alioquin Monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà, sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non habitauerint, Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.*

Sed hîc animaduertendum est cum Rodrig. *t.2 qq. Reg. q.49. a.9.* quòd non dicitur acquiri nouus Conuentus, quando fit mutatio in eadem ciuitate, vel oppido, de vno ad alium locum: quia tunc nullum præiudicium fit aliis Regularibus, nisi fortè per accidens ratione maioris propinquitatis ad illorum Monasteria. 14.

In hac tamen re putat Laurentius de Franchis *in suis controuersiis, quæst.1. pag. mihi* 109. quod mutare æquiparetur construere de nouo: & hoc probat per tex. *in cap. 1. de excessibus Prælatorum, in 6.*

RegularesMendicantes, qui sine licentia Sedis apostolicæ de nouo acceptant Monasterium ad habitandum, vel recepta hactenus mutant, aut quouis titulo alienationis transferunt, incurrunt excommunicationem nemini reseruatam, vt habetur *in Clem. Cupientes, de pœnis,* quod affirmant Nauar. *in Manual. cap. 17. num.144.* Gambat. *de casib. reseru. cap.11. num.15.* Syluester *in Sum. verbo. excommunicatio, 9. casu.44. num.85.* Lauorius *de Iubil. & Indulg. part.1. cap.13. num.36.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. part.3. alleg. 50. num. 230. secundum Lugdunens. Impressionem.* Filliuc. *in qq. moral. tract.14. num.145.* 15.

Sed est aduertendum, quòd textus supradictus Clementinæ colligitur etiam eo casu, quo locus dirutus desierit esse de ipsorum dominio, & habitatione, ac posteà nouo iure acquirant illum. Ita Barbos. *de iur. eccl. lib.2. cap.12. n.78.* vbi subdit, quòd secùs est dicendum, si domus aliqua Mendicantium corruat, sed illius solum continuò remansit in ipsorum dominio: tunc enim licitum erit illis ipsam de nouo ædificare, sine incursu excommunicationis prædictæ.

BVLLA FEL. RECORD. CLEM. VIII. Quæ Ordinariis locorum prohibet licentiam concedere, cuicunque etiam Mendicantium Ordini, nouos Conuentus erigendi, nisi vocatis, & auditis aliorum Conuentuum Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa cognita sine aliorum detrimento commodè sustentari posse, § 1. Appellationem etiam suspensiuam ab eorum sententiis ad Sedem apost. concedit, §. 2.

QVoniam ad instituram regularium locorum, & personarum reformationem promouendam, & conseruandam maximè pertinet, vt in quibuscumque Domibus, & Monasteriis is tantùm numerus Religiosorum, qui commodè ibidem ali possit contineatur; ac eò pariter spectat, vt in quibuscunque ciuitatibus, & locis aliarum Domorum, & Monasteriorum in eis existentium habita ratione commodè sustentari posse dignoscantur. 16.

Hac igitur nos consideratione ducti, & in præmissis pro nostro pastorali munere opportunè prouidere volentes, motu proprio & ex certa nostra scientia, ac matura deliberatione, déque apostolicæ

potestatis plenitudine, ex voto etiam venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, super constitutionibus, & negotiis Episcoporum, & regularium Præpositorum harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse licentiam ad nouos Conuentus, cuiuscunque Mendicantium Ordinis, in ciuitatibus, & locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiri, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum Prioribus, seu procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita constiterit, in eisdem ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse: si verò ab eorum in huiusmodi causis, & sententiis ad nos, & apostolicam Sedem prouocari & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quousque à nobis, & apostolica Sede in eadem causa pronunciatum extiterit. Irritum nihilominùs & inane decernentes; quidquid secùs super his à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca vniuersis venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes, in virtute sanctæ obedientiæ, distinctè præcipiendo mandamus, vt præsentes nostras literas obseruent, & obseruari curent, & faciant. Non obstantibus quibusuis apostolicis, ac vniuersalibus, prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, ac quibuscunque statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, & confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque, indultis, & literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum, tenores præsentium pro expressis habentes, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transsumptis, etiam impressis manu Notarij publici perscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die 23. Iulij, anno millesimo sexcentesimo tertio, Pontificatus nostri anno, duodecimo.

Confirmatio, & ampliatio Constitutionis Clem. VIII. circa nouorum Conuentuum Regularium erectiones.

☞ CVm aliàs fel. rec. Clemens Papa Octauus decreuerit Ordinariis locorum licentiam ad nouos Conuentus, cuiuscunque, præsertim Mendicantium, Ordinis, in ciuitatibus & in locis eorum ordinariæ iurisdictioni subiectis erigendos impertiri non posse, nisi vocatis, & auditis aliorum in eisdem ciuitatibus, & locis existentium Conuentuum prioribus, seu Procuratoribus, & aliis interesse habentibus, & causa seruatis seruandis cognita in eisdem ciuitatibus, & locis nouos huiusmodi erigendos Conuentus sine aliorum detrimento commodè sustentari posse constiterit. si verò ab eorum sententiis ad Sedem apostolicam prouocari, & appellari contigerit, ipsos Ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum suspendere debere, quandiu à dicta Sede in ea causa pronunciatum extiterit, ac aliàs, prout in decreto huiusmodi pleniùs continetur. Verùm, per piæ mem. Paulum Papam V. accepto, plerosque ex Ordinariis prædictis fauore, vel nimia exposcentium importunitate ad nouos Conuentus, seu Domus, præter, & contra tenorem prædicti decreti erigendos plerunque adduci: quo fit vt, non habita debita eleemosynarum, seu redditSuum cuiuscunque Monasterij, Conuentus, seu Domus, ratione, Monachi, seu Fratres, aut Religiosi ibi degentes manuteneri nequeant, & ad tam exiguum numerum reducantur, vt cultus diuinus in eorum Ecclesiis destinatur, ibique regularis disciplina, vt conuenit, conseruari non valeat. Sacra Congregatio DD. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum, ad quos idem Paulus Papa V. negotium huiusmodi reiecerat, tot incommodis obuiam ire, eisque aliquod opportunum remedium adhibere cupiens, Decreti huiusmodi veriores, ac totos tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis habens, viuæ vocis Oraculo à S.D.N. Gregorio Papa XV. habito decretũ prædictum, quatenus opus sit, innouat, & in vsum reducit. Volens, quòd de cætero Monasterium, Cõuentus, Domus, vel Congregatio, Societas Religiosorum, seu Regularium cuiuscunque, etiam Mendicantium, Ordinis, Societatis, & Instituti, quocunque nomine nuncupentur, etiamsi de illis particularis, expressa, & specifica mentio habenda esset, in quacunque ciuitate, vel oppido, seu quocunque alio loco non erigantur, nisi in eo saltem duodecim Fratres, aut Monachi, seu Religiosi inhabitare, ac ex redditibus, & consuetis eleemosynis sustentari valeant, ac Priores, seu Procuratores aliorum Monasteriorum, Conuentuum, seu Domorum aliarum Religionum, vel Congregationum, seu Societatum, aut Institutionum huiusmodi, non solùm in prædictis; sed etiam in aliis, per quatuor millia passuum circumuicinis locis ad id vocati, & auditi, fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis locorum constiterit, Religiosos Monasterii, Conuentus, seu Domos regularis, sic erigendi, seu erigendæ absque detrimento Religiosorum in Monasteriis, seu Domibus anteà in ciuitatibus, seu locis huiusmodi erectis degentium, ibi in numero duodecim commodè, & congruè manuteneri, & ali posse. Si verò noui Conuentus, Domus, Congregatio, Societas huiusmodi instituendæ erunt, nullique alij Regulares inibi reperiantur; Ordinarij locorum nihilominùs diligenter inquirant, ac locorum incolæ, & habitatores, quorum & consensum requirant, ac adhibeant huiusmodi duodecim Religiosos in Conuentibus, vt permittitur, instituendis, commodè alere, & manutenere valeant. Si verò à Decreto, seu Decretis per Ordinarios in causis huiusmodi ferendis legitimè appellari cõtigerit, ex nunc, prout ex ea die, qua appellatio interponetur, ea ad eandem sacram Congregationem, vnà cum toto negotio principali deuoluta censeatur, appellationéque huiusmodi pendente nihil innouandum esse, irritúmque, & inane, quidquid secus his à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernentes, quibuscunque in contrarium facientibus non obstanstantibus. Romæ 17. Augusti, 1622.

Reuocatio quaruncunque Licentiarum à prædecessoribus Pontificibus loca regularia erigendi, non seruata forma Constit. Clem. VIII. & Decretum Sedis apostolicæ, concessarum, quæ nondum effectum suum sortita sunt. Ac prohibitio illa de cætero erigendi absque licentia Ordinariorum, & sacris Canon. Concil Trident. necnon Clem. VIII. & Gregory XV. Constitutionibus non seruatis.

uatis. in hac reuocatione sunt sacri Canones enunciati Bonifacij VIII. in c. 1. de statu Regul. in 6. *& in Concil. Trid.* cap. 3. & 5. sess. 15. *necnon Clem. VIII* const. 99. in Bull. tom. 3. pag. 146. & const. 31. *Greg. XV.* prout suprà.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, cui Saluator, & Dominus noster, qui charitas est & Deus pacis, vniuersalis Ecclesiæ credidit principatum, ea interdum, quæ certis etiam rationabilibus de causis, à Sede apost. concessa sunt, ipsa subinde rerum experientia suadente, & maioribus ex causis quibus præsertim personarum sub suaui Religionis iugo Altissimo famulantium, paci, & quieti consulitur, litibúsque ac controuersiis inter eos obuiam itur, reuocat, & immutat, in hisq; pastoralis sollicitudinis, & prouidentiæ suæ studium interponit, prout rerum, & temporum qualitatibus debitè pensatis conspicit in Domino salubriter expedire. Cùm itaque, sicut nobis innotuit, complures licentiæ, siue facultates, à nonnullis Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, per diuersos Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum regularium Institutorum Superiores, seu alios eorum nomine, vbique locorum, Monasteria, Domos, Collegia, Conuentus, & alia loca regularia, quouis nomine nuncupata, seruata dumtaxat sacrorum Canonum, & Concil. Trid. decretorum forma de sola Ordinarij licentia; seu etiam forsan non seruata forma, & absque licentia huiusmodi, & contra decreta à Sede apostolica super præmissis edita, fundandi, erigendi, & instituendi importunis precibus, seu etiam motu proprio, vel aliàs obtentæ, & extortæ fuerint: idcircò nos omnes, & quascunque licentias, ac facultates huiusmodi, litterásque desuper, tam sub plumbo, quàm in huiusmodi forma Breuis desuper expeditas, earúmque tenores etiam veriores, & dat. præsentibus, ac si specificè, & sigillatim exprimerentur, & insererentur, pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, iustis de causis animum nostrum mouentibus, motu proprio, non ad nobis super hæc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione, nostris, déque apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & quascunque licentias, & facultates huiusmodi, litterasque desuper tam sub plumbo, quàm in eadem forma Breuis expeditas, omniaque, & singula in eis quomodolibet contenta, & expressa, etiam quoad erectiones, fundationes, & institutiones Monasteriorum, Collegiorum, Domorum, Conuentuum, & aliorum regularium locorum huiusmodi, quæ suum nondum sortitæ sunt effectum, tenore præsentium perpetuò reuocamus, cassamus, abrogamus, & annullamus viribúsque, & effectu prorsus priuamus. Præterea Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, Societatum, & aliorum Institutorum regularium Superioribus quocunque nomine nuncupatis, cæterísque personis, ad quos spectat in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, necnon officiorum quoruncunque, ac inhabilitatis ad illa, & alia in futurum obtinenda, necnon etiam excommunicationis ipso facto incurrendis pœnis interdicimus, & prohibemus, nec licentiarum, seu facultatum per nos, vt præfertur reuocatarum, & annullatarum, siue alio quouis prætextu, vel causa, etiam quantumuis priuilegiata noua Monasteria, Collegia, Domos, Conuentus, & alia loca regularia huiusmodi, nisi de expressa Ordinariorum licentia, ac seruata in omnibus, & per omnia sacrorum Canonum, & Conc. Trid. necnon constitutionibus fel. rec. Clem. VIII. quæ incipit: *Quoniam ad instantiam* sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Iulij, ac Decretorum, de mandato eiusdem Clementis, necnon immort. mem. Gregorij XV. Rom. Pont. prædecessorum super editorum forma recipere, erigere, fundare, seu aliàs quomodolibet instituere, seu incepta finire, & absoluere audeant, seu præsumant.

Decernentes, præsentes litteras, etiam ex eo, quòd causæ propter quas illæ emanarint, expresæ, & verificatæ, & iustificatæ aut quicunque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, ad hoc vocati, citati, & auditi non fuerint, neque illis consenserint, vel aliàs ex quibuscunque capite, prætextu, colore, ingenio, vel causa subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quouis defectu notari, impugnari, redargui, restringi, retractari, in ius, vel controuersiam vocari, ad terminos iuris reduci, aut contra eas quoduis gratiæ, vel iustitiæ remedium impetrari, seu concedi nullatenus posse; sed eas, ac omnia, & singula in eis côtenta semper, & perpetuò valida, firma, & efficacia esse, & fore, suósque plenarios, ac integros effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, inuiolabiliter obseruari; sicque, & non aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales de latere Legatos, & Nuncios quauis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Episcopis, & aliis locorum Ordinariis per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque solenniter publicari; illásque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari faciant; rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliáque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac regula nostra de iure quæsito non tollen. & fel. mem. Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus diætis; dummodo vltra tres diætas aliquis authoritate præsentium ad iudicium non trahatur; aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac quoruncunque Ordinum Congregationum, Societatum, & Institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis etiam *Mare magnum*, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, & Litteris apostolicis, illis, eorúmque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & sæpiùs innouatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indi-

indiuidua, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum omnium tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris est, affixæ, omnes, quos illæ concernunt, ita arctent, & afficiant perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent. Quódque earundem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 18. Augusti, 1624. Pontificatus nostri anno secundo.

QVÆSITVM II.

An pro constructione Monasteriorum, & Ecclesiarum, possint compelli vicini ad suum proprium vendendum.

SVMMARIVM.

1 *Cogi potest quilibet ad propriam domum vendendam pro Ecclesia construenda, & amplianda.*
2 *Cogi etiam potest quilibet ad proprium vendendum pro reædificatione Monasterij, vel loci pij.*
3 *Compelli potest vicinus vendere seruitutem altiùs non tollendi, dummodo Ecclesia pro se petat, non vt aliis complaceat.*
4 *Religiosis degentibus prope Monasterium aliorum, non est licitum, sua in altum protendere ædificia.*
5 *Domus communis partem vendere tenetur socius, etiam inuitus, si mandetur in ea cōstrui Ecclesia.*
6 *Iudex sæcularis an valeat arbitrari circa pretium, quando vicini coguntur vendere domum pro ædificanda Ecclesia.*
7 *Monasteria coram quo Iudice sint conuenienda.*

1. Communis Doctorum sententia fatetur, quòd pro construenda Ecclesia, & amplianda Religione, cogi potest quilibet ad propriam domum vendendam Et hoc fuit etiam decisum in fauorem Monasterij S. Hieronymi, vt affirmat Afflict. *in prob. Const. regni q. 3.* vbi multos congerit, & sequitur Authores, & testatur de communi opinione, non solùm in construenda Ecclesia, sed etiam pro construenda domo prope Ecclesiam, in qua habitet Clericus Ecclesiæ deseruiens. Ita Paul. de Cittadin *de iurep. 1. q. 3. n. 174.* & Surdus *consil. 62. vol. 1.* Imò etiam pro amplianda Ecclesia, vt probāt prædicti Authores, & etiam pro atrio ante Ecclesiam constituendo, cùm illud dicatur pars Ecclesiæ, & sine eo esse non debeat, *ex cap. Si quis in atrio. 17. q. 4.* quod fuit Neapoli decisum, vt tradit Carolus Tapia *pragm. Per me mali.*

2. Potest etiam quilibet cogi ad vendendum suum proprium pro reædificatione Monasterij, vel loci pij. Ita affirmat Francisc. Marcus *decis. 536. part. 1.* & Gaspar Thes. *q. 64. part. 1.* & Costa *de remed. subsid. cap. 65.* imò idem Francisq. Marcus, *decis. 534. num. 5. part. 1.* & Costa *loc. cit. remed. 76. num. 9* affirmant, quòd quis potest cogi, etiam vendere pro claustro, & scholis fabricandis, & Soc. *regul. 435.* tenet, quòd quis potest cogi ad vendendum suum proprium pro dormitorio extendendo, pro Monasterij verò viridario, & ampliatione viridarij affirmant Marcus Ant. Maceraten. *lib. 1. resol. 112. cas. 29.* & Cepoll. *in tract. de seruit. in rubr. de sepult. cap. 82. num. 5.* & Gulielmus *in cap. Raynutius. in verbo, Domum, num. 27.* Sed hoc indiget limitatione, quando, scilicet, ampliatio petitur ad complacendum aliis, non pro diuino cultu; tunc non debet cogi quispiam ad vendendum. Ita Guido Papæ *decis. 411.* Lauretus de Franch. *decis. 223.* quod non videtur procedere in dubio. Et quamuis habeatur *in l. Vendere inuitum. C. de contractibus emptionum*, & *l. Nec emere. de iure deliberat. l. 55. tit. 5. part. 5.* quòd nullus cogi potest suam rem vendere: nihilominùs Ecclesia potest cogere vicinos ad vendendum prædia vrbana pro sui ampliatione, vt fatentur, præter citatos Doctores, Martha *de iurisd. part. 4. centur. 2. cas. 71.* Rebell. *de oblig. iustit. lib. 9. q. 18. n. 43.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 341.* Marcus Anton. Genuensis *pract. Eccles. q. 241.* Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 25. n. 259.*

Potest etiam compelli vicinus ad vendendum Religiosis, seruitutem altiùs non tollendi, etiam via publica intermedia, dummodo pro se Ecclesia petat; non verò, vt aliis complaceat. Francisc. *decis. 223. num. 4.* Pallel. *in l. Altius. num. 19. C. de seruitut.* & Riccius *part. 1. decis. 138.* 3.

Hinc est, quòd Religiosis degentibus prope Monasterium aliorum Religiosorum, non est licitum sua in altum protendere ædificia: quod etiam prohibitum est sæcularibus, sicut & ianuas aperire, à quibus possint prospicere interiora claustra Conuentus, tam Monachorum, quàm Monialium. Nec obstat quoad Regulares vulgaris illa Regula iuris, quòd priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non vtitur suo priuilegio: fallit enim in eo, qui actu priuilegium habet, & practicè in ea re, & specie, de qua agitur, patiturque læsionem, & damnum ab habente priuilegium simile. Ita Portellus *in dub. regul. verbo, Monasterium. n. 3.* Hieronym. Roder. *in compend qq. regul. resol. 96. n. 11.* 4.

Ex his facilè inferri potest, quòd habens domum communem, si mandetur in ea construi Ecclesiam, tenetur socius inuitus vendere partem suam. Ratio est: quia Ecclesia æquiparatur libertati: & ratio, qua quis est in libertate, viget in Ecclesia, *ex cap. Cum dilecta, de confirm. vtil vel inutil.* & Baldus *in l. 1. C. de comm. seru. manut.* Vasquez *de success. primogen. lib. 3. §. 29. num. 4.* Secùs dicendum est, si quæratur, an possit cogi vicinus ad vendendum domos suas pro ampliatione hospitij: quia priuilegium concessum Ecclesiæ cogendi vicinos ad vendendum, non extenditur ad hospitia, sicut nec potest idem priuilegium extendi ad locationem, vt docet Lauretus de Franchi. *loco cit. q. 12.* vbi plura iura cumulat. 5.

Sed potest oriri difficultas, dum prædicti vicini coguntur ad vendendum, an Iudex sæcularis valeat arbitrari, an vicinus possit cogi ad vendendum, circunstantiis consideratis ad mouendum arbitrium. 6.

Huic difficultati occuritur sic dicendo, Iudicem sæcularem arbitrium non habere in proferenda sententia, moderando leges, & canones, vel contra communes opiniones Doctorum pronunciando in præiudicium Religionis: nam arbitrium Iudicis debet esse consonum iuri, *cap. Nunc autem.* vbi declarat Præpositus *dist. 21* Nec potest aliter arbitrari, quàm iura, & authoritas Doctorum suadeant. Ita Gabriel *cons. 36. num. 52. volum. 1. vers. Hoc autem arbitrium* Marsilius *in pract. crimin. §. Diligenter.* Albertus *in 3. part. statutor. q. 32. vers. Item quæro. in n. 2.* vbi ait, quòd, licet Iudex arbitrium habeat; debet tamen seruare ius commune: quia arbitrium, quod Officialibus conceditur, ad ius commune debet semper reduci, & restringi,

ſtringi, niſi quoad modum procedendi,& circa leuia: & fatetur de communi. Vnde non poſſet Iudex ſæcularis, ex his, quæ dicta ſunt, in præſenti caſu arbitrari, an vicinus cogi poſſit ad vendendum, conſideratis circunſtantiis ad arbitrium mouendum; ſed ſecundùm ſententiam Doctorum, & conſuetudinem iudicandi, proferre ſententiam.

7. Hinc breuiter reſoluitur dubitatio, coram quo Iudice Monaſteria ſint conuenienda: nam reſpondeo, quòd in cauſis temporalibus, quando Monaſterium gerit perſonam actoris, petens aliquid à laico debet eum conuenire coram Iudice ſæculari, *cap. Cum ſit generale. cap. Si Clericus. de foro compet.* Sed hodie in multis locis contrarium obſeruatur. Vnde, ſi laicus deſtruxerit Monaſterium, vel in eo commiſerit ſacrilegium, apud ſæcularem Iudicem agendum eſt *ex d. cap Cum ſit generale,* & *cap. Cum quæſtus. eod. tit.* Monaſterium autem agens, & apud Iudicem ſæcularem aliquid petens, poteſt apud eundem Iudicem reconueniri, niſi reconuentio ſit ſupra cauſa criminali, aut ſupra ſpirituali annexa, ſiue cauſata per malitiam Procuratoris, vt conueniatur à Monacho coram tali Iudice, vt ipſe coram eodem reconueniat ipſum, putans illum ſibi fore maximè fauorabilem. Videatur in hac re Sanchez *in præcept. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 31. num. 26.* & Couarruu. *pract. cap. 7. num. 3.* Et Cabedo Luſit. *deciſ. 54. num 6. & 13. part. 1.* vbi reſoluit, Mendicantium Monaſteria, & etiam Monialium, etiamſi ditiſſima ſint, gaudere perſonarum miſerabilium priuilegio, vt agentia contra laicum illum conuenire poſſint apud Iudicem Curiæ Regiæ.

QVÆSITVM III.

Vtrùm Abbates poſſint ædificare Eccleſias, & Cænobia prope Eccleſias, & Monaſteria aliorum Regularium; & è conuerſo.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia aliqua recenſentur ſuper hoc Carmelitis, ac aliis Regularibus conceſſa, & n. 3.4.5. & 6.*

2 *Ædificare Eccleſias, & Monaſteria prope loca aliorum Regularium, abſque vlla pœna, poſſunt Abbates: hoc tamen limita iuxta conſtitutiones Clementis VIII. vt num. 7.*

8 *Indultum Vrbani VIII. ne ædificentur Monaſteria Mendicantium per tres leucas, prope Monaſterium S. Mariæ de Monteſerrato.*

1. Circa propoſiti quæſiti materiam aliqua priuilegia, quæ variis Religionibus à variis Pontificibus conceſſa inueniuntur, adducere propoſui. Primò Clemens IV. conceſſit Fratribus Ordinis Carmelitarum, *ne aliqui Religioſi Ordinũ Mendicantium Eccleſias, ſeu quæuis loca ædificare, ſeu conſtruere, aut per alios conſtructa, ſeu ædificata recipere, aut inhabitare, iuxta loca prædicti Ordinis, infra ſpatium centum quadraginta cannarum menſurandarum, etiam per aëra, vbi alias rectè non permitteret loci diſpoſitio menſurari, quoquo modo præſumant: decernens, quicquid ſecùs actum fuerit, irritum & inane.* Ita Miranda *in Manuali Prælat. t.2.q.33.a 4.* Sixtus IV. prohibuit, vt non ſolum Fratres Mendicantes; verùm etiam quicunque alij Religioſi & eccleſiaſticæ perſonæ vtriuſque ſexus prope domos Fratrum dicti Ordinis de monte Carmelo nouas Eccleſias, & noua loca conſtruere, vel aliàs de nouo recipere & habere non poſſint, infra ſpatium centum quadraginta cannarum per aërem menſurandarum, vbi aliàs per terram commodè menſurari non poſſent: & quòd ſi quis cuiuſuis Ordinis ſtatus ac dignitatis fuerit, contra præcepta venire, ac agere præſumpſerit, tam ipſe, quàm auxilium, & fauorem præſtantes ipſo facto incurrant ſententiam excommunicationis: & nihilominus cuncta, & ſingula ab eis facta pro infectis habeantur. Quæ prædicta omnia habentur *in compendio priuilegiorum Mendicantium, verbo, Ædificare, §.15.& 19.*

Sed circa prædictas conceſſiones apoſtolicas eſt aduertendum cum Hieronymo à Sorbo *in annot. ad d. Comp. loco cit.* circa diſpoſitionem Clementis IV. Neapoli, & in quampluribus ciuitatibus contrarium practicari, cùm multa talium Regularium Monaſteria reperiantur eſſe ædificata, & quotidie ædificari viciniſſimè; adeò vt non videantur iam eſſe in vſu. 2.

Extat etiam priuilegium eiuſdem Clementis IV. confirmatum à Iulio II. quo prohibetur Mendicantibus ædificare de nouo prope domos iam conſtructas Fratrum Minorum, niſi infra ſpatium trecentum cannarum per aëre menſurandarum, vbi aliàs rectè menſurari loci diſpoſitio non permittit, quo priuilegio gaudent alij Mendicantes communicantes in priuilegiis. Ita Barboſ. *de iur. eccl. lib. 2. cap. 12. n. 73.* 3.

Extat aliud priuilegium Vrbani IV. *in compend. Ciſtercien. verbo, Ædificare, §. final.* quo cauetur nulla ædificia conſtrui poſſe intra vnum milliare ab Abbatiis, & locis Ordinis Ciſtercienſis, ſub pœna excommunicationis. 4.

Et in *compend. Mendicantium, verbo, Ædificare,* inſpicitur aliud priuilegium Innocentij IV. quo prohibetur, ne infra dimidiam leucam à terminis poſſeſſionum Carthuſienſ. ædificare, nec poſſeſſiones acquirere liceat, quòd refert Laurentius Portellus *verbo, Monaſterium, num. 1.* & Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 33 art. 4. concl. 1.* vbi ſubdit ex eodem priuilegio, quamlibet iſtarum cannarum ſupradictarum debere obtinere octo palmorum longitudinem, non obſtante varia locorum conſuetudine. 5.

Ex eodem Portello *loco cit. num. 3.* habetur priuilegium conceſſum Patribus Societatis Ieſu, à Gregorio XIII. vt poſſint ædificare intra centum quadraginta cannas prope alios Conuentus, quod priuilegium illis ſolis conceſſum eſt. 6.

Quid ergo, ſtantibus prædictis priuilegiis, obſeruare debeant Regulares in conſtructionem Monaſteriorum, ſeruatis aliàs de iure ſeruandis? Reſpondeo cum Portello *loco cit. num. 2.* quicquid ſit de iſtis priuilegiis, an eſſent in vſu, vel non, quòd Clemens VIII. anno 1603. videns multitudinem Conuentuum, & diſpendium inde ſequutum, prohibuit, ne Epiſcopi dent licentiam ædificandi noua Monaſteria cuiuſcunque Ordinis, niſi vocatis Prioribus Conuentuum, ſeu Procuratoribus, & aliis intereſſe habentibus, & cauſa ſeruatis ſeruandis cognita, conſtiterit, in eiſdem locis nouos erigendos Conuentus, ſine aliorum detrimento commodè ſuſtentari poſſe: ſi verò ab eis in huiuſmodi cauſis, & ſententiis ad Sedem apoſtolicam appellari contigerit, ipſos Ordinarios tandiu erectionem nouorum Conuentuum ſuſpendere debere, quouſque à Sede apoſtolica in eadem cauſa pronunciatum extiterit, inane decernendo, quidquid ſecùs ſuper hac re ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, vt per extenſum *in d. Bulla,* videri poteſt *in fine primi quæſiti.* 7.

Nouiſſimè verò ad inſtantiam Fr. Alphonſi de Turpillo, Monachi profeſſi Cœnobij Sanctæ Mariæ de Monteſerrato, & Congregationis S. Benedicti, Hiſpaniarum Procuratoris, & S. vniuerſalis Inquiſitionis Qualificatoris, S. D. N. Vrbanus, diuina prouidentia Papa VIII. decreuit in fauorem prædicti 8.

Mona

Monasterii S. Mariæ de Monteserrato, ne quis alia Mendicantium Monasteria, Domos, seu Conuentus, aut alia regularia loca, etiam vigore, seu prætextu quorumuis priuilegiorum, per tres leucas circumcirca Monasterium prædictum, & Ecclesiam B. Mariæ de Monteserrato, sine expressa Abbatis, & Monachorum prædicti Monasterii pro tempore existentium licentia, construat, fundet, aut aliàs quomodolibet erigat, vel instituat; & contrà facientes pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ ligari voluit, vt colligitur *ex sequenti eiusdem Pontificis Indulto.*

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Complura pietatis, & charitatis opera, quæ in Monasterio Beatæ Mariæ de Monteserrato, Monachorum Ordinis Sancti Benedicti, Vincensis, seu Nullius Diœcesis exerceri consueuerunt, Nos indueunt, vt in his prouisionis nostræ ministerio libenter intendamus, per quæ pia opera huiusmodi cõseruari, maioráque in dies suscipere valeant incrementa. Cùm itaque, sicut accepimus, ad Ecclesiam dicti Monasterij, ac sacram eiusdem Beatæ Mariæ de Monteserrato imaginem inibi existentem, magnus Peregrinorum ex omnibus Orbis partibus, deuotionis causa, confluentium fiat concursus, ipsúmque Monasterium, in quo erga eosdem Peregrinos hospitalitas, & alia Christianæ charitatis opera exercentur, plenam in ciuilibus, & criminalibus iurisdictionem per longum circuitus spatium habeat; eàque mediante loca eidem Monasterio subiecta, licèt aspera, & deserta, proindéque ad bannitorum, variarúmque grassatorum receptationem apta sint; ab illis tamen hactenus semper salua, & illæsa, ipsísque Peregrinis tuta seruauerit, Nos attendentes, quòd si alia Mendicantium Ordinum Monasteria, Domus, seu Conuentus, in districtu ipsius Monasterii, siue illius iurisdictione construerentur, id non solùm eidem Monasterio circa pias fidelium eleemosynas, & oblationes eidem Monasterio,& Ecclesiæ fieri solitas,piorúmque operum prædictorum exercitium, maximum præiudicium, & detrimentum illaturum foret; verùm etiam bannitis, & grassatoribus prædictis se in Monasteria, Domus, & Conuentus huiusmodi recipiendi occasionem præbiturum; idcircò præmissis, quantùm cum Domino possumus obuiam ire, ac dilectos filios Abbatem, & Monachos dicti Monasterij specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorúmque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliísque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occasione,vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, Motu proprio ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris; ne de cætero perpetuis futuris temporibus alia Mendicantium Ordinum Monasteria, Domus, seu Conuentus, aut regularia loca quomodolibet nuncupata, etiam vigore,seu prætextu quorumuis priuilegiorum, eisdem Ordinibus, illorúmque Superioribus, ab apostolica Sede quouis modo concessorum, per tres leucas circumcirca Monasterium, & Ecclesiam Beatæ Mariæ de Monteserrato huiusmodi, nisi de expressa Abbatis, & Monachorũ dicti Monasterij pro tempore existentium licentia construi, fundari, aut aliàs quomodolibet erigi, vel institui possint, sub excommunicationis maioris latæ sententiæ pœna, apostolica authoritate, tenore præsentium, interdicimus, & prohibemus. Decernentes, præsentes Litteras perpetuò validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suósque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac eidem Monasterio in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari. Sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si quid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Episcopis Elnensi, & Vrgellensi, ac dilecto filio Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentes committimus, & mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, si, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Abbatis, & Monachorum dicti Monasterij fuerint requisiti, solenniter publicantes, eísque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant authoritate nostra easdem præsentes Litteras, & in eis contenta quæcunque ab omnibus, ad quos spectat, & in futurum spectabit, inuiolabiliter obseruari, ac Abbatem, & Monachos prædictos illorum commodo, & effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes, eos desuper à quoquam quomodolibet indebitè molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliáque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus felic. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus diætis, dummodo vltra tres diætas aliquis authoritate præsentium in iudicium non trahatur; aliísque Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac Mendicantium Ordinum huiusmodi etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris apostolicis eisdem Ordinibus, illorúmque Superioribus, & personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibúsque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum omnium tenores, præsentibus pro sufficienter expressis, habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem,quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 7. Iunij, 1630. Pontificatus nostri anno septimo.

M. A. MARALDVS.

QVÆ

QVÆSITVM IV.

Vtrum Ecclesia, & Abbatia Regularium possint de vno ad alium locum, nulla habita Diœcesani licentia, transferri?

SVMMARIVM.

1 *Abbatia, & Ecclesia regulares de iure communi nequeunt de vno ad alium locum, absque Diœcesani licentia, transferri.*

2 *Ecclesias, seu Conuentus mutare non possunt Regulares Mendicantes absque expressa Summi Pontificis licentia.*

3 *Abbates generales cum consilio, & consensu Capituli generalis possunt ex priuilegiis Abbatias, & loca suarum Congregationum in alia earundem Congregationum loca transferre, nullius licentia requisita.*

1. DE iure communi Ecclesia Monachorum non potest de vno ad alium locum transferri, non habita priùs Ordinarij licentia. Nam in c. *Si quis vult.* 16. q. *vlt.* sic dicitur: *Si quis vult suum Monasterium ad meliorandum in alium locum ponere, fiat cum consilio Episcopi, & Fratrum suorum.* Imò ad mendicantium Conuentus in alium locum mutandos, vel transferendos, non solùm Ordinarij, verùm etiam Summi Pontificis licentia exigitur, vt de noua constructione diximus in 1 quæstione huius disputationis, & q. præced. num. 8. & hoc per text. in cap. *Cum ex. de excess. Prælat.* in 6. Summus Pontifex æqualiter loquitur de Monasteriorum erectione, constructione, aut noua ædificatione, ac de eorum mutatione, vt aduertit Augustin. Barbos. *de offic. & potest. Episc. part. 2. alleg. 26. n. 8.* qui indistinctè loquitur de omnibus Monasteriis, siue Ecclesiis: at ille textus disponit de Ecclesiis, & Monasteriis Religiosorum Mendicantium tantùm, non autem aliorum, qui Mendicantes non sunt. Idem Augustinus Barbos. *de iur. Eccl. lib. 2. cap. 2. num. 69.* ait, quòd Concilium Trid. dictam dispositionem non renouat, nec renuuat: quia solummodo ait, vt similia loca non eriguntur sine Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta: & sic nullam mentionem fecisse de locorum mutatione videtur voluisse, vt remaneret in dispositione iuris communis. Idem affirmant Roderiq. *tom. 2. qq. regul. q. 44. art. 4.* & Miranda *in Man. Prel. tom. 1. q. 33. art. 15* Portell. *in dub. regul. in add. verbo, Monasterium, num. 3.*

3. Sed, licet de iure communi hæc ita se habeant; tamen ex priuilegio videtur posse Abbates generales, cum consilio & consensu Capituli generalis Abbatias, ac loca suæ Congregationis in alia loca eiusdem Congregationis transferre. Nam Sixtus V. anno Domini 1587. septimo Cal. Decembris, Pontif. sui annu 3. concessit, quòd Abbas generalis Congregationis S. Benedicti Regnorum Portugalliæ, qui pro tempore fuerit, cum consilio & assensu Capituli generalis, Monasteria dictæ Congregationis, quæ in locis incommodis, & minùs populosis reperiuntur, ad commodiora loca, vbi Monachorum doctrina, & vitæ exempla populo Christiano magis vtilia futura sint, & fructuosa, propria authoritate, Ordinariorum locorum, vel cuiusuis alterius licentia minimè requisita,) cum eorū Monachis, & supellectilibus, paramentis, & ornamentis, aliisque rebus necessariis transferre, & mutare possint, ac fructus, redditus, & prouentus eorundem Monasteriorum, seu cuiuslibet eorum, vel illorum partem, Generalis, & Capituli prædictorum arbitrio, aliis eiusdem Congregationis Monasteriis magis indigentibus perpetuo, vel ad tempus (etiam renitentibus Abbatibus Monasteriorum eorundem, & quibusuis aliis personis) applicare, & assignare, prouiso tamen, quòd animarum cura personarum sæcularium, incumbens Abbatibus, & Conuentibus Monasteriorum transferendorum huiusmodi, in Ecclesiis eorum nullatenùs negligatur; sed per Monachos dictæ Congregationis regulares, vel Presbyteros sæculares idoneos, & ab Ordinariis approbatos laudabiliter exerceatur; liberè, & licitè valeant, plenam, & liberam apostolica authoritate, tenore præsentium, licentiam concedimus, & facultatem, non obstantibus, &c. Quod priuilegiu refertur à Roderiq. *in noua Collectione priuileg. pro Regular. Bulla 25. Sixti V.* & ab eodem Roderiq. *regular. quæst. tom. 2. q. 49. art. 4.* Mirand. *Man. Prælat. tom. 1. q. 33. art. 2. conclus. 2.* August. Barbos. *d. alleg. 26. num. 9.* Idem Augustinus Barbos. *de iur. eccl. loc. cit. num. 71.* refert ex testimonio Hieron. Rodet. *in Compend. priuileg. resol. 96. num. 13.* Pium II. & Pium IV. concessisse Priori, & Monasterio S. Benedicti Vallisolett., ad instantiam Philippi II. Regis Hispaniarum, vt duo, vel tria Monasteria, iusta interueniente causa, & de assensu Monasteriorum vniendorum, etiam non vocatis eorum Patronis, vnire possint, dummodo onera consueta in dictis Monasteriis vnitis Monachi teporteant: & quòd possint trasferre Monasteria de locis sterilibus, & inaquosis, vel de terris dominorum temporalium, qui eorum bona occupant, & alia loca magis commoda cum suis redditibus, fructibus, & prouentibus.

QVÆSITVM V.

Vtrùm, si Ecclesia abbatialis mutet statum, retineat sua priuilegia.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium exemptum ex defectu Monachorum si ad sæcularem statum reducatur, Ecclesia remanebit exempta, vt priùs.*

2 *Ecclesia exempta, nisi penitus destruatur, talis remanet, licet partim euertatur, vel immutetur.*

3 *Priuilegium concessum propter strictiorem vitam, amittitur, si non seruetur Regula antiquitus instituta.*

REspondeo affirmatiuè: nam priuilegia concessa Abbatiæ, vel Prioratui, non amittuntur, si erigatur in Cathedralem. Oldr. *consil. 267. Quod Domine, col. 5.* Dominic. *consil. 125. dub. in fine* nam, sicut, v.g. in Gallia, si Ecclesia priuilegium eligendi non haberet, Rex non perderet suam nominationem, quamuis mutaretur status Ecclesiæ; sic neque perderet Ecclesia priuilegium, etiamsi mutet statum. Rebuff. *in concord. rub. de reg. ad Prælat. nominat. faciend. §. vltimo,* vbi ait, quòd nec etiam bona perdit Ecclesia regularis, quæ transfertur in sæcularem, vel è contra. Idem affirmat Petrus de Perus. *in tract. de vnitat. Ecclesia, cap. 1. q. 1. arg. c. Ecclesia. extr. vt lit. penden.* Id ipsum probat Philipp. Prob. *in addit. ad Ioan. Monach. in c. Cum de beneficio. de prabend. in 6.* Et facit id, quod dicit Panormit. *in c. Dilectus, n. 9. de capellis Monachorum,* quòd, licet Monasterium mutet statum de regulari, ad sæculare, non per hoc mutat subiectionem: nam remanet Ecclesia subiecta illi, cui primò subiiciebatur, licèt in aliis mutet morem, arg. *cap. Recolentes, de stat. reg.* Idem tenet *ibidem* Innoc. & communiter Doct. Ex quo infertur cum eodem Panorm. quòd si aliquod Monasterium exemptum ex defectu Mona- 1.

Monachorum reducitur ad statum sæcularem, Ecclesia remanebit exempta, sicut priùs: quia, quando remanet potissima, seu principalis pars rei, de qua disponitur, dispositio non perit, sed habet ius ea effectum; licèt forma, quæ suberat tempore dispositionis, perierit. Latè de hoc Albert. Brunus *tract. de interitu & perempt. concl. 6. n. 23. & sequent.* Vnde ex dictis patet, exemptionem datam Monasterio non perire, etiamsi mutetur Ordo Monasterij: & consequenter, si Ecclesia abbatialis transferatur de vno ad alium statum, iura sua non mutat. Ita Cochier. *de iurisd. Ord. in exempt. p. 3. q. 24. num 3.* vbi subdit,
2. quòd Ecclesia, seu Ædes sacræ non ideò profanantur, seu desinunt esse sacræ, quòd aliqua ex parte exustæ, seu destructæ sint, nisi destructio facta sit penitus, & funditus; & quòd parietes interiùs, & exterius perierint, *cap. Ecclesiis.* vbi Gloss. *de consecr dist. 1. de fabr.* Et calix effractus, si aliquid calicitatis retineant, non ideò desinit esse sacer. Gloss. *Authentica, Præterea, C. de sacros. Eccl.* Vnde, si Monasterium penitùs euertatur, immutetur vel destruatur tunc amittitur exemptio. Ita affirmant Baldus *de pace const. §. Imperialis, num. 9.* Ratio est: quia sublata persona, vel re, cui beneficium concessum est, priuilegium amittitur, arg. *l. Postquam. in pr. ff. Vt leg. nomine caueat. l. Intercedit. ff. de condit. & demonst.* Hoc tamen fallit, quando priuilegium esset certo Ordini concessum propter strictiorem vitam: quia in eo casu, si non seruetur Regula antiquitùs instituta, amitteretur priuilegium. Panorm. per illum text. *in cap. Recolentes. in 12. not. ab. de stat. Monachorum.* Ideò solent Summi Pontifices, quæ Monasteriis, & Religionibus concedunt, addere, dummodo ibi seruetur Ordo S. Benedicti, siue S. Ioannis Gualberti, &c.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm, translata Abbatia de vno ad alium locum, auferantur, & tollantur ipsius iura, & priuilegia.

SVMMARIVM.

1 *Exemptionis priuilegium non amittit Monasterium exemptum, si de vno ad alium locum Superioris authoritate transfertur,*
2 *Exemptionis priuilegium non extenditur vltrà quàm verba sonant.*
3 *Exemptionis priuilegium an retineat Monasteriũ, seu Ecclesia, ab vna ad aliam diœcesim translata.*
4 *Exemptionum causa finalis est quies exemptorum, & fauor S. Sedis apostolicæ.*
5 *Translatio personarum, & rerum exemptarum ex vna in aliam diœcesim, fit semper intactis iuribus priuilegiorum, & exemptionis.*

1. HVic dubitationi respondetur negatiuè: nam, si vnum Monasterium, vel Abbatia exempta Superioris authoritate de vno in alium locum transferretur, etiam post translationem retineret i[illegible]a, & priuilegia exemptionis. Ita Vvamesius *cons. 63. n. 2. & cons. 64. n. 3. de iudic.* Quia Ecclesia, ciuitas, castrum, Collegium, ac alia loca, si Superioris authoritate in alium locum transferantur, adhuc sua iura, priuilegia, & exemptiones retinent, Gloss. *in cap. Priuilegium, de reg. iur. in 6.* Innocent. *in c. Cùm ex iniuncto, de oper. noui nunciat* Alexand. *l. Inter stipulantem. §. Sacrum, col. vlt ff. de verb. oblig.* & *consil 43. vol. 1.* Gaillus *lib. 2. obseruat. 61. n. 10.* Philippus Franchus *in cap. Cum per ora, §. Si verò, in fine, de priuileg. in 6.* Vbi ait, quòd si quæratur de Ecclesia translata, an desinat esse exempta quoad locum, & Ministros ibi remanentes, vel ad eam translatos; dic, quòd non, cùm priuilegium sit reale, & duret, vt *in c. Priuilegium, de reg. iur. in 6.* Aut quæritur de Ecclesia non exempta, in quam est translata, & ministris ad eam translatis: & dicendum, quòd ipsa ex hoc non efficiatur exempta, vel ministri ad eam translati, vt tenuit Lapus, cùm exemptio non 2.
extendatur vltrà quàm verba disponant. *cap. Porrò, de priuil.* Ita Franchus. Rebuffus verò *in prax. benef. part. 1. tit. de transl. Episcop.* ait, quòd effectus translationis est, vt translatus ab vna Ecclesia ad aliam, desinat esse Episcopus, vel prouisus illius primæ Ecclesiæ, à qua transfertur, *cap. In apibus §. ecce. 7 q. 1.* Alius effectus, quòd prior Ecclesia perdit priuilegia, & in aliam Ecclesiam transferuntur. Glo. *l. cap. Si quis vlt q. 7.* Quod quidem verum est, quando exemptio concerneret personam: secùs, si priuilegium esset reale, seu concerneret rem, *l. 2. §. 1 de priuil. cred. l. tempus, in fine ff. de re iudicata.* Oldrad. *cons. 257. n. 2.* & sic vtraque Ecclesia erit immunis, sicut aliæ Ecclesiæ, vt *per. tot. tit. de immunit. Eccles.* & sic ministri, qui Ecclesiæ primæ seruient, erunt exempti, sicut ministri Ecclesiæ translatæ, *c. Per exemptionem, de priu. in 6.* Ita Rebuff *loco cit.*

Quòd si Monasterium exemptum vnius diœcesis 3.
transferatur ad aliam diœcesim, an retineat sua priuilegia, & exemptiones dubitant Doctores, & præsertim Gaillus *lib. 2. obser. 61. n. 2.* & Bald. *cap. Imperialis, n. 9.* qui negant: quia dicunt ipsi, quòd Clerus Namurcensis segregatus à Clero, translatúsque in aliam diœcesim, videtur mutasse statum, & quasi maximam capitis diminutionem passus, priuilegia, immunitates, & exemptiones amisisse.

Respondeo, per huiusmodi translationem Clerum Namurcensem exemptionem, & priuilegia non amisisse, sicut non amiserunt priuilegia, & exemptiones Clerus Thenensis, Louaniensis, Arschotanensis in aliam diœcesim translati, vt probat Vvamesius *cons. 63. & 64* & latè probat Cochier. *de iurisd. Ordin. in exempt. lib. 3. q. 21.* & *tom 2. part 2 q 69.*

Neque obstat, quòd exemptiones, & priuilegia semper intelligi debeant cum clausula, *rebus sic stantibus*; quæ in omni dispositione etiam iuramento firmata semper tacitè intelligitur, vt tradit Taraquell. *Reg l. Si vnquam, in princip. n. 161.* quia exemptionum causa finalis est quies exemptorum, & fauor sanctæ Sedis apo-
stolicæ, vt idem Cochier. ostendit *lib. 1. q. 1. n. 17. loc.* 4.
cit. quæ quidem causa, cùm etiam duret in Clero translato in aliam diœcesim, durare etiam dicenda est præcedens concessio exemptionis: quia dispositio facta contemplatione alicuius finalis causæ tandiu durat, quandiu durat causa illius finalis, *l. Seruus si dominorum. C. de Episcop. & Cler.*

Ex his concludendum est, quòd translatio persona- 5.
rum, & rerum exemptarum ex vna in aliam diœcesim, fit semper intactis iuribus priuilegiorum, & exemptionis, vt optimè probat doctus Vvamesius *cons. 63. & 64. de iud* & Bartol. *l. Hostes. ff. de captiuis*, & Couarr. *pract. qq. cap. 37. n. 7.* Et consequenter colligitur cum Cochier. *loco citato, tom. 2.* quòd Ecclesiæ, ciuitates, castra, Collegia, aliàque loca, quæ Pontificis authoritate in alia noua loca, aut diœceses transferuntur, sua iura, & priuilegia, ac exemptiones conseruant, & retinent, *cap. Ad Apostolatus, de conc. prabend.* Gloss. *cap. Priuilegium. de reg. in 6.* Innocentius *cap. Cùm ex iniuncto, de noui operis nunc.* Ioan. a Cochier. *in schol. ad prec. imperial. sect. 3. q. 10.* vbi citat Decis. Rotæ *apud Cardinalem Seraphinum.*

QVÆ

QVÆSITVM VII.

Verùm Abbates poßint ſua Monaſteria, ſeu Eccleſias, deſerere, & deſtruere.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte affirmatiua.*
2 *Monaſteria deſerere, & deſtruere poſſunt Abbates legitima interueniente cauſa.*
3 *Monaſteria deſtruendi, quana ſint cauſa legitima.*
4 *Reſpondetur ad obiecta.*
5 *Monaſteria iam ædificata deſerere non poſſunt Regulares, niſi in manibus Ordinarij.*
6 *Fratres Minores non poſſunt deſtruere ſeu aliis donare res Conuentus, in quo aliquis habet legitimum titulum iurispatronatus.*
7 *Bona Monaſterij alio tranſlata acquiruntur Monaſterio, ad quod fit tranſlatio.*

1. Videtur primò, quòd Abbates non poſſint Monaſteria deſerere. Nam Eccleſia materialis, ad inſtar triumphalis, decoratur Officiorum, & Miniſtrorum ſibi ſeruientium diuerſitate, *c. Ad hoc, 89. diſt.* & c. *Singula, eadem diſt.* Ergo Abbates, & Miniſtri, qui in illa inſeruiebant, & Officia diuina in ea celebrabant, ſi eam deſerant, videntur deturpare illam.

Præterea Eccleſia noſtra vocatur Eccleſia militans, Vnde dicitur: *Vt caſtrorum acies ordinata.* vt in Cant. Et Clerici, & Monachi dicũtur milites diuinæ militiæ, vt *in c. Nullus, 54. diſt.* Et omnia priuilegia conceſſa à iure militibus armatæ militiæ, cõpetunt etiã militibus cœleſtis militiæ, vt *in c. Degradatio, de pœnis, lib. 6 &* Gloſſ. *in l. Milites, C. locati.* Sed, ſicut milites armatæ militiæ non poſſunt deſerere caſtra, & deſertores puniuntur, iuxta textum *in l. Deſertorem, § In bello. ff. de re milit.* ſic & Abbates deſerentes Monaſteria, dicuntur deſertores eccleſiaſticæ, & diuinæ militiæ.

Præterea, ſi talia loca deſerantur, ſæpiùs per ſæculares profanantur: ſed homines, qui inuadunt Epiſcopatum, & Monaſteria, & faciunt ea cõmunia diuerſoria, excommunicantur, vt *in c. Quoniam, 19. q. 3.* Ergo Abbates non poſſunt Monaſteria deſerere, ſaltem ad hoc, ne per malos homines violentur: ſcriptum eſt enim: *Domus mea, domus orationis eſt.* &, *Nolite facere domũ Patris mei, domum negotiationis,* quæ verba explanãtur per Gloſſ. *in d. c. Quoniam, 19. q. 3. 3. v. 3. domum Patris mei,* id eſt, templum ædicatum nomini eius.

Præterea Monaſteria ſunt loca Deo dicata: & quæ ſemel ſunt Deo dicata, perpetuò manent, nec poſſunt deſtrui, vt *in c. Quæ ſemel, 19 q. 3.* & *in c. Quod ſemel de regulis iuris, in 6.* ergo Monaſteria nõ poſſunt deſtrui.

2. Sed contra eſt: nam Abbas, aliqua cauſa legitima interueniente, poteſt Monaſterium deſerere, vt probatur *in c. Tribus, de conſecr. diſt. 1.* in quo textu probatur, quòd tribus de cauſis loca Sacra mutanda ſunt.
3. Prima, cùm neceſſitas perſecutorum loca grauauerit. Secunda, cùm difficultas locorum fuerit. Tertia, cùm malorum ſocietate grauatur. Quæ cauſæ explanantur per Gloſſ. ibi: *Difficultas, vt per aeris intemperiem,* vt *in c. Quorundam. 74. diſt.* & propter malitiam populi transferuntur ſedes, *vt in c. Ita nos, 25 q. 2* & propter malitiã populi Epiſcopus renuntiat dignitati, vt *extr. de renunciat. c. Niſi, verſ. Propter malitiam.* Quarta additur cauſa mutationis, & eſt ad meliorandum Eccleſiam, vel Monaſterium. *can. Si quis vult. 16. q. 1.* vbi ſic dicitur: *Si quis vult Monaſterium ſuum ad meliorandum, in alium locum ponere; fiat cum conſilio Epiſcopi, & Fratrum ſuorum.* Rurſus transferri, ſeu deſeri poteſt Monaſterium, quando locus, in quo ſitum eſt, eſt periculoſus: quia ibi ſunt prædones, qui expelli nequeunt, *cap. Eccleſias 16. quæſt. 1.* vbi etiam Gloſſ.

Ad contraria argumenta reſpondemus, & ad primùm, quòd quamuis Eccleſia materialis decoretur ad inſtar triumphalis, propter ſeruitium miniſtrantium in ea, intelligitur tamen de Eccleſia vniuerſali, non de aliqua particulari: & ſic, quamuis Miniſtri alicuius Eccleſiæ, ex aliqua legitima cauſa deſerant illam, & in illa non celebrentur diuina; non per hoc dehonoratur Eccleſia, cùm & in omnibus Eccleſiis diuina celebrentur, & debita ſeruitia miniſtrentur, per quæ Eccleſia vniuerſalis honoratur. 4.

Ad ſecundum argumentum reſpondemus, quòd, quamuis Eccleſia præſens, vocetur Eccleſia militans, & quaſi caſtrorum acies; & Clerici, & Monachi dicantur milites diuinæ, militiæ, intelligitur hoc de toto corpore myſtico Eccleſiæ, & non de aliqua Eccleſia particulari. Vnde Clerici, & Monachi ex cauſa deſerentes vnam Eccleſiam, non poſſunt per hoc dici deſertores diuinæ militiæ: nam remanent milites in corpore myſtico, & poſſunt in alia Eccleſia diuina celebrare, & per exercitium officiorum in militia cœleſti ſe exercere: tunc autem dicerentur deſertores coeleſtis militiæ, quando à toto corpore myſtico Eccleſiæ per apoſtaſiam, (quod abſit,) vel hæreſim recederent. Non ſic eſt de militibus armatæ militiæ: nam iſti deſerentes caſtra committunt crimen periurij contra Deum, & Regem, ſub quo militabant; ideò debent puniri tanquàm deſertores militiæ, cùm committant perduellionis crimen contra particularem Regem; nec excuſarentur, ſi militarent ſub alio Rege: nam ſemper dicerentur deſertores primæ militiæ, ſub qua erant adſcripti. Infertur etiam per deſertores militiæ damnum Reipublicæ, per quos impedirentur occiſiones plurimorum, & innumera mala: nam quantò magis numeroſus eſt exercitus, tantò magis timent aduerſarij. D. Thom. 2. 2. *q. 40. art. 4. in corpore.*

Ad tertium reſpondeo, quòd, quamuis talia loca Deo dicata deſerantur, non per hoc deſinunt eſſe ſacra; & illa deturpantes, ſeu profanantes, committunt ſacrilegium, & incidunt in pœnam violantium eccleſiaſticam immunitatem; & nono ideò, quia deſeruntur à Monachis, deſinunt eſſe ſacra, & perdunt eccleſiaſticam immunitatem: quia priuilegium Eccleſiarum circa immunitatem eſt conceſſum loco, & non perſonæ, vt videre eſt *in diſputat. de exempt.* & ſic non retinent priuilegium reſpectu perſonarum in eis inſeruientium, quorum priuilegium concernit perſonas circa eorum libertatem, & ſic loca remanent ſacra, niſi ſint diruta ædificia, vt *d. c. Quæ ſemel.* vbi Gloſ.

Ad quartum argumentum reſpondemus, quòd dum Monaſterium in ſuo ſtatu permanet, non poteſt fieri habitaculum ſæculare, vt dicit Gloſſ. *in eodem c. Quæ ſemel*, ſed, ſi Monaſterium deſtruatur, poteſt ille locus, vel ædificia Monaſterij, ad alium vſum conuerti: poteſt enim de lignis conſtrui Dormitorium, vel aliud honeſtus locus, vel poſſunt ea Religioſi in coquina ſua comburere, vt dicit Gloſſ. *in eodem cap.* ſed ad priuatos vſus conuerti non poſſunt.

Aduertendum tamen circa prædicta eſt, Monaſteria iam ædificata deſerere non poſſe Regulares, niſi in 5.
manibus Ordinarij, vt habetur *in cap. Cum ex eo. de exceſſ. Prælat.* vbi Bonifacius VIII. in hac re onerat conſcientiam Generalis. Ita Emmanuel Roderiq. *qq. regul. tom. 1. q. 23. art. 6.* Fr. Thom de Ieſu *de ſtat. Monach tom. 2. part. 3. ſuper cap. 2. Reg. Carmelit.* & Hieronym. Roderiq *in Compend. qq regul. reſol. 55. n. 4. in fine.* Laurentius autẽ Portellus *in dub reg. verbo, Monaſterium, n. 4* ait, quòd non poſſunt Mendicantes ſuo arbitrio relinquere omninò Conuentum iam ædifica-

tum, vel quouis modò alienare, absque licentia Papæ: & dict. ibidem, quòd tamen hoc facere potest solus Generalis: & n.5 subdit, quòd non tollit, quin mutari possit conuentus de loco non sano, vel aliàs incommodo, ad locum saniorem, vel commodiorem, *ex Compend. Priuil. verbo, ædificare*, §.14. sed ad istam mutationem requiritur noua licentia Episcopi. Ita Roder. *loco cit. q.23 art.7.*

6. Fratres verò Minores deserentes aliquem Conuentum, in quo aliquis habet titulum legitimum iurispatronatus, ratione ædificationis, aut donationis, seu ob aliam legitimam causam, nō possunt officinas, Dormitoria, & alia loca Monasterij, seu Conuentus, destruere, seu aliis donare: quia pertinent ad Patronos, & Fundatores: quod constat expressè *in cap. Exiit, qui seminat de verb signif.* Id ipsum affirmant Cordub. *super Regul. S. Franc. cap.4. q.16. punct.2.* Emmanuel Roder. *loco cit. art.6.* Mirand. *in Manual. Prælat. tom.1 q.34. art.2. concl 2.* Portell. *loco cit num.8.*

7. Si verò Monasterium iam destructum sit habentiū bona in cōmuni, & transferatur aliò, bona illa acquiruntur illi Monasterio, ad quod supradicti Monachi transferuntur. Ita probat Miranda *loco cit. q.34. art.3. concl.1* Si autem penitùs destruatur, nec aliò transferatur ex eo, quòd ibi Monachi non erant, quia fuerit illis prohibitum ob aliquam causam Nouitios acceptare, fuêruntque proinde extincti, nec remanserunt nisi duo, vel tres; tunc omnia bona Monasterij destructi remanent in dispositione Sedis apostolicæ, de cuius authoritate applicabuntur, siue Religioni, siue alij Monasterio; maximè si ad illud Monasterium, siue illam Religionem Religiosi transferantur. Ita Barbosa *de iure eccles. lib.2. cap.12 num 67.*

Si verò Monasterium destructum sit non habentium proprium, nec aliqua bona in communi, vt sunt Monasteria Ordinis S Francisci regularis Obseruantiæ, tunc ex constit. Clem. IV. & Leonis X. possunt bona eorundem Monasteriorum transferri de prioribus locis ad illa loca, vbi fit translatio alicuius Monasterij. Ita Miranda *loco cit. q.34. art.3. concl.3.*

QVÆSITVM VIII.

Ad quem pertineat locus, & bona Monasterij iam destructi: & quid, si in pristinum statum restituatur.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium iam destructum pertinet ad eius Fundatores, si in fundatione ita dispositum sit.*

2 *Prædia applicata Monasterio, vt redeant, si habitus a Religiosis mutetur, non possunt a donante, vel eius hæredibus repeti, si mutatio habitus fuit facta cum licentia Papæ.*

3 *Mutatus status auget ius antiquum, non aufert.*

4 *Monasterium destructum, si restituatur ad suum statum, recuperat iura prioa.*

5 *Monasterium si destructum fuerit cum authoritate Superioris, absque vlla spe recuperationis, amittit omnia iura. secus, si cum spe refectionis, vt num.6. & Ecclesia non extinguatur, sed in eodem loco readificetur, & authoritate Superioris [illegible] alijs coniungatur, & [illegible], vt num.7. & 8.*

9 *Religione destructa intelliguntur etiam destructa omnia Monasteria, quæ sunt membra illius Religionis & [illegible] ratione Religionis [illegible] est de priuilegiis particularibus [illegible], vt num.10.*

1. IN hoc q[illegible] cum distinctione est respondendum. Aut enim Monachi deserunt Monasterium, cuius bonorum dispositio ex institutione, & voluntate primi fundatoris, in casu, quòd tale Monasterium deseratur, reseruata est eius hæredibus, vel successoribus, aut alteri, iuxta eius dispositionem: tunc eo casu non possunt Monachi, Dormitoria, & alia loca, & bona Monasterij destruere, seu aliis donare: nam hæc pertinent ad Fundatorem, seu Patronum, vel ad eius hæredes, vel successores: in hoc enim vtique piæ Fundatorum, ac Patronorū voluntates seruandæ sunt, vt patet. Hic autem notandum, quòd si aliqua prædia 2. donata fuissent Monasterio ea lege, quòd redirent ad donantem, si contingeret, Monachos dicti Monasterij habitum mutare, vel à loco recedere; si de licentia Summi Pontificis mutent habitum, ille, qui donauit, vel eius hæres, vel successores, prædia non repetent: quia habitus nouus censetur subrogatus in locum alterius. Ioan. Andr. & Petrus de Perus. *in c. 1 §. Ad hæc, de relig. Domibus, in 6.* quia mutatio sta- 3. tus auget ius antiquum, non aufert. *l. Fusa. §.1 ff. de condit. & demonstrat.* Gloss. *in cap. Ex parte, in verbo, Andegauensis*, & ibi Doctores *de foro compet.* Bartol. *in l. final. C. de præpos. agē. it. in reb. lib.12.* vbi dicit, nunquam tolli data priuilegia per concessionem noui: quia non debet operari diminutionem, quod in augmentū inductum est, *l. Legata. ff. de legat.1.* & Rebuff. *in Concordat. rub. de reg. ad Prælat. nominat. facien. §. vltimo.* Si verò Monasterium, vel Abbatia destructa non est ita reseruata; seu est Abbatis, & Monachorum; tunc etiam cum distinctione est respondendum. Aut enim Abbatia destructa transfertur in alium locum; & cùm talis Abbatiæ bona sint communia, acquiruntur Abbatiæ, vel Monasterio, ad quod ipsi Monachi transferuntur, vt diximus *superiori quæsito*, & docet Ioann. Andr. *in c. Volentes. de stat. Monach* qui dicit, quòd Religiosus transiens ex vno ad aliud Monasterium, recuperare debet, quod dedit primo. Aut Abbatia, vel Monasterium penitùs destruitur, nec aliò transfertur: & tunc eo casu Abbatiæ destructæ bona transferuntur, & applicantur alteri Abbatiæ eiusdem Congregationis, de cuius corpore erat Abbatia destructa, prout Abbati Generali, & ipsi Congregationi meliùs expedire visum fuerit.

Si verò in pristinum statum restituatur, dicendum 4. est, recuperare sua priora iura, *l. Et Attilicinus*, vbi Gloss. fin. *in fine, ff. de seruit. rustic. præd. cap. Ab exordio.* cum Gloss *d.36.* Gloss. *cap. Si de corpore. 36. q.6.* text. *l. Etsi fortè, in pr. l. locis § finali*, Vbi Flor. *ff. de seruit. vrban. præd.* Sed pro hac re distinguendum est cum Cochiet. *tom.1. de iurisd. Ordin. in exempt. part.3 q.20. num.5.* an, scilicet, locus destructus fuerit 5. authoritate Superioris, sine spe refectionis, nullis reliquiis remanentibus, quo casu auferuntur omnia iura, & exemptiones. Ita Abbas *cap. Abbatem, num.16. de verb. sign.* Felinus *cap. Cùm dilecta*, *col. final. vers. Destructo Monast. de rescriptis.* Innocentius *cap. Cum ex iniuncto, num.2. de noui operis nunc.* Albertus Brunus *tract. de mutat. & transform. memb.2. concl.16. num 68. tract.7.* Petrus de Perusio *tract. de mutat. stat. Eccles. in princ. num 3.* Baldus *in cap. Imperialis, num. 10. de pace const.* Ratio est: quia actio semel extincta non reuiuiscit, *l Qui res, §. Aream, ff. de solut. l. Manius, §. Duobus, de leg.2.* Abbas *d. cap Abbatem num. 16.* Si verò locus fuerit casu fatali destructus, seu à non habente authoritatem, eo restaurato reuiuiscet etiam exemptio. Ita Doctores citati, & Sayrus *in Sum. Theol. moral. part.1. lib.5. cap.3. num.16.*

Si autem destructio facta fuit authoritate Superio- 6. ris, cum spe refectionis; aut translatio fit facta in alium locum; eo casu retinet omnia priuilegia, vt fatentur Felinus *cap. Cum dilect a. num.21. ver. Quando autem de rescript.* Alexander *l. Stipulantem, §. Sacram, in fine, ff. de*

ff. de verb. oblig. qui fatetur de communi Doctorum sententia. Rationem primæ distinctionis de destructione facta sine spe reædificationis; assignans Baldus, & Innocentius *locis citatis*. Ratio secundæ diuisionis, scilicet, si fuit facta destructio cum spe refectionis, est eadem cum superiori assignata à Baldo *loco citato*.

7. Si verò Ecclesia non extinguatur, sed in eodem loco reædificetur, priuilegia consurgunt, & iura, habetur *in cap. Pastoralis, 7. q. 1. cap. Qui semel, 19. q. 3.* quia semper manet locus quasi immobilis in fundamento. Vnde Azor *tom. 1. lib. 5. instit. moral. cap. 22. quæst. 11.* cum Innocent. *loco citato*, & Syluestro *verbo Ciuitas, q. 2.* concludit, quòd si ciuitas, aliáque loca, siue sacra, siue profana, authoritate Principis diruantur, scilicet, legitimè; eorum iura, & priuilegia extinguuntur, nec ampliùs possunt dici illius Ecclesiæ Clerici, aut ciues illius oppidi, vt colligitur *ex cap. Placuit. de consecr. dist. 1. & cap. Hoc dicimus, 16. q. 7.* Si verò loca euertantur ab hostibus, aut tyrannis, vel diruantur, vt iterum ædificentur, aut reparentur, omnia sua priuilegia retinent, vt colligitur *ex d. cap. Pastoralis*.

8. Idem dicendum est, si legitima authoritate Principis, & Superioris loca cum aliis coniungantur, vt notantur *in cap. 1. Ne Sede vacante. & cap. Quia Monasterium, de relig. Domib.* quod etiam affirmant Azorius *loc. cit.* & Salas *de legib. disp. 17. sect. 2. n. 8. in fine*.

9. Ex his refert Petrus de Perusio *tract. de mutat. status eccl. loco suprà cit. cap. 3. num. 12.* si destruatur Ordo, sicut fuit destructus Ordo Templariorum, destructa etiã censebuntur omnia Monasteria, quæ sunt membra illius Ordinis: quia mortuo capite pereunt membra, *l. Cùm in diuers. ff. de relig. & sumpt. fun.* tum

10. etiam, quia membra veniunt accessoriè ad ipsum Ordinem. Vnde non est mirum, si, destructo Ordine, destructa videantur membra, veluti Ordinis accessoria: & sic destructa erunt iura, & priuilegia eorum: secùs verò dicendum est, si membris æquè principaliter indulta sint priuilegia, vt ait Cochier. *tom. 1. de iurisd. Ordin. in exemp. part. 3. q. 19. num. 8.* vbi citat Panormitanum: & subdit, quòd aliud de ciuitate censuit Baldus *de pace const. verbo, Imperialis, n. 9.* quæ destructa, seu ad aratrum condemnata, non ideò censebuntur eius castra ad aratrum condemnata per ea, quæ notantur *in cap. Felicitas, de pœnis, & cap. Si ciuitas, de sent. excom. in 6.* Sed sententia Baldi in hoc non contrariatur Petro de Perusio, & Cochier. *suprà citatis*: quia huiusmodi castra stant per se, ac eis æquè principaliter priuilegia concessa sunt. Videatur Cochier. *loco cit. part. 1. q. 17.*

QVÆSITVM IX.

Vtrùm destructa Abbatia tollatur dignitas abbatialis, & pereant, & extinguantur eius iura, & priuilegia.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte affirmatiua.*
2 *Abbatia, vel Monasterio Superioris authoritate, & sine spe refectionis destructo, amittuntur omnia eorum iura, & priuilegia: secus si fuerint destructa fatali casu, vel à non habente iurisdictionem.*

1. VIdetur primò, quòd, destructa Abbatia, pereant iura, & priuilegia eius, vt firmat Albert. Brun. *tract. de interamp. & perempt. concl. 5.* Probatur: si enim domus in littore maris fundata, diruatur, dominus amittit ius soli, *l. In tantum ff. de rerum diuis. l. Aristo, ff. eodem.* Et ratiõ est: quia per destructionem fit mutatio status. Ita Petrus de Perusio *tract. de mutat. stat. Eccles. & ecclesiast. person.* Et per talem destructionem tolluntur omnes exemptiones, immunitates, & omnia iura: textus est in *l. Cognitionum. §. Consumitur. ff. de variis, & extraord. cognit.* Bart. *in l. fin. n. 24. ff. de colleg. illic.* Alex. *cons. 43. num. 2. vol. 1.* Cur. sen. *consil. 26. num. 4.* Gloss. *c. Priuilegium, verbo, priuilegium.* vbi Franc. *n. 3. de reg. iur. in 6.*

Confirmatur: quia, destructa Ecclesia, ciuitate, Collegio, nemo ampliùs debet vocari Canonicus, siue Clericus, ciuis, vel Collega: quia per destructionem amissa sunt iura, & priuilegia; ideòque prædicti tales esse desierunt, dicta Gloss. *in d. c. Priuilegium*, per tex. *in c. Placuit, de consecr. distinctione 1.* Bellon. *cons. 1. n. 7.*

Pro parte autem negatiua, nempe, quòd, destructo loco abbatiali, non tollatur dignitas ab Abbate, est communis sententia. Sed distinguendum est: vel enim locus destructus fuit authoritate Superioris, sine spe refectionis, nullis remanentibus reliquiis; vel fuit destructus fatali casu, seu à non habente iurisdictionem illum destruendi; vel fuit dirutum, vt iterum ædificetur, & reparetur. Primo modo amittitur dignitas abbatialis, & omnia iura, ac priuilegia, *c. ip. Placuit de consecr. dist. 1. & c. Hoc dicimus. 16. q. 1.* Gloss. & communiter Doctores *in d. cap. Priuilegium*. Innoc. *cap. 2. de noui operis nunciat.* Sylu. *verb. Priuilegium. q. 2.* Et probant Doctores, & rationes *suprà* adductæ. Secundo verò modo non perditur dignitas, neque priuilegia, & exemptiones, & iura. Ita Abb. *in c. Abbate. num. 16. de verb. significat.* Alex. *in l. Segregeff. de legatis, 1.* Innoc. *in d. c. Cùm ex iniuncto. n. 2. de nou. oper. nunciat.* Felin. *c. Cùm dilecta n. 21. vers. Destructo. Monasterio, de rescript.* Albert. Brun. *tract. de mut. & transfor. membro. 2. conclus. 30. n. 68.* Petr. de Perusio *loc. cit.* Bald. *c. Imperialis. n. 10. de pace Constant.* idem Bald. *in Margarita, vers. Ciuitas.* Alex. *cons. 44. vol. 1.* item Bald. *c. 1. col. 1. de elect.* Gaill. *lib. 2. obseruat. 61. n. 4.* Sylu. *loc. cit.* Azor. *inst. 1. moral. p. 1. lib. 5. cap. 22. q. 11.* Salas *de legib. disp. 17. sect. 2. n. 8.* quia eiusmodi locus sine vllo corpore materiali dicitur viuere quodammodo in intellectu nostro, & extare quasi anima sine corpore, & retinere omnia sua priuilegia, arg. tex. *in l. Mortuo. ff. de fideiuss. l. Hereditas ff. de pet. hered.* Vnde per restaurationem priuilegia, exemptiones, & cætera, quæ durabant habitu, reducuntur ad actum ipso iure. Ita Bald. *in Margarita. versiculo, Ciuitas.* Innocent. *vbi suprà*. Facit tex. *in l. Pater, §. Tusculanus. ff. de legat. 3.* Ratio autem est: quia, quando aliquod de iure destruitur, titulus cassatur: facti verò calamitas, nec ius, nec titulum aufert, nec nomen, *l. Seruitutes. §. Si sublatum. ff. de seruit. vrban. præd.* Declaratur tamen hæc conclusio, quòd si destructio facta sit authoritate Superioris, cum spe refectionis, aut translatio facta sit in alium locum, eo casu retinentur omnia priuilegia, vt ita communiter teneri testatur Alex. *in l. Stipulantem. §. sacram. in fine, ff de verb. oblig.* Felin. *d. c. Cùm dilecta. d. num. 22.* Ratio est: quia, cùm adest spes restaurationis, locus habitu durat, licèt non sit actu. Ita Bald. *d. c. Imperialis. n. 4. & 10.* & sic conciliantur Authores hinc inde adducti. 2.

QVÆSITVM X.

Vtrùm Abbas ædificans Monasterium in loco non exempto, acquirat illi iura exemptionis.

SVMMARIVM.

1 *Exempti si ædificent etiam in loco exempto, sine* *Ordina-*

Ordinariorum licentia, omnia acquiruntur eisdem Ordinariis, vnà cum fructibus.

2 *Abbates ædificantes Monasteria cum Ordinariorum licentia, acquirunt illis iura exemptionis.*

1. HVius dubii resolutio pendet ex dictis *in antecedenti quæsito*, ex quibus patet, quòd si exempti ædificent, etiam in loco exempto, sine Ordinariorum licentia, omnia acquirantur eisdem Ordinariis simul cum fructibus, vt docet Franch. *in cap. Autoritate, n.2. de priuil. in 6.* Speculat. *tit. priuil. p.4. n.3.* Panormit. *in cap. Cùm olim al 2. n.9. de priuileg.* Anton. de Pratis *de iurisdict. Episcop. cap.1. n.3.4.& 7.* Armil. *verbo, exemptio, n.10.* quos refert, & sequitur Erasm. Coch. *de iurisd. Ord. in exempt. p.1.q.36.& p.2.q.45. n.36.* & Barbos. *de offic.& potest. Episc. p.2. alleg.26. num.3 in fine.* Igitur, si Abbates, aliiue Regulares Prælati, etiam exempti, absque Ordinariorum licentia, Monasteria, aut alia loca, etiam in locis exemptis, & suæ iurisdictionis, ædificauerint, non acquirent illis exemptionem; sed imò ea cedent ipsorum Ordinariorum dominio, & iurisdictioni. Si verò de Ordinariorum licentia id faciant; nulli dubium, quin exemptionis priuilegium, etiam nouis illis Monasteriis, seu locis acquiratur: quia, cùm priuilegium exemptionis sit concessum Religioni, extenditur ad eorum bona, & loca non solùm acquisita, verùm etiam acquirenda, vt patet.

QVÆSITVM XI.

Vtrùm Monasteria in diœcesi aliqua ædificata, cum eorum personis sint, & in quibus casibus, Diœcesano subiecta; & in quibus possint conueniri coram illo, & excommunicari, eique subiici; & de causis, quibus mediantibus fuerunt Monasteria à Sede apostolica exempta ab Ordinariis.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria omnia de iure communi sunt subiecta Episcopo, & Diœcesano.*
2 *Monachi olim subiecti erant Episcopo.*
3 *Monasteria Regularium ferè omnia ex priuilegiis Summorum Pontificum sunt ab Ordinariorum iurisdictione exempta, & num.9.*
4 *Regulares degentes intra Claustra, quando possint ab Ordinariis puniri.*
5 *Ordines regulares, & eorum Monasteria exempta sunt à iurisdictione Episcoporum.*
6 *Generi per speciem derogatur, & num.7.*
8 *Potestati Ordinariorū nunquam censetur derogatum, ex priuilegio Summi Pontificis; nisi formalibus, vel æquipollentibus verbis exemptio concedatur.*
10 *Exemptio prima facta fuit pro Monasterio S. Vincentii, Ordinis Sancti Benedicti, Parisiensis diœcesis, & à S. Gregorio magno confirmata.*
11 *Exemptio secunda facta fuit pro Monasterio Sancti Medardi apud Suessones à Ioanne III. Summo Pontifice.*
12 *Exemptio tertia facta fuit à Bonifacio IV. pro Monasterio, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, ciuitatis Dorombenia.*
13 *Cassinensis Abbatia exemptio facta fuit à S. Zacharia Papa.*
14 *Cluniacensium exemptio à Clemente IV. facta fuit.*
15 *Canonicorum Regularium Monasteria quamplurima exempta fuerunt, & de eorum omnimoda exemptione.*
16 *Camaldulenses, a quo exempti fuerint, & quo tempore.*
17 *Vallis Vmbrosæ Monasteria à quibus Summis Pontificibus exempta sint.*
18 *Cistercienses, à quo exemptionem suorum Monasteriorum acceperint.*
19 *Cælestinorum exemptio.*
20 *Montis Oliueti Congregationis exemptio.*
21 *Syluestrinorum exemptio.*
22 *Montis Virginis Congregationis exemptio.*
23 *Præmonstratensium exemptio.*
24 *Carthusiensium exemptio.*
25 *S. Basilii Congregationis exemptio.*
26 *S. Spiritus in Saxia Congregationis exemptio.*
27 *S. Antonii Viennensis Congregationis exemptio.*
28 *Prædicatorum Fratrum exemptio.*
29 *Minorum Fratrum S. Francisci exemptio.*
30 *Cruciferorum exemptio.*
31 *Carmelitarum exemptio.*
32 *Eremitarum S. Augustini exemptio.*
33 *Carmelitarum Discalceatorum exemptio.*
34 *Seruorum B. Mariæ Virginis exemptio.*
35 *Minimorum S. Francisci de Paula exemptio.*
36 *Theatinorum exemptio.*
37 *Clericorum regulariū S. Pauli decollati exemptio.*
38 *Societatis Iesu exemptio.*
39 *Clericorum regularium de Sommascha exemptio.*
40 *Clericorum regularium ministrantium infirmis exemptio.*
41 *Ioannis Dei Religionis exemptio.*
42 *Clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum piarum exemptio.*
43 *Religio si de nouo fundaretur, tunc facilè exemptionem obtineret.*
44 *Exempti non possunt puniri, nec carcerari ab Ordinariis locorum.*
45 *Monasteria, quibus imminet cura animarum, subiiciuntur, quoad personas, etiam regulares animarum curam exercentes, iurisdictioni Episcopi diœcesani.*
46 *Regulares exempti curam animarum exercentes subiiciuntur Episcopo in his tantùm, quæ ad administrationem Sacramentorum personis sæcularibus pertinent.*
47 *Episcopis non licet visitare Altaria Ecclesiæ regularis exempta, cui non incumbit cura animarum personarum sæcularium.*
48 *Episcopi non possunt præscribere Regularibus, vt certis in locis, & temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant.*
49 *S. Ioannis Hierosolymitani Monasteria, & Ecclesiæ, quibus animarum personarum sæcularium cura incumbit, subiiciuntur visitationi, & correctioni Episcopi in his, quæ pertinent ad dictam curam animarum.*
50 *Regulares subiiciuntur Episcopo, etiam in his, quæ pendent à cura dicta animarum.*
51 *Canonici, & Clerici etiam exempti ad animarum curam deputati possunt, non obstante priuilegio, vel consuetudine, examinari, & visitari ab Episcopo.*
52 *Regulares, vel sæculares curam animarum exercentes poni debent ad dictam animarum curam ad arbitrium suorum Superiorum.*
53 *Regulares subiiciuntur Episcopo, quoad censuras ab eo emanatas.*
54 *Regulares non eximuntur ab Episcopo, quoad dies festos seruandos.*

55 Regu-

55 *Regulares tenentur ad publicas Processiones vocati accedere.*

56 *Regulares non possunt imprimere libros, nec imprimere facere, sine licentia, & approbatione Ordinarij, & suorum Superiorum.*

57 *Episcopus debet opportunis remedijs compellere exemptos, vt lectio sacra Scripturæ habeatur in Monasterijs Monachorum.*

58 *Episcopus compellere potest, non minùs ad prædicationem, quam lectionem Christianæ Reipublicæ necessariò habendam, omnes animarum curam habentes.*

59 *Prædicare non possunt Regulares sine licentia suorum Superiorum, & benedictione Ordinarij, etiam in Ecclesijs suorum Ordinum.*

60 *Prædicator, qui scandala disseminat in populum, & hæreses, an Episcopus contra illum agere possit.*

61 *Regularis extra Monasterium degens, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquàm Sedis apostolicæ delegato, puniri potest.*

62 *Regularis intra Claustra degens an possit ab Ordinario in aliquo casu puniri, & corrigi.*

63 *Regulares notoriè delinquentes an possit Episcopus excommunicare, & contra illos censuras ferre.*

64 *Superiores, quia tenentur Episcopum certiorem facere de punitione suorum subditorum, an etetenus, vel in scriptis id præstare teneantur, & n.66.*

65 *Pœna contra Superiores non punientes subditos iuxta decretum Concil. Trident.* sess. 6. de reformat. cap. 3.

67 *Monasteria, in quibus non viget regularis obseruantia, ab Ordinario visitanda sunt, & etiam omnia beneficia.*

68 *Missæ celebrandæ sunt sine importunis eleemosynis & sine quæstu turpi, & pactis.*

69 *Sacrificium Altaris extra Ecclesiam, & in priuatis Domibus peragi non debet.*

70 *Ordines minores non possunt Abbates quibuscunque conferre.*

71 *Ordines Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus in qua ætate possint Regularibus conferri ab Episcopo.*

72 *Ad Subdiaconatus Ordinem promoti, quando debeant ad altiorem gradum ascendere.*

73 *Religiosi sine diligenti examine non debeat ordinari ab Episcopo.*

74 *Ordines sacri duo eadem die, etiam Regularibus, non sunt conferendi, nullis suffragantibus priuilegijs.*

75 *Confessiones non possunt audire Regulares, nisi prius sint ab Ordinario approbati.*

76 *Ministeria sacri Altaris non exerceantur nisi per constitutos in dictis Ordinibus.*

77 *Synodo diœcesanæ an exempti interesse debeant.*

78 *Monasteria non erigantur sine licentia Episcopi, in cuius diœcesi erigenda sunt.*

79 *Regularibus an liceat à suis Monasterijs sine licentia Superioris recedere sub aliquo prætextu.*

80 *Regulares, qui ad Vniuersitates causa studendi mittuntur, debent in Conuentibus habitare.*

81 *Præcedentiæ controuersias, inter personas ecclesiasticas, etiam regulares, Episcopus componere debet, & quomodo.*

82 *Professio regularis, tam virorum, quàm mulierum, in vnaquaque Religione fieri debet post completum annum decimum sextum.*

83 *Renunciatio ante professionem, quando, & quomodo fieri debeat.*

84 *Regularis quicunque prætendens per vim, aut metum, aut quid simile, ingressum fuisse Religionem, non debet audiri, nisi intra quinquennium.*

85 *Quarta funeralis Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ quando soluenda sit.*

86 *Regulares bona possidere, tanquam propria, prohibentur, etiam sub nomine Conuentus.*

87 *Monasteria Commendata, & etiam Abbatia, Prioratus, & Præpositura, in quibus non viget regularis obseruantia, ab Episcopis visitari possunt singulis annis.*

88 *Ordinarij consensu deputandi sunt Sacerdotes ad administrationem Sacramentorum pro cura sæcularium, etiamsi sint ad nutum amouibiles, & præuio examine: sed limita, vt num. 89.*

90 *Ordinarij in causis mercedum, & miserabilium personarum, tanquam Sedis apostolicæ delegati, Regulares compellere possunt.*

91 *Regularis degens extra Claustra potest ab Episcopo, tanquam Sedis apostolicæ delegato, puniri, si deliquerit.*

92 *Regulares conueniri possunt coram Ordinario ratione delicti, & rei, de qua agitur.*

93 *Regulares exempti possunt conueniri coram Ordinario, & Inquisitore in causa hæresis.*

94 *Regulares in reddenda ratione alicuius vltimæ voluntatis subduntur Ordinario loci.*

95 *Regulares cogi possunt ab Episcopo ad restituenda omnia, quæ à Nouitijs habuerunt, vbi professionem non fecerunt.*

96 *Regulares, quorum Religio extincta est, Episcopo originis subduntur.*

97 *Eiecti de Monasterio subiiciuntur Episcopo originis, & num. 100.*

98 *Eiecti regularem habitum gerere non debent, sed clericalem.*

99 *Regulares semel à Regula absoluti in potestatem Episcopi incidunt.*

101 *Regulares possunt conueniri in causis ciuilibus, quoad reconuentionem coram Ordinario, qui in tali casu efficitur Iudex competens Regularium.*

102 *Regulares in die Sabbati Sancti pulsantes campanas ante Ecclesiam Cathedralem, vel maiorem, an possint conueniri coram loci Ordinario.*

103 *Excommunicatio lata Ordinario contra suos subditos, non afficit Regulares exemptos.*

104 *Prædicantes sine licentia Episcopi, siue Sedis apostolicæ, possunt excommunicari.*

105 *Regulares auscultantes Sacerdotum sæcularium Confessiones sine approbatione Ordinarij, excommunicari possunt.*

106 *Absoluentes à casibus Episcopo reseruatis, an possint excommunicari.*

107 *Regulares non obseruantes, nec publicantes censuras à Sede apostolica emanantes, Episcopo mandante, possunt excommunicari.*

108 *Dies festos, quos in diœcesi sua præcipit Episcopus, non obseruantes possunt excommunicari.*

109 *Regulares degentes extra Claustra, & delinquentes possunt excommunicari.*

110 *Regulares missi ad regendas Ecclesias Episcopis subiectas possunt excommunicari, stante legitima causa.*

111 *Regulares habentes curam animarum in Ecclesijs curatis suorum Monasteriorum, possunt excommunicari.*

112 *Sacramenta extremæ Vnctionis, Eucharistiæ, vel Matrimonij Regulares præsumentes administrare sine licentia Parochi, excommunicantur. Limita, vt num. 113.*

114 *Regulares in causis Religionis, & sanctæ Inquisitionis, in quibus subiiciuntur Episcopis, & Inquisitoribus, possunt excommunicari.*

115 *Regulares facientes egredi Moniales à Monaste-*

;riis possunt excommunicari ab Episcopo.

116 *Regulares, si sint executores vltimarum voluntatum, possunt ab Episcopo excommunicari.*

117 *Regulares excommunicari possunt in actu recolicentiouis.*

118 *Episcopus an declarare possit Regulares exemptos, excommunicatos, à iure, vel apostolicis Constitutionibus.*

119. *Exemptionis causa, quibus mediantibus Sedes apostolica exemit Regulares ab Ordinariorum iurisdictione.*

1. OMnia Monasteria de iure communi sunt subiecta Episcopo, & Ordinario, in cuius diœcesi sita sunt, vt habetur *in cap. Qui verè*, 16 q 1. & *cap.*
2. *Viduitatis*, 27.q.1. Similiter iam Monachi Episcopis subiecti erant Iure communi, *ex cap. Omnes Basilica.* & *cap. Domus.* 16 q.7.& 10. q. 1. & *cap. Venerabilis. de relig. Dom.*& facit ad hoc, *cap. Cum Episcopus de offic. Ord. in* 6.& Gloss. *verbo, Prælati, in cap. Quanto. de offic. Ordinarij.* Syluester *in Sum. verbo, Religio, num* 3. §. 4. Emmanuël Roder. *quæst. regul. tom* 2. *q.*63.*art.*1. Gabedo *in diuers. iur. argum. lib.* 3. *cap.* 16. *in princip.* Campanil. *in diuers. iur. canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 1. vbi dicit, quòd propterea Episcopi de iure communi habent intentionem fundatam contra Abbates, & Regulares, tam in ciuilibus, quàm criminalibus: omnia enim Monasteria Episcopo censentur subiecta, nisi probentur exempta, *cap. Cum*
3. *dilectus, de relig. Dom.* Ex priuilegiis verò specialibus Summorũ Pontificũ omnia ferè Regulariũ Monasteria sunt ab Ordinariorũ iurisdictione exẽpta, siue priuilegia directè, siue indirectè per cõmunicationem talẽ largiantur exemptionem; & consequẽter Monasteria his temporibus habent iurisdictionem pleno iure quasi episcopalem, iuxta doctrinam Gloss. receptam *verbo, Proprij, in Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien.* Gabedo *loco cit. lib.* 3. *cap.* 18. *in princip.* Augustinus Barbosa *de offic. & potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 105. *num.* 3. Cened. *pract. & can. qq. lib.* 1. Campanil. *loco cit. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 2. Fuscus *de visit. lib.* 2. *cap.* 15. Saytus *de cens. lib.* 4. *num.* 12. Mandos. *de sign. gratia, verbo, exemptio*, de qua re fusiùs egi 1. *tom. disput.* 15 *quæs.* 2.3. *& seqq.* Insuper & Nauarrus hoc idem affirmat *tit. de regul. tom.* 1. *com.* 2. *num.* 63. vbi hæc habet formaliter verba multum notanda, scilicet: *Omnes ferè Regulares sunt exempti à iurisdictione Ordinariorum per priuilegia concessa eis directè, vel indirectè per participationem, & cõmunicationẽ aliorũ priuilegiorum, & consequenter habet iurisdictionem quasi episcopalem*, Glos. sing. *Clem.* 1. *verbo, Monasterij, de reb. Eccl. non. alien.* Quod adeò verum est, vt rarò in Religiosis habeat locum *cap. Volentes, de priuil. in* 6. nam iam concessum est aliquibus eorum directè, vel indirectè, per participationem, vt nequeant conueniri, etiam de factis, & sitis, etiam extra loca exempta cum derogatione *d. cap. Volen.* ... in Concilio Lugdun. & innouati in Concil. Trid. *sess.* 7. *cap.* 3. *de reform. vers. in exemptionum causis.* Adeò, quòd ex additione Concilij Trid. *d. cap* 7. colligitur primò limitatio exemptionum, ne, scilicet, prosint quoad causas ciuiles mercedum, & miserabilium persona-
4. rum. Secundò, generalis differentia inter Regulares exemptos extra Monasteria, & degentes intra: nam hi super nullis causis possunt conueniri coram alia differentia Ordinariis; illi autem sic super prædictis duobus generibus causarum ...it & quòd degentes intra non possunt ab Ordinariis ratione delicti puniri, nisi quando extra Monasterium cum populi scandalo delinquunt, & non puniuntur à suis Prælatis moniti ab Ordinariis, vt id faciant: degentes verò extra sic,

vt indirecto sensu, & à contrario habetur in eodem Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 14. *de Regul.* Vnde responsum est, non potuisse Vicarium Episcopi cognoscere de quodam censu petito à Conuentu Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula: habentes exemptionem cum derogatione *cap Volentes.* Tum, quia non degebant extra Conuentum: tum, quia non agebatur de vlla causa prædictorum generum, neque de delicto extra Monasterium cum populi scandalo. Ita Nauarr. cuius verba denotare videntur neruum exemptionis Regularium, & eorum Monasteriorum.

Sed oritur difficultas, an Ordines regulares, & 5.
consequenter eorum Monasteria, quæ habent Generalem primum Prælatum, & Superiorem, qui visitat, & corrigit totum Ordinem, sint exempta. Respondit Cochier. *de iuris. Ordin. p.* 1. *q.* 17. *num.* 22. quod sic; dicens, quod Generalibus concessum est, ablatum esse à diœcesanis, arg. *l. Dominicus. C. V. causa fiscales. l. Si duo. ff. de administr. tut.* Vnde placuit quibusdam, si deputetur Iudex causis certæ speciei, quòd eæ ex iurisdictione Iudicis ordinarij detractæ, & semotæ esse censebuntur. Ita Raphaël, Cumanus, Castrens. & Doctores *l. Quod in rerum §. Si quis post. ff. de legat.* 1. vulgatum est enim, quòd generi per speciem dero-
getur. Vnde voluit Baldus, quòd specialis visitator 6.
deroget Generali *in l.* 1. *ff. de offic. consul.* Ang. *l. Testamenta omnia. C. de test.* Bald. *Authent. habita, col.* 5. *C. ne filius pro patre.* Sicque concessio generalis est in fauorem certarum personarum, éstque in eorum fauorem, quoad per concessionem specialem derogetur generali. Item, cùm Generalibus Ordinum attributa est huiusmodi specialis iurisdictio ex postulatione imperrantium: secus verò si motu proprio Pontificis. Ang. *d. l. Testamenta*, Bald. *d. Auth habita.*

Nihilominùs tamen negatiuam huius quæsiti partem defendit Iason *l. Quod in rerum §. Si quis. num.* 7. & Ancharan. *in cap. Quod tibi. de rescrip in* 6. Ratio est: quia iurisdictio specialis censeretur concessa cumulatiuè, non verò priuatiuè. Bartolus *l.* 1. *ff. de Off. Præfect. Vrb Romæ, cons.* 393. Aretinus *cons.* 102. Doctores *in cap. Pastoral. de offic. Ordin. cap. Quia*
cõtingit. de relig. Dom. Nec enim est regulariter verum, 7.
quòd per specialem iurisdictionem vni concessam derogetur vniuersali iurisdictioni. Ang *l.* 1. *C. vbi, & apud quos per illum text.* vbi Gloss *verb. soluo*

Confirmatur: nam ex priuilegio Pontificis nun- 8.
quam censetur derogatum ordinariæ potestati, nisi formalibus, vel æquipollentibus verbis exemptio concedatur, *ex d. cap. Pastoralis. de priuileg.* vbi Doctores.

Vnde, etiamsi Generales Ordinum ius habeant 9.
visitandi, corrigendi, iudicandi totùm Ordinem; non ideò tamen Ordo ab Ordinariorum iurisdictione exemptus censendus est, nisi Ordini nominatim exemptio concessa sit, vt mox ostendemus.

Primà ergo exemptio Monasteriorum facta ab Or- 10.
dinariorum iurisdictione videtur illa, quæ à D. Germano Parisiensi Episcopo Monasterio S. Vicentij Ordinis S. Benedicti donata fuit anno 509. die 21. Augustini, quam D. Gregorius Magnus Papa posteà confirmauit, & roborauit, teste Aymoin. *rer. Franc. lib.* 3. *cap.* 2. & Renato Choppin. *Monastic. lib.* 1. *tit.* 2. *num.* 19.

Secunda exemptio Monasteriorum facta fuit anno 11.
559. à Ioane III. Summo Pontifice erga Monasterium Sancti Medardi apud Suessones Ordinis S. Benedicti, vt habetur ex Diplomate eiusdem exemptionis apud eundem Renatum Choppin. *loco cit. lib.* 2. *tit.* 1 *num.* 4.

Tertia exemptio facta fuit Abbatiæ SS. Aposto- 12.
lorum Petri, & Pauli, ciuitatis Dorobernia, anno circiter

circiter 604. vt constat ex Bulla Bonifacij IV. prædictam Abbatiam eximentis apud Clementem Rayner. *de antiquit. Benedict. in Anglia, §. 13. circa finem.*

13. Quarta exemptio fuit Abbatiæ Cassinensis à S. Zacharia Papa anno 7. sui Pontificatus, vt constat *ex Bulla eiusdem* apud Leonem Hostiens. *in fine 4. lib. Chron. c. Cassinens.*

14. Quinta exemptio est Monasterij Cluniacensis, vt testatur Roderic. Vitalis Angelus *lib. 11. Hist. suor. tempor.* Pro omnibus verò Monasteriis Cluniacens. facta fuit à Clemente IV. anno 1265. die 2. Nouembris, Pontif. sui anno 1. ex Renato Choppin. *loco cit. lib. 1. tit. 2. num. 29.* vbi refert tenorem priuilegij, exemptionem omnium prædictorum Monasteriorum Cluniacensium continentis. Et licèt aliquorum Monasteriorum Cluniacensium, sicut etiam Cassinensium, & aliarum Congregationum Benedictinarum in speciali facta fuerit à Summis Pontificibus, & præsertim à D. Gregorio Magno, & aliis Ordinis S. Benedicti, nihilominùs totalis Monasteriorum Cluniacensium exemptio nulla alia reperitur: nisi superior Clementis IV. recensita: sicut & vniuersalis Congregationis Cassinens. Monasteriorum exemptio nulla extat ante Eugenium IV. vt patet *ex eius Bulla* sub datum Bononiæ, 1436. prid. Calend. Iulij, Pontif. sui anno 6. quæ est constitutio 9. eiusdem Pontificis apud Laërtium Cherub. *tom. 1.*

15. Quia Canonicorum Regularium Lateranensium exemptio in Monasteriis quampluribus, & etiam in toto Ordine est antiquissima, non ita facilè initium illius ostendi poterit, maximè cùm 1. 2. *& 3. constit.* Paschalis II. prædictis Lateranensibus Canonicis concessæ, & relatæ *in principio lib. priuileg. Canonicor, Lateranensium Regularium*, talem Ordinem exemptum præsupponant, & à Benedicto XII. Eugenio IV. Sixto IV. & aliis Summis Pontificibus postmodum prædictus Ordo gratiis, priuilegiis, & aliis exemptionibus locupletatus sit.

16. Camaldulensium Monasteriorum exemptio facta fuit à Leone X. *ex constit.* quæ incipit: *Et si à Summo.* sub datum Romæ 4. Non. Iulij, 1513. Pontificatus sui anno 1. quæ *in Bullar. nouo. tom.* 1. est 2. in ordine.

17. Vallisumbrosæ Congregationis Monasteria, licèt à Paschali II. & ab aliis Summis Pontificibus sub protectione Sedis apostolicæ recepta fuerint; omnimodam tamen & plenariam omnium Monasteriorum, locorum, & personarum exemptionem ab Innocentio IV. obtinuit, vt patet *in eius Diplomate*, sub datum Assisij, 12. Calend. Iulij. indict. 11. anno 1253. Pontificatus sui anno 10. quod Diploma habetur originaliter, & authenticum in Archiuio Vallisumbrosæ.

18. Cisterciensis Ordinis Monasteria ab omni imperio diœcesanorum soluta fuerunt ab Alexandro III. Idib. Nouemb. 1161. Pontificatus sui anno 3. cuius priuilegij tenor extat apud Renatum Choppinum *de sacra Polit. forensi, tit. 3. num. 5.* Huius exemptionis meminit Erasmus Cochier. *in tract. de iurisd. Ordin. in exempt. part. 1. q. 17. num. 1.* vbi ait, quòd iure communi Cisterciensis Ordo id priuilegij habet, vt nisi facta mentione Ordinis rescriptum impetrari nõ possit, *text. cap. Cum ordinem.* vbi DD. *de rescript. cap. Ne Dei de simon.* Ioan. And. *cap. 1 de suppl. negl. Prælat.* Gloss. *cap. Recipimus. de priuileg.* Iclin. & Abb. *d. cap. Cùm Ordinem.* quòd ipsum Hospitalariis, & Templariis, aliisque nonnullis concessum esse reperitur.

19. Cælestinorum Monasteriorum exemptio facta fuit à Cælestino V. eius Institutore, anno Domini 1294. Calend. Octob. teste Renato Choppino *in Monastic. lib. 1. tit. 2. num.* 13. vbi extat tenor priuilegij eiusdem exemptionis, quidquid dicat Dominus meus Augustinus Barbosa *de iure eccles. lib. 2. cap. 12. n. 51.*

Congregationis Oliuetanæ Monasteria plenariam 20.
iurisdictionem sortita sunt à Iullio II. *ex eius constit.* 12. quæ incipit: *Et si ad vniuersos.* prid. Calend. Iunij, 1505. Pontif. sui anno quarto: de qua Laërt. Cherub. *tom. 1. Bullarij.*

Syluestrinorum Monasteria ab Innocentio IV. 21.
exempta fuêre anno 1247. Pontificatus sui anno 5. vt patet *in eius constit.* 5. apud Laërt. Cherubinum *tom. 1.*

Montis Virginis Monachorum Monasteria, & præ- 22.
cipuè Monasterium Montis Virginis, Caput totius Ordinis, sub protectione D. Petri, & Sedis apostolicæ receptum fuit à Cælestino III. anno 1197. Pontificatus sui septimo, die 4. Nouemb. omnia verò Monasteria à Sixto V. vt habetur *in Diplomate eiusdem Pontificis*, authentico Romæ in eorum Monasterio S. Agathæ asseruato.

Præmonstratensium Monasteria à iurisdictione 23.
Episcoporum exempta fuerunt per Alexandrum V. anno Domini 1419. sub die 31. Iunij ex Renato Choppin. *de sacr. Polit. lib. 1. tit. 3. num. 7.*

Carthusiensium Monasteria plenariam exemptio- 24.
nem obtinuerunt à Bonifacio IX. vt habetur *in constitutione eius* 3. 17. Martij 1391. Pontif. sui anno secundo. Habetur *in Bullar.* Laërtij Cherub. *tom. 1.*

Sancti Basilij Congregationis Monasteria exempta 25.
fuerunt à Gregorio XIII. *per constit. eius* 58 quæ incipit: *Benedictus Dominus.* Calend. Nouembr. 1579. Pontif. sui anno 8. Refertur à Laërt. Cherub. *tom. 2.*

Sancti Spiritus in Saxia. Ordinis Monasteria à iu- 26.
risdictione omnium Prælatorum, & aliorum, præquàm Magistri Generalis, exempti fuerunt à Sixto IV. *per eius constit.* 22, quæ incipit: *Religionis zelus.* Idibus Februarij, 1483. apud Laërt. Cherub. *in Bullar. tom. 1.*

S. Antonij Viennensis Ordinis Monasteria exem- 27.
pta fuerunt per multos Summos Pontifices, præsertim Vrbanum IV. Gregorium X. Benedictum XI. Nicolaum IV. Cælestinum III. Martinum V. & Pium II. quorum exemptio posteà confirmata fuit à Clemente VII. *in eius constitut.* 2. quæ incipit: *Rationi congruit.* 6. Cal. Decembris, 1525. *in Bullar.* Laërtij Cherubini *tom. 1.*

Fratrum Prædicatorum Monasteria à multis Sum- 28.
mis Pontificibus exempta fuêre, & præsertim à Gregorio XI *per eius constitut.* 7. quæ incipit: *Virtute.* 2. Non. Martij, 1374. *in Bull.* Laërt. Cherubini *tom. 1.* Huius exemptionis mentionem facit Cochier. *loc. cit. num. 4. in fine*, vbi ait, quòd Prædicatores citati coram Ordinario, comparere non teneantur ad allegandam exemptionem: est enim notoria. Abbas *in cap. Cum Ordinem*, vbi DD. *de rescript.* & ita censet Fumus *verbo, exemptio, num. 2. verbo, Priuilegium, num. 7.*

Fratrum Minorum Monasteria similiter à pluribus 29.
Summis Pontificibus fuerunt ab imperio Episcoporum liberata; sed præsertim à Clemente IV. teste Rodriq *tom. 2. qq. regul. q. 61. art. 13.* & Erasmo Cochier *loc. cit. num. 6.* vbi ait, quòd Minores eodem anno 1215. cum Prædicatoribus à S. Sede apostolica approbati sunt, Ioan. Cald. *cap. Nimis praua.* vbi Abbas *num 1. de excessib. Prælatorum.* donatique postmodum à Clemente IV. exemptionibus, tam ab Ordinariis, quam à delegatis, ac etiam à constitutione Innocentij IV. *in cap. Volentes. de priuileg. in 6.* ac immediatè sanctæ Sedi eorum Ecclesiæ, Oratoria, Domus, loca, libri, vtensilia, mobilia, & immobilia subiecta.

Cruciferorum Monasteria sub protectione Sedis 30.
apostolicæ recepta fuerunt ab Vrbano III. *per suam constitutionem* 1. quæ incipit: *Cum antecessor.* 7. Cal.

Aprilis,

Aprilis, 1187. *in Bullar.* Laërtij Cherub. *tom.* 1. & ab eodem Pontifice fuerunt ab Ordinariorum iurisdictione exempta.

31. Carmelitarum Monasteria à iurisdictione Ordinariorum, & Legatorum à multis Summis Pontificibus exempta fuerunt, vt apparet in Bulla Sixti IV. anno Domini 1477. Cal. aprilis, Pontif. sui anno 6. quæ extat *in Bullar. eiusdem Religionis.* De hac exemptione agit similiter Cochier. *loco citato, num.* 7. dum ait: *Carmelitæ pariter à iurisdictione Ordinariorum, & Legatorum prorsus sunt exempti, adeò quòd processus, aut sententia contra eos lata sint nullius roboris.*

32. Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Monasteria exempta fuère per Alexandrum IV. anno 1255. vt habetur *in Bullario eiusdem Ordinis, nouiter Romæ impresso, constit.* 3. eiusdem Pontificis.

33. Carmelitanorum discalceatorum Monasteria per Clementem VIII. exempta fuerunt *in constit.* 22. eiusdem apud Laërtium Cherub. *tom.* 2.

34. Seruorum B. Virginis Monasteria exempta sunt ab Vrbano VI. vt patet *in eius constit.* 2. apud Laërtium Cherub *tom.* 1. *Bullarij.*

35. Minimorum Monasteria à Sixto IV. exempta sunt *ex const. eius* 5. apud Laërtium Cherub. *tom.* 1. *Bullarij.*

36. Theatinorum Monasteria per Clementem VII. eximuntur *ex constitutione eius* 38. apud eundem Laërtium Cherub. *loco cit.*

37. Clericorum Regularium S. Pauli decollati Monasteria à Paulo III. exempta sunt *per const. eius tertiam, in Bullario, tom.* 1.

38. Societatis Iesu Monasteria recepta sunt sub protectione Sedis apostolicæ, & à iurisdictione Ordinariorum exempta à Paulo III. quinto kalēd. Octob. 1540. vt patet *ex eius constit.* quæ incipit: *Regimini.* apud Laërt. Cherub. *tom.* 1. *Bullar.* De hac exemptione Cochier. *loc. cit. n.* 16. & Hieronymus à Sorbo *in Priuil. omn. Ordin. verb. Communicatio Priuilegiorum.*

39. Clericorum Regularium de Sommascha Monasteria exempta sunt à Sixto V. *per eius constit.* 5. apud Laërt. Cherub. *in Bull. tom.* 2.

40. Clericorum Regularium ministrantium infirmis Monasteria exempta sunt à Gregorio XIII. *per eius constit.* 17. *in Bullar.* Laërt. Cherub. *tom.* 2.

41. Religionis deuoti Patris Ioannis Dei Monasteria à Paulo V. exempta fuère, vt habetur *in eius Bulla, in* 1. *tom huius Operis*, apposita *in disput.* 15. *quæst.* 4. *num.* 18.

42. Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum piarum Monasteria eximuntur ab Ordinariorum iurisdictione à Gregorio XV. anno 1622. die 25. Octobris per Diploma relatum *in* 1. *tom huius Operis, disp.* 15. *quæst.* 4. *num.* 29. Aliæ plures exemptiones Monasteriorum regularium videri possunt *in disput.* 24. *tom.* 2. *huius Operis*, quæ breuitatis gratia omittuntur. Aliæ etiam plures exemptiones Monasteriorum sæcularium, & Ecclesiarum inueniuntur, quas (breuitati studens) prætermitto, cum earundem exemptionum notitia temporis non mihi satis constet.

43 Imò, si aliqua Religio de nouo fundaretur, tunc facilè exemptionem obtineret à Sede apostolica, vt ait Chochier. *loco cit. num.* 31. vbi citat pro hac re Mandosium.

44. Personæ igitur in prædictis Monasteriis existentes non possunt puniri, nec carcerari ab Ordinariis, *ex c. Fratres q.* 1. *c. ap. Sicut nobis § final. A contrario sensu, de supplen. neglig. Prælat.* Hostien. *in Sum. de priuilegiis, colum. antepenult. Versu.* Ratio est: quia immediate subiiciuntur S. ctæ Sedi, *cap. Authoritate. de priuil. in* 6. Gloss. pragmatica *de causis*, §. Si verò. Nec possunt excommunicari, nec aliis pœnis corporalibus, vel spiritualibus possunt affici ab Ordinariis locorum, vt satis probaui *tom.* 1. *disp.* 15. *per totam.* Videatur Cochier *loco cit.*

In aliquibus tamen Monasteria, & eorum personæ subiiciuntur per Concil. Trid. Episcopis.

Et primò omnia Monasteria, quibus imminet cura animarum, personæ etiam regulares ibidem curam animarum exercentes non eximuntur à iurisdictione Ordinarij in iis, quæ spectant ad dictam curam animarum, & Sacramentorum administrationem: in his enim iurisdictioni, & visitationi Episcopi subiiciuntur, quod habetur in Concil. Trid. *sess.* 25. *de Regul. cap.* 12 quod etiam affirmant Emmanuël Roderiq. *qq. regul. tom.* 1. *q.* 36. *art.* 4. Fuscus *de visit. lib.* 2. *cap.* 16. Franciscus Leo *in thesaur. fori eccles. part.* 2. *cap.* 18. *n.* 105. Aloysius Riccius *in prax. for. Eccles. decis.* 736. Piasecius *in prax. episcop. part.* 2. *cap.* 3. *num.* 40. Campanil *in diuers. iur. canon. rubr.* 12. *cap.* 13. *num.* 51. Vgolin *de offic. & potest. Episc. cap.* 20. §. 4 Barbosa. *de offic. & potest. Episc. part.* 3. *alleg.* 74. *num.* 18. Hieronym. Venero *in exam. Episc. cap.* 11. *num.* 2. Gregorius XV. *in sua constit. de exempt. priuileg.* vbi quoad hanc rem hæc habet verba: *Hac generali, ac perpetua valitura constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, vt deinceps, tam Regulares, quam sæculares quomodolibet exempti, siue animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu Domibus regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesiis, vel beneficiis, siue regularibus, siue sæcularibus incumbentem exerceant, siue aliàs ecclesiastica Sacramenta, aut vnum ex illis ministrent, prauia Episcopi approbatione, siue quoquo modo in dicta cura exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alterius ex illis administratione de facto absque vlla authoritate se ingerant in his, quæ eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodæ visitationi, iurisdictioni, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis apostolicæ delegati plenè in omnibus subiiciantur.* 45.

Et nouissimè facta Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concil. Trid. Interpretum inter alias declarationes, S. D. N. Vrbano VIII. approbante anno 1623. censuit, nequaquam subiicere Regulares exemptos, quibus animarum sæcularium cura non incumbit, iurisdictioni Episcoporum in his, quæ Sacramentorum administrationem concernunt, nisi cùm in Sacramentis administrandis personis sæcularibus iidem Regulares delinquant. Similiter constituit, non licere in vim supradictæ constitutionis Episcopo visitare Altare Ecclesiarum Regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca, vbi in iisdem Ecclesiis asseruatur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, vel vbi confessiones personarum sæcularium audiuntur. 46. 47.

Declarauit etiam in vim supradictæ constitutionis, non posse Episcopos præscribere Regularibus, vt certis tantùm in locis, aut temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel aliàs illorum priuilegia in Sacramentis administrandis restringere, aut moderari; quòd si aliunde Episcopis huiusmodi facultas competat, illam non fuisse ab eadem constitutione sublatam. 48.

Hinc sequitur, Monasteria Militum Sancti Ioannis Hierosolymitani, & eorum Ecclesias, quantumuis exemptas, quibus animarum cura incumbit in concernentibus curam ipsam, Ordinario loci subiici, & ab eodem, *vt supra*, visitari puniri, & corrigi posse, quoad personas ipsas exercentes prædictam curam. Ita habetur ex constitutione Pij V. sub datum 22 Septembr. 1571. quod etiam docent Cochier. *tract. de iurisd. Ordinar. in exemptos, part.* 2. *q.* 45. *num.* 11. Vgolin. *de offic. & potest. Episcopi,* 49.

cap.

cap. 20. §. 4. num. 1. Augustinus Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 74. num. 16. Piascecs. in prax. Episc. part. 2. cap. 3. num. 46. Aloysius Riccius in praxi aurea, resol. 176. Ideò sacra congregatio Concil. Trid. in vna Augustana 26. Iunij, 1627. censuit, Rectores in Ecclesiis S. Ioannis Hierosolymitani curam animarum sæcularium exercentes subesse in omnibus visitationi, correctioni, & iurisdictioni Episcopi in iis, quæ concernunt curam, & Sacramentorum administrationem, qui potest ratione visitationis, &c. Refertur à Barbosa de iur. eccl. lib. 1. cap. 43 num. 137.

50. Non solùm autem Regulares prædicti subiiciuntur visitationi, & correctioni Episcoporum quoad curam animarum, & administrationem Sacramentorum, sed etiam in dependentibus ab illa, vt dicunt Campanil. loco citato, cap. 13. num. 51. & Barbosa similiter loco citato, num. 20. verbi gratia, si Episcopus inquirat, quomodo conseruetur Sanctissimum Sacramentum, & ecclesiastica ornamenta. Ita Seraphinus decis. 1067. Similiter, vt calices, & decentia paramenta ad decorem administrationis Sacramentorum prouideantur, sicut docent Augustinus Barbosa loco citato, num. 18. Campanil. similiter loco citato, cap. 13. num. 49.

51. Sequitur etiam, quoscunque Canonicos, & alios Clericos exemptos, dignitates, & etiam non exemptos ad animarum curam exercendam constitutos quoad habilitatem, non obstante priuilegio, vel consuetudine examinari, & visitari posse ab Episcopo, vt ait Sayrus in flor. decis. de temp. ordinand. decis. 5. & Barbos. loco citato, num. 19. & Nauar. consil. 4. de tempor. ordinand.

52. Aduertendum tamen est, quòd curam animarum exercentes, tam Regulares, quàm sæculares, poni debent ad arbitrium suorum Superiorum: non autem Episcoporum, à quibus debent examinari, & approbari priùs. Ita resolutum fuisse testantur Piascecius loco citato, part. 2. cap. 3. num. 46. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 3. num. 34. Et Regulares curam animarum sæcularium exercentes prohiberi possunt per Episcopum in percipiendis emolumentis, ne excedant taxam ab eo præscriptam. Ita declarasse Sacram Congregationem, testatur Barbosa de iure ecclesiastico loco cit. num. 145.

53. Secundò, monasteria exempta subiiciuntur Episcopo per decretum Concilij Tridentini sess. 25. de Regul. cap. 12. quoad censuras, & interdicta ab Episcopis emanata: ipsa enim mandantibus sumpta Regularibus exemptis in eorum Ecclesiis publicanda, & seruanda sunt: quod etiam referunt Henriquez in Summa, lib. 3. cap. 42. § 3. in fine, Frater Emmanuel in addit. ad Bullam Cruciata, pag. mihi 29. Fuscus de visit. lib. 2. cap. 15. num. 62. Ioannes de la Cruz de statu Regul. lib. 2. cap. 7. dub. 2. Vgolinus loco citato, cap. 20. §. 3. num. 3. Piascecius loco citato, cap. 3. num. 47. Franciscus Leo in thesauro fori ecclesiastici, part. 1. cap. 8. num. 19. Campanil. loco citato, rubr. 12. cap. 13. num. 114. Homobonus in examine ecclesiastico, tract. 11. cap. 12. quæst. 23. supposito 2. Aloysius Riccius in d. praxi aurea, resol. 210. vers. 5. Barbosa de officio Episcopi d. part. 3. alleg. 105. num. 43. Cochier. de iurisdictione Ordinarij in exempt. quæst. 45. num. 46.

54. Tertiò, non sunt exempta prædicta Monasteria quoad dies festos, per decretum Concilij Tridentini d. sess. 25. de Regul. d. cap. 12. quos dies in sua diœcesi Episcopus seruandos præceperit. Hoc idem fatentur Roderiq. qq. regul. tom. 2. quæst. 70. art. 1. Vgolinus loco citato, cap. 20. §. 3. num. 1. Piascecius similiter loco citato, cap. 3. num 47. Aloysius Riccius loco citato, resolut. 210. vers. 6. Campanil. loco citato, cap. 13, num. 91. Cochier. similiter loco citato, part. 2. quæst 4. num. 55 Laurent. de Peyrinis in priuil. sui Ordinis, tom. 1. const 28. Leonis X. & Barbosa de iure ecclesiastico lib. 1. cap. 43. num. 151. vbi ait, quòd ita est hoc intelligendum, vt Regularium ritus illis festis semper permaneant quoad Missas celebrandas, & cætera diuina Officia, tam publicè, quàm priuatim, ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesiis persoluenda; nec circa hæc ab Episcopis quoquo modo quicquam in cōtrarium eisdem Regularibus præcipi possit: quòd si de facto præceperint, Regulares neutiquam ipsis Episcopis obedire tenentur. Verùm quoad conciones, & lectiones, quas iidem Regulares ad populum habuerint, debent se conformare Euangeliis, & Epistolis, quibus Clerus sæcularis vtitur illis diebus. Ita declaratum fuisse à sacra Congregatione refert idem Barbosa de officio, & potestate Episcopi, part. 3. alleg. 105. num. 34. & 35. Regulares verò non prohiberi dies festos, & ieiunia in suis Ecclesiis annunciare per sacram Concilij Congregationem sub die 2. Iulij, 1620. refert decisum Laurentius de Peyrinis loco citato, tom. 2. constit. 7. Pij V. num. 13.

Quartò, per decretum eiusdem Concilij Tridentini tenentur Regulares exempti ad publicas processiones vocati accedere, d. sess. 25. de Regul. cap. 13. quod etiam referunt Parisius de resignatione beneficiorum, lib 3. quæst. 11. num. 18. Roderiquez qq. regular. tom. 3 quæst 36. artic 8. Franciscus Leo in thesauro fori ecclesiastici, cap. 8 num. 8. Zerola in praxi Episc. part. 1 verbo, processiones, §. 2. Campanil. loco citato, rubr. 18. cap. 13. num. 117. Barbosa de officio, & potestate Episcopi, part. 3 alleg. 78. num. 8. Sed de hac re fusè tractauimus in 1. tom. disp. 15. vbi de hac materia. 55.

Quintò, Regulares subiiciuntur Episcopo per decretum d. Concilij Tridentini sess. 4. in decreto de vsu, & editione sacrorum librorum: statuit enim sacrū Concilium, quòd non liceat Fratribus imprimere, seu imprimi facere libros de rebus sacris, sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum. 56.

Sextò, ex eodem Concilio de reform. sess. 5. cap. 1. debet Episcopus opportunis remediis compellere exemptos, vt lectio sacræ Scripturæ habeatur in Monasteriis Monachorum, vbi commodè fieri potest, si Abbates in hoc negligentes fuerint. 57.

Septimò, & sess. d. de reform. cap. 2. habetur, vt non minus ad prædicationem, quam lectionem Christianæ Reipublicæ necessariam habendam, omnes animarum curam habentes, etiam quauis ratione exemptos se esse prætendant, Episcopus compellat. 58.

Octauò, ex eodem Concilio loco citato, habetur, quòd Regulares cuiuscunque Ordinis sine licentia Superiorum Ordinis, & benedictione Ordinarij, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint; in alijs autem Ecclesijs, vltra licentiam Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, & in illis contra dicente Episcopo prædicare non præsumant, de qua re latè in tomo. 2. huius Operis disput. 11. quæst. 2. & 3. 59.

Nonò, ex eodem Concilio Tridentino loco citato, habetur, quòd si aliquis Prædicator, quod absit, errores, aut scandala disseminauerit in populum: etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcopus ei prædicationem interdicat: quòd si hæreses prædicauerit, contra eum secundùm iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiam si Prædicator ipse generaliter, vel specialiter exemptum se esse prætendat. 60.

Decimò, præcipit idem Concilium Tridentinum sess. 6. de reform. cap. 3. vt Regularis, extra Monasterium 61.

ſterium degens, etiam ſui Ordinis priuilegij prætextu tutus non cenſeatur, quominùs, ſi deliquerit, ab Ordinario loci, tanquàm ſuper hoc à Sede apoſtolica delegato, ſecundùm canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat.

62. Vndecimò, & *ſeſſ. vlt. de Regul. cap.* 14. ſi Regulares, qui intra Clauſtra Monaſterij degunt, etiam Epiſcopo non ſubiecti, & extra ea notoriè deliquerint, vt populo ſcandalo ſint, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum à ſuo Superiore ſeuerè puniantur, & de punitione Epiſcopum certiorem faciat; ſin minùs à ſuo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. Circa quod decretum multa animaduerterunt Doctores, & præſertim Nauarr. *comment. 2. de Regul. num.* 63. Aloyſius Riccius *in praxi fori eccleſiaſtic. deciſ.* 650. *in 1. editione.* Portellus *in dub. regul. verbo, Epiſcopus, num.* 2. *&* 8. Roderiq. *qq. regul. tom. 2. quæſt. 2. artic.* 6. Laurentius de Peyrinis *tom. 1. priuil. ſui Ordinis, conſtitut. 2. Sixti IV. num.* 61. Barboſa *in Collectaneis, cap. vlt. de ſtatu Monach* vbi refert à ſacra Congregatione deciſum, facultatem Epiſcopo attributam in Regulares notoriè, & cum ſcandalo extra Clauſtra delinquentes, vendicare ſibi locum, etiam cùm Regulares notoriè, & cum ſcandalo intra Eccleſiam delinquunt: non ita ſi intra Clauſtra: & non ſufficere, quòd Epiſcopus vnica vice Superiorem Regularem moneat, eique terminum præfigat, ad caſtigandum ſubditi delictum: & ideò neceſſe non eſſe, Epiſcopum monere, ac requirere dictum Superiorem duabus, vel tribus vicibus, vt aliqui opinantur; & Epiſcopum ſtatim habita notitia delicti poſſe capere informationem, & illam ad Superiorē Regularem mittere, vt nequeat de eodem delicto ignorantiam præſumere: & non ſufficere, vt Superior Regularis ſententiam, aut acta omnia ſuper delicto actuata ad Epiſcopum tranſmittat; ſed opus eſſe vt de punitione ipſa & ſententiæ executione Epiſcopum certiorem faciat. Hanc eandem declarationem refert Hieronym. Roderiq. *in compendio quæſt. regular. reſolut.* 62. *num.* 8.

63. An autem poſſit Epiſcopus procedere per cenſuras, ac punire Regularem notoriè, & cum ſcandalo extra Clauſtrum delinquentem, ſi à ſuo Abbate, & Prælato Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfixum non puniatur: dubitant Doctores. Roderiq. *quæſt. regular. tom. 2. quæſt. 63. art.* 7. affirmatiuam ſententiam ſuſtinet. Sed negatiua ſententia probabilior mihi eſt: quia concilium non exprimit, quòd per cenſuras poſſit Epiſcopus punire Regularem notoriè, & cum ſcandalo delinquentem, cùm conſtet, id declaraſſe, vbi voluit hanc poteſtatem concedere Epiſcopis in exemptos, vt alibi fecit. Ita Sanchez *de matrimonio lib 7. diſput. 33 num.* 22. Portellus *in addit. ad dub. regul. verbo, Epiſcopus, num.* 5. Villalobos *part. 2. Summa tract 35. difficultate 5. num.* 37.

64. Regulares verò Superiores, qui iuxta Concilij Tridenti i præſcriptum *loco citato* tenentur certiorem facere Epiſcopum de punitione ſuorum Regularium ſub ſtorum extra Clauſtra delinquentium, non ſatisfaciunt faciendo verbo huiuſmodi certiorationem; ſed in ſcriptis facere debent. Quod declaraſſe ſacram Congregationem Conc[illegible] in vna Lneatin, 14. Decembris, 1630. affirmat Barboſa *de iure eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 42 num.* 15.

65. Et Contra Superiores non punientes ſuos ſubditos iuxta formam Decreti Concil. Tridenti *loco cit.* emanauit conſtitutio Clement. VIII. quæ incipit: *Suſcepti mu*[illegible] 18. M[illegible] ref[illegible] Quarta in *ummus Bullar*[illegible], quæ conſti[illegible] ſub pœna [illegible] ipſo facto dignitatum, & officiorum, ac inhabilitat.

66. Piaſceſ. *in praxi Epiſcoporum, part. 1. cap. 3. num.* 43 dicit, poſſe Regularem in caſu dicti decreti deprehenſum in delicto deduci ad carcerem Epiſcopi, & ſumpta informatione ſuper delicto, dummodo ſine mora ſumatur, remitti cum copia proceſſus ad ſuum Superiorem puniendum, cum præfinitione termini ad puniendum. Et Fuſcus *de viſit. l. 2. cap. 17. num.* 11. ait, quòd Epiſcopus loci litteras ſcribat Superiori ſubditi delinquentis de delicto commiſſo, & de exceſſibus cum ſcandalo populo exhibitis, & inſtet, vt intra talem terminum præfixum ipſum punire velit, & de punitione facta ipſum Epiſcopum certiorem reddat: aliàs, ipſo Superiore negligente, Epiſcopus ipſe poterit eum punire: & illas litteras, quæ requiſitoriæ vocantur, de punitione Monachi delinquentis in præſentia duorum teſtium ex communi practica aſſignari faciat.

67. Duodecimò, præcipit *ſeſſ.* 21. *cap.* 8. vt locorum Ordinarij viſitent, & corrigant Monaſteria, in quibus non vigeat Regularis obſeruantia; & beneficia quæcunque, qualitercunque commendata viſitent, & curent, vt reficiantur, quæ reſtauratione indigent, & animarum cura, & alia debita obſequia rectè exerceantur.

68. Decimotertiò, *in ſeſſ.* 22. *decreto, de obſeruandis, & vitandis in celebratione Miſſæ*, cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & quicquid pro Miſſis nouis celebrandis datur, atque importunæ, & illiberales eleemoſynarum exactiones potiùs, quàm poſtulationes, aliàque huiuſmodi, quæ à ſimoniaca labe, vel certè turpi quæſtu non longè abſunt, omninò prohibeantur ab Ordinariis locorum.

69. Decimoquartò, idem Concilium *loco citato* decernit, quòd non patiatur Epiſcopus priuatis in domibus, atque omninò extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum Sacrificium Miſſæ à ſæcularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi; ac niſi priùs, qui interſint, decenter compoſito corporis habitu declarauerint, ſe mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non ſolùm corpore adeſſe. De hac re latè egimus *in 2. tom. diſput*....

70. Decimoquintò, & *in ſeſſ.* 14 *cap.* 10. *de reform.* dicit, quòd Abbatibus, & aliis quibuſcunque, quantumuis exemptis, non liceat in poſterum intra fines alicuius diœceſis, etiamſi nullius diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, tonſuram, aut minores Ordines conferre. De quo fusè *in 2. tom. huius Operis, diſp. 2. fere per totam.*

71. Decimoſextò, & *in eadem ſeſſ. cap* 12. ſic ſtatuit: *Nullus etiam Regularis ad Subdiaconatus Ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis ſuæ annum promoueatur. Regulares quoq; nec in minori ætate ordinentur, priuilegiis quibuſcunque quoad hoc excluſis.* Similiter de hac materia actum eſt *diſp. 2. tom.* 2.

72. Decimoſeptimò, *in eadem ſeſſ. cap.* 13. *&* 14. ſtatuitur, quòd promoti ad Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Epiſcopo videatur, aſcendere non permittantur; *in eod. 2. tom. diſput.* 2. fuſiſſimè de hac re.

73 Decimooctauò, *in ſeſſ.* 23. *cap.* 12. decernitur, quòd ſine diligenti Epiſcopi examine Regulares non ordinentur, priuilegiis quibuſcunque quoad hoc excluſis. *In eod. 2. tom. loc. cit.* agitur ex profeſſo de hac re.

74 Decimononò idem Concil. *eodem loco* præcipit, quòd duo ſacri Ordines eadem die eorum Regularibus non conferantur, priuilegiis, atque indultis quibuſcunque non obſtantibus, *in ead. diſp. 2. tom.* 2.

Vigeſimò

75. Vigesimò, Concilium Tridentinum *ead. sess. c.* 15. decernit, quòd sine probatione Episcopi nullus, etiam Regularis, possit confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire, Vide *supra tom.* 2 *disp.* 6. *q.* 12.

76. Vigesimoprimò, *in eadem sess. c.* 17. decernit, quòd sacri Altaris ministeria non nisi per constitutos in dictis Ordinibus exerceantur, *similiter eod.* 2. *tom. disp.* 2.

77. Vigesimosecundò, & *in sess.* 24. *de refor. c.* 2. statuit, quòd Synodi diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui aliàs cessante exemptione interesse deberent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur; ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium Ecclesiarum etiam annexarum debeant hi, qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, Synodo interesse.

78. Vigesimotertiò, *in sess.* 25. *de Regul.* habetur quod Monasteria non erigantur, sine Episcopi, in cuius diœcesi construenda sunt, obtenta priùs licentia, vt superiùs demonstrauimus *in primo quæsito huius disputationis.*

79. Vigesimoquartò, & *in eadem sess. cap.* 4. ordinat Concilium, quòd non liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint; aliàs, qui sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis locorum puniatur, vt sui instituti desertor. De hac re agunt Azorius *part.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 11. *q.* 7. Aragona 2. 2. *q.* 69. *art.* 3. Nauarr. *comment.* 2. *de Regul. num.* 61. & *comment.* 3. *num.* 51. Bonacina *de claus. & pœn. eam violantibus impositis, quæst.* 2. *punct.* 11. §. 1. *num.* 9. Sayrus *in Claui reg. lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 40. Fagundez *in precept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 12. Coriolan. *de casibus reseruatis, part.* 2. *cas.* 3. *num.* 19. Sanchez *in præcepta Decalogi, tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 102. Octauianus Spatharius *de modo corrigendi Regulares tract.* 3. *nunc correcto, & expurgato, part.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. Laurentius de Peyrinis *de subdito Regulari, tom.* 1. *quæst.* 1. *cap.* 20. *in princip.* Barbosa *de iure ecclesiastico, cap.* 42. *lib.* 1. *num.* 40. quorum plures, & præsertim Aragona, dicunt, Concilium Tridentinum *loco citato*, intelligi de illo, qui Superiorem adir, non ex aliqua graui, sed leui, vel leuissima causa, intelligigentes sententiam Bannes contrarium sentientis 2. 2. *quæst* 12 *art.* 1. quando ex fuga tali ad Superiorem sequeretur scandalum, & perturbatio magna Religionis propter causæ ignorantiam, qua dictus Religiosus mouetur ad talem fugam.

80. Vigesimoquintò, Concilium Tridentinum *loco cit.* statuit, quòd qui studiorum causa ad Vniuersitates mittuntur, in Conuentibus tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.

81. Vigesimosexto, Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regul. cap.* 13. decernit, vt controuersias omnes de præcedentia, quæ persæpe cum scandalo oriuntur inter ecclesiasticas personas, tam sæculares, quàm Regulares, in processionibus publicis, & in aliis similibus, Episcopus, amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat. De hac re *tom.* 1. *huius Operis, disput.* 15. vbi de præcedentiis: & agunt Zerola *in praxi Episcoporum, verbo, Processiones vers. Ad* 3. Piasecs *in praxi Episcoporum, part.* 2. *cap.* 3. *num.* 47. qui dicunt, quòd breui manu summarie, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij hoc debet præstare Episcopus, sicut decisum referunt Aloysius Riccius *in collect. decis. part.* 4. *collect.* 1069. & Cardinalis Seraphinus *decis.* 355. & 964. In materia tamen præcedentiarum ius defert consuetudini, vt probant Felinus *in cap. Statuimus. in princ. de maior. & obed.* Baldus *in cap. Cum olim. num.* 1. *de consuet.* Cardinalis *cons.* 62. *num.* 1. Decius *in l. Cum quid, num.* 39. Menochius *cons.* 51. *num.* 49. Molfes. *de consuet. Neapol. part.* 1. *cap.* 5. *num.* 21. Cardinalis Caualerius *decis.* 649. *num.* 1. Et fuit dictum *in vna Seguntina, præcedentiæ*, 9. Iunij, 1627. coram Vbaldo iuniore, nunc Eminentissimo Cardinali. Quod procedit, etiamsi consuetudo iuri repugnet, Seraphinus *decis.* 964. *num.* 1. & Menoch. *cons.* 51 *num.* 51. & Gregorius XV. *decis.* 24. *num.* 2. Et ideò, etiamsi possessio sit contra ius, est manutenibilis, quando est alicuius temporis considerabilis. Ita Gregorius XV. *decis.* 366. quod fuit etiam dictum *in vna Calceaten. decimarum*, 10. Iunij, 1611. coram Eminentissimo Pamphilio iuniore, & *in vna Ouetensi iurisdictionis*, 22. *Martij*, 1626. coram Vbaldo, & *decis.* 534. *num.* 7. *part.* 1. *diuers.* Vide Couarr. *pract. cap* 17. *num.* 6. *vers.* 4.

Aduertendum tamen est cum Barbosa *de iure ecclesiastico, lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 180. decretum Concilij Tridentini *loco citato*, non tollere appellationem deuolutiuam, vt censuit Rota *in Coloniensi præcedentiæ*, quam adducit idem Barbosa *loco citato*, vbi hoc etiam resolutum fuisse à Sacra Congregatione Concilij Tridentini affirmat.

Vigesimoseptimò, statuit idem Concilium Tridentinum *sess.* 25 *de Regul. cap.* 15. quòd in quacunque 82.
Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum; nec, qui minori tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, alioquin professio nullam obligationem inducat ad quoscunque effectus. De hac re infrà *in sua propria disput. de profess. emittentibus.*

Vigesimooctauò, & *in cap.* 16. *eiusdem sess.* Con- 83.
cilium præcipit, quòd nulla renunciatio, aut obligatio anteà facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi sequuta professione. De hac materia *infrà, in disput. Nouitiorum.*

Vigesimononò, *in sess. vlt. de Regul. cap.* 19. de- 84.
cernitur, quòd quicunque Regularis, qui prætendit, se per vim, & metum ingressum esse in Religionem, aut ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm a die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario: quòd si anteà sponte habitum dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquàm Apostata puniatur: interim verò nullo priuilegio suæ Religionis iuuetur.

Trigesimò, & *in sess.* 25. *de reform. cap.* 13. habe- 85.
tur, quòd quibuscunque in locis iam ante annos quadraginta Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochali Ecclesiæ solita esset persolui, ac postea fuerit ex quocunque priuilegio Monasterij concessa, posthac integro iure, & eadem portione, qua anteà solebat, eidem Ecclesiæ persoluatur, non obstantibus quibuscunque priuilegiis, etiam Mari magno nuncupatis.

Trigesimoprimò, *eadem sess. de Regul. cap.* 22. 86.
firmat Concilium Tridentinum, quòd bona quæcunque, tanquàm propria, vel Conuentus nomine possidere, aut tenere, Regulares prohibentur, & debent huiusmodi bona Conuentui incorporari; Superiores verò bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam non possunt, nec debent. Sed de hac re *in* 3. *tom. disput. de voto paupertatis*, agitur: item cap.

cap. 2. de stat. Monach. & *cap. Cum ad Monasterium. eod. tit.* & Felin. *in d. Cum ad Monasterium num.* 26. Cardinalis & Tapia *in Authent. Ingressi. de sacros. Eccl. verbo ipso, ingressi. cap. 3. num* 54. Nauar. *comm. 2. de Regul. num.* 14. Ludouicus Lopes *in instruct. conscientia, cap.* 154. Beia *respons. casuum consc part. 3. q. 36.* Roder *qq regul. tom. 3. quæst. 29. art. 8.* Miranda *in Manuali Prælatorum, tom. 1. quæst. 38. art. 8.* Azorius *instit. moral. part. 1. lib 12. cap. 12. quæst 1.* Sanchez *in præcept. Decalogi, tom. 2. lib. 7. cap. 22. num. 5.*

87. Trigesimosecundò *sess. 6. de reform. cap. 3.* & *sess. 23. de reform. cap. 8.* decernit innouare, ac restituere in rebus præcipuis, & inter cætera statuit, vt commendata Monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præposituræ nuncupatæ, quanuis exemptæ, in quibus non viget regularis obseruantia, ab Episcopis, etiam tanquàm Sedis apostolicæ delegatis, annis singolis visitentur, & vbi vigêret regularis obseruantia, prouideant Episcopi paternis admonitionibus, vt eorum Regularium Superiores, iuxta illorum regularia instituta, debitam viuendi rationem obseruent, & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderêtur. Quòd si admoniti intra sex menses eos non visitauerint, vel correxerint, tunc iidem Episcopi, vt delegati apostolicæ Sedis eos visitare possint, atq; corrigere, prout ipsi Superiores possent iuxta eorum instituta: de qua re egimus *tom. 1. disput. 4. de Abbatibus Commendatariis.*

88. Trigesimotertiò, cùm ad Episcopum pertineat potestas visitandi Monasteria, tam regularia, quàm sæcularia, circa ipsorum curam, & Sacramentorum administrationem, nulli etiam ad nutum amouibiles possunt deputari, nisi consensu Ordinarij, & præuio per eum, & eius Vicarium, & Examinatores synodales examine, vt habetur in Concilio Tridentino *sess. 25 de Regul. cap* 11. vnde refert Franciscus Leo *in thesauro fori ecclesiastici, part. 1. cap 8. num.* 20. idipsum decisum fuisse: & subdit, quòd Clemens
89. V I I I. mandauit ita seruari decretum illud Concilij, excipiendo aliqua Monasteria, & Capita Ordinum, non obstante cõstitutione Pij V. qua voluit, vt in omnibus Ecclesiis parochialibus, in quibus cura animarum, etiam Laïcorum, exercetur, habeant Ordinarij facultatem eius Ecclesias, & personas visitandi, & corrigendi.

Alia loca Concilij Tridentini, quæ submittunt Monasteria, & Regulares exemptos iurisdictioni Ordinarij, & præsertim in conuentione causarum coram ipsis Ordinariis, explicabuntur in sequentibus.

Præter casus Concilij Tridentini superiùs enumeratos, in quibus Monasteria, tam sæcularia, quàm regularia exempta Episcopis subduntur, vel eorum exemptio eis non suffragatur, enumerantur etiam alij casus, in quibus prædicta Monasteria, & eorum personæ ab Episcopo conueniri possunt, nihil similiter eis suffragante eorum exemptione.

90. Primus casus habetur ex Concilio Tridentino *cap. 14. de reform. sess.* [illegible] vbi statuitur, quòd Ordinarij tanquam Sedis apostolicæ delegati, in causis mercedum, & miserabilium personarum Regulares debitores cogere & compellere possunt, cum expressa derogatione quorumcunque vnde, si non tanquàm Ordinarij, saltem tamen vt delegati procedere poterunt.

91. Secundus casus, si Regularis extra Monasterium degens deliquerit, ab Ordinario [illegible], tanquàm super hoc à Sede apostolica delegato [illegible], puniri, & corrigi potest ex eodem [illegible] *sess. 6. cap.* [illegible] *perius* [illegible], in hac eadem re [illegible] sed non propter eandem [illegible].

91. T[illegible] casus, ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua agitur, possunt Regulares conueniri coram locorum Ordinariis, *ex cap. 1. de priuileg. in 6.*

Quartus casus, in casu hæresis Regulares exempti 93.
subsunt iurisdictioni etiam Episcoporum, coram quibus conueniri possunt, *ex cap. Ad abolendam. § fin. de Hæret.* & possunt etiam cunueniri coram Inquisitoribus.

Quintus casus, in reddenda ratione alicuius vltimæ 94.
voluntatis, Regulares subduntur Ordinario loci, cui tenentur reddere rationem, & ab eodem Ordinario de mala administratione puniri poterunt *ex Clement. 1. de testam.* item *in casu cap. 1. de priuileg. in 6.*

Sextus casus, potest Episcopus Regulares cogere ad 95
restituenda omnia, quæ à Nouitiis habuerunt, vbi professionem non fecerunt, ex Concilio Tridentino *sess. 25. de Regul. cap. 16.* Similiter, si egrediatur Nouitius ob infirmam valetudinem, & moriatur ante professionem, cùm iste abiisse ante professionem dicatur, non sunt facta bona Monasterij, bona Nouitij. Ita Nauar. *in cons. final. de succes. ab intest.*

Septimus casus, Regulares, quorum Religio extin- 96.
cta est, & à Regularium iurisdictione liberata est, Episcopo subiiciuntur, *cap. 1. de relig. Domibus, lib. 6.* Debent enim supradicti Regulares obedire Episcopo diœcesano, si prædictis Religiosis non permittitur ampliùs in eorum Monasteriis secundùm Regulam viuere, qui Episcopus erit Episcopus originis, vt asserit
Nauar. *in comm. 2. de Regul num. 34.* vbi etiam asserit, 97.
quòd eiecti de Monasterio sunt similiter subiecti Episcopo originis, cui eiecti se offerre debent, vt præcipiat illis, qua in re velit eos occupatos habere: qui 98.
quidem eiecti regularem habitum gerere non debent, sed clericalem, cùm priuati sint habitu regulari: & non sunt cogendi supradicti Regulares redire ad Monasterium, à quo eiecti sunt: hi ergo omnes Regulares supradicti ab Episcopo conueniri possunt, sicut alij Clerici ei subiecti.

Octauus casus, Regulares assumpti ad dignitatem 99.
sæcularem, vt ad Episcopatum, si deinde à tali dignitate se abdicauerint, siue tali dignitate priuati sint, cum semel a Regula absoluti fuerint, in potestatem, atque iurisdictionem Episcopi incidunt. Ita
Federicus de Sen. *in cons. 5. num. 2.* & *cons. 19. num. 4.* 100.
Cardinalis Tusc. *in lit. M. concl* 325. & 328. Idem ait de Monacho professo expulso, si non recipiatur ab aliqua Regula, seu Religione. Idem mihi videtur esse dicendum etiam de Monacho, qui se abdicauerit ab aliqua dignitate, & à Religione suscipitur, vt experientia patet de multis Regularibus, qui hac nostra potestate à prædictis dignitatibus abdicati ad Claustrum redierunt sub obedientia suorum Prælatorum Regularium, in quo casu non possunt conueniri ab Ordinario loci, nisi in illis casibus in sacris Canonibus expressis.

Nonus casus, Regulares possunt conueniri in cau- 101
sis ciuilibus quoad reconuentionem, ratione cuius reconuentionis Ordinarius loci, qui erat Iudex incompetens, efficitur competens, *cap. 1. & 2. de mut. petit. Authent. Et consequenter. C. quomodo, & quando Iudex,* & DD. *in cap.* [illegible] *Clerici. de iud.* & præsertim Felin. *num.* 8. & Francus *decis.* 193. Et ita practicatur communiter sine contradictione vt docet Farinaceius *tit. de inquis. q. 8. limit. 8. num. 9.* vbi hoc asserit de communi. quia hoc procedit ex natura causæ, non ex natura personæ, teste Baldo *in Authent. habita cap. Ne filius pro patre num. 23.*

Aliqui Doctores volunt, quòd Regulares conue- 102.
niri possint, & etiam Clerici sæculares, licèt priuilegiati super hoc, si die Sabbathi Maioris hebdomadæ, antequàm campana cath[illegible], vel maioris Ecclesiæ pulse-

pulsetur, campanas in propriis Ecclesiis pulsauerint: & hoc decisum fuisse à sacra Congregatione Cardinalium die 10. Octobris, 1586. refert *in thesauro fori ecclesiastici, part. 1. de verbi Dei prædicatione, num 21.* Sed hoc limita, nisi priuilegio sint muniti.

Alij assignantur casus, in quibus possunt Regulares conueniri, nimirum, quando Ordinarius esset in possessione Regulares iudicandi, vt dicit Hostiensis *in Sum. de priuil. vers. Qualiter omittatur.* Similiter assignātur vigintiquatuor casus à Socin. Sen. *in c. Recepimus de priuil. & in cap. Ad abolendam. in fin. de Hæret. & in cap. Cùm Cappella. & in cap. Ex ore. de priuileg & in cap. Cùm inter. de consuet. & in cap. Nulli. de sententia excommunicationis, & in cap. 1. de sententia excommunicationis, in 6. & cap. 1. de præbendis, eod. tit. in 6. & cap. Authoritate. de priuilegiis, eod. lib. & in cap. Veniens. de præscript. & Clement. 1. de sepulturis, & in Clement. 2. de stat. Monach. & in Clementina 2. de religiosis Domibus, & Clementina 1. de iure patronatus, Clement. fi. eod. tit. & Clement. fi. de pœnis, & Clement. 1 de sententia excommunicationis,* in quibus casibus Episcopos in Regulares videtur iurisdictionem habere, ac illos conuenire posse.

Præter supradictos casus dantur etiam alij, in quibus possunt Ordinarij locorum Regulares, & exemptos excommunicare, licèt Regula vniuersalis sit,
103. quòd excommunicatio lata ab Ordinariis contra subditos suos, non afficiat Religiosos, & exemptos, in quos iurisdictionem non habent, *cap. A nobis. 1. de sententia excommunicationis* Flor. theol. *in 4. sent tract. de excommunicat. 1. diff. art. 1. concl. 1. cap. Romana. de sententia excommunicationis, lib. 6. cap. 1. §. In eos. de priuil. lib. 6.* In aliquibus tamen permissum est Ordinariis à sacris Canonibus, cēsuras in Regulares, & exem-
104. ptos ferre. Et primò in Prædicatores sine licentia Ordinarij, siue Sedis apostolicæ prædicantes, possunt excommunicationis sententiam ferre, *cap. Excommunicamus. 45. quia verò. de Hæret.* & Gloss. *in cap. 1. vers. Priuilegia. de stat. Monachorum.* Pegna *super Commentar. cap. 13. part 2. directorij Inquisitorum.* nisi priuilegio sint muniti.

105. Secundò, possunt excommunicari, quando auscultarent sæcularium confessiones, etiam Sacerdotum, sine licentia Ordinarij, ex *Clem. Dudum. §. Ac de sepult.* nisi priuilegiis muniti sint,

106. Tertiò, quando Regulares, & exempti absoluerent pœnitentes, quos audiunt in confessionibus à casibus reseruatis ipsi Episcopo ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7.* Ratio est: quia Mare magnum Regularium in omnibus est abrogatum, in quibus contradicit decretis sacri Concilij Trid. per Bullam Pij IV. sub datum Romæ Calendis Martij, 1565. Pontificatus sui anno 6. Dixi, *à casibus reseruatis Ordinario*: quia, si excommunicatos, vel à canone, vel à sententiis latis per statuta synodalia præsumpserint absoluere, inciderent Regulares in excommunicationem papalem: si verò à casibus Bullæ Cœnæ absoluerent, essent excommunicati ipso iure, vt placet Nauarr. *c. 27. n. 74. de Regul.* excommunicatione episcopali: sed posteà per Bullam Cœnæ Domini felicis recordationis Sixti V. & nouissimè per eandem Bullam Sanctissimi D.N. Vrbani VIII. excommunicarentur papali excommunicatione; imò non esset opus, vt in istis casibus excommunicentur, sed vt declarentur tales.

107. Quartò quando non obseruarent, nec publicarent Regulares, & exempti censuras ecclesiasticas à Sede apostolica emanatas, & ab Ordinariis, iisdem mandantibus, *c. Cum & plantari. §. Excommunicatus, de priuil. c. Episcoporum, eod. tit. l. 6. c. Hi; qui. §. Tres verò. de sentent. excommunica. eod. tit.* & Concilium Tridentinum *sess. 25 c. 12. de Regul.*

Possunt excommunicari, quando non obseruant dies festos, quos in Diœcesi sua seruandos præcipit Episcopus *ex cap. De iis. 12. dist.* & Concilium Tridentinum *loc. cit.* 108.

Sextò, similiter possunt excommunicari Regulares, quando degunt extra Claustra, & delinquunt, 109. vt habetur in Bulla Clementis VII. quæ incipit, *Sedis apostolica.* & est 43. apud Laërtium Cherubinum. Videatur Concilium Tridentinum *sess. 6. de reform. cap. 6.*

Septimò, prætereà Regulares ab Ordinariis, quando mitterentur ad regendas Ecclesias suorum Monasteriorum, subditas locorum Ordinariis, excommunicari possunt *ex cap. 1. §. In eos. vers. Si forsan. de priuileg. in 6.* Videatur Concilium Trid. *sess. 7. c. 14. de refor.* in hoc enim casu possunt, stante legitima causa, excommunicari ab Ordinariis. 110.

Octauò, si Regulares habent curam animarum in Ecclesiis curatis Monasteriorum, seu Domorum, tam virorum, quàm mulierum, quoad curam animarum, possunt excommunicari ex dicto Concilio Tridentino *sess. 15. cap. 2. de reform.* vbi excipiuntur tamen aliqui casus, prout ibi. 111.

Nonò, Regulares, si præsumpserint administrare Clericis, aut Laicis Sacramentum extremæ Vnctionis, 112. Eucharistiæ, vel Matrimonij, siue licentia Parochi, excommunicantur *ex Clement. 1. de priuil.* & Gloss. ibi *in 4. notab.* & Caiet. *in Summ verbo excom. cap. 64.* Nauarr. *de Regul. cap. 27. n. 101.* Cardinalis *in d. Clem.* & Syluester *in verb. Excommunicatio. 7. excom. 14. §. 7.* Excusarentur tamen, si in casu necessitatis longè absente Parocho, verbi gratia, bona fide conferrent præ- 113. fatum Sacramentum, cùm in tali casu non sit, illud præsumptuosè ministrare, de qua re multa diximus *tom. 2. huius Operis, disput....*

Decimò, quando proceditur contra Regulares in casibus Religionis, & sanctæ Inquisitionis, in qui- 114. bus sunt subiecti locorum Ordinariis, & Inquisitoribus, *cap. Ad abolendam. de Hæret.* Gloss. *in Clem. vnicæ, vers. A iure. de excessib. Prælator.* & *in Bulla* felicis recordationis Pauli V. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* in Bullar. *fol. 210*

Vndecimò, Regulares facientes egredi Moniales à Monasteriis, etiamsi sint ipsis Regularibus subiectæ, possunt excommunicari ab Episcopo ex Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 5. de Regul.* 115.

Duodecimò, Regulares, si essent executores vltimarum voluntatum *ex Clement. vnica, de testam.* & ibi Gloss. & Panormitan. possunt, data causa, excommunicari. 116.

Decimotertiò, possent etiam excommunicari in actu reconuentionis: quia subiiciuntur iudicio Ordinarij ex Gloss. *in cap. 2. de mut. petit. & in cap. At si Clerici. in vers. Non tenetur. de iudic.* Nec Clericus, siue sæcularis, siue regularis, potest hoc iudicium tergiuersari ex Marant. *pract. part. 4. d. 6. num. 13.* etiamsi reconuentio fiat in foro sæculari, & excommunicatio fieret in foro ecclesiastico. Hostiens. *in Summa de statu Monachorum, § de visitatione, num. 8. & 9.* quod Neapoli hodie practicatur, vt asserit Lauretus de Franchis Neapolitanus *in suis controuersiis, quæst 6. pag. 318.* 117.

An verò possit Episcopus declarare excommunicatos à iure, vel apostolicis constitutionibus Regulares exemptos, habentes priuilegium, vt excommunicari, suspendi, & interdici non possint? Respondeo negatiuè: quia Regulares exempti sunt de iure à iurisdictione Ordinariorum, *cap. 1. de capellis Monachorum:* concessio verò est per verba generalissima ab omni iurisdictione, dominio, & potestate Episcopi, & quorūlibet Ordinariorū: exemptionis autē genera- 118.

lis verba geminata tantùm operantur, quantùm singulis rebus, & casibus, vt dicat Seuillian. *in conf. 66 n. 13.* & Gotier. *in conf. 5. n. 6.* & decisum fuit *in vna Brundusina exemptionis*, 9. Februari, 1579. coram Bubalo, quòd verba generalia exemptionis liberant taliter exemptum ab vtraque lege Diœcesani, & iurisdictionali Episcoporum, quod penes eos nihil remaner: de qua re videatur Grauetta *in conf. 294. n. 1.* & 2. vbi ait, quòd verba generalia habent vim specialis expressionis, vbi mentio indiuidua requiritur, & comprehendit omnia, quæ excogitati possunt: & in eodem loco plures alios Doctores citat, & sequitur.

Opinionem contrariam docuerunt Cardinalis *in Clem. 1. de priuil.* Imola *in Clem. 1. de seq. poss.* Felin. *in cap. Non potest. de sent. & re iud.* Gambara *de potest leg. in Regulares exemptos*, & Panor. *in d. Clem. 1.* Vbi licèt de citatione dubitet, per quam videtur indici exemptionis violatio; tollitur tamen dubitatio à Felino *loco cit.* dum ait, quòd dicta citatio erit similis illi, quæ habet clausulã, *si sua putauerit interesse*; quæ non arctat nolentem cõparere, & potest fieri in non subditum. Sed de hac re actum est *in 2. tom. huius Operis.*

119. Quo verò ad causas, quibus mediantibus fuerunt Monasteria Regularium, cum eorum personis, à Sede apostolica ab Ordinariorũ iurisdictione exempta, videsis *cap. Nimis praua, de excessibus prel.* & *in c. Nimis iniqua. eod. tit.* & *in Clem.* quæ incipit: *Frequens eod. tit. de excess. Prel.* quas causas, seu grauamina, Regularibus illata, propter quæ fuerunt Regulares exempti, in vnũ sub breuitate collegit Laurctus de Franchis *in suis controuersiis inter Episcopos, & Regulares, pag. 304. quæst. 4.* quæ hîc recensere mihi visum est.

☞ PLerique, tam Ecclesiarum Prælati, quàm alij, Viros Religiosos ad Synodos suas accedere, ac suis constitutionibus subiacere compellebant, Capitula, & scrutinia in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se comminantes, fidelitatem iuramento firmatam ab eorum Ministris, & Custodibus exigebant. Ipsis, vt extra ciuitates, quàm intra, cum eis processionaliter venirent, ex leui causa mandabant. Excommunicationis sententiam pronunciabant in ipsorum benefactores, idipsum Fratribus comminantes. Ne Fratres ad honorabiliores ciuitates, & villas, vbi religiosè, ac honestè possent commorati, à populis deuotè vocati accederent, inhibentes; tam in accedentes Fratres, quàm in receptatores ipsorum excommunicationis sententiam fulminabant. Ab ipsis de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis Fratrum, sicut de Iudæorum domibus extorquebant. Eos de locis, in quibus Deo seruiebant, amouere conabantur. Nonnulli statuta faciebant, per quæ derogabant priuilegiis exemptorum, vt ipsos suæ subderent totaliter ditioni; eisdem Ministros, & Custodes volebant præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Et generaliter quamplures Prælati, Religiosis præsertim exemptis, & priuilegiatis in rebus & personis suis, ac iuribus spiritualibus, & temporalibus contra iustitiam, & eorum priuilegia graues inferebant iniurias, & iacturas. Volebant contra ipsorum Regulam à Sede apostolica approbatam, & Ordinis instituta, ipsorum Confessiones audire, ac eis iniungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere. Nolebant, vt Corpus Christi in eorum Oratoriis reseruaretur. Fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas sepeliri, & eorum exequias celebrari cõpellebant. Si quis decedentium Fratrum alibi, quàm in suis Ecclesiis elegisset sepulturam, funus priùs ad Ecclesias suas deferri cogebant, vt oblatio suis vsibus cederet. Nec sustinentes eos habere campanam, & cœmeterium benedictum, certis horarum temporibus permittebant ipsos celebrare diuina. Volebant in eorum Domibus certum numerum Fratrum Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum pro sua voluntate taxare; residuum ceterum, quando nouiter apponebantur, ab ipsis exigentes. Nec permittebant, quòd noui Sacerdotes eorum alibi quàm in suis Ecclesiis primas Missas celebrarent; eos nihilominùs cogentes, vt in quotidianis Missis, quas in suis locis, & Altaribus celebrabant, oblationes ad opus eorum reciperent, & reseruarent. Quidquid eis inter Missarum solennia, intra Domorum suarum ambitum pia fidelium deuotione donabatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendebant. Viros Religiosos, etiam exemptos, capiebant, & carcerabant, etiam in casibus non concessis à iure. Per grauium interminationem pœnarum impediebant, ne debentes exemptis decimas, seu redditus, illos soluerent eisdem, nève aliqui Missas eorum audirent. Contra molentes in molendinis Monachorum, & coquentes in furnis eorum, seruitutes quoque, & vasallos, & domesticos eorundem, vel alios qualitercunque contrahentes, & participantes cum ipsis suspendebant, interdicebant, & excommunicabant absque causa rationabili pro libito voluntatis. Appellationibus, quas prædicti exempti ob præfata, vel alia grauamina rationabiliter interponebant, quandoque minimè deferentes, appellantes, occasione appellationum huiusmodi, interdum capi, & carceri mancipari præcipiebant. Capellanos in Ecclesiis pleno iure spectantibus ad eosdem (licèt nulla causa subesset legitima) celebrare non sinebant, nec ministrare Parochianis ecclesiastica Sacramenta. Contra Abbates, & Monachos, & Conuersos exemptos, necnon & Clericos ipsis pleno iure subiectos, eis non parentes, in quibus non tenebantur, inconsulta facilitate in carceribus detentos, suspensionis, & excommunicationis sententiam proferebant; loca, & Ecclesias ipsorum interdicentes. In exigendo ab ipsis exemptis, eorúmque subditis subsidia charitatis, nimiùm contra eos excedebant, insolitas, ac indebitas ipsis, contra iura exactiones imponentes. Ecclesiis vacantibus, in quibus Monasteria ius obtinebant patronatus (repulsis personis idoneis ad eas præsentatis,) personas inhabiles instituebant, & indignas. Processus iustè factos, seu sententias iustè latas à delegatis Sedi apostolicæ, vel à Conseruatoribus pro exemptis, publicari, seu exequutioni demandari à suis subditis non permittebant. Tabellionibus publicis, ne instrumenta conficerent, inhibebant; & Iudicibus, ne iustitiam redderent; & Iurisperitis, ne consilium, vel auxilium præberent in causis, seu negotiis ipsorum. Nouos census, & indebita onera parochialibus imponebant Ecclesiis, in quibus exempti ius obtinebant patronatus Ecclesias curam animarum habentes ad mensam Abbatum spectantes, quarum fructus Clericis sæcularibus quandoque ad firmam concedebant, ipsis decedentibus, suis Clericis conferebant; quamuis Ecclesiæ in rei veritate non vacarent. In Ecclesiis Monachorum iura ipsorum sibi iniustè appropriantes, equos, boues, thesaurum, & alia bona Monasteriorum mobilia, & immobilia illicitè occupantes; de ipsorum reditibus pro libito voluntatis ordinabant, ita vt Rectoribus ipsarum non remaneret, vnde possent sustentari. Quandoque cum armis, & vexillo erecto molendina, & alia exemptorum bona contra iustitiam destruebant, quæ etiam tanto tempore possederant, quòd de contrario memoria non existeret. Frequenter mittebant ad Monasteria suarum ciuitatum, & diœcesium suos consanguineos, nepotes, & interdum animalia sua, cum custodibus, vt eis de bonis Monasteriorum prouideretur. Abbates, & Priores Monasteriorum sæpissimè compellebant, vt suis consanguineis

ſanguineis, & nepotibus Monaſteriorum ſuorum, & Prioratuum poſſeſſiones concederent in perpetuum, vel ad tempus. Permittebant etiam, & tacitè conſentiebant, quòd in ſuo dominio temporali per milites, vaſallos, & ipſorum temporales Officiales; Monaſteriorum bona mobilia, & immobilia per violentiam occuparentur in caſibus non permiſſis à iure, varias iniurias perſonis eccleſiaſticis inferentes. Interdum Abbates, Priores, & alios beneficiatos ſuis beneficiis iniuſtè priuabant, vt ſic fructus beneficiorum vacantium primi anni poſſent percipere. Cogebant ſæpiſſimè Abbates, & Priores Monaſteriorum ad ſibi præſentandum ſuos familiares conſanguineos, vel nepotes ad Eccleſias vacantes, in quibus ius obtinebant patronatus. Sine iuſta cauſa impediebant, ne exempti loca ſua poſſent reparare.

DISPVTATIO VI.

De poteſtate Abbatum, & Prælatorum regularium, quoad Nouitios recipiendos, eóſque ad profeſſionem admittendos.

QVÆS. I. An ſpectet ad Abbatem ſolum recipere Nouitios; an verò etiam ad alios ſibi ſocios, & collegas, ſiue Capitulum.

II. Quam ætatem requirere debeat Abbas in Nouitiis recipiendis.

III. Quæ perſonæ ad habitum Religionis admitti prohibeantur Abbatibus, & aliis Prælatis Regularibus.

IV. De informationibus circa Nouitios acceptandos, & aliis Prælatis ſuperioribus habendis.

V. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares, omittentes informationes circa Nouitios, peccent mortaliter, & incurrant in pœnas Bullæ Sixti V.

VI. De quibus Abbas Nouitios recipiendos admonere, & qualiter cum iis ad habitum admiſſis ſe gerere debeat.

VII. Quid ſit ab Abbatibus, & Prælatis regularibus circa probationis annum ſuorum Nouitiorum, & locum, in quo Nouitij educantur, præcauendum.

VIII. Quid obſeruare debeant Abbates, & Prælati regulares circa habitum ingredientium Religionem.

IX. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares poſſint aliquid à Religionem ingredientibus, vel egredientibus, pro expenſis in Nouitiatu factis accipere.

X. Quid ſit ab Abbatibus, & Prælatis regularibus circa renunciationem bonorum ſui Nouitij præcauendum: & quæ contineantur, vel non, in Decreto Concilij Trid *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.*

XI. De tempore probationis Nouitiorum, & quid ab Abbatibus in tali probatione præcauendum ſit.

XII. In qua ætate debeant Abbates, & Prælati regulares Nouitios ad profeſſionẽ admittere; & an aliqua pœna afficiãtur in hac re ſacris Canonib. contrà faciẽtes.

XIII. Vtrùm in quacunque profeſſione, tam expreſſa, quàm tacita, idem tempus, & ætas in Nouitiis requiratur.

XIV. Vtrùm oporteat profeſſionem fieri in manibus Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium, vel de ipſorum licentia.

XV. Vtrùm Abbas ſolus, ſine Monachorum conſenſu, vel conſilio, poſſit ad profeſſionem Nouitios recipere.

XVI. De conditionibus validæ profeſſionis.

XVII. Vtrùm profeſſio inualida ſit ratificanda, tam ab Abbate, & Conuentu, quàm à profitente.

XVIII. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares, vel alij, ad quos ſpectat, Nouitios ad profeſſionem admittere, poſſint aliis delegare, vt dictos Nouitios ad profeſſionem admittant; & an poſſint eandem profeſſionem in aliquo caſu prorogare, & differre.

XIX. An profeſsio excommunicati per Abbatem recepta valeat, peccétque Abbas excommunicatum ad profeſſionem admittens.

XX. An Abbas cenſura innodatus ad profeſſionem aliquem admittere valeat.

XXI. An profeſſio facta in manibus Epiſcopi, ſine Abbatis, & Conuentus licentia, valeat.

XXII. De his, quæ circa formam profeſſionis ab Abbate ſunt prænoſcenda.

XXIII. An pro ratificatione inualidæ profeſſionis exquirere debeant Abbates, & Prælati regulares, exteriorem profitentis conſenſum; & an profitens conſenſum Abbatum, & Prælatorum exquirere teneatur.

XXIV. An Abbas iteranti professionem præcipere debeat, vt nouum annum probationis expleat.

XXV. Intra quod tempus Monachus contra professionem inualidam reclamare possit; & quam pœnam incurrat, si reclamet contra professionem validam.

XXVI. Quibus ex causis competere possit Religioso ius reclamandi contra professionem à se emissam.

XXVII. De priuilegiis, quibus fruuntur Nouitij regulares, & de effectibus gratiosis, quos in eis causat Religionis professio; ac de aliis priuilegiis, exemptionibus, & immunitatibus eorundem Nouitiorum.

XXVIII. Vtrùm Nouitij puniendi sint pro suis delictis à Iudice sæculari, vel ecclesiastico.

QVÆSITVM I.

An spectet ad Abbatem solum recipere Nouitios; an verò etiam ad alios sibi socios, & Collegas, siue capitulum.

SVMMARIVM.

1 *Religio quid sit.*

2 *Nouitij, qui dicantur.*

3 *Religionem ingredi non potest, qui ab ea non recipitur.*

4 *Potestas recipiendi Nouitios reperitur in qualibet Religione approbata, & quomodo.*

5 *Abbas in Religionibus Ordinis S. Benedicti tenetur in receptione Nouitiorum ad validitatem actus, consilium Capituli adhibere.*

6 *Vota, seu suffragia Capituli Congregationum Ordinis S. Benedicti, sunt consultiua, non verò definitiua.*

7 *Religionis Regula, priuilegia, vel consuetudines in receptione Nouitiorum attendendæ sunt.*

8 *Consensus saltem aliquorum Patrum requiritur in receptione Nouitiorum.*

9 *Abbas, seu Prælatus, qui Seniorum, & Collegarum consilium postulare tenetur, debet eorum consensum expectare, & sequi.*

10 *Collegæ, & Seniores an teneantur consentire, an verò sufficiat, vt maior pars consentiat, ad validitatem receptionis Nouitij.*

11 *Nouitij receptio facta, si ex tribus Collegis vnus tantum cum Generali, vel Prouinciali consentiat, valida est; secus si contradicente Generali omnes Collegæ consentiant, vt num. 12*

13 *Abbas se solo, aliis Collegis sine rationabili causa consensum denegantibus, vel imminente necessitate, & periculo, an validè recipiat Nouitium, & num. 14.*

15 *Abbas sine consensu Collegarum inualidè Nouitium admittit.*

16 *Nouitius, in quo concurrunt conditiones requisitæ, debet à Collegis ad religionem admitti.*

1. Religio, secundùm Augustinum *de vera Religione*, à religando nos Deo, dicta, cæteris modis, quibus distingui, & sumi posset, relictis, prout Glos. *in cap. Ex multa de vot.* asserit, & prout ad nos pertinet, est Collegium, vel Vniuersitas hominum Deum colentium; & stricto, & proprio modo, &, vt nos loquimur ex Religiosis alicui Religioni per apostolicam Sedem approbatæ per professionem addictis componitur, & hi propriè Religiosi dicuntur, *cap. Quod votum. §. præsenti, de vot. lib. 6.* in qua Religione tria vota substantialia promittuntur, *arg. d. cap. Ex multa. de vot.*

2. Antequàm autem professio ab huiusmodi Religiosis fiat, præcedere debere Nouitiarum, iure cautum est. Nouitij autem dicuntur, qui, habitu Religionis accepto, nondum professione adstricti experiuntur Religionis austeritatem. Syluest. *in verbo, Religio, §. in princ.* Priùs ergo de potestate Abbatis, quoad Nouitios; & deinde quoad professos dicendum videtur.

Cùm autem quis Religionem ingredi, & religio- 3.
sum habitum assumere nequeat, nisi ab ea recipiatur, & nisi interueniat, qui habitum illi tradat, cùm sint inter se correlatiua, & veluti partes humani contractus, qui non potest, nisi mutuo consensu perfici. Panormit. *in cap. Porrectum, n. 10. de regular.* videndum est, an ad Abbatem spectet habitum Religionis concedere, ac Religionem ingredi volentes recipere.

Vt autè hoc rectiùs explicetur, supponimus certum, & indubitatum esse, hanc potestatem, primò, & principaliter in Summo Pontifice reperiri. Sed, cùm ipse Summus Pontifex immediatè illa vti non soleat, idcircò eam in alio proximè reperiri necessarium est.
Constat secundò, hanc potestatem immediatè reperiri 4.
in qualibet Religione approbata per Summum Pontificè, quæ potestas ex vi approbationis apparet: approbare enim Religionem, est concedere omnia ea, quæ ad vtilitatem, conseruationem, & gubernationem Religionis pertinent: sed conseruatio Religionis non potest fieri absque receptione Nouitiorum, & potestate illos recipiendi; ergo, &c aliàs frustratoria esset approbatio: imò in ipsa approbatione Religionis intrinsecè hæc potestas confertur, & includitur.

Hæc autem potestas licèt sit in toto corpore Religionis; non tamen potest immediatè ab vniuersa Religione exerceri, ex quo tota Religio moraliter nequit ad singulos recipiendos congregari. Sequitur ergo eam esse in prælatis, quibus Religionis cura demandata est. Reperitur autem in quolibet immediato Monasterij Prælato, vt tradit Gloss. *in cap fin. de regular. lib. 6.* quam dixit communiter receptam Sanch. *in Decalog. lib. 4. cap. 16. n. 52.* Quod insuper clarè probatur *ex cap. Ad apostolicam*, & *ex d. cap. Porrectum, de regular.* Quod intelligendum est, nisi in ea Religione potestas admittendi Generali, vel alteri Superiori reseruata sit; vel nisi Generalis, vel alius Superior iustis de causis immediatis Conuentuum Superioribus præcepissent, ne aliquos ad sua Monasteria reciperent. Ita in simili docent Azor. *moral. instit. part. 1. lib. 11. cap. 22. q. 2.* Nauar. *lib. 3. consil. tit. de voto, consil. 2. num 3.* Sanch. *eo cap. 16. & num. 52.*

Cùm autem hæc potestas eis competat ex vi sui muneris, quod est eam ordinariam habere, vtique poterunt illam alij delegare: quia habens iurisdictionem ordinariam, potest eam aliis delegare, *l. More. ff. de iurisd. omn. iudic. l. Cognitio. §. Cum propria ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. cap. Cùm Episcopus. de offic. Ord. lib. 6.*

Superest nunc videndum, an solus Abbas, absque 5.
consensu Capituli, id exequi valeat. Ad quod respondeo, in Regula D. Patris Benedicti haberi, quòd præcipua Monasterij debet Abbas cum Capituli consilio expedire, vt patet *eiusdem reg. cap. 3.* Sed, cùm creatio Monachorum sit ex præcipuis in Monasterio,

dicendum, conſilium ſimul Capituli in creatione Monachorum requiri; & neceſſarium eſſe, quia conſultatione omiſſa, actus foret nullus per ea, quæ notantur *in c. Nouit.* iuncta Gloſſ. *de his quæ fiunt à Præl. ſine conſenſ. Capit.* & ex Bart. & adductis ab ipſo *in l. prima, §. Si pluries. ff. de exercitatoria act. num. 3. & 4.* & Burſat. *lib. 1. conſ. 90.* Ita etiam tenet Panormit. *in cap. Ad apoſtolicam. de regular.* & Gloſſ. *in cap. vltim. eodem titul. in 6.*

6. Animaduertendum autem eſt, in Regula etiam D. Patris Benedicti expreſsè ſtatui, & declarari, vota Capituli non poſtulari vt definitiua; ſed tantùm, vt conſultiua, quod patet *ex d. cap. 3.* Vnde conſultatio tantùm erit ad validitatem actus neceſſaria, nec opus eſt illorum iudicium ſequi, & conſenſum expectare; ſed ſatis eſt requirere, & expectare reſponſum. Ita Syluester *verb. Religio, 3. num. 13.* Nauar. *comment. 3. de regular. num. 5.* & hæc quantùm ad Abbates ſub Regula D. Benedicti militantes.

Pro cæteris autem Abbatibus, & Prælatis, ſub aliis Regulis degentibus, non ſatis iure communi cautum eſt, an ad ſolos ipſos ſpectet Monachorum receptio, an ſimul cum Capituli conſilio: nam in ipſo iure communi ſupponitur, interdum ad Abbatem ſolum, interdum ad Abbatem, & Capitulum ſimul ſpectare Monachorum creationem, vt patet *ex d. cap. vlt. de regular. in 6.* & notat Suar. *de Relig. tomo 3. lib. 5. c. 10. num. 6.* quòd cùm indefinitum remaneat, in vnaquaque Religione attendenda eſt, vel Regula, vel

7. Priuilegium à Sede apoſtolica circa hoc conceſſum. Quòd ſi fortè acciderit, (quod moraliter vix accidere poteſt,) non reperiri in eius Regulis, Conſtitutionibus, vel priuilegiis hoc definitum, attendenda eſt conſuetudo, vt benè notat Panorm. *in d. cap. Porrectum. de regul. num. 5. & 6.* & *d. cap. Ad apoſtolicam, n. 4. & 12.* & Gloſſ. *in d. c. vltim. de regul. in 6.* quem ſequitur Archidiac. & alij quamplures, quos refert, & ſequitur Suar. *loco citato, num. 5.*

8. Verùm, licèt de iure communi hoc in dubium reuocari poſſit; tamen poſt conſtitutionem Sixti V. omninò certum remanet, hunc conſenſum neceſſarium eſſe: quia prædictus Pontifex, *per ſuam conſtitutionem* incip. *Cùm de omnibus.* relatam ſimul cum alia, ad eius declarationem ab eodem Pontifice edita *in Bullario nouo* Laërt. Cherub. *tomo 2. conſtit. 71. Sixti V.* præcepit, ne quis ad regularem Ordinem admittatur, niſi in Capitulis generalibus, vel prouincialibus, accedente Definitorum conſenſu: & licèt hanc conſtitutionem poſteà idem Pontifex moderatus ſit *per aliam ſuam*, incip. *Ad Romanum ſpectat Pontificem*, in Bullar. *loco cit.* tamen mandauit, Nouitiorum receptionem fieri accedente aliquorum Patrum conſenſu. Et Clemens VIII. in priuilegio ſuper hac re Priori, ac Conuentui Fratrum Prædicatorum Sancti Stephani Salmanticenſis, necnon in alio Præpoſitis, & Religioſis Congregationis Clericorum Miniſtrantium infirmis conceſſo, ſemper aliquorum Patrum conſenſum requirit. In aliquibus Congregationibus ſtatutum eſt, vt à P. Præſidente Generali, & à Prælatis cum conſilio ſeniorum poſſint in ſingulis Monaſteriis Collegiatis recipi Nouitii, dummodo illorum redditus, & habitatio ſufficiant, ad ſex Nouitiorum numerum ad minus ſuſtentandum, præter Monachos conſuetos, & ad diuinum cultum, & Cœnobij miniſteria neceſſarios. Ita habetur *cap. 40. conſtit.* Vnde conſtat eſſe Patri Præſidenti Generali neceſſarium Seniorum conſilium; quod non ſolùm petere; verùm etiam ſequi tenetur: quia in hoc Seniores ſunt tanquam eius Collegæ, & participes receptionis Nouitiorum ad habitum.

9. At, quando quis conſilium ab aliis, tanquàm à Collegis, & participibus officii poſtulare tenetur, debet eorum conſenſum expectare, ac ſequi, vt docent Bartol. *in l. 1. §. Si plures. num. 7. ff. de exercit. act.* Innocent. *in cap. Venerabili. de offic. delegat.* allegatus à Franch. *in cap. vnic. §. Vbi verò, num. 5. ne Sede vacante, lib. 6.* Sanch. his & aliis relatis *in Decalog. lib. 5. c. p. 4. num 65.* Alia, quæ pro huiuſmodi conſenſu præſtando deſiderantur, dicemus inferiùs tractando de admiſſione ad profeſſionem.

Ex ſupradictis oritur prima difficultas, an omnes ſupradicti Collegæ, & Socii teneantur conſentire; an verò ſufficiat, quòd maior pars cum Abbate, vel Prouinciali ex omnibus coniunctis conſentiat. Reſpondeo cum Laurentio de Peyrinis *tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 1. num. 19.* & Barth. de Vecch. *in praxi Nouitiorum, diſput. 7. dub. 2. num. 9.* ſufficere, ſi maior pars illorum coniunctorum conſentiant, vt elicitur ex Gloſſ. *in cap. Paſtoralis, verbo, Si plures, de reſcript.* quod etiam habetur expreſsè *in conſtitutione ſuprà citata* Sixti V. Vnde, ſi plures cum Prouinciali, ſiue Abbate conſentiant; ita vt maior illorum pars probet receptionem, tunc ſufficienter acceptatus erit Nouitius in Religione. Videatur Socinus *conſilio 41. num. 2. in fine, volum. 1.* vbi de ſimili caſu loquitur. Dixi, *cum Prouinciali, vel Abbate:* quia, etiamſi conſultores omnes, & Collegæ in receptionem conſentirent, & ſolus Superior contradiceret, nullo modo propoſitus eſſet receptus: quia facultas recipiendi apud Superiorem reſidet principaliter, ſine cuius conſenſu nullus recipi poteſt, vt docet idem Socinus *eodem loco*, & Rodriq. *tom 3. qq. regul. q. 10. art. 2.* Rota *in vna nullius iuriſdictionis*, 10. Ianuarij, 1620. coram Eminentiſſ. Caualerio. 10.

Secùs autem dicendum eſt de conſultoribus, & ſociis quoad examinationem conditionum Nouitiorum recipiendorum, vt benè probat Bartol. de Vecchiis *loco cit. num. 8.*

Secunda difficultas, an ex ſi ex tribus Collegis, & Sociis vnus ſolus cum Abbate, vel Prouinciali conſentiat, reliquis contradicentibus, Nouitius propoſitus ſit recipiendus. Reſpondet Laurentius de Peyrinis *loco cit. num. 21.* affirmatiuè, loquendo de Ordine ſuo Minimorum: quod ibi optimè probat ex ſuis conſtitutionibus, & etiam ex Bulla citata Sixti V. & ex iure communi, & præſertim *ex c. Ex litteris, de prob.* & *cap. Inter dilectos. de fide inſtrum.* quæ rationes & iura affirmatiuam reddunt reſponſionem pro aliis Religionibus. 11.

Tertia difficultas, ſi omnes Collegæ, & Socij conſentiant, diſcrepante Abbate, vel prouinciali, aut Generali, an propoſitus ſit recipiendus in Religione. Reſpondet Roder. *tom 3. qq. regul. q. 10. art. 2.* negatiuè: quia facultas recipiendi Nouitium reſidet principaliter apud Superiorem, ſine quo quiſquam nequaquam recipi poteſt, vt *ſuprà* diximus. 12.

Quarta difficultas, ſi ſocij & Collegæ ſine rationabili cauſa conſenſum denegent, an poſſit Abbas per ſe ſolum Nouitium recipere. Reſpondet Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. num. 11.* affirmatiuè: quia quotieſcunque conſenſus eſt in aliquo actu neceſſarius, ſi, qui illum præſtare debet, ſine cauſa denegauerit, habetur pro præſtito, eò quòd per illum dicitur non eſſe præſtitum, habetur *ex l. In iure ciuili. ff. de reg. iur.* & *cap. Licet. §. Talis ergo. de regular.* & DD. *in l. Non ſolum. §. de voluntate. ff. ſolut. matrim.* quod etiam deciſum fuit à S. Rota Romana *deciſ. 91. num. 5. part. 2. in recent.* & Peyrinis *loco citatio, num. 22.* vbi dicit, quòd non eſt neceſſarium, vt in receptione Nouitiorum, vota occultè promantur; ſed poteſt publicè haberi conſenſus, vt cenſuit Sacra Congregatio in caſu, quo examinatores iuxta Concilium Trid. *ſeſſ. 14. de reform. cap. 18.* debent ferre iudicium de- 13.

G 4 promo

promouendis ad beneficia: quod obseruatur in Ordine Prædicatorum in praxi, vt docet Festus 2. *part. constit. illius Ordinis, cap.* 2. Possunt tamen per suffragia secreta etiam Socij consensum præbere, si consuetudo talis extet in Religione, vel si Prælatus ægrè ferat, quòd ei contradicatur.

14. Idem dicendum est, stando in responsione immediata huius dubitationis, vbi imminet necessitas, & periculum, quando Superior nequit commodè cõsensum requirere: tunc enim poterit recipere venientẽ ad suum Ordinem, & Monasterium absque consensu, contra Sanchez *lib. 1. de matrim. disput.* 24. *num.* 26. Hoc habetur in Gloss. *in cap. Si pro te. verbo, Assensus, de rescript. in* 6. Felin. *in cap. Cùm accessissent. de constit. num.* 20. Bartolus *in l.* 1. §. *Si plures. ff. de exercit.*

15. Quinta difficultas, si Abbas sine consensu, & consilio Collegarum, & Sociorum; aliquem Nouitium admittat, an talis admissio sit valida, néc ne: Respondeo, quòd admissio huiusmodi nulla est defectu potestatis: & non valet, quod ab aliquo factum est, quando id ab eo fieri non poterat sine alterius consensu, *ex l. Titium. in princ. ff. de administr. tutor.* & sic ille Nouitius admissus à quocunque Abbate, expelli poterit absque eo, quòd illi aliqua irrogetur iniuria: secùs dicendum est, si Socij Abbatis, & Collegæ tacitè consentirent, saltem non contradicendo Abbati in tali receptione, vt colligitur ex Innocentio *in cap. In Genesi. de elect. num.* 5. Idem dicendum erit de Nouitio recepto à non habente authoritatem: quia posset eadem ratione habitu expoliari, nisi Abbas, & alij habentes authoritatem, ratam haberent talem receptionem, quæ quidem receptio tunc incipiet à tempore ratihabitionis; non autem quando habitu regulari indutus fuit: quia annus probationis, ad hoc vt sit legitimus, debet incipere à legitima receptione habitus, vt benè docent Roderiq. *qq. regul. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 10. Rosella *verbo, Nouitius, num.* 25. Bartholomæus a S. Fausto *in thesauro Relig. lib.* 5. *q.* 239. *num.* 1.

16. Sexta difficultas, si propositus Nouitius habet conditiones requisitas, an teneantur Socii, & Collegæ eum ad Religionem admittere. Respondeo, si nulla interueniat rationabilis causa, quòd debent illum admittere. Ita Laurentius de Peyrinis *loco cit. n.* 24. Si verò deputati aliquem admittant, conditiones requisitas non habentem, graue peccatum committunt, cùm grauis materia sit, & prohibita à sacris Canonibus, & præsertim à cõstitutionibus Sixti V. & Clemẽtis VIII. & insuper incurrunt priuationẽ vocis actiuæ, & passiuæ, & dignitatum, quas habent, & incapacitatis ad illas, & alias obtinendas in futurũ, dummodo malitiosè illum admittant: secùs verò dicendum est de iis, quibus bona fide sumptis informationibus recipiendum apparuit nullum habere defectum, licèt posteà in Religione constet illum esse vitiosum: nam illæ pœnæ ponuntur contra temerè admittentes. Ita Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. dub.* 5. *num.* 3. Portellus *in dub. Regul. verbo, Nouitij inform. num* 6. Rodriq. *loc. cit. q.* 10. *art.* 12. Ledesma *de stat. Relig. in comm. cap.* 6. *concl.* 6. *diff.* 1.

QVÆSITVM II.

Quam ætatem requirere debeat Abbas in Nouitijs recipiendis.

SVMMARIVM.

1 *Ætas quæcunque sufficit ad hoc, vt de iure naturali recipi quis possit ad Religionem, modò etiam vsum rationis habeat, quæ etiam ætas sufficit de iure ecclesiastico, vt num.* 6.

2. *Infantia vsque ad annum septimum completum protrahitur.*

3 *Pueritia a septimo anno vsque ad duodecimum in fœmina, & ad quartumdecimũ in masculo protrahitur.*

4 *Pubertas in fœmina incipit completo anno duodecimo, in masculo quartodecimo.*

5 *Nouitiatum incipere, & Religionis austeritates experiri nemo aptus est ante pubertatem.*

7 *Ætatis præscriptio facta à Concilio Tridentino quoad ingressum Religionis, an innouauerit ius antiquum.*

8 *Pubes Religionem ingredi potest, etiam parentibus inuitis.*

9 *Impubes cum parentum consensu Religionem ingredi potest, ibique remanere, nisi intra annum parentes reclamauerint.*

10 *Annus ad reclamandum concessus à quo die computari debeat.*

11 *Pubertas, si compleatur intra annum ad reclamandum concessum, quid iuris.*

12 *Impuberem à Religione extrahere propria authoritate, nec pater, nec mater, vel magister, siue alius quicunque eius custos potest.*

13 *Mater, patre non repugnante, potest filium Religioni offerre, & ab ea reuocare, sicut pater; & tutor, vt num.* 15.

14 *Impubes à parentibus Religioni oblatus non poterit ante pubertatem resilire; liberum tamen est Abbati, illum quocunque tempore expellere.*

16 *Impubes egredi non potest ante pubertatem, licèt parentes, vel tutores non obtulerint; sed dissimulauerint anno, & die post ingressus notitiam.*

17 *Pater, inuito auo; vel mater, inuito tutore: an possint impuberem Religioni offerre, vel reuocare, vide remissiuè.*

Frustrà esset ostendisse de facultate pertinente ex parte recipiẽtis, nisi pariter ostenderetur de facultate ex parte recipiendi: & ex requisitis ex parte modi, ad hoc vt actus legitimè exerceri possit. Agẽdum est ergo de his, circa quos, & quibus modis, & circunstantiis à iure canonico, vel ex ipsa rei natura requisitis possit hanc facultatem exercere Abbas. Et primò dicam generaliter in iis, qui sunt recipiendi, duo considerari, vel capacitatem ex iure naturali, vel ex iure canonico. Primo modo in quacunque ætate recipi posse omnes homines rationis vsum habentes, patet: nam, cùm ratio sit hominis constitutiua, & cùm hic actus pendeat à libera voluntate, cuius obiectum est ratio, requiritur vsus rationis ad deliberandum: vsus autem rationis, quando in homine inchoauerit, non satis distinctum, & expressum per certam ætatis determinationem reperitur: alij enim homines segniùs, alij velociùs animi iudicium habent. Sufficit ergo dicere, quòd in quacunque ætate doli capax erit, & vsus in illo rationis ad mortaliter peccandum erit sufficiens, & consequenter, ad eligendum hunc perfectionis statum, & diuino cultui se dedicãdum sufficiens erit: quia cùm doli capax possit se obligare Diabolo per peccatum, & homini per sponsalia, *cap. Pueris. extra de delict. puer.* multò fortiùs Deo. Vide Gloss. 20. *q.* 1. *cap. Quòd intra annos.* Innocent. *in cap. Scriptura, n.* 3. & *ibi* Hostiens. *n.* 7. Ioann. Andr. *n.* 3. Card. *n.* 6. *q.* 11. *&* 13. *de voto, & voti redempt.* & aliis apud Sanch. *in Decalog. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 5. & hoc de iure naturali. De qua re optimè Suar. *de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 1. Et vide ibi plura distincta, quæ prolixiùs foret adducere, nec non etiam Sanch. *loco cit.* 1.

Sed aduertendum est, tres ætates distinguendas esse. 2.

esse in præsēti materia. Prima est infantia, qua puer dicitur infans vsque ad annum septimum perfectum. Ita Gloss. *in l. Etiam infantem. ff. de adopt.* & *in l.* 1. §. *imitium. ff. de postulat.* vt etiam benè ostendit Menochius *de arbitr. iud. lib.*2.*casu* 57.*n.*9. vbi fatetur de
3. commuoi DD. sententia. Seconda ætas est pueritia, quæ expleto septennio incipit, ex eodem Menoch. *loco cit. num.* 20. cum pluribus DD. ab eo *ibidem* cumulatis, & iuxta D. Thomam *in* 4. *dist.* 27.*q* 2.*art.* 2. ab omnibus receptum est, quòd completo septennio incipit in pueris vsus rationis. Puerilis tamen ætas, prout ad rem nostram facit, incipit infra annus pubertaris, quando puer est capax doli, & sufficientem habet vsum ad mortaliter peccandum, ac proinde ad
4. votum emittendum: hæc autem pubertas, siue, vt ita dicam, tertia ætas, respectiuè ad alias supradictas duas ætates, in masculo incipit completo 14. anno; in fœmina verò duodecimo, vt habetur *in* §. *Nostra autem maiestas. instit. quibus modis tutè fin.* & *l. final*, C. *quando tut. vel. cur. esse desit.*

5. Ante huiusmodi pubertatem nullus est aptus habitum Religoois recipere, quoad Religionis austeritates experiendas, & Nouitiatum incipiendum. Ita Lessius *lib.*2.*de iust.& iur.cap.*41.*dub.*3.*n.*35. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4.*n.* 22. Axor *part.*1.*lib.*12 *cap.* 2.*q.*4. Syluester *verbo*, *Religio*, 5.*q.*1. Angelus *verbo*, *Nouitius*, §.1. Rosella *eodem verbo*, *n.*9. Armilla *similiter. n.* 1. & Tabien. §. 1. quod probatur *ex cap. Si in qualibet.* & *cap. Puella.*20.*q.*2.*cap. Ad nostram. cap. Cum virum. cap. Postulasti. de Regul. cap.*1.& 2.*in* 6. Quomodo verò possunt aote pubertatem pueri habentes vsum rationis habitum religiosum recipere, paulò inferiùs dicetur.

6. De iure etiam ecclesiastico similiter, nec satis constat, quanam ætate recipiendi, & Religionis cultui applicandi sint homines; sed tantùm rationis vsum, & doli capacitatem requiri: quod pariter etiam ante pubertatem euenire poterit. Ita docent Armilla *verb. votum, n.* 6. Sotus *de iust. lib.*7.*q.*3.*art.*2.*col.*3. Caiet. *in summa, verb. Votum, cap.*3.§.*Imperfectio autem ætatis.* Manuël 2.*tom. Summa, cap.*91.*n.* 1. & 2. Nauarr. *lib.* 3 *consil. tit. de regular. cons.* 29. & 30. Sanch. *d. cap.*
7. 18.*n.*6. Et quamuis Concil Trident. *sess.*25.*de regular. cap.* 15. tēpus professionis expresè determinet dicens: *Nemini liceat profiteri ante* 16. *annum expletum, neque qui minori tempore quam per annum post susceptū habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* non ideò sequitur, colligi debere, quòd probationis tempus debeat incipere in decimoquinto expleto, neque non licere pueris ante huiusmodi tempus Religionis habitum assumere. Nam debuisset id expresè præcipere, vel declarare, cùm sit res grauis momenti, & limitans aliquo modo naturalem libertatem. Imò ipsum Concilium Tridentinum *cap. sequenti eiusdem sess.* præcipiens Superioribus, vt finito tempore Nouitiatus, quos habiles inuenerint ad profitendum, admittant; non sine causa dixit verba illa, *quos habiles inuenerint*; nam qui 16. ætatis annum non expleuit, licèt per plures annos in Religione vixerit, nondū inuenitur habilis ad professionem: & ideò præceptum illud non obligat, nec coniectura *d. cap.* 15. sequitur. Adde etiam, quia licèt aliquis per plures annos in Religione fuerit, non censetur omninò expleuisse annum probationis, donec 16. ætatis annum impleat. Et sic de iure ecclesiastico, quilibet vsum rationis habens ingredi Religionem, & in ea recipi potest. Ita Nauar. *loco cit.* Ruderic. *tom.*1.*q.*15. *art.* 2. Miranda *tom.*1. *Manual. Prælat. q.* 22. *art.* 3. Sanch. *d. cap.* 18.*n.*32. Reginald. *in praxi for. pœnit. lib.* 18. *num.* 385. Suarez. *d. cap.* 1. *num.* 6. Barthol. de Vecchiis *in praxi pro Nouit. recipiendis, disput.*2.*dub.*6. *num.* 15.

Stante ergo, quòd in quacunque ætate rationis 8.
vsum habentes recipi possunt, distinguendum primò, quòd, aut quis in anno pubertatis Religionem ingredi voluerit, & liberè potest, etiam parentibus prohibentibus, *cap. Puella.* 20. *q.* 2. vbi Gloss. & Panormit. *in cap.*2.*num.*2. *de regular.* Oportet tamen, quòd talem annum compleuerit, scillicet, 14. sicut habetur ex tex. *in cap. Ad nostram. extr. de regularibus.* & *ibi* Gloss.

Aut quis ante annos pubertatis Religionem ingre- 9.
di quærit: & tunc interueniente parentum voluntate, recipi potest, vt colligitur à contrario sensu, *ex d. c.* 2. *de regul.* & *ex d. c. Puella.* 20 *q* 2. & expresè habetur *ex c. Addidisti.* 20.*q.*1. & *ex c* 1. 20.*q.*2. & docet D. Thom. 2.2.*q.*189. *art.* 5. vbi dicit, pueros posse recipi ad Religionem aote pubertatis annos, cum voluntate parentum; quod intelligendum est, nedum de expressa, sed etiam de tacita, & præsumpta voluntate, vt putà si recipiatur impubes, & parentes per annum, & diem dissimulando consenserint, vel non contradixerint, vt colligitur à contrario sensu *ex cap.* 2. *de Regular.* vbi dicitur: *Si quis ante annos legitimos tonsuratus est, si parentes ipsius infra annum reclamauerint, in Clericatu permaneat.* vbi Gloss. *in verb. Tonsuratus.* & *verb. Clericis* & Doctores communiter exponunt, tonsuram idem significare, quod ad Religionis habitum recipi iuxta communem modum loquendi antiquorum canonum, vt videre licet *in can. Si in qualibet.* & *seqq.* 20. *q.*2. Et licèt in hoc textu detur terminus voius anni ad reclamandum; tamen in eo supplenda est dies; ita etiam expresè deciditur *in d. can. Puella.* 20. *q.* 2. & docent communiter Doctores. Hoc autem intelligendum est, nisi speciali Religionis constitutione cautum sit, ne infans, aut impubes ad eam admittatur, vt docent D. Antonius 3. *p. tit.*16. *cap.*2.
§.4 Sylu. *loco citato*, *q.* 10 Sanch. *d. cap.*18.*n.*8. Annus 10.
autem *in d. cap. secundo*, ad reclamandum concessus, à die scientiæ computari debet, tam in foro conscientiæ, quàm in externo, si sufficienter probetur. Ita docent Gloss. *in d. can. Puella verb. At si vnum.* Palud. *in* 4.*dist.*38. *q* 4. *art.* 2. *n.* 25. Syluestr. *verb. Religio*, 2.*q.*11. Suar. *d. cap.*1 *n.*8. *in fine*, & alij apud Sanch. *d. cap.*18. *n.* 10. qui cum prædicta Gloss. Hostieo. Goffred. & Henric. addit, quòd si Monasterium sit ita remotum, vt intra id tempus reuocare nequeant, longius temporis interuallum concedetur, prout loci di-
stantia postulauerit. Si verò, anteqoàm annus recla- 11.
mationis compleatur, filius ad pubertatem peruenerit; tunc parentibus reuocandi facultas adimitur: quia tunc filius, si suom factum ratum habeat, & resistat parentum reuocationi, perinde est, ac si denuò ingrederetur. Ita Gloss. *in* §. *Summa*, 20.*q.*2.*in fine.* Archidiac. *d. cap. Puella. n.*2. & alij apud Sanch. *d. cap.* 18.*n.*12. Si verò elapsus sit annus, & dies reclamationis; & filius oondum ad pubertatem peruenerit; tunc neque à parentibus reuocari potest. Ita etiam satis distinctè Suar. *loco citat.*

Hìc verò animaduertendum, quòd nec pater, nec 12.
tutor, nec magister, nec quicunque alius custos potest impuberem authoritate propria à Religione extrahere, siue ex voto, siue absque voto intrauerit; sed cum authoritate habentis potestatem in Monasterio: quia, licèt possit eum in vita disciplinare pater, vel tutor; non tamen corrigere, inferendo Monasterio iniuriam, habitum, videlicet, diripiendo, vel à Monasterio per vim educendo, in cuius potestate iam impubes erat. Ita Archidiac. & Petr. de Palud. quos refert, & sequitur Sylu. *vbi proximè*, & alij apud Sanchez *d. cap.* 18.*n.* 13. Et sicut potest solus pater, matre non repu-
gnante, impuberem filium Religioni offerre; idem 13.
potest sola mater, patre non repugnante. Nec inter vtrunque aliquod discrimen constituendū: quia *in d.*

*cap.*2.

cap.2. de Regular. & *cap. Puella. 20.quæst.* 2.indistinctè dicitur, parentes posse offerre, vel reuocare. Ita Innocent. *d. c. 2.n.1 de Regular.* cuius sententiam communiter esse à Doctoribus probatam asserit Panorm. *ibid.n.6.* Ita etiam Rosello *verb. Nouitius n.2.* Tabien. *eod.verb.quæst. 1. n 2.* & alij plures apud Sanchez *d. cap.18.n.19.* contra Gloss. Archidiac. & alios *in cap. 1. 20.quæst.2.* Palud. D.Thom. Sylu. & alios apud Sanch. *loco citato,n.18* Ita etiam Suar. *d.lib.5.cap.2.n.12.* qui subdit, oblationem factam à sola matre, non esse ita firmam, quin possit à patre, quandiu non consenserit, reuocari: quia non priuauit se iure suo; nec sufficit consensus tacitus, nisi transactus sit annus, iure præscriptus, ac tacitum consensum præbuisse iuridicè præsumatur: quia tunc etiam reuocare non poterit.

14. Porò hæc potestas offerendi impuberem Religioni, & ab ea reuocandi, quam in parentibus esse diximos, reperitur etiam in tutore, quia tutor succedit paterni, quoad omnia, ad filij gubernationem spectantia. Ita Innocent. & Panorm. *locis citatis.* Palud. *in 4.dist. 38.q.4.n.28.* Suar. *d.cap.2.n. 13.* & alij apud Sanchez *d.cap.18.n.25.* contra Federic *cons.277.* Anchar *cap.2. n.7.q.2.de Regular.*

15. Petes, ante vsum rationis in infantia, an possit quis à parentibus oblatus recipi in Religionem. Respondeo, illicitum non esse, eiusmodi ætatis pueros, si à parentibus, vel tutoribus offerantur, ad Religiosum habitum admittere, *cap.1.* & *cap. Oportet.20.q.2.* In primo enim textu supponitur per illa verba, *in qualibet minori ætate:* & in 2. expressè habetur: *Oportet infantes cum voluntate, & consensu parentum, imò ab ipsis parentibus oblatos sub plurimorum testimonio suscipi.* Et ratio est: quia cùm infans parentis, vel tutoris voluntate regatur, & hoc sit intrinsecum, & naturale ius parentis, & tutoris, qui parentis loco succedit; iniuria illis fieret, si absque illorum consensu reciperetur: rapina enim foret non receptio. Huiusmodi autem impuberes Religioni oblati, à patre ampliùs reuocari nequeunt, nec ipsi sunt in libertate exeundi, vsquequò ad annos pubertatis peruenerint: pater enim iam cessit iuri suo, & quantùm in se est, donationem filij Religioni fecit, ipsáque acceptauit, & filius in illa ætate non tam sua, quam patris voluntate regendus est. Itaque sine Religionis consensu, intra illam ætatem exire non potest: ipsa verò Religio in quocunque tempore illum expellendi facultatem habet. Et hæc *d.20.q.1.per.tot.* & *c. Significatum.* & *c. Cùm simus, de Regular* cum omnibus scribentibus *ibi,* & aliis apud Sanchez *d.cap.18.*

16. *n. 9.* Quod idem procedit, quando parentes, vel tutores non expressè impuberem Religioni obtulerunt; sed tacitè dissimulando per annum, & diem. Vnde, sicut ipsi nequeunt per illam taciturnitatem eum postcà ingressum reuocare; ita impubes nequit ante pubertatem egredi, *d.c. Puella. 20.q.2.* docent Gloss. *ibi verb. Nec ipsa.* Panormit. *d cap.2.n.10.de Regular.* Syluest.

17. *verb.Religio,2.quæst.* 11 Sanch. *d.cap.18.n.29.* An autem pater inuito auo, vel mater inuito tutore possint impuberem Religioni offerre, vel ab illa reuocare, videatur Sanch. *d.cap.18.n.21.* & *23.* vbi pro parte affirmatiua concludit, licèt contrarium doceat Suar. *d. c. 2.n.15.* apud quos plura ad hanc materiam spectantia notatu digna habentur.

QVÆSITVM III.

Quæ persona ad habitum Religionis admitti prohibeantur Abbatibus, & aliis Prælatis Regularibus.

SVMMARIVM.

1 *Impedimenta personam ad Religionis ingressum inhabilem reddentia, duplicia sunt.*

3 *Vsus rationis carentia, si sit perpetua, ad Religionis ingressum inhabilem reddit: & quid de furioso perpetuo, num.3.*

4 *Matrimonium an, & quando Religionis ingressum impediat?*

5 *Professio facta in aliena Religione impedit ingressum in aliam, & quomodo?*

6 *Seruus an ad Religionem recipi possit?*

7 *Episcopus nequit, absque assensu apostolico, Religionem ingredi.*

8 *Abbas sæcularis, & alij Prælati Episcopo inferiores, an possint Religionem ingredi absque assensu apostolico.*

9 *Ære alieno grauati, an, & quando possint, ac debeant ad Religionem admitti & n 10. & 11.*

12 *Obligatus ad aliquod præstandum, an ante Religionis ingressum teneatur ad illud, saltem præstandum.*

13 *Ratiociniis adstrictus an possit ad Religionem admitti.*

14 *Criminosi an ad Religionem recipi possint.*

15 *Ære alieno grauati, vel ratiociniis obnoxij, vel criminosi, si nihilominus profiteantur, an valeat professio.*

16 *Filius an propter parentum necessitatem teneatur non ingredi Religionem. Sed limita, vt n.17.*

17 *Pater, an eadem obligatione teneatur ob filiorum necessitatem.*

18 *Professio, & votum emissum à filiis relinquentibus parentes in extrema necessitate, & è conuerso, valida est, licèt peccent mortaliter ita profitentes, & n.19.*

20 *Sexus diuersitas impedit Religionis ingressum, & professionem.*

21 *Hermaphroditus, quicunque in eo sexus præualeat, inhabilis est ad ingressu Religionis; & quid si post professionem mulier euadat vir, vt n.22.*

23 *Excommunicatus maiori excommunicatione, siue sit denunciatus, siue non ingrediens Religionem peccat mortaliter, sicut & Prælatus recipiens; receptio tamen, & professio valida sunt.*

24 *Impotens ad seruanda Religionis essentialia, & etiam accidentalia præcepta, impeditur ab ingressu Religionis.*

25 *Nouitius infirmus toto tempore Nouitiatus ad professionem recipi potest.*

26 *Gallico morbo laborans, an validè profiteatur.*

27 *Vi, & metu extrinseco compulsus inhabilis est ad ingressum Religionis.*

28 *Professio facta per vim, & metum cadentem in constantem virum inualida est.*

29 *Corpore vitiati sunt inhabiles ad ingressum Religionis, nisi aliqua specialis prærogatiua corporis defectum suppleat; & quæ; & an validè profiteantur, n.30.*

31 *Infames, buffones, histriones, carnifices, satellites, lenones, & his similes, inhabiles sunt ad ingressum Religionis; eorum tamen professio valida est.*

32 *Descendentes ab Hæreticis, Mauris, & similibus, quorum statuæ, & ossa combusta sunt, in multis Religionibus recipi non possunt.*

33 *Bigami in Religione ad statum clericalem non possunt recipi; benè tamen ad laicalem.*

34 *Homicida, & latro iure communi non excluduntur ab ingressu Religionis.*

35 *Illiterati inhabiles sunt ad ingressum Religionis in statu clericali.*

CVm quælibet persona per se, ac præcisis impedimentis sit habilis ad Religionis ingressum: quia 1.
Religio tendit ad perfectionem, cuius quilibet homo per

per se est capax; videndũ erit, quænam sint impedimenta, personam ad huiusmodi ingressum inhabilem reddentia: quæ duplicia esse possunt: quædam ex natura rei, quædam ex iure positiuo introducta. Impedimenta ex natura rei oriuntur ex naturali defectu, vt amentia, vel aliquid huiusmodi, quæ naturaliter impediunt. Impedimenta ex iure positiuo sunt, quæ de iure communi Religionis ingressum inualidũ reddũt. Ingressus autem inualidus dicitur ille, super quo verus Nouitiatus fundari non potest: sicuti è contrà ingressus validus, à quo annus veri Nouitiatus numerari potest. videamus igitur, quæ sint hæc impedimenta.

2. Primum est carentia vsus rationis, si sit perpetua: & hic defectus contingit aliquando etiã post sufficientem ætatem ex corporis læsione, quæ reddit hominẽ amẽtem, seu stolidum. Hoc autem vel erit temporale, vel perpetuum: si temporale non simpliciter, hominẽ ad talem ingressum inhabilẽ reddit; sed solummodò pro tempore, quo talis carentia durat, *per cap. Sicut tenor de Regular.* & ex illo, quia receptus tẽpore amentiæ, quamuis denique statim, ac in se reuersus fuerit, consentiat; nihilominùs receptio, ex quo consensit, computanda erit; non autem ab initio ingressus: quia antea persona inhabilis erat. Similiter, si quis legitimè ingressus, durante Nouitiatus tempore amẽs efficiatur, & in amentia per aliquod notabile tẽpus duret, prior receptio irritatur: quia pro tempore, quo amentia durauit, persona inhabilitata est ad probationem, sine qua professio emitti non potest: & cùm probatio sine mentis vsu fieri nequeat; fit enim per experientiam, quæ rationis actus est, & continua esse debet, & non interrupta per aliquod tẽpus notabile, vt docet Sãch. pluribus relatis *in Decalog. lib. 5. c. 4. n. 31.* & inferiùs dicemus; sequitur, actum esse nullum, & nullo modo fieri posse, vt fundetur in eo verus Nouitiatus Ita Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 4.* Quòd si post expletũ probationis annum, & ante professionis emissionem in amentiam incidat, ac posteà mentis compos effectus ratam habeat probationẽ; poterit vtique ad professionem admitti. Ita Syluest. *verb. Religio, 5 q. 2.* Barthol. de Vecchiis *in praxi pro Nouit. recip. disp. 2. dub. 7. in fi.* Sanch. *d. c. 4. n. 53.*

3. Furiosus perpetuus nullo modo ad Religionẽ admitti potest: quia, cùm professionẽ emittere nequeat, etiamsi per centum annos in Religione steterit, non potest recipi, cùm receptio sit ordinata ad professionẽ, & professio absque probatione emitti non possit, vt *supra* dictum est, de qua re plura Syluester. *verb. Religio, 5. q. 2.*

4. Alterum impedimentum est vinculum matrimonij consummati: quod si non esset consummatum, quamuis sit ratum, quilibet coniugum, etiam altero inuito, Religionem ingredi, & in ea admitti potest: & coniux manẽs in sæculo est omninò liber, ac potest liberè ad alias nuptias transire, *can. Despõsatam. 27. q. 2. can. Decreta legalia 28. q. 2. & toto tit. de conuers. coniugat.* præcipuè *in c. 2. & in c. Ex publico. & c. Ex parte tua Extrauag. Antiqua. de voto.* Concil. Trident. *sess. 24. de matrimo. can. 6.* pluribus probat Sãch. *de matrim. lib. 2. disp. 18 & plurib. seq.* vbi *disput. 21.* docet, quandonam censeatur non consummatum matrimonium ad effectum, de quo agitur.

Si autem erit ratum simul, & consummatum, non potest alter coniugum, altero inuito, ad Religionem admitti vt colligitur a contrario sensu ex iuribus citatis, & docent communiter Doctores.

Ad hoc autem, vt coniugum alter Religionem ingredi valeat, non sufficit alterum in sæculo manere, & licentiam alteri, vt Religionem ingrediatur cõcedere; sed si manens in sæculo sit senex, & absque incontinentiæ suspicione, requiritur, vt votũ castitatis emittat: quòd si sit iuuenis, necessarium est, vt pariter Religionem ingrediatur. Habetur cap esse ex *c. Cum sis prædictus cap. Vxoratus. & c. Ad apostolicum. de conuers. coniugat. can. Agathosa. & can. Si vir, & vxor 27. q. 2.* & docent communiter Doctores. Nec satis est, quòd coniux senex manens in sæculo temporalem continentiam voueat, nimirum, dum coniux professus superstes extiterit; sed exigitur, quòd perpetuam continentiam promittat, *c. 1. & d. cap. Ad apostolicum. de conuers. coniugat.* Verùm, si post obitum professi in Religione, coniux, qui remansit in sæculo, matrimonium ineat, valebit matrimonium Gloss. *in can. Seriatim. verb. Post mortem. dist. 32.* Cardin. *in c. Cum sis. in fine, de conuers. coniugat. & Clem. vnica, n. 18. q. 22. de consanguin.* Monald. *in Summa, tit. de voto coniugat. vers. Item quid, si licentians.* Sanch. *d. disput. 32. num. 8.*

Nec item sufficit, si coniux est iuuenis, ad hoc vt alter licitè profiteatur, quòd transeat ad Religionem vt ibi inclusus à vagationibus arceatur: sed necessariũ est, vt professionem emittat, vt latè colligitur ex citatis iuribus, & docent Panormit *in d. cap. Vxoratus. n. 3. & cap. Accedens. 2. de conuers. coniugat.* Sut. *in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. vers. Potest & vnus.* Petr. de Ledesma *de matrimon. q. 64. art. 4. dub. 1. conc. vlt.* Sanch. aliis relatis, *d. disp. 31. n. 4.* Alia plura, quæ circa hanc materiã desiderari poterunt, videantur apud Sanch. *d. lib. 7. à disput. 32. vsque ad 37. & lib. 10. disp. 10. 11. 15. & 18.* Suar. *d. lib. 5. cap. 6. a num. 6.*

Tertium impedimentum est professio facta in alia Religione: spirituale enim vinculum professionis ad instar vinculi matrimonij impedit, ne quis possit aliam Religionem ingredi. Et hoc intelligendum, vt impediat ingressum Religionis laxioris, vel supposita aliqua Pontificis prohibitione irritante, de qua re alibi. 5.

Quartum impedimentũ est seruitutis: seruus enim sine domini consensu, siue eo ignorante, vel contradicente, non potest recipi: quòd si recipiatur, reddendus est domino petenti cum omnibus, quę attulit: post triennium verò non potest repeti, nisi fortè tam longè abesset, quòd inueniri non possit, *cap. Si quis incognitus 17. q. 2.* Alias post trienniũ præsumitur domini cõsẽsus. Quòd si interim professionẽ emiserit, professione non obstante, domino restituetur, si admissus ad ingressum Religionis, in receptione vsus est fraude, vt probando se liberum per falsos testes *cap. Oportet. de sern. non ord.* Si autem Abbas, siue Monasterium in culpa fuerit, quia sciebat, eum seruum esse, vel neglexit inquirere, cum esset cognitus; remanebit in Religione: sed Monasterium satisfaciet domino. Sylu. *verb. Religio, 2 q. 5.* Tabiena *eod. verb. q. 1 n. n. 11.* Sanch. *in Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 47.* Barthol. de Vecchiis *in praxi pro Nouit. recip. disp. 2. dub. 2. n. 5.* [illegible] *Si seruus. 54. dist.* Triennium verò quando currere incipiat, quidam aiunt, currere à die probationis inceptæ. Sic Azor. *moral. instit. part. 1. lib. 12. cap. 1. q. 3.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 31.* Alij, & rectiùs docent, hoc triennium numerandum esse a die scientiæ, qua, scilicet, dominus certior factus est, seruum Religionẽ intrasse: quia tempus non currit ignoranti. *l. Annus. ff. de calũniatorib. l. quis quinquagint. ff. de excus. tut.* Et ideò sic docent Gloss. *in can. Si seruus. 1l 2. verb. ennius. 54 dist.* D. Anton. *3 p. tit. 16. cap. 3. § 4.* Syluest. *loco cit.* Rosella *verb. Religio, 2. num. 1.* Sanch. *d. cap. 3. num. 46.* Barthol. de Vecchiis *eo dub. 2. num.* [illegible] hæc sunt vera in omni seruorũ genere, siue sint coloni, siue originarij, siue adscriptitij *d. can. Si quis incognitus.* Barthol. de Vecch. *num.* [illegible] Ant. Syluest. Tabien. Rosell. *loco* [illegible]. Sanch. [illegible] *num. 48.* Si petas, cur non idipsum procedat de [illegible] familiis, cùm videatur similis ratio, ex quo sunt in aliena

potestate

poteſtate. Reſpondeo, quemlibet puberem ratione vtentem, capacem Nouitiatus, Religionem etiam inuito patre, ingredi poſſe, vt ait idem Sylu. *d. verb. Religio, n.* 11. & probatur *d. cap. Puella* 20. *q.* 2. *cap. Cum virum de regul.* quòd nos *ſupra* probauimus *hoc eodem quæſito* Ratio eſt: quia pubes eſt ſui iuris in his, quæ ad Deum ſunt, qui eſt magis ſequendus, quam homines.

7. Quintum impedimentum eſt dignitas epiſcopalis, *iuxta cap. Licet. de Regular.* & *cap. Niſi cum pridem. in fine, de renunciat.* vbi prohibetur Epiſcopis Religionis ingreſſus abſque licentia Sedis apoſtolicæ. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 7. Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 25. *num.* 36. Suar. *tom.* 5. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 14. Miran. *tom.* 1. *Manual. Pral. q.* 17. *art.* 3. Angelus *verbo, Religioſus*, §. 12. Syluest. *verbo, Religio*, 2. *q.* 8. Roſell. *eod. verb.* 2. §. 8. Tabien. *eod. verb* §. 12. Barthol. de Vecchiis *in praxi Nouit. diſput.* 2. *dub.* 3. Hoc autem intelligitur de Epiſcopo electo, confirmato, conſecrato, & actualiter habente ſuam Eccleſiam, cuius curam gerit. Vide Peyrinom. *tom.* 2. *de praſ. q.* 3. *cap.* 1. *num.* 47. & 48.

8. At Decani, Archidiaconi, Præpoſiti, Archipresbyteri, & cæteri omnes Clerici & Prælati inferiores Epiſcopo ſubiecti, etiam inuito Epiſcopo Religionem ingredi, & ad illam recipi poſſunt, *cap. Dua* 19. *q.* 2. S. Thom. 2. 2. *quaſt.* 189. *art.* 7. Panormit. *in cap. Quod Dei timorem deſtat. Monac.* Angel. *verbo, Religio, num.* 12. Syluest. *eod. verbo, Religio*, 2. *num.* 8. Suar. *de Relig. tomo* 3. *lib.* 5 *cap* 4. *num.* 14. qui licentiam petere debent, licèt non obtineant, vt colligitur *ex dicto cap. Licèt. de Regular.* & docent citati Doctores omnes, & alij, quos refert, licèt non ſequatur, Sanch. *lib.* 4. *in Decalogum, cap.* 25. *num* 48. *initio.* Beneficia autem eorum non vacant, niſi poſt profeſſionem tacitam, vel expreſſam; aut, ſi euidenter conſtiterit, eos vitam mutare velle, & eo tempore, quo prædicta beneficia nondum vacant, debet portio ex eorum fructibus alicui aſſignari, qui beneficio inſeruiat, *cap. Beneficium. de Regular. in* 6. Reliqui verò fructus beneficij Monaſterio applicabuntur, ne ei talis Nouitios ſit oneroſus, *cap. De lapſis.* 16. *q.* 6. & interim erit beneficiatius, cùm propriè non intelligatur Religioſus, *cap. Religioſo. de ſent. excōmunic. in* 6. De Abbatibus autē & prælatis Epiſcopo inferioribus habentibus iuriſdictionē quaſi epiſcopalē in diœceſi ipſis pleno iure ſubiecta, idē prorſus dicendū eſt, quod *ſupra* de Epiſcopis aſſeruimus: quia in his militat eadem prorſus ratio, quæ in Epiſcopis: nam, cùm in omnibus ad iuriſdictionem pertinentibus cenſeantur Epiſcopi, ſoláque conſecratione ab eis differant, ſunt veri Eccleſiarum ſuarum ſponſi ad inſtar Epiſcoporum: quare Romano Pontifice inconſulto, nequeunt ad Religionem tranſire, niſi eo modo, quo poſſunt, & debent Epiſcopi, vt dictum eſt. Ita Sanch. *d. cap.* 25. *num.* 49. Barthol. de Vecchiis *d. diſput.* 25 *dub.* 4. *num.* 1.

9. Sextum impedimentum eſt, ſi erit ad ſoluendum debitum obligatus alienum: quia non poteſt debitis grauatus eorum ſolutionem licitè omittere, vt Religionem ingrediatur. Dupliciter autem poſſunt huiuſmodi debita diſtingui: nam aut ſunt incerta, quæ nulli perſonæ certæ ſunt reſtituenda; & tunc de illis nulla eſt controuerſia, quia hæc non impediunt Religionis ingreſſum: ſi enim recipiendus habeat, vnde de his debitis ſatisfaciat, & [illegible] bona ſimul cum perſona Religioni tradit, ſatis reſtituere cenſetur, cum in opus ſatis pium illa bona expendat. Suarez *de Relig. tomo.* 3. [illegible] 5. *c.* 2. *n.* 1. Sanch. *in Decalog.* [illegible] 4. *c.* 19. *n.* 4. & alij

10. Quando verò quis certis debitis grauatus eſt, poteſt ad Religionē admitti, ſi cedat bonis in creditorum fauorem; dummodo tamen manens in ſæculo nequeat breui temporis ſpatio propria arte, ſeu induſtria, ſeu alio quouis modo acquirere bona, quibus creditoribus ſatiſfaciat: nam, quando eſſet perſona pollens induſtria, vt Medicus, Iuriſperitus, aut artifex magnæ induſtriæ, qui breui in ſæculo comparare poſſit bona ad ſoluendum, ad Religionem admittendus non foret. Quia æquitas non patitur, vt cum damno aliorum ingrediatur, ſi illud abſque graui incommodo, aliquandiu in ſæculo manens impedire poteſt; tum, quia moraliter impotens non cenſetur ad debitorum ſolutionem, qui breui temporis ſpatio ſoluendo eſt: Quòd ſi non adeſt probabilis ſpes ſatisfaciendi intra id tempus; ſed neceſſarium eſſet, illum diu in ſæculo commorari, vt bona ad ſoluendū acquirere poſſit, tunc relinquendo bona ſua creditoribus licitus ei eſſet Religionis ingreſſus, nec teneretur id tempus expectare. Atque ſic docent Nauar. *commem.* 2. *de Regular. n.* 8. Petr. à Nauar. *de reſtit. lib.* 4. *cap* 4 *difficult. vlt. in noua edit. num.* 78. & 79. Lal. Zecch *de rep. Eccleſ. tract. de Relig. cap.* 3. *num.* 5. Azor. *moral. inſtit. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 5. *verſ. In hac quæſtione. ad finem.* Clauis Reg. *lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 25 Leſſ. *d. cap.* 41. *dub.* 3. *num.* 32. Sanch. *in Decalog. lib.* 4 *cap.* 19. *num.* 8. Suar. *d. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. & Barthol de Vecch. *d. diſp.* 2. *dub.* 13. *n.* 10. & *duob. ſeqq.* Breue autem tempus cenſetur ſpatium duorum annorum, intra quod debitorem ſatisfacturum eſſe, probabiliter credatur, vt cum Maiore docent Sanch. & Barthol. de Vecch *locis cit.* Et hæc ait Sanch. procedere, ſi totam, vel ſaltem notabilem, non autem paruam, vel minimam quantitatem intra id tempus debitorem ſoluturū fore credatur. Quòd ſi omnibus circunſtantiis inſpectis, dubium eſſet, rationibus hinc inde vrgentibus, an eo tempore expectato, & ſine notabili difficultate poſſet debitor acquirere, vnde ſoluat, exiſtimat, in hoc dubio non eſſe ei integrū, Religionē ingredi: quia in dubio melior eſt conditio creditorum poſſidentium ius, vt ſibi ſoluatur. Si verò vtrinque probabiles rationes adeſſent, putat liberum eſſe, quancunque partem, etiam minùs probabilem, amplecti; quemadmodum fieri debet, quando variæ extant opiniones.

Supradicta procedunt de iure communi. At Sixtus 11.
V. anno Domini 1587. in ſuo Motu proprio incip. *Cum de omnibus.* relato *in Bullar. nuper edito, tom.* 2 *conſtit.* 71. *d. Pontificis, fol.* 601. omnes, & quoſcunque criminoſos, vel ſuſpectos, aut ingenti ære alieno grauatos, vel rationibus reddendis obnoxios ad Religionē perpetuò inhabiles declarauit, nullam declarās profeſſionem ab iis factam. Inſuper quoſcunque Religioſos, eorúmque Superiores, qui aliquas perſonas, (vt dictum eſt) inhabiles poſt dictam eius conſtitutionem publicatā acceperunt, voce actiua, & paſſiua, necnon aliis gradibus, officiis, honoribus, & dignitatibus quibuſcunque per eos obtentis eo ipſo perpetuò priuans, & tam illis priuatos, quàm ad illa quæcunque in poſterum obtinenda perpetuò inhabiles, eorúmque incapaces decernens, & declarans. Et licèt hunc Motum proprium Clemens VIII. anno 1602. per aliam ſuam conſtitutionē incip. *In ſuprema.* in Bullar. nouo, *tom.* 3. *conſtit. eius* 83. *pag.* 129. moderatus fuerit; id tamen fecit quoad hoc ſolùm, vt profeſſio prædictorum valida eſſet, relicto eo Motu proprio quoad illicitam eorum receptionem, & pœnas tranſgreſſoribus impoſitas in ſuo robore. Igitur dicendum eſt, validam eſſe profeſſionem ære alieno grauatorum, ſi contra prædicti Motus proprii tenorem admittantur: quia iure antiquo valida erat, vt tanquàm certum tradunt Medina *Codic. de reſtit. q.* 3. *cauſa* 8. *ad* 5. Petr. à Nauar. *de reſtit. lib.* 4. *cap.* 4. *dub. vlt. in noua edit. num* 77. & alij apud Sanchez. *d. cap.* 19. *n.* 2. In eo autem Motu proprio non comprehenduntur ære alieno grauati, qui

qui facultates sufficientes ad soluendum habent, vt indicant illa eius verba: *Supra vires facultatũ suarum.* & docent Roderic. *quæst. regular. tom. 3. q. 10. art. 9. notab. 2.* Sanch. *eo cap. 19. n. 24.* Nec item, quando debita non sunt magni momenti: quia in eo his dicitur: *Ingenti are alieno.* notant Sanch. *eo num. 24* & Suarez *d. cap. 7. num* 20. Item, neque comprehenduntur, qui incertis debitis grauati sunt. Roderic. & Sanch. *vbi proxime.* Nec item comprehenduntur, qui absque graui sua culpa deuenere ad impotentiam soluendi debita contracta, adeò vt nulla sit spes fore, vt in seculo manentes satisfacere possint: quia Pontifex in eo videtur apertè sermonem habere de iis, quorum culpa hæc eueniunt, ibi: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni.* Notat Sanch. *ibid. num* 25. existimans, idem dicendum fore, quamuis manentes in sæculo possent artificio lucrari bona, quibus soluerent, si re verà absque graui eorum culpa eueniret, eos ita ingenti ære alieno grauari, vt soluendo non essent: Neque pariter in eo Motu proprio comprehenduntur, qui sua culpa ingentem æris alieni vim contraxerunt, supra suas facultates, si bona omnia creditoribus relinquant, & nulla sit spes fore, vt manentes in sæculo sint soluendo. Roderiq. *d. art. 9. in fine.* Sanch. *num.* 26. Barthol. de Vecchiis *eo dub. 13. n. 15* Nec item comprehenduntur damnati a Iudice, vt soluant ingentem pecuniæ quantitatem in pœnam alicuius delicti, & obligati ad aliquam satisfactionem pecuniariam ratione alicuius iniuriæ, aut damni illatorum, vt quia virginem deflorauerunt: quia reuera hi non dicuntur ære alieno grauati. Ita Sanch. & Barthol. de Vecch. *proximè* allegati, contra Roderic. *loco cit.* & Mirand. *tomo 1. Manual. Prælat. q. 17. art. 17. in fine conclus.* Neque comprehenduntur debitores, quando creditores consentiunt: quia tunc est perinde, ac si esset illis satisfactum. Roderic. *vbi proximè, notab.* 4 Sanch *num* 27. addens, idem dicendum esse, quando Monasterium, aut quispiam alius eorum debita soluerent: quia iam sũt alieno ære soluti. Nec item in prædicto Motu proprio comprehenduntur, qui ex sola liberali promissione debitores sunt magnæ quantitatis, licet propria culpa satisfacere non valeant: Ita Sanch *loco cit. n.* 28. Barthol. de Vecch. *d. n.* 5. Et ratio est: quia hi non dicuntur ingenti ære alieno grauati: tum etiam, quia huiusmodi liberales promissiones Religionis ingressum non impediunt, vt docent Medina *causa 8. in solut. ad* 4. Gerson, & alij apud Sanch. *eo cap. 19. num.* 10.

12. Septimum impedimentum est. Qui obligatus est ad aliquod faciendum, tenetur illud præstare saltem per alium: nisi sit electa industria personæ; quia tunc per alium id explere non valet, *cap. fin. de off. deleg.* in quo casu tenebitur ei ad interesse ex bonis, quæ ad Monasterium attulit. Si tamen hoc nullo modo posset, nihilominùs intret monasterium, etiamsi iurasset facere: nõ enim violat iuramentum, qui illud in melius commutat *cap. Peruenit. de iureiur.* Ita Syluest. *verb. Religio 2. c. 5.*

13. Octauum impedimentum est. Qui obligatus est ad ratiocinia reddenda, puta ciuitati, vel alij perpetuò, cum Abbas admittere non potest, *cap. Legem. d. dist.* 4. priùs enim debet se expedire. Est expressum *in dicta*
8. *constitutione* Sixti V. cuius verba sunt hæc: *Authoritate apostolica perpetuò statuimus, & ordinamus, vt huiusmodi ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauati, vel reddendis rationibus obnoxii, & obligati, nequaquam recipiatur, & super hoc fiat informatio,* &c. *Et omne in contrarium factũ irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu carere decernimus.* Et hoc videtur insuper rationi congruum, cùm tales in iure etiam ordinari prohibeantur, vt habetur *in cap. 1. de obligat. ad ratiocin.* Facit *cap. Præterea. distinct.* 51. Videatur Nauar. *conf. 3. de regular. n. vnico*, qui hoc probat per illud commune Doctorum axioma: *Qui obligatus est ad aliquid faciendum prius debet illud facere, quàm Religionem ingrediatur.* Tunc autem ratiociniis obligati, iuxta dictum Motum proprium, nequeunt ad Religionẽ admitti, quando, siue publica, siue priuata sint ratiocinia, ita quispiam est illis obnoxius, vt ex ea causa lis, vel molestia iam illata sit, vel inferẽda timeatur. Ita Roderic. *quæstion. reg. tomo 3. q. 10. art.* 11. Sanchez *cap. 19. num.* 29. Si tamen professionem emitterent, professio valeret: quia licet per Motum proprium prædictum Sixti V. irrita esset; tamen dictus Motus proprius anno 1602. quoad hoc a Clemente VIII. modificatus, & ad terminos iuris communis reductus fuit: ac iure cõmuni huiusmodi professio valebat, vt docet Nau. *vbi proxime,* & Sãch. *loc etia cit. n* 2. 19. & 21.

Nonum impedimentum est criminositas: criminosos enim, vel suspectos de crimine ad Religionẽ perpetuò inhabiles declarauit Sixtus V. *in prædicta sua constitutione* Quòd si nihilominùs temere admitterentur, tam habitus susceptionem, quam professionem inualidam, ac nullam declarat, & quòd propterea licitũ esset quibuscunque Iudicibus contra eos procedere. Qui autem criminosi dicantur, idem Pontifex declarat, dum ait nõ esse aliquos adultos viros maiores sexdecim annis in aliquam Religionem recipiendos, *nisi post factam de anteacta eorum vita diligentem inquisitionem, ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum & exploratum sit, eos, neque aliquorũ criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, & grauiora, reos vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut, ne damnentur, formident.* 14.
In secunda autẽ *constitutione,* quã super hoc idem Põtifex primã declarando edidit, sic ait: *Contra criminosos vero, quorũ professio eadẽ constitutione nostra irrita declaratur, ac propterea Iudicibus & Curiis sæcularibus procedendi facultas cõceditur, tunc demũ id locũ habere volumus & nõ aliter, cum actis publicis constiterit, ipsos Iudices, & Curiam secularem, ante susceptionẽ habitus de ipso crimine aduersùs eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse.* Ex qua declaratione licet colligere, quando crimina occulta sunt, sub hac dispositione non comprehendi; nec qui ea commiserunt, criminosos censeri, ad hoc vt nequeant ad Religionem admitti. Constat etiam ad hoc impedimentum requiri vt crimen sit publicum, non solùm notorietate facti; verùm etiã iuris aliquo modo: quia, licèt non oporteat per sententiam, vel iuridicam punitionem declarandum esse, saltem necessarium est, vt publica eius declaratio facta sit per accusationem, vel inquisitionem iuridicam, & publicis actis contestatam. Vnde, licet alio modo delictum publicum sit, adeò vt grauem etiam infamiam afferat; non tamen Religionis ingressum impediet, quantùm est ex vi huius constitutionis, atque eius declarationis. Notandum autem, quod, licèt *in ea const.* dicatur, hos criminosos perpetuò ad Religionis ingressum, & professionẽ inhabiles declarari, tamen si post accusationem, vel inquisitionem reus est absolutus, vel innocens declaratus; licitè, & validè potest ad Religionem admitti: quinimò, etiamsi de tali crimine iuridicè conuictus, & deinde ad pœnam damnatus fuerit, si eam pœnam impositam persoluit, & iam Curiæ, quàm parti satisfecit, quantùm est ex dicta constitutione etiam poterit ad Religionem admitti: quia intentio Summi Pontificis solùm fuit obuiare, ne colore Religionis delicta impunita remanerent, vt patet ex iis verbis d. constitutionis: *Ad euitandam legũ, & iudiciorũ seueritatẽ quia tutò in sæculo viuere nõ possunt* & ex iis: *vt propterea damnati sint, aut ne damnentur, formidẽt.* Videatur Suar. de *Relig. t. 3. l. 5. c. 7 à n. 16. vsque ad 19. inclusiuè.*

15. Si autẽ tam ære alieno grauati, quàm ratiociniis adstricti, nec non etiam criminosi professionem emitterent, valeret professio: quia, etsi per dictam Constitutionem Sixti V. irrita esset; tamen, vt *supra* diximus, ea quoad hoc moderata fuit, & ad terminos iuris cõmunis redacta à Clemente VIII. anno 1602. vt notat Sanch. *cit. c. 19. n.* 2. 19. *&* 21. & Suar. *d. c. 7. ad finem.*

16. Decimum impedimentum est, quando parentes recipiendorum in ea essent necessitate constituti, vt eis aliter, quàm per filiorum obsequium, commodè subueniri non posset: quia eo casu Abbas filium non debet ad Religionem admittere, vt tenet expresè D. Thom. 2.2 *q.* 101. *art.* 4. & *q.* 189. *a.* 6. & *quodlib.* 3. *a.* 16. Ratio est: quia opera præcepti, quale est honorare parentes, propter nullum opus consilij, etiã Religionis sunt prætermittenda; neque facienda mala, vt inde veniant bona, vt dicit Paulus *ad Rom.* 3. Quod limita, dummodo ex huiusmodi parentum obsequio non immineat filiis notabile dispendium spiritualis salutis, aut periculum peccati mortalis: quia tunc, relictis parentibus, Religionem possunt ingredi, vt ait D. Thom. *d. q.* 101. *art.* 4. vbi pluribus tradit, quando talis casus euenire potest: & specialiter Caiet. *super dicto loco.*

17. Vnde similiter nec licebit patri, filios in necessitate constitutos habenti, prætermissa filiorũ cura, nec prouiso super eorum educatione, Religionem ingredi, vt expresè tenet D. Thom. 2.2 *q.* 189. *a.* 6. vbi dicit, quòd in hoc genere maior est obligatio patris ad filiũ, quàm filij ad patrẽ: nam filios nõ obligatur per se ad alendũ, seu honorandum patrem, nisi per accidens, ratione necessitatis: pater autem non ex accidenti tantùm, sed per se, ratione sui muneris, tenetur alere, & educare filium; quia est eius principium, non solùm ad tempus, sed per totũ vitæ suæ spatiũ. Ita etiã sentit Nauar. *com.* 2. *de Regul. n.* 8. & Cordub *in Reg. S. Franc. c.* 2. *q.* 6. *a.* 1.

18. Si autẽ filij, parentibus in maxima necessitate cõstitutis, in Religionem intrent, & in ea professionem emittant, professio, & votum emissum tenebit: sed vtrique peccatum lethale committent, vt expresè Nauar. *lib* 3. *de Regul. conf.* 26. & Mirand. *in Man. Pral. tom.* 1. *q.* 17. *art. vlt. concl. vlt.* Latiùs Suar. *de Relig. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 5. *&* 6 *per tot.*

19. Idem dicendum est de patre relinquente filios in extrema, vel graui necessitate: quia par est obligatio patris erga filios, sicut filij erga patrem. Ita Sanch. *lib.* 4. *in Decal. c.* 20. *n.* 10. Less. *de iust & iure. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 3. *n.* 34. Nauar. *lib. conf. de Reg. cõc.* 3. Rodriq *tom.* 3. *qq. reg. q.* 13. *art.* 5. Bart. de Vecc. *in praxi Nouit. disp.* 13. *dub.* 1. *n.* 9. & Laur. de Peyt. *tom.* 2. *de Pral q.* 3. *c.* 1. *n.* 70. vbi ait, quòd verè incapacitas videtur esse in persona admissa, quæ obligata est iure naturæ subuenire parentibus, & filiis. Vnde, cùm non placeant Deo sacrificia de victimis alienis; non videtur esse valida obligatio facta per professionem factam in tali casu, in quo non esset licitum votum simplex ingrediendi Religionem seruare: ergo nec solenne.

20. Vndecimum impedimentũ ad Religionis ingressũ, & professionem, est diuersitas sexus, putà, quia ingredi volens est diuersi sexus ab illis, in quorũ Monasterium ingredi vellet, vt si vir in Monasterio Monialiũ, & mulier in Monasterio virorum recipiatur. Ita Nauar. *lib.* 3. *conf. de Regul conf.* 47. *n.* 4. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5 *c.* 4 *n.* 1. & *lib* 6. *cap.* 12. *n.* 24. Emmanuël Sa *in Aph. verbo, Religio, n.* 30. Rodet. *part.* 2. *Sum c* 6. *n.* 14. Hẽriq. *lib.* 14 *c* 8. *n.* 6. *in comm. litt.* A Vecchiis *in praxi Nouit. disp.* 5. *dub.* 1. *n.* 1. contra Syluestrũ *verbo, Religio,* 3 *q.* 9. dicentem. professionem istius valere, non in indiuiduo, sed in specie, vel in genere; scilicet, non potest manere in illo Conuentu, in quo est professus; sed in alio eiusdem Ordinis, & sexus. Attamen huiusmodi professio omninò est nula, vt optimè probat Sanch. *loc. cit.* cùm deficiat saltẽ volũtas admittentis illũ ad professionem.

Ex quibus colligitur, Hermaphroditũ inhabilẽ esse ad ingressũ Religionis, quicunque sexus in eo præualeat. Quòd si talis Hermaphroditus taceat suũ defectũ in ingressu Religionis, & ad professionem admittatur, professio nulla erit: imò cognito tali defectu ab Abbate expelli debet, & spoliari habitu. Ratio est: quia Hermaphroditus, vt iura clamãt, est infamis: infames autem non sunt admittendi ad Religionẽ, vt dicemus *inferiùs*, propter quam rationẽ debent iidem Hermaphroditi excludi etiam ab ordinibus, & beneficiis. Ita Laur. Portel. *in dub. Reg. verb. Nouitij qualit. n.* 25. Maiol. *de irregul. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 7. Ledesma *de stat. Relig. in communi, cap.* 6. *concl.* 1. Bartholomæus de Vecchiis *disput.* 5. *dub.* 1. *num.* 3. Bartholomæus à S. Fausto, *in thes. Religiosorum, lib.* 5. *q.* 230. Laurentius de Peytinis *tom.* 2. *de Pralato*, *q.* 3. *cap.* 1 *num.* 59. vbi ait, quòd ad expellendum Hermaphroditum iam professum, non requiritur licentia Papæ, si in eo dominetur æqualiter sexus: quia semper adest incentiuum peccati, fomes scandali, & vix sciri potest, quo sexu sit validior. Ita etiam affirmat Barthol. à S. Fausto *loco citato.* 21.

In hac re Ledesma *loco citato*, & Laurentius Por- 22.
tellus *in additionibus ad dubia regul. verbo, professio Hermaphroditi*; mouent dubitationem scitu dignissimam, an, qui in Monasterio Monialiũ, tanquàm mulier, professionem facit, cùm verè mulier credatur, appareat, & sit, deinde supponens humeros suos graui ponderi, ex vi illius ponderis, seu alio instanti accidenti excitatur sexus virilis, & fit vir, vtrùm teneatur in dicto Monasterio permanere, vel transire ad Monasterium virorum eiusdem, vel alterius Ordinis. Et respondet ipse Ledesma *loco cit.* quòd non tenetur stare, nec inter Moniales, nec transire ad Monasterium virorum: quia professionem emisit, tanquàm mulier, non tanquàm vir: vnde, si mutata est in virum, non tenetur ampliùs ad officia muliebria, sed virilia in sæculo. Non mirandũ, quòd talis dubitatio inter Doctores circumferatur: quia hoc contingere naturaliter posse, affirmant grauissimi Doctores, & præsertim S. Augustinus *lib.* 3. *de ciuit. Dei, cap.* 31. Hippocrates *lib.* 6. *Epid. sect.* 8. Plinius *lib.* 7. *Hist. natural. cap.* 4. Fulgosius *lib.* 1. *cap* 6. *tit. de Carolo, & Francisco Guarnis.* Maiolus *lib.* 1. *de irregul. cap.* 27.

Duodecimò. Excommunicatus maiore excommu- 23.
nicatione, siue denunciatus, siue non, est inhabilis, ita vt tam ille, quàm Abbas eum admittẽs mortaliter peccent: ingressus tamen, & professio valida sunt, quamuis Abbas recipiens, & receptus habeãt notitiam excõmunicationis. Ita Sayrus *de cens. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 18. Grassius *tom.* 1. *conf. lib.* 3. *de regul. conf.* 4. *n.* 5. Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *n.* 36. Suar. *t.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 4 *n.* 18. Panormit. *in cap. Cum illorum. n.* 4. *de sent. excom.* Augustinus Barbosa *ibid. n.* 7. Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disput.* 5. *dub.* 2. Azor. *instit. moral. part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 3. *q.* 9 Nauarr. *lib.* 3. *conf. de regul. cõs.* 3. *n.* 1. Bartholomæus à S. Fausto, *in thes. Relig. lib.* 5 *q.* 220. Campan. *in diuers. iuris, rubr.* 11. *c.* 15. *n.* 6. Ricciul. *de iur. pers. l.* 4. *c.* 41. Comitolus *lib.* 2. *resp. mor. q.* 8. *§. vlt.*

Decimum tertium impedimentum est impotentia 24.
ad seruanda Religionis essentialia, & etiam accidentalia præcepta, & obseruantias. Ita senectute, vel alio morbo laborans est inhabilis ad religionis ingressum, & professionem. Ita Suar *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 19. Ledesma. *de stat. Religionis in cõm. c.* 6. *concl.* 1. Rodriq. *tom.* 3. *qq. reg. q.* 12. *art.* 3. Miranda *tom.* 1. *Manual. Pral. q.* 9. *art.* 2. Barthol. de Vecchiis *in praxi Nouit. disp.* 12. *dub.* 9. *n.* 2. qui dicunt insuper, quòd tam receptus, quàm Prælatus recipiens mortaliter peccant: quia recipiens grauiter lædit propriam Religionem, & statuta ipsius, & maximum affert detrimentũ: receptus verò,

qui

qui ſe impotentem cognoſcit, mendaciter promittit in re tam graui, ſe obſeruatmũ auſteritates Religionis.

25. Nouitius tamen, qui toto anno ſui Nouitiatus fuit infirmus, poteſt ad profeſſionem recipi: quia annum probationis legitimè expleuit, in quantum in ſe erat, maximè cùm non teneatur Nouitius experiri auſteritates omnes Religionis: ſed ſatis eſt, ſi probet in genere, per annum ſub obedientia perſeuerando. Ita Rodriq. *loc. cit. q.* 15. *art.* 10. Barthol. à S. Fauſto *lib.* 5. *theſ. Relig. q.* 249. *n.* 3. Nauarr. *lib.* 3. *conſ. de regul conſ.* 32. *n.* 5. Sanch. *lib.* 5. *in. Decal. cap.* 4 *n.* 52. vbi ait *n.* 28. quòd Nouitius in Ordine Fratrũ S. Franciſci de Paula, qui fuit toto Nouitiatus anno infirmus, & carnibus, ac lacticiniis vſus fuit, validè profitetur, licet rigidiſſimam illius Religionis vitam, ſcilicet, quadrageſimalem non ſit expertus.

26. Profeſſio vero facta à morbo Gallico laborãte, qui regulares obſeruantias complere non poteſt, probabile videtur, illam nullam eſſe: atque ita ille poterit à Religione exire, & Religio illum expellere. Vnde Rodriq. *tom.* 2. *Sum. cap* 6. *n.* 3. & Vega *tom.* 2. *Sum. cap.* 39. *caſ.* 4. & Sanch. *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *n.* 57. Nauarr. *lib.* 3. *cit. conſ.* 48. Laurent. de Peyrinis *tom.* 2. *de Pralat. q.* 3. *cap.* 1. *n.* 68. dicunt, quod morbo Gallico laborans, illúmque in profeſſione tacens, ea facta poteſt expelli à Religione, ſi Religio habeat ſtatutum confirmatum a Papa, prædictam poſſeſſionem annulans: ſi autem non habeat, valida erit profeſſio, eo quod nullibi videtur irritata. Neque ſufficit dicere cum Nauarro, Rodriquez, & Vega *locis cit.* quòd Abbates ſtatutum prædictum non habentes, poſſint expellere illum in pœnam peccati, quod fecit, occultando morbum Gallicum: quia non eſt ſufficiens ratio ad expellendum Profeſſum, vt dicunt Ledeſma *loc cit.* Graffius *tom.* 1. *conſ. de Regul. lib.* 3. *conſ.* 4. *n* 9 Laurent. de Peyrinis *loco cit.* In multis tamen Religionibus extat praxis, tali morbo laborantes expellendi: nam Sanch. *loc cit. n.* 58. dicit, quòd in ſua Religione hic talis expellendus eſt. Idem affirmat Barth de Vecchiis de ſua Relig. Capucinorum *in prax. Nouit. diſp.* 13. *dub.* 15. & Peyrinus *loc. cit.* hoc idem aſſerit de ſua Religione Minimorum.

27. Decimumquartum impedimentum. Inhabilis eſt ad Religionis ingreſſum, qui vi, & metu extrinſeco compulſus illam ingreditur, & Abbas illum recipiens ſcienter, ſicut & receptus, mortaliter peccant. Ita Rodriq. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 14. *art.* 3. Mirãda *tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 17. *art.* 4. Suar *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap* 9. *n.* 1. Farinacius *part.* 1. *deciſ. Rota. deciſ.* 175. *n* 5. Angelus *verbo. Religio.* §. 16. Tabiena *codẽ verbo*, § 14. Syluester *verbo, Metus, q.* 8 Roſella *verbo, Votum*, 1. §. 4. Ledeſma *de ſtat. Relig. in comm. cap.* 7. *concl* 6. Azor. *tom.* 1. *inſtitut. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *q* 10. Barboſ. *in collect. in cap.* 1 *de Regul. n.* 3. Barthol à S. Fauſto *lib.* 5. *theſ. Relig. q.* 238. *n.* 2. quod etiam habetur *in cap.* 1. *&* 4. *de Regul. cap. Preclinus. c. Praſẽs.* 20 *q.* 3. quibus locis decernitur, Religionis ingreſsũ debere eſſe liberũ, & ſpontaneum.

28. Vnde aduertendum eſt, quòd profeſſio facta per metum cadentem in conſtantem virum, nulla eſt. Ita Suar *loc. cit. lib.* 6. *cap.* 4. *n.* 11. maximè, quia ad profitẽdum requiritur voluntas omninò libera: quod conſtat etiam *in cap.* 1. *de his, qui vi* &c. Videatur Sanch. *lib.* 4. *in Decal. cap.* 3. *n.* 12. Nauarr. *com* 4. *de Regul. num.* 71.

29. Decimumquintum impedimentum. Corpore vitiati ſunt inhabiles ad ingreſſum Religionis, niſi morum integritas, inſignis doctrina, vel magna ſanguinis nobilitas corporalem defectum ſuppleant. Ita Graffius *part.* 1. *deciſ. l.* 3 *c.* 5. *n.* 11. Barth. de Vecc. *in praxi Nouit. diſp.* 5. *dub.* 6. Ratio eſt: quia corpore vitiati arcentur à miniſterio Altaris, vt habetur *in toto tit. de corpore vit.* & *cap.* 2. *de Cler ægrot.*

30. Profeſſio tamen iſtorum de iure communi irrita non eſt: quia nullibi in iure hoc prohibetur. De cæco enim, quòd validè profiteatur, certum eſt: quia poteſt ore proferre verba profeſſionis, vt probat Laurentius de Peyrin. *tom.* 2. *de Pralat. q.* 3. *cap.* 1. *n.* 83. De muto, & de ſurdo, quòd profiteri poſſint, per ſigna, docet Sanch *lib.* 7 *in Decal. cap.* 12. *n.* 32. De claudis, mancis, luſcis, querceris, ſurdaſtris, ſimiliter validè profiteri certum eſt, cùm hoc non reperiatur in iure prohibitũ, licèt ab iſtis, & ſimilibus omninò abſtinere debeant Prælati Regulares, niſi merita, &, vt diximus, doctrina inſignis, vel magna ſanguinis nobilitas defectus compenſent.

Decimumſextum impedimentum. Infames, & buffones, hiſtriones, carnifices, ſatellites, tenores, aliique ſimiles nõ debent ad Religionẽ recipi. Ita Panormit. *in c. Cum decorẽ, de vit. & honeſt. Cleric. n.* 2. vbi dicit, quòd buffones, hiſtriones, & publici luſores ad Clericatũ promoueri nõ poſſunt, neque etiam poſt peractã pœnitentiã: quia ſunt infames. Idem affirmant Trottus *de perfectione Clericorum, lib.* 2. *part.* 1. *requiſ.* 5. *n.* 19. & Barboſ. *in collect. in d. cap. Cum dedecorem. num.* 3. Vnde à fortiori idem dicendum erit de his infamibus, quoad receptionem ad Monachatum, & ſtatum regularem. Hi tamen ſi recipiantur in Religione, eorum profeſſio valida erit: quia nullibi irrita reperitur. 31.

Decimumſeptimum impedimentum. Deſcendentes ab Hæreticis, Mauris, & aliis ſimilibus, quorum Patrum ſtatuæ, & oſſa combuſta ſunt, in multis Religionibus recipi non poſſunt. De Religione Minimorum, quòd in ea non poſſint recipi, affirmat Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælato*, *q.* 3. *cap.* 1. *n.* 85. in qua ſi recipiantur, profeſſio erit nulla. 32.

Decimumoctauum impedimentum. Bigami non poſſunt ad Religionem in Clericos recipi, benè tamen in Laicos, vt docet Graff. *part.* 1. *deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 11 & Peyrinus *loco citato, q.* 2. *cap.* 5 *num.* 100. 33.

Homicida iure communi non excluditur ab ingreſſu Religionis. Ita Portellus *in dub. Regul. verbo, Nouitius, n.* 12. quod etiam colligitur *ex cap. Admonere* 33. *q.* 2. Idem dicendum eſt de latrone cum Portello *loco cit. num.* 15. In his tamen valdè attendenda eſt conſtitutio Sixti V. 34.

Decimumnonum impedimentum eſt illiteratura: cùm enim ab Ordinibus illiterati expellantur, vt habetur *in cap. Præcipimus diſt.* 34. & *cap. illiteratus. diſt.* 30. & *cap. Pœnitentes diſt.* 55. & *cap. finali, de tempor. Ordin. in* 6. non debent in Religionibus etiam admitti ad ſtatum Clericorum: debent enim ea ſcientia ſaltem pollere, quæ ad diuinum Officium ritè perſoluendum neceſſaria eſt, vt dicunt Azor. *tom.* 2. *inſtit. moral. lib.* 6. *cap.* 6. *q.* 2. & Gonzal. *ad regul. menſium, gloſſ.* 4. *num* 73. & Garcias *de benef. par.* 7. *cap.* 7. *n.* 9. loquentes de omnibus Clericis. Idem dicendum erit de recipiendis ad Religionem: hi enim poſt profeſſionem debent ſupradicta ſcientia pollere, propter eandem rationem perſoluendi diuinum Officium. 35.

QVÆSITVM IV.

De informatione circa Nouitios acceptandos ab Abbatibus, & aliis Prælatis ſuperioribus habenda.

SVMMARIVM.

1 *Informationes pro Nouitiis recipiendis facienda, & quomodo ex ſtatuto Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis VIII. vt num* 2. *&* 3.

4 *Teſtes interrogandi pro informatione non ſatisfaciunt dicendo, neſcire recipiendos eſſe comprehenſos in conſtitutione Sixti V.*

5 *Teſtis non iuratus nullam fidem facit.*

6 *Informatio pro Nouitiis recipiendis fieri potest, tam per Iudices ecclesiasticos, quam per sæculares; & etiam per Regularem, vt n. 8.*

7 *Informatio prædicta debet esse iuridica.*

9 *Informatio quando, & quousque possit subsequi eraditionem habitus regularis.*

10 *Informationes debent fieri secundum ea, quæ statuit Sixtus V.*

11 *Interrogationes pro informatione facienda, quæ, & quo ordine.*

12 *Informationes approbandæ sunt iuxta tenorem Bullæ Sixti V. per Capitulum generale, vel prouinciale.*

13 *Examinatio approbationum facienda à Capitulo, an possit alijs delegari.*

14 *Delegatus ad vniuersitatem causarum censetur Ordinarius: & talis dicitur, quando delegatio vniuersalis est respectu personarum, licèt non quoad causas, vt num. 15.*

16 *Prælati Regulares in receptione Nouitiorum ad Religionem dicuntur delegati ad vniuersalitatem causarum.*

17 *Magistris Nouitiorum solent committi informationes pro Nouitiis recipiendis in aliquibus Religionibus.*

18 *Constitutiones Sixti V. Gregorij XIV. & Decreta Clementis VIII. super receptione Nouitiorum.*

1. SIxtus V. Pontifex Maximus per quandam suam constitutionem editam Romæ anno 1587. 7. Kalend. Decembris, Pontificatus sui anno 3. quæ incipit: *Cùm de omnibus*. & habetur *in fi. huius quæsiti*, statuit, atque decreuit, vt Nouitij non possint recipi, nisi in Capitulo generali, siue prouinciali, & habita priùs informatione admittendi ad Religionem, si maior sit sexdecim annorum, super cunctis rebus, in illa constitutione expressis, & informatione admissa, approbatáque in eodē generali, aut prouinciali Capitulo. Posteà videns dictam constitutionem esse nimis arduam, volens illam mitigare, ac modificare, per aliam constitutionē, quæ incipit: *Ad Romanum spectat Pontificem*. statuit, vt in qualibet Prouincia, saltem duo, vel, si cōmodè fieri poterit, tria, aut plura Monasteria deputarētur, quorum Superiores, saltem intra annum, ad huiusmodi informationem super Nouitiis faciendam congregarētur. Quòd si paucitas, vel magna distantia Monasteriorū id non pateretur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, vel Domus illius Prouinciæ, huiusmodi authoritatis in Religionibus Monachalibus per Capitulum generale, in Mendicātibus, & cæteris Regularib. per Prouinciale cōcederetur.

2. Posteà verò Gregorius XIV. per aliam suam constitutionem editam Romæ anno 1590. Pontificatus sui anno 1. quæ incipit: *Circumspecta Romani prouidentia Pontificis*. quæ similiter habetur *in fi. huius quæsiti*. statuit, vt in Religionibus Monachalibus Nouitij reciperentur per Conuentuum Superiores de consensu Capituli, habita prius aliqua informatione super rebus contentis in constitutione Sixti V. dummodo, antequàm reciperentur ad professionem, plenaria, & aliqua maior informatio fieret. Denique Clemens VIII. anno Incarnationis Dominicæ 1597. die 10. Septem-

3. bris, apud Sanctum Marcum, Pontificatus sui anno 6. per indultum, quod incipit: *In his, quæ ad Religionum propagationem*. concessit Priori, & Conuentui Sancti Stephani Salmanticensi, Ordinis Prædicatorum, tunc, & pro tempore existentibus, vt quoscunque iuuenes, etiam decimumsextum ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quòd criminosi, stationibus (vt præfertur) obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut aliis impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis detenti non sint, recipere, ac posteà per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum ad inuestigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmissorum, absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam, dictis Priori, seu Præsidenti, ac Superiori, & Magistro Nouitiorum, & studentium, à quibus approbari, & reprobari possit, referri fideliter debeat, liberè, & licitè possint, & valeant. Quod priuilegium concessum dicto Conuentui Sancti Stephani Salmaticensi, intelligitur concessum omnibus Monasteriis Religionum Mendicantium per concessionem factam à Leone X. anno Domini 1519. die 10. Decembris, Pontificatus sui anno 4. per Bullam, quæ incipit: *Dudum per nos accepta*. vbi cōcessit, vt omnia, & singula priuilegia hactenus concessa, vel in posterum concedenda vni Ordini, vel Domui cuiuslibet Ordinis Mendicantium, censeantur concessa omnibus prædictis Ordinibus, & ipsorum Domibus, & per consequens prædictum indultum Clementis VIII. concessum dicto Conuentui S. Stephani Ordinis Prædicatorū, censetur cōcessum omnibus Domibus Ordinum Mendicantium, necnon etiam aliorum Ordinum, qui fruuntur priuilegiis concessis, & concedendis Ordinibus Mendicantibus: & propterea eo possunt vti Monasteria Monachorum, & faciliùs recipi possunt Nouitij per viam huius priuilegij, quàm per alium modum à Gregorio XIV. traditum Ordinibus Monachalibus: quia per semiplenam probationem ab eodem Pontifice, vt *suprà* præscriptam, antequàm Nouitij ad habitum, & annum probationis admitterentur, multi eorum possent à Religionis ingressu, & recta intentione remoueri: atque ideò Religiosorum numerus in dies minui; cùm id, quod debet esse occultum, ne dicta incommoda sequantur, ob semiplenam probationem, quæ *ibi* præcipitur habenda, possit aliquando publicari: quod quidem non poterit euenire per iuramentum à recipiendo occultè sumptum. Vnde poterit Abbas recipere Nouitios maiores 16. annorum Religionem ingredi volentes, recepto tantùm ab eis iuramento, quòd impedimentis in constitutione Sixti V. contentis detenti non sint: & posteà per alium Religiosum ad hoc deputatum ad informationem illorum vitæ, & morum, ac dictis impedimentis sint obstricti per secretam inuestigationem procedere. Deputatus verò informationem captam, eidem Abbati, & Magistro Nouitiorum, & studentium referre debet, qui approbandi, & reprobandi authoritatem habeant.

Notandum, quòd testes inquirendi, de omnibus impedimentis sigillatim interrogentur, & oportet, quòd ipsi deponant, Nouitios recipiendos non esse detentos tali, vel tali impedimento. Nec sufficit, quòd generaliter dicant, nescire eos esse comprehensos *in d. Constitutione*: hæc enim negatio nihil probat, vt per se constat. Nec diligens inquisitio facienda in constitutione posita expleta foret; erit enim diligentia sufficiens, quæ in humano iudicio cum proportione sufficiat ad fidem faciendam. Desumendum est etiam ab iis iuramentum: quia testis, qui non iurauit, nullam fidem facit, *cap. Nuper nobis. de testib.* Quibus benè perspectis, nullam Abbas contrahet negligentiæ culpam in munere suo. 4.

Talis informatio fieri potest tam per ecclesiasticos Iudices, quàm sæculares; modò tamen iis proponantur examinanda, quorum Nouitium interest recipere, vt dicit Portellus *in dub. regul. verbo, Nouitij informatio, num.* 3. Roder. *qq. regul. tom.* 3, *q.* 10. *art.* 2. Bartholomæus

tholomæus de Vecchiis *diſp. 6. dub. 2. num. 4.* Beia 4. *part. caſ. 18. ver. fin.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 21. art. 3. concl. 1.*

7. Sed aduertendum eſt cum Laurentio de Peytinis *tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. num. 30.* quòd talis informatio debet eſſe iuridica, facta nimirum, per duos, vel tres teſtes iuratos, qui iurent, in tali perſona a ſe ipſis benè cognita, non eſſe vllum ex impedimentis contentis in conſtitutione prædicta; & quòd huiuſmodi teſtes debeant eſſe iurati, dicunt ſupradicti Doctores: tum, quia, vt diximus, teſtes ſine iuramento non faciunt fidem, Gloſſ. *in cap. Cum olim. verbo, Fratrum de priuileg.* Habetur *cap. ...nis. & cap. Nuper. de teſt.* quod quidem iuramentum prætermitti non poterit, cùm ſit in fauorem Religionis, etiam de conſenſu partium, vt dicunt Miranda *loco cit. concl. 4.* & Bartholomæus de Vecchiis *loco cit.* Suar. autem *tom. 4. de relig. lib. 5. cap. 10. num. 14.* manifeſtè affirmat, quòd ſupradicti teſtes iurare debeant, perſonam eſſe à ſe cognitam.

8. Non ſolùm per ſupradictos Iudices eccleſiaſticos, ſiue ſæculares, fieri poteſt informatio pro Nouitiis recipiẽdis; ſed etiã per aliquem Monachum idoneum ab illis ſtatuendũ, qui gaudeat authoritate recip... Nouitios: qui Monachus poterit per Notarium ſæcularẽ, ſiue Religioſum, ſiue per ſeipſum teſtes per ſcrutinium ſecretum examinare, præmiſſo iuramento, ſine facultate Ordinarij, & ſumpta informatione, eam Superioribus præſentare, vt de ea conſulere poſſint. Ita Ledeſma *de ſtatu Religionis. in comm. cap. 6. concl. 3. diff. 7.* Barthol... de Vecch. *loco cit. num. 4.* Miranda *ſimiliter loco cit. ... 2. art. 1.* Sic etiam conceſſit Clemens VIII. *in ... conſtitutione*, die 7. Septembris, 1597. apud Roder. *loco cit. art. 1.*

9. Antequam autem concedatur habitus regularis laicus, debent haberi prius informationes à deputatis, vt ait Laurentius de Peytinis *loco cit. num. 32.* vbi ſubdit, quòd ſi fieri nequirent, eo quòd timeretur, ne induendus precibus, vel minis parentum auerteretur à ſancto propoſito; poterunt eo caſu vſque ad tempus profeſſionis omitti: & interim poterit dari habitus Nouitio, iuramento ab eo ſumpto coram teſtibus, quòd non habeat impedimentum, ex conſtitutionibus Sixti V. ſicut conceſſit Clemens VIII. *in ſup. ... conſtitutione* apud Roder. *loco cit.* Et ſufficit, quòd Nouitius prædictus coram teſtibus iuret, ſe non habere impedimentum, quod illum inhabilitet ad habitum ſumendum iuxta prædictas conſtitutiones: quod iuramentum fieri debet coram illis poteſtatem habentibus recipiendi Nouitios, vel coram Superiore immediato Monaſterij, vel aliquo Collega, ſeu Prouinciali.

10. Notandum etiam cum eodem Peytino *loco citato, num. 33.* quòd prædictæ informationes iuridicæ non debent fieri de omnibus requiſitis in induendo ſecundùm naturam, & ius commune, ac Regulas, & Conſtitutiones particulares Religionis, quas præmiſerat Bartholomæus de Vecchiis *in praxi N... diſput. 6. dub. 1. num. 1.* vbi dicit, quòd informatio, quæ fieri debet in receptione Nouitiorum, oritur, vel ex obligatione iuris naturalis, vel canonici, vel ... pontificij, vel ex eo, quod in Regulis aut ſtatutis cuiuſcunque Religionis decernitur; ... ſolùm habenda eſt informatio ſecundum ea, quæ ſtatuit Sixtus V. *in ſuis conſtitutionibus.* Primò enim interrogandi ſunt teſtes, an cognoſcant parentes illius Nouitij: licet enim huiuſmodi interrogatio videatur ſolum poſtulata ab eodem Sixto V. vt conſtaret, non eſſe recipiendum illegitimum, cum ipſe illegitimos omnes recipi prohibuiſſet, niſi cum certis formis, quæ conſtitutio à Gregorio ...V. moderata eſt, videri poſſet forſitan alicui, hãc interrogationem non eſſe ampliùs neceſſariam. Sed adhuc neceſſaria eſt, vt ait Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 10. num. 12.* ad certiorem cognitionem perſonæ recipiendæ, & ad meliùs eius mores agnoſcendos. Debent inſuper interrogari teſtes, præter ea, quæ *ſuperius* diximus, de vita præterita, an fuerit vir, ſiue iuuenis probus, bonis moribus præditus: & an ſciant ipſi teſtes, vt diximus, eum perpetraſſe aliquod delictum, vt homicidium proditorium, furtum, vel quid ſimile; putà, magnum ſacrilegium, virginem rapiendo, & ſtuprando, Sanctimonialem violando: ſi fuerit in crimine peſſimo, vel beſtialitate; ſi parentum percuſſor, ſiue Epiſcopi, aut Clerici, ſiue Cardinalis, aut Prælati, vt optimè aduertunt Portellus *in dub. regul. verb. Nouitius, n. 19.* & Llamas *in append. §. 14. in fine.*

Similiter interrogandi ſunt teſtes, an aliquod ex prædictis delictis deductum fuerit in iudicium, & facta fuerit inquiſitio. Et aduertit Llamas *loco cit. §. 16.* quòd qui in rixa aliquem percuſſerit, vel vulnus inflixerit, pugno, vel ferro, aut lapide, quòd non prohibebetur ad Religionem recipi, etiamſi de hoc iam cœpiſſet informatio fieri in Curia.

Similiter interrogandi ſunt teſtes, an ille Nouitius Religionem ſponte, & piè ingredi cupiat; an verò ex aliqua humana cauſa ducatur ad Religionis ingreſſum: quæ quidem interrogatio poteſt omitti, cùm non ſit in vſu, teſte Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 21. art. 3.* licèt illam putet neceſſariam Laurentius de Peytinis *tom. 2. de Prælato, q. 3. cap. 1. num. 35.*

Vt autem huiuſmodi informationes aliquo ordine fiant, hîc adnotandæ ſunt breuiter vna poſt aliam eo ordine, quo deſcribuntur à Bartholomæo de Vecchiis *diſp. 6. dub.* ... quæ ſunt nouem, ſcilicet. 11.

Prima, an cognoſcant parentes N.N. ſciantque eos eſſe veræ fidei catholicæ ſectatores, ac bonæ famæ, & nominis.

Secunda, an ſciant N. præfatorum eſſe filium, ac de legitimo matrimonio natum.

Tertia, an ſciant, eundem eſſe ſui iuris, & liberum, vt diſponere valeat de perſona ſua, non ligatũ matrimonij vinculo; & an ſciant, eum promiſſionẽ dediſſe alicui virgini, vel mulieri, eam ducendi in vxorem,

Quarta, an ſciant, eum eſſe virum probum, ac bonis moribus præditum; & præſertim, an ſciant, eum perpetraſſe aliquod delictum, vel homicidium, furtum, latrocinium, vel quid ſimile, quod fuerit deductum in iudicium, aut ſuper eo aliqua facta fuerit inquiſitio.

Quinta, an ſciant, eum amiſiſſe bonum nomen apud homines ratione alicuius enormis delicti, vel pœnæ execrabilis ei illatæ, ita vt perpetua notetur infamia,

Sexta, an ſciant eum eſſe debitis vltra facultatem ſuam onuſtum, quæ ſoluere non poſſit, ab eiſque faciliter ſe expedire.

Septima, an ſciant eum ratiociniis, tam publicis, quàm priuatis eſſe obnoxium.

Octaua, an exiſtiment, eum bono fine ad Religionem ſe transferre.

Nona, an ſciant, eum eſſe integræ valetudinis mentis, ac corporis, & præſertim, an ſciant eum aliquo morbo contagioſo laborare.

Quæ quidem interrogationes, licèt ex his, quæ hactenus diximus de Nouitiis, elici poſſunt; nihilominus pro faciliori intelligentia ſic appoſitæ ſunt; quæ licet non enumerentur omnes in conſtitutionibus infrà ponendis Summorum Pontificum, ſed ſolùm quarta interrogatio, ſexta, & ſeptima: tamen operæpretium duxi cum aliis Doctoribus, & præſertim cum Bartholomæo de Vecchiis *loco cit.* eas ſic ordinatè recenſere

quia ex iuris canonici, vel Regulæ, aut constitutioni cuiuscunque Religionis videntur necessariò apponendæ.

Forma autem iuramenti præstanda iis, qui volunt Religionem ingredi, habetur *in formulario, in fine primi Tomi huius Operis.*

12. Habitis ergo huiusmodi informationibus, mediantibus interrogationibus supradictis, examinandæ sunt informationes, & approbandæ, iuxta tenorem Bullæ Sixti V. per Capitulum generale, vel prouinciale an, videlicet, sufficienter factæ sint. quod etiam colligitur ex alia constitutione declaratoria eiusdem Sixti V. vt bene aduertit Suar. *tom 3. de Relig. lib. 5. cap.* [illegible] *num. 17.*

13. Dicendum huiusmodi examinatio approbationum factam à Capitulo generali, vel prouinciali, possit aliis delegari. Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 21. art. 4. conc. 4* negat. cum Rodriq. *tom. 3 qq. regul. q. 10. art. 2.* Bartholom. de Vecchiis *in prax. Nouit. disp. 6. dub. 3.* dicit, non esse improbabile, hanc authoritatem eisdem Superioribus non esse delegatam, eò quòd Sixtus V nullam facultatem eis concedit, aut denegat; sed potius iam de iure communi habitam restringit, & limitat, quæ cùm semper in eis perpetua sit, semper quoque ordinaria censenda est, & consequenter eo modo, quo apud illos residet, etiam non delegabilis. Et subdit: *Esto hæc authoritas sit eis delegata;*

14. *nihilominus censeo illam subdelegari posse.* quia delegatus ad vniuersitatem causarum reputatur quasi Ordinarius, vt censuit Rota *decis. 775. num 4.* coram Seraphino, ac subinde delegare potest, prout probat Alexander 35. *lib. 2. variar resol. resol. 11. n. 13.* & tenent Doctores communiter, teste Couarruuia *variar. resol. lib. 3. cap. 20. num. 11.* ille verò tunc dicitur delegatus ad vniuersitatem causarum, quando ei genus causarum committitur sub vno nomine collectiuo, quamuis non sit generalissimum, sed subalternum, licèt sit restrictum quoad tempus, vel quoad quantitatem, vel quoad locum. Ita Bartolus *in l. Legatus num. 4 ff. de off. Procons.* & Azeuedo *lib. 3. recopil. tit. 9. l. 1. n. 5.*

Ex quo fit, vt quemadmodum iuxta Baldum *in l. Solet. n. 1. q. 4. ff. de iurisdict. omnium Iudic.* & Alexandrum *ibi, num. 9.* Socinum *in l. More. num 40 ff. eod. tit* & Bertachinum *in repert. tit. D, verbo, Delegatus ad vniuersam causam, ante num* 10. quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 3. de Matrim disp. 31. num. 4* quis di-

15. citur delegatus ad vniuersitatem causarum, si delegatio sit vniuersalis respectu personarum, licèt non quoad causas; vt puta, si omnes causæ mutui talis territorij alicui delegentur: quia causa mutui est genus multas sub se continens species: ita pari ratione dicendum est

16. de prælatis in casu nostro ad vniuersitatem [illegible] esse delegatos eò quòd causa receptionis ad Religionem est genus multas sub se continens species: ergo subdelegare possunt, quia non committitur eis nudum ministerium. Ita Bartholomæus de Vecchiis *loco citato*, vbi idipsum confirmat hac ratione: nam sicut Sacerdos ab Episcopo, vel à proprio Parrocho delegatus ad assistendum omnibus Matrimoniis parochiæ dicitur delegatus ad vniuersitatē causarum, vt optimè probat Sanchez *loco citato, num. 31.* etiamsi ei limitetur tempus: ita eodem modo præfati Prælati appellantur delegati ad vniuersitatem causarum.

17. In aliquibus tamen Congregationibus committitur Magistris Nouitiorum, vt a Nouitiis [illegible] & videant huiusmodi informationes, an sufficienter à Iudice [illegible] factæ.

Sequuntur constitutiones, & decreta Summorum Pontificum pro Nouitiis recipiendis.

SANCTISS. D.N.D. SIXTI diuina prouidentia Papæ V.

CONSTITVTIO.

Contra illegitimos etiam legitimatos, criminosos, vel suspectos, aut ari alieno, vel reddendis rationibus obnoxios, ad aliquam Religionem transire volentes; & contra Regulares absque Superiorum licentia, de Prouincia in Prouinciam euntes, vel transfugrantes.

SIXTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CVm de omnibus ecclesiasticis Ordinibus, in ea, qua conuenit, puritate, & dignitate conseruandis, præcipuam geramus sollicitudinem, tum verò illud præter cætera nobis cordi est, vt à Regularium personarum Congregationibus, quas tanquàm Deo dicatas, maximè candor, sanctitásque decet, cuiuscunque criminis, aut turpitudinis labes, & scandali occasio, quàm longissimè arceantur. Siquidem res ipsa nos admonet, quàm indecorum sit, & ab ea, quæ diuinæ Maiestati, eique consecratis personis debetur reuerentia, alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera, pœnas graues sibi in sæculo propositas timent, quive propter immunditiam, & peccata, ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia, ab omni mundano honore, & à paterna hæreditate repelluntur, iidem omnipotenti Deo, tanquàm hostiæ offerantur, atque ad habitandum in domo quam decet honor, & sanctitudo, inter ministros Domini, cui seruire regnare est, ad sacras functiones, quæcunque profana præeminentia multò nobiliores; sine vllo delectu admittantur. Cùm etiam secundùm legem Moysi, immundi ab ingressu Sanctuarij excluderentur, ac Sacerdos habens maculam, panes Deo suo offerre non posset, nec accedere ad ministerium eius; & quod in holocaustum Domini, aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, vt acceptabile forèt, nec vlla macula esset in eo; quòd si maculam habuisset, neque offerendum, neque acceptabile futurum esset.

Ne igitur contingat, illegitimè genitos, qui vt plurimùm parentum vitia, & incontinentiam imitari solent; nec pietas studio, sed temporalium commodorum intuitu (quia hæreditates maiorum aliquas consequi non possunt) ad Religionem confugiunt, vitam, quam animo a Religione alieno susceperunt, ac Institutis religiosis alienam, plerunque cum dedecore, & propriæ salutis dispendio ducere, sique corruptis moribus, & malis exemplis, quietem, & statum cæterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi fæce & colluuie, ipsarum Religionum honorem, & existimationem lædi, vt denique homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eò magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitiis, quò suæ proli hoc quoque refugium præclusum viderint:

Hac nostra in perpetuum valitura Constitutione districtè interdicimus, & prohibemus, ne illegitimi, procreati ex incestu, aut ex sacrilegio, quorum, scilicet, parentes consanguinitate, vel affinitate, intra

tertium

tertium gradum inuicem coniuncti fuerint, vel quorum alteruter parens castitatem Deo vouerit,) etiam apostolica, imperiali, vel regia, aut quauis alia authoritate legitimati, aut natalibus restituti ad aliquam quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, & non Mendicantium, Fratrum, Monachorum, Eremitarum, vel Canonicorum, aut Clericorum Regularium, Congregationum, aut Hospitalium Religionem, neque ad habitum, nec professionem Regulares recipi, vel admitti quoquo modo possint. Quòd si eorum quispiam habitum post publicationem præsentis Constitutionis in futurum receperit, vel professionem posthac emiserit, decernimus habitus susceptionem, & professionem, ex nunc, prout ex tunc, irritam, nullam, & inualidam, nulliúsque roboris, vel momenti fore, ac nullum exinde, aut ex huiusmodi voto penitùs annulato, obligationis vinculum oriri posse; quinimò illos habitu regulari, ad quem reassumendum perpetuò inhabiles sint, quamprimùm exui, & ab ipsa Religione eiici, exterminaríque debere. Nihilominùs quicunque Superiores, tam Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Domorum, Collegiorum, & locorum Regularium, quam etiam præfatorum Ordinum, Congregationum, Hospitalium, & quarumcumque Religionum Prouinciales, & Generales, quouis nomine nuncupati, qui ex prædictis incestu, vel sacrilegio genitos, post dictam publicationem ad habitum receperint, vel ad professionem admiserint, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, à qua eorum nemo, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quàm Romano Pontifice absolutionis beneficium valeat obtinere. Sed, ne iis, qui in humilitatis spiritu Deo, & Religioni seruire, & pœnitentiam agere intra Monasteria, vel Domos regulares cupiunt, ad sanctum huiusmodi propositum via penitùs præcludatur, permittimus, vt præfati illegitimi, ex dictis incestu, aut sacrilegio geniti, ad habitum conuersorum, seu famulorum in Monasteriis, vel Domibus regularibus seruientium recipiantur, & in ipsis Monasteriis, seu Domibus regularibus ad seruilia ministeria, viliora obsequia, humiles functiones, atq; abiecta seruitia admitti possint; ea tamen conditione, vt ad habitum Religiosorum, vel ad professionem; quam Religiosi emittere solent, emittendam, necnon ad omnes non modò sacros, sed etiam minores Ordines, vel ad clericalem characterem, denique ad cuncta ecclesiastica officia, & functiones, & ad ascendendum altiores gradus, sint eis portæ perpetuò clausæ, & obseratæ.

Quoad reliquos verò non ex incestu præfato, nec sacrilegio, sed ex quouis alio minùs legitimo toro natos, spurios, vel naturales, etiam vt præfertur, vel aliàs legitimatos, qui ob meliorem vitæ frugem, Religionem ingredi cupiunt, statuimus, & ordinamus, eos ad Religionem admitti non posse, aut debere, nisi priùs illorum vita, & moribus diligenter cognitis, & circunstantiis vniuersis, quæ circa idoneitatem personæ attendendæ erunt, consideratis, ac de Religionis zelo, pietate, integritate, & doctrina fide dignis testimoniis adeò commendati fuerint, adeò bonam indolem, & specimen virtutis præseferant, ac tot merita eis suffragentur, vt defectum natalium suppleant, eorúmque receptio vniuersæ Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso in generali, vel prouinciali Capitulo, matura deliberatione habita, Generalis, vel Prouincialis, Superioris, ac Diffinitorum vnanimi consensu approbati, & ad habitum regularem admissi extiterint; & tamen hi sic recepti ad gradus, honores & dignitates sui Ordinis obtinendas perpetuò inhabiles, & illorum incapaces remaneant, nisi super hoc cum eis fuerit, authoritate apostolica specialiter dispensatum. Si quis autem eorum alias, quàm vt præfertur, recipietur, professio similiter nulla sit, atque ipsi habitu priuari, & à Religione eiici debeant, eorúmque receptores, excommunicatione, vt suprà, innodati ipso facto existant.

Cæterùm, quoniam sæpè se vitia ingerunt, & se esse virtutes mentiuntur, ac multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienam pecuniam eorum fidei creditam, vt ratiocinia effugiant; alij post furta, latrocinia, rapinas, homicidia, aliave facinora patrata, etiam banniri, aut damnati, seu qui meritas pro suis delictis pœnas metuunt, non pia intentione, sed ad euitandam legum, & iudiciorum seueritatem, quia tutò in sæculo viuere non possunt, tunc demum quærunt à Religione auxilium, quando aliundè illud non sperant: vnde sub habitu, & nomine Religiosorum, animum Religioni inimicum, & inueterata vitia retinent, neque alios qui vocati sunt, patiuntur tranquillè diuinis obsequiis insistere, in grauem Dei offensam, Religionis opprobrium, & scandalum plurimorum: vt his quoque subterfugij, & impunitatis spes omnis tollatur, authoritate apostolica, & tenore præsentium, etiam perpetuò statuimus, & ordinamus iuuenes, aut viros adultos, maiores sexdecim annis, non aliter in aliquam Religionem recipi posse, nec debere, nisi priùs de eorum parentibus, patria, déque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit, eos neque aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora, reos, vel suspectos existere, vt propterea damnati sint, aut ne damnentur, formident, neque ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum grauatos, vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiusmodi causa, lis, vel molestia eis iam illata, vel timendum sit, ne inferatur: nisi denique constet, ipsos non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, & pietatis feruore, vitam Religiosam sponte, & ex animo elegisse; déque his omnibus in Generali, vel Prouinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta, tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quàm Diffinitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Omnes autem, quoscunque, vt dictum est, criminosos, vel suspectos, aut æri alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos, ad Religionem perpetuò inhabiles declaramus. Et si qui eorum contra præsentem nostram Constitutionem temerè admittentur, tam susceptionem habitus, quàm professionem, & inde secuta, ex nunc, prout ex tunc, pari modo irritamus, & annullamus, viribúsque, & effectu carere decernimus, ac iubemus eos, qui sic de facto recepti erunt, habitu spoliari, & Religione expelli; & nihilominùs si expulsi non fuerint, volumus, & pariter declaramus, habitus susceptionem, & professionem penitùs nullam esse, & censeri, ac propterea attenta nullitate habitus, & professionis, licere quibuscunque Iudicibus, & Curiis, etiam sæcularibus, ad quos, seu quas spectat, contra eos, vt priùs, iuris, & facti remediis opportunis, ex officio, vel ad cuiuscunque instantiam, vel querelam ciuiliter, aut mixtim procedere. Quare volumus, vt cuiusque iuuenis, aut viri maioris 16. annis à sæculo ad Religionem transeuntis, approbatio, admissio, & receptio in Generali, vel Prouinciali Capitulo, vt suprà ordinatum est, pro tempore fiant, necnon Religiosi sic recepti nomen, & cognomen, quibus in sæculo vtebatur, & patria in actis ipsius Capituli describatur, & notentur. Et insuper quoscunque

Religioſos, eorúmque Superiores, qui aliquas perſonas, vt dictum eſt, inhabiles poſt hanc Conſtitutionem publicatam receperint, voce actiua, & paſſiua, necnon officiis, gradibus, honoribus, & dignitatibus quibuſcunque per eos obtentis, eo ipſo in perpetuum priuamus, & tam illis priuatos, quàm ad illa, & alia quæcunque in poſterum obtinenda, perpetuò inhabiles, eorumque incapaces decernimus, & declaramus.

Sed & quia interdum Satanas in Angelum ſe callide transfigurat, ac perditi quidam, & facinoroſi homines, quòd ſæpè vidimus, & experti ſumus, inſtigante antiquo pacis, & Religionis hoſte, non veriti ſunt temerario auſu habitum Religioſorum aſſumere, ea mente, vt velutì ſub ouina pelle lupi rapaces, per dolum, & inſidias Chriſti fideles incautos, & nihil mali à Religioſis ſuſpicantes, opprimerent; ſiue, vt poſt ſcelera perpetrata, viam faciliorem ad fugam haberent, ſiue vt banniti Curiæ ſæcularis, quæ eos propemodum interceptos perſequebatur, manus effugerent; & contigit aliquandò ipſos ſicarios, religioſis veſtibus indutos, à veris Religioſis hac fraude deceptis, intra Domos regulares hoſpitio receptos fuiſſe: Prohibemus eodem modo, atque interdicimus, ne quis Regularis ex vna Prouincia ad aliam Prouinciam ſui Ordinis tranſeundo, etiam in itinere, intra aliquod Monaſterium, Domum, vel locum alterius Prouinciæ ad habitandum, vel tanquàm hoſpes recipi, aut ad modicum tempus diuertere poſſit, niſi à Superiore eius loci, vbi reſidet, expreſſam licentiam diſcedendi in ſcriptis obtentam, ſeu literas obedientiæ, vel commendatitias ſecum deferat, atque exhibeat, vel niſi ita cognitus ſit iis, ad quos diuerterit, vt de eius perſona nullus omninò dubitationi, aut ſuſpicioni locus relinquatur. Ideòque præcipimus vniuerſis, & ſingulis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus Generalibus, vt per ſuos Officiales, miniſtros, vel executores curent, ab omnibus perſonis regulari habitu indutis, quas per ſuas ciuitates, vel diœceſes iter facere, vel tranſire, & ad quæcunque hoſpitia, vel diuerſoria ſe recipere contigerit, diligenter perquiri, num huiuſmodi literas obedientiæ, ſeu commendatitias ſecum deferant. Quòd ſi eas dictas literas non habere, vel ignotos eſſe deprehenderint, poſſint contra ipſos, etiam tanquàm dictorum criminum ſuſpectos procedere, & tandiu illos ſub cuſtodia detinere, donec certa de eiſdem notitia habeatur. Et tamen volumus, vt ij, qui etiam pietatis, vel hoſpitalitatis prætextu, Regulares alterius Prouinciæ ignotos, aut ſine licentia, vel literis, vt ſuprà receperint, dictas pœnas priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ, necnon officiorum, graduum, honorum, & dignitatum obtentorum, atque inhabilitatis perpetuæ pariter incurrant. Decernentes ſic in præmiſſis omnibus per quoſcunque iudicari debere. Necnon irritum, & inane, ſi ſecùs à quoquam, quauis authoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus noſtris, S.R.E. Cardinalibus, dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & locorum Regularium, apud nos, & Sedem apoſtolicam Protectoribus, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ac locorum Ordinariis præfatis, per apoſtolica ſcripta mandamus, vt eorum vnuſquiſque per ſe, vel alium, ſeu alios Cardinales quidem in ſuæ protectionis; Ordinarij verò in ſuarum ciuitatum, diœceſum, & diſtrictuum regularibus locis, curent præſentes literas publicari, eáſque perpetuò firmiter, & inuiolabiliter obſeruari; inobedientes, cenſuras, & pœnas prædictas incurriſſe declarando, illáſque etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis.

Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, necnon quoruncunque Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, & Religionum iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quanis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis apoſtolicis quoquoruncunque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentis Conſtitutionis impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorúmque totis tenoribus habenda ſit in his litteris mentio ſpecialis. Quæ omnia, quatenus eidem Conſtitutioni in aliquo aduerſentur illorum tenores pro expreſſis habentes, perpetuò tollimus, annulamus, & abrogamus, ac nolumus cuiquam ſuffragari, aut ſi Superioribus & perſonis dictorum Ordinum, Congregationum, Hoſpitalium, communiter, vel diuiſim ab apoſtolica ſit Sede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem.

Mandamus verò eaſdem præſentes ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac Cancellariæ apoſtolicæ, de more publicari, & affigi, illarúmque exemplis, etiam impreſſis, Prælati eccleſiaſtici ſigillo, & Notarij publici ſubſcriptione munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quæ eiſdem originalibus habetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtrorum interdictorum, prohibitionum, ſtatutorum, ordinationum, declarationum, decretorum, voluntatum, permiſſionis, irritationis, annullationis, iuſſionis, priuationis, præcepti, ſublationis, abrogationis, & mandatorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo quingenteſimo octuageſimoſeptimo, 6. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno tertio.

HIPP. Card. Aldob. pro Dat.

TH. THOM. GVALTERVTIVS.
A. DE ALEXIIS.

Sequitur declarationes prædictæ Conſtitutionis Sanctiſſimi D.N. Sixti diuina prouidentia Papæ V.

SIXTVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum ſpectat Pontificem, ſacrorum Canonum conditorem, quæ per eum ſancita ſunt, ita ſuo declarationis arbitrio dilucida reddere, vt inde nemini poſſit dubitationis ſcrupulus exoriri; præſertim verò ſalubriter conſulere, vt cùm de Regularibus agitur, qui ſe omninò Dei omnipotentis obſequio mancipaiunt, tollantur ea omnia, quæ eorum ſanctum Chriſto pie inſeruiendi inſtitutum quoquo modo valeant perturbare. Sanè poſt editam noſtram conſtitutionem, quæ incipit: *Cum de omnibus eccleſiaſticis Ordinibus*, &c. ſuper modo & forma recipiendi, & admittendi eos, qui ſub Religionis iugo, Altiſſimo famulari deſiderant, cùm variæ ſint exortæ dubitatio

dubitationes, & quæstiones, eæque posteà ad audientiam nostram perlatæ: Nos ad tollendam omnis ambiguitatis occasionem, habita cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinalibus Congregationis, super Regularium negotiis, & consultationibus per nos institutæ, matura deliberatione, illorum consilio, & assensu præsentem nostram perpetuò valituram declarationis constitutionem duximus promulgandam. Cùm itaque inter alia dubitetur, num primò dicta nostra constitutio, vbi de illegitimè genitis loquitur, comprehendat etiam eos, qui posteà per subsequens matrimonium fuerunt legitimari: Nos inhærentes sacrorum Canonum dispositioni, authoritate apostolica, tenore præsentium declaramus, illegitimè natos ex iis parentibus, inter quos tempore, quo ipsi geniti sunt, matrimonium ritè consistere poterat, secuto posteà matrimonio legitimos effectos, sub dicta constitutione minimè comprehendi; sed eos, tam ad emittendam professionem, quàm ad consequendos gradus, honores, & dignitates sui Ordinis, æquo iure cum illis, qui ex matrimonio legitimo, & constanti nati sunt, censendos esse. Illegitimos verò, etiam ex soluto, & soluta, qui, antequàm nostra constitutio emanaret, professi vigore, seu prætextu priuilegiorum, aut indultorum apostolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorúmve Superioribus in genere, vel in specie concessorum, eo ipso per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores, siue alios quoslibet, etiam Sedis apostolicæ de latere Legatos, aut alios Officiales, vel ministros, quauis præeminentia, vel authoritate etiam apostolica fungentes, aut facultate suffultos, legitimati, aut ad gradus, & honores, & dignitates habilitati, seu reintegrati, & illis aliàs perfuncti sunt, volumus posthac, non obstantibus quibuscunque, tam antiquis priuilegiis, aut litteris apostolicis, quàm aliis indultis, seu declarationibus, etiamsi illa per nos post dictam constitutionem nouissimè edita fuisse asserantur, honores, gradus, dignitates huiusmodi obtinere non posse, ac dispensationes, & legitimationes quascunque eis nullatenus suffragari, nisi specialiter, & nominatim cum eorum singulis fuerit super natalium defectu, vt honores, gradus, dignitates obtineant, ante, vel post ingressum Religionis per Romanũ Pontificem immediatè, vel de eius speciali mandato dispensatum: de qua dispensatione, seu mandato per litteras apostolicas, seu in forma Breuis, vel saltem per patentes literas Cardinalis Protectoris, de ipsius Rom. Pont. voluntate fidem facientes legitimè constiterit. Eos pariter, qui tempore publicationis nostræ constitutionis in suis Religionibus sine huiusmodi speciali Romani Pont. dispensatione officia, honores, & dignitates habebant ad vitam, eo ipso ab illis amotos, & absolutos harum serie declaramus. Ad tempus autem illa obtinentes permittimus in sua administratione vsque ad finem sui temporis conseruari; ita tamen, vt in posterum, nec tempus ordinarium eis prorogari, aut extendi, neque ipsi ad alias non modò similes, verùm etiam neque ad inferiores, aut altiores, & maiores dignitates, honores, gradus ascendere possint; perinde ac si idipsum in præfata nostra constitutione ab initio expressum fuisset. Ne tamen huiusmodi Religiones in liberalium artium, ac præsertim in sacræ Theologiæ studiis, & religiosis profectibus segniores fiant, atq; eorundem pia studia refrigescant, eos nosse volumus, quòd si ipsorum quispiam eximia doctrina, vitæque, & morum sanctitate excellere reperiretur, déque eorum probitate, & præclaris meritis Ordinum Protectores tam apud nos fidem fecerint, vt non immeritò sperari queat, eorum doctrinã, & operam ipsi Ordini, & sanctæ Dei Ecclesiæ vsui, & commodo futuram; tunc demum indulgentiam, & benignitatem nostram facilè experirentur. Quoniam verò à multis quæsitum est, sub nomine honorum, & graduum, à quibus illegitimi penitùs excluduntur, quid potissimum sit intelligendum: Declaramus hac in re, de qua nunc agitur, appellatione dignitatum, honorum, graduum debere intelligi Præpositatus, Abbatiatus, Prioratus, Guardianatus, Custodiatus, Prouincialium, ac Generalium Superiorum officia, & alia his similia, cum honore, & superioritate coniuncta. Ab officiis autem oneris, velutì Lectoris, Confessarij, Studiorum, & sacræ Theologiæ Magistri, Regentis, Prædicatoris verbi Dei, & cæteris huiusmodi, imò etiam à voce actiua à sacris Ordinibus suscipiendis, ipsorúmque ministerio ipsos illegitimos, dummodo ex sacrilegio, vel incestu geniti non sint, nequaquam arcemus. Cùm verò in quibusdam Religionibus Capitula prouincialia, aut nunquam, aut non quotannis, sed rariùs celebrentur; quædam etiã Monasteria, aut Domus huiusmodi in remotissimis regionibus, Hæreticorum, aut Infidelium tyrannidi finitimis siti sunt, ne ij, quos extra Capitula ad habitum, vel Professionẽ Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incõmodo accedere cogantur; concedimus, & indulgemus, vt in qualibet Prouincia, saltem duo, vel, si commodè fieri poterit, tria, aut plura Monasteria, seu Domus regulares deputentur, quarum, seu quorum Superiores infra annum saltem ad inquisitionem super Nouitiis faciendam, & ad ipsos Religiosos iuxta formam præfatæ constitutionis recipiendos, & ad alia, quæ in ipsa constitutione continentur peragenda, simul congregentur. Quòd si paucitas, aut nimia distantia Monasteriorum, ne id quidem patiatur, saltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius Monasterij, aut Domus eius Prouinciæ huiusmodi facultas, & authoritas, per Capitulum Generale, scilicet, Monachorum, vel Prouinciale Mendicantium, & reliquorum Regularium huius Ordinis demandetur. Verùm in iis Monasteriis, Domibus, & locis regularibus, quæ aut nondum in Congregationes redacta, aut aliàs nulli Prouinciæ subiecta sunt, statuimus, vt trina Capitula Conuentualia, tribus distinctis cum interuallo saltem decem dierum iuribus, celebrata eandem de recipiendis Nouitiis per trinas huiusmodi distinctas voces approbatis habeant authoritatem, quæ per nostram constitutionem Capitulis prouincialibus est attributa. Neque verò si in generalibus, vel prouincialibus Capitulis aliqui vocales desint, nec si à Diffinitorum consensu aliquis discrepauerit; idcircò receptio Religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit; sed satis esse volumus, si vocalium, & suffragiorum numerus legitimus à iure, vel per cuiuscunque Ordinis statuta præfinitus interuenerit. Et quod de Capitulo prouinciali, aut generali dictum est, idem iuris statuimus, si quæ Religiones non Capitulorum, sed Congregationum, aut Diætarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur. Quod autem pertinet ad professionem, tam illegitimorum, quàm eorum, qui post 16. ætatis annum expletum regularem habitum susceperunt; quia tunc demum verè, & propriè Religiosi effici dicuntur, cùm professionem emittunt: Declaramus eos, qui ante prædictam nostram editam constitutionem habitum susceperint, & post ipsius promulgationem cupiunt profiteri, non aliàs ad professionem admittendos esse, quàm facta inquisitione, & seruata forma in ipsa constitutione præscripta; & eorum, qui post dictam promulgationem, etiam ignorantes

ranter non habita d cta inquisitione,& nō seruata forma ad professionem admissi fuerint, professionem nul ius roboris, & momenti. In oblatis autem & conuer s prof. ssionem omittentibus satis erit, si quoad mores, & statum personarum ipsa inquisitio fiat. Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione eam tenemur, quæ militat io expressa, statuimus, quòd in quibusuis Ordinibus, & Religionibus, neque etiam tacita professio quorumcumque Religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma seruata fuerit. Si q is verò ante editam nostram constitutionem iam tacite professus expresse cupiat profiteri; vel si quis Apostata ad suam Religionem redire voluerit, inquisitio, & forma præscripta non erit necessaria, nisi vel de moribus, statu, & qualitate personæ, vel de validitate ipsius tacitæ professionis dubitario aliqua oriatur. In ...tem, qui in locis à sua patria longissime remotis degentes, vel quorum patria ab Hæreticis ve Infidelibus misere oppressa detinetur, voluerunt se diuinis obsequiis sub regulari habitu dicare, vt in hoc quoque Sedis apostolicæ benignitas elucescat, quæ cunctos mortales, præsertim verò exteros ex longinquis regionibus ad eam assiduè confluentes materno sinu libenter amplectitur, sancimus exteros huiusmodi, & aduenas quamuis non liquidò constet de iis omnibus, quæ in constitutione nostra requiruntur; tamen si diligentia adhibita nihil appareat, quod eos impediat, habiles reputandos esse. Quòd si quis ante, vel post constitutionem ipsam professis ad sacros Ordines, vel ad honores, gradus, & dignitates promotus existat, & postmodum in eo natalium defectum, aut criminum in dicta constitutione nostra expressorum notam, quæ priùs ignorabantur, detegi contigerit, decernimus, eum statim post huiusmodi defectus notitiam habitam, non aliàs quam iuxta formam ipsius constitutionis ad honores, gradus, & dignitates, aut ad executionem sacrorum Ordinum admitti debere. Contra criminosos verò, quorum professio eadem constitutione nostra, irrita declaratur, ac propterea Iudicibus, & Curiis sæcularibus procedendi facultas conceditur, tunc demum id locum habere volumus, & non aliter, cùm actis publicis constiterit, ipsos Indices, & Curiam secularem, ante susceptionem habitus de ipso crimine aduersùs eos accusationem suscepisse, vel inquisitionē instituisse. Cæterùm, quæ à nobis circa Religiosos Nos in præfata constitutione sancita sunt, ea nequaquam ve... ad Moniales nunc extendi. Postremò, dum interdicimus, ne quis Regularis alterius Prouinciæ intra aliquod Monasterium, Domum, vel locum alienæ Prouinciæ, etiam tanquàm hospes, & ad modicum tempus recipi possit, nisi à Superiore loci, vbi residebat, & à quo discessit, licentiam expressam in scriptis exhibuit, vel nisi satis cognitus sit, id obseruari volumus, non solùm in Religiosis itinerantibus de vna in aliam Prouinciam; sed in iis quoque, qui proficiscuntur de vno in aliud eiusdem Prouinciæ Monasterium, tam sui, quàm alterius Ordinis. Quod si dicerent, se ad apostolicam Sedem confugere ob grauamina à suis Superioribus sibi illata & ideo ab ipsis Superioribus licentiam, & litteras obtinere non potuisse, non propterea vllo modo recipi valeant, nisi fide dignorum testimonio de petita ab eis licentia, & per suos Superiores denegata constiterit.

In Alma vero Vrbe nostra Religiosi aduenæ, & peregrini de grauaminibus sibi illatis conquerentes, nullibi tunc huiusmodi litteris, aut licentia recipiendi erunt, nisi priùs ad Congregationem dictorum Cardinalium super negotiis Regularium à nobis deputatorum, vel ad suos protectores remittantur, vbi ipsis auditis, pro rerum, & personarum qualitate quid agendum sit, statuitur. Reliqua autem in priori nostra constitutione contenta, quæ in præsentibus litteris non declarantur, volumus perpetuò firma, & valida in suo robore permanere, ac ab omnibus, ad quos spectar, inuiolabiliter obseruari. Et si quid à nobis alicui Ordini, aut Religioni præter aut contra præfatæ constitutionis formam post illius editionem circa recipiendos extra Capitula Nouitios, aut aliàs indultum, aut concessum fuit, id omne, ac desuper confectas litteras prorsus reuocamus, & annullamus, ac ad terminos præsentis constitutionis reducimus, & alias nemini volumus suffragari. Decernentes sic in præmissis vniuersis, & singulis per quoscunque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum sacri Palatij apost. Auditores, ac S.R.E. Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, in quauis causa, & instantia vbique iudicari, & diffiniri debere; necnon irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præfata, & aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon quorumcunque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium Religionum, ac Monasteriorum, etiam eorum, quæ Ordinum capita, Prioratuum, Domorum, & quorumuis Regularium locorum iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis quantocunque tempore obseruatis, necnon fundationibus eorundem; aliis quoque priuilegiis, indultis, exemptionibus, & litteris apostolicis illis omnibus, ipsorumque Superioribus Generalibus, vel Prouincialibus, Conuentibus, Capitulis, Fratribus, & personis, per quoscunque Rom. Pont. prædecessores nostros, ac nosmetipsos, etiam post primæ dictæ constitutionis nostræ publicationem, & præfatam Sedem etiam per modum statuti perpetui, ac initi, & stipulati contractus, seu quasi, necnon motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, ac etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, aliorùmque Principum, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ac de eorum consilio, & assensu consistorialiter habito, quomodolibet, ac sub quibusuis tenoribus, & formis nec non cum quibusuis restrictiuis, restitutiuis præseruatiuis, annullatiuis, derogatoriarum derogatoriis, aliisve efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis quomodocunque concessis, & confirmatis, & etiam iteratis vicibus extensis, & moderatis. Quamuis ..., ac statutis stabilimentis, & fundationibus præfatis caueatur ... præsè, quòd nunquam eorum priuilegia, & ... reuo...ta, vel moderata, aut innouata ... intur, nec illis in toto, vel in parte derogatum censeatur per quascunque litteras etiam derogatoriarum derogatorias, ac alias fortiores, & efficaciores clausulas in se continentes, nisi illorum, ac etiam certarum specialium litterarum apostolicarum inde confectarum verè, non autem per clausulas generales, vel speciales idem importantes, inserto tenore, ac de simili Cardinalium consilio, quodque semper in huiusmodi derogationibus, aliis dispositionibus censeatur apposita clausula, quòd tunc nec aliter, nec alio modo effectum sortiantur, cùm superiorum Capitulorum, vel Conuentuum præfatorum ad id accedat assensus, quòdque derogationes, & aliæ dispositiones huiusmodi aliter effectum non habeant, nisi consistorialiter factæ, & per trinas distinctas litteras eundem

dem tenorem continentes, tribus distinctis vicibus superioribus Capitulis, & Conuentibus præfatis fuerint intimatæ, eorúmque pariter ad id expressus accedat assensus; aliter verò factæ viribus. & effectu omninò careant, ac Superiores, Capitula Conuentus, & aliæ personæ præfatæ ad parendum illis, & decretis desuper processibus, eorúmque executoribus, & subexecutoribus, ac ipsorum mandatis, & monitionibus minimè teneantur; sed litterarum huiusmodi executionem omninò impedire, nec ratione resistentiæ censuris ecclesiasticis, etiam per ipsos executores, vel subexecutores latis innodari possint. Quibus omnibus, etiam si aliàs de eis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, harum serie specialiter, & expressè derogamus, & quatenus effectum præsentium quoquo modo impedire, vel retardare, vel illis obesse possent, ea omninò tollimus, & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes litteræ omnibus pleniùs innotescant, mandamus illas ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorũ de Vrbe, & in Cancellaria apostolica, necnon in acie Campi Floræ publicari, ea, rúmque exempla de more affigi. Volumúsque, & decernimus, vt ipsarum præsentium exempla, etiam impressa, manúque Notarij publici, & sigillo Prælati ecclesiastici, aut illius Curiæ obsignata, eandem vbique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, *&c.* Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, anno Incarnationis Dominicæ 1588. duodecimo Cal. Nou. Pontificatus nostri anno quarto.

GREGORIVS EPISCOPVS
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Circumspecta Romani Pontificis prouidentia, ea, quæ rationabilibus causis, authoritate apostolica sancita fuerunt, ipsa rerum experientia suadente, ex aliis interdum non minùs iustis causis moderatur, & immutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Sanè, licèt aliàs felicis recordationis Sixtus Papa V. prædecessor noster, nonnulla circa qualitates, modum, & formam admittendi Religiosos ad quoscunque Ordines salubriter statuerit, prout in duabus desuper; prima, videlicet, sub datum sexto Calendis Decemb. anno tertio; & altera, sub datum duodecimo Calendis Nouembris, anno quarto sui pontificatus, editis Constitutionibus latiùs continetur: quia tamen vsu comprobatum est, multa inuenta fuisse impedimenta, propter quæ ea, quæ in præmissis statuta fuerunt, executioni mandari minimè potuerunt. Vnde quamplures litteris, & pietate insignes viri à sancto proposito regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alij diu cum maxima eorum laude in Religione versati, ab illius dignitatibus, honoribus, prælaturis cum non modico Religionis, & Ordinum huiusmodi detrimento repulsi, & inhabiles penitùs redditi fuerint. Nos igitur ea, quæ docuit experientia, salubriter fuisse constituta confirmare; quæ verò moderatione aliqua indigere, moderari volentes, ac dictarum Constitutionum, & inde sequutorum quorumcunque tenores, etiam veriores præsentibus, pro expressis habentes, habita cum Venerabilibus Fratribus nostris, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, super negotiis, & consultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorundem consilio prædictas Constitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ea certo inibi expresso damnato toro, vel complexu, ad quancunque Religionem, itemque ad habitum, aut professionem regulares, sed tantùm ad habitum Conuersorum, aut famulorum in Monasteriis, aliisque locis regularibus seruientium admittantur; & si post dictam Constitutionem professionem emittetent, voluit illam nullius esse momenti. Et in altera parte, in qua illegitimè genitos, etiam ante ipsas Constitutiones Professos, vigore priuilegiorum, aut indultorum apostolicorum cuiuis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorúmve Superioribus in genere, vel in specie concessorum, etiam ipsos per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimatos, seu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, seu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuscunque, tam antiquis, quàm aliis priuilegiis, litteris apostolicis, indultis, aut declarationibus, non obstantibus excludi, ac dispensationes quascunque, aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his, nisi à Sede apostolica, priuilegiis quibuscunque non obstantibus, dispensare posse voluit; authoritate apostolica tenore præsentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur, ac omnes dispensationes, & habilitationes vigore priuilegiorum, aut indultorum apostolicorum cuivis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorúmve Superioribus in genere, vel in specie, vt præfertur, concessorum quæ tempore Constitutionum huiusmodi vsu recepta, & non sub vllis reuocationibus comprehensa erunt per quoscunque eorum Superiores factas, in pristinum statum, & validitatem, in quibus ante ipsas Constitutiones existebant, restituimus, & reintegramus. Volentes iisdem Constitutionibus non obstantibus, eos, qui quouis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum, & professionem regulares admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ Constitutiones editæ non fuissent. Ita tamen, vt cùm de recipiendis quomodocunque illegitimè natis, ad habitum, & professionem Ordinum quorumcunque agetur, ij, ad quos huiusmodi receptio spectat, præter alia, de quibus ex dictarum Constitutionum præcepto circa quoscunque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, & virtutis specimen præseferant, ac tot eis merita suffragentur, vt natalium suppleant defectum, eorúmque receptio Religionis commodo, & vtilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ij, ad quos, vt dictum est, pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione habita ita censuerint, & iudicauerint; dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit, ipso patre viuente non admittatur, quod expressè prohibemus. Volumus quoque, ac statuimus licere Generali, aut Prouinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum apostolicorum eis concessorum, quæ dummodo vsu recepta, nec aliàs sub vllis reuocationibus comprehensa sint, vt præfertur in hac parte, reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali Prouinciali, seu interuenedio Capitulo, & non aliàs suffragantibus meritis dignos iudi

iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes huiusmodi pro tempore ... factas, & inde sequuta quæcunque vt anteà valere, & tenere, perindeac si supradictæ Constitutiones non emanassent. Cæterum, cum acceperimus, nonnullarum Religionum, & Ordinum, præsertim Monachalium Monasteria ita instituta esse, vt in eis perpetua quædam filiatio constituatur? ideóque receptio Nouitiorum in vnoquoque Monasterio ad superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem Monasterij tantùm pertineat, quæ etiam Monasteria, vt plurimum ... se longè distant, nec Generalia, Prouincialia, aut intermedia Capitula, nisi rarò celebrare solent. ideò statuimus, vt Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli præhabita simul cum his, de quibus in vnaquaque Religione, aut Monasterio iuxta eius Constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his, quæ in dictis Constitutionibus continentur, ad receptionem huiusmodi procedere valeant; dum tamen, antequàm ad professionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis Constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quæ posteà ab his à quibus in prædictis Monasteriis examinari solent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quòd Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut vbi consuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus, aut quatuor, ad id in generali Congregatione per vota secreta deputatis, seruatis eorum regularibus institutis, ac supradictis omnibus, eandem in recipiendis Nouitiis habeant authoritatem, quæ per dictas Constitutiones Prouincialibus Capitulis est attributa. Decernentes sic, non aliter per quoscunque Iudices & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam eiusdem Romanæ Curiæ Cardinales, & Causarum Palatij Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate vbique iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac quibusuis aliis Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque cõtrarijs quibuscunq. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, vel personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ reductionis, moderationis, restitutionis, reintegrationis, prohibitionis, reualidationis, statutorum, voluntatum, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorũ eius se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo, Idibus Martij, Pont. nostri anno primo.

L. Dat.

M. Vestrivs Barbianvs.

A. de Alexiis.

DECRETA GENERALIA fel. rec. Clementis Papæ VIII.

De Nouitiis ad habitum Regularem, & professionem non admittendis, nisi in Conuentibus designandis.

CLEMENS PAPA VIII.

Regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxta nostri muneris debitum, laborare non desistimus, illud in primis magnum impedimentum afferre quotidiano vsu compertum est, quod in omnibus Conuentibus, iis, præsertim, qui maiori reformatione indigent, singuli ad Religionem venientes, passim recipiuntur. Vnde fit, quò magis Nos variis constitutionibus malè affectas radices amputare studemus, eò magis in dies deprauata, infructuosáque eiusmodi nouitet profitentium germina succrescant. Cui quidem malo occurrere volentes, præsenti Decreto statuimus, districtéque præcipimus omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, cæterisque Superioribus Conuentuum, intra Italiæ, & Insularum adiacentium fines, existentium quibuscunque, & quorumcunque Ordinum Mendicantium, vt de cætero neminem sub quouis prætextu, aut colore ad habitum regularem admittant, nisi in Conuentibus authoritate nostra propediem in vnaquaque Prouincia designandis. Insuper sancimus, vt quoad eiusmodi Conuentus vt præfertur, per Nos deputari non fuerint; omnes præfatorum Ordinum Superiores à receptione quorumcunque Nouitiorum, siue ad habitum, siue ad professionem, omninò abstineant. Superior, qui huius Decreti trãsgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisq; actiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda, se nouerit incurrisse, ac aliis etiam pœnis arbitrio nostro subiaceat. Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum nostrum admissi fuerint, nullas, & irritas ex nunc decernimus, & declaramus, priuilegiis, Statutis, & consuetudinibus quibuscunque in contrarium minimè obstantibus. Dat. Romæ die 12. Martij, 1596.

RENOVATIO, ET AMPLIATIO eiusdem Decreti.

De Nouitiis ad habitum Regularem non recipiendis, nisi in Monasteriis, & locis designandis.

Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. cùm iamdudum animaduerteret collapsæ regularis disciplinæ restitutioni, pro qua potissimùm, iuxta sui muneris debitum, vigilare, ac laborare non desistit, illud in primis magnum impedimentum afferre, quod in omnibus Monasteriis, & Conuentibus, iisque præsertim, qui maiori indigent reformatione, singuli ad Religionem profitendam accedentes, passim, ac sine delectu recipiuntur, ac inde fieri, vt quò magis variis Constitutionibus male affectas radices euellere studet, eò magis infructuosa nouitet profitentium germina quotidie succrescant; cúmque ob zelum, ac desiderium, quo tenetur Sanctitas sua, omnes Regulares ad vetus suæ cuiusque Religionis institutum redigendi, districte prohibuerit,

buerit, ne quis in certis Monachorum, & Mendicantium Ordinibus ad suscipiendum habitum Religionis admitteretur, profitereturve, quousque Monasteria, & Conuentus aliquot destinarentur, in quibus posset commodiùs regularis obseruantia, secundùm reformationem à Sanctitate sua institutam introduci: quia tamen, non obstante tali prohibitione, cognouit nonnullos fuisse, vel sub colore facultatis, & licentiæ à Sanctitate sua obtentæ; vel, quia talis prohibitio ad illorum notitiam non peruenerit, receptos, & admissos, præter mentis suæ sensum: idcircò huic malo prospicere volens, ac licentiarum, ac facultatum huiusmodi subreptione, ac prætextu, Decretum Sanctitatis suæ irritum reddatur; nunc denuò districtè præcipit, ac mandat omnibus Generalibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, & Guardianis quibuscunque, cæterisque Superioribus, Conuentuum, Monasteriorum, ac Domorum, quocunque nomine appellentur, intra Italiam, & Insularum adiacentium fines existentium, quoruncunque Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium (exceptis tamen Carthusianorum, Fratrum Minorum de strictiori obseruantia, necnon Capucinorum Sancti Francisci, Reformatorum Sancti Dominici, Discalceatorum Ordinis Carmelitarum, necnon Fratrum Congregationis Fuliensis, Cisterciensis Ordinis, ac Eremitarum Eremi Camaldulensis, & Montis Coronæ, Clericorum Regularium Theatinorum, Societatis Iesu, Sancti Pauli Decollati, & aliorum de Somascha, Ministrorum Infirmorum, respectiuè Ordinibus, Societatibus, seu Congregationibus nuncupatis, quæ etiam anteà exceperat, & nunc iterum excipiendo, voluit prohibitionem hanc ad illa nullo modo extendi:) ne sub cuiusuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, nisi per literas in forma Breuis duntaxat, & non aliàs, unquam ad habitum regularem suscipiendum, nec etiam conuersos, nisi in Conuentibus, Monasteriis, & Domibus, auctoritate eiusdem S. D. N. propediem in vnaquaque Prouincia designandis, recipere, aut receptos ad professionem admittere vllo modo audeant. Quinimò contra primam prohibitionem Sanctitatis suæ receptos, etiamsi imperfectum habitum, aut sine caputio gerant, post præsentis Decreti in Romana Curia publicationem, omninò eiicere debeant.

Superiorem autem, qui huius Decreti transgressor extiterit, ipso facto pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocis actiuæ, & passiuæ, & perpetuæ inhabilitatis ad alia in posterum obtinenda, eo ipso incurrere voluit, ac decreuit, & aliis etiam pœnis arbitrio Sanctitatis suæ imponendis subiacere.

Receptiones verò, & professiones quaslibet eorum, qui contra huiusmodi Decretum admissi fuerint, nullas, & irritas esse ad quencunque effectum, ex nunc decernit, & declarat.

Hoc autem Decretum noluit Sanctitas sua eos Ordines comprehendere, qui Conuentus, Domos, & Monasteria à se probata pro Nouitiorum receptione, & educatione, hactenus permissione sua constituerit.

Cæteras verò licentias, siue particulares, quæ in hanc diem effectum non sunt sortitæ, reuocat, & annullat.

Vult autem Decretum hoc suum in solitis locis Vrbis publicatum, ita prædictorum singulos afficere, ac si cuilibet personaliter fuisset intimatum, priuilegiis, statutis, & constitutionibus, quibuscunque in contrarium minimè obstantibus.

Dat. Romæ apud S. Marcum, die 20. mensis Iunij, 1599.

Decreta pro reformatione Regularium, tam Monachorum, quam Mendicantium, cuiuscunque Ordinis, & Instituti

CLEMENS PAPA VIII.

1 Nullus omninò, prætextu cuiuscunque priuilegij, vel superioratis, etiam Generalatus, à seruitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores iis tantùm diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque præstare valeant cum ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari pœnitentia Superiores animaduertant ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum, alimenti etiam, si opus si opus fuerit subtractione.

2 Lectio sacræ Scripturæ, vel casuum conscientiæ bis in hebdomada præscriptis diebus singulis Monasteriis, & Conuentibus habeatur, ad quam Fratres omnes conueniant; eáque absoluta, mutua collatione circa explicatam doctrinam sese vtiliter exerceant.

3 Quo Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs obseruentur præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm vbicunque celebrandis, aliòve ipsorum iusto labore, & causa, & quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquàm propria, aut etiam nomine Conuentus possidere possit: sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac prouentibus, confundantur, quo communis inde victus, & vestitus omnibus suppeditari possit.

4 Neque Superioribus, quicunque illi sint, vllo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui bona stabilia, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiæ nomine concedere.

5 Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat, vt proprium, neque vt proprio vtatur.

6 Qui præmissorum aliquo deliquerit, pœnas nedum à Concilio Tridentino præscriptas; sed alias quoque multò grauiores Superiorum arbitrio, imponendas, incurrat.

7 Nulla quoruncunque Superiorum dispensatio nulla licentia, quantùm ad bona immobilia, vel mobilia Fratres excusare possit, quominùs culpæ, & pœnæ ab eiusdem Concilij Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obnoxij fiant: etiam si Superiores asseuerent huiusmodi dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

8 Fratrum vestitus, & suppellex cellarum ex communi pecunia comparetur, & omninò vniformis sit Fratrum, & quoruncunque Superiorum, statuique paupertatis, quam professi sunt, conueniat: ita vt nihil superflui admittatur: nihil etiam, quod sit necessarium alicui denegetur.

9 Quæcunque Fratrum vestes, siue laneæ, siue lineæ, omnisque alia supellex in aliquem commodum Conuentus locum deferantur, ibique ab vno, vel duobus Fratribus huic muneri deputatis diligen-

ter custodiantur, vt inde Superioris arbitrio, prout vnicuique opus fuerit, subministrari opportunè possint.

10 Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint eodem pane, eodem vino, eodémque obsonio siue eadem (vt aiunt) pitantia, in communi mensa, prima, vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur; neque singulare aliquid, quo priuatim quisque in cibum vtatur, vllo modo afferri possit. Si quis in ea re peccauerit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem, & aquam.

11 Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut præstationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, & expensa in libro distincto fideliter, & diligenter adnotari curent, neque in alios vsus, quàm ratione officij sui necessarios, quicquam expendant. Cum verò contigerit ipsos in aliquo Conuentu commorari, eam pecuniæ quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, & iis, qui secum erunt, victus ad præscriptum Regulæ, & Constitutionum suppeditetur.

12 Nullus ex Superioribus locorum, administrationem bonorum, aut aliarum rerum, dispensationémque pecuniarum, & reddituum sui conuentus, etiam nomine Conuentus, per se ipsum habere, siue exercere possit, sed vniuersum id onus tribus Fratribus eiusdem Conuentus à Generali ita demandetur, vt vnus rerum, & bonorum, reddituúmque colligendorum, ac exigẽdorum curam habeat, alter tanquam Depositarius, pecunias, ac cætera ab illo collecta, & exacta fideliter asseruet; alius de pecuniis, & rebus à Depositario acceptis, Priori, & Fratribus, ac Conuentui vniuerso de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundùm proprium affectum, sed iuxta charitatis regulam, veluti bonus dispensator prouideat, officiorum huiusmodi confusione penitùs interdicta.

13 Cæterùm hi tres tam impensi, quàm accepti singulis mensibus Superiori locali, adhibitis etiam duobus, vel tribus Fratribus eiusdem Conuentus probatioribus, rerúmque vsu peritis, rationem reddant. Deinde ipsimet rursus, præsentibus Priore, & peritis prædictis, Generali, cùm aduenerint: denique ipse Generalis, in quolibet proximo Capitulo generali, saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, vniuersæque suæ administrationis, tam publicæ, quàm priuatæ rationem reddere teneatur, cuius etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc, vt omne mandatum nostrum, vel Sedis apostolicæ Romam transmitti possit.

14 In vnoquoque Conuentu, Fratrum is tantùm deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obuentionibus in commune (vt præfertur) conferendis, commodè possit sustentari; redditus verò, & supradicta omnia in communi loco, ac tutò diligenter asseruentur.

15 Superioribus autem, ne Concilij Tridentini, aut hæc nostra Decreta declarare, interpretari, aut relaxare vllo modo possint, omninò interdicimus, & prohibemus: decernentes irritum, &c. Si quis autem contrà præsumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officióque priuatus, & ad ea perpetuo inhabilis existat.

16 Nullus, nisi actu legat, vel prædicet, aliquo sui gradus priuilegio gaudeat.

17 Si alicui ex necessaria causa, Generalis iudicio probanda, socius ex eodem ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimumquintum agat annum, & qui communi seruitio sit deputatus, non concedatur, & si commodè fieri potest, sit laicus conuersus.

18 Vt omnis scandalorum, & vagationis occasio tollatur; Conuentus clausura perpetuò, ac diligenter seruetur; ac propterea a Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: is ianuæ custodiendæ semper assistat, eámque nemini Fratrum aperiat, nisi socium, & exeundi licentiam obtinuerit.

19 Nullus à Conuentu egredi audeat, nisi ex causa, & cum socio, licentiáque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociúmque exituro adiungat, non petentis rogatu: sed arbitrio suo, neque eundem sæpius. Licentiæ verò generales exeundi, nulli omnino concedantur.

20 Contrauenientes autem pœna graui, etiam carceris ad Superioris arbitrium plectantur: eandem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit.

21 Cùm autem quis in Conuentum reuertitur, Superiorem iterum adibit, benedictionem recepturus, qui à Socio itineris ratione, & quid rei actum sit, diligenter perquirat.

22 Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi priùs à Generali, vel Protectore duntaxat licentiam in scriptis impetrauerint.

23 Si quis autem sine huiusmodi facultate Romam venire præsumpserit, voce actiua, & passiua biennio priuatus existat, subiturum etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pœnas. Quæ item omnia aduersùs eos, qui supradictos admiserint, & receperint, sine vlla exceptione locum habeant.

24 Habeat Superior clauem ita fabrefactam, vt cùm sibi videbitur cellas omnes reserare possit, & propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper à superiore possit aperiri.

25 In medio Dormitorij totam noctem lampas colluceat.

26 Nullus etiam Superior cellas, siue in Claustro siue alibi separatas à communi dormitorio habeat, sed vnusquisque vnica cella, eadem cum cæteris aliorum Fratrum coniuncta, nudis omninò parietibus, ac lecto, & mensa humilibus, vniformique supellectili, (vt præfertur,) quemadmodum Religiosos decet, contentus sit; possit tamen Generalis alicui ex Superioribus Conuentuum, si eorum muneris, & officij necessitatem id exigere cognouerit; alteram etiam cellam concedere.

27 Cellæ, siue ædiculæ, quæ extra dormitorium separatim sunt, ad officinas, aut aliàs ad communem vsum, & commoditatem Conuentus redigantur.

28 Sigillatim suo quisque lecto cubet, neque vllibi duo eodem lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt.

29 In priuatis cellis nulli camini permittantur; sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam è parietibus conuulsis, vt res illa non ad tempus facta; sed perpetuò duratura videatur; cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Prædicatoris exceptis.

30 Conuentus fenestræ omnes, quæ in vias publicas, aut vicinas laicorum ædes prospiciunt, muro ita obstruantur, vt omninò is prospectus impediatur.

31 Valetudinarium in singulis Conuentibus certo, ac salubriori loco constituatur, quod pro loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cùm ægrotabunt, curentur, nec inde nisi recuperata sanitate abire permittantur. Qui verò infirmorum curæ præpositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam præstabunt, ac curabunt, ne quid ægrotis omninò desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

32. Ineatur ratio, qua, sublatis licētiis, ac facultatibus hactenus quibuscunque concessis, degentes extra Conuentus Claustra, ad ea quamprimùm reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa à Sede apostolica probanda, huiusmodi facultates concedi possint.

33 Nulli inposterum ad habitum, aut professionem admittantur, nisi in Conuentibus per Sedem apostolicam in qualibet Prouincia deputandis.

34 Curent Superiores, vt Constitutio interdicens largitiones munerum, & præscribens hospitalitatis formam ab omnibus in quolibet Conuentu inuiolabiliter obseruetur.

35 Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quàm pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicunque secùs fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauiùs etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

36 In superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à sacro Conc. Trid. & Ordinis constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iuréntque Electores secundùm veritatem cuiusque conscientiæ, probiores, ac magis idoneos se electuros: ac propterea priusquàm ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum. Ad Officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & constitutiones obseruare, præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, & victum communem.

37 Eligantur in Capitulo Generali, vel Prouinciali aliquot graues, & periti ex Fratribus cuiuslibet Prouinciæ, saltem tres, qui admittendos ad prædicationem verbi Dei, vel ad audiendas confessiones, etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquàm probentur, & ad huiusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curæ sit examinare, & probare, tam quoad doctrinam, quàm quoad mores, promouendos ad quoscunque Ordines, in quo seruetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilij Tridentini, hac de causa nuper editum, & promulgatum.

38 Illud porrò Superiores omnes in Domino admonemus, vt memores sint rationis, quam in nouissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio inuigilent, vt, quæ in eorundem Ordinum Regulis, & Constitutionibus de oratione mentali, silentio, ieiuniis, Capitulo culparum, aliisque spiritualibus exercitiis prudenter, ac piè sancita sunt, ea omnia, & singula ad vnguem obseruentur, intelligántque super his veluti fundamentis omnium Religionum ædificia construenda, & amplianda esse, quæ, vt faciliorem exitum sortiantur, & fructus vberiores in animis Fratrum producant, valdè opportunum erit, si in quolibet Conuentu, singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique obseruantia.

39 Quò verò omnia ordinatè peragantur, appendatur tabella in loco conspicuo vniuscuiusque Conuentus, in qua distinctè adnotetur, quid singulis horis cuiusque diei quilibet Frater præstare debeat, vt certo quoque signo præmonitus, maiore animi præparatione suo muneri satisfacere possit. Quæ Ordinis Constitutiones, his Decretis non aduersantur, inuiolater custodiendæ erunt.

40 Quibus horum Decretorum capitibus certa pœna præscripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur. Vt autem hæc Decreta (donec alia, quæ pleniorem reformationem facient, edantur) ab omnibus obseruari possint, districtè præcipimus Generalibus, ac omnibus aliis quibuscunque Superioribus, ad quos hoc spectat, vt curent, ac efficiant, ea omnia inter alias eorundem Ordinum Constitutiones perpetuò valituras redigi, interdicta omninò eorum singulis facultate illas declarandi, & aduersùs eas vnquam dispensandi. Alioquin sciant se in pœnam Generalatus, & officiorum priuationis, ac inhabilitatis perpetuæ ad alia quoque munera ipso facto, sine vlla exceptione respectiuè incidisse.

41 Ne verò prætextu dilatæ publicationis eorum obseruatio, quoquo modo differri possit, aut impediri, volumus, vt post illorum publicationem in Conuentu, vel Monasterio cuiuslibet Ordinis de Vrbe factam, Generalem, aliósque Ordinum Superiores, cæterósque quoscunque Fratres præsentes, statim; reliquos verò absentes citra montes, vnius mensis; vltra montes, triū mensium spatio ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

42 Insuper mandamus, quòd Generales in singulis Conuentibus citra montes, vnius mensis; vltra verò montes, trium mensium cursu Decreta supradicta publicari faciant, sub pœna priuationis Generalatus, aliisque arbitrio nostro imponendis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 25. mensis Iunij, 1599.

DEcretum illud, quo Fratres Romam petere cum Generalis, & Protectoris licentia duntaxat permissum est, Sanctitas sua extendi ad Prouincialem decreuit, ita vt Prouincialis ipse ex causa communi totius Prouinciæ duntaxat facultatem huiusmodi facere valeat, declarauítque pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ contrafacientibus inflictam Sanctitati suæ reseruatam esse, interdicta omninò eorum Superioribus singulis, etiam Generali, ac Protectori facultate illam moderandi, ac relaxandi. Datum Romæ die 20. Martij, 1601.

Decretum fel. rec. Clementis Papæ VIII. super casuum reseruatione, ab omnibus Regularium Superioribus obseruandum.

SAnctissimus Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpendit, ac re ipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi Religiosos pœnitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem; ideò, vt huic malo Sanctitas sua opportunè prospiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium Superioribus peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia, Incantationes, Sortilegia.

Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eò peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio. Nocturna, ac furtiua è Monasterio, seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

Proprietas contra votum paupertatis, quæ peccatum mortale. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.

Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non sequuto.

Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterij, aut Conuentus. Furtum de rebus Monasterij seu Conuentus in ea quantitate, quæ sit peccatũ mortale.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ.

Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

Si quod aliud prætereà peccatum graue, pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in prouincia, matura discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte, ac proprio motu id ab iis petierint.

Superiores in singulis Domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios, pro subditorum numero maiori, vel minori, iique sint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reseruatis eos absoluant, & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius iudicauerit.

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinate pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac cuiusuis Concilij, & etiam generalis Decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in generalibus, seu prouincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus, etiam apostolica authoritate confirmatis, priuilegiis, indultis, & concessionibus quorumcunque, quorum tenores hîc pro expressis haberi voluit, cæterisque in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud S. Petrum die 26. mensis Maij anno Domini 1593.

Sanctitas sua deinceps declarauit, & declarat, vt si huiusmodi Regularium Confessariis casus alicuius reseruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere.

Formula concedendi facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

☞ SAnctissimus in Christo Pater, & D.N D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. cùm regularem disciplinam restituere, atque in pristinum statum reuocare maximè cuperet, Regularésque omnes vitam, moresque suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset, ita componere, vt quæ ad votorum vim, habitum, victúmque communem pertinent, ea potissimùm singuli religiosissimè obseruarent, generali Decreto, quod de mense Iunij editum, tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit, Ordinum Religiosorum Superioribus, (nonnullis exceptis.) prohibuit, ne aut Nouitios reciperent, aut quenquam ad professionem antè admitterent, quàm à Sanctitate sua Monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent, in quibus obseruantia regularis vigeret. Nunc verò eadem Sanctitas sua à locorum etiam Ordinariis, quibus id muneris demandauerat, certior facta, in infrascriptis Monasteriis, & Conuentibus Ordinis N. præfinitum esse numerum duntaxat eorum, qui vel ipsius Monasterij censibus, vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt, atque in iis omnia fideliter obseruari, quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta, nempe castitatis, paupertatis, & obedientiæ vota, vnà cum cæteris decretis particularibus, vel instituti ipsius, vel Pontificiis etiam ad victum, vestitúmque communem spectantibus (ipso Decreto, vt suprà, edito, & promulgato, nequaquam obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infrascriptis Monasteriis, & Conuentibus erigendi, Nouitios recipiendi, educandi, atque ad professionem admittendi; modò tamen id ad præscriptum instructionis iussu suæ Sanctitatis editum, neque alio modo fiat. Quoniam verò ea est suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monasteriis, & Conuentibus ad alendos Nouitios præfinitis, regularis obseruantia perpetuò retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipsis præscriptus iam personarum numerus in posterum seruetur, nullúsque omninò Superior cuiusuis conditionis, personarum, & Nouitiorum numerum augere præsumat, ea pœna proposita, vt in omnibus priuatus officiis vocis actiuæ, & passiuæ ios õne amittat. Vult denique Sãctitas sua huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis apostolicæ hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto, vt suprà promulgato. Dat. Romæ die, &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum...., Clericorum...., Nouitiorũ..., Conuersorum autem...

N. Visitationis & Reformationis Apostolica Secr.

Decretum super forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & professionem.

SAnctissimus in Christo Pater, & D.N.D. Clemens diuina prouidentia Papa VIII. qui aliàs pro regularis disciplinæ restitutione, singulis Regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit, ne ad regularem habitum Nouitios in posterum reciperent, receptósve ad professionem admitterent, quousque in aliquibus cuiusuis Ordinis Monasteriis, seu Conuentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitiis designarentur, & approbarentur) ad eius, quam professi sunt, Regulæ præscriptum vitam, morésque restituerent, & componerent; certior deinde factus quosdam omnium ferè Ordinum Conuentus, seu Monasteria ad pristinam illam regularem viuendi formam, & disciplinam, quam diuiùs desiderauerat, fuisse redacta; in eisdem Monasteriis, & Conuentibus, vt Nouitiatus erigi, Nouitiique recipi possent, (sub certis tamen legibus, ac ea præsertim, vt licentia à Congregatione Reformationis apostolicæ priùs obtẽta esset,) concessit, & ad illa designauit, & approbauit. Nunc volens, vt ea, quæ pro Nouitiorum receptione, & institutione, de mandato Sanctitatis suę præscripta fuerunt in posterum accuratiùs, & exactiùs obseruentur, vltra formam traditam in Constitutionibus fel. rec. Sixti Papæ V. & etiam Sanctitatis suæ super receptione Nouitiorum, decreuit, ac præsentis Decreti virtute mandauit, ne in Cõuentibus, seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos, de Sanctitatis suæ, seu dictæ Congregationis Reformationis licentia hactenus designa

designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum recipi vllatenus possint, vel admitti nisi priùs ab ipsa Congregatione, vel à propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum diœcesi Nouitiatus existūt, in quibus Nouitij recipiendi fuerint expressè, & nominatim Nouitij ipsi recipiendi approbati fuerint, & vt recipi, & admitti possint, licentiam in scriptis (gratis tamen in omnibus, etiā quoad scripturam concedendam) obtinuerint. Monet autem Sanctitas sua eosdem Ordinarios, omnem curam, & diligentiam adhibere, vt circa ætatem, conditionem, educationem, scientiam, vitam, & mores cæterasque qualitates in ipsis Nouitiis requisitas, obseruentur institutiones pro illis recipiendis ab eadē Congregatione Reformationis factæ, & publicatæ; neque aliter, nec alio modo aliquem ad habitum recipi permittant; Ordinariorum ipsorum conscientiam onerando, si quempiam approbauerint, vel admitti permiserint, qui non sit idoneus, & iuxta constitutiones, & institutiones prædictas, approbandus, & admittendus. Firmis nihilominùs remanentibus pœnis omnibus contra Superiores quoscunque Ordinum, qui, in admittendis ad habitum, & professionem Nouitiis, formam constitutionum, & institutionum prædictarum non seruauerint, aut Nouitium aliquem, quantumuis idoneum, & approbatum, in quouis alio Conuentu, & loco, seu Monasterio, præterquàm in hactenus à sua Sanctitate, vel à dicta Cōgregatione designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, vel vltra numerum in eorum singulis præscriptum, seu præscribendum receperint, vel admiserint, seu aliàs præmissis quouis modo contrafecerint. Irritum ex nunc, & inane decernens, quicquid secùs, vel aliàs, quauis authoritate à quouis gestum, vel attentatum fuerit Non obstantibus quibuscunque, &c. Datum Romæ apud S. Petrum, die 19 Maij, 1602. Pontificatus eiusdem S.D.N. anno vndecimo.

Institutiones super receptione, & educatione Nouitiorum Religiosorum Monasteriis, & Conuentibus designatis, vel designandis, Clementis eiusdem iussu edita.

CVm ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam, Nouitiorum institutio maximè vtilis sit, ac necessaria; & nihil ad grauem illam, ac laudatissimam priscorum Patrum viuendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quàm, vel nimiam in recipiendis Nouitiis facilitatem supra numerum, quem capere, atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, & examinando eorum spiritu, an verè esset ex Deo, atque eo præcipuo desiderio illi inseruiendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis. Ideircò, vt huiusmodi incommodo deinceps occurratur, præcipitur omnibus, & singulis, ad quos spectat, vt in recipiendis Nouitiis, & in eorum institutione, atque educatione, necnon in magistri, & aliorum ministrorum electione, præter alia, quæ in sacris Canonibus, ac Decretis, præsertim Concilij Tridentini, pontificiis, & cuiuscunque Ordinis, aut instituti constitutionibus continentur, tam in aliàs designatis, quàm nunc, & in posterum ad hoc designandis Monasteriis, & Conuentibus, hæc, quæ sequuntur, inuiolatè obseruari, & exequi perpetuò curent:

Primum, quod attinet ad Nouitiorum recipiendorum formam, vltra diligentem perquisitionem, quæ habenda erit de vniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipuè eorum, qui sextumdecimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, an ære alieno grauati, vel reddendæ alicuius administrationis rationi obnoxij sint, iuxta formam constitutionis fel. rec. Sixti V. & moderationum subsecutarum; illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulò perquirant, vt, quibus in Monasteriis, & Conuentibus, ex apostolica facultate Nouitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui & ex honestis parentibus natus non sit, & conditiones sacris Canonibus, Summorúmque Pontificum constitutionibus præscriptas non habeat, iuxta Decretum super forma recipiendi Nouitios die 19. Maij, 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quā eius Ordinis, in quo recipietur, regularia Instituta, & Ordinationes requirunt; eam verò literarum scientiam calleat, aut illius addiscendæ spem indubiam præseferat, vt minores, & suis tēporibus, maiores Ordines, iuxta Decreta Sacri Concilij Tridentini suscipere valeat. Sed, si quis annū vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit, in Conuersorū stātū, quibus literarū scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem Conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum; & nisi saltem præcipua Doctrinæ Christianæ capita nouerint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & vt Deo liberiùs famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi ducantur, & an eorum parentes ope, & subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Prouideant quoque, vt omnes, etiam Conuersi recipiendi, priusquàm ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de Regula, quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statúque regulari, & aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis, & constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conuersos ad professionem admittendos, verùm & oblatos, vt vocant, recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem vnaquæque religio suas peculiares Cōstitutiones, specialiáq instituta obseruare teneatur.

Statim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum Nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactæ vitæ conscientiam discutiant, & expurgent.

Quòd verò ad loci qualitatem vniuscuiusque Nouitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte Conuentus, & Monasterij, in qua degunt Professi, segregatus sit, atque distinctus, habeátque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Nouitij, vel dormitorium ita capax, vt pro singulis singuli lectuli comodè sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro Magistro, eiúsque socio reperiatur.

In eo etiam, præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionésque Magistri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si commodè fieri poterit, ad Nouitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem benè conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum cæteris Fratribus communem, recreationis tempore, ingrediantur. Ipsis verò Nouitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris authoritate,

thoritate, (si opus fuerit,) ne in eundem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum Nouitiatus nemini eiusdem, vel alterius Ordinis regulari, etiam Conuentus, & Monasterij Officiali, vllo vnquam tempore sub quouis prætextu aditus pateat, præterquàm Magistro, eiúsque socio, ac etiam Monasterij, aut Couentus Superiori, quandocunque ingrediendum sibi necessariò existimauerit, quo tamen casu aliquem semper ex senioribus Conuentus, vel Monasterij Patribus socium assumat.

Huius loci clausuræ clauis apud Magistrum semper asseruetur, illique soli liceat ex graui tantùm causa ingressum illuc alicui permittere: si quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro præsente, & non aliter alloquatur.

Nouitiorum Magistro socius, si per Nouitiorum instruendorum multitudinem necessarius fuerit, vita, & moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quæ ad Nouitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediatè subiectus existat, eligantúrque tam Magister, quàm socius per prouinciale Capitulum, per triennium ad minus omnes huiusmodi subituri. Quòd, si aliquo casu extra tempus capitulare noua loca Nouitiatus eonce l contingat; tunc electionem Magistri Nouitiorum, & socij huiusmodi in huiusmodi nouis locis per Generalem, vel Prouincialem: seu ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Diffinitorum tamen, vel grauiorum aliquorum Patrum consensu fieri permittatur: idémque seruetur, si intra triennium, alterum, vel vtrunque vrgenti aliqua de causa ex illis locis amoueri, vel mori contigerit, in quorum, vel quorum locum alij consimiles subrogari debeant.

Tam Nouitiorum Magister, quàm socius ab iis omnibus officiis oneribus vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali ordine sit i... ac in quinto saltem supra trigesimum ... ro constitutus, & per d... ennium à professio... sa in ... pe...stiterit: socius verò trigesimum annum excedat. sintque ambo doctrina, & quantùm per Superiorum diligentiam, & vires poterit, vitæ etiam anteactæ exemplo præstantes; orationis prætereà, & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitatéque referti, non sine affabilitate granes, zelum Dei cum mansuetudine præseferentes: ab omni cordis ac animi perturbatione, ita præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quàm longissimè alieni, & tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tam metuant, quàm reuereantur, nec illis vnquam detrahere quidquam possint.

Habere etiam debet Magister plenam, & absolutam potestatem circa Nouitiorum institutionem, ac Nouitiatus regimen, ita vt in illis nemini (Visitatoribus, ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quouis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari disciplina sedulò exerceantur, agnoscántque præcipuè diuinæ, qua digni facti sunt, vocationis præstantiam, & excellentiam, quæ vera sit atque perfecta votorum solennium, & quàm necessaria cuiusque Ordinis Constitutionum obseruantia modum in oratione, tum vocali, tum mentali fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiæ puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis præcipuè, quæ bis saltem singulis mensibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manifestationem per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuinum ùmque f... ... .

Quilibet Nouitius bis quotidiè orationi mentali, & vocali incumbat, vnusquisque secundùm propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum; ac pluries in die propriam conscientiam vnusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum Confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum Confessiones audire.

Quotidie Missæ Sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisq; diuinis Officiis assistãt.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent: legant vel scribant res spirituales: modestam animi recreationem interponant, quę in solitario loco, & commodo extra Nouitiatum, semel in hebdomada, vel in alternis saltẽ hebdomadibus longior statuatur; fiátque semper Magistro præsente, vel socio qui multum inuigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore, cuiusque, in quam natura feratur, propensionem scrutentur.

Non liceat eis durante Nouitiatus, & probationis tempore, vna cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo causa refectionis commorari; nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, & propriis cuiusque necessitatibus, quæ accidere possunt, vnus ex Nouitiis ipsis, ætate, moribúsque prouectior, deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuæ custodia, & rerum leuioris momenti prouisio intra Nouitiatum committi poterit.

Cùm autem, licèt Clericorum benè instituendorum cura debeat esse præcipua: Conuersorum tamen religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cùm Regulam profiteãtur eandem, perfectam educationem, tum Religioni decorem, & ornamentum, tum aliis Christi fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre: Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum, iuxta cuiusque Ordinis Statuta, & Constitutiones, subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantùm circa corporalia obsequia probandi, & exercendi; verùm etiam, pro eorum capacitate, & commoditate, de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt, commodiùs fiat, ad Capitula, & spirituales Conciones, quæ per Magistros Nouitiis fieri solent, accersiri debeant, & in Ecclesiis statutis horis conueniant, nisi tunc in suis Officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore verò probationis elapso, ij tantùm, qui non solùm religiosæ perfectionis capaces; sed ad laborem corporalem apti nouo, ac diligenti examine reperti fuerint, (dummodo ætatis suæ annum quoad Clericos decimumsextum, quoad verò ad Conuersos, vigesimumprimum excesserint,) ad professionem admittantur; sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire; etiam durante tempore probationis non possint.

Superior

Superior cuiuslibet Conuentus, in quo Nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur, illámque Nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint, subscribant.

Conuersus verò litterarum ignarus, professus, in eorũ, tem testium, qui se subscripserint, præsentia propria, manu signum Crucis apponat, asseruetúrque liber & custodiatur in Archiuio, vbi scripturę ad Monasteriom, seu Conuentum pertinentes reponi consueuerunt.

Quia verò in quibusdam Ordinibus filiationis vsus est receptus, declaratur, quòd licèt decretum sit, vt Nouitiis educandis certa Monasteria, aut Conuentus designata quilibet Ordo habere debeat; licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos reperierint, in suorum locorum filios, iuxta cuiusque Ordinis constitutiones, adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta præsentes institutiones, & aliàs, seruatis seruandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca Nouitiatuum, cum testimonialibus literis transmittere, vbi tanquàm dictorum Conuentuum, seu Monasteriorum filij, eorundem nomine, & instantia recipi, ac in Nouitiatu probari, & deinde antequam ad eadem Monasteria, seu Conuentus filiationis huiusmodi remittantur, in professorio ad perfectionem, vt permissum est, exerceri debebunt.

Porrò, ne loca vnius Monasterij, seu Conuentus, ab alio præoccupentur; Capituli Generalis, aut Prouincialis partes erunt, numerum præscribere pro omnibus, & eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis Conuentibus, & Monasteriis præscribere, quæ magis expedire videbitur.

Vt autem Nouitij iam in Professorum numerum (sicut præmittitur) recepti meliùs in bono spiritu, regularísque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur; mandatur, vt statim post professionem emissã, si in Conuentibus, aut Monasteriis pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secundi Nouitiatus, siue Professorij, ab ea, quæ Nouitiorum est atque antiquorum Professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat sin minùs, in alium commodiorẽ Conuentũ, aut Monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo construatur.

Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ, suarum constitutionum, seu institutorum vigore, maioris temporis cursu nouos Professos intra Nouitiatũ detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur; illis tamen permittitur, vt prædictis eorum constitutionibus non obstantibus, idipsum facere possint, si id rationi, ac Religioni magis expedire diiudicauerint, quibus in locis degant sub Regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quàm seruent antiquiores Professi; ita quòd in negotiis Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant, ibique permaneãt, quousque ad ætatem sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem deuenerint, vel saltem per triennium post professionem: quo etiam tempore poterunt, quinimò & debebunt, literarum studiis operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quòd propter præmissa non censeatur concessa licentia recipiendi Nouitios, nisi in locis pro Nouitiatu designatis, aut in posterũ designãdis, & pro numero duntaxat in eorum singulis præscripto, vel præscribendo.

Denique, si illi, qui inter Religiosos gradu, & ordine Superiores sunt, & alij, ad quos spectat, in prædictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quomodo contra fecerint, officiorum omnium, quæ tunc obtinebunt, priuationem, grauioré́sque pro modo admissæ culpæ pœnas, se subituros certò sciant. Datum Romæ apud S. Petrum, die 19. Martij, 1603.

Ant. Seneca, Reform. Apost. Secr.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares omittentes informationes circa Nouitios peccent mortaliter, & incurrant in pœnas Bullæ Sixti V.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus recipiens Nouitium, omissa vna, vel altera ex informationibus præscriptis, modo ex certa scientia, & coniecturis cognoscat non esse necessarias, non peccat.*

2 *Examinatores, promouendorũ ad Ordines prætermittendo examen cum illis, quorum scientia, & dignitas nota est, non peccant.*

3 *Prælatus omittens informationes in Bulla Sixti V. præscriptas, non incurrit pœnas ibidem inflictas, si receptus non sit realiter defectuosus.*

4 *Prælatus, qui fecit informationes secundum formã præscriptam, non incurrit pœnas, licet Nouitius à parte rei defectuosus fuerit.*

5 *Informationes prædictæ non sunt faciendæ necessariò circa Religiosum transeuntem de vna ad aliam Religionem.*

6 *Informationes an requirendæ de iis, qui à remotissimis partibus ad Religionem veniunt.*

ANtonius Diana *in suis resolut. moral. tract. 2. de dub. regul. resolut.* 82. & Bartholomæus de Vecchus *in praxi Nouitior. disp. 6. dub.* 1. *num.* 6. dicunt, recipientem Nouitios nullo peccati nexu illaqueari, omittendo vnam, vel alteram ex his informationibus, & conditionibus, quotiescunque vel ex certa scientia, vel ex probabilibus indiciis, seu coniecturis, pro certo habet, non esse necessariam respectu personæ, quæ admitti in Religionem postulat. Ita Authores *suprà* citati. 1.

Probatur: nam quotiescunque mediante certa scientia sumus in claris, & habemus certitudinem moralem ex coniecturis probabilibus, tunc petentem Religionis ingressum, vna, vel altera, seu omnibus conditionibus, aut requisitis esse præditum, tunc nulla intercedit ratio, per quam rationabiliter suspicari possit de eius inhabilitate, & sic cessabit ratio inquisitionis circa has cõditiones; quia sufficienter habetur informatio, quæ ex mente Pontificis desideratur. Tum, quia manifesta non indigent examinatione *ex can. Manifesta. 2. quæst.* 1. & in notoriis ordo est, ordinem iuris non obseruare, vt habetur *in capite, Ad nostram. 3. de surrectura .d.* quod etiam docent S. Bonauent. *cap.* 2. & Cordub. *cap.* 2. *quæst.* 4. §. *Notandum.* & Sorbus *tit. Nouitius. de recept. Nouit.* & Mirand. *in Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 18. *art.* 1.

Similiter examinatores nulla culpa se inficiũt, examen prætermittendo cum illis, qui promouendi sunt ad Ordines, quando eorum sufficientia, & dignitas nota est: nam isti examinandi non sunt *ex cap. Nullus.* 2. *dist.* 24. & S. Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 16. §. 53. 2.

& Syluester *tit. Ordo*, 2. *q*. 2. Ex quibus infertur, recipientes ad Religionem aliquem sine inquisitione, quando notum est, & probabilibus coniecturis pro certo habetur, nullo modo impediri, quin ad Religionem transferri possit. Ita Bartholomæus de Vecchiis *loco citato num*. 5.

3. Quo verò ad secundam partem quæsiti, scilicet, an incurrant pœnas cōtentas in supradicta constitutione Sixti V. Respondeo cum Rodriquez *tom*. 3. *qq. regul. q*. 54. *art*. 4 & Laurentio Portello *in dub. regul. verbo, Nouitij informationes, num*. 6. & Antonino Diana *loco citato resol*. 83. quòd Prælati omittentes prædictas informationes, non incurrunt pœnas Bullæ Sixti V. nisi à parte rei Nouitius, siue receptus, absque informationibus fuerit aliàs criminosus, & ligatus aliquo impedimento ex contentis in prædicta constitutione Sixti V. Quòd si omni careat impedimento, non incurrit pœnas; quia textus ligat solùm recipientes criminosos. Idem affirmat Bartholomæus de Vecchiis *in prædicta praxi Nouitiorum, dub*. 5. *num*. 3. vnde Patet Diana *loco citato*, fatetur, se liberasse à magnis angustiis quendam Superiorem Regularem, contra quem Fratres subditi insurgebant propter receptionē cuiusdam Nouitij, non præcedente informatione de vita, & moribus secundùm Bullam Sixti V.

4. In hoc negotio est maximè aduertendū cum Rodriq. *loco cit. q*. 54. *art*. 4. & Portello *similiter loco cit. num*. 6. quòd si Prælatus modo ordinario fecit prædictas informationes, & illas approbauit cum deputatis, & tamē à parte rei facta professione professus ille appareat criminosus, & inhabilis; talis Prælatus, & deputati non incurrunt prædictas pœnas: quod probatur ex d. Bulla Sixti V. quæ solùm loquitur de recipientibus criminosos temerè, scilicet, sine aliqua informatione: Prælatus autem, qui fecit modo descripto in Bulla informationes, & bona fide approbauit, non fecit temerè, & sic non incurrit pœnas commiñatas in ea constitutione.

Dixi, *bona fide, & modo ordinario*: quia, si Prælatus faceret mala fide, animaduertens, quòd non sumantur tales testes scientes impedimenta posita in d. constitutione, tunc putat Portellus *loco cit*. quòd incurrat pœnas comminatas in Bulla: quia temerè facit, si receptus est criminosus: quando verò Prælati culpabiliter admittunt criminosos, & incurrunt pœnas in Bulla descriptas, easdem incurrunt etiam Patres Collegæ cum illis recipientes, vt patet in verbis eiusdem Bullæ Sixti V.

5. Has tamen informationes præceptas à Sixto V. nō est necessarium, quòd Prælati, & eorum Collegæ faciant circa Religiosos transeuntes de vna Religione ad aliam, & in secunda profitantes: quia constitutio supradicta Sixti V. clarè loquitur de sæcularibus iuuenibus primo receptis ad habitum. Ita Rodriq. *tom*. 1. *qq. Regul. q*. 30. *art*. 20. vbi dubitat, si eiectus ab Ordine, tanquam incorrigibilis, sit in ea constitutione comprehensus, ac proinde tanquam criminosus non possit iterum recipi, & expresè hoc affirmat, scilicet, non requiri informationes erga trāslatum ad alium Ordinem: & Laurentius Portellus *loco cit. num* 9. dicit, si dubitetur, an hodie, si Prælatus licitè, vel illicitè reciperet iterum ad Religionem incorrigibilem, & criminosum ab illa eiectum, putans emendatum esse, incurreret prædictas pœnas comminatas contra criminosos. Et resoluit, quòd non eadem ratione: quia Sixtus V. in sua constitutione loquitur tantum de iuuenibus sæcularibus primò ad habitum receptis: vnde, cùm sit lex valdè pœnalis, non est extendenda ad recipientes iam professum in Religione.

6. Ex his resoluitur dubitatio satis à Doctoribus agitata, an præfatæ informationes requirendæ sint ab iis, qui à remotissimis partibus ad Religionem veniunt. Cui dubitationi occurritur dicendo cum Rodriq. *tom*. 3. *qq. regul. q*. 10 *art*. 13. eam esse remotissimam regionem, ad quam intra annum probationis difficulter recurri, & informatio inde extrahi potest: in quo casu putat Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorū, disput*. 6. *dub*. 5. *n*. 3 adhibendam esse diligentiā, quam requirit cōstitutio Sixti V. quòd ingressurus Religionem, vel iureiurando affirmet se nullo impedimento eiusdem Bullæ adstrictum esse, vel saltem illi, cum quibus versatus est, in loco, seu in Religione, vbi recipiendus est, fidem faciant, se nescire in tali persona aliquod impedimētum reperiri ex dictis in Bulla Sixti V. eo tempore, quo illum agnouerunt: nam, quando informationes haberi non possunt, Sixtus V. per suam constitutionem, quæ incipit, vt diximus: *Ad Romanum spectat*. dat facultatem concedendi Religionis ingressum, & etiam admittendi ad professionem absque informationibus: dummodo, adhibita conuenienti diligentia, nihil in contrarium compertū fuerit.

QVÆSITVM VI.

De quibus Abbas recipiendos Nouitios admonere, & qualiter cum iis ad habitum admissis se gerere debeat.

SVMMARIVM.

1 *Abbas debet Nouitiis recipiendis dura, & aspera prædicare.*
2 *Nouitiatus in quo Monasterij loco esse debeat.*
3 *Abbas qualiter cum Nouitiis receptis gerere se debeat.*
4 *Regulæ cognitio secundùm substantiam, & significationem generalem necessaria est Nouitiis.*
5 *Magister Nouitiorum debet proponere Nouitiis ea, quæ pro pura Regulæ obseruantia sustinere solent.*
6 *Prælatus, & Magister Nouitiorum tenentur eosdem experiri quoad constantiam vocationis, capacitatem exercitiorum spiritualium, & labores corporales, iuxta statum eorundem.*
7 *Nouitij sub Regula Benedictina accuratiorem eius intelligentiam habere debent.*

NE fortè, qui Religionis institutum aggrediuntur, putent ab omni labore, & onere se esse exemptos, ac deinde regulari disciplina ingrauescente Religionem deserant, debet prudens Abbas recipiendis Nouitiis dura, & aspera prædicare: quod docuit S. Pater Benedictus *cap*. 57. *Regul*. dum ait: *Prædicentur ei dura, & aspera per quæ itur ad Deum*. & infrà: *Nouiter veniens si quis ad conuersionē, non ei facilis tribuatur ingressus: sed (sicut ait Apostolus) probentur spiritus, si ex Deo sunt*, &c. Quibus omnibus *eod. capite*, contētis poterit Abbas, spiritu Nouitij cognito, ac perseuerātia in Dei seruitio experto, more suæ Religionis Nouitiorū habitum illum induere, iuxta id, quod habetur *in cap. Super eo de Regular. cap. Monasterium*. 19. *q*. 3. Hostiens. *in Summa de Regular*. §. *penult*. simúlque ei illud imponere nomen, eúmque monachali corona, aut clerica insignire ex IV. Concil. Carthag. *c*. 44. & ex S. Hieronymo *epist* 26. *ad Augustam* & D. Anastasio *lib. de virgin. ante medium*. illúmque locare debet Abbas in Nouitiatu tāquam in vitæ probationis loco, *cap. Consaldus*. 17. *q*. 1. *cap. Ad apostolicum. de Regular. cap. Primo. eod tit. in* 6. Locus autem Nouitiatus debet esse in suo conclaui ab aliorum Monachorum loco segregato, si Nouitij impuberes sint, sub fidelis 1. 2.

seniotis

ſenioris diſciplinis, & vitæ ſanctimonis, grauitate morum, & litterarum peritia præſtantiſſimi, vbi imbuantur ſanctiſſimis diſciplinis, pieque in via Domini, & Religionis obſeruantia dirigantur, *cap. 1. 12. q. 1.*
3. quo in loco iubeat Abbas, vt deuote pſallant, ac diuinis interſint, ſuaque peccata confiteantur, ſacra Communione ſæpè reficiantur, ac ſpiritualibus exercitiis incumbant. Præcipiat pariter, vt exerceantur in laboribus, ieiuniis, corporis macerationibus, aliiſque iuxta vniuſcuiuſque inſtituta, tam ſpiritualibus, quàm corporalibus operibus bonis: quæ omnia niſi Nouitio grata fuerint, ac proinde habitum derelinquere velit, eo probationis anno poterit è Monaſterio exire. Verùm, ſi illa, quæ ipſe Nouitius expertus fuerit, ei placuerint, iuxta præſcriptum Concil. Trident. *ſeſſ. 25. cap. 16.* poterit Abbas eum ad profeſſionem admittere.

Debet etiam Abbas Nouitios examinare, ante ipſorum profeſſionẽ de fine, quo Religionem ingrediuntur, de deliberatione, ac ſtabilitate, & de ſcientia, ſi illi futuri ſint Clerici, vt ſunt hodie omnes ferè Monachi, Abb. *in cap. Cùm illorum. de ſent. excommun.* Si Clerici nõ ſint futuri, ſufficiet illis vitæ bonitas. Gloſſ. *in cap. Legi. 16. q. 1.* In his autem, qui futuri ſunt Clerici, tantùm ſcientiæ requiritur, quantùm ſufficit, vt rectè poſſint ſuum munus explere, & ad ſacros Ordines promoueri.

4. Præter dictam ſcientiam omnibus Clericis neceſſariam requiritur in Nouitiis ſcientia Regulæ, quæ quidem ſcientia intelligitur ſecundùm ſubſtantiam, & ſignificationem generalem Regulæ, non verò ſecũdùm declarationes põtificias, neque ſecũdùm difficultates, & ſubtilitates ipſius Regulæ. Ratio eſt: quia S. Thom. *p. 2. q. 66. art. 2.* ait, quòd quiſque tenetur ſcire ea, quæ pertinent ad ſuum ſtatũ, nimirum, leges vniuerſales ſui ſtatus, & ſui officij, quod aſſumere intendit, vt dicunt Sanchez *in præcepta Decalogi, lib. 1. cap. 16. n. 35.* & Vaſquez *p. 2. diſput. 125. cap. 2. n. 5.* Vnde, cùm Nouitius intendat aſſumere ſtatum Religionis, tenebitur ad ſcientiam ſuæ Regulæ: quia, ſicuti fideles credere tenentur, & ſcire fidei articulos ſecundùm ſubſtantiam, cùm primùm vſum rationis habent, & ſuerint ſufficiẽter inſtructi in fide, vt dicunt Aponius *part. 1. inſtit. moral. lib. 8. c. 7. q. 2.* Sanchez *in præcept. Decal. lib. 2. cap. 3. n. 12.* & Filiuccius *tract. 22. cap. 2. n. 52.* ita à ſimili Nouitij, antequàm admittantur ad profeſſionem, tenentur ſcire ſubſtãtiam obligationis ſuæ Regulæ: tunc enim dicuntur, huiuſmodi ſufficientem intelligẽtiam Regulæ obligationum habere quoad earum ſubſtantiam, quando agnoſcunt, ſe mediante voto profeſſionis obligari ad obediẽtiam, paupertatẽ, & caſtitatem, & etiam ad alia præcepta contenta in Regula. Vnde non eſt neceſſarium, quòd Nouitij ſciant memoriter præcepta Regulæ; ſed ſufficit, vt diximus, ſcire ea ſecundùm ſuam ſubſtantiam.

5. Nihilominùs præter huiuſmodi intelligentiam vniuerſalem Regulæ, nulli dubium eſt, debere Magiſtros Nouitiorũ ſæpè proponere eis obligationes regulares, obſeruationes religioſas, & auſteritates, incommoda grauia, & labores, & alia ſimilia, quæ pro pura obſeruantia Regulæ ſuſtinere ſolent, ſicut ſtatuitur, vt diximus *ſupra*, in Regula noſtra Benedictina *cap. 58.* Supra quod cap. Smaragdus, Monachus Benedictinus, refert, idem præcepiſſe S. Auguſtinum, & S. Iſidorum Monachum *in ſuis Regulis.*

6. Tenentur inſuper Magiſtri Nouitiorum, & etiam Prælati, experiri Nouitios quoad eorum conſtantiam in vocatione, & quoad capacitatem exercitiorum ſpiritualium, & quoad corporales labores iuxta varietatem perſonarum, & iuxta ſtatum Clericorum, vel Laicorũ. Experiendi prætereà quoad humilitatẽ, quæ eſt regularis diſciplinæ fundamentum, & præſertim Nouitij, qui ſubduntur Regulæ Benedictinæ, in duodecim gradibus humilitatis exerceri deberent, in quibus non vulgarem intelligentiam debenent habere.

Hæc, quæ dixi de Nouitiis, reſtringenda videntur, & limitanda in Nouitiis ſub eadẽ Regula Benedictina militãtibus quoad intelligentiã Regulæ: nam in his perfectior, & accuratior intelligentia prædictæ Regulæ neceſſaria eſt, vt colligitur ex Concilio Aquiſgranenſi *in cauſa eiuſdem Regulæ Benedictinæ*, congregato tempore Paſchalis Papæ I. & Ludouici Imperatoris IV. anno 817. vbi præcipitur, vt Monachi omnes, qui poſſunt, Regulam memoritet diſcant. Ex quo præcepto ſatis conſtat, Nouitios Benedictinos non ordinaria Regulæ, vt diximus de aliis, intelligentia pollere debere; ſed eam memoriter, vel debent diſcere, aut ſaltem altiorem intelligentiam ſupra alios Nouitios aliarum Regularum debent habere. 7.

QVÆSITVM VII.

Quid ſit ab Abbatibus, & Prælatis Regularibus circa probationis annum ſuorum Nouitiorum, & locum, in quo Nouitij educantur, præcauendum.

SVMMARIVM.

1 *Probatio vt ſit valida, debet durare per annum.*
2 *Nouitiatus tempore finito, Nouitius admitti debet ad profeſſionem, vel expelli.*
3 *Nouitius, etiam abſque licentia Superioris, liberè egredi poteſt à Religione, & hanc libertatis renunciare non poteſt, vt n. 4.*
5 *Abbas expellens Nouitium abſque iuxta cauſa, an peccet contra iuſtitiam, & mortaliter, vt n. 6.*
7 *Probationis annus incipit à die ſuſceptionis habitus, quo Nouitius aſperitates Religionis intendit experiri.*
8 *Probationis annus debet computari à momento in momentum, & debet eſſe continuus, vt n. 9.*
10 *Interpolatio etiam exigua diſcontinuat probationis annum.*
11 *Tempus à iure petitum ad aliquem actum, cenſetur petitum tanquàm forma.*
12 *Probationis anno finito, ſi Nouitius nolit profiteri, & egrediatur, deinde reuertatur, an ſufficiat prior annus ad profeſſionem emittendam.*
13 *Probationis annus quando compleatur in anno biſſextili.*
14 *Probationis anno non expleto, ſi aliquem ad profeſſionem admittant Prælati, & Superiores, peccant mortaliter.*
15 *Probationis annus ad hoc, vt continuus cenſeatur, an debeat perdurare vſque ad profeſſionem.*
16 *Probationis annus an interrumpatur, ſi de licentia Superioris per aliquod tempus, putà duorum, vel trium menſium Nouitius à Monaſterio abſit? Amplia, vt num. 17.*
18 *Probationis annus non interrumpitur, ſi Nouitius Magiſtri metu perterritus, retento habitu Monaſterium egrediatur, animo redeundi.*
19 *Probationis annus, an cauſa infirmitatis, ſeu defectu ætatis, vel ſcientiæ prorogari poſſit.*
20 *Nouitiatus an expleri debeat à Nouitio in habitu ſuæ Religionis.*

Multa debet Abbas circa annum probationis Nouitiorum obſeruare; & præcipuè, quod ad hoc, vt probatio ſit valida, & ſufficiat ad profeſſionem 1.

nem, duret per annum, vt prætet antiqua iura decreuit Tridentina Synodus *sess. 25. de Regular. cap. 15.* vbi voluit, suscipientem habitum regulare, debere per annum in probatione stare, aliàs ad professionem admitti non posse: quòd si ante id tempus admittatur, decernit professionem esse nullam, nullámque inducere obligationem. Et quòd professio ante probationis annum emissa, nulla sit, firmant Azor. *moral. instit. part. 1. lib. 12. cap. 2. q. 6. cum seqq.* Roderic. *regul. quæst. tom. 3. q. 15. art. 1. cum seqq.* Reginald. *in praxi, lib. 18. num. 385. cum seqq.* Sanchez *in Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 9.* Campanil. *in diuersor. iur. canon. rub. 12. cap. 3. a principio.* Martin Bonacina *de clausura, q. 2. punct. 10 difficult. 2 §. 2.* Augustin Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 101. n. 16. cum seqq.* Barthol. de Vecchiis *in praxi pro Nouit. ad Relig. recipiend. disp. 11. dub. 2. num. 2.* & alij apud Doctores citatos. Nec valet consuetudo in contrarium: quia d. Concilij decretum, cùm habeat clausulam irritantem, tollit consuetudinē nō solùm præteritam, verùm etiam in futurum, per tex. *in cap. Quod super his. in fine, de consanguin. cap. Super eo de cognat. spiritual.* & per ea, quæ tradunt Matta *de clausul. part. 1. clausul. 191. num. 9.* Gare *de benefic. part. 5. cap. 4. num. 179.* & in terminis Barthol. de Vecch *d. dub. 2. n. 3.*

Nec item valet ampliùs priuilegium 4 Leonis telarum *in Compend. Mendic. verb. Nouitius, §. 27.* quo traditur facultas Prælatis Ordinis Minorum, cum consilio discretorum Monasterij Religiosos aliorum Ordinum transeuntes ad Religionem Minorum, ad professionem ante probationis annum admittendi: quia illi derogatum est per d. Concilij decretum, quod vniuersaliter decernit, nullam in posterum valere professionem, non præmisso Nouitiatus anno. Atque sic docent Nauar. *lib. 3. consil. tit. de regular. consil. 61. n. 4. & consil. 62. n. 3. & cons. 66. num. 4. in nouis.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 101.* Roderiq. *d. q. 15. art. 11.* Sancius *de matrimon. lib. 7. disput. 32. num. 47. & in Decalog. lib. 5. cap. 4. num. 12. in fine.* Barthol. de Vecchiis *d. dub. 2. num. 5.* contra Hieron. à Sorbo *in Compend. loco cit. post 2. notab. vers. Sed an requiratur.* Pact. *cap. 2. art. 15. num. 65.*

2. Et finito tempore Nouitiatus, Superiores Nouitios quos habiles inuenerint, ad professionem admittant, aut è Monasterio eiciant: id tamen intelligendum, nisi aliquid obstet, & qui probantur habiles, tunc inueniantur, vel inhabiles è contra iudicentur.

3. Et sicut Prælati possunt illum expellere, sic etiam potest Nouitius liberè egredi à Religione absque consenso alicuius Superioris, vt communiter affirmant DD & præsertim Panormit. *in cap. Statuimus. de Reg. num. 1.* Sanchez. *6. lib. in precept. Decal. cap. 10. num. 1.* Rosella *verbo, Nouitius, num. 11.* Angelus *eodem verbo, num. 9.* Armilla *similiter num. 6.* Syluester *verbo, Religio, 5. quæst. 8.* Graffius *tom. 1. cons. lib. 3. de voto, cons. 8. num. 7.* Petrus de Luna *cons. 8. num. 32.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 11. num. 2.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 28. art. 8.* Roderiq. *qq. Regul. tom. 3. q. 15. art. 12.*

4. Imò fatendum est, quòd non solùm liberè egredi potest è Religione; sed etiam, quòd tali libertati renunciare non potest, vt dicit Petrus de Luna *loco cit.* Hinc est, quòd Nouitius egrediens à Religione iusta causa etiam minima, non peccat, vt dicunt Sanchez *lib. 5. in precept. Decalog. cap. 4. num. 58.* & Caietanus *2. 2. q. vlt. art. 4. dub. 3.* Passarellus *in not. priuileg. not. 43. ad finem.* Suarez tamen *loco citato, num. 4.* affirmat venialiter peccare, si ex leuitate, vel tædio Religionis egrediatur ab illa. Hoc autem dicēdum est, supposito, quòd ante ingressum Religionis eam non vouisset: in eo enim casu absque iusta causa egrediens peccaret mortaliter, vt docent Caietanus *loco cit.* Sorbus *in compendio, verbo, Nouitius, tit. de Nouitij professione emittenda, 5. not.* Syluester tamen *verb. Religio, 2. q. 19.* & Graffius *tom. 1. cons. lib. 3. de voto, cons. 8. num. 7.* affirmant, quòd etiam sine iusta causa egredi possit.

5. Quid autem dicendum sit de Abbatibus, & Prælatis Regularibus expellentibus Nouitium absque iusta causa. Respondet Suar. *loco cit. num. 5.* eos non peccare ratione iustitiæ commutatiuæ, sed ratione iustitiæ distributiuæ, & charitatis: licèt enim Nouitius egredi liberè possit, cùm sit sui iuris; Abbates nihilominùs eum dimittere non possunt: quia in hoc casu non se gerunt tanquam domini; sed tanquam dispensatores. Ita docent Passarellus, & Caietanus *loco cit.* Hinc est, quòd Nouitius sine causa expulsus habet ius reclamandi contra Abbates, & Prælatos eum expellentes apud maiores superiores, qui edocti de iniustitia talis expulsionis, eum ad Religionem restituunt, non obstante expulsione facta ab inferioribus Prælatis. Et hoc vidi in praxi obseruatum. Ideò, si post sex menses fuerit aliquis sine causa expulsus, posset post alios sex menses præfatos profiteri. Similiter, si totum annum probationis egisset, posset ad professionem admitti, & recurrens ad maiorem Superiorem propter grauamen illatum sibi à maiori Superiore, non censetur fugitiuus, vt docent Barth. de Vecchiis *in praxi Nouit. disput. 15. dub. 3. num. 9.* Sanchez *lib. 5 in precept. Decal. loco cit.* Laurentius de Peytinis *tom. 2. de Prælat. q. 3. cap. 1. num. 112.*

6. Quale autem peccatum sit illud ratione distributiuæ iustitiæ, & charitatis, superest explicare, an, videlicet, sit mortale; Sanchez *loco cit.* negat, illud esse mortale, nisi talis expulsio facta Nouitio esset illi grauis nota, sicut culpa Nouitij leuiter retrocedentis; est solùm venialis: quia Religio non magis obligatur Nouitio, quàm Nouitius Religioni quoad culpam. Verior tamē sententia est, Abbates, & Superiores Regulares consentientes, & concurrentes expulsioni Nouitiorum per denegationem suffragiorum absque causa legitima, peccare mortaliter. Ita affirmant Portellus *in dub. Regul. verbo, Nouitius, num. 54.* Suarez, Passarellus, & Caietanus *locis citatis,* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 15. art. 12. concl. 1.* Bartholom. de Vecchiis *in praxi Nouitior. disp. 12. dub. 1. num. 1.* Rebellus *de oblig. iust. part. 1. lib. 4 q. 55 num. 5.* Barthol. à S: Fausto *lib. 9. thesaur. Relig. q. 214.* Et probatur: quia supradicti Prælati in hoc casu abutuntur potestate iurisdictionis sibi concessa, ratione cuius procurare tenentur bonum Religionis, non autem maximam iniuriam ei irrogare, illam priuando idoneo Religioso: rum, quia Concil. Trid. *sess. 25. cap. 16. de Regul.* præcipit Superioribus, vt Nouitios habiles repertos finito anno Nouitiatus ad professionem admittant: vnde, si expellant eos absque causa, manifestè agunt in re graui contra præceptum Concilij Tridentini.

7. Similiter quamuis dicantur in d. Concilio illa verba: *Post susceptum habitum.* non ideò debet intelligi, incipere annum probationis à die susceptionis habitus simpliciter, sed à die susceptionis habitus, tanquàm Nouitij Religionis asperitates experientes, vt docent D. Augustin. Barbos. *d. alleg. 101. numero 19.* Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 13.* & alij. Et hic probationis 8.
annus à momento in momentum computari debet: quia Concilium *loco citato* tradit, initium computationis illius, nempe, à die susceptionis habitus: at vbicunque lex requirit certum tempus, debet computari de momento in momentum, *lib. 3. §. minorem. ff. de Minorib.* Ita docent Sanch. *de matrimon. lib. 2. disp. 24. num. 22.* Less. *d. cap. 41. dub. 2. num. 59.*

Suarez

Suarez d. lib. 5. cap. 15. num. 1. Barthol de Vecch. d. disp. 11 dub. 4. à. num. 2. D. August. Barbos. d. alleg. 101. num. 21. in fine, iuxta Lugdunen. e. in preß. d. collect. ad cap. 15 & alij apud eum, & apud Barthol. de Vecch. contra Stephan, Grat. & Campanil. & alios.

9. Debet etiam hic annus esse continuus; nec sufficit interpolatus: quia tempus aliquod per ius in aliquo requisitum necessariò continuum esse debet. Gloss. in cap. 2. verb. per annum. de tempor. ordin. in 6. vbi Franch. num. 5. Et aliis iuribus, & Doctoribus adductis probant Anton. Gomez tom. 3. var. resol. cap. 1. num. 3. Guttier. quæst. canonic. lib. 1. cap. 12. n. 24. At Concil. Trident. loco citato, absolutè integrum probationis annum requirit: ergo is necessariò continuus esse debet. Et hanc sententiam tenent in d. cap. Ad apostolicum. n. 9. de Regular. vbi eiusdem opinionis refert fuisse Ioan. de Lign. in Clem. Eos. de Regular. & Bart. in l. Interdum. ff. quoties. ff. de public. Idē voluit Angel. verb. Nouitius. num. 15. Sylu. verb. Religio. 5. num. 4. Nauar. cons. 9. & 34. de Regular. Henriq. lib. 13. de excommunicat. cap. 40. num. 2. Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8. Less. lib. 2. cap. 41. dubit. 2. Roderiq. quæst. regular. tom. 3. q. 15. art. 8. Sanch. d. lib 5. cap. 4. num. 31. plures alios referens, & dicens, hanc esse communissimam sententiam. Ita etiam Bonacin. de clausur. q. 2. punct. 10. diffic. 2. §. 2. num. 3. Suarez d. cap. 15. num. 3 D. August. Barbos. d. alleg. 101. num. 23. Barthol. de Vecchiis d. disput. 11. dub. 3. numero. 1. & alij apud Doctores citatos.

10. Et hic annus ita debet continuari, vt modicum interuallum, seu exigua interpolatio eius continuationem impediat. Vnde, si quis, dimisso Religionis habitu, egressus est; eo ipso probationis annus interrumpitur, etiamsi intra eundem diem pœniteat: quia ipso facto amisit statum, quem habebat, & indiget noua receptione, ad hoc vt Nouitius iterum esse possit. Et ratio est: quia iste probationis annus institutus est ab Ecclesia, vt Nouitius experiatur Religionis asperitates, vt constat ex dicto c. Ad apostolicum de Regular. quod maximè in continuatione consistit: nam facilius quis ieiunaret 40. dies, si inter diē, & diem ieiunij aliquis refectionis dies intercederet; & sic Nouitius non experiretur Religionis asperitates eo modo, quo continuè in Religione experiri solent. Tum, quia

11. tempus à iure petitum ad aliquem actum censetur petitum tanquam forma, arg. tex. in Auth. Quæ supplicatio. C. de precib. Imperat. offerend. iunct. Gloss. in verb. forma, & pluribus allegatis tradit Tiraquellus de retractu lignager. §. 3. gloss. 4. num. 3. & 4. Formæ autem omissio in minimo vitiat actum, vt probat idem Tiraquell. in tract. de iudic. in reb. exiguis, num. 12. Cum igitur Concilium Tridentinum ad professionis valorem exigat annum continuum; quantumuis minimus continuationis defectus illam irritabit. Atque ita docent Nauar. consil. 41. num. 4. de regular. Galet in Margarita cas. conscient. verb. Nouitius, 2. Sanchez d. cap. 4. num. 32. latè Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 15. num. 6. Barthol. à S. Faust. in thes. Relig lib. 5. q. 164. Barthol de Vecch. d. dub. 3. num. 7. D August. Barbos. d. alleg. 101. num. 25. contra Less. Sorb. Nald. & alios apud eundem ibid.

12. Si petas, an si expleto anno probationis, Nouitius nolit professionem emittere, sed à Monasterio egrediatur, & deinde rursus reuertatur; an prior annus sufficiat ad professionem emittendam. Respondeo, probationem factam non videri sufficientem: nam iura, quæ statuunt, vt annus probationis præcedat, videntur velle, vt Nouitius vsque ad professionem in eo statu probationis persistat: nam illum mutando, moraliter mutat fundamentum iudicij, & magna morum mutatio in eo contingere potest: propterea, etiam moraliter loquendo, noua probatione indiget. Et hanc sententiam pluribus firmat Suar. d. cap. 15. num. 8. 9. & 10 qui sequuntur Barthol de Vecchiis d. dub. 3. n. 5. D. Augustin. Barbos. d. collect. ad cap. 15. sess. 25. de Reg. Concil. Trid. num. 24. in fine, contra Bonacin. d. § 2. n. 4. Franch. Syluest. Roderic. & alios.

Ex dictis aliquæ enodantur difficultates, & præsertim quid agendum sit quoad complementū vnius anni probationis, & Nouitiatus in anno bissextili. Miranda in Manuali Prælat tom 1. q 22. art. 2. concl. 3 Lessius lib. 2 de iust & iur. cap. 41. dub. 7. num. 58. Bartholomæus à S. Fausto in thes. Relig. lib. 5. q 161. Roder. qq. regul. tom. 3. q 15. art. 5. dicunt, quòd in anno bissextili computari debent duo dies pro vno: quia ille annus tunc eo modo solùm dicitur completus, qui similiter annus debet compleri à Regularibus illis, qui de vna Religione ad aliam transeunt, eò quòd priùs debent probare & probari. Ita Rodriq loco. cit. art. 11. & Ledesma de statu Relig in com cap. 7. concl. 1. difficult. 6. & Sanch. loco. cit. num. 12. 13.

Admittentes autem ante dictum annum expletum aliquem ad professionem, peccant mortaliter: quia agunt contra Concilium Tridentinum in re graui. Ita Syluester verbo Religio, 3. q. 14. Lessius lib. 2. de iust & iur. cap. 41. dub. 7. num. 59. Bartholomæus à S. Fausto in thes. Relig. q. 236. num. 6. Laurentius de Peyrinis tom. 2. de Prælato, q. 3. cap 1. num. 98. vbi existimat, hodie non habere locum pœnas suspensionis, & excommunicationis post Concilium Tridentinum inflictas contra recipientes hoc modo: quia pœnæ alicui actui statutæ locum non habent, quando is actus irritè fit, vt probat Sanchez de matrim. disp. 3. num. 5 Sed professio ante dictum annum completum est irrita: ergo, &c. 14.

Et præsupposito, vt diximus, quòd annus prædictus debeat esse continuus, vt affirmant communiter Doctores, & præsertim Roderiq. qq. regul. tom. 3. q. 15 art. 8. Ledesma loco cit. dub. 4. Lessius loco citato, Azorius. tom. 1. instit. moral. lib 12 cap. 2. q. 8. Enriquez lib. 13. cap. 40. num 2. Graffiis part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num 14. Syluester verbo, Religio, 5. q. 4. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. q 22. art. 4. Bartholomæus à S. Fausto loco cit. q. 163. Sanch. loco cit. num. 31. Suar. tom. 3. de Relig. lib 5. cap. 15. num. 3 Nauar. lib. 3. cons. de Regul. cons. 9. n. 2. quod etiam declarauit Sacra Congregatio Concilij Tridentini, teste Suar. loco citato, tollitur difficultas de huiusmodi continuatione, quòd non solùm debeat esse per annum expletum, sed etiam vsque ad professionem: vnde, si Nouitius egrederetur è Monasterio, completo anno, & posteà iterum rediret; non posset emittere professionem virtute præfatæ probationis; sed iterum deberet Nouitiatum incipere, cum talis sit vsus Religionum, vt benè notant Suar. loco citato, num. 8. & Bartholomæus de Vecchiis similiter loco cit. dub. 1. & Laurentius de Peyrinis loco citato, num. 99. quicquid dicat Sanchez lib 5. in præcept. Decalog. cap. 4. num 34. Sed hoc magis explicabitur in his, quæ inferiùs dicemus. 15.

Tollitur similiter difficultas, an interrumpatur annus Nouitiatus, quando Nouitius tempore probationis de licentia sui Superioris, causa infirmitatis ad se curandum in parentum domo, vel consanguineorum, vel ad visitanda loca sancta per aliquod tempus, putà duos, vel tres menses, à Monasterio, exiret: tunc enim dicendum est, Nouitium non interrumpere annum Nouitiatus, vt affirmant ferè communiter Doctores, & præsertim Nauarrus lib. 3. cons. de Regul. cons. 32. num. 3. Suar. tom. 3. de Relig lib. 5. cap. 14. num. 13. Miranda tom. 1. Manualis Prælat. q. 22. art. 5 Campanilus in diuers. iur rubr. 11. cap. 13. num. 10. Bartholomæus de Vecchiis loco cit. num. 10. Azorius tom. 1. inst. moral 16.

moral. lib.12. cap.3.q 7. Bartholomæus à S. Fausto *in thes. Relig.lib 5 q.176.* Barbosa *in Collectan.in cap. Ad apostolicum.de Regul.n.6.* Graffius *1.part. decis. lib 3. cap.5.n.18.* Sorbus *in compend.priuil.verbo, Nouitius, tit.de Nouitij profess.emiss.* Rodriquez *qq. regul.tom. 3 q. 15. art.* 10. Ratio est: quia Monachus censetur esse in Monasterio, quando de licentia sui Abbatis foris est, vt benè docet Sanchez *lib.5. in præcepta Decalogi, cap 3. num.25.* vbi multis rationibus idipsum probat. Similiter Panormitanus *in cap. Cum illorum.de sententia excommunicationis*, hoc idem sentit, & Sacram Congregationem Concilij Tridentini hoc declarasse affirmant Nauarrus, Miranda, & Bartholomæus de Vecchiis *locis citatis*, & Gratianus *discept. forens.tom 1.cap.166.num.14.* & Laurentius de Peyrinis *loco cit.num.111.* qui paulò inferiùs sic ait: [Quibus tamen non obstantibus aliter iudicasse in hoc puncto inuenio Rotam Romanam apud Farinacium *decis.175. num.2.* atque ita decisa à præfatis Doctoribus circa egressum Nouitij cum causa, & licentia Superioris, modò in praxi non esse tuta: quia continuitas anni probationis in Religione est de forma; & in his, quæ sunt de forma, rigor iuris seruandus est, vt dicit Gloss. *loco citato*, & docent Sanchez *loco citato, cap.4. num.32.* & Bartholomæus à S. Fausto *q. 164. num. 2.* Nisi velis dicere, Rotam loqui in casu longæ absentiæ sine causa procuratæ ad fugiendas austeritates eo tempore fieri solitas in Monasterio: quo pacto temperarem hanc licentiam, ad breue, scilicet, tempus aliquorum dierum, non mensium. Quæ limitatio Peyrini mihi satis probatur, maximè cùm in praxi hoc hodie obseruari videatur, dummodo tamen longa infirmitas, siue aliud notabile accidens vltra dies, & per menses protraherent moram Nouitiorum in domo parentum.]

17. Hoc, quod dictum est de mora facienda Nouitio in domo parentum, vel alibi cum licentia sui Superioris, existimo verum esse, etiamsi illicitè, & sine causa rationabili ab Abbate data fuisset licentia Nouitio, manendi extra Monasterium; quia in hoc casu licèt Abbas peccet, licentiam illicitè præstando, non sequitur tamen ex hoc, quòd interrumpatur annus Nouitiatus, vt docent Suar. *de Relig.tom.3.lib.5.c.14. num 13.* & Diana *in suis resolut.moral.tract.2. de dub. regul. resol.84.* vbi postea *in vers. Nota etiam* contra Emmanuelem, non docet cotrarium eius, quod *suprà* innuimus, scilicet, Nouitium extra Monasterium de licentia Superioris posse demorari causa morbi curandi, non solùm per vnum, vel duos manses; sed etiam per maiorem partem anni, vt docet contra Roderiq. Sanchez *in Sum. tom 2.lib.5 cap.4.num.28.* & Nauarrus *lib. 3. cons. 42. tit. de Regul.* & Azor. *tom. 1.instit. moral. lib. 12. cap. 2. q. 8.* qui loquuntur de Nouitio, qui decem menses, & semimensem extra Religionem demoratus est; & Azorius præsertim loquitur de Nouitio, qui toto probationis anno extra Conuentum apud sæcularem demoratus est cum licentia Superioris.

18. Insuper idem Pater Diana *loco cit.* putat, quòd non interrumpatur annus Nouitiatus, si Nouitius retento habitu perterritus seueritate, vel iracundia Superioris, siue Magistri, Monasterium abditè exeat, causa se celandi; dummodo habeat animum redeundi, vt docet Galuanus *cons. 12. num. 8.* Idem est dicendum, si Nouitius retento habitu exeat indebitè, & sine licentia de Monasterio, dummodo intendat ad Monasterium redire. Ita Suar. de Relig. *loco cit.lib. 5.cap. 14.* & alij.

19. Tollitur similiter alia difficultas, an, verbi gratia, si causa infirmitatis, vel defectu ætatis, siue scientiæ, annus Nouitiatus possit prorogari? Ledesina *de statu Relig. in commun. cap.7. dub.5.* Suar. *loco cit.cap. 13. num. 8.* Sanchez *lib. 5. in Decal. cap. 4.num.21.* Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Graffius *1. part. decis. num.3. cap. 5. num.6.* Bartholomæus de Vecchiis *in prax. Nouitior.disput. 11. dub. 5.num.3.* Roder. *part. 2. Sum. cap. 8. numero 3.* Vega *part. 2. Sum. cap.39. casu 4.* Bartholomæus à S. Fausto *thes. Relig. lib. 5.q. 169. num. 2.* dicunt, quòd annus Nouitiatus causa infirmitatis, vel defectu ætatis, aut scientiæ, prorogari potest. Ita etiam affirmat Laurentius de Peyrinis *tom. 1.priuileg.sui Ord. const.2.Sixti IV. num. 81. & 82.* vbi in hac re duas ponit declarationes S. Congregationis Concil. Tridentini, & aliam declarationem similiter reperio apud Graffium *1.part. decis. lib.3.cap.5.num.16.* sub his verbis: *Concilium noluit, quempiam minori tempore, quàm per annum stare in probatione, idque expressim disposuit: ne autem hoc tempus longius extendi, possit non prohibuit, ideòque arbitrio Superioris extēdi, & prorogari poterit.*

Postremò resoluitur etiam difficultas, an Nouitiatus debeat compleri à Nouitio in habitu suæ Religionis? Respondeo affirmatiuè, ita vt Nouitiatus debeat omninò compleri proprio habitu illius Religionis: vnde, si hoc modo non compleat Nouitius, compleuisse non dicatur. Ita Sanchez *lib.5. in Decal. cap.4.num.29.* Syluest. *verbo, Religio, 5.q. 5.* Angelus *verbo, Nouitius, §. 16.* Tabiena *eodem verbo, Nouitius, num.10.* Azorius *tom.1.instit.moral.lib.12. cap.2. q.2.* Barbos. *in collectan.in cap. Ad apostolicum. de Regul. num.7.* Bartholomæus de Vecchis *loco cit. dub. 7.* quidquid dicat Suar. *loco cit num. 10.* Et hoc probatur ex ipso Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 15.* vbi ait, annum Nouitiatus ad professionis valorem, computandum esse à die receptionis habitus: ergo supponit eo habitu complendum Nouitiatum. Quo verò ad locum, in quo Nouitij educari debent, extant specialia decreta Clementis VIII. sub die 12. Martij 1596. & sub die 20. Iunij, 1599. & sub die 19. Martij, 1603. *suprà* relata *in fine quæsiti quarti*; & nouissimè extat Breue S.D.N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. sequentis tenoris 20.

BREVE S.D.N.D. VRBANI, diuina prouidentia Papæ VIII.

Super Professionibus per Regulares emissis, non facto in locis designatis Nouitiatu.

VRBANVS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

RELigiosos viros, qui, spretis huius sæculi vanitatibus, diuini Numinis obsequiis sub suaui Religionis iugo sese manciparunt, pastorali benignitate complectimur, vtque in vocatione, qua vocauit eos Dominus, permaneant, iuxta creditum Nobis apostolicæ seruitutis munus, sedulò intendimus, ac desuper eiusdem muneris partes propensis studiis intendimus, provt ad Dei laudem, Catholicæque Ecclesiæ decus, & exaltationem conspicimus in Domino salubriter expedire, Cùm itaque, sicut accepimus, quamplures Ordinum, Congregationum, & Institutorum regularium Professores annum in Monasteriis, seu Domibus ad id designatis, vel ab apostolica Sede aprobatis minimè fecerint, proindéque iuxta Constitutionem fel.rec. Clementis Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editam, professio per eos subin-

de emiſſa inualida exiſtat: Nos Religioſos prædictos ex huius ſanctæ Sedis benignitate ſpecialibus fauoribus & gratiis proſequi volentes, eorúmque ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutas fore cenſentes, Motu proprio, ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtris Venerabilibus Fratribus, noſtro Scipioni Epiſcopo Sabien. Cardinali Burgheſio nuncupato, maiori Pœnitentiario, vel Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, cæteriſque Ordinariis locorum, in quibus eorundem Religioſorum Monaſteria, Domus, ſeu Conuentus, aliáve regularia loca conſiſtunt, ſiue ipſorum Religioſorum Præfectis, vel Superioribus generalibus per præſentes committimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos prædictos, qui ad habitum regularem aliàs canonicè recepti annum probationis in Monaſteriis, ſeu Domibus regularibus ad id deſignatis minimè fecerunt, ſubindéque profeſſionem nihilominùs emiſerunt, ad profeſſionem denuò ſeruatis aliàs ſeruandis emittendam, quæ ſic emiſſa illis, & eorum cuilibet, tam in foro interiori, quàm exteriori ſuffragari debeat, abſque nouo probationis anno ex ſpeciali huius ſanctæ Sedis benignitate, authoritate noſtra apoſtolica recipiant, & admittant; eoſdémque, poſtquàm profeſſionem denuò, vt præfertur, emiſerint, ad omnes gradus, honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, ſi ab initio validè profeſſi eſſent, legitimè obtinerent, eadem authoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, ita vt habeant eundem locum, ſeſſionem, & votum, prout haberent, ſi priores profeſſiones validæ fuiſſent, & nondum promoti, ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines, ſeruatis aliàs ſeruandis promoueri, & tam ipſi, quàm alij ad eoſdem Ordines iam ritè promoti in ſuſceptis Ordinibus huiuſmodi, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare liberè, & licitè valeant, necnon omnes actus, ſiue contractus, quos contraxerunt, & legitimè contraxiſſent, vel cum laicis, vel cum aliis Monaſteriis, ſeu alterius Religionis viris, ſi nullum aliud paterentur vitium, vel defectum, niſi ex eo ſolùm, quia initi, aut contracti ſunt inualidè ab iis, qui contra dictam Conſtitutionem in Domibus non deſignatis, ſiue ab eadem Sede non approbatis, profeſſi ſunt, authoritate noſtra prædicta confirment, & approbent, ac validos omnino, declarent, ſuper quibus omnibus, & ſingulis plenam & amplam facultatem dicta authoritate, tenore præſentium tribuimus, & impartimur. Decernentes præſentes literas, & in eis contenta, atque illarum vigore in præmiſſis facienda, & exequenda quæcunque valida, firma, & efficacia exiſtere, & fore, ſuóſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere; ac omnibus, & ſingulis, quos illa concernunt, & concernent quomodolibet in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, eóſque præmiſſorũ occaſione, vel prætextu quomodolibet moleſtari, perturbari, aut inquietari nullatenus poſſe, nec debere, ſicque, & non aliter ab omnibus cenſeri, & ita per quoſcunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuncios, in quauis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque, & inane, quicquid ſecus ſuper hiis à quoquã quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac præfata Clementis Prædeceſſoris, aliiſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon quatenus opus ſit Ordinum, Cõgregationum, & Inſtitutorum huiuſmodi, & quibuſvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, Indultis, & Literis apoſtolicis, illis, eorúmque Superioribus, & perſonis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, ac irritantibus, aliiſque decretis in genere, vel in ſpecie, ac aliàs in contrarium, etiam Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, & & aliàs quomodolibet iteratis vicibus conceſſis approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi, de illis ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruãda foret, illorum tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè harũ ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Cæterùm, ſimilibus in poſterum conſultum eſſe volentes, dilectis filiis Ordinum, Congregationũ, & Inſtitutorum huiuſmodi Superioribus generalibus, quocunque nomine cenſeantur, ac Procuratorib. etiã generalibus per præſentes diſtrictè præcipimus, & mãdamus, quatenus ſtatim viſis præſentibus loca, Monaſteria, vel Conuentus, in quibus Nouitij, probationis annum agant, & alia, quæ dictus Clemens Prædeceſſor ſuper hac re obſeruari iuſſit, obſeruentur, deſignari, ſiue confirmari omninò curent, & faciant. Vt autem præſentium notitia ad omnes faciliùs perueniat, volumus, vt illarum exemplis, etiã impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem proríus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præſẽtib. adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus noſtri anno octauo.

M. A. MARALDVS.

QVÆSITVM VIII.

Quid obſeruare debeant Abbates, & Prælati Regulares circa habitum ingredientium Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Religionem ingrediens debet mutare habitum, illumque de ea Religione, quam ingreditur, per manus Abbatis, vel alterius de eius licentia ſuſcipere.*

2 *Habitus mutatio pro Religionem ingredientibus, quare ſit introducta, & n. 3.*

4 *Habitu Religionis tempore probationis Nouitij neceſſarius eſt.*

5 *Habitus probationis in aliquibus differt ab habitu profeſſorum.*

6 *Probationis annus validè poteſt fieri, etiam in habitu Profeſſorum.*

7 *Probatio aliqua fieri etiam in habitu laicali poteſt.*

IN Nouitiorum receptione debet obſeruare Abbas, vt nouitius mutet habitum, *arg. cap. Super eo. de Regul.* & Hoſtienſ. *in Summa, de Regul §. penult.* Et habitus, quem ſuſcipit, debet eſſe eiuſdem inſtituti, 1

quod ingreditur; non autem alterius Religionis, vt colligitur e Gloss. *d. cap. Super eo.* quod clarè constat ex ipsa consuetudine: quia nunquam visum est, vt Nouitius, qui, v. g. ingreditur Religionem Vallisvmbrosæ, gerat habitum Canonicorum Regularium. Ingrediens igitur Religionem debet per manus Abbatis, vel alterius de eius licentia consuetis obseruatis cæremoniis habitum suscipere.

2. Ratio autem, quare Nouitius mutet habitum, desumitur ex hoc: nam qui mundi contemptum, & pœnitentiam profiteri desiderat, debet habitu singulari aliquo modo pœnitentiæ, & contemptui conformi vti, vt ostendat, se interius, & exteriùs à sæculari statu, in religiosum mutatum, vt dicit Dionys. *de ecclesiast. Hierar. cap.* 6 Et Athanas. *lib. de virginit ante medium*, monet Sanctimonialem, vt fuscam, & vilem vestem gerat. Basil. *in quæst. fusè explicatis, q* 22. idem ait. Chrys. *hom.* 69. *in Math* ait Monachos habitu imitari Eliam, Ioannem. Idem Ambros. *lib* 6. *epist* 36. Hier. *epist.* 4 *ad Rustic. Monachum.* August. *lib.* 6. *contra Faustum, cap.* 9 Gregor. *lib.* 2. *dialog. cap.* 1. Cassian. *lib.* 1. *de Instit. Monast.*

3. Alia ratio est, vt ex tali habitu cogantur benè viuere, & perfectius cæteris hominibus vitam ducere: ex hoc enim, quòd habitus monasticus à laïcorum habitu distinctus est, colligitur perfectior viuendi modus ab illis distinctus. Et aduertendum, quòd habitus in Monasterio deferri debet: quia delatio extra Monasterium tantum, nunquam induceret professionem tacitam, vt *in Clem. eos. de Regular.* licèt talia possit compelli, vel ad dimittendum habitum talem, vel ad Monasterium intrandum, Sylu. *verbo, Religio, 5. c. 5.*

4. Necessarius est ergo habitus Nouitiis, & maximè tēpore probationis, vt colligitur ex Conc. Trid. *sess.* 25. *c.* 16. *de Regul.* dum decernit, annum Nouitiatus numerandum esse à die susceptionis habitus: tum, quia in qualibet Religione consuetudo ita obtinuit; quod etiam docent Gloss. *in cap. Cum legem. verbo, in suo, in can. final. verbo, habitus,* 17. *q.* 2. & *in cap. Super eo. in fine, de Regul.* & Ioan. Andr. *in eod. cap. Super. eo in fine*, & Hostiens. *in Summ. tit. de Regul. num.* 1. *in fine.* Angelus *verbo, Nouitius, num.* 16. Tabiena *eod. verb. n* 11. Syluest. *verbo, Religio, cap.* 5. Azor. 1. *tom. inst. moral. lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 9 Rodriq *tom.* 3. *q.* 11. *art.* 9. Miranda *in Manuali Pralat. tom.* 1. *q.* 22. *art.* 6.

Si dicas, quòd *in can. Legem. dist.* 53. *can. Multos. dist.* 54. & *can. vlt.* 17. *q.* 2 elicitur, satis esse Nouitium in habitu sæculari esse probandum. Dico, huiusmodi iura ex contrario vsu esse abolita: & cùm dicunt, Nouitium esse probandum in veste laicali, pro tali veste intelligendus est habitus Nouitiorum, qui differt ab eo qui datur Professis. Sic Gloss. *in cap. Super eo. verbo, in eadem veste, de Regul.*

5. Dixi, *qui differ. ab eo, qui datur Professis:* nam in quibusdam Religionibus in hoc differt habitus Nouitiorum ab habitu Professorum, quòd habitus Nouitij non est ita extensus, sicut habitus Professorum: vt contingit in multis Congregationibus militantibus sub Regula S. Benedicti; in aliis verò, vt in Religione Dominicana differt habitus Nouitiorum ab habitu Professorum in hoc, quòd Professorum habitus benedicitur; non autem Nouitiorum: & habitus Professorum datur in Choro; habitus verò Nouitiorum in Capitulo. Et sic discurrendum est de aliis Religionibus. Hoc autem non est vniuersaliter asserendum, cùm etiam in aliquibus Religionibus habitus Nouitiorum non distinguatur ab habitu Professorum; ideò absolutè dici potest, supradicta iura affirmantia Nouitium probandum esse in veste laicali, fuisse abolita ex contrario vsu, & ex Concilio Trid. *loco cit.*

Et licèt debeat Nouitius habitum deferre, quem Regula, & statuta Religionis præcipiunt; non est tamen de substantia anni probationis debere Nouitium induere habitum distinctum ab habitu Professorum, vt benè probat Sanchez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 10. sed de substantia probationis est præsertim vt Nouitius sæculari habitu spolietur, & induatur habitu regulari solito illius Religionis, siue sit Nouitiorum, siue Professorum illius Religionis. 6.

Ex his tamen non inferas, non posse fieri aliquam probationem, præter illam, quam præcipit Concilium Tridentinum *loco citato*: nam ex antiquis canonibus, & præsertim *ex cap. vnico, dist* 53. & *cap. Multos dist.* 54. colligitur, probationem aliquam Nouitiorum fieri posse, & debere, priusquàm induantur Nouitij habitu probationis; de quo loquitur Concilium *loco citato*. & optimè. Et licèt huiusmodi Canones videantur, vt diximus, per contrarium vsum, & per Concilium Tridentinum abrogari; tamen pro consilio salubri dicendum est, posse Prælatos Regulares, antequàm ad probationis habitum Nouitios admittant, experiri eos in eorum habitu sæculari, & laïcali, vt mediante tali experientia iudicetur, an sit eis concedendus vel negandus regularis habitus. Et hoc antiquitus obseruatum fuisse in multis Religionibus, & præsertim in Benedictina, docent Monimenta earundem Religionum: & legimus de S. Mauro, & Placito, & de Carolo Magno, de S. Thoma Aquinate, & aliis Viris clarissimis sub Benedictina disciplina militasse etiam sub habitu laicali: quod etiā colligitur ex Regula ipsius Sanctissimi Benedicti *in cap.* 58. & ex Regula S. Pachomij *sub n.* 26. & ex Regula S. Basilij *interrog.* 7. quod etiam obseruatum fuisse tempore SS. Macarij, Paphnutij, & alterius Macarij, & Serapionis habetur in eorum Regulis, quas refert Smaragdus *c.* 58. *in Comm. Regula S. Benedicti.* 7.

Ex quibus concludo cum Bartholomæo de Vecch. *in praxi Nouitiorum, disp.* 11. *dub.* 1. *n.* 3. cùm ex iure communi requiratur hoc experimentum in habitu laïcali, à quolibet Superiore, vel Magistro quoad hoc diligenter obseruari debere, vt Regulas, & Statuta suæ Religionis, & vbi hæc desunt, obseruāda est consuetudo. Et refert eodem loco, quòd statuta Capucinorum *cap.* 2. decernunt, Superiores, vel Magistros experiri debere per aliquot dies in omnibus obseruantiis Nouitios, tam sæculares, quàm Regulares, priusquàm admittantur ad habitum.

In mea Congregatione Vallisumbrosæ extat hæc laudabilis cōsuetudo, vt ferè omnes Nouitij in habitu laïcali in Nouitiatu inter alios Nouitios experiantur.

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint aliquid à Religionem ingredientibus, vel egredientibus pro expensis in Nouitiatu factis accipere.

SVMMARIVM.

1 *Religionis ingressus debet ab omni simonia labe esse alienus.*

2 *Abbas recipiens per pecuniam Nouitium, quam pœnam incurrat, ostenditur.*

3 *Abbas aliquid à Nouitio sponte dante recipere potest absque simonia labe.*

4 *Monasteria ab intrantibus Religionem an aliquando aliquid exigere possint.*

5 *Nouitius dimittens habitum, an teneatur soluere sumptus, quos in illum alendo Monasterium erogauit.*

6 Reb

6 *Religio potest exigere summam pro rata expensarum Nouitij, qui illam promisit, modo propter hoc non precludatur ei libera egressio à Religione.*

7 *Nouitium non soluentem, quod promiserat, expellere non potest Religio.*

8 *Restitutionis inter Religionem, & Nouitium executionem facere pertinet ad Episcopos.*

1. NVlli dubium est, Religionis ingressum, qui ad perfectioné ordinatus est, debere ab omni simoniæ labe alienum esse. Hinc meritò in sacris Canoni-
2. bus sancitum est, vt si Abbas pro receptione Nouitij ex pacto pecuniam recipiat, à sua dignitate suspendatur, & pecunia sit restituenda, & taliter receptus in aliud Monasterium, quod arctius sit, transferatur. Post renunciationem tamen in eisdem, vel aliis Monasteriis poterit collocari, si ipso ignorante pecunia sit data. Quod colligitur *ex cap. Non satis. cap. Veniens ad nos. cap. de Regularibus, de simon.*

3. Si dicas: Sæpè contigit, quòd Nouitij sponte, & liberè gratuitam donationé suo Abbati largiantur: ergo poterit Abbas, absque simoniæ labe aliquid accipere. Respondeo, sacros Canones non prohibere, ne Abbas aliquid à Nouitio sponte dante recipiat, dummodo sine pacto hoc cótingat: quod colligitur ex Gloss. *in dicto cap. Non satis.* Ratio autem, qua prohibitú est Abbati aliquid à Nouitiis inito pacto recipere, est: quia Religionis status est aliquid spirituale: spirituale autem vendi, aut pacto aliquo appretiari nequaquam potest.

4. Dices: In multis Monasteriis consuetudo viget, vt aliquid ab intrantibus Religionem exigatur. Respondeo, si Monasterium non valeat intrantes sustentare propter sui inopiam, poterit tunc Abbas à Nouitiis ingredientibus aliquid exigere, non ratione pretij; sed ratione sustétationis, vt Monasterium habeat, vnde eis prouidere possit: sic habetur ex Gloss. *d. cap. Non satis.* Si auté Monasterium diues est, nó potest quicquá absque simonia recipere. Nec Abbas à simoniæ vulnere tutus est, taxádo, vt determinatú quid detur, vel pactú faciendo de seruanda consuetudine. Insuper nec ingrediens potest offerre Abbati pecuniam, si velit eam acceptare; nec licet etiam conuenire, vt si post certum tempus recipiatur, Monasterio inseruiat; nec aliquo modo pacisci, vt recipiatur: poterit tamen Abbas reiicere Nouitium recipiendum, nisi studuerit, vel talem artem didicerit, & similia absque simonia, vt per Læl. Zecch. *de Republ. eccles. tract. de Regul. cap. 3. n. 4.*

5. Quo verò ad secundam partem, an Nouitius ad seculum rediens, sicuti liberè redire potest, teneatur ad expensas, quas in ipso alendo Monasterium fecit? Aliqui, vt Peregrinus *in Commentar. ad const. Cleric. Regul. part. 2. cap. 2. litt. G, §. 10.* dicunt, affirmatiuam sententiam facilè sustineri posse, maximè quia Concilium Trid. *sess. 16. de Regul. cap. 15.* dicit, quòd discedente Nouitio à Religione ante professionem, si acceperunt Religiosi aliquid ex bonis ipsius Nouitij, restituere teneantur, excepto victu & vestitu Nouitij: ergo videtur insinuare Concilium, quòd pro victu, & vestitu possit Religio agere contra Nouitium, repetendo expensas pro eodem factas. Præterquàm quòd cùm Concilium indistinctè de Nouitiis, tam masculis, quàm fœminis loquatur, & consuetudo iam obtinuerit, quòd Nouitiæ à parentibus, seu curatoribus alantur, sequitur, idem dici posse de Nouitiis masculis.

His tamen non obstantibus, absolutè dicendum est, Nouitios è Religione ante professionem egredientes non teneri ad expensas pro iisdem Nouitiis factas Ita Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 11. n. 5.* Sanch. *in Sum. tom. 2. lib. 6. cap. 10 n. 4.* & *in Decalog tom. 2. lib. 7. cap. 5. n. 25.* Villalobos *in Sum. tom. 1. tract. 35. diff. 16. num. 6.* Rosella *verbo, Nouitius, n. 11.* Sylvest. *verbo, Religio, 5. q. 8.* Passarell. *in not. 43. in princ.* Azorius *1. part. instit. moral. lib. 12. cap. 3. q. 6.* Rodriq. *part. 2. Summa, cap. 8. num. 3. in fine,* & *tom. 3. qq. regul. q. 17. art. 10.* Emmanuël Sà *verbo Religio. num. 8.* Bartholomæus à S. Fausto *lib. 5. thes. Relig. q. 191.* Ioannes Suarez *in Enchiridio casuum conscient. lib. 3. verbo, Religio, §. Nouitius egressus,* & P. Diana *in suis resol. moral. tract. 2. de dub. Regul. resol. 16.* contrariam sententiam dicit esse contra communem Doctorum opinionem. Ratio autem nostræ conclusionis est: quia, si Monasterium eum aluit, ipse etiam Nouitius Monasterio deseruiuit; ac proinde Monasterij bonis ali, conueniés, ac debitú erat, cùm ex eius probatione vtrius, tam Nouitij, quàm Monasterij bonú resultauerit. Probatur secundò: nam, si labor Nouitij excederet expensas factas eidem à Monasterio, nullum daretur ius Nouitio exigendi suæ mercedis excessum: ergo pari modo neque dabitur tale ius petendi Monasterio, & Abbati contra Nouitium pro expensis in eum in Nouitiatu existentem factis. Ita Bartholomæus à S Fausto *loc. cit.*

Probatur tertiò: nam potest liberè Nouitius ante professionem ad sæculum redire, neque ab aliquo Superiore detineri: ergo ad nullas expensas pro eadem in Religione factas tenetur, alias ratione harum expensarum aliquando detineri posset, atque ita non liberè, & etiam absque Superioris licentia è Religione egredi posset, contra communé D D. sententiam apud Peyrinum *tom 1. de Prælat. q. 3. cap. 1. num. 104.* & habetur expressè *ex cap. Statuimus. de reg.* & *ex cap. 1. & 2. de reg. in 6.*

Probatur quartò: quia redditus, aut eleemosynæ Monasterij non tantùm sunt ad alendos Professus; sed etiam Nouitios: ergo non possunt ab egrediente Nouitio repeti. Ita P Diana *loco suprà citato.*

Ad rationem autem pro contraria senténtia à Peregrino ex Concilio Trid. adductam, respondent Suar. & Diana *locis citatis*, quòd Concilium loquitur de Nouitiis, qui ingrediendo Religionem pro sustentatione sua aliquid Religioni donatunt; quod posse fieri, *suprà, in prima parte quæsiti* docuimus: & colligit Peyrinus *loco cit. num. 105.* ex Conc. Trid. *d. cap. 16. de Regul.* Et quoad hoc videri potest Cenedo *collect. 16. ad decretal. num. 1.* atque ita vult Concilium, quòd ei, qui Religionem ingrediendo pro sustentatione sua aliquid donauerit, postea egredienti non teneatur Religio restituere, nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. Supradicta autem nostra sententia loquitur absolutè de Nouitio egredienti; & vbi nulla donatio, vel obligatio Nouitij, vel parentum intercedit.

Ad aliam autem rationem ex eodem Concilio adductam respondent iidem Doctores, communi, & vniuersali omnium Religionum consuetudine, Concilium Tridentinum comprehendere solùm Nouitias, non autem masculos, qui secundùm supradicta non manent obligati ad soluenda alimenta sibi à Religione præstita.

Ex dictis oritur alia difficultas, quid, videlicet, dicendum sit de Nouitio, qui pro sustentatione sua 6.
certam summam soluendam promisit, & ab initio nihil dederit; an, videlicet, ab eo egrediente possit Religio prædictam summam exigere. Suarez *loco cit num. 5.* & Peyrinus *similiter cit.* respondent, posse quidem Religionem ab eodem summam ex pacto promissam pro rata expensarum exigere: nam ex tali promissione Religio in Nouitiatu ius acquirit, sicut in aliis licitis promissionibus clarè constat. Verum tamen est, quod Religio non poterit ex tali causa Nouitium egredi volentem retinere, cùm ei semper, & quandocunque voluerit, liberum sit à Religione egredi. Atque ita expressè disponitur *in cap. Non solum. de Regul.* & *d. c.*

Tamburiny Tom. III. K 2 *Statuimus*

Statuimus.& *cap.* 1. & 2. *de Regul. in* 6. Imò ab opposito non poterit Religio expellere Nouitium non soluentem, quod promiserat, & permanere volentem: nam, cùm ad hoc de iure non teneatur, & aliàs ad Religionem idoneus reperiatur, hæc non erit iusta causa expulsionis: atque hoc sustinet Galuanus *cons.* 15. *per totum*, vbi probat, iniustè fuisse à quadam Religione eiectum Nouitium, aliàs habilem, eò quòd non satisfecerit de alimẽtis Monasterio, tempore probationis ab eo perceptis. Videatur Barb. de Vecch. *in praxi Nouit. disput.* 12 *dub.* 1. *num.* 2. & Peyrinus *de Prælat. tom* 2. *q.* 3. *cap.* 1. *num.* 106. qui *num.* 107. addit, neque etiam Nouitio restituendum esse habitum factum expensis ipsiusmet Nouitij: & Barbosa *in cap. Super eo de regul. num.* 5. dicit, S. Congregationem innuisse, loco habitus restituendum esse valorẽ illius temporis, quo eum deponit, non quo factus est: nam per Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* citatum, Nouitiis sunt restituenda omnia, quæ à principio ad Religionem detulerunt. Et idem Peyrinus *loco citato*, tenet, quòd prædictus habitus retineri poterit à Religione in compensationem expensarum ab eadem præstitarum; modò tamen, vt suprà diximus, intercesserit pactum donationis pro alimentis, & sustentatione Nouitij. Quòd si dictus habitus non ex pecuniis Nouitij, sed ex eleemosynis deuotorum eo fine datis, vt Religionem ingrederetur, sit emptus; tunc nullo modo ex iustitia tenetur Religio illum Nouitio restituere: nam, cùm è Religione egreditur, iam cessat finis deuotorum; & tunc iam non censetur ei datus, sed Religioni.

8. Ad quem autem pertineat executionem restitutionis facere siue respectu Nouitij, siue Religionis. Respondet idem Peyrinus, quòd pertinet ad Episcopos vigore facultatis sibi concessæ à Concilio Trid. *loco citato*, vbi dicitur hoc præstare debere, contumaces, etiam per censuras ecclesiasticas, compescendo. Vide Venerum *exam. Episc. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 16.

QVÆSITVM X.

Quid sit ab Abbatibus, & Prælatis Regularibus circa renunciationem bonorum sui Nouitij præcauendum; & quæ contineantur in decreto Concil. Trident. sess. 25 c. 16. de Regul. *& quæ non comprehendantur.*

SVMMARIVM.

1 *Renunciationis modus à Nouitio adhibendus ante professionem iuxta decretum Concilij Trid.* sess. 25 de Regul. cap. 16.
2 *Bimestre ante professionem Nouitij debet esse morale, & non mathematicum.*
3 *Nouitius habens beneficium ecclesiasticum, an possit illi validè renunciare, stante decreto Concilij.*
4 *Donatio facta à Nouitio cum solennitate decreti; possitne ante professionem reuocari.*
5 *Donatio bonorum temporalium à Nouitio facta an valeat post susceptum habitum cum conditione, vt sit irrita, non sequuta professione.*
6 *Professio an debeat esse valida ad hoc, vt donatio firma, & stabilis sit.*
7 *Nouitius an possit de bonis suis testamentum quomodocunque voluerit condere.*
8 *Nouitio exeunte an debeat Abbas restituere bona, quæ attulerat Monasterio.*
9 *Nouitius si moriatur intra bimestre, qui iuxta solennitatem decreti Concilij renunciationem fecit in fauorem Monasterij, bona reddenda sunt hæredibus, non Monasterio.*
10 *Renunciatio facta ante ingressum Religionis, intuitu Monasterij, valida est.*
11 *Renunciationis nomine non intelligitur testamentum, neque donatio causa mortis.*
12 *Nouitius non potest facere donationem inter viuos, nec contractus magni momenti.*
13 *Concilij decretum, an comprehendat patrimonium, sub cuius titulo Nouitius est ordinatus, renunciationes publicorum officiorum, fideiussionem, & contractus lucratiuos, in quibus non tantùm recipitur, quantùm datur, vt num. 14.*
15 *Donatio facta à Nouitio, qui moritur ante professionem, an habeat effectum.*
16 *Donatio facta à Nouitio post susceptionem habitus causa mortis absque forma in Concilio Tridentino præscripta, valida est.*
17 *Concilij Tridentini decretum non comprehendit eleemosynas, & donationes, quæ fiunt ex facultatibus Nouitij, & sunt modica, & parua.*
18 *Victus vel vestitus, quem pro se Nouitius Monasterio tribuit, non comprehenditur in decreto*
19 *Donatio facta Monasterio in professione & præsertim pro sustentatione Monialium, & pro solennitate, & festiuitate professionis, non comprehenditur in Decreto; sicut nec conuiuium factum in ingressu Nouitiatus, vt n. 20.*
21 *Oblationes, & donationes factæ Monasterio, seu Religiosis à tutoribus, curatoribus, & consanguineis Nouitiorum, non ex Nouitiorum, sed proprijs bonis, non comprehenduntur in decreto Concilij.*

Abbatem latere non debet, Nouitium de suis bonis disponere, quod præsupponitur mani- 1.
festè ex Conc. Trident. *sess.* 25. *cap.* 16. vbi statuitur modus renunciationis bonorum à Nouitio adhibendus: quo præmisso, duo prudens Abbas inferre potest, ad hoc vt renunciatio bonorum sui Nouitij sit valida. Primum, vt fiat cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij ordinarij, non foranei, cui etiam potest Episcopus prædictam facultatem delegare. Eandem facultatem possunt etiam Abbates, & Prælati iuris-
dictionem habentes episcopalem, & eorum vicarij, 4
quæ licentia debet esse obtenta ante renunciationem, non tantùm petita; sufficit etiam, quòd viua voce concedatur. Ita Rodriq. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 47. *art.* 14. Sanchez *lib.* 7. *in præc. Decal. cap.* 32. *num.* 64. Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 23. *art* 6. Vecch. *in praxi No-
uit. disp.* 8. *dub* 9. Barthol. à S. Fausto *lib.* 5. *thes. Relig.* 5
q. 194. Eandem licentiam dare potest Episcopus confirmatus, licèt non consecratus, & etiam Capitulum, Sede vacante, atque etiam Vicarius Capituli eadem Sede vacante. Nec est necessarium, vt hæc licentia sit in scriptis. Ita Barthol. à S. Fausto *loc. cit. q.* 194. & *sequentibus*. Secundò, vt fiat per bimestre ante professionem: quæ fieri integro bimestri, ante professionem, non est necessaria; sed satis est, vt toto eo bimestri; etiam immediatè ante professionem: quia decretum sacri Concilij ait: *Intra duos menses, proximos ante professionem.* Tum, quia finis illius decreti est, vt maiori cum deliberatione talis renunciatio fiat: at eò consultior, & maturior deliberatio erit, si longiorem temporis cursum Nouitius adhibuerit ad eiusmodi renunciationem faciendam, quo ad professionem magis accesserit. Verba Concilij hæc omnia indicantia sunt: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos mẽses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum suum sortiri,*

nisi

niſi ſecutæ profeſſione : aliter verò facta, etiamſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus.

2. Hoc autem bimeſtre, an debeat eſſe mathematicum, vel morale, dicit Læl. Zecch. *de Repub.eccleſ. tract. de Regul. cap. 3. n.14* debere eſſe morale, non mathematicum: vnde inferunt, renunciationem factam, ſi paulò ante bimeſtre fiat, non eſſe irritam. Sed de hac re redibit ſermo, vbi de anno probationis agemus *in 10.quæſito huius diſp.* cùm tam de tempore bimeſtri ſupradicto, quàm de tempore probationis idem exiſtimem eſſe dicendum. Sicut etiam *in q. 11.* vbi de ætate ſexdecim annorum pro Nouitiis ad profeſſionem admittendis agitur.

Quibus poſitis, aliqua occurrunt dubia, quorum ſolutio ſcitu vtilis Abbatibus erit. Primum, an Nouitius habens beneficium eccleſiaſticum, validè illi renunciare poſſit, huius Decreti ſacri Concilij non ſeruata ſolennitate. Secundum, an donatio facta à Nouitio cum huius decreti ſolennitate, poſſit ante profeſſionem reuocari. Tertium, an donatio, ſiue renũciatio bonorum temporalium facta à Nouitio ſtatim poſt ſuſceptum habitum, cum conditione, vt ſit irrita non ſecuta profeſſione, ſit valida. Quartum, an requiratur, vt profeſſio ſit valida, ad hoc vt donatio à Nouitio cum ſolennitate dicti Decreti facta ſit firma. Quintum, an Nouitius poſſit, quomodocunque voluerit, teſtamentum condere. Sextum, an Abbas, & Monaſterium debeant Nouitio ante profeſſionem à Religione exeunti, bona, quæ in Monaſterium attulerat, reſtituere.

3. Et quoad primum dicimus, quòd non poſſit beneficio renunciare, niſi ſeruata forma, & ſolennitate decreti dicti Concilij: quia illud vniuerſaliter de renunciatione agit; tanquàm eius finis in hac, provt in bonorum temporalium renunciatione locum habeat, videlicet, ne Nouitius à Religione diſcedere cupiens à liberè egrediendo retardetur, videns ſe obtinere bona priùs poſſeſſa: ergo requiritur Ordinarij licentia, & vt fiat intra bimeſtre, antequàm profiteatur. Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 16. n. 12.* Fr. Barthol. de Vecchiis *in praxi Nouit. diſp. 8. dub. 7. n. 4.* Hieronym. Venero *in examine Epiſcop. lib. 6. cap. 15 num. 23.*

4. Quoad ſecundum, neque poteſt Nouitius donationem cum huiuſmodi ſolemnitate factam ante profeſſionem reuocare: quia donatio cum conditione nõ poteſt, ea pendente, reuocari, vt Molin. *de inſt. tom. 2. d. 285.* & Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 5. q. 184.* ſed huiuſmodi donatio eſt cum conditione: ergo.

5. Quoad tertium dico cum Nauar. *lib. 3. conſ. in. 1. edit. tit. de donat. conſ. 7. num. 2.* & *lib. 2. tit. de regular. conſ. 82.* & Roderiq. *part. 1. Summ. cap. 90. n. 2.* talem donationem, ſeu renunciationem irritam fore, etiamſi iuramento roborata ſit, vt clarè etiam conſtat ex d. Concil. *d. ſeſſ. 25. cap. 16.* vbi abſolutè decernitur, omnes donationes, & renunciationes aliter factas eſſe inualidas, & nullius momenti.

6. Circa quartum dubium reſpondeo, quòd ad hoc, vt donatio Nouitij, facta cum ſolennitate huius decreti, firma remaneat, requiritur profeſſio valida, quando Concil. eo loco requirit ad eius donationis firmitatem profeſſionem: ſed verba cum effectu intelligenda ſunt. Et ita tenet Roder. 2. *p. Summ. cap. 2. n. 6.* & Lop. *lib. 2. de contract. cap. 39.* citat. per Barboſ. *de officio, & poteſt. Epiſcopi, p. 3. alleg 99. num. 11. in fine.*

7. Quo autem ad quintum, an Nouitius poſſit condere teſtamentũ, quandocunque voluerit. Reſpondeo, quòd ſic: quia ad hoc non obſtat d. decretum Concilij, in eo enim ideò ſtatuitur, vt nequeat Nouitius bonis ſuis renunciare, niſi intra duos menſes primos ante profeſſionem; ne, ſcilicet, videns, ſe ſuis bonis priuatum, cogatur inuitus profeſſionem emittere: hoc autem non contingit in teſtamento, quod poteſt ante profeſſionem ſemper reuocare ex Nauar. *ibidem.* Molin. *tom. 1. diſtinct. 149.* & *tom. 3. diſp. 604.* Roder. *quæſt. regular. tom. 2. q. 47. art. 10.* Leſſ. *lib. 2. c. 41. dub. 4. n. 40.* Emmanuel Sa *verb. Religio, n. 5.*

Ad vltimum reſpondeo, quòd Abbas, & Monaſterium tenetur Nouitio à Religione ante profeſſionem exeunti reſtituere omnia bona, ab ipſo ad Monaſterium allata, vt per d. Concil. Trident. *ſeſſ. 25. d. cap. 16. de Regul.* Imò Azor. *inſtit. moral. part. 1. lib. 13. c. 9. q. 2.* aſſerit, hoc intelligendum eſſe, vnà cum fructibus indeperceptis: quia omnes illi ad Nouitij bona ſpectãt. Vide quæ ſuperiori quæſito diximus. 8.

Similiter, ſi Nouitius, facta renunciatione ſecundùm formam præſcriptam à Concil. Trid. in fauorem Monaſterij, moriatur intra illud bimeſtre, reddenda ſunt ſuis hæredibus, non Monaſterio, bona ipſius: quia renunciatio illa intelligitur ſequuta profeſſione. Ita Sorbus *in compend. priuileg. verbo, Nouitius, tit. de bonis ipſius, verſ. Et hinc deinde.* Quòd ſi fecerit teſtamentum, & ante profeſſionem moriatur, teſtamentum illud ſortitur effectum, & hæredes vocati ſuccedunt. Vnde, ſi fuerit vocata Religio, illa obtinebit hæreditatem, vt dicunt Suarez 3 *de Relig. lib. 5. cap. 16. num. 11.* & Laurentius de Peyrinis *tom. 2. de Prælat. 3. cap. 2. n. 215.* 9.

Ex his colligitur, quòd renunciatio facta à Nouitio ante ingreſſum Religionis, intuitu tamen Monaſterij, vel Religionis valet, vt affirmant Mendoſius *conſ. 22. n. 8. vol. 1.* Vega *t. 1. cap. 91. caſu 4.* Paſſarellus *in compend. Priuileg. Minor. c. 37.* Garzias *de beneficiis, part. 11. cap. 9. n. 15.* & Gratianus *in deciſ. March. deciſ. 37. n. 2.* Confectus *in priuileg. Mendic. tit. 13. cap. 12.* Azorius *tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 2. q. 6.* Bartholom à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 5. q. 183. num. 2.* Naldus *in Summa, verbo, Religioſus. num. 1.* Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. diſp. 8. num. 4.* Villalobos *in Sum. tom. 2. tract. 35. diff. 17. num. 4.* Portellus *in dub. regul. verbo, Nouitius, num. 41.* Menochius *in addit. ad lib. 2. de arb. iud. caſ. 436. num. 3.* vbi affert petitionem factam ſacræ Congregationi cum eius reſponſione in hac forma. 10.

ANna de Cagnolis, nunc Soror Hortenſia Maria, facta Monialis, & Profeſſa in Monaſterio S. Agnetis Mediolani, hæres pro tertia parte ſui patris, aſſerẽs ſe habere animũ ingrediendi Religionem, cum conditione, quatenus in ea profeſſionem emitteret, & non aliàs, ante tamen ingreſsũ Monaſterij portionem vnã paternam, & alia iura, retentis ſibi ſcutis duobus millibus tantùm pro ſua dote, D.D. Scipioni, & Ferdinando de Cagnolis renunciauit, & ceſſit, vt conſtat publico inſtrumento cum iuramento. Promiſit etiam Anna ad cautelam intra iuribus addendo, intra duos menſes ante profeſſionis emiſſionem dictum inſtrumentum ratificare. Adueniente bimeſtri antè profeſſione, Anna non ſolùm ratificare noluit; ſed obtenta abſolutione à iuramento, illud, & contenta in eo totaliter reuocauit, aſſerens, ſe fuiſſe ſeductam metu reuerentiali, & nunquam fuiſſe intentionis ſuæ talem conceſſionem facere: poſteà ſolenniter profeſſionem emiſit. Nunc Monaſterium, & Soror iſta animaduertens huiuſmodi ceſſionem eſſe factam in fraudem Religionis, & Monaſterij contra formam ſacri Concilij Tridentini *ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* inſtant declarari ſacrum Concilium comprehendere caſum, & annullare ſupraſcriptum inſtrumentum, & de opportuno remedio prouideri.

Congregatio Concilij censuit, Decretum Concilij Tridentini *cap.16.sess.25.de regul.* non habere locum in renunciatione facta ante susceptionem habitus.

HIERONYMVS CARD. MATTHÆVS.

Et licet contrarium sentiret Sanchez *in sum.tom.2. lib.7.cap.5.n.3.* cum sexdecim Doctoribus, quos refert, & sequitur; tamen *eod.loco cit.n.4.* nostram sententiam meritò docuit, quicquid dicant Miranda *tom.1. Manual. Prælat.q.25. art.2.* & Lopez *lib.2. de contract. cap.39.* Roderic.*qq.regul.tom.2.q.47.art.8.* Lessius *de iust.& iure,cap.41.dub.4.* Nauarr.*lib.3.cons.de donat. cons.7.* licèt *cons.8.n.1.* putet, probabilem esse sententiam contrariam. Flaminius *de resign.benef.lib.3.q.13. n.9.* vbi ait sic censuisse sacram Congregationem Cardinalium.

11. Colligitur etiam, nomine renunciationis, non intelligi testamentum, neque donationem causa mortis: & sic Nouitius poterit quocunque tempore condere testamentum, vt diximus, non seruatis solemnitatibus Concilij Tridentini: quia hoc nullo iure prohibetur. Ita affirmant Nauarrus *comm.2.de regul.n.49.* Suar.*tom 3.de Relig.lib.5.cap.16.num.7.* Menochius *de præsumpt. lib 6. præsumpt.8. num.12.* Tiraquel. *de retract.lignag.§.1.gloss.8.num.19.* Garzias *de benefic. part.11. cap.9. num.17.* Bartholomæus à S.Fausto *in thes.Relig.lib.5.q.188.* Moneta *de commut. vltim volunt.cap.5.q.1.num.10.* Emanuel Sà *verb.Religio,n.5.* Lessius *de iustit. & iure, lib.2.cap.41. dub.4. num.40.* Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disput.8. dub.10.num.3.* referens, ita declarasse sacram Congregationem anno 1598. die 22.Ianuarij, & hoc absque vlla licentia Superioris, vt probat Sanchez *lib.7. in Decalog. cap.3.num. 3.* & hoc testamentum censetur confirmari professione, ac si confirmatum esset morte: & sic post professionem non poterit reuocari, vt dicunt Nauarr.*comment.2.de regul.num.53.* Syluester *verb.Religio,6.q.4.* Tabiena *eodem verb.q.40.* Molina *tom.1.de iust disput.140.col.2 vers.Vtrum verò.* Azor. *tom.1.instit.moral.lib.12.cap.6.q.5.* Rodriq. *tom.3.qq. regul.q.16.art.3.* Miranda *tom.2. Manual. Prælator. q.23.art.10.* Sanchez *lib.7.in precept. Decalog.cap.3. n.34.* Quando autem testamentum à Concilio factum, & non reuocatum per vllam renunciationem incipiat effectum habere, dicit Sanchez *loco cit. num.55.* distinguendo, quòd si Religio, in qua emisit professionem, est capax succedendi, non habebit effectum, nisi post mortem naturalem professi: si autem non sit capax, à die emissæ professionis. Ita idem Sanchez *loc. citato, num.68.*

12. Colligitur præterea, quòd Nouitius non potest facere donationem inter viuos, nec contractus magni momenti irreuocabiles, considerata qualitate personæ, & bonorum: huiusmodi enim decretum Concilij Tridentini non solùm comprehendit renunciationes, & obligationes, sed etiam donationes inter viuos, cùm donatio, & renunciatio ambulent pari passu; & quod de vna dicitur, in alia etiam procedat, vt dicunt Menochius *cons.990.n.11.* Merlinus *de legitim.lib.1 tit 2. q.11.n.3.* & diffusè Gratianus *discept.forens.cap.409. n.18.* Vide Laurentium de Peyrinis *tom.2. de Prælat. q.3.cap.1.n.210.* & Barthol.de Vecch.*in praxi Nouit. disp.8.dub.7.n.3.*

13. Collige insuper, sub eodem decreto Concilii Tridentini comprehendi patrimonium, sub cuius titulo Nouitius ordinatus fuit: & etiam comprehendi renunciationes officiorum publicorum temporalium, & quamcunque fideiussionem, & liberationem, qua Nouitius tutorem, seu curatorem suum à reddendis ratiociniis liberat. Continentur similiter in eodem decreto contractus onerosi; illi, scilicet, in quibus non tantundem recipitur à Nouitio, quantùm datur. Ita Bartholomæus de Vecch. *in praxi Nouit.disput.8.dub.7. n.6.& seqq.* vbi hæc omnia probat authoritatibus, & rationibus: & *n.8.* putat comprehendi in eodem decreto donationem Deo, vel S.Mariæ, seu Sanctis oblatam, dummodo attentis facultatibus Nouitij sit alicuius momenti.

Colligitur etiam, quòd in omnibus contractibus lucratiuis, in quibus non tantùm recipitur, quantùm datur, eligitur solennitas supradicti decreti: quando verò recipitur, quantùm datur, vt contingit in contractibus venditionis, emptionis, permutationis; non requiritur tale decretum. Ratio est, ne Nouitius patrimonio destitutus cogatur hac occasione profiteri, ideò Concilium Tridentinum hoc saluberrimum remedium pro Nouitiis adhibuit. 14.

Quæres, an si professio non sequatur, quia moritur Nouitius ante professionem, donatio facta ab illo habeat effectum. Respondeo, donationem irritam esse, & nullam, vt fatentur Rodriq. *tom.3. qq. regul. q.47.art.12.* Emmanuel Sà *in aphorism.verb.Religio, n.7.* Nauarr. *lib.3.cons. de stat. Monach.cons.1.* Vega *tom.1.sum. cap.91.casu 4.* Passarel.*in priuileg. Minim. cap.57.* vbi affirmat, sacram Congregationem Cardinalium sic sibi respondisse. Et ratio est, quia licèt attento antiquo iure probabile esset, talem donationem validam esse; tamen stante decreto prædicto Concilij Tridentini, dicendum est absolutè, talem donationem esse irritam, licèt Suar. *3.tom. de Relig.lib.5.cap.16. n.11.* contrarium dicat: nam, vt ipse ait, causa propter quam Concilium ita statuit, est, ne minuatur libertas in professione facienda, vel omittenda: qua ratione cessante, cessat etiam dispositio. 15.

Colligitur præterea, donationem factam à Nouitio post susceptionem habitus causa mortis, absque forma in decreto Concilij Tridentini præscripta, validam esse: quia Concilium Tridentinum tantùm loquitur de donationibus, & renunciationibus inter viuos, quæ cùm irreuocabiles sint, possent causare, vt Nouitius videns se suis facultatibus denudatum, vt diximus, cogatur professionem emittere, quod non contingit in testamentis, & donationibus factis causa mortis, quæ à Nouitio reuocari possunt. Ita Rodriq.*part.1.summ. cap.90.n.3.* Gutierez *in repetit.cap.Quanuis pactum, fol.151.* Bartholomæus à S. Fausto *loco cit.q.189.n.2.* vbi fatetur de communi. 16.

Limitatur tamen hoc, quod diximus, à Rodriq.*p.2. sum.cap.7.n.8.* quæ limitatio cùm non mihi satis probetur, ideò hîc non apponitur.

In eodem decreto Concilij Tridentini non comprehenduntur eleemosynæ, & donationes, quæ ad tempus fiunt ex facultatibus Nouitij, & sunt modicæ, & paruæ donationes: vnde poterunt Nouitij facere prædictas donationes, & eleemosynas, tam Monasterio, quàm extraneis, vt dicunt Garzias *de benef.p.11. cap.10.num.17.* & Sanchez *lib.7.in precept.Decalog. cap.5.num.22.* Rodriq.*tom.2.summ.cap.7.num.1.* Bartholomæus de Vecchiis *disput.8.dub.7.num 11.* Ratio est: quia Concilium Tridentinum *in d.sess.cap.16. de Regular.* non comprehendit huiusmodi eleemosynas, & donationes, dum prohibens aliquid dari Monasterio à Nouitio, tempore probationis, ait: ***Ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat; nec facilè, si discesserit, id recuperare possit.*** In quo sensu intelligendi sunt Garzias *loc.cit.* & Azor.*tom.1.inst.moral.lib.13.cap.9. quæs.2.* qui dicunt, Concilium non comprehendere eleemosynas à Nouitiis factas, id est, paruas, vel moderatas, quæ libertati egressus non possunt obstare: & dum faciunt huiusmodi eleemosynas, 17.

&

& gratuitas donationes, non incurrunt pœnas conſtitutionis Clementis VIII. *de largit. muner.* quia in tali caſu Nouitij non dant de bonis Monaſterij. Ita affirmant Filliucius *tom.2. tract.32. cap.3. q 6. n.59.* Laurentius de Peyrinis *tom.2. de Prælato, q.3. cap.1. n.210.* vbi alios citat pro eadem ſententia.

18. Nec comprehenditur in eodem decreto victus, vel veſtitus, quem pro ſe Nouitius Monaſterio tribuit, vt colligitur ex eodem decreto. Nec etiam comprehenditur in illo, tribuere aliquid Monaſterio in ipſa pro-
19. feſſione, & præſertim, v.g. Monialibus pro ſuſtentatione Nouitiæ, & Monialium, & pro ſolennitate, & feſtiuitate illius profeſſionis iuxta conſuetudinem antiquam Monaſteriorum, tam virorum, quàm mulierum. Ita Suar. *tom.5. diſp.22. ſect.5. num.15.*

20. Nec etiam comprehenditur in eodem decreto conuiuium factum in ingreſſu Nouitiatus, & de conſuetis, quæ ſolent dari, præſertim Monialibus, vt docet Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitior. diſput. 8. dub.7. n.13.* vbi pro ſua ſententia citat Sanchez.

21. Neque comprehenduntur, vt docet idem Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. n.14.* oblationes, & donationes factæ Monaſterio, ſeu Religioſis à tutoribus, curatoribus, conſanguineis Nouitiorum ex propriis bonis, non ex bonis Nouitiorum; quod etiam docet Suar. *tom.3. de Relig. lib.5. cap.9. n.16.* vbi affirmat, hoc declaraſſe ſacram Congregationem Cardinalium. Ex qua declaratione etiam ſumitur, idem eſſe dicendum de donatione facta à parentibus Nouitij ex bonis propriis ipſorum parentum, non in dotem Nouitij, quia computanda eſſet in eiuſdem Nouitij legitima. Ratio eſt, quia huiuſmodi legitimam, ſiue donationem cuicunque extraneo poſſunt facere, & etiam Monaſterio, vt diximus; & Concilium ſolùm prohibet aliquid ex bonis Nouitij tradi Monaſterio.

QVÆSITVM XI.

De tempore probationis Nouitiorum; & quid ab Abbatibus in tali probatione precauendum ſit.

SVMMARIVM.

1 *Probationis tempus in iure antiquo diuerſum reperitur.*

2 *Probationis tempus ex decreto Concilij Tridentini debet eſſe per annum poſt ſuſceptionem habitus, profeſſio aliàs antè emiſſa inualida eſt.*

3 *Profeſſionem emittens intra annum probationis, non eſt obligatus ad Religionem in genere, etiam in foro conſcientiæ.*

4 *Conſuetudo contraria, etiam immemorabilis, ſublata eſt per decretum Concilij.*

5 *Priuilegium Leonis X. concedens Fratribus Minoribus poſſe admittere cum conſilio Diſcretorũ ad profeſſionẽ Religioſũ alterius Religionis, ad ipſos legitimè translatum, non expleto probationis anno, abrogatum eſt per decretum Concilij Tridentini.*

6 *Milites Regulares an comprehendantur in decreto Concilij prædicto oſtenditur.*

7 *Tertiarij Fratres non comprehenduntur in decreto, nec Conuerſitæ Moniales, vt num.8. nec S. Stephani mulieres, vt num.10.*

9 *Moniales Ordinis Prædicatorum, habentes annos ſexdecim, in mortis articulo conſtitutæ antè integrum Nouitiatus annum profiteri poſſunt.*

11 *Probationis annus, tam in maſculis, quam in fœminis, incipere debet à die ſuſceptionis habitus,*

12 *Probationis annus computari debet à momento in momentum.*

13 *Probationis annus quomodo computari debeat in anno biſſextili.*

14 *Probationis annus non debet de nouo incipi, eò quia Nouitius fuerit receptus à non habente poteſtatem.*

15 *Probationis annus an neceſſariò debeat eſſe continuus, vel poſſit etiam interpolari? Et quid ſi poſt annum probationis exeat Nouitius, & iterum reuertatur, num.16.*

17 *Probationis annus interrumpitur, ſi Nouitius dimiſſo habitu animo deſerendi Religionem poſteà pœnitẽtia ductus iterũ reuertatur. Limita, vt n.18*

19 *Habitus conſummata, & perfecta dimiſſio requiritur ad interruptionem Nouitiatus: quare debet dimittere habitum, & exire actualiter de Monaſterio, vt num. 20.*

21 *Nouitius ſi mutetur de vno Conuentu in alium, non diſcontinuat probationem.*

22 *Renunciare non poſſunt Monaſterium, & Nouitius anno Nouitiatus.*

23 *Probationis anno completo, etiamſi mors immineat, debet Nouitius habilis repertus ad profeſſionem admitti.*

24 *Nouitius admiſſus, anno probationis completo, ad profeſſionem per vota, an poſſit noua emergente cauſa, antequàm profiteatur, dimitti.*

25 *Nouitius admiſſus antequàm profiteatur, non obligatur per ſe, & directè ad vota Religionis, & ad obſeruantias regulares, ita vt peccatum committat, & pœnas tranſgredientium incurrat, ſed tantùm ex conuenientia, vt num. 26.*

IN iure antiquo tempus probationis diuerſum reperitur: aliquando enim fuit per ſpatium vnius anni, vt habetur in *cap. Gonſaldus. 17. q.2.* & *cap. Ad apoſtolicam. de Regul. in 6.* aliquando verò fuit per ſpatium duorum annorum, vt legitur *in cap. Monaſteriis. 19. q. 2.* aliquando fuit extenſũ probationis tempus ad ſpatiũ triũ annorũ. Sic legitur *in cap. Si quis incognitus. 17. q.2.* 1.

In iure tamen nouo, ſcilicet, poſt Concilium Tridentinum, ſtatutum eſt pro quâlibet Religione, quòd qui minori tempore, quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem nullatenus admittatur, facta autem profeſſio ante probationis tempus impletum, eſt nulla, nullámque inducit obligationem ad alicuius Regulæ, vel Ordinis, aut Religionis obſeruationem, aut ad alios quoſcunque effectus, vt decernit Sancta Synodus Concilij Trid. *ſeſſ.25. de Regul. cap.15.* & communiter Doctores idipſum fatentur, qui poſt Concilium Tridentinum ſcripſerunt de hac re, & præſertim Azorius *inſtitutionum moral. tom.1. lib.2. cap.2. q.6.* Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib.18. n. 385.* Armendar. *in addit. ad Recopil. legum Nauar. lib.2. tit.18. l.7. de Relig. n.4.* Rodriq. *qq. regul. tom.1. q.2. art.7.* Miranda *in Man. Prælat. tom.1. q.22. art.1.* Bonac. *de clauſ. q.2. punct.10. diſ.2. §.2.* Cãpanil. *in diuerſ. iur. canon. rubr.12. cap.13. in princ.* Roderiq. à Cunha *in commẽt. ad cap.1. n.19. diſt.54.* Bartholom. de Vecchiis *in praxi Nouit. diſp.11 dub.2. & diſp.13. dub. 11. n.2.* vbi refert fuiſſe à Sacra Congregatione decisũ, quòd emittens profeſſionẽ ſic intra annum probationis, non ſit obligatus, neque ad Religionem in genere, nec etiam in foro conſcientiæ illi indicta ſit obligatio. Idem affirmant Barboſ. *de offic. & poteſt. Episc. part.3. alleg. 101. num.16.* 2. 3.

Ideò notandum eſt, nullam rationem habendam eſſe conſuetudinis contrariæ: quia prædictum decretum Concilij Trid. cùm ſit irritans, tollit conſuetudinem præteritam, & futuram, *ex cap. Quod ſuper his. fin. de conſang. & affin. cap. Super eo. in princip. de cognat.* 4.

ʃpiritual. Geminianus *in cap. Cum beneficium. n. 6.* Frãchus *num. 4. de prabend. in 6.* Gonzalez *in Reg. 8. Cancell. gloſſ. 67. num. 50.* Couaruu. *4. p. 2. cap. 10. num.* 18. Martha *de clauſ. part. 1. clauſ. 191. num.* 9. Garzias *de beneſ. part. 5. cap. 4. num. 179.* & *in addit.* refert idem Garzias, hoc fuiſſe deciſum à Sacra Rota Romana *in vna Virdun. Parochialis*, 23. Iunij, 1586. coram Gyptio, quam ipſe Garzias refert *part. 4. num. 50.* Imò Sacra Congregatio Cardinalium 14. Auguſti 1594. idipſum in propriis terminis reſoluit; nullam, ſcilicet, rationem habendam eſſe contrariæ conſuetudinis, etiam immemorabilis : quia ſublata eſt per dictum Concilium Tridentinum *loco cit.* Sic refert Bartholomæus de Vecchiis *in d. praxi Nouit. diſp. 11. dub. 2. num. 3.*

5. Hinc patet, per hoc decretum ſupradicti Concilij Tridentini abrogatum fuiſſe priuilegium Leonis X. quod habetur *in Compend. priuil. Mendicantium, verbo, Nouitius, num. 27.* quo concedebatur Prælatis Ordinum Minorum poſſe cum conſilio Fratrum diſcretorum admittere ad profeſſionem, non expleto anno probationis, Religioſos aliorum Ordinum venientes ad Religionem Minorum, quod priuilegium, vt ait Sorbus *in Compend. priuil. tit. Nouitius, de Nouic. profeſſ. Sed an requiratur.* non eſt contra diſpoſitionem præfati Concilij Tridentini, quia dicit ipſe, quòd Concilium Tridentinum de ſæcularibus intelligi debet, non de vna Religione ad aliam Religionem legitimè conuolantibus, quæ ſententia, vt ſatis conſtat ex præcitato Decreto, non eſt admittenda : quia cùm Concilium Tridentinum non diſtinguat inter ſæculares, & Religioſos, nec nos diſtinguere debemus : quòd etiam affirmant maior pars Doctorum in hac re ſcribentium, præ dictum priuilegium eſſe abrogatum, vt Leſſius *de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 101.* Nauar *lib. 3. conſ. 61.* Emmanuël Sà *in Aphoriſ. tit. Religio, num. 35* Rodet. *qq. regul. tom. 3. q. 15. art. 11.* Miranda *Manual. Prælat. q. 22. art. 2. concl. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 7. diſput. 37. num. 47.* Roder à Cunha *in Comment. cit. cap. 1. num. 21. in fine*, Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. num. 5.* vbi ait, quòd Gregorius XIII. anno 1579. conſt. 56. decreuit, fieri debere probationis annum a Patribus Obſeruantibus ad ſuos reformatos tranſeuntibus : & *in fine eiuſdem num.* dicit, quòd conſtitutiones Capucin. *cap. 2. fol. 10.* Idem definiunt de Patribus Conuentualibus, & Obſeruantibus ad Religionem Capucinorum venientibus; imò profeſſus in vna Religione, etiam ſtrictiori, tranſiens ad aliam, indiget Nouitiatu, quem requirit Concilium Tridentinum *loco citato*, vt dicunt Rodriq. *in Sum. tom. 2. cap. 6. num. 10.* & Sanchez *lib. 5. de matrim. cap. 4 num. 12.* Peregrinus *in comment. ad conſtit. Cleric. Regul. part. 2. cap. 1. lit. C. §. 19.* & Rodriquez à Cunha *in comment. ad cap. 1. num. 21. diſt. 54.* & Barboſa *de iure eccleſ. lib. 1. cap. 42. num. 109.* qui *num.* 110. dicit, ſi profeſſus nulliter volens ſuam profeſſionem ratificare, non tenetur annum probationis iterare, ſi aliàs fuit validus, quod etiam reſoluit Sanchez *loco cit. diſput. 37. num. 45* & Peregrinus *loco cit. §. 2.* Quando verò Nouitiatus factus fuit poſt pubertatem, & fuit continuus, non eſt iterandus ex quacunque cauſa ſit irrita profeſſio, ſecundùm Sanchez *in præcept. Decal. lib. 5. cap. 14. num. 14.* Idipſum affirmant Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 6. q. 97.* Peregrinus *loco cit.* contra Nauar. *conſ. 26. num 17.* exiſtimantem, Nouitiatum etiam ex alia cauſa præter defectum ætatis, aut continuationem, inualidum eſſe iterandum.

6. Limitanda nihilominùs ſunt ea, quæ diximus quoad talem probationem, primò : nam Milites Regulares d. Decreto Concilij Tridentini non cõprehenduntur, vt deciſum refert Armendarius *in addit. ad recopil. legum Nauarræ, lib. 2. tit. 12. l. 7. de Religioſis n. 7.* & Beia *in reſponſ. caſuum conſc. part. 4. cap. 28.* Sanch. *de Matrim. l. 7. diſp. 44. n. 8.* Gonzalez *ad Reg. Cancell. gloſſ. 8. n. 61.* Flaminius *de reſign. lib. 6. q. 2. n. 117.* quãuis tales huiuſmodi Milites in emittenda profeſſione ſub illo decreto Concilij comprehendi affirment Gratianus *diſcept. forenſ. cap. 363. n. 27.* & Roderiq. *in Sum. tom 2. cap. 8. n. 2. concl. 1.* Excipiuntur tamen Milites Hieroſolymitani, ex nouo ipſorum ſtatuto, vt deciſum referunt Flaminius *de reſign. lib. 6. q. 2. n. 120.* & Armendar. *loco. cit. num. 16.*

7. Secundò, non comprehenduntur eodem decreto Fratres tertij Ordinis, vt cenſuit Rota Romana *deciſ. 591. part. 1. diuerſ.* quod etiam affirmat Riccius *in praxi for. eccl. deciſ. 1. in 1. edit. & reſol. 617. num. 6. in 2. edit.*

8. Tertiò, Conuertitæ Moniales eo ipſo, quòd Monaſterium ingrediuntur, poſſunt profeſſionem emittere per Bullam, & priuilegium pontificium eis conceſſum ante Concilium Tridentinum, quod non eſt ſublatum ab eodem Concilio Tridentino, vt habetur ex eodem. *ſeſſ. 9. eadem, cap.* 18 & declaraſſe ſacram Congregationem negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitam ſub die 11. Ianuarij, 1620. affirmat Barboſa *de iure eccleſ. lib. 1. cap. 42. num.* 113.

9. Quartò, Moniales Ordinis Prædicatorum habentes annos ſexdecim, in mortis articulo conſtitutæ profiteri poſſunt, etiamſi integrum Nouitiatus annum non compleuerint ex priuilegio Pij V. quod incipit: *Summi Sacerdotij cura.* quod priuilegium refertur à Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 15. art. 6.* vbi dicit, hoc hodie fieri poſſe poſt Concilium Tridentinum, & non eſſe reuocatum à Gregorio XIII. vt etiam dicunt Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 22. art. 10.* & Bartholomæus à S. Fauſto. *in theſ. Relig. lib. 5. q. 167.* Sanchez *loco cit. lib. 5. cap. 4. num. 16.*

10. Quintò, mulieres S. Stephani, ſic nuncupatæ, non comprehenduntur in d. Decreto, vt deciſum fuit per Rotam Romanam *deciſ. 591. part. 1. diuerſ.* quam refert Aloyſius Riccius *loco citato.*

11. Quòd hic annus probationis, tam in maſculis, quàm in fœminis, incipere debeat à die ſuſceptionis habitus, ſiue ab eo die, quo communem ſequuntur aliorum Religioſorum vitam, & experiri incipiunt Religionis aſperitates, affirmant. Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. q. 22. art. 3. concl. 1.* & Bartholomæus à S. Fauſto *loco cit. q. 150.* & Auguſtinus Barboſa *de off. & poteſt. Epiſc. alleg. 101. num. 19.* & hoc cum habitu regulari, qui eſt de eſſentia illius anni probationis.

12. Hic annus computari debet à momento in momentum, vt dicunt Sanchez *de matrim. lib. 1. diſput. 16. num. 2.* Zanard. *in direct. theol. part. 2. cap. 26. num. 12.* Graff. *tom. 1. conſ. lib. 3. conſ. 6. num. 2.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 15. num. 1.* Miranda *loco cit. q. 22. art. 2.* Bartholomæus à S. Fauſto. *loco cit. q. 160.* Hieronym. Rodet. *in compend. qq. regul. reſol. 101. num. 38.* Bartholomæus de Vecchiis *diſput. 11. dub. 4.* Auguſtinus Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 101. num. 22.* vbi *num.* 20. ait, ad profeſſionem

13. in Religione anno biſſextili, ſatis eſſe probationem compleuiſſe die 365. Ita Syluester *verbo, Religio, 3. q. 9. §. 3.* Henriq. *in Sum. lib. 10. cap. 19. litt. K*, Aloyſius Riccius *in praxi for. eccl. poſt reſolut. 76. in materia de Sacram. Ordinis*; quamuis contrarium, imò diem biſſextilem computari debere iuxta vſum Eccleſiæ, affirmet Bonacina *de Sacram. diſput. 8. q. vnica, punct. 5. num. 15.* quia probationis annus debet eſſe annus à Republica taxatus, atque aliis declaratus, & communiter ſeruatus in negotijs, & commerciis humanis,

nis. Vnde anno 1592. Cùm à Gregorio XIII. ab anno dempti sint dies decem, hoc est, à 5. Octobris vsque ad 16 tamen annus ille debet pro integro reputari, neque in sequentibus sunt expectandi illi 10. dies, quanuis non fuerit integer, naturalis, & secundùm solarem cursum; sed ciuiliter dicitur integer, siue politicè, vt dicunt Miranda *in Manual. Prælat. tom. 1.q.22.art. 3. concl. 2.* & Henriq. *lib. 13. de excomm. cap.40.num.2. in comment. litt.* O. Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, lib. 5. q. 162.* Imò Sanchez *loco cit.* extendit huiusmodi annum ad sacros Ordines, & ad quæcunque officia, & beneficia. Idem asserit Augustinus Barbosa *loco.cit.num.*21. Si ergo Nouitius, exempli gratia, compleat annum probationis die 24. Februarij anno bissextili, id est, 25. die, professionem emittere non poterit, nisi eadem die 25. in puncto diei, 24. Februarij præcedentis anni, in quo habitum suscepit, vt docent Grassius *tom. 1. cons. lib. 3. cons. 6. num. 2.* & Rodriq. *qq. regul. tom.3. q. 15. art. 4.* & Miranda *tom. 1. q. 22. Manual. Prælat.* & Bonac. *de Sacr. disput. 8. q. vnic. p. 5. num. 15.* Sanchez *de Matrim. lib. 2. disp. 24. num. 22.* August. Barbos. *de iur. eccl. lib. 1. c. 42. n. 16.* vbi ait, quòd sacra Congregatio Concilij Tridentini *in vna Patauina*, 5. Iunij, 1627. censuit, non valere professionem, respectu anni bissextilis, cuiusdam, qui ingressus est Religionem 27. Martij, & die 26. eiusdem mensis sequentis anni, currente bissextili, anno emisit professionem. Refert similiter idem Barbosa *loco citato*, quòd eadem S. Congregatio *in vna Andegauen.* 21. Augusti, 1623. censuit, professionem emissam à Fratribus Ordinis Recollectorum S. Francisci in anno bissextili non expectato lapsu diei, qui illi anno accrescit, inualidam esse, vtpote emissam ante lapsum anni præscripti à Concilio Tridentino *loco citato*, quicquid dicant Aloysius Riccius *in praxi fori ecclesiastici, loco citato*, & Bartholomæus à S. Fausto *loco cit. lib. 5. q. 161.* qui existimant, hanc professionem emittendam anno bissextili satis esse ad probationem compleuisse dies 363.

14. Si Nouitiatus fuerit quoad hanc probationem irritus, quia verbi gratia, fuit receptus Nouitius à non habente potestatem, vel alia simili de causa; non debet annus denuò incipi, sed sufficit iam factus Nouitiatus; quia iam Nouitius expertus est Religionem, & Religio Nouitium. Ita Sanchez *de matrim. disput. 37. num. 47.* cum multis aliis Doctoribus, quos ibi cumulat, & sequitur. Idem dicendum est, quando professio fuit nulla defectu ætatis; vel, quia facta est ante completum annum Nouitiatus, vel etiamsi ingressus fuit Ordinem per metum, aut esset aliàs inhabilis, posteà fuit dispensatus. Ita Sanchez *loco citato, num. 49.* qui *num. 56.* dicit, quòd si Nouitius intraret Religionem animo ficto, vt illuderet Religionem, vt iterum exiret, & sic esset professus; tunc etiamsi vellet ratificare professionem, deberet iterare Nouitiatum. Videatur ibi remedium, quod dat pro supplendo Nouitiatu, quando necessarium esset supplere. Remedium autem facilius est, ac melius illud obtinere à Summo Pontifice per occultam dispensationem. De continuatione huius anni, & in quibus casibus non interrumpatur, satis dictum est *suprà in quæsito septimo.*

15. Superest tantùm videre, an necessariò annus probationis debeat esse continuus, an interpolatus possit etiam esse? Communis Doctorum sententia affirmat, vt etiam tetigimus *in quæs. 6. supradicto*, annum probationis debere necessariò esse continuum. Ita fatentur Iacobus de Graff. *in decis. aureis, part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 15.* Henriq. *in Sum. lib. 13. de excommunic. c. 40. §. 2.* Emmanuël Sà *in aphor. verbo, Religio*, *n.9.* Sorbus *in verbo, Nouitius, de Nouit. profess. cmiss. vers. Secundo est.* Nauat. *cons. 2. n. 2. & cons. 34. n. 2. cons. 36. n. 1. cons. 42 num. 2. & 4. de Regul. in antiq. & cons.... num. 9. & cons. 32. n.... sub eod. tit. in noa.* Flaminius Parisius *de resign. benef. lib. 3. q. 13. n. 11.* Rodriq *in Sum, tom. 2 c. 8.* Miranda *in Manual. Prælat. tom. 3 q. 22 art. 4. concl. vnic* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 7 n. 59.* Naldus *in Sum. verbo, Nouitius, num. 4.* Sanchez *loco cit. lib. 5. cap. 4. num. 31.* Bartholom. à S. Fausto *loco cit. lib. 5. q. 163* Roder. à Cunha *in Comment. ad cap. 1. num. 15. d. 54.* Stephanus Gratianus *in decis. Marchia 35. num. 3. in addit.* Suar *tom 3. de Relig. cap. 15. num. 3.* Bonacina *de claus. q. 2. punct. 2. disp. 2. §. 2. n. 3.* Peregr. *in constit. Cleric. Regul part. 2. c. 1. litt. C. §. 8.* Augustinus Barbos. *de off. & potest. Episc. part. 3 alleg. 101. num. 23.* cum Doctoribus ibi allegatis, Bartholom. de Vecchiis *disp. 11. dub. 3. num. 1.* cum Doctoribus ibi allegatis, vbi 16. *num. 5.* dicit, quòd huiusmodi continuatio non solum esse debet per annum expletum; sed etiam vsque ad professionem; & ideò completo anno, si Nouitius egrederetur Monasterium, & posteà idem rediret, professionem emittere non posset virtute vnius anni probationis; sed iterum inchoare deberet Nouitiatum, vt colligitur *ex cap. 15. Concilij Trid sess. 25.* & *ex cap. 16. eiusd sess. de Regul.* quod etiam fatentur Barbosa *de iure eccles. ist. cit. num. 121.* & Suar. *loco cit. n. 8.* contra Syluestrú *verbo, Religio, 5. q. 4.* Bonacinam *loco cit. punct. 10. diff. 2. § 2 num. 4.* Bartholom. à S. Fausto *loco cit. q. 165.* & Rodriq *tom. 3. qq. regul. q. 15. art. 10.* dicentes, non esse necessariam continuationem probationis cum professione.

Interrumpitur etiam huiusmodi annus probationis, 17. quando Nouitius dimisso habitu, Monasterium egreditur animo deserendi Religionem, ita vt si pœniteret posteà, iterúmque reciperetur, deberet ex integro à principio inchoare Nouitiatum, sicut referunt Doctores, & præsertim Barbosa *loc. cit. num. 121.* Bartholomæus de Vecchiis *d. disp. 11. dub. 3. num. 6.*

Hac de causa per Concil. Tridentinum, *loco citato*, reuocatum est priuilegium Iunij II. Fratribus Minoribus concessum, vt Nouitiatus interruptus continuari possit, vt notant Bartholomæus à S. Fausto *loco cit. lib. 5. q. 166.* Mirand. *t. 1. Manual. Prælat. q. 22. art. 4.* contra Sorbum *loco cit. vers. Sed Iulius* existimantem iuxta prælati priuilegij tenorem, posse etiam hodie tempus prioris receptionis cum tempore posterioris ad perficiendum annum probationis computari.

Limitatur hoc, quod diximus de interruptione 18. probationis, à Leonardo Lessio *loco cit lib. 2. cap. 41. dub. 7.* existimante, interpolationem paucorum dierum non impedire; quæ limitatio non admittitur à Bartholomæo de Vecchiis *loco cit. dub. 3 n. 7.* nec à Bartholomæo à S. Fausto *similiter loco cit. q. 164.* neque à Sanchez *loco cit. cap. 4. num. 32.* & Suar. *similiter loco cit. cap. 15. num. 3.* & ab Aug. Barbosa *de off. & potestat. Episc. part. 3 alleg. 101 num. 25.* & *de iure eccl. cit. lib. 1. cap. 41. num. 124.* vbi tamen refert de quodam, qui à Religione S. Francisci de Paula per spatium viginti horarum extra Monasterium sine habitu permansit, declarasse, S. Congregationem negotiis Regularium præpositam sub die 12. Augusti 1616. non interrupisse annum Nouitiatus, & probationis; imò cum quibusdam ipse Barbosa sentire videtur, non discontinuare, seu non impedire probationem exitum Nouitij vnius, vel duorum dierum.

Verum quidē est, quòd cum his omnibus ad inter- 19. ruptionem Nouitiatus requiritur habitus cōsummata, & perfecta dimissio. Quapropter, si Superior Nouitium expoliaret habitu probationis, interueniente legitima causa, animo eiiciendi eum à Religione, & antequàm egrederetur Monasterium, Abbas mutaret senten

sententiam, & concederet habitum iterum Nouitio, non esset interruptus Nouitiatus: quia actus ille egressionis è Monasterio non fuit consummatus.

20. Idem dicendum erit, si Nouitius velit exire, & suis induatur vestibus sæcularibus, accedente etiã Abbatis consensu; & antequàm egrederetur è Monasterio, pœniteat, & iterum habitũ petat, & ei restituatur ab Abbate. Ita Bartholomæus de Vecchiis *disp.* 11. *dub.* 3. *n.* 8. quod etiam colligitur ex Nauar. *cons.* 32. *de Regul.* vbi dicit, Nouitiatum non fuisse interruptum ex eo, quòd quidam Nouitius, animo fugiendi se abscondit in quadam camera, vbi repertus à Superiore, & blanditiis illectus permansit in Monasterio: quod etiam docet expresè Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 7.

21. Portellus *in dub. Regul. verbo, Nouitij annus, num.* 50. loquens de Ordine Minorum, dicit, quòd statuta generalia Toletana decernunt, quòd si Nouitius aliqua de causa exierit, posteà rediens Nouitiatum incipiat; excipit tamen, si mutetur Nouitius de vno Conuentu ad alium: hæc enim mutatio non discontinuat. Et *eodem loco* notat, quòd statutum generale non annullat professionem aliter factam, Vnde, si Guardianus bona fide oppositum faceret, factum teneret. Ita affirmat etiam Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælat. q.* 12. *art.* 5. dicens, non posse Religionem facere statutum, per quod talis professio annulletur; hoc tamen intelligendum est iuxta constitutionem Clementis VIII. & constitutionem Vrbani *suprà* positam de Nouitiatu faciendo in locis designatis.

22. Ex dictis satis constat, & præsertim ex decreto Concilij Tridentini *superius* sæpè allegato, quòd Monasterium, sicut & Nouitius non possunt renunciare anno Nouitiatus: quod docent etiam Rodriq. *qq. regul. tom.* 3. *q.* 14. *art.* 7. Miranda *in Manuali Prælat. tom.* 1 *q.* 12. *concl vnica.* Beia *in respons. cas. conscient. part.* 4. *casu vltimo, vers.* 3. Bartholomæus à S. Fausto *in thes. Relig. lib.* 5. *q* 170. Peregrin. *in priuil. Cler. Theatin. cap.* 1. *litt.* C, §. 12. Augustinus Barbosa *de off & potest. Episc. alleg.* 101 *num.* 32. Nauar. *cons.* 33. *de Regul.* Rodericus à Cunha *in Comment. in cap.* 1. *num.* 22 *dist.* 54. vbi dicit, validè dispensare Præpositum Generalem Societatis Iesu post exactum integrum annum Nouitiatus; non tamen ante illum, cum Nouitio suo, vt profiteatur, vel incorporetur in eadem Societate ante decursum biẽnium Nouitiatus.

23. Finito ergo tempore probationis, & completo modo supradicto, idem Concilium Tridentinum *loco citato, cap.* 16. decernit, quòd finito tempore Nouitiatus Superiores Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eiiciant; saluo tamen pio instituto Clericorum Societatis Iesu à Sede apostolica approbato. Et Pius V. Sum. Pontif statuit, vt Religiosi omnes, cuiuscunque Regulæ professionem faciant, quorum habitus à sæcularibus Presbyteris est distinctus; nec obstare, quòd tempore professionis Nouitius esset iam moriturus: quia sacra Congregatio Concilij Tridentini, teste Barbosa *de iure ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 170. sub die 26. Iunij 1621. censuit, professionem emissam, instante Abbatissa, à puella, quæ iam compleuerat annum Nouitiatus, & in morbum inciderat, & à Medicis dictum fuerat, morituram, esse validam, etiamsi posteà fuerit mors verè sequuta.

24. Durante autem tempore Nouitiatus, & antequàm emittatur professio, cùm possit Nouitius liberè exire, sicut & illum expellere possunt Superiores Monasterij, nisi recipiatur ab illis modo solito, oritur difficultas in tali receptione iam habita, & in Nouitio iam recepto virtute supradicti anni probationis, an scilicet, datis votis, & Nouitio recepto in Religionem, ante tamen professionem factam, possint Abbates, & alij Patres illum recipientes, noua emergente causa, Nouitium illum dimittere.

Respondeo affirmatiuè, interueniente graui aliqua causa, siue si aliqua vetus ignorata causa de nouo sciatur. Ratio est: quia probationis annus datur, tam in fauorem Nouitij, quàm Religionis, *cap. Ad apostolicam. de regul.* ergo quocunque tempore, Nouitiatu durante, constet Religioni, eum non esse admittendum, potest expellere. Ita Laurentius de Peyrinis *tom.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 1. *num.* 117. vbi idipsum confirmat hac ratione: sicut reuocari potest consensus ab altero coniuge ante ratum matrimonium, si aliquid superueniat, quod si à principio adfuisset, non fuissent contracta sponsalia, *cap. Quemadmodum. de iureiur.* Sanchez 1. *de matrim. disp.* 62. *num.* 3. ita à Conuentu ante emissam professionem reuocari possunt suffragia: quia eodem modo loquimur de cõtractu matrimonij, ac de contractu professionis: validum namque est argumẽtum de matrimonio carnali ad spirituale, *cap. Inter corporalia. de transl. Ep.* Idem affirmant Barthol. de Vecchiis *in praxi Nouit. disput.* 12 *dub.* 7. & Laurentius de Peyrinis *loco cit. num.* 117 *in fine.*

Antequàm autem Nouitius emittat professionem, siue exeat, aut expellatur à monasterio, non obligatur per se, & directè ad vota Religionis, nec ad obseruantias Regulares, ita vt dictas obseruantias, & statuta non obseruando, peccatum committat, & pœnas transgressoribus debitas incurrat. Ita affirmant communiter Doctores, præsertim Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 2. *q.* 10. Armilla *verbo, Nouitius, num.* 28. Angelus *eodem verbo*, §. 18. Rosella *similiter eodem verbo, num.* 32. Tabiena *num.* 13. Syluester *verbo, Religio,* 5. *q.* 6 Graffiis *part.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 13. Henriq. *lib.* 7. *cap* 22. *num.* 7. & *lib.* 6. *cap.* 16. *num.* 3. Rodriq. *tom.* 1 *qq regul. q* 21. *art.* 11. Campanil. *in diuers. iur. can. rubr.* 12. *cap.* 3. Coriol. *de casib. reseru. part.* 1 *sect.* 3. *art.* 18 *n.* 3. Reginald. *in praxi, lib.* 18. *num* 384. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib.* 5. *cap.* 16. *n.* 2. Barthol. de Vecchiis *loco cit. disput.* 11. *dub.* 14. *num* 1. Ratio est: quia, cum nondum ad numerum Professorum sit admissus, sed in probatione detentus ad experiendum, an sit admittendus, non debet ex vera iustitia adstringi legibus professorum. 25.

Non nego, quòd ex cõuenientia debeat, eisdem legibus patere, vt probet, an possit eas in professione constitutus obseruare, cùm propter talem finem ingressus sit Religionem; & ex eadem conuenientia debet easdem leges obseruare, ne aliis scandalum afferat, vt benè dicunt citati Authores, & præsertim Reginaldus, Campanilus, Angelus, & Tabiena *locis citatis*, imò si eas non seruet, eiiciendus est, vt dicit Coriolanus *loco citato*, & Bariola *in aphor. verb. Nouitius, in fine* Et hæc de professione expressa dicta sufficiant. 26.

QVÆSITVM XII.

In qua ætate debeant Abbates, & Prælati Regulares Nouitios ad professionem admittere: & an aliqua pœna afficiantur in hac re sacris Canonibus contrafacientes.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius admitti non debet ad professionem ante tempus ex decreto Concilij Tridentini statutum.*

2 *Ætas ad professionis validitatẽ necessaria est sexdecim annorum, computanda de momento in momen*

mentum, & à die non tantum conceptionis, sed etiam Natiuitatis.

3 *Abbas admittens Nouitium ad professionem ante tempus, peccat mortaliter, & potest puniri Iudicis sui arbitrio.*

4 *Superior in Ordine Mendicantium prohibetur sub pœna excommunicationis admittere Nouitium ad professionem ante tempus, & suspenditur admittens ab huiusmodi receptione.*

5 *Fraude, vel dolo non intercedente, non incurritur prædicta pœna suspensionis.*

6 *Suspensionis pœna prædicta an habeat locum post decretum Concilij Tridentini.*

1. SAcrosanctum Concilium Tridentinum *sess. 25. de reformat. cap. 15.* expressè prohibet, vt non admittatur Nouitius ad professionem ante tempus, dum ait: *In quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum; nec qui in minori tẽpore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionẽ admittatur: professio autem antea facta sit nulla, nullámque inducat obligationem ad alicuius regula, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut alios quoscunque effectus.* De cuius materia multa tradit Barbos. *de officio, & potest. Episcopi, p. 3. alleg. 101. num. 3. cum sequentib.*

2. Ætas autem ad validitatem professionis requisita est sexdecim annorum completorum de momento ad momentum. Ita Gratian. *discep. forens. cap. 413. n. 11.* & Sanchez 5. *in Decal. cap. 4. num. 4.* Lessius *lib. 2. de iustit. cap. 41. dub. 7. num. 59.* Ricc. 1. *part. prax. decis. 656. & part. 3. resol. 322.* Farin. 1. *part. decis. 175. num. 7.* Rodriquez *tom. 3. qq. regul. quæst. 15. art. 3.* Vecchius *de Nouitijs. disp. 13. dub. 1. num. 1.* & habetur expressè ex Concil. Trid. cit. *cap. 15. de Regul.* Et hæc ætas non tantùm debet esse completa à die conceptionis; sed etiam Natiuitatis, vt communi vsu receptum est: nemo enim etiam conceptus, natus dicitur, antequam è matris vtero egressus sit. Ita Bonacina *in Decal. disp. 4 quæst. 2. punct. 7. §. 2. num 20.* & Sanchez *similiter in Decal. lib 4. cap. 35. num 4.*

3. Qua stante prohibitione præter peccatum mortale, in quod Abbas incidit admittens Nouitium ad professionem ante tempus à iure determinatum, vsurpando iniustè patriam potestatem, potest etiam puniri Iudicis sui arbitrio. Gloss. *in cap. Ad apostolicam, de Regular.* Et Prælatus, qui ad professionem ante annum probationis integrum admittit in Ordinibus Monachorum non Mendicantium, peccat, si passim temerè, & inconsideratè admittit, vt *d. cap. Ad apostolicam,*
4. & Iudicis sui arbitrariis pœnis subiicitur. In Ordinibus verò Mendicantium in virtute obedientiæ id facere prohibetur sub pœna excommunicationis comminata *in cap. non solum, de Regular. in 6.* & ipso iure suspenditur à receptione alicuius ad professionem; non tamen ita suspensus exercendo spiritualia fieret irregularis: quia admittere ad professionem est iurisdictionis, non Ordinis munus. Ita Gemin. *in d. cap. Non solum de Regular. in 6 num. 10.* Et licèt hæc prohibitio principaliter facta sit Religiosis Ordinum Prædicatorum, & Minorum, vt habetur ex quampluribus Doctoribus à Sayro *de cens. lib. 5.* cumulatis, quos etiam sequitur Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disput. 11. dub. 6. num. 1.* extenditur tamen hæc inhibitio ad omnes Mendicantes, provt colligitur *ex cap. Constitutionem, de Regul. in 6.*

Circa hanc inhibitionem tamen aduertendum est, non incurri pœnam in ipsa inflictam, nisi intercedat dolus, seu fraus: nam huiusmodi pœna non imponitur nisi facere præsumentibus contra dicti canonis tenorem. Ita Barthol. de Vecchiis supracitatus *num. 3.* vbi addit, quòd huic pœnæ nedum subiicitur Prælatus recipiens ad professionem; sed etiam singuli Religiosi, qui ad talem receptionem suffragium dederunt: atque ita resolutum fuisse à Rota *decis. 108 lib. 1.* penes Puteum affirmat, quod notat etiã Suar. *tom. 5. disp. 31. sect. 6. num. 6.* Et hæc sint dicta quoad pœnam suspensionis, qua, vt dixi, innodatus, admittendo ad professionem, & exercendo spiritualia, non fieret irregularis, provt præter citatum Geminianum tenet Rosella *tit. Nouitius, num. 6.* Angelus *num. 4.* Tabiena *num. 5.* Syluester *verbo, Religio, 3. q. 17.* & alij. Quoad excommunicationem autem *in d. cap Non solum,* certum est, non incurri ipso facto à Prælatis Mendicantibus recipientibus ad professionem Nouitium ante prædictam legitimam ætatem: quia non imponitur ipso facto incurrenda; sed comminatur tantùm.

Dubitari adhuc potest, an prædicta suspensio habeat locum post decretum Concilij de professione facta ante legitimam ætatem. Et ratio dubij pro vna parte esse potest: quia non videtur expressè per Concilium derogatum *d. cap. Non solum*, ex alia parte, sicuti per Concilij Tridentini decretum de nullitate matrimonij clandestini cessarunt pœnæ, quæ clandestinè contrahentibus ante dictum decretum erant inflictæ, vt tenent Doctores à Sanchez *lib. 3. de matr.* relati *disp. 2. à num. 5.* Ita in prædicto casu dicendum videtur, cùm per decretum *cap. 15. sess. 25. de Regul.* annulletur professio ante legitimam ætatem facta. Vtraque pars probabiliter sustineri potest, & secundam partem probabiliorem cum aliis tenet Vecchius *loco cit. num. 7.* vbi *in fine* addit, quòd esto, quòd dicta suspensio post decretum Concilij maneat in suo robore; tamen Religiosi, ita suspensi possunt absolui, & rehabilitari à suis Superioribus vigore suorum priuilegiorum, vt decisum fuit à Rota coram Puteo *lib. 1. decis. 95.* Atque ita ad cautelam consulerem Religiosos facere, vt in foro conscientiæ, provt debent, tutiorem partem eligant, suæque conscientiæ securiùs consulant. 6.

QVÆSITVM XIII.

Vtrùm in quacunque Professione, tam expressa, quàm tacita, idem tempus, & ætas in Nouitijs requiratur.

SVMMARIVM.

1 *Professio duplex, expressa, & tacita.*

2 *Ad professionem expressam quid requiratur.*

3 *Professionem, tam expressam, quàm tacitam, post Concilium Tridentinum nemo potest ante decimumsextum ætatis suæ annum emittere.*

4 *Professio ante sexdecim annos nulla est, etiam in vim voti facta.*

5 *Ante Concilium Tridentinum in qua ætate masculi, & in qua ætate fœminæ professionem emittere valebant.*

6 *Professio tacita ad hoc vt inducatur, requiritur, vt Nouitius deferens habitum Professorum, illum susceperit coram Abbate, & alijs: deferat habitum intra septa Monasterij, num. 7. & sciat tales actus esse professorum, num. 8. & eos eliciat animo profitendi, num. 9.*

10 *Professio tacita non est ablata per Concilium Tridentinum.*

11 *Habitus Nouitiorum distinguitur ab habitu Professorum, per cuius tantum delationem inducitur tacita professio.*

12 Pro

12 Professio tacita inducitur etiam ex susceptione Ordinum sacrorum.

1. PRofessio, secundùm D. Thom. 2.2. q. 188. *art.* 7. est solenne votum, quo quis efficitur Monachus. Et est duplex, expressa, & interpretatiua, siue tacita. Expressa fit in manu accipientis illam legitimè, *c. Ad apostolicam, de reg.* Tacita fit sine voce, & scriptura, modis, quibus infrà secundùm Ioan. Andr. & Panorm. *in cap. Vidua, de Regular.*

2. Incipiendo igitur, de expressa professione dico, ad eius valorem requiri libertatem perfectam consensus; & ideò vsque ad puberem ætatem non esse validam: quia ad illam vsque ætatem non est efficax consensus. Ita D. Thomas 2.2. q. 189. & promittuntur in illa tria vota essentialia, sicut communiter Doctores *in dicto cap. Ad apostolicam.* Et ad illam spectant
.3 ea, quæ hactenus diximus, præsertim quæ præcipiuntur à Concilio Trid. *sess.* 25. *de Regul. c.* 15. *&* 16.

3. Quibus præmissis, notandum, quòd post Concilium Tridentinum nemo potest, nec tacitam, nec expressam professionem emittere ante decimumsextum ætatis suæ annum expletum; & si aliter fieri contingat, professio erit ipso iure nulla, vt habetur in dicto Concil. *in loco cit. cap.* 15. per hæc verba: *In quacunque Religione, tam virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum ante annum expletum. Professio autem antea facta nulla sit, nullámque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscun-*
4. *que effectus.* Per quæ verba dicunt Doctores, quòd professio antea facta nullius erit momenti, etiam in vim simplicis voti, vt ait Caiet. 2.2. q. 88. *art.* 9. *vers. Tertiò est not.* vbi dicit, votum Religionis solenne, quod propter aliquem defectum non valet pro solenni, nec etiam valere in vim voti simplicis, *per cap.* 1. *de Regular. in* 6.

5. Est etiam aduertendum circa prædicti sacri Conc. decretum, quòd de iure antiquo masculi post decimumquartum, fœminæ post duodecimum annum expletum professionem emittere poterant, sicut superiùs diximus *quæst.* 11. iuxta *d. cap.* 1. *de Regular. in* 6. & Gloss. *in cap. Etiam, & cap.* 1. 20. *q.* 1. *& in Clement. Eos, de Regular.* Quod erat intelligendum, dummodo ad eorum ingressum, suorum parentum, siue tutorum assensus accessisset: aliàs enim cùm adhuc essent impuberes, nec possent de seipsis disponere, nec contra suorum parentum, vel tutorum voluntatem Religionem intrare valerent ante pubertatis annum, qui in pueris est decimusquartus; in puellis verò duodecimus, proculdubio à suis parentibus, siue tutoribus, reuocari poterant. Aduertendum insuper, quòd tempus sexdecim annorum expletorum sufficit in quacunque Religione, etiam in Insulis, & vbi Congregatio durior videretur, cùm *cap. Quia in Insulis, de Regular.* sit consuetudine abrogatum, vt ait Syluest. *verb. Religio,* 3. *q.* 2. *in fine,* Læl. Zecch. *de Rep. eccles. tit. de regular. cap.* 3. *n.* 11.

8. Vt autem reuertamur ad professionem tacitam, siue interpretatiuam, propter quam hæc præmissa sunt; dicendum est, quòd ad hoc, vt inducatur professio tacita, primò requiritur, vt sic habitum deferens illum susceperit coram Abbate, & omnibus aliis simul, vt dicunt Menochius *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 83. *num.* 9. Stephanus Gratianus *discept. for. cap.* 640. *n.* 37. Barthol. de Vecch. *loco citato, disp.* 13. *dub.* 8. *num.* 4. alias, si aliquis per seipsum habitum assumeret Professorum, non se obligaret Religioni, sicut dicunt Gratianus *loco cit. cap.* 640. *num.* 39.

7. Secundò, requiritur ad hoc, vt inducatur professio tacita, vt habitus susceptus intra septa Monasterij deferatur, vt diffiniuit S. Rota Romana *in Meten. pensionis,* 25. Maij, coram bon. mem. Vbaldo: sicut etiam dicunt Menochius *loco cit. præsumpt.* 73. *num.* 15. *&* Azor. 1. *tom. instit. moral. lib.* 12. *cap.* 5. *q.* 3. si enim deferatur extra Monasterium, non inducetur tacita professio, vt benè probat Bartholom. de Vecch. *loc. cit. n.* 4.

Tertiò, vt actus, per quos tacita professio, fieri de- 8.
beat, non solùm sponte, sed etiam scienter, itavt sciat illis vtens ad solos Professos illius Religionis pertinere, vt dicunt ferè omnes Doctores supracitati, qui affirmant, iis actibus vtentem non debere ignorare, per illos etiam tacitam induci professionem.

Quartò, oportet, vtentem his actibus habere ani- 9.
mum, professionem emittendi, & non sufficit, se habere negatiuè, scilicet, animum non habere non profitendi, vt dicunt Barthol. de Vecch. *loco cit. n.* 7. & Nauarr. *comm.* 4. *de Regul. num.* 75. quibus positis:

Sciendum est, per Concilium *d. sess.* 25. *cap.* 15. 10.
& 16. *de Regul.* non tolli professiones tacitas, vt falsò quidam dixerunt; sed illas in suo pristino valore adhuc manere: Concilium enim Tridentinum quoad professiones correxit ius antiquum, vt non inducantur nisi expleto Nouitiatus anno, & expletis sexdecim annis profitentium: vt dicunt Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 6. Nauarr. *lib.* 3. *cons.* 28. *num.* 5. Gratianus *tom.* 4. *discept. forens. cap.* 640. *num.* 34. Sorbus *in compend. priu. tit. Nouit. de Nouitiorum profess. vers. Quid autem,* Beltraminus *in addit. ad decis.* 385. *num.* 6. Rotæ coram Greg. XV. quod etiam fuit resolutum à d. Rota *decis.* 579. *num.* 2. *part.* 1. *recent. & in vna Vlisbonen. professionis,* 10. Decembris, 1621. coram Domino meo Merlino: & ita declarasse S. Congregationem Cardinalium affirmat Barthol. de Vecch. *in praxi Nouit. dis. nt.* 13. *dub.* 8. *num.* 1. vbi notat, rarissimè contingere posse post Trid. Concilium, validè fieri hanc tacitam professionem. Vnde dicit ipse *num.* 2. quemadmodum iure antiquo tacita professio duplici modo emitti poterat; ita etiam post Tridentinum iis duobus modis potest emitti. Primò, per habitus Professorum delationem. Secundò, per exercitium actuum, qui tantùm ad Professos spectant. Quare in Religionibus, vbi Nouitiorum habitus non distinguitur ab habitu Professorum, per illius delationem inducitur tacita professio, si Nouitius per annum integrum, & continuum illum deferat, ac expleto 16. anno suæ ætatis iuxta Concilium *loco citato.* Sic notant Mascardus *de probat concl.* 1237. *num.* 15. Nauarr. *d. comm.* 4. *de Regul num.* 74. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præs.* 83. *n.* 25. Sanch. *tom.* 1. *de matr. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 32. *&* 33. vbi dicit, textum *in cap.* 1. *de Regul. in* 6. non esse correctum *per Clem. final. eod. tit.* & d. Clement. esse intelligendam iuxta distinctionem factam *in d. cap.* 1. & Barthol. de Vecch. *loco cit. dub.* 8. *num.* 10. dicit, quòd statim impleto anno probationis inducitur professio tacita concurrentibus quatuor conditionibus, quas ibi enumerat *num.* 3. 4. 5. 6. *&* 7. de quibus *suprà* diximus iuxta mentem DD. in quacunque conditione citatorum. Et subdit idem Bartholom. de Vecch. *num.* 12. quòd in Religionibus, vbi patenter distinguitur habitus Nouitiorum ab habitu Professorum, inducitur tacita professio per exercitium proprij actus Professorum, quando concurrentibus dictis conditionibus, Nouitius ille expleto sextodecimo suæ ætatis anno modo superiùs dicto, & expleta probatione, se ingerit actui iure, vel consuetudine professis tantùm competenti, ac perseuerat in hoc proposito per triduum. Ita Bartholom. de Vecch. *loco citato,* idem affirmat D. meus Augustinus Barbosa *de iur. eccl. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 162. vbi subdit, quòd professio tacita dicebatur etiam, quæ fiebat ante probationis tempus impletum; sed ex sola Professorum

habitus

habitus delatione in legitima ætate sponte, & scienter facta, ac triduo voluntariè retento tali habitu, quæ professio, licèt non induceret obligationem ad talem Religionem in specie retinendam; ad Religionem tamen simpliciter adstringebat, quod probat *ex cap. Constitutionem, de regul. in 6.* quod etiam docent Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 25. num. 22.* Azor. 1. *part. instit. moral. lib. 12. cap. 4. q. 3.* Roder. *tom. 3. qq. regul. q. 1. art. 2.* Bartholom. de Vecch. *loc. cit. dub. 8. n. 9.* Hodie tamen per Concilium Tridentinum prædicta tacita professio ablata est, vt dicit idem Barbosa *loc. cit. num. 163. in fine.*

11. Notandum tamen est, cum Barthol. de Vecch. *loco citato*, & Barbosa *similiter loco cit. n. 164.* quòd ad tollendas diuersas difficultates, quæ circa professionem tacitam possunt oriri, fuit necessarium, vt in Religionibus constitueretur, vt habitus Nouitiorum distinguatur ab habitu Professorum, siue in colore, siue in scissura, siue alia forma, siue benedicatur in Professis: in Nouitiis autem non, siue aliquid fiat, per quod Nouitiorum habitus à professorum habitu discernatur. Vnde colligitur, quòd vbi habitus Nouitiorum patenter ab habitu professorum distinguitur, tunc per quancunque delationem annualem habitus Nouitiorum non inducitur tacita professio, vt dicunt Nauar. *comment. 4. de Regul. num. 74.* Angelus *verbo, Nouitius, num. 12.* Syluester *verbo, Religio, q. 9.* Barbaria *cons. 59. num. 3. in fin. volum. 2.* Stephanus Gratianus *discept. foren. cap. 640. num. 21.* Bartholomæus autem de Vecch. *loco cit. dub. 8. num. 9.* intelligit ex sola habitus delatione: quia si in eodem habitu probationis Nouitius se ingereret alicui actui competenti tantummodo Professis, & perseueraret triduo, esset tacitè Professus. Et *num. 11.* dicit, quòd cùm Concilium Trid. *loco cit.* exigat ætatem sexdecim annorum, ideò hodie non inducitur professio tacita, nisi expleto hoc tempore.

12. Similiter ex susceptione sacrorum Ordinum inducitur tacita professio, vt firmauit sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositorum *in vna Beneuentana*, 20. Decembris 1619. in hæc verba: *Cum Frater Andreas Ponfectus in Religione per octennium permansisset, absque eo, quòd professionem emisisset, dicto autem tempore Patre Magistro Cursaro instante sacros Ordines suscepisset, petijt facultatem habitum dimittendi sibi concedi: Sacra autem Congregatio respondit, quod susceptio Ordinum professionem tacitam inducit.*

QVÆSITVM XIV.

Vtrùm oporteat, professionem fieri in manibus Abbatum, & aliorum Prælatorum Regularium, vel de ipsorum licentia.

SVMMARIVM.

1 *Professio expressa necessariò est facienda in manu Abbatis, vel alterius de eius licentia.*

2 *Monachus, si suscipit aliquem ad professionem sine Abbatis Superioris licentia, ad hoc, vt professio valida sit, debet per Abbatem ratificari.*

3 *Abbate mortuo, in cuius manibus sit emittenda professio.*

4 *Abbates, & Superiores habent authoritatem, quæ est necessaria ad validitatem professionis.*

1. PRofessio est necessariò facienda in manu Abbatis, seu alterius specialem ad id ab eo licentiam obtinentis. Ita tenet Innoc. *in c. Porrectum, de Regul.* Idem Panorm. *in cap. Ad apostolicam, n. 4. eod. tit.* vbi notat, quòd ad hoc, vt quis obligetur Religioni, oportet, quòd professio recipiatur per Abbatem, vel per alium eius nomine, qui ex parte Dei, & Religionis, traditionem, quam facit profitens, recipiat, vt docet Peyrinus cum multis allegatis *tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. §. 5. num. 135.* Nam ad hoc vt professio sit valida, non sufficit sola profitentis traditio, nisi adsit persona legitima habens facultatem acceptandi talem professionem, & incorporandi profitentem Religioni, cúmque obligandi: & hic debet esse, vel Abbas, vel qui Abbatis vice, & potestate de ipsius licentia gaudet: quia, cùm professio sit quidam contractus onerosus, quo professus fidem suam Deo promittit, Religionique obligatur; quo similiter Religio ipsa obligatur Religioso ad retinendum, & alendum illum; necesse est, vt sicut cæteri contractus, & obligationes in vnius consensu tantùm consistere non possunt; sed duplici persona potestatem obligandi habente indigent, *iuxta l. In omnibus, ff. de act. & oblig. & l. Sicut, C. eod.* ita & in hoc contractu professionis oportet, vt adsit, qui profitentem recipiat, ipsúmque valeat Religioni incorporare, qui erit Abbas, vel Superior, vel alius ab eo potestatem habens, vt dicit Panormit. *vbi suprà*: & Mirand. *in Manual. Prælat. tom. 1. q. 24. art. 3. conclus. vnica.* Ant. Perez *in comment. Reg. sancti Benedicti, c. 58. n. 28. verbo, Et Abbatis præsentis.* Lel. Zecch. *de Repub. eccles. tit. de Relig. cap. 3. n. 11. vers. Non ò requiritur.*

Quòd si Monachus suscipiat aliquem ad professionem sine mandato Superioris; tunc ad hoc, vt professio sit valida, debet ratificari per Abbatem, ex Syluestro *verb. Religio, 3. num. 13.* 2.

Dices, si Abbas moriatur, in cuius manibus debet fieri professio? Respondeo, si receptio pertinet tam ad Abbatem, quàm ad Conuentum, potest fieri coram Conuentu, qui nomine futuri Abbatis eam recipiat, secùs verò, si ad Abbatem solùm spectet, *cap. fin. de Regul. in 6.* Sed in hoc casu maximè in Congregationibus Monachorum in manu Prioris, vel alterius Vicarij, ad quem tota Monasterij potestas post mortem Abbatis deuoluitur, faciendam esse existimo, nisi alia sit consuetudo, vel priuilegium, aut constitutiones contrarium docentes. 3.

Ideò dicitur, quò professio debet fieri in manibus Abbatis, siue alterius Superioris: quia Abbates, & Superiores habent authoritatem, quæ necessaria est ad validitatem professionis, vt habetur *in cap. Ad apostolicam, de Regul. & cap. Porrectum, 13. eodem tit.* quod etiam affirmant Doctores, & præsertim Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 41. dub. 7. num. 61.* Sanchez *lib. 5. in præcept. Decal. cap. 4. num. 62.* Nauarr. *comm. 4. de Regul. num. 74.* Innoc. *in d. cap. Ad apostolicam.* Reginald. *in prax. lib. 18. num. 385.* Azor. *tom. 1. inst. moral. lib. 12. cap. 5. q. 7.* Mirand. *tom. 1. Manual. Prælat. q. 24. art. 3.* Barbosa *in d. cap. Porrectum, de Regul. n. 3.* Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig. lib. 5. q. 238. num. 4.* Syluest. *verb. Religio. 3. q. 13.* Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap. 11. num. 1.* Barthol. de Vecch. *in praxi Nouit. disp. 13. dub. 2. num. 5.* Nec obstat *cap. Consuluit, qui Clerici*, vbi dicitur, professionem posse emitti super Altare: nam hic textus intelligitur, acceptante eo, qui potestatem habet admittendi ad professionem, vt docent Doctores *in d. cap.* 4.

Scribentes. Ancharanus *n. 3.* Hostien. *n. 13.*
Abbas *num. 10.* Ioan. And. *num. 4.*
Syluest. *verb. Relig. 3. q. 18 d. 2.*
Nauar. *comm. 4. de Reg. num. 74.*

QVÆSITVM XV.

Vtrùm Abbas solus, sine Monachorum consensu, vel consilio, possit ad professionem Nouitios recipere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas an possit incorporare aliquem Monasterio, & quid circa hoc sentiant Doctores.*

2 *Religionis præcipua debet Abbas explicare cum consilio Capituli.*

3 *Consilium vbi requiritur à iure, nisi adhibeatur, actus est nullus.*

4 *Suffragia Monachorum Abbati consultiua sunt, non decisiua.*

5 *Constitutiones, & priuilegia Religionum in hac re sunt attendenda.*

6 *Monasterij tota potestas de iure ad Abbatē pertinet.*

7 *Suffragia in admissione Nouitiorum ad professionem, sunt decisiua, non tantum consultiua.*

8 *Consensus maioris partis Capituli requiritur ad hoc, vt Nouitius ad professionem admittatur.*

1. HAc de re idem dici potest, quod *quæsito primo* diximus: procedit enim paritas, & consequentia, de facultate admittendi ad Religionem ad facultatem professionis vota suscipiendi; sed abs re non censemus, vel dicta iterum referre, vel aliqua dictis addere. Vnde dico *in cap. Ad apostolicam. de Regular*, videri Abbatem posse incorporare aliquem Monasterio, dum ibi dicitur: *Abbate per se, vel, per alium professionem recipiente monasticam*. vbi supponitur, posse Abbatem absque alia conditione id exequi. Ioannes Andr. tamē ibi & Oldr. *cons. 16, eo. tit.* & Lap. *alleg. 32* asserunt, necesse esse Fratrum consilia petere, priusquàm ipse Abbas Nouitios ad Religionis professionem admittat.

Sed Panorm. postmodum distinguit, spectandam esse consuetudinem, vt annuit tex. *in cap. final. de Regularib. lib. 6.* Cessante verò consuetudine, Abbatem hoc facere debere cum consilio Capituli, per id, quod in Regula habetur; scilicet, quòd præcipua Religionis Abbas explicare debet cum consilio Capituli: at

2. creatio Monachorum, & admissio ad professionem est de præcipuis: ergo cum consilio Fratrum exequi debet. Et probatur exemplo posito *in cap. Cùm in Ecclesiis de præben. lib. 6.* vbi, quando beneficiorum collatio, aut præbendarum facienda imminet, absentes Canonici, si commodè fieri valeat, sunt vocandi, nisi consuetudo habeat, eos ad talia non vocari. Vnde infertur, quòd de iure communi non valet Monachi receptio per Abbatem facta sine consilio Conuentus:

3. nam, vbi requiritur à iure consilium, nisi adhibeatur, actus est nullus, vt *ex text.* not. iuncta Gloss. *in cap. Nouit. de his, quæ fiunt à Præl.* vbi, ex quo vnum corpus, Prælatus, & Capitulum sunt, non decet Prælatum omissis membris, & sine consilio Fratrum, quorum est caput, personas instituere: & ideò creatio Monachi spectat ad solum Abbatem, quando Religio habet ad hue talem consuetudinem, aut priuilegium: vbi verò non adest talis consuetudo, aut priuilegium, seu regula, penes Abbatem, adhibito Conuentus consilio, residet huiusmodi facultas. Barthol. de Vecchüs *in praxi seruanda in admittendis ad Religionis statum Nouit. disp 7. dub. 4. n 4.* & *disp. 12. dub. 1. n* 8. Caualer. *decis. 525. n* 3 & alij citati per Barbos. *in collect. ad d. c. vlt. n. 2. de Regularib.* Demum Panormit. addit, & tenet, Abbatem teneri tantummodo petere Fratrum consilium, non verò sequi illorum iudicium; sed satis esse requirere, & expectare responsum: & quamuis diuersam sententiam habeant, ipse suam exequi; quamuis contraria sit. Hinc loquens de Abbate Regula S. 4.
Benedicti *cap 3.* ait: *Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se prudenter, & quod vtilius iudicauerit, faciat.* Ex quibus verbis concludunt Expositores eiusdem Regulæ, & præcipuè Ant. Perez *ibi, n. 4.* suffragia Monachorum Abbati consultiua esse, non decisiua. Et hoc etiam rationi congruum est: nam vbicunque consilium alicuius requirere debet, non tenetur illud exequi, vt *in cap. Cùm in veteri. de elect.* & per Bart. *in l prima. §. Si plures. ff. de exercit act.* & *in c. Cùm olim. de arbitris.* Et sic intelligitur *cap. Nouit.* iuncta Gloss. *de his, quæ fiunt à Prælatis*, scilicet, (vt Doctores ibi exponunt,) consultationem illam esse necessariam ad valorem actus; non autem necessarium sequi iudicium Consultorum: aliud enim est consilium, aliud consensus: & hoc modo potestate sua poterit in susceptione professionis Abbas vti. Ita tenet Nauar. Panormit. sententiam sequens *comment. 3. de Regular. n. 5.* & ita Syluest. *verb. Religio, n* 13.

Dico tamen, quòd in vnaquaque Religione ad il- 5.
lius Regulas, & constitutiones recurrendum est, & ad priuilegia per Sedem apostolicam vnicuique concessa: quòd si nec in Regula, nec in priuilegiis, aut pontificis approbationibus, (quod vix accidere potest,) specialis & propria huius rei declaratio contineatur, præcipuè; tunc attendenda est consuetudo, vt Gloss. Panorm. & omnes citati Authores assentiunt; & huiusmodi potestas erit apud illum, qui consuetudine præscripta illius vsum habuerit. Vix autem cogitari potest casus moralis, in quo, vel ex Regula, & priuilegiis, vel ex consuetudine constet, apud quem sit hæc potestas. Si autem talis casus admittatur, vel potiùs fingatur pro monasticis Religionibus, rectè tunc dicetur potestatem hanc de iure comuni esse penes Abbatem, tunc propter *cap. Nullum 18. q. 2.* vbi habetur, vt de cætero fideliter, & studiosè vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conuenit,
debeat adimplere: vbi Gloss. notat, particulam illam, 6.
tota, significare, quòd potestas ad Abbatem pertineat, non ad Monachos: & sic intellexit Ioannes Andr. & sic Panormit. sequitur, & sic alij. Quibus etiam adde, quòd potestas Abbatis in suo ordine est perfectè monarchica; sicut Ducis in exercitu: & ideò de se sufficit ad recipiendos ad professionem Monachos, vel milites, nisi aliunde, vel per regulas, vel per priuilegia, vel per consuetudinem limitetur. Ita Suar. *tom. 3. lib. 5. de ingressu Religionis, ac Nouitiatu, cap. 10. n. 5. & 6.*

Verum quidem, quòd in omni ferè Religione vo- 7.
ta capitularia Fratrum ad admittendum Nouitium ad professionem, non solùm sunt consultiua, sed etiam decisiua: atque ita longa consuetudine introductum est, vt non modò Fratrum; sed etiam maioris partis Capituli consensus requiratur, qua stante cōsuetudine,

Dico, quòd ad admittendum Nouitium ad profes- 8.
sionem requiritur cōsensus maioris partis Capituli, vt habetur in Gloss. *verbo, Non facit. in cap. Porrectum de Regul.* quod etiam affirmat Sanchez *in Decalog. lib. 5. cap. 4. n. 4.* Suar. *tom 3 de Relig. lib. 5. cap. 10. num. 4.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 81* Anton. Cucch. *lib. 3. instit. maior. tit. 1. n. 56.* Emmanuël Sà *in aphoris, verbo, Religio, num. 65.* Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig. l. 5. q. 239.* Lapus *in alleg. 51 num. 3.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12 cap. 20. q. vlt.* Menoch. *de præsumpt. lib 7. præsumpt. 83. n. 9.* Rodriquez *tom 3. qq. reg. q. 27. art. 7.* Barthol. de Vecch. *in praxi Nouit. disput. 12. dub 1.*

dub. 1. Laurent. de Peyrin. *tom.* 2. *de prælat. q.* 3. *cap.* 1. *n.* 135. Barboſ. *de iur. eccleſ. lib.* 1. *c.* 42. *num.* 146.

QVÆSITVM XVI.

De conditionibus validæ profeſsionis.

SVMMARIVM.

1 *Profeſſionis validæ conditiones, & ſunt, vt nullus admittatur ad profeſſionem ante decimumſeptimum annum expletum.*

2 *Probatio per annum continuum de momento in momentum.*

3 *Authoritas Superioris acceptantis.*

4 *Obligatio profitentis, qui debet habere animum ſe obligandi.*

5 *Approbatio Religionis, & votorum, & n. 7.*

6 *Conſenſus maioris partis Monaſterij.*

8 *Libertas in emittente profeſſionem, & num. 9.*

10 *Profeſſio debet eſſe ordinata ad debitum finem.*

11 *Profeſſio fœminarū debet fieri in Monaſterijs mulierum; & maſculorum in Monaſterijs virorum.*

12 *Profeſſio non debet fieri cum conditione, & pacto de retinendo proprio, quomodo intelligatur. numero 13. & 14.*

15 *Profeſſio an valeat facta cum reſeruatione facultatis teſtandi.*

16 *Profeſſio quando dubitatur, an ſit valida, præſumendum de validitate.*

17 *Profeſſio nulla ex quocunque defectu nullam ex ſe inducit obligationem, niſi profitens vouendo independenter à profeſſione intenderet ſe obligare.*

1\. Ex dictis eliciuntur præcipuæ conditiones profeſſionis validæ, quarum prima eſt, vt nullus admittatur ad profeſſionem, niſi decimumſextum annum ſuæ ætatis compleuerit ex Concilio Trid. *ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 15.

2\. Secunda: vt Nouitius maneat in probatione per continuum annum, quo anno non expleto de momento ad momentum, profeſſio erit nulla.

3\. Tertia eſt authoritas Superioris acceptantis ad Religionem, tanquàm vnus ex duobus contrahentibus, regularem ſtatum, vt diximus.

4\. Quarta eſt obligatio alterius contrahentis, nempe, ſubditi profitentis, ſaltem tacitè: oportet enim, vt ſic intendat ſe obligare Deo, & Religioni, alioquin in foro conſcientiæ non obligabitur, quamuis in exteriori foro ad ſcandalum euitandum ad obſeruantiā Regulæ teneatur. Ita Leſſius *de iuſt. & iur. lib* 2 *c.* 41. *dub.* 7. *num.* 60. Azor. *tom.* 1. *inſt. moral. lib.* 12 *cap.* 5. *q.* 1. Suar. *tom.* 3. *de Relig. lib* 6. *cap.* 10. *num.* 3. Bartholomæus à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 5. *q.* 237. *num.* 2. Nauarr. *lib.* 3. *conſ. de Regul. conſ.* 15. *num.* 13. Graff. 1. *p. ir deciſ. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 28. Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. diſput.* 13. *dub.* 1. *num.* 13. Emmanuël Sà *in aphoriſ. verbo, Religio, n.* 15. Ratio eſt: quia nulla promiſſio, ſiue votum ſine voluntate obligandi per ſe obligat, cum tota obligatio à libera voluntate obligandi dependeat, vt docet Sanchez cum multis allegatis *lib.* 4. *in præcept. Decalog cap.* 1. *n.* 23. quæ quidem obligatio requiritur etiam ex parte perſonæ legitimè recipientis obligationem pro parte Dei, & Religionis, cùm profeſſio regularis ſit ad inſtar contractus humani, qui mutuo conſenſu partium perficitur.

5\. Quinta, requiritur ad validitatem profeſſionis probatio Religionis: quia non eſt valida profeſſio facta in Religione, quæ non fuerit approbata in Religione approbata, *ex cap. vnico, de voto, in* 6 ſimul. cum Gloſſ. & docent Barboſa *de iur eccl. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 149 Bartholom. de Vecch. *in praxi Nouit. diſput.* 13. *dub.* 3. *num.* 3.

6\. Sexta, ad validitatem profeſſionis requiritur conſenſus maioris partis Monaſterij, ſine quo conſenſu Abbas nullum poteſt admittere ad profeſſionem, vt diximus, ſeruata tamen conſuetudine, & conſtitutionibus vniuſcuiuſque Religionis.

7\. Septima, requiritur præterea ad validitatem profeſſionis, approbatio votorum: nam profeſſio facta alterius voti, quàm trium illorum, ſcilicet, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, vel tantùm vnius, vel alterius ex illis tribus; non autem ſimul trium illorum, profeſſio nulla eſt, & inualida, ex Concil. Trid. *ſeſſ.* 25 *de Regul. cap.* 1. & præter ſupradicta vota, poterit Abbas Generalis ſimul cum Capitulo aliqua ſtatuta ſtrictiora efficere pertinentia ad Regulam promiſſam, & ad eius obſeruantiam, vt dicunt Doctores, & præſertim Rodriq. *qq. reg tom.* 1. *q.* 44. *art.* 1. Nauarr. *comm.* 4. *de Regul. num.* 40 Bartholom. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 6. *q.* 123. Azor. *inſtit. moral. tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 8. *q.* 2.

Aduertendum tamen eſt, quòd profeſſio non erit irrita, ſi fiat contra formam prædictorum ſtatutorum, niſi Regula ab apoſtolica Sede approbata exprimat profeſſionem alia forma factam, fore irritam, ex Gloſſ. *verbo, Profeſſio, vlt. in cap. Porrectum* vbi Abbas *n* 13. Azorius *loco cit. lib.* 13. *cap.* 5. *q.* 7. *in fin.* Syluest. *verbo, Religio,* 3. *q.* 1. *in fine.*

8\. Octaua, debet profeſſio eſſe libera, qua de cauſa facta Rota mandare ſolet, explorationem voluntatis mulieris debere fieri in loco non ſuſpecto, ad hoc, vt conſtituta in plena libertate propalare poſsit ſuam voluntatem ſine metu. Ita refertur *in deciſ. Seraphini, deciſ.* 1166 Vnde profeſsio facta graui metu & iniuſtè incuſſo, irrita eſt, necnon ſi error, ſeu dolus circa ſubſtantialia interueniat. Ita Vecch. *loco citato. n.* 8.

9\. Nona, ad validitatem eandem requiritur, vt profitentes ſint in libertate conſtituti. Ideò Epiſcopus non poteſt profeſsionem emittere, cùm ſit alligatus ſuæ ſponſæ, ſcilicet, Eccleſiæ: & illam emittens ſine licentia Summi Pontificis, reddit profeſsionem nullam, de qua re latè Sanchez *in præcepta Decal. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 6. cum multis aliis ab eo allegatis. Similiter ſeruus profiteri non poteſt inuito domino ſuo, vt *ſuperius* diximus; nec etiam obſtrictus vinculo matrimoniali poteſt profiteri ſine licentia alterius coniugis, & ſine aliis conditionibus. Vide Sanchez *lib.* 7. *de Matrim diſput.* 33. *& ſeqq.* Filij etiam habentes parentes in neceſsitate conſtitutos, non debent profeſſionem emittere: quod ſi faciunt, non tamen abſque peccato, licèt eorum profeſsio valeat, vt dicunt Leſſius 2. *de iuſt. & iur. dub.* 3. *num.* 34. *cap.* 41. Nauarr. *l.* 3. *conſ. de Regul. conſ.* 3. Sanchez *in præcept. Decal. lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 10. idem de patre relinquente filios in eadem neceſsitate. Similiter non debet recipi ad profeſſionem obnoxius reddendis ratiociniis, vt notat Nauar. *loco citato:* quia in libertate non eſt conſtitutus, ſicut & alij ſupradicti.

10\. Decima, ad validitatem etiam profeſsionis requiritur, vt profeſsio illa ſit ordinata ad debitum finem, ne reddatur inualida, vt in multis caſibus contingere poſſe affirmat Barthol. de Vecch *loco cit. num* 14.

11\. Vndecima, ad validitatem profeſsionis mulierum requiritur, vt profiteantur in Monaſteriis mulieribus deſtinatis; ſicut ad validitatem profeſsionis maſculorum requiritur, vt fiat in Monaſterio virorum, vt, ſcilicet, in eis commorentur, & habitent.

12\. Duodecima, ad eandem validitatem neceſſarium

est, vt professio fiat sine conditione, pacto, seu modo de retinendo proprio: quia vitiatur ex tali conditione quoad eius substantiam, vt dicunt Doctores, & præsertim Riccius *in decis. Cur. Archiep. Neapol. decis.* 340. *num.* 11 *part.* 4 Bartholom. à S. Faust. *in thes. Relig. lib.* 8. *q.* 21. Bonacina *de claus. & pœn. eam viol. impos. q.* 2. *punct.* 10. *diff.* 2. §. 1. *num.* 4 Rodriq. *qq. reg. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 6 *in fin.* Miranda *in Manual. Prel. tom.* 1. *q.* 18. *art.* 2 Bartholom. de Vecch. *loc. cit. n.* 11. Secùs dicendum est, si professionem absolutè emittat, quamuis antea pactum interuenerit, concedendi ei aliquod peculium, vel vt domi maneat, vel retineat vsum bonorum suorum; dependenter tamen à voluntate Superioris, vt habetur *in cap. Insinuante, qui Clerici, vel vouentes, & cap. de viduis,* 27. *q.* 1. & S. Antoninus 3 *p. tit* 10. *cap.* 3. Syluester *verbo, Religio,* 3. *q.* 8. Angelus *tit. Religiosus, num.* 19. Nauar. *comm.* 2. *de Regul. num.* 16. Sanchez *lib.* 5. *de matr. cap* 4 *n.* 97. vbi alios DD. refert, & affirmat, hoc non esse derogatum à Concilio Tridentino, sicut dicunt Nauarr. & Azorius *locis citatis.*

13. Si dicas, quòd *in d. cap. Insinuante, qui Cler. vel vou.* Summus Pontifex professionem validam indicauit, cum bonorum retentione, etiam ad effectum dirimendi matrimonium, probare videtur, professionem emissam cum pacto, conditione, & modo retinendi fuisse validam.

Respondeo, illum textum intelligi debere de retentione, seu reseruatione bonorum ad vsum profitentis in domo propria pro suis necessitatibus, ex voluntate Superioris, vt affirmant Ludouicus Beia *respons. cas. conscient. part.* 4. *cas.* 17. Sanchez *de matrim. disp.* 25. *lib.* 7 *num.* 11. Garzias *de benef. part.* 7. *cap.* 10. *num.* 100. Nauar. *comm.* 2 *de Regul num.* 16. Barthol. à S. Fausto *loco cit. q.* 33. Bonacina *de claus. & pœn. &c. loco citato, n.* 4. vbi aduertit, istam conditionem non repugnare substantiæ voti paupertatis, cùm tale votum non violetur retentione vsus alicuius rei, dependenter à voluntate Superioris, vt diximus 2 *tom. huius Operis, disput. de voto paupertatis.*

14. Barbosa *de iure eccl. lib.* 1. *cap.* 41. *num.* 152. refert, quòd alij distinguunt, si sub ea conditione Religiosus, vt sibi liceat proprium, & bona immobilia possidere, & liberè acquirere, professionem emittat, ea, tanquam propria, retinendo, inuito Prælato professio irrita est, & nulla, cùm sit omnino contraria voto paupertatis, & destructiua substantiæ Religionis: secùs verò, si de licentia Abbatis: & tunc professio valida erit, & conditio non erit reiicienda. Ita Bartolus *in Authen. ingressi. C. de sacros. Eccl. num.* 29. Syluester *in Sum. verb. Religio,* 3. *q.* 8. Rodriq. *qq. regul. tom.* 3. *q.* 5. *art.* 6. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *c.* 41. *num.* 63. Miranda *loco cit. quæst.* 18. *art.* 2. Barthol. de Vecch. *loco cit, n.* 11. Sanch. *similiter loco cit. lib.* 5. *cap.* 4 *num.* 97. qui *num.* 98. dicit, in dubio reseruationem aliquorum bonorum tempore probationis à Religioso factam, esse hoc modo intelligendam, nempe, quoad vsum ex Abbatis licentia, & ab ipso reuocabilem.

15. Hinc resoluitur difficultas, an professio valeat reseruata sibi facultate testandi de suo patrimonio, & facta Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini, huic dubio respondens die 14. Decembris, 1613. hoc negotio maturè perpenso, & accurate discusso, nisi alia obstiterint, validam esse omnino professionem sub forma suprascripta emissam. Hanc declarationem refert Barbosa *loco cit. num.* 153.

16. In dubio autem, an professio valida sit, néne, præsumendum est illam esse validam. Ita Sanchez 7. *de matrim. disput.* 37. *num.* 12. Gratianus *discept. forens. tom.* 3. *c.* 413 *num.* 14. Nauar. *l.* 3. *cons. de regul. cons.* 13. *n.* 10. Bartholom. à S. Fausto *lib.* 5. *thes. Relig. q.* 251. *num.* 1. Ratio est: quia in dubiis melior est conditio possidentis, & Religio est in possessione.

Professio nulla ex quocunque defectu nullam ex se inducit obligationem, nisi profitens vouendo independenter à professione intenderet se expresse per illa vota obligare. Ita Lessius *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 41. *dub* 7. *num* 6. Nauar. *lib.* 3. *cons. de regul. cons.* 89. *n* 7. Sanchez *lib.* 5 *in precept. Decalog. cap.* 4. *n.* 104. Vecchius *in praxi Nouitiorum disp.* 14. *dub.* 1. *num.* 3. Ratio est: quia humani contractus nullam censentur habere firmitatem, nisi ab vtraque parte acceptentur: cùm ergo professio irritetur; vel ex parte profitentis, vt si profitendi intentionem non habeat; vel ex parte acceptantis, si contrahens aliter has habeat conditiones, vt sit seruus, vxoratus; vel careat, vt, verbi gratia, non sit in ætate sexdecim annorum, &c. sequitur, quòd professio, quando ex his defectibus nulla est, semper desit consensus alterutrius, ac per consequens sit irritus contractus.

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm professio inualida sit ratificanda, tam ab Abbate, & Conuentu, quàm à profitente.

SVMMARIVM.

1 *Professio semel inualida solo temporis tractu non firmatur.*

2 *Consensus tam ex parte Religiosi, quàm ex parte Abbatis an requiratur.*

2 *Probationis annus in vtriusque partis fauorem est introductus.*

4 *Professio facta in Religione non approbata, non potest ratificari.*

5 *Professionem vt ratificet quis, debet habere cognitionem de inualiditate prioris professionis.*

6 *Professio irrita ratione inhabilitatis reualidari potest solo nouo consensu professi.*

7 *Nouitius inualido ex hoc, quod Nouitius vxoratus sine licentia coniugis ingressus est Religionem, si profiteatur, mortua vxore, solus consensus profitentis sufficit ad reualidationem.*

8 *Nouitiatus an sit interruptus, quia Oblatus, vel Conuersus ad statum Clericorum transfertur.*

9 *Oblati, & Conuersi cum authoritate Sedis apostolicæ translati ad statum Clericorum, an debeant capitulariter recipi ad professionem.*

10 *Professus bona fide, licèt inualide, licitè retinet locum, quem obtinuit vigore inualidæ professionis. Limita, vt num.* 11. *&* 12.

13 *Præscriptio quomodo iuuet eum, qui inualidè bona fide professus est.*

14 *Professio quando ratificatur, an sint repetendæ ceremoniæ, quæ in professione adhiberi solent.*

Professio semel inualida solo temporis tractu nunquam confirmatur, etiam ablato defectu, ob quem inualida fuit. Sic omnes Doctores: & sumitur *ex regul.* 18. *lib.* 6. *de reg. iur. Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.* Ita Parisius *de resignat. lib.* 9. *q.* 17. *num.* 71. Vnde, si aliquis fuerit professus ante annum 16. completum post d. anni impletionem inualida professio ex hoc solùm non reualidatur; sed requiritur nouus consensus, & noua professio: quia ratificatio actus inualidi non est aliud, quàm nouus actus, vt resoluit Rota coram Ludouisio *decis.* 395. *n.* 10. quod etiam affirmant Menoch. *tom* 1. *cons. cons.* 80. *n.* 666. & Barthol. à S. Fausto *lib.* 5. *q.* 251. *num.* 1. 1.

n.1.& Laurentius de Peytin.*tom.2.de Prælat.q 3.c.1. num.143.*

Ratio eſt: quia ad ſubſtantiam profeſſionis requiritur conſenſus: aliæ verò conditiones requiruntur propter conſenſum. Neceſſe ergo eſt, vt remoto defectu iteretur conſenſus, qui iam inducat obligationem. Vnde, cùm denuò neceſſarius ſit conſenſus, qui eſt ſubſtantia profeſſionis, dicendum eſt, illam nullam profeſſionem non dici ratificari: quia illa prior profeſſio valida eſſe incipiat; id enim fieri non poteſt: quia illa prior vlteriùs non proceſſit, nec iam procedere poteſt ex conſenſu efficaci ad inducendam obligationem, quod requiritur ad profeſſionis validitatem. Dicitur ergo ratificari: quia eius loco alia noua rata, & valida efficitur. Ita Suar. *libro. 7. capite.* 1. *numero* .3.

2. Quibus poſitis, cùm hæc profeſſio iterum facienda ſit alia, & noua, dubitatur, an tam ex parte Religioſi, quàm Religionis, & Abbatis cōſenſus ad profeſſionis valorem requiratur. In quo ſic diſtinguendum cenſeo. Aut profeſſio nulla fuit ex defectu irritáte ſolùm profitentis conſensū, vel ex defectu vtriuſque partis, ſcilicet, Abbatis recipiētis, & recepti conſenſum irritante. Primo caſu nouum conſenſum Abbatis non eſſe neceſſarium exiſtimo; ſed ſufficere priorem moraliter permanentem. Ita Sanchez *lib.7.de matrimon. diſput. 37.n.60.& 61.*Sà *verb.Religio,n.25.*Leſſius *lib. 2.c.4. dub. 7. n. 67.* Et ratio eſt: quia conſenſus per Abbatem in illo caſu præſtitus, quantùm eſt ex parte illius, validus fuit, & contractus tantummodo ex alia parte erat efficax: vnde ille cōſenſus, quantùm eſt ex ſe, ſemper manet exhibitus, & promptus, vt adueniente ex parte Religioſi ſufficiente conſenſu, contractus ſit firmus: ergo non eſt neceſſarius ex parte Abbatis nouus conſenſus.

Confirmatur: quia, ſi Religioſus conſenſum non præſtiterit, cùm poſſet, conſtat tunc defectum eſſe ex parte perſonæ, quæ non conſenſit. Si autem inefficacia conſenſus eſt ex impotentia proueniente à ſtatuto Eccleſiæ, vt in hoc caſu, & in ſimilibus, tunc totum illud ius poſitum eſt in fauorem illius Religioſi, & ad ſubueniendum eius imbecillitati: ergo nō debet illum impedire, quominùs ſubeunte tractu temporis poteſtate perfecta deliberandi, perficere poſſit contractum, vel profeſſionem; nec opus illi ſit Religionis, vel Abbatis conſenſus: quando autem defectus profeſſionem irritans ex vtraque parte ortum habuerit, tunc neceſſarium cenſemus, vtranque partem debere denuò legitimum conſenſum, & efficacem præſtare. Ita Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib.* 12. *cap.4 q.7.*& Sanchez *lib. 7. de matrimon. diſput. 37. num. 363.*

3. Exemplum erit in defectu anni probationis: nam, cùm probationis annus in vtriuſque partis fauorem ſit introductus, vt altera alterius mores experiatur, & cùm hoc impedimendum, vt ſimpliciter irritans, ſit à Concilio Tridentino poſitum, conſequens eſt, per huiuſmodi defectum, vtriuſque partis voluntatem irritam fieri; & ideò tunc neceſſaria erit noua voluntas, etiam ex parte Abbatis, quæ vim habeat denuò admittendi ad profeſſionem Religioſos. Quod pariter intelligendum eſt, quoties defectus irritauerit profeſſionem ex parte Religionis. Itaque concludendum, quòd vbi irrita fuerit profeſſio ex aliquo defectu, ſi defectus ille erit reciprocus, tam ex Abbatis, quàm ex profitentis parte; tunc mutuus conſenſus, ablato defectu, & mutua nouæ profeſſionis validitas requiritur. Si verò ex parte vnius tantùm; ex illa tantùm parte requiretur conſenſus, & primo caſu dicetur noua profeſſio: ſecundo, profeſſio ratificata. Ita Suarez *loco cit*, Et quoad hoc ſatis erit.

Quo verò modo profeſſio inualida ratificari poſſit, dico, aliquas eſſe profeſſiones ita intrinſecè inualidas, vt nullo modo poſſint ratificari, vt, verbi gratia, ſi quis emitteret profeſſionem in Religione non approbata à Sede apoſtolica; non poteſt ratificari vllo modo, niſi per Sedem apoſtolicam *ex capite finali de religioſis Domibus, in 6.* vel, vt meliùs dicam, profeſſio 4. perpetui amentis nunquam reualidari poteſt, vt Sanchez *lib.5.in præcepta Decalogi, cap.4.num.* 2.& Laurentius de Peyrinis *tom.2.de Prælatis, quæſt.3. cap.1. §. 5. num. 142.* vbi *num. 143.* dicit, quòd profeſſio à principio inualida curſu temporis, ablatis impedimentis, non validatur; ſicut & nos diximus *ſuprà*: vnde, ſi profeſſus fuerit ante 16. annum completum, poſt impletionem dicti anni profeſſio illa inualida ex hoc ſolùm non validatur, ſed requiritur conſenſus nouus, & profeſſio noua.

5. Ad ratificandam verò profeſſionem requiritur, vt ratificans cognitionem habeat inualiditatis profeſſionis: ſine enim tali ſcientia non poteſt nouus conſenſus, & noua voluntas ſufficere ad profeſſionem ratam habendam. Quapropter non dicitur illam confirmare, quando putans fuiſſe validam à principio, eam approbat. Ita Nauarrus *in Manuali, cap.12.n.71.* Graſſius 1. *part. deciſionum, lib. 3. cap. 5. num.* 22. Sanchez *loco citato, num 59.* Bartholomæus à Sancto Fauſto *lib.5.theſauri Religioſorum, quæſt. 251. num. 1.* Laurentius de Peyrinis *tom. 2. de Prælatis, quæſt. 3. cap.1. num.144.* vbi *num. 145.* dicit quòd ſi profeſſio fuit irrita, non ratione inhabilitatis profitentis; ſed, quia metu, aut dolo, aut fictè emiſſa eſt, non requiritur nouus conſenſus Monaſterij ad eam validandam; ſed ſufficit liber conſenſus profeſſi, qui ſciens ſuam profeſſionem irritam fuiſſe, & eſſe, vult eam ratam habere. Ratio eſt: quia conſenſus Monaſterij iam ab initio profeſſionis illius validus fuit, vt *ſuprà* diximus. Sanchez *lib. 7. de matrimonio, diſputat. 37. num. 60.* Nauarrus *lib.3.conſil. de Regularibus, conſil.50.numero* 1. Suarez *tom. 3. de Religione, libro 7. cap. 1.numero.* 16. Emmanuël Sa *in Aphoriſmis, verbo, Religio, num* 33.

6. Quando verò Profeſſio fuit irrita ratione cuiuſcunque inhabilitatis, ad illam reualidandam ſufficit nouus conſenſus profeſſi, abſque alia acceptatione Monaſterij: quia, licèt Monaſterium non potuerit legitimè acceptare, Summus tamen Pontifex pro bono Religionis, & conſolatione, profeſſionem acceptat nomine Religionis. Ita habetur *in cap. Significatum. de Regularibus, in 6.*& Nauarrus *loco citato, conſil.27. numero 2.* Syluester *verbo, Religio, 5. quæſt.* 2. quicquid dicat Azorius *lib. 1. inſtitutionum moralium, lib.12. cap.4 quæſt.7.*

7. Si autem Nouitiatus fuit inualidus: quia, verbi gratia, Nouitius habebat vxorem, & ſine illius conſenſu ingreſſus eſt Religionem, vel alia de cauſa, ceſſante impedimento propter mortem mulieris, profeſſio illa iam ſequuta per ſolum conſenſum profitentis reualidari poteſt, ſi impedimentum eſt ſecretum, ſiue publicum, per conſenſum Prælati, & Monaſterij, abſque nouo Nouitiatu. Ita Sanchez *de matrimonio, l.7. diſputat.37.num.47.* Portellus *in dubiis regular. n. 51.* Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorum, diſputat. 14 dub.5. num.6.*

8. Si quæras, an Nouitiatus ſit interruptus, quando aliquis Oblatus, vel Conuerſus ad ſtatum Clericorum transfertur, & conſequenter ſit iterandus. Reſpondeo, quòd non eſt iterandus: quia ſufficit, vt per vnum annum maneat ſub obedientia Prælati, & tunc probationis annum legitimè impleuit, maximè cùm Nouitius non teneatur, omnes aſperitates Regulæ experiri in ſpecie; ſed ſatis eſt, ſi probet in genere.

perseuerando sub dicta obedientia Prælati per annum. Ita Suarez *tom. 3. de Religione. lib. 5. cap. 14. num. 15.* Rodriquez *tom. 3. quæstionum regularium, quæst. 5. art. 10.* Sanchez *in præcepta Decalogi, lib. 5. cap. 4. num. 52.* & Bartholomæus à Sancto Fausto *in thesauro Religiosorum, lib. 5. quæst. 249. num. 3.* Laurentius de Peyrinis *tom. 2. de Prælato, quæst. 3. c. 1. num. 66.*

9. Sed remanet difficultas, an Conuersi, & Oblati cum authoritate Sedis apostolicæ translati ad Clericorum statum, habitis suorum Abbatum licentiis, debeant capitulariter recipi ad professionem, sicut Nouitij Clerici recipiuntur à Capitulo Monasterij. In hac re Laurentius de Peyrinis *loco citato num. 150.* putat, quòd Breue apostolicum pro illis obtentum inspiciendum sit: si enim, dicit ille, Summus Pontifex assumat Conuersum ad statum Clericorum cum illa clausula, *attento, quod ad id idoneus reperitur*; tunc non est necessaria Monasterij approbatio: quia Summus Pontifex supplet consensum Monasterij, siue commutat. Si autem dicat Summus Pontifex in tali Breui, *quatenus ad id idoneus reperiatur*: tunc dicendum est, requiri Monasterij consensus. Et hoc intelligendum est, si in breui exprimatur idoneitas ad professionem, & approbetur; quòd si solùm exprimitur, & approbatur idoneitas ad Clericatum, adhuc requiritur approbatio Capituli, sicuti requiritur in Nouitiis Clericis, ad hoc, vt ad professorum statum admittantur.

10. Qui bona fide inualidè professus est, potest retinere locum licitè, quem obtinuit vigore inualidæ professionis. Ratio est: quia, licèt professio irrita non incipiat esse valida, nisi à tempore ratificationis, vt docet Nauarrus *lib. 3. consil. de Regularib. cons. 28. num. 3.* tamen bona fides, quæ operatur, quòd Nouitius non amittat, quod putabat esse suum, dabit etiam prædictum locum præfato Nouitio: de qua re videatur Tiraquellus *in tractatu de causa cess. limitat. 32. num. 16* & expressiùs Laurentius de Peyrinis *tom. 2. de Prælatis, quæst. 3. cap. 1. num. 152.* Nauarrus *loco citato, num. 4* Rodriquez *tom. 3. quæstionum regularium, quæst. 17. artic. 3. in fin.* Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorum, disputat. 14. dub. 2 num. 2.* Rota coram Seraphino 1361. *num. 5.* Grassius *tom. 1. consilior. lib. 3. de Regular. cons. 6. num. 18.* In Congregatione tamen nostra Vallumbrosana puto aliter esse dicendum, sicut & in nonnullis aliis Congregationibus. Ratio est, quia supradicti Doctores, & præsertim Laurentius de Peyrinis *loco citato*, & Bartholomæus de Vecchiis *similiter loco cit*, dicunt, posse retinere locum: quia hæc est res parui momenti: ergo, si erit res magni momenti, sicuti est in nostra Religione, & in quibusdam aliis, & etiam in Religione Minimorum, vt fatetur Laurentius de Peyrinis *loco citato*, contrarium dicendum erit.

11. Aduertendũ tamen circa hoc, quòd si professio fuit inualida, non ratione defectus ætatis, vel anni probationis, sed ex alicuius alterius conditionis requisitæ ad validitatem professionis defectu, tunc procuranda est dispensatio secretò: & ita professus potest retinere locum, quem habuit ratione inualidæ professionis bona fide emissæ: atque ita puto intelligendos esse Authores supracitatos, qui cum Suarez *tom. 3. de Religione, lib. 7. cap. 1. num. 34.* dicunt, quòd, intercedente bona fide, valdè consentaneum rationi est, vt Prælati facilè concedant ei, qui ratificat professionem, locum, quem acquisiuit in professione aliàs inualida.

12. Si autem professio fuit inualida defectu temporis quoad ætatem, vel probationem, non puto bonam fidem: maximè in præiudicium tertij, sicut de facili contingere potest, sufficere, ad hoc vt taliter professus retineat prædictum locum. Quoniam autem tempore prædicto professo locum antiquitatis sibi competat; in aliquibus Congregationibus practicatur, vt ita professi, non à die inualidæ professionis, neque à die ratificationis; sed à die, in qua professio, si emissa fuisset, fuisset etiam valida, atque ita bona fides non derogat tertio, cùm non tollat alicui locum, quem ratione validæ professionis obtinuit, & est fauorabilis ei, qui tali fide inualidam emisit professionem, cùm ei concedat locum, quem valida professio tunc emissa concederet. Et ita manifestè improbabilis apparet sententia Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 37. n. 66.* vbi dicit, quòd inualidè professus potest retinere prædictum locum, etiamsi mala fides intercesserit.

Qui verò bona fide professionem emisit, vt diximus durante bona fide primum locum sibi præscripsit per spatiũ triginta annorũ, vt in iuribus personalibus requiritur, & potest dicto primo loco frui, dummodo aliquis non contradicat: si verò contradiceret, re detecta, post quatuor annos à præscriptione finita, impetrata restitutione in integrum Superior tenebitur illi primum locum restituere; non enim potest vllus e sua inscius, & non negligens priuari: si autem bona fide durante legitimè non præscripsit, accedente mala fide tenetur in conscientia restituere illud, quod suum non est. Ita Laurentius de Peyrinis *loc. cit. n. 152. in fi*, vbi ait, hoc affirmare omnes Doctores, qui agunt de præscriptione, & de bona fide. 13.

Si quæras, an in casu quo quis vellet professionem inualidam ratificare propter aliquod suum scrupulum, stante inhabilitate publica personæ, an sint necessariò repetendæ cæremoniæ, quæ in professione emittenda fieri solent. Sanch. *loco cit. de matrim. lib. 7. disp. 37. num. 66.* Azorius *institutionum moral. tom. 1. lib. 12. cap. 4 q. 7.* Nauar. *loco cit. cons. 27. n. 2.* Laurent. de Peyrin. *loco cit. num. 151.* dicunt, non esse necessariò repetendas tales cæremonias, maximè cùm iam exhibitæ sint in emissione professionis, & non sint de substantia. 14.

QVÆSITVM XVIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares, vel alij, ad quos spectat, Nouitios ad professionẽ admittere, possint aliis delegare, vt dictos Nouitios ad professionem admittant, & an possint eandem professionem in aliquo casu prorogare, & differre.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & alij Superiores regulares potestatem ordinariam recipiendi Nouitios ad professionem habentes, possunt eandem potestatem aliis delegare.*
2 *Professionis emissionem potest Abbas ex iusta causa prorogare vltra annum, & num. 4.*
3 *Probationis annus, sicut & admissio, ac receptio Nouitiorum ad professionem, in fauorem recipientium, & recipiendorum instituta sunt.*
5 *Prorogatio emissionis professionis an requirat consensum Nouitij.*

QVoad primam partem quæsiti dicendum est, authoritatem recipiendi Nouitios ad professionem, delegari posse ab Abbatibus, aliisque Prælatis tali authoritate ordinaria fruentibus, Probatur ex Rota Romana *in antiquis decis. 4. de Regul.* vbi habetur professio

professionem fieri posse per Monachum in manibus Abbatis, vel alterius ab Abbate potestatem habentis. Idem docent Cucchus *lib. 3. instit. maior. tit. 1. de Regul. num. 54.* & Bartholomæus de Vecch. *in praxi Nouit. disp. 12. dub. 1. num. 17.* & Rodriq.. *part. 2. Sum. cap. 8. num. 13.*

Hic obiter dicendum erit, potestatem recipiendi Nouitios, posse aliis delegari, vt benè probat idem Bartholomæus de Vecch. *loco cit. disput. 7. dub. 1.* vbi non solùm ostendit *num. 5.* Ministris Prouincialibus integrum esse, receptionem Nouitiorum posse aliis delegare, verùm etiam illos habere talem potestatem ordinariam, & originaliter; ordinariæ autem, & originalis potestatis est, vt aliis possit delegari, vt fatentur omnia iure.

2. Quo ad secundam partem quæsiti, Concilium Tridentinum *suprà* allegatum *cap. 16. de regul. sess. 25.* statuit, quod *finito tempore Nouitiatus Superiores Nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos eiiciant* Nihilominùs possunt Superiores ex iusta causa prorogare professionis emissionem vltra annum, vt sacra Congregatio Cardinalium Concilij censuit, teste Grassio *decis. aur. part. 1. lib. 3. cap. 5. num* 16. Et probabitur primò *per l. Preces. C. de appell.* vbi habetur, quòd à iure antiquo nullatenus est recedendum, nisi quatenus per nouum aliquid expressè fuerit innouatum: at de iure antiquo ante Concilium licitum, & in consuetudine, & vsu erat, quòd Nouitiorum professio, interueniente iusta causa, prorogaretur, nec per præfatum Concilium expressè hoc videtur innouatum, nec reuocatum: ergo antiquum ius, & vsus attendi debet, & per consequens differre licet. Quòd Concilium illud non innouet, nec reuocet, nec statim profiteri cogat, probatur ex valore illorum verborum Concilij: *Quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant.* vbi admittere ad professionem non est ad profitendum cogere sed ad id eos recipere: sunt enim inter se diuersa; & ex diuersis non fit illatio, vt *in l. Papinianus. ff. de minor.*

3. Quibus adde, quòd tam probationis annus, quàm admissio, & receptio Nouitiorum ad professionem, in fauorem recipientium, & recipiendorum instituta sunt *per cap. Ad apostolicam. de regul.* ergo, iusta causa interueniente, quamuis dispensari non possit, in anno Nouitiatus cùm sit expressè statutum; poterit tamen dispensari circa admissionem ad professionem, cùm Concil. de hoc nihil expressè statuerit, & attendendum erit ius commune, & vsus, vt iam diximus.

Consequentia patet ex eo, quod dicit Gloss. *in d. cap. Ad apostolicam.* quòd cùm hoc in fauorem, tam recipientium, quàm receptorum, sit introductum, non debet retorqueri contra eum, id, quod eius fauore introductum est, vt *l. Quod fauore. C. de leg.* & priuilegia contra priuilegiatos non sunt retorquenda. *cap. Quod ob gratiam. de reg. iuris, lib. 6.* Insuper considerabis illa verba: *Quos habiles inuenerint, ad professionem admittant.* ergo habilitate non interueniente, non sunt Nouitij ad professionem admittendi, dummodo spes probabilis interueniat, quòd intra sex menses habiles fuerint: ergo & potest differri professio iusta de causa. Videatur de hac re Nauarrus *lib. 3. consiliorum, de Regularibus, consilio* 29. & 30. quem sequitur etiam Miranda *in Manuali prælatorum, q. 15. articulo 11.*

4. Ex his ergo cõstat, quòd adueniẽte rationabili causa Nouitiatus prorogari potest completo probationis anno, adueniente rationabili, & iusta causa ad differendam professionem, vt si Nouitius nondum expleuerit tempus annorum sexdecim, vt requirit Concilium Tridentinum, priusquàm ad professionem admittatur; vel si non bene didicerit quæ necessariò discenda sunt; aut, si non sufficienter satisfecerit in probatione; vel, si aliquid obstiterit ad rectam suorum bonorum dispositionem; vel, si quid simile intercesserit. Ita affirmat Rodriq. *qq. Regul. tom. 3. q. 17. art. 10.* Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 25. art. 11.* Nauar. *cons. 30. de Regul.* Emanuël Sà *in Aphoris. verbo, Religio, num. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 5 cap. 21.* Peregrinus *loco citato, litt. C.* Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, lib. 5. quæst.* 168. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 13. num. 8.* Galuanus *cons. 12. in princip.* vbi obseruat, differri non posse professionem illorum Nouitiorum, quos superiores, expleto probationis anno, inuenerint idoneos. Barthol. de Vecchiis *disp. 11. dub. 5.* vbi *num. 2.* hoc probat, dicens, quòd à iure antiquo non est recedendum, nisi quatenus per nouum expressè receditur ab eo: cùm ergo ante Tridentinum hoc liceret, & esset in vsu, & consuetudine, requiritur & nunc licere: quod confirmatur: nam dispositio Concilij Tridentini intelligitur de Nouitijs dumtaxat, quos Superiores elapso probationis anno habiles inuenerint; non verò de illis, qui tunc propter aliquam ex narratis causis inhabiles sunt; & probabilis spes habetur, eos moderato interuallo temporis habiles euasuros, vt benè docent Grassius *part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 16.* Lessius *lib. 2. cap. 41. dub. 3 num. 59.* Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 13. num. 8.*

Aliqui tamen dicunt, in hac prorogatione Nouitiatus desiderari assensum Nouitij, eò quòd toto tempore probationis debet Nouitius gaudere libertate perseuerandi, vel recedendi à Religione. 5.

Probatur insuper hoc prædictum nostrum assertum ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium, quæ declarando decretum sacri Concilij Tridentini *sess. 25. c. 16.* quoad illa verba: *Superiores Nouitios, &c.* dicit: *Hæc verba respiciũt tantũ ad habiles; nõ autẽ ad inhabiles; & ita ex licent. a Sanctissimi Domini nostri explicare hunc textũ Illustrissimo Cardinali Carauellanense, cẽsuit Congregatio sub die 19. Iulij, 1570. quod dictum tempus Nouitiatus est arbitrarium.* Hanc declarationem ponit Bartholomæus de Vecchiis *loco citato, in fine, num 3.* Ex qua posteà infert *num. 4.* differri non posse professionem illorum Nouitiorum, quos Superiores, expleto dicto anno, habiles inuenerint. Secundò infert, Nouitios esse eiiciendos, quorum non habetur spes probabilis euasuros esse idoneos interuallo moderati temporis ad arbitrium Superioris; putà, trium, quatuor, ad summum sex mensium: & vt plurimùm hæc spes haberi non potest de Nouitiis callidis, inobedientibus, vel aliis eiusmodi vitiis irretitis. Hanc prorogationem viuæ vocis oraculo concessam fuisse Religioni Capucinorum, existente iusta, & rationabili causa, affirmat Bartholomæus de Vecchiis *loco cit. in fine, num. 4.*

QVÆSITVM XIX.

An professio excommunicati per Abbatem recepta valeat, peccétque Abbas excommunicatum ad professionem admittens.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus ingrediens Religionem, quando peccet mortaliter.*
2 *Professio ab excommunicato emissa valet.*

 3 *Abbas*

3 *Abbas ad professionem excommunicatum admittens, quando peccet.*

1. SVpponendum est, excommunicatū maiori excommunicatione non posse Religionem ingredi, & in eam recipi sine graui peccato. Ratio est, quia excommunicatio priuat omni communicatione bonorum, maximè spiritualium: huiusmodi autem ingressus haberi non potest sine tali communicatione. Ita docent Auila *de censuris, part. 2. cap. 6. disputat. 6. dub. 6.* & Suarez. *tom. 5. de Religione, lib. 5. cap. 4. num.* 18. Et procedit ex parte recipientium, non solùm recepti, quando excommunicatio est notoria. Si autem excommunicatus petat ingredi Religionem ea intentione, vt in tali ingressu statim absoluantur, & eadem Religio absoluendi potestate fruatur; tunc nullum erit peccatum, nec ex parte recepti, nec ex parte recipientium. Imò Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorum, disp. 5. dub. 2. num. 1, in fine*, ait si excommunicatus sit nominatim denunciatus satisfacta parte non censeri inhabilem ad Religionem, in eo casu, quo Religiones gaudeant priuilegio eum absoluendi. Est ergo validus ingressus Religionis, etiamsi excommunicatus eum culpa ingrediatur, vt satis constat. Sed superest videre, an sit valida professio, de qua maior est difficultas.

2. Dico quòd professio ab excommunicato emissa valet: quia non est acquisitio beneficij, sed status, vt ait Couarruuias 4. *decretarum, 2. p arte, cap. 6. num. 3.* Henriquez *lib. 13. de excommunicatione, cap. 7. n. 7.* Nauarrus *comment. 4. de Regularib. num. 25.* Rodericus *2. parte Summa, cap. 8. num. 10.* & alij. Et ratio diuersitatis est, quòd acquisitio status est quasi acquisitio cuiusdam caracteris Ordinis, qui perpetuò durat, vt per Nauarrum docetur *commentar. 2. de Regularibus, num.* 67. Ius verò percipiendi beneficium impeditur per simoniam, & excommunicationem, donec absolutio, & dispensatio subsequantur. Et ita affirmant, Felinus *in cap. Cum illorum. de sententia excommunicationis, num.* 2. Suarez *loco citato, num* 18. Ioánes de Lignano *de sententia excōmunicationis, tractatu* 14. Nauarrus *lib. 3. conf. 3. num. 1. in secunda editione* Rodriquez *tom. 3. quæstionum regularium, quæst. 17. artic.* 14. Henriquez *lib. 13. de excommunicatione, cap. 7 num.* 7. Sayrus *de censuris, lib. 2. cap. 9. num.* 18. vbi alios Doctores refert, & sequitur, Bartholomæus de Vecchiis *disputatione quinta, dubitatione 2. numero* 2. vbi *numero* 3. aduertit, quòd si virtute alicuius rescripti apostolici admittatur excommunicatus, tunc talis professio est inualida; quia illud rescriptum ab excommunicato impetratum est irritum, *cap. 1. de rescript. lib.* 6. Idem docent Felinus *loco citato*, vbi allegat Calderinum, & Rodriquez *loco citato*, vbi refert Geminianum, & Socinum. Idipsum docent Sayrus, & Rodriquez *locis citatis*, dummodo in rescripto nō sit clausula apponi solita, vt impetrans ab omni censura absolui possit.

Probatur itē argumēto matrimonij carnalis ad spirituale; quòd sicut valet matrimonium per excommunicatum contractum, *cap. Significasti, de eo, qui duxit in matrim.* Ita spirituale hoc vinculū tenet. Adde etiam, *cap. Cum illorum. de sent. excommun.* vbi Panorm. & Felinus dicunt, excommunicationem non impedire ingressum Religionis, neque professionem: dicitur enim in illo textu, quòd existens in sæculo ex delicto commisso confugiens ad Religionem, absolui poterit: ergo professio tenebit.

Idem tenet Specul. *in tit. de Relig. in fin.* Facit etiā, quòd post professionem simoniacè factam Monachus non redit ad sæculum, *cap. Quoniam. de simon.* sed est detrudendus per illum text. in aliud Monasterium sui Ordinis: ergo professio tenet. Quòd si non inueniatur tale Monasterium, in quo detrudi possit, manebit dispensatiuè in illo, ne damnabiliter euagetur: ergo significatur, eum esse professionis vinculo alligatum. Et hæc satis erunt pro isto articulo.

Abbas autem ad professionem excommunicatum admittens, si non est denunciatus, nec publicus Clerici percussor, non peccat: quia non est euitandus, nec prohibitum est, cum eo communicare: si autem excommunicatus erit denunciatus, aut notorius Clerici percussor, quoniam cum tali excommunicato communicatio est prohibita à iure, eum ad professionem admittens peccabit: sed, quia non communicat cum illo in diuinis, erit veniale peccatum tantùm, nisi in professione addantur aliquæ preces ab Ecclesia institutæ; tunc enim tam profitens, quàm recipiens, necnon & astantes, mortaliter peccarent: In diuinis enim cum illo communicarent. Ita Barth. à S. Fausto *in thes. Relig. lib. 5. q.* 223. 1.

QVÆSITVM XX.

An Abbas censura innodatus ad professionem aliquem admittere valeat.

SVMMARIVM.

1 *Admittere ad professionem non est actus iurisdictionis, sed superioritatis, ideò Abbas aliqua censura detentus validè ad professionem admittit.*
2 *Suspensus Abbas ab admissione professionis, peccaret mortaliter, admittendo aliquem ad professionem, propter violationem censura, professio tamen valida esset.*
3 *Professio simoniacè facta an teneat.*
4 *Matrimonium contractum coram Parocho, cui interdicta est assistentia, validum est.*

QVia acceptatio ad professionem, non est propriè actus iurisdictionis, sed superioritatis, vt docent Dominicus *in cap. Constitutionem. §. In aliis. num.* 6. Tabiena *tit. Nouitius, num. 8. in fine*, Rosella *eod. tit. num. 22. in fine.* Sanchez *in precept. Decal. lib. 5. cap. 4. num.* 78. non video, cur Abbas aliqua censura detentus inualidè professionem admittat: Abbas enim aliqua censura irretitus adhuc Superior est: quòd si existat suspensus ab admissione professionis, dicendum est, illum mortaliter peccare, si ad professionem admittat, propter violationem censuræ; tamen professio illa erit valida: quia actus iurisdictionis à suspenso irriti sunt, non autem actus ille acceptationis ad professionem; quia est actus superioritatis, non iurisdictionis. Ita Bartholomæus à Sancto Fausto *in thes. Relig. lib. 5. quæst. 225. 226. & 227.* 1. 2.

Hinc obiter resoluitur, an simoniacè professio facta teneat: dico enim valere. Ita colligitur *ex cap. Quoniam. de simon.* vbi statuitur, Professum simoniacum haud in eodem Monasterio manere debere; sed in aliud eiusdem Ordinis detrudi. Quòd si aliud Monasterium eiusdem Ordinis non reperiatur, in priori, vbi pœnitentiam agat, detineatur, ex quibus infertur, professionem validam esse: quia eius valor ibi supponitur. Ita sentit Nauar. *de Regular. comm. 4. num.* 25. Rodriq. *quæst. reg. tom. 3. q. 63. art.* 3. 3.

Hoc idem probatur ex eo, quòd Parochus, cui interdicta est matrimonii administratio, validè assistit Monasterio ex Sanchez 3. *de matrim. disp.* 21. *num.* 11.

num. 11. & 12. vbi refert, ita decisum fuisse à S. Rota Romana *tom.* 1. *decis.* 429. & 570. *in nouissimis*, & Sacra Congregatio Cardinalium censuit, validum esse matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interueniat: ergo idem dicendum est de professione coram Prælato suspenso emissa, cùm per eam matrimonium spirituale contrahatur, *ex cap. Inter corporalia*, vbi Panormit. *num.* 10. *de transl. Episcopi*. Rebuffus *cons.* 69. *num.* 9. Purpuratus *cons.* 188. *num.* 2. & 3. *lib.* 1. Berosus *lib.* 1. *cons.* 58. *à num.* 3. Giouagnon. *respons.* 50. *n.* 54 *lib.* 1. Argumentum autem de matrimonio carnali ad spirituale valere, hucvsque docuimus, *ex cap. Inter corporalia. cap. vlt. de transl. Epis. cap. Cùm inter Canonicos, de elect. cap. Quoniam frequenter*, §. *Porrò, vt lite non contest.* & docent DD. quos citat, & sequitur Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouitiorum*, *disput.* 12. *dub.* 1. *num.* 6.

QVÆSITVM XXI.

An professio facta in manibus Episcopi sine Abbatis, & Conuentus licentia valeat.

SVMMARIVM.

1 *Religio si exemptione non gaudeat poterit Episcopus sine licentia Abbatis, & Conuentus, ad professionem admittere: secùs si gaudet exemptione.*
2 *Facultas admittendi ad professionem potest delegari.*
3 *Episcopus, si sub spe ratificationis ab Abbate facienda admittit aliquem ad professionem, an illa sit valida.*
4 *Consensus interior non sufficit ad humanum contractum perficiendum.*

1. SI Religio exemptionis priuilegio non gaudet, poterit Episcopus propria authoritate Nouitium ad profitendum in tali Religione admittere: est enim proprius eius Prælatus, prout Abbas, vel Generalis, aut Prouincialis in Religione exempta. Atque ita intelligendus est Innocentius *in cap. Porrectum, num.* 5. vbi per text. *in cap. Si vir.* 27. *q.* 1. docet, quòd potest quis fieri Monachus faciendo professionem alicuius Regulæ approbatæ in manibus Episcopi: quem sequuntur Host. *n.* 14. Ioan. Andreas *n.* 4. Anchar. *n.* 7. omnes *in d. cap. Porrectum*. Sed si talis Religio ab Episcoporum iurisdictione exempta sit, vt sunt hodie ferè omnes Religiones, clarè patet, non posse Episcopum authoritate sua aliquem ad talem Religionem admittere: non enim habet in illam iurisdictionem ad hunc actum necessariam. Ita docent Abbas *in d. cap. n.* 12. Nauar. *cons.* 6. *à num.* 2. *in antiq. alias cons.* 4. *in nouis, tit. de regul.* Sanchez *lib.* 5. *in Decal. cap.* 4. *num.* 74. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 5. *quæst.* 4. Emanuël Rodriq. *qq. regul. tom.* 3. *quæst.* 17. *art.* 11. vbi subdit, quòd textus citatus *in cap. Si vir*, qui videtur concedere
2. facultatem, vt professio fiat in manibus Episcopi, intelligitur de Episcopo, cui Monasterium, in quo profitetur Nouitius, subiectum est, sicut olim erant omnia Monasteria. Insuper talis Religio semper habet peculiarem acceptandi modum à Sede apostolica confirmatum. Dixi, *authoritate sua*: quia, si Episcopus, nomine Abbatis, vel alterius, qui habet iure ordinario facultatem incorporandi in Religione, alicuius professionem admitteret, valebit talis professio: nam facultas admittendi ad professionem potest delegari, sicut & alij actus iurisdictionis, cùm hoc nullo iure prohibeatur, nec in tali potestate adsit conditio aliqua specialis, ob quam non sit delegabilis, vt notat

Syluest. *verb. Religio*, 3. *q.* 18. Quòd si Episcopus, 3.
quamuis non habens facultatem ab Abbate, vel ab alio Prælato Religionis; tamen non proprio; sed ipsius Prælati nomine, talem professionem recipiat sub spe ratificationis, si deinceps ratificatio sequetur; professio erit valida. Ita tenet Syluest. *vbi suprà*, & Ang. *verb. Professio*. Quòd si ante ratihabitionem matrimonium contrahat, accedente Prælati assensu, validum erit: quia persona ex vi illius professionis non remansit inhabilis ad matrimonium contrahendum, cùm 2
non fuerit recepta à persona habente potestatem, vt tenent supradicti Doctores, & Læl. Zecch. *de Republ. eccles. tract. de Regular. cap.* 3. *n.* 11 & *n.* 6. & 7. tenet huiusmodi professionem sub spe ratihabitionis de futuro in manibus Episcopi factam, irritam, & nullius esse momenti: quia pro tempore, quo nondum Abbas, vel alius Superior eam ratificauerit, certum est, nullam esse, nec constituere profitentem in statu regulari, vt dictum est, & à nemine negatur. Hinc fit, vt habita ratihabitione Superioris, oporteat profitentem de nouo suum assensum præbere, vt professio incipiat valere: quia prior consensus non fuit validus, nec effectum sortitus est: ergo necessarium est denuò profitentem consentire. Quod confirmatur: nam certum est oportere, vt talis persona non reuocet consensum: quia, si nolit professione facta ligari, quamuis Superior eam ratificet, ratihabitio postea sequuta nullum habebit effectum: quia tempore, quo fit, & quando, & quomodo professio deberet incipere valida esse, non reperit permanentem consensum alterius partis, sine quo reciproca huiusmodi obligatio perfici non potest: ergo ad minus necessarium est, vt moraliter perseue-
ret in priori voluntate: & hæc perseuerantia exteriùs 4.
constare debet; interior enim consensus non sufficit ad humanum contractum perficiendum, nisi de illo possit sufficienter constare tempore, quo contractus perficitur: & hoc est moraliter iterare consensum siue fiat per expressum, siue tacitum signum perseuerandi in ea voluntate. Ita subtilissimè Suarez *loco citato*.

QVÆSITVM XXII.

De his, quæ circa formam professionis ab Abbate sunt prænoscenda.

SVMMARIVM.

1 *Professio vt perfecta sit, necessaria est aliqua forma, qua mutuus Religiosi, & Religionis consensus declaretur.*
2 *Consensus tam Abbatis, quàm profitentis, quomodo ostendatur.*
3 *Profitentis ex parte an sit necessaria scriptura.*
4 *Scriptura debet à profitente publicè legi, & coram testibus.*
5 *Professionis ad formam necessarium est, vt tria vota essentialia exprimantur in ordine ad specialem Religionem approbatam.*
6 *Professio, per quam quis se tradit alicui Religioni in genere, non tenet.*
7 *Professionis formæ adhuc necessarium est, vt nihil contineat, quod Religionis substantiæ repugnet, ne professio inualida reddatur.*
8 *Professio an possit fieri nutibus.*

QVoad primam huius quæsiti partem notandum, 1.
quòd ad hoc, vt professio perfecta sit, & obligatio reciproca, necessaria est aliqua forma exterior, qua mutuus consensus Religionis, & Religiosi sufficienter

cienter declaretur. Quod ex eo patet : quia,cùm professio humanus contractus censeatur, in quo quamuis interior consensus concurrere debeat, non tamen eo solo perficitur; nequeunt enim contrahentes mutuos inter se consensus, absque externis signis agnoscere, aut acceptare, nec absque aliquo sensibili indicio ad instar matrimonij fieri possunt: hæc autem forma attendenda est, tam,ex parte profitentis,quàm Abbatis professionem recipientis.

2. Ex parte Abbatis recipientis, dicendum est, quòd si eius consensus præsupponatur,tamen ordinariè nulla verborum forma requiritur;sed solùm signum aliquod, seu demonstratio exterior, qua indicat se professionem acceptare, vt probat Suárez *de Relig. 3. tomo, lib. 6. cap. 16. num. 2.* Et roboratur testimonio Regulæ Sancti P. Benedicti *cap. 58.* & ex consuetudine ferè omnium Religionum.

Ex parte autem profitentis dubitari posset, an sit necessaria scriptura,vt per illam expressa professio fiat: quod euacuatur *ex cap. Porrectum. de Regular.* vbi colligitur, non esse necessariam scripturam,sed solam profitentis vocem. Ita Gloss. *in cap finali,verb. Scriptis*, 20. *q.* 1. & Alexander de Neuo *in cap. Rursus. num.* 14 *qui Cler. vel vouent.* Syluest. *in. Relig.* 3. *q.* 1. Panormitan. *in d. cap Porrectum. num.*2. & *in cap. Nuper. de testib. in princip.* Zanardus *in direct. Theol. part.* 1. *cap* 26. *num.* 14. Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disp.* 13. *dub.* 2 *num.* 3. vbi citat Rosellam, Tabienam,& Armillam, qui omnes Doctores loquuntur de iure communi.

3. Dices,quòd hodie ferè inter omnes Congregationes non solùm Monachorum; verùm etiam Mendicantium professio in scriptis traditur : quod præcipuè seruatur à Monachis militantibus sub Regula Sancti Benedicti, cùm hoc habeatur *in cap.* 58. eiusdem Regulæ. Vnde in hac re concludere debemus, quòd in Religione, vbi præscribitur, vt professio fiat in scriptis,talis forma erit obseruanda. Quod intelligendum erit, quando in Regula approbata, & confirmata à Summo Pontifice expresse ponitur talis conditio, vt essentialis:tunc enim si aliter fiat,professio nullitatem sapere.

Dubitari etiam poterit, an sola scriptura sufficeret ad professionem etiam expressam : vbi dicimus, quòd sic, vt videtur colligi posse ex Syluest. *verb. Religio* 3. *in princ.* asserente, professionem expressam fieri posse voce, aut scripto : ergo videtur velle, quodlibet ex his sufficere. Et hoc de iure communi: scriptura enim est tam expressum signum, sicut vox : & propterea, si ex scriptura ipsa, & ex modo illam tradendi de persona profitente, satis constare posset, & quòd scripturam illam tradat animo emittendi professionem, & eodem animo ab Abbate, vel alio facultatem habente recipiatur, ex ipsa rei natura ad validitatem professionis satis erit.

4. Communis tamen Religionũ consuetudo requirit, vt talis scriptura ab ipso profitente,si id facere valeat, aut sciat, publicè legatur,vt ait Suar. *loco citato, num.* 4. Verùm in hoc particulares Religionum constitutiones, & statuta specialia erunt attendenda : aliquando enim potest essentialiter requiri, vt professio non solùm scribatur; verùm etiam publicè legatur. Præterea Clemens VIII. in Bulla, quæ incipit: *Cum ad regularem disciplinã* hoc præcepit:*Superior cuiuslibet Cõuentus,in quo Nouitiatus fuerit constitutus,particularẽ librũ habeat,in quo vniuscuiusque Nouitij professio registretur,illamque Nouitius professus propria manu, & duo testes,qui præsentes fuerint,subscribat:Conuersus verò litterarũ ignarus,Professus,in eorundẽ testiũ, qui se subscripserint,præsẽtia,propria mãu,signũ Crucis apponat,asseruetúrque liber,& custodiatur in Archiuio,vbi scriptura ad Monasterium,seu Conuentum pertinentes reponi consueuerũt.* Idem decreuit Sixtus V. *in sua constitutione* quæ incipit:*Cum de omnibus* & etiam S. Congregationẽ Cardinalium idipsum præcepisse,refert Sorbus *in Compend. priuileg. tit. Nouitius,de emiss. profess. Nouit.* Sed dubium est,an oporteat,talem professionem fieri coram testibus. Cui breuiter respondetur,quòd cùm nihil certi de hoc in iure reperiatur,si huius actus natura attendatur,proculdubiò requiritur ad hoc, vt conuenienter fiat, eam esse admittendam coram testibus. Ratio,quæ hoc videtur suadere, est, quòd cùm profitens specialem Ecclesiæ statum assumat necesse est, ita professionem emittere, vt de illa possit Ecclesiæ constare, & hoc de conuenientia : nam professio sic facta inter eum, qui potestatem habet recipiẽdi,& eum,qui vult profiteri, non reperitur in iure communi prohibita. Consulenda sunt autem specialia Religionum statuta. Sed modò, vt diximus *supra*, extat constitutio Clementis VIII. ex qua colligi potest,professionem fieri debere coram testibus.

Est autem necessarium ad hanc formam, vt per
eam exprimatur obligatio trium votorum, scilicet, 5.
obedientiæ, paupertatis, & castitatis, quæ sunt substantialia Religioni, *cap. Cum ad Monasterium. de Regular.* Necnon oportet, quòd talis obligatio fiat in specie determinatæ Religioni approbatæ. Ita habetur *in cap. Vnic. de votis, in* 6. Angel. *verb. Professio.* Anton. *in cap Rursus,qui Clerici,vel vou.* Nauar. *cõm.* 2. *de Regular n.* 5. S Thom 2.2.*q* 88. *art.*7. vbi dicit, votum solemnizari per professionem certæ Regulæ. Videtur etiam hoc expressum *in cap. vltimo,de relig.
Domibus*,vbi habetur, quòd quicunque ad Religio- 6.
nem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumet: vnde professio,per quam quis se tradit alicui Religioni in genere, v.g. vni ex Mendicantibus,non tenet:& si huiusmodi profitens posteà matrimoniũ contrahat,
licet peccet;tamen matrimoniũ erit validum.Ita tenet 7.
Syluest. *verbo,Religio,*3.*num.*18.*verbo*, 3 Est insuper necesse ad supradictam formam, vt in professione nulla extet conditio Religionis substantię repugnans: puta,si quis emittat professionem cum conditione,vt exire possit,si Religionis asperitates ferre non valebit vt possit retinere sua bona,viuere arbitratu suo,& his similia:quia tales conditiones irritam redderent professionem, ita vt nullam reduceret obligationem.Ita Gloss. *in cap.vlt. de condit. appos.* & ibi Card. & Panorm. quos sequitur Syluest. *verbo, Religio*, 3. *q.* 67. & 8. idẽ tenet Angel. *verbo,professio*,& *verb. Religiosus,num.* 19. Gloss. *in cap. Monachi. verb. administrationem,de stat. Monach.* Innoc. Hostiens. & Abbas *in cap. Insinnante,qui Clerici,vel vou.* idem Abb *in cap. Edocere,de rescriptis*,vbi Dec. *num.* 5. Turrecremata *in cap. Non dicatis.*12.*q.*1.*art.*4. Couar. 4 *decret.*2.*p. cap.*3.*§.* 1.*n.*18. Azor. *instit. moral. lib.* 12.*cap.*5 *q.*2. Less. *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 7. *n.* 63. Rodriq. *quæst. regular. tom.* 3. *q.* 17. *art.* 6. Ratio est : quia deficiente parte substantiali, aut consensu in illam, contractus perfici non potest ; & per consequens,nec etiam professio, *arg. cap. Tua nos. de spons.* Rursus emittendo professionem cum huiusmodi conditionibus non intendit quis se adstringere ad omne id, quod est de Religionis substantia : ergo non habet intentionem hoc promittendi, imò potiùs contrarium per tale pactum declarat ; sed ablato substantiali, tota res destruitur : ergo. Videatur latiùs de hac re Suar. *loco citat. num.* 14. & *seq.*

Si quæras, an professio possit fieri nutibus. Res- 8.
pondeo affirmatiuè : quia sufficiunt nutus ad omnes actus, in quibus pro forma non requiritur loquela, *l. Nam ff. de leg.*3. & Rota *decis.* 139. inter collectas

à Farinacio

à Farinacio *decis.* 189. *lib.* 1. *criminal.* Ex quo colligitur, mutum posse ex signis profiteri, vt probat Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disp.* 13. *dub.* 2. *num.* 2.

QVÆSITVM XXIII.

An pro ratificatione inualidæ professionis exquirere debeant Abbates, & Prælati regulares exteriorem profitentis consensum; & Profitens consensum Abbatum, & Prælatorum exquirere teneatur.

SVMMARIVM.

1 *Caietani sententia refellitur.*

2 *Professionis ad validitatē non sufficit interior consensus; sed requiritur etiā exterior manifestatio.*

3 *Signum externum, per quod ratificatur consensus, est duplex.*

4 *Religiosus, si sciens professionem esse inualidam, illam ratificet, validè facit; secùs si ignoret esse inualidam, & validam putans approbet.*

5 *Consensus nouus Abbatum, & Prælatorum, an requiratur in ratificatione professionis inualidæ.*

1. QVoad primam partem in sententia quorundam, cùm non videatur necessarius exterior cōsensus, & interior ad ratificationem inualidæ professionis, non debebit Abbas Monacho ratificanti præcipere, vt exteriùs manifestet suum interiorem consensum. Huius sententiæ videtur Caiet. 2.2 q. 189. *art.* 5. vbi ait: *Votum solenne ante pubertatem factum, si a parentibus statim non irritetur, nequaquam iterari posse post expletam pubertatem: quia interius ratificari præsumitur.* Ita sentit. Nauar. *Comment.* 4. *de Regular. n.* 71.

2. Opposita tamē sententia verior est; scilicet, cùm ad validandam professionem non sufficiat interior consensus, debere Abbatem exquirere à Monacho professionem validatam exteriori manifestatione. Et ratio est: quia professio, cùm non emittatur, nisi per actum exteriorem, validari non poterit, nisi per exteriorem actum: hoc autem signum exterius, per quod

3. ratificans suum consensum internum ostendit, potest esse expressum, vel tacitum; quia vtrumque, licèt diuerso modo, sufficit ad ratificandam professionem: quod supponitur in Conc. Trident. *sess.* 25. *c.* 19. Vnde ratione taciti consensus videtur, esse locutos Caiet. & Nauar. *locis citatis*, vt benè probat Suar. *de Religione, tom.* 3. *lib* 7. *c.* 1. *per tot.* qui *eod. c.* infert, quando professio solùm iteratur per consensum internum in habitu externo permanendo, exteriorique obedientia persistendo, professionem illam non expressam, sed tacitam esse: quia signum illud externum non sufficit ad aliam professionem inualidam, nec sufficere internum consensum, sed requiri, vt illum Abbati manifestet: & sic intelligitur tex. *in cap.* 1. *de regul.* in 6. ibi: *Seu professionem a se prius factam ratam expressè habeat.*

4. Vnde, si Religiosus sciens præcedentem professionem esse inualidam, illam ratificet, volens, vt ex tunc firma sit, & teneat, validè facit: nam, si Religiosus ignorās dictam professionem inualidam, eam ratificet; ratificatio non subsistit: quia ratificans non censetur habere animum absolutum profitendi, sed ex suppositione falsa prioris valoris professionis factæ in illam consentit, cùm maximè contrarius sit consensui error. *l. Si per errorem. ff. de iurisd. omn. Iud. & l. Nihil consensui. ff. de regul. iur.*

5. Quoad secundam partem quæsiti, an, videlicet, ratificans professionem, exquirere debeat nouum consensum Abbatum, & Prælatorum, id est, Religionis de nouo expressè acceptantis talem ratificationem: probabiliter sustineri potest, nullum nouum requiri Religionis consensum, modò Superior, qui priùs consenserat, non reuocauerit consensum: nam tunc Summus Pontifex, & Ecclesia consentiunt, & acceptant ratificationem: cùm enim habeatur, professionem irritam certo tempore coalescere per ipsius professi ratificationem, vt statuitur *in cap. Significatum, de Regul. & cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & in Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 19. colligitur ex hoc, Summum Pontificem, qui est Religionum omnium supremus Superior, talem ratificationem acceptare, neque aliam requirere. Ita Sanch. 7. *de matrim. disp.* 37. *n* 6. Bonac. *de claus. q.* 2. *punct.* 10. *diff.* 1. *num.* 1. & alij.

Dices: Prior consensus fuit irritus; tum, quia fuit, verbi gratia, circa personam tunc inhabilem; vel, quia Superior non habuit animum se obligandi: ergo videtur requiri nouus consensus. Respondeo, licèt de facto consensus talis respectiuè possit vocari irritus; quia irritus fuit actus profitentis; in se tamen, & materialiter irritus non fuit: quia verè Religio consentit, quòd si non retractet priorem consensum, accedente consensu valido ratificantis, validatur professio, & priori consensu obligatur Religio ratificanti, sicuti ratificans ex nouo consensu obligatur Religioni. Ita Bonacina *loco citato.*

QVÆSITVM XXIV.

An Abbas iteranti professionem præcipere debeat, vt nouum annum probationis expleat.

SVMMARIVM.

1 *Probationis annus nouus quando sit necessarius ad validitatem professionis.*

2 *Ad professionem iterandam satis est tacitè, vel expressè perseuerare in tali Religione, sub tali habitu, & Superiore, per integrum annum.*

3 *Nouitiatus annus non est iterandus ad ratificandum professionem inualidam ratione consensus, seu alterius conditionis, quæ tempus non inuoluit.*

4 *Nouitiatus annus irritus ex hoc, quod Nouitius habebat tantùm animum illudendi, si postea permaneat, sufficit ad validitatem professionis.*

5 *Nouitiatus non est iterādus, dū professio irrita fuit, modò sit completus ante ratificationē professionis.*

IN hoc casu distinguendum est: nam, vel Nouitius, antequam inualidam professionem expressè 1.
emitteret, integrum probationis annum expleuerat, vel non. Primo casu non erit necessarius nouus probationis annus: quia iam supponitur sufficienter factus; absque morali interruptione; & tunc poterit statim profiteri, siue tacitè, siue expressè. Si autem integer probationis annus ab eo expletus non esset, non poterit talem professionem ratificare per aliam tacitam, vel expressam, nisi per alium integrum annum probatione permanente. Ita declaratum sæpiùs fuisse à Sacra Congregatione Cardinalium *super* 15. *cap.* Concil. Trident. *sess.* 25 refert Suar. *de Relig. tom.* 3. *lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 8. allegans ad hoc Nauarr. *in pluribus consilijs.* Sanctarel. *var. resol. q.* 48 *n.* 33. *cum seqq.* Bonac. *de clausura*, *q.* 2. *punct.* 10. *diff.* 1. *n* 5 Less. *de iustit. lib.* 2. *cap.* 41. *num* 66. Fr. Bartholom. de Vecchiis *in praxi obseruanda in admittendis ad Religionis statum Nouit. disp.* 14. *dub.* 5. *à princ.* Et ad hanc professionem iterandam dicit, satis esse, vel tacitè, vel expressè perseuerare in tali Religione sub illius habitu, & Abbatis,

Abbatis, vel Superioris alterius obedientia per integrum annum computandum ab eo tempore, quo Religiosus cognouit priorem professionem irritam esse; & nihilominus proposuit animo permanendi in Religione perseuerare. Nec refert, si eo anno actus Nouitiorum non exerceat; vel habitum professorum, non autem Nouitiorum gerat: quia, si in priori professione inualida huiusmodi habitum accepit, non est necesse, illum mutare; sed poterit sub illo defectus probationis suppleri. Et ratio est: quia neque habitus, neque Nouitiorum exercitia sunt de substantia Nouitiatus. Ita Suar. *loco cit. num.* 10.

3. Ex quibus inferri potest, non esse iterandum Nouitiatus annum ad ratificandam professionem inualidam, ratione consensus, seu alicuius alterius conditionis necessariò requisitæ, vt ratione metus: nam tunc supponitur annus probationis perfectus, & consequenter adhibita conditione, quæ deerat, omnia requisita habentur ad validitatem actus.

4. Imò Bonacina *loco suprà citato* docet, quòd licèt annus probationis fuerit irritus; quia verbi gratia, ingrediens Religionem, habet animum illudendi: si postea pœniteat, & verè habeat animum ingrediendi Religionem, si annum probationis expleuit in die ratificationis, seu professionis, verè, & validè ratificat, seu profitetur: licèt enim talis Nouitiatus formaliter esset irritus, cùm mutuo ingredientis, & Religionis consensu solùm perficiatur; materialiter tamen validus est: nam talis habetur, si ingrediens onera Religionis, & Religio mores ingredientis per annum experti fuerint, prout in casu nostro supponitur. Ita etiam docent Sanchez 7. *de matrim. disput.* 37. *num.* 46. Azor. 1. *part. lib.* 12. *cap.* 1. *q.* 6. quicquid dicant Nauarrus *lib.* 3. *cons.* 26. *num.* 17. & Rodriq. *in Sum.* 2. *p. cap.* 5. *num* 2. & alij.

5. Inferri potest secundò, non esse iterandum Nouitiatum, dum professio irrita fuit, eò quòd integro anno Nouitiatus peractus non fuerit ante professionem, modò compleatur ante ratificationem: quia verè tunc censetur completus annus probationis requisitus ad professionem validam: quod asserit etiam Bonacina *loco cit.* ex Sanchez *similiter cit. num* 48.

QVÆSITVM XXV.

Intra quod tempus Monachus contra professionem inualidam reclamare possit; & quam pœnam incurrat, si reclamet contra professionem validam.

SVMMARIVM.

1 *Reclamare contra professionem potest aliquando Religiosus.*

2 *Concilium Tridentinum, quid statuerit de huiusmodi reclamationibus.*

3 *Religiosus inualidè professus tenetur reclamare, si quinquennium nondum elapsum fuit.*

4 *Professionem ratificare an teneatur Religiosus elapso quinquennio.*

5 *Tempus, intra quod reclamatio conceditur, incipit à die professionis, siue tacita, siue expressa, vsque ad quinquennium.*

6 *Professionis dies an cōputetur in quinquennij spatio.*

7 *Beneficio restitutionis quomodo vti possit, qui ignorans, vel impeditus, intra quinquennium non potuit vti remedio ordinario.*

8 *Ignorantia probabili accedente potest quinquennium incipere a die, qua ignorans cœpit habere scientiam de nullitate professionis.*

9 *Impedimento perpetuo irritante laborans potest audiri, elapso quinquennio.*

10 *Religiosus scienter reclamans contra validam professionem, mortaliter peccat, & pœnas Apostatarum incurrit: secus, qui reclamat contra professionem inualidam, vt num 11 qui potest ignorans vti beneficio restitutionis, etiam extra quinquennium, vt num. 12.*

SVpponitur tanquam certum, posse aliquando Monachum, seu alium quencunque Regularem, contra professionem à se emissam reclamare: id enim satis probatur continua experientia, quæ huiusmodi reclamationes admittit; & asserunt Doctores, qui etiam causas, & circunstantias, seu conditiones iustæ reclamationis expendunt, de quibus *quæsit. sequenti.* Tandem Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de Regularibus, cap.* 19. dum decernit, quòd Regularis discedere volens, non audiatur, nisi intra quinquennium, supponit, Regularem posse reclamare. 1.

Tota ergo difficultas est, quando hoc ius Monachis, & Regularibus competere possit. Et ad huius rei perfectiorem cognitionem, & fundamentum veritatis, tanquam certa conclusio ponenda est determinatio Concilij Tridentini *loco citato*, quod circa hoc ita statuit:

Quicunque Regularis prætendat se per vim, & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem legitimam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere, quacūque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquenniū tantùm à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas quas prætenderit, deduxerit corā Superiore suo, & Ordinario. Quòd si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quancunque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur. Quæ verba innuunt quòd si Monachus, vel quicunque alius Regularis, aliqua de causa professionem nulliter emisisse prætenderet, debet intra quinquennium tantùm à die professionis coram Abbate, vel alio Ordinario superiore causas nullitatis proponere. His suppositis. 2.

Dico primò, Religiosum inualidè professum posse, imò teneri reclamare, si quinquennium nondum elapsum fuit; aut teneri professionem ratificare: quia non reclamando, aut ratificando, maximam infert Religioni iniuriam: alitur enim bonis ipsius Religionis, & ex ea percipit omnia alia commoda ab ipsa Religione in professorum commodum instituta. Ita Bonac. *de clausur. q.* 2. *punct.* 10. *diff.* 1. *n.* 2. 3.

Dices, teneturne Religiosus inualidè professus, elapso quinquennio, professionem ratificare, maximè si credat tunc reclamando non esse audiendum. Negant Henriquez *lib.* 11. & Sanchez 7. *de matr. disp.* 37. *num.* 30. nam fictè contrahens matrimonium non tenetur matrimonium verè contrahere, nisi notabile damnum timeatur, ad quod vitandum obligetur quis contrahere: ergo neque professus inualidè tenetur professionem ratificare: tum, quia Concilium Tridentinum non videtur loqui in foro conscientiæ: sed solùm denegat actionem in foro externo, vt patet ex illis verbis: *Non audiatur*, &, *Nullatenus ad allegandum quancunque causam admittatur.* Tum demum, quia iugum Religionis est valdè onerosum: ergo nulliter professus non videtur cogendus ad ratificandum. Ex quibus concludunt præfati Authores, talem inualidè professum posse, imò teneri, fugiendi occasionem quærere. Angles *in flor.* 2. *part. de voto, q. vnic. art.* 1. *difficult.* 4. Rodriquez *in Sum.* 2. *part. cap.* 92. *num.* 5. Bonacina, & alij docent, Religiosum inualidè professum teneri professionem post quinquennium ratificare, 4.

ficare, ſaltem dum profeſſio irrita fuit ob ipſius culpam: quæ ſententia mihi etiam probabilior eſt. Nam profeſſio eſt contractus mutuus, quo Religioſus obligatur Religioni, & Religio veram habuit intentionem admittendi hunc ad profeſſionem: ergo etiam Religioſus veram intentionem habere debet capeſſendi Religionem: quaſi cùm in illa ficta profeſſione decepertit Religionem, fictionem tollere debet, profeſſionem ratificando.

2. Ad rationes autem in contrarium facilè reſpondetur. Et ad primam dico, negando conſequentiam, quicquid ſit de antecedenti: ex pluribus enim capitibus poteſt obligari quis ad ſtatum Religioſum, qui ad perfectionem conducit, quàm ad ſtatum matrimonij: nam talis Religioſus inualidè profeſſus manendo in Religione, non ratificata profeſſione, ſe ipſum grauibus periculis exponit, & grauia Religioni damna infert: etenim tunc bonis Religionis iniuſtè aleretur; vota profeſſorum, quæ inualida tunc eſſent, faceret; ad ſacros Ordines ſine titulo, & ſine litteris dimiſſoriis legitimi Prælati promoueretur, (nam profeſſio inualida non eſt titulus, quo inualidè profeſſus ad Ordines promoueatur, & Superior Religionis non poteſt inualidè profeſſo concedere dimiſſorias litteras, vt docet Bonac. *de cenſur. diſp. 3. q. 1.*) item diſpenſationem, & abſolutionem virtuti priuilegiorum Religionis obtineôit, & peccata Confeſſario dimiſſo ſolùm à Superiore Religionis fatebitur, & ita inualida confeſſio erit. Neque hìc eſt aliquis titulus coloratus, quo iuriſdictio ſuppleri poſſit, vt conceditur *ex l. Barbarius, ff. de offic. Prat.* nam conſtat, Prælatum Religionis non poſſe, niſi cum ſuis ſubditis diſpenſare, facultatem recipiendi Ordines concedere, & Nouitios, ac verè Profeſſos abſoluere.

3. Ad id autem, quod affertur ex Concilio Tridentino, reſpondet Bonac. *de clauſ. q. 2. punct. 10. diff. 1. n. 2. in fine*, quòd decretum Concilij eſt diſpoſitiuum pro vtroque foro: nam ibi præfixit quinquennium, vt Religio eo toto tempore præſcribat contra ius reſiliendi, dummodo perſona, contra quam ſit præſcriptio, ſit capax eo tempore huius paſſiuæ præſcriptionis. Et addit idem Bonacina, quòd licèt Concilium niteretur ſolùm præſumptione, & in foro conſcientiæ non obligaret, ſi veritas ſit in contrarium; nihilominus Religioſus fictè profeſſus aliunde obligatur ad profeſſionem ratificandam, prout patet ex rationibus, quas *in reſponſione ſuperiori* adduximus.

4. Ad aliam rationem reſpondeo, quòd licèt iugum Religionis graue ſit; eſt tamen valdè vtile ipſimet Profeſſo; & ita onus vtilitate, & incommodum fructu, quo Religioſus ex Religione, cui addicitur, compenſatur; atque ideò iuſta adeſt cauſa huius obligationis: atque ita concludendum eſt, Religioſum, qui ſua culpa inualidè profeſſionem emiſit, teneri, etiam elapſo quinquennio, profeſſionem ratificare; non autem ſe fugæ committere: nam ex hoc maximam incurreret infamiæ notam.

5. Dico ſecundò, tempus, intra quod reclamatio conceditur, incipit à die profeſſionis vſque ad quinquennium, ſiue profeſſio expreſsè, ſiue tacitè emiſſa fuerit. Ita ex Concil. Trid. *citato*, vt habetur, *niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis.* Et docent communiter Doctores ex Bonac. *loco cit. diff. 4. num. 1.*

6. Sed hìc oritur dubium, an dies illa profeſſionis computetur in quinquennij ſpatio. Reſpondeo conſequenter ad ea, quæ *ſupra* diximus de anno ætatis, & probationis, illam diem computandam eſſe de momento ad momentum, ita vt quota hora facta fuerit profeſſio tacita, vel expreſſa, eadem prorſus hora in vltima die quinquennij finiatur terminus ad reclamandum conceſſus. Probatur ex dictionibus illis appoſitis à Concilio *loco citato*, videlicet, *niſi, & tantum*, quæ cùm ſint taxatiuæ, & ampliationem non admittant, colligitur, Concilium nolle prorogare, aut aliqua ratione extendere tempus reclamationis vltra quinquennium. Item, probatur ex eo, quòd tempus, ſaltem in materia iuri alterius contraria, debet eſſe completum de momento ad momentum, *l. 3. §. Minorem, ff. de minorib.* Ita Sayrus *de cenſ. lib. 3. c. 33. num. 4.* Sanctarellus *de Apoſt. cap. 2. num* 20. Bonac. *loco citato*: qui refert, huius ſententiæ eſſe Syloeſtrum, Angelum, & alios quamplures: & expreſsè tenet Panormitanus *in ſimili cap. Super ſpecula, num. 8.* & Suar. *de cenſ. diſp 23. num. 16.*

Dubitatur item, an ignorans, vel impeditus, qui intra quinquennium non potuit vti remedio ordinario, poſſit elapſo quinquennio vti beneficio reſtitutionis in integrum.

7. Bonacina *de clauſ. diff. 4. cit. num. 4.* docet, nullum remedium competere Religioſo poſt quinquennium. Rodriq. *tom. 3. qq. regul. q. 17. art. 16.* dicit, Religioſum nulliter profeſſum non poſſe admitti elapſo quinquennio ad allegandam cauſam nullitatis; benè tamen ad allegandas cauſas, cur intra quinquennium non reclamauerit. Nauarrus tamen *comm. 4. de regul. num. 71. verſ tertio, conſ. 6. num. 2. lib. 1. de his qua vi.* Sanchez 7. *de matrim. lib. 7. diſput. 37. num.* 22. & alij plures per eundem citati docent, ignoranti, vel impedito competere reſtitutionem in integrum. Quapropter, quando dicitur, non eſſe audiendum, niſi intra quinquennium, hoc intelligitur, niſi ignorantia inuincibilis, metus, vel impotentia durauerit: ſi enim vlteriùs duraſſet, poterit ipſo iure, vel reſtitutione audiri. Ita enim præter citatos Authores Sanctarell. *variar. reſol. quaſt. 48. num. 3.* Azor. *inſtit. moral. p. 1. lib. 12. cap. 4 quaſt. 10.* Bombinus *conſ. 22. n. 7.* Graffius *conſ. 8. num. 8. de Regul. tom. 1.* Et ratio ea eſſe videtur: quia, licèt contra præſumptionem iuris, & de iure nulla admittatur probatio in iudicio ordinario; datur tamen reſtitutio, & probatio in eo iudicio extraordinario, vt docent Alexander *l. Si inter ſtipulantem, §. 1. num. 3. ff. de verb. oblig. & l. Si infantis, n. 9. C. de iur. delib.* & tenet Ruin. *conſ. 68. num. 20. volum. 1.* Socin. *conſ. 104. num. 18. vol. 3.* Alciatus *de praſumpt. in pralud. 2. part. num.* 18. Menoch. *de praſumpt. lib. 1. quaſt. 40. num. 1. & 2.* Maſcardus *de prob. in princ. q. 10. n. 67.* ergo, quamuis Concilium Tridentinum induxerit præſumptionem iuris, & de iure ratificationis profeſſionis per lapſum quinquennij, non obſtabit, quin ex cauſa alicuius impedimenti, vel iuſtæ ignorantiæ concedatur reſtitutio in integrum.

8. Licet ergo per Concilium Tridentinum decernatur, quinquennium debere incipere à die profeſſionis, hoc intelligendum eſt per ſe: nam per accidens, accedente probabili ignorantia, illud computandum erit à die, quo talis perſona de profeſſionis nullitate ſcientiam habere cœpit: quod clarè tuetur Nauar. *conſ. 13. de Regul. num. 3. & 4.* & Suarez *tom. 3. de Relig. cap. 4. num. 6.*

9. An autem laborans perpetuo impedimento irritante profeſſionem, audiri poſſit elapſo quinquennio. Reſpondeo affirmatiuè, ſi verè conſtet, tale impedimentum adeſſe: nam Decretum Concilij editum fuit in fauorem Religionis: ergo in ipſius damnum retorqueri non debet, *l. Quod fauore, C. de leg. & reg.* quod in gratiam, *de regul. iuris in* 6. Si autem cogeretur Religio retinere perpetuò inhabilem, maximum detrimentum pateretur. Tum, quia Concilium denegat audientiam poſt quinquennium: quia præſumit, Religioſum conſenſiſſe: hæc autem ratio ceſſat in habente perpetuum impedimentum, cùm ipſius cõſenſus nunquam validus eſſe poſſit: imò ex hoc ſequeretur, mu-

lietem, quæ menito sexu professionem in Monasterio emisit, cogi in eodem Monasterio remanere, quod est absurdum; & nos *superius* refutauimus.

Dices, ex Concilio Tridentino non est audiendus Religiosus vltra quinquennium, *quacunque ex causa*: ergo laborans impedimento audiri non debet. Respódet Bonacina *loco cit.*, Concilium loqui de personis habilibus. Et licèt vniuersaliter, & indistinctè loqui videatur; tamen adest sufficiens ratio prædictæ distinctionis, & restrictionis verborum Concilij ad solas personas, quas idem Concilium comprehendere voluit. Ita Gomez *de trienn. q. 2. sub init.* & *reg. de annali possess. q. 3. vers. Non obstat dictio.* Rebuff. *in tract. de pacific. possess. n. 172.* & alij.

10. Quam autem culpam, & pœnam incurrant Religiosi reclamantes contra professionem: dico, quòd si scienter contra validam professionem reclamet, & vtatur falsis testibus ad probandum eam fuisse inualidam, resiliendo à Religione, peccat mortaliter; & pœnas Apostatarum incurrit: nam non conceditur reclamatio contra validam professionem; & licentia, quam obtentam suppono, fuit subreptitia, & per dolum habita: ergo discedendo, absqoe vera licentia hoc facit, & sicut apostata puniendus est: & æquè valent in professione tacita, & expressa.

11. Si verò Religiosus reclamat contra professionem inualidam, non peccat mortaliter, regulariter loquendo. Ratio est: quia vtitur suo iure, & Concilium Tridentinum *loco citato* licentiam reclamandi concedit intra quinquennium Imo Rodriq. & Sanchez, vt diximus *suprà*, asserunt, Religiosum inualidè professum etiam elapso quinquennio posse propria authoritate fugere. Idem dicendum puto de Religioso, qui ratione ignorantiæ, vel impotentiæ, seu alterius impedimenti, contra inualidam professionem reclamat, etiam extra quinquennium: tali enim, vt vidimus *suprà*, fit restitutio in integrum, licèt ex Aloysio Riccio apud Barbosam *de offic. & potest. Episc. alleg* 104. *num.* 18. huiusmodi restitutionis petitio fieri debeat coram Sanctissimo, & consequenter ex eius speciali rescripto obtineri.

QVÆSITVM XXVI.

Quibus ex causis competere posit Religioso ius reclamandi contra professionem à se emissam.

SVMMARIVM.

1 *Reclamatio fieri debet ante dimissionem habitus, & intra debitum tempus, deducendo causas nullitatis coram Superiore, & Ordinario, quod est intelligendum, vt n. 2. 3. & 4.*

5 *Defectus legitimi consensus tribuit ius reclamandi; atque ita qui professus est non sui compos, & per vim, & metum, reclamare potest, vt n. 6. & 7.*

8 *Professio emissa sub conditione de futuro, nondum adimpleta conditione non est valida.*

9 *Defectus anni prbationis tribuit ius Religioso reclamandi, & defectus ætatis, vt n. 10.*

11 *Religiosus, qui emisit professionem, quando non erat sui iuris, potest reclamare.*

12 *Sexuum diuersitas tribuit ius reclamandi.*

13 *Religiosus, qui professus est coram non habente potestatem acceptandi, potest reclamare contra suã professionem.*

14 *Religiosus validè professus, qui tractu temporis impotens factus est ad seruandam Regulam, non potest reclamare contra professionem.*

15 *Religiosus professus absque præuia informatione inducta à Sixto V. an possit reclamare.*

1. Concilium Tridentinum loco hucusque citato, decernit, Religiosum, qui reclamare intendit contra professionem, hæc tria obseruare debere. Primò, vt habitum ante reclamationem non deponat, aliàs non audiatur. Secundò, vt causas nullitatis suæ professionis deducat coram suo Superiore, & Ordinario. Tertiò, vt reclamatio intra debitum tempus fiat: circa quas conditiones

2. Aduertendum est, quòd qui iusta causa ante reclamationem habitum dimiserit, puta, quia facultatem obtinere non possit reclamandi, nisi habitu deposito; adhuc audiri potest, & debet, Concilium enim loquitur de sponte habitum dimittente: quod non facit, qui iusta causa adstrictus habitum dimittit, vt docent Nauarr. *comm. 4 de regul. num. vlt.* Sanchez 7. *de matrim. disp. 37. num.* 3. Azor. 1. *part. lib.* 12. *c.* 4. *q. vltim. instit. moral.* & Rodriq. *qq. reg. tom. 3. q. 17. art. 17. circa medium.* & Bonac. *de claus. q. 2. punct. 1c. diff. 3. num.* 1. Potest reclamare, qui habitu dimisso; non fuit auditus, & reassumit posteà habitum, vt reclamet, vt asserunt supracitati Doctores Concilium enim Tridentinum non intendit perpetuò denegare audientiam Religioso habenti iustam reclamandi causam. Quapropter dum dicit: *Nullatenus ad allegandam quancunque causam admittatur.* exponitur à Bonacina *loco citato, n. 2. in fine,* vt non audiatur, seu admittatur, quandiu habitum non induit.

3. Aduertédum secundò, quod nomine Superioris intelligitur immediatus Monasterij Prælatus, qui professionem eius admisit, vel qui in eius locum successit: nomine verò Ordinarij intelligitur Episcopus, in cuius Diœcesi situm est Monasterium, in quo professionem Religiosus emisit. Et ita decisum à Sacra Congregatione Concilij anno 1593. die Decembris refert Peyrinus *tom. 2. de Prælat. quæst. 3. cap. 1. num.* 156. Armendanus *in recopil. legum* Nauarr. *lib. 1. tit. 18. l. 7. numero* 38. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg.* 104. *cit. num.* 12 qoi *num.* 14. addit, causas nullitatis professionis proponendas esse coram Superiore, & Ordinario copulatiuè, iuxta dispositionem Concilij *loco citato.* Quare, si Superior regularis per se solum professionem nullam declararet, & Religiosum è Monasterio eiiceret, inualidè faceret, & teneretur reuocare prædictum Religiosum ad Monasterium. Atque ita declarauit Sacra Congregatio mése Ianuarij. 1618. vt refert Aloysius Riccius *in praxi aurea, resol.* 10. Quòd si Superior, coram quo, & Ordinario causæ nullitatis professionis cognosci debent, sit etiam Ordinarius, putà, quia Monasterium est Episcopatui vnitum, solus talis Superior de nullitate cognoscere debet, quia Concilium, dum vtrumque coniungit, præsupponit vtrumque adesse. Ita Barbosa *loco cit. num.* 31. & Bonacina *similiter loco citato*, dicit, nomine Ordinarij intelligi etiam Abbatem, seu Prælatum iurisdictionem quasi episcopalem habentem in suo territorio; & Capitulum, Sede vacante, vel eius Vicarius; sicut etiam Viccarius Episcopi.

Circa tertiam conditionem aduertenda sunt ea omnia, qoæ *superiori quæsito* diximus: ex eorum enim assertionibus patet, quid respectiuè dicendum sit circa hanc tertiam conditionem, & quomodo in reclamare volente requiratur temporis obseruantia iuxta sacrosancti Concilij dispositionem.

4. His prænotatis, sex apud Authores reperio causas, ex quibus videtur tribui ius Religioso reclamandi contra propriam professionem.

5. Prima est, defectus legitimi consensus, quando, videlicet, quis emisit professionem, sine tamen consensu

sensu ad professionem requisito : nam, cùm professio sit contractus mutuus, quo Religiosus Religioni, & hæc Religioso obligatur; contractus autem mutuo consensu perficiatur; sequitur Regularem defectu talis consensus posse reclamare, cùm non teneatur onere illius professionis.

6. Ex quo inferas, Regularem, qui in amentia professionem emisit, licèt postea acquisierit sanitatem, posse reclamare; amens enim consentire non potest; & hoc etiam intelligendum, licèt Nouitius Religionem ingressus sit sui compos, & postea demens factus, in tali dementia professionem emiserit: nam eadem currit ratio defectu consensus.

7. Secundò inferas, Regularem, qui professionem per vim, vel metum celebrauit, posse reclamare contra professionem. Nam, licèt vis, & metus non auferant omninò consensum, & voluntarium; efficiunt tamen inuoluntarium mixtum, & consequenter deficit libertas, quæ in consensu ad professionem requisito esse debet. Tum, quia ius canonicum huiusmodi professionem irritam reddit, *cap.1.de his,quæ vi*. Et in Concilio Trid. *loco citato*, inter causas, propter quas Religiosum audiri concedit, est expressè enumerata vis, & metus. Huiusmodi autem metus debet esse grauis: nam leuis, sicut non irritat carnale matrimonium; ita nec spirituale, quod in professione contrahitur.

8. Tertiò infertur, professionem celebratam sub conditione de futuro, non esse validam, nondum adimpleta conditione: nam actus agentium non operatur vltra eorum intentionem: intentio autem sic profitentis fuit non obligare se independenter ab illa conditione. Verum quidem est, quòd ipsa posita absque nouo alio consensu professio perficitur. Ita docent Sanchez *in opere morali*, *lib. 5. cap 8.num. 88.* & alij apud Bonacinam *de clauf. q. 2.diff.2 punct.10.num.4.*

9. Secunda causa, ex qua Religiosus potest reclamare contra propriam professionem est defectus anni probationis: de qua causa, quando inualidam reddat professionem, atque ita ex ea acquiratur Religioso ius reclamandi, satis, superque diximus *supra*.

10. Tertia causa est defectus ætatis, de qua similiter *superius* diximus.

11. Quarta causa, quæ tribuit Religioso ius reclamandi, est: quia, quando emisit professionem, non erat sui iuris, ita vt se ipsum alteri tradere nequiret: nec per consequens Religioni. itaque coniugatus non potest valide professionem emittere, inuita vxore. Item, seruus non potest absque domini consensu valide profiteri. nam, licèt, stante seruitute, possit se voto castitatis obstringere, non tamen potest se omninò Religioni tradere absque sui domini facultate, à cuius dominio, eo inuito, se subtrahere non potest. Vnde *in cap. Si quis incognitus.17.q.2.* decernitur, seruum absque domini licentia Religionem ingressum posse repeti, illúmque restituendum esse, si intra biennium repetat. Ex quo textu etiam infertur, non posse seruum intra dictum tempus profiteri; imò si Monasterium scienter, & fraudulenter acceptauit talem seruũ ad Religionem, tenetur satisfacere domino soluta serui æstimatione. Ita Syluester *verbo. Religio, 2.q.3.* Sanchez *in opere morali*, *citato lib. 5. cap.4. num.42. & seqq.* Azor.1.*lib.12.cap.1.q.3.* Tabiena *verbo, Religio, q.10.* & Bonacina *loco citato*, *§.4.n.3.*

12. Quinta reclamandi causa est diuersitas sexuum: vt, si fœmina in Religione virorum, & vir in Religione Monialium professionem emiserit: nam, cum talis professio sit irrita, consequenter tribuit ius ita profitenti reclamandi. Cur autem professio irrita sit, est: quia superior, vt supponitur, non habuit intentionem admittendi ad professionem personam diuersi sexus: ergo errauit circa substantiam personæ, qui error irritat contractum, vt communiter docent Doctores. Et ita statuitur *in cap. Diffinimus. 18. q. 2.* Tum, quia hæc professio esset in damnum Religionis, quod est contra finem professionis, quæ inuenta est, vt homines Deo, eiúsque cultui in Religione vacent: quæ si possint, & quomodo possint præstari in Monasterio eodem vbi est commune consortium virorum, & mulierum, relinquitur prudentis arbitrio, qui fragilitatem naturæ humanæ ex primæui parentis lapsu originatam continua experientia cognoscere potest. Et hanc in praxi verissimam positionem sustinent Nauarrus, Vgolinus, & alij, quos citat Bonacina *de cens. disp.2 punct.2. num. 13.* & *de Sacram. disput. 8. q. vnic. puncto. 5. num. vnico.* An autem sit valida professio fœminæ, cui virilia prodeant, vt dicitur contigisse, & quo tempore duret validitas huius professionis, diximus *supra*, ex qua positione respectiuè resoluendum est, habere, vel non habere, & tali tempore ius reclamandi contra professionem. Idem similiter, & respectiue resoluendum est de Hermaphrodito, iuxta, videlicet, asserta *in hac disput. quæst. 3. n.21. & 22.*

Sexta, & vltima reclamandi causa est, dum professio facta fuit coram non habente potestatem eam acceptandi. Ratio huius est communis cum præcedentibus: quia, videlicet, irrita redditur talis professio ex defectu consensus requisiti ad professionem ex parte acceptantis: sicut enim in profitente requiritur consensus se obligandi ad Religionem; ita ex parte Religionis requiritur persona, quæ pro Religione habeat facultatem præstandi consensum acceptatiuum. Confirmatur hoc idem *ex cap. Ad apostolicam de reg.* vbi habetur, debere Abbatem per se, vel per alium, professionem acceptare. Atque ita docent Nauar. *in comment.4.de Regul. num.74.* Panormitanus *in cap. Porrectum.de Regul.* Sanchez *lib. 5.cap. 4.num. 62.* & Bonacina *de clauf.d.q. 2. punct.10.diff.2.§ 6.num.1.* qui sententiam hanc ait esse communem DD. Et hæc satis dicta sint quoad causas, ex quibus tribuitur ius Religioso reclamandi contra professionem emissam. 13.

Sed ad perfectam huius quæsiti cognitionem dubium esse potest, an valide professus, qui tractu temporis in morbum incidit, vel ob senectutem redditus est impotens ad seruandam Religionis Regulam, reclamare possit contra professionem, ita vt hæc talis impotentia ex prædictis causis proueniens possit enumerari inter causas, quæ verè, & realiter tribuunt ius Religioso reclamandi contra professionem.

Respondeo negatiuè: quia reclamatio conceditur contra professionem irritam, & inualidam: & ex hoc capite tantùm oritur legitima causa tribuẽs ius reclamandi: professio autem emissa ab eo, qui tractu temporis redditur impotens ad seruanda Regulæ præcepta, valida est, cum substantialia Regulæ viribus corporis non nitantur, vt sunt vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ quæ perficiuntur voluntatis affectu; & si quæ alia sint præcepta, quæ dispositionem corporalem exigant, obligant tantum iuxta corporis vires, & nisi iusta causa excuset. Ita docet Bonacina *loco citato*. 14.

Ex quibus etiam colligitur, talem Religiosum non dici obligari ad impossibilia: nam obseruatio votorum substantialium, omnibus quibuscunque, quacunque detineantur infirmitate corporali, possibilis est. Vide Bonacinam *loco citato*, *num. 10.*

Dubitari vltimò potest, an Religiosus possit reclamare contra professionem factam absque præuia informatione indicta à Sixto V. anno 1586. Respondetur cum Bonacina *loco cit. num. 11.* non posse Religiosum ob id reclamare: nam expresse Clemens VIII. 15.

in constit. quæ incipit: *In suprema Ecclesia*, 2. Aprilis, 1602. præfatam Sixti V. constitutionem reuocauit quoad irritationem professionis, relictis in suo robore pœnis quoad Superiores admittentes aliquem non seruata forma constitutionis prædictæ Sixti V.

QVÆSITVM XXVII.

De priuilegijs, quibus fruuntur Nouitij Regulares; & de effectibus gratiosis, quos in eis causat Religionis professio; ac de alijs priuilegijs, exemptionibus & immunitatibus eorundem Nouitiorum.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius post receptionem ad habitum regularem gaudet omnibus priuilegijs, quæ professis Religionis concessa sunt.*

2 *Societatis* IESV *priuilegijs an gaudeant, & quomodo, aliæ Religiones habentes communicationem priuilegiorum.*

3 *Pœnam totam peccatis debitam in Religioso remittit professio validè emissa.*

4 *Professionem emittens cum conscientia peccati mortalis, an consequatur remissionem omnium peccatorum suorum.*

5 *Professio an, & in quibus æquetur Baptismo, & num.6.*

7 *Professione peracta, si decederet profitens immediate, beatifica frueretur visione.*

8 *Peccatorum omnium condonatio per professionem an dicenda sit Indulgentia plenaria.*

9 *Professio validè emissa extinguit in Religioso omne votum antea emissum.*

10 *Professio valida absoluit profitentem à patria potestate, sicuti faciunt simplicia vota in Societate* IESV *emissa, vt num.11.*

12 *Professio purgat profitentem ab ingratitudine.*

13 *Professio expurgat profitentem à maculis quoad actus temporales.*

14 *Professio emissa, quam irregularitatem auferat in profitente, & num.15.& 16.& 17.*

18 *Irregularitas per professionem ablata, non reuiuiscit per annullationem professionis.*

19 *Illegitimus professus est capax beneficiorum ad nutum Abbatis amouibilium; secus tamen dicendum de alijs effectibus professionis, vt n.20.21. & 22.*

23 *Nouitij possunt dispensari in suis votis à suis Prælatis, & Superioribus, qui etiam possunt huiusmodi vota commutare.*

24 *Nouitiorum vota irritare non possunt Superiores, benè tamen suspendere.*

25 *Nouitij absolui possunt ab Abbatibus, & Superioribus suis ab omnibus casibus reseruatis, à quibus absolui possunt professi absque vinculo reincidentiæ, etiamsi recedant à Religione.*

26 *Nouitius proximè ingressurus Religionem potest absolui per Confessarium illius Religionis à casibus Episcopo reseruatis.*

27 *Nouitius, qui tempore, quo interdicta est ciuitas est in Religione, non est interdictus.*

28 *Nouitius gaudet omnibus Indulgentijs concessis Monachis professis.*

29 *Nouitius eligere sibi potest Confessarium ex approbatis ab Abbate, qui illum semel in vita absoluat, & in articulo mortis ab omnibus casibus, à quibus absolui possint tali tempore Nouitij.*

30 *Nouitius an virtute Bullæ Cruciatæ possit sibi eligere Confessarium absque Superioris licentia.*

31 *Nouitij eligi possunt in Episcopum, licèt Religio, cuius sunt Nouitij, hoc prohibeat.*

32 *Nouitiis conferri possunt beneficia ecclesiastica.*

33 *Nouitij cuiuscunque Religionis possunt institui hæredes, & succedere in paterna hæreditate, etiam ab intestato.*

34 *Nouitius potest transigere, ac pacem facere, & accusare, tam in iniuria sibi illata, quam parẽtibus.*

35 *Nouitij possunt sibi sepulturam eligere.*

36 *Nouitij sunt immunes à solutione decimarum.*

37 *Nouitij regulares gaudent priuilegio fori.*

Restat videndum, quosnam effectus causet Religio in Nouitiis, qui ad statum professorum admittuntur.

Et quidem Nouitios post ipsam receptionem ad habitum regularem gaudere omnibus priuilegiis, quæ 1.
professis Religionis concessa sunt, docent Suarez *de Relig. tom.3. lib.5 cap.16. n.17.* Sanch. *in Sum. part.1. lib.4. cap.39. num.13. & part. 2. lib.6. cap.10. in fine.* Riccius *in praxi, tom.4. resol.240. num.2.* Azor. *1. p. lib. 12. cap. 2. quæst. 10.* Henriquez *lib. 7.* Saytus *de censuris, lib.7. cap.13. num.6.* Bonacina *de leg. disp.4. quæst.2. punct.7. §.4. num.27.* Graff. *tom.1. cons. lib.3. de voto, cons.8. num.11.* Bartholom. à S. Fausto *lib.3. thes. Relig. quæst.27. num.3.* Portell. *in dub. Regul. verb. Nouitius, num.18.* Laurent. de Peyrin. *tom.2. de Prælat. q.3. cap.1. num 122.* Molina *tom. 1. de iust. disp.139. col.3.* Et nouissimè P. Diana *in suis resol. mor. tract.2. de dub. Reg. resol.73.* Et ratio communis ea est, quòd Nouitius in fauorabilibus habetur tanquam Religiosus, & professus, vt benè aduertit Rebuff. *in praxi benef. tit. de dispens. cum Regul. num.23.* Et hoc confirmatur ex priuilegio concesso Nouitiis Societatis IESV, cuius vigore prædicti Nouitij in omnibus Societatis priuilegiis communicare valent, atque ita etiam communicant alij Nouitij aliarum Religionum, quæ communicationem priuilegiorum habent.

Nec obstat, quod ait Suar.8. *de leg. cap.17.* vbi ne- 2.
gat, alias Religiones communicare in priuilegiis Societatis IESV, in quibus exprimitur, ne in illis aliqua Religio communicet: nam Rodriq *in qq. regul. tom.1. q.55.* Miranda *in Manuali Prælat. tom.1. q.46. art.5.* & Portellus *in dub. Regul verbo, Priuilegij communicatio*, & Ioannes de la Cruz *de stat. Relig. lib.1. c.4. §.2.* & nouissimè P. Diana *loco cit. resol.81.* expressè tenent, illam limitationem non obstare: nam communicationem priuilegiorum cum amplissimis clausulis à subsequentibus Summis Pontificibus habuerunt aliæ Religiones.

De Nouitiis ergo ad statum professorum transeuntibus inquirendũ est: & supposito tanquam verissimo, gaudere omnibus priuilegiis, gratiis, immunitatibus, & fauoribus suæ Religioni concessis per realem, & particularem concessionem, siue etiam per communicationem, & extensionem, vel aliàs quomodolibet, quorum priuilegiorum seriem habes apud Rodriquez *in particulari opere de hac materia*, & alias etiam particulares gratias particularibus Religionibus concessas videre poteris in Archiuiis prædictarum Religionum; videndum, inquam, restat, quos particulares & speciales effectus causet professio valida in profitẽtibus. Quare

Dico primò: Professio validè emissa in Religioso re- 3.
mittit totam pœnam peccatis eiusdem debitam. Ita affirmant Nauar. *de Indulg. not.20. n.17. & comment.2 de Regul. n.60.* Emmanuel Sà *in Sum. verb. Religio, n.17.* Rodriq *qq. regul. tom.2. q.87. art.1.* Antonius Cucchus *lib.3. instit. maior. tit.1. n.50.* Plato *de bono stat. Relig. lib.1 c.13.* Campanilus *in diuers. iur. canon. rubr.12. cap.10. n.1.* Bartholom. à S. Fausto *in thes. Relig. lib.5. q.315.*

q.315. Hieronym. Rodriq. *in cõpend qq. regul resol. 77. n. 7.* Azor *instit moral. tom. 1. lib. 12. cap. 5. q. 11.* Barbosa *de iure eccl lib. 1. cap. 42. n.* 179. quod etiam habetur. *in cap. Quis aliquando. §. His authoritatibus. de poen. dist. 1.* ibi enim constat, nullã criminum præteritorum satisfactionem ingredienti Religionem imponendam, quòd totum residuum vitæ tempus dedicet. Quod etiã colligitur *in Authent. de Monachis, collat. 1. in principio,* vbi habetur, quòd conuersationis monachalis vita sic est honesta, sic commendare nouit Deo ad hanc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detergat. Imò professio habet ex se priuilegium remittendi pœnas debitas peccato. Ratio est: quia in professione moritur homo voluntariè mũdo, tradẽs se omninò, & totaliter Deo quoad animam, & quoad corpus in perfectum, & suaue holocaustum: ex qua voluntate magnum huiusmodi meritum prouenit, ideò fit plena omnium peccatorum remissio. Ita S. Thomas 2.2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. Caietanus *ibid*, & Corduba *super Regulam S. Francisci, cap.* 2. *q.* 14. Bartholomæus à S. Fausto *loco cit. lib.* 5. *q.* 116. Campanilus *in diuers. iuris, rubr.* 12. *cap.* 10. *num.* 1.

Hoc autem, quod dicimus, valet, quandõ emittitur valida professio. Ita docẽt Tabiena *verbo, Nouitius, in fine.* Sanchez *lib. 5. in præcept. Decal. c. 5. n.* 5. Et eandem condonationem peccatorum suorum consequuntur Religiosi, quando iam professi gaudent de ipsa professione, illamque innouant, parati facere, si non fecissent. Ita tenent Dionysius Carthus. *in Opusc. de profess. Monach. in append.* & S. Bernardinus Senẽsis, vt refert Barthol. de Vecch. *in praxi Nouit. disp.* 13. *dub. 5. n. 7.* Et colligitur ex Emmanuele Sà. *ver. Religio, n.* 17. & Laurẽtio de Peyrin. *q. 3. de Prælat. c. 1. n.* 154.

4. Si petas, an, qui emittit professionem cum conscientia peccati mortalis, consequatur supradictam remissionem pœnæ omnium peccatorum suorum. Respondeo, quòd, licèt plenariam remissionem non consequatur propter peccatum mortale; tamen si postea resipiscat, illam consequitur: quia huiusmodi priuilegium in professione conceditur omnibus illis, qui non ponunt obicẽ. Vnde obice sublato per pœnitentiam, eandem remissionem sortietur. Ita dicunt Bartholomæus de S. Fausto *loco cit. lib. 5. q.* 317. Barbosa *loco cit. num.* 180. *in fine*, contra Nauarr. *de Indulg. not. 20. n.* 17. Caietanum 2.2. *q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. Azorium *loco citato, lib. 12. cap. 5. q.* 11. Ratio autem à supradictis Doctoribus assignata est, quia hoc priuilegium in professione conceditur tradenti se totaliter ex corde Deo: sed Religiosus cùm ad se redit post professionem, & coram Deo in veritate profitetur, se ex corde Deo tribuit: ergo dabitur etiam ei, quando resipiscit dicta plenaria peccatorum remissio; & tam in illo, quàm in alio se sine labe peccati tradente Deo professio huiusmodi Religionis æquabitur Baptismo propter rationem dictam.

Quòd verò professio æquetur Baptismo, colligitur
5. ex D. Bernardo *lib. de præcept. & dispensat. in fine*, vbi ait: *Audire, & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuã, vt secundum Baptisma nuncupetur arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularẽ excellentiã vitæ spiritualis, quæ præeminẽs vniuersis vitæ humanæ generibus huiusmodi cõuersatiõis professores, & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit; imò diuinã in homine reformat imaginem, cõformans nos Christo instar Baptismi, & quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quòd mortificamus membra nostra, quæ sunt supra terrã, Christum induimur, complantati denuò similitudini mortis eius.*

9. Non tamen inferas, æquiparandã esse professionẽ in omnibus Baptismo, vt colligitur *ex D. Thom. in 4. dist. 4 q. 3. art. 3. quæstiunc. 3. ad 3* & Corduba *c. x. q. 14. part. 1.* nam Baptismus est Sacramentum conferens primam gratiam ex opere operato, & delens omnia peccata quoad culpam, & pœnam; professio verò non cõfert primam gratiam, nec delet culpas peccatorum; sed pœnam tantùm temporalem in Purgatorio expiãdam. Imò neque hoc facit ex opere operato, sed ex opere tantùm operantis, qui, videlicet, se abdicando mundo, diuinis sponte addicitur obsequiis, vt habetur ex Sanchez *loco cit. cap. 5. n.* 4. & Bartholomæus à S. Fausto *in thes. Relig. cit. cap. 5. q.* 318.

Ex his ergo clarè constat, profitentem omnium peccatorum remissionem consequi, & quoad pœnam absolutũ remanere ab omnibus pœnis Purgatorij; ita 7.
vt peracta professione, si statim decederet profitens, in Paradiso inter alios Beatos diuina, & beatifica frueretur visione, vt affirmant S. Thom. 2.2. *q. vlt. art* 3. *ad* 3. Sanch. *loco cit. n.* 2. Nauar. *lib. 3. cons. de Regul. cons.* 44. *n.* 1. Rosella *verbo, Religio,* 1. §. 9. Azor *loco cit. cap. 5. q.* 11. Suar. *tom. 3. de Relig. lib. 6. cap.* 13. *num.* 4. Ledes. 2. *part. Sum. tract.* 10. *cap.* 5. *diff.* 2. Caraeciolus *in const. Cleric. Regul. part. 2. cap. 1. §.* 14. Barbos *in collect. in cap. 4. de voto, n.* 5. Ratio est, vt dicit D. Thom. *loc. cit.* quia, cùm profitens voluntatem suam cæteris rebus chariorem in perpetuam seruitutem Dei redigat, iam plenissimè pro omnibus anteactæ vitæ delictis satisfecisse censetur; vt pote, quia dat illud, quo nihil maius dari poterat.

Aduertendum tamen, quòd huiusmodi perfecta 8.
condonatio peccatorum quoad pœnam, etiam per professionem obtenta, non est censenda indulgentia plenaria: nam, licèt sit idem effectus; prouenit tamen ex diuersa causa: etenim indulgẽtia plenaria conceditur ex meritis passionis Christi, & Sanctorum satisfactione in thesauro Ecclesiæ repositis, eadem merita applicante Summo Pontifice, vero, & legitimo Ecclesiæ Dei thesauri dispensatore; professio verò cõdonat huiusmodi pœnas, non ex aliqua concessione pontificia; sed ex vi, & merito ipsius operis excellentissimi, & quamcunque debitam peccatis satisfactionem excedentis, prout docet Barbosa *de iur. eccl. lib. 1. cap.* 42. *num.* 181. ex Sanchez *loco cit. num.* 6. & Nauarro *de indulg. not. 20. num.* 17. & docet etiam Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. disp. 13. dub. 5. n.* 6.

Dico secundò: Professio validè emissa in Religio- 9.
so extinguit omne votum anteà emissum, cùm in votum Religionis omnia alia vota mutentur, vt affirmãt S. Thom. 2.2 *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. Nauar. *in Manual. c. 12. n.* 65. Ledesma *in Sum. tom. 2. tract. 10. cap. vlt.* Sotus *de iust. lib. 7. q 4. art. 3. vers.* 4. Campanil. *in diuers. iur. canon. rubr. 12. cap. 10. num.* 2. Barthol. à S. Fausto *in thesaur. Relig. lib. 5. quæst.* 113. Miranda *in Manuali, tom. 1. q. 25. art.* 7. Sayrus *in claui reg. lib. 5. cap. 8. num.* 15. Hieronymus Rodriquez *in Compend. qq. regul. resol.* 140. *num.* 6. Sanchez *in præcept. Decal. lib. 5. cap. 35. num.* 36. vbi *num.* 38. dicit, quòd vota in sæculo emissa ipso iure censentur commutata in professionem Religionis, ac per consequens absque alia irritatione profitens liber manet ab illis votis. Ratio est: quia, cùm omnia vota sint opera particularia Deo promissa, continentur eminenter in professione, per quam se, & omnia sua Deo dat, dicátque profitens: & *num.* 16. dicit, idem iudicium habendum esse de votis emissis in Nouitiatu: & *num.* 40. idem dicit de votis emissis à professo, transeunte posteà ad aliam Religionem. Idem affirmat Barbosa *de iur. eccl. lib. 1. cap.* 42. *num.* 157.

Dico tertiò, professionem absoluere profitentem 10.
à patria potestate. Ita affirmant Nauar. *comm. 3. de Regul. num* 41. Couaruu. *in cap. Quia nos, num. 5. de te-*

ſtam. Anton. Gomez *l* 48. *Tauri, n.7. in fine* Pinellus *l. 1. part. 1. num. 46. C. de bonis matern.* Gomez Arias *l. 45. Tauri, num. 53.* Sanchez *in præcepta Decal. lib. 5. cap. 5. num. 29.* vbi *num. 30.* cum multis ex citatis Doctoribus ait, hoc intelligendum in iis ſolis, in quibus vtile eſſet liberari à patria poteſtate : ſecus verò in iis, in quibus hoc verteret in eorum damnum : quia quod in gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum *de Reg. iur. lib 6.*

11. Idem Sanchez *loco citato, num. 31.* dicit: hanc eandem prærogatiuam concedendam eſſe ſimplicibus votis emiſſis in Societate IESV poſt biennium Nouitiatus; quia militat eadem ratio, quæ in profeſſione. Ratio autem noſtræ concluſionis ; quòd, ſcilicet, per profeſſionem profitens liberetur à propria poteſtate, talis eſt. Profitens per profeſſionem tranſit omninò in poteſtatem Abbatis, cui in omnibus, & per omnia voluntatem propriam ſubmittit, vt clamant omnia iura : ergo neceſſariò per talem ſubmiſſionem patria poteſtas in eo ceſſabit.

12. Dico quartò : Per profeſſionem emiſſam in Religione purgatur profitens ab ingratitudine : nam prærogatiua profeſſionis præcipua eſt, vt ea emiſſa ante mortem parentis, filij profitentis præteritam ingratitudinem aboleat, ob quam dishæredari poterat ; quod habetur *in cap. Non liceat. 19. quæſt. 1.* & affirmant Romanus *ſingular.* 485. Hippolytus de Marſiliis *ſingulari* 413. *num.* 6. Guillelmus Benedict. *in cap. Raynutius. de teſtam. verbo, in eodem teſt. num.* 37 Ioannes Garz *Regul.* 1 19. *numero* 25. Emmanuël à Coſta *in l. Gallus. §. Et quid ſi tantum. part. 3. numero* 195. *cum ſeqq. ff. de libert. & poſthum.* Spina *in Speculo teſtamentor. gloſſ. 20. in princip. numero.* 64. Surdus *de alim. titulo. 7. q. 1. numero* 30 Rodriquez *qq. regul. tomo. 2. quæſtione 77. art. 2.* Tiraquellus *de priuil. piæ cauſæ, priuil.* 30. Sanchez *in præcepta Decalog. libro 5. capite 5. numero* 32. quidquid Vaſquez *de ſucc. creat libro* 3 §. 10. *numero* 646. Ex quibus Doctoribus ſatis conſtat, per profeſſionem emiſſam deleri præteritam ingratitudinem, cauſa cuius filius profitens exhæredari poterat: ſicut docent Molina *de iuſt tract. 2. diſput. 176. dub. vlt.* & Duard. *in comment. ad Bullam Cœnæ, lib. 2. conſ. 15. quæſtione 17. num. 7.* Laurentius de Palatio *in tract de ſtat. excluſiuo fœmin. num.* 108. Tabiena *verbo, Religio, numero* 43. Syluester *eodem verbo 6. q. fin.*

13. Dico quintò, profitentem per profeſſionem emiſſam expiari à maculis quoad actus temporales: vnde, qui, verbi gratia, ineptus eſſet ante profeſſionem ad teſtificandum, ratione alicuius maculæ periurij, aut furti, vel ſimilis, profeſſione inde ſequuta redditur habilis, habetur *in Authent. de Monach. ſtatim in principio col. 1.* & in Gloſſ. *in cap. Cùm deputati. de iudic.* vbi Felinus *num* 2 & Sanch. *loco cit. lib. 5. cap. 5. num. 27.* Rebuffus *in praxi benef. tit. de diſpenſ. ſuper defect. natal. num.* 72. Idem affirmat Barboſa *de iure eccleſiaſtico, lib. 1. cap. 42. num.* 202.

14. Dico ſexto, per profeſſionẽ emiſſam dimittitur irregularitas in profitente. Non loquor de irregularitate, quæ ex delicto proprio prouenit : ſed de ea, quæ oritur ex defectu natalium, qua mediãte quis illegitimus fit. Habetur *in cap. 1. de fil. Presbyt.* Sed non omninò tollitur huiuſmodi irregularitas ; ſed tantùm quoad Ordines recipiendos. Dixi, quod non tollitur omninò : quia profitens hac irregularitate irretitus, etiam poſt profeſſionem redditur incapax ad dignitates obtinendas. Ita affirmant Syluester *verbo, irregularitas, q. fin.* Angelus *eodem verbo vlt. num. vnico*, Abbas *cap. 2. in fin. de Apoſt.* Socin. *cap. Ad audientiam. de homicid. colum. vltim.* Couarru. *in Clem. Si furioſus, de homicid. 1. part. §. 1. num.* 6. Henriq. *lib. 14 de irregul. cap. 17. n. 2.*

Aduertendum tamen eſt, nullam deleri irregularitatem per profeſsionem, præter expreſſam in iure. Ita reſoluunt Azor. *tom. 2. inſtit. moral. lib. 6. cap. 3. q. 10.* Campanil. *in diuerſ. iur. canon. rubr. 12. cap. 10. num. 3.* Auila *de cenſ. part. 7. diſput. 10 dub. 3.* 15.

Vnde profitens emiſſa profeſsione abſque alia diſpenſatione noua redditur aptus ad ſacros Ordines ſuſcipiendos, vt dicunt Emmanuel Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 13. art. 4.* Salzed de Bernard. *in pract. cap 14. litt. 8. verſ. Si tamen illegitimus.* Azorius *loco cit. lib. 5. cap. 3. q. 1.* Reginald. *in praxi fori pœnit. tom. 1. q. 25. art. 10. concl. 1.* Aloyſius Ricclus *in deciſ. Cur. Arciep. Neapol. part. 1. deciſ.* 82. Campanil. *loco cit. rub. 1. c. 13. n.* 115. Sanchez *in præcept. Decal. tom. 2. lib. 5. cap. 5. num. 9.* Hieronym. Roder. *in compend. qq. reg. reſol.* 52. *num.* 40. 16.

Nec obſtat Conſtitutio Sixti V. contra illegitimè natos : quia Gregorius XIV. illam conſtitutionem abrogauit anno 1591. per Bullam, quæ incipit : *Circumſpecta Roman. Pontificis.* vbi omnes legitimatiões, & diſpenſationes ad terminos iuris reducit.

Quibus ſic ſtantibus colligitur primò, irregularitatem ex defectu natalium prouenientem, tolli quidem per profeſsionem; non autem per ſolam habitus ſuſceptionem ; ac proinde neceſſaria eſt profeſsionis emiſſio. Ita S. Antoninus *part. 3. tit. 1. cap. 27. §. 3.* Felin. *in cap. Cum deputatis. n. 2. de iudic.* Sotus *in. 4. diſt. 25. q. 1. ar. 3. col. 2.* Rebuff *in prax. benef. tit. de diſpenſ. ſuper defect. natal. n.* 66. Nauarr. *com. 2. de Reg. n.* 6. Valentia *tom. 4. diſput. 7. q. 19. punct. 7. §. 2.* Rodriq. *qq. reg. tom. 1. q. 13. art. 4.* Barthol. de Vecch. *in prax. Nouit. diſp. 13. dub. 6. num. 2.* 17.

Colligitur ſecundò, irregularitatem ſublatam per profeſsionem non reuiuiſcere profeſsione annullata, vt dicunt Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 24 art. 1.* Sorbus *in Compend. priuil. tit. Nouitius, § de Nouit. abſolut.* Peregr. *in Compend. priuil. Cler. regul. part. 1. tit. Abſolutio, §. 1. in ſchol.* Aloyſius Ricc. *in prax. aur. reſ.* 311. Auguſtinus Barboſ. *de iur. eccl. lib. 1. cap. 42. num.* 191. contra quos diſputant Bartholomæus de Vecchiis *in prax. Nouit. diſput. 9. dub. 25. num. 3.* vbi validiſsimis rationibus oſtendit, ſi Nouitij ab irregularitatibus, & aliis nexibus fuerunt abſoluti vigore priuilegiorum, non reincidere in illos, ſi recedant à Religione: & Bonacina *de leg. diſp. 4. q. 2. punct. 7. §. 4. n.* 28. Suar. *de Relib. tom. 4 tract. 8. lib. 2 cap. 24 n.* 6. Diana *in reſol. moralibus, tract. 2. de dub. reg. reſol.* 44. Ratio eſt: quia abſolutio purè, & ſimpliciter data, non eſt explicandum, fuiſſe datam ad reincidentiam, niſi in caſibus à iure expreſsis, vel niſi facultas abſoluendi ita expreſsè conceſſa ſit, vt dicit idem Diana, & etiam conſtat ex Suar. *3. part. tom. 5. diſp. 7. ſect. 5. num.* 35. & *ex cap. Eos, qui de ſent. excomm. in 6.* vnde, cum in priuilegiis Regularibus conceſsis, & Nouitiis communicatis nominatim non exprimatur hæc reincidentia, non eſt dicẽdum, quòd ſi Nouitius recedat à Religione, reincidat in cenſuras, & irregularitates, à quibus in Religione abſolutus fuit. 18.

Colligitur tertiò, profeſſum illegitimum eſſe capacem beneficiorum manualium, quæ ad nutum Abbatis renocari poſſunt, de qua re egi *in tom. 1.* 19.
diſput. 5. q 4. num. 1. non tamen intelligitur legitimari 20.
per profeſsionem emiſſam quoad omnem effectum profeſsionis, vt dicunt Mantica *deciſ. 32. num. 4.* Socin. iunior. *conſ. 48. num. 18.* Guillelm. Benedict. *in cap. Raynutius. verbo, vxorem nomine, part. 1. n.* 200. & Rota *in Peruſina reintegrationis*, 9. Iulij, 1625.
coram bon. mem. Durano. Atque ita poteſt dici, eun- 21.
dem illegitimum profeſſum non poſſe de conſenſu ſui Abbatis effici Vicarium Epiſcopi: quia Vicariatus

dicitur

dicitur dignitas propter eius præeminentiam, & iurisdictionem, vt dicunt Sayrus de censur., lib.6.cap.2. n.3. Hieron. Rodriq. in compend. qq. regul. resol.76. n.9. August. Barbos. de offic. & potest. Episcopi, p.3. alleg.54. n.14. & alij apud eundem Barbos. de iure ecclesiast. lib.1. cap.42. n.197.

22. Et aduertendum est, Iure communi seclusis Religionum priuilegiis, solum Summum Pontificem dispẽsare posse cum illegitimis Religiosis ad dignitates, & Prælaturas, vt dixi tom.1. disp.5. q.14. n.7. Itaque legitimatus ab infantia ad instantiam patris per amplissimam legitimationem vigore facultatum dominorum de Campegiis, non potest eligi in Generalem suæ Religionis, sicut declarauit sacra Congregatio Concilij sub die 12. Martij, 1629. vt refert Barbos. de iure eccles. lib.1. cap.42. num.199.

Antequàm Nouitij professionem solennem emittant, multis gaudẽt priuilegiis, & exemptionibus sicut & cæteri Regulares, vt diximus in principio quæsiti: veniunt enim Nouitij in fauorabilibus, & in rebus priuilegiatis sub nomine Monachorum, vt diximus; quibus sic stantibus, vt perfectiorem cognitionem propositi quæsiti habeamus, ad patriculares gratias, & fauores, immunitates, & exemptiones deueniendum est per sequentes conclusiones.

23. Prima conclusio: Nouitij Regulares gaudent priuilegio, vt possint dispensari à Prælatis Regularibus, sub quorum obedientia degunt in suis votis, quæ quidem vota possint etiam ab eisdem Prælatis commutari. Ita affirmant Rodriq. tom.1. qq. reg. q.25. art.8. Henriq. lib.7. cap.21. n.7. Sanch. in precept. Decal. lib.4. c.39. num.17. Azor tom.1. instit. moral. lib.11. cap.20. q.21. Lessius de iust. & iur. lib.2. cap.40. dub.13. n.107. Barth. à S. Fausto in thes. Relig. lib.3. q.27. n.2. Corduba in suo quæstion. lib.1. q.40. Quicquid dicant Angles in materia de voto, & Lopez part.1. cap.47. qui affirmant, Prælatos supradictos non posse dispensare cum Nouitiis; sed hoc spectare ad Episcopum. Ratio huius conclusionis est, quæ etiam militat contra prædictos Doctores contrarium affirmãtes: quia Prælati Regulares habent iurisdictionem episcopalem erga Nouitios, propter quam iurisdictionem Nouitij dicuntur exempti à iurisdictione Episcopi, vt benè probat Nauar. cap.12. de Regul. num.65.

Et quamuis aliqui negent huiusmodi authoritatem in Prælatis respectu Nouitiorum, ratione iurisdictionis; eam tamen concedunt ratione priuilegiorum, vt dicunt Molsesius part.1. Summ. tract.11. cap.15. n.129. Emmanuel Sà verbo Religio, num.4.

24 Non poterũt tamen Nouitij gaudere priuilegio, vt eorum vota irritentur à Prælatis regularibus: quia non sunt adhuc illis traditi per votum obedientiæ, vt affirmant Naldus in Sum. verbo, Nouitius, num.5. Nauarr. in Manuali, cap.12. n.65. Rodriq. loco cit. Molfesius similiter loco citato, n.75. Barth. à S. Fausto loco cit. lib.2. q.177. Portellus in dub. Reg. verb. Votum, n.18. Sanch. loco cit. c.33. n.28. qui n.32. dicit, quòd Prælati Regulares possunt vota personalia impediẽtia executionem exercitiorum Nouitiatus suspendere: & num.37. docet, quòd tunc suspensa sunt ipso iure. Idem affirmant Suar. tom.3. de Relig. lib.5. cap.11. num.8. & Graff. tom.1. cons. lib.3. de voto, cons.8. num.9.

25. Secunda conclusio: nouitij gaudent priuilegio ante emissam professionem, vt absolui possint à suis Prælatis regularibus ab omnibus casibus, à quibus absolui possunt Monachi professi, absque vinculo reincidentiæ, si recedant à Religione. Probatur: nam Prælati Regulares ferè in omnibus Religionibus gaudent priuilegiis, quibus mediantibus potiuntur æquali facultate absoluendi, tam Monachos professos, quàm Nouitios, vt potest videri in Compend. priuil. tit. Absolutio ordinaria quoad Fratres, num.7. Videatur compend. Societ. Iesu, tit. Communicatio, num.5. Hanc conclusionem docent Reginal. in praxi, lib.8. numero 58. Bonacina de pœnit. q.7. part.4. §.1. num.28. Rodriquez tom.1. qq. regul. q.20. art.21. Naldus in Sum. verbo, Nouitius, num.7. Bartholomæus de Vecchiis disp.9. in praxi Nouit. dub.5. vbi hoc probat validissimis rationibus.

Tertia conclusio: Nouitij Regulares gaudent priuilegio, vt quando de proximo ingredi volunt Religionem, absolui possint per Confessarium illius Religionis à casibus Episcopo reseruatis. Ita docent Bartholomæus de Vecchiis loco cit. dub.7. n.5. & post illum Pater Diana in suis resol. moral. tract.2. de dub. Regul. resol.46. 26.

Quarta conclusio: Gaudent præterea Nouitij regulares hac immunitate, quòd interdicta ciuitate, licèt singuli illius ciuitatis interdicantur; Nouitij tamen, qui eo tempore interdicti erant in Religione, vel ad illam transierunt, interdicti non sunt. Ita affirmant Campanilus in diuers. iur. canon. rubr.12. cap.3. n.28. & Laurent. de Peyrin. tom.2. de Prælat. q.3. cap.1. n.205. Ratio est: quia, vt dicemus, Nouitij gaudent priuilegio fori, & sunt liberi à sæculari potestate. 27.

Quinta conclusio: Nouitij Regulares gaudent omnibus indulgentiis concessis Monachis professis, vt dicunt Portellus in dub. regul. verb. Nouitij absolutio, n.35. Rodriq. tom.3. qq. regul. q.51. art.12. Casarubios in Compend. priuil. Mendicant. verbo, Nouitius, n.22. 28.

Sexta conclusio: Gaudent Nouitij regulares hac prærogatiua, vt possint sibi eligere vnum Confessariũ ex approbatis ab Abbate semel in vita, & in articulo mortis, qui illos ab omnibus casibus, & censuris absoluat, à quibus possent absolui, si essent professi. Ita Suarez tom.4. de Relig. tract.1. lib.2. cap.19. num.9. Laurentius de Peyrinis loco cit. num.203. 29.

An autem virtute Bullæ Cruciatæ possint sibi eligere Confessarium absque licentia Superioris, affirmatiuam partem tenent Rodriq. t.1. qq. reg. q.21. art.11. Suar. loco. cit. Corduba tamen in qq. theolog. q.20. & Bartholomæus de Vecchiis disput.9. dub.5. & Laurentius de Peyrinis loco cit. partem negatiuam sustinent. Sed de hac re fusiùs egi in 2. tom. disp. de Sacram. pœn. 30.

Septima conclusio: Nouitij Regulares gaudent prærogatiua, vt assumi possint ad dignitatem episcopalem, quamuis in Ordine, quem intendunt profiteri, ad nullam dignitatem eligi possint. Elicitur ex cap. Nullus, de elect. in 6. & affirmant hoc idem Azor. tom.1. instit. moral. lib.12. cap.2. q.12. Suar. tom.3. de Relig. lib.5. cap.16. num.15. Rosella verbo, Nouitius, n.30. Angelus eodem verbo, num.19. Sanchez in præcept. Decal. lib.7. cap.4. num.20. Imò notat Suarez loco citato quòd Nouitius potest episcopatum acceptare, & suo tempore profiteri, & consecrari. 31.

Octaua conclusio: Nouitij Regulares gaudent prærogatiua, vt eis beneficia ecclesiastica conferri possint: quia adhuc sont sui iuris; & hoc illis nullibi vetitum reperitur. Ita affirmant Suarez loco cit. num.13. Campanil. in diuers. iur. canon. rub.12. cap.3. num. [illegible]. Azorius tomo 1. instit. moral. libro 12. cap.3. q.1. 32.

Nona conclusio: Nouitij Regulares hoc habent priuilegium, cuiuscunque Ordinis sint, etiam Minorum, & Capucinorum, vt possint institui hæredes, & succedere in paterna hæreditate ex testamento, vel ab intestato. Ita affirmant Sanchez in præcept. Decal. l.7. cap.25. num.3. Cordub. in Regul. S. Francisci, cap.6. q.11. p.1. Laurentius de Peyrinis tom.2. de Prælat. q.3. cap.1. num.124. in fine. 33.

Decima conclusio: Nouitij regulares possunt transigere, ac pacem facere, & accusare, tam in iniuria sibi illata, quàm suis parentibus, & consanguineis. 34.

Ita Sanchez *in precept. Decal. lib. 6. cap. 12. num.* 34. Farinacius *part.* 1. *prax. tit. de accuſ. q.* 13. *num.* 26. Clarus *in practica . lib.* 5. *§ finali, q.* 58. *num.* 25. Bartholomæus de Vecchiis *diſput.* 11. *dub.* 13. *numero* 1. Ratio eſt: quia Nouitij, vt diximus, ſunt ſui iuris; nec ſunt mortui mundo: & illis eadem iura competunt, quæ ſæcularibus.

35. Vndecima concluſio: Nouitij regulares poſſunt ſibi ſepulturam eligere. Ratio eſt: quia, cùm non ſint verè Religioſi, illis ſepultura non prohibetur, *in cap. final. de ſepult. in* 6. Ita affirmant Tabiena *verbo, ſepultura, num.* 4. Armilla *eodem verbo, num.* 6. Sanchez *in precept. Decalogi, lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 10. Si verò ſepulturam non eligant, ſepeliri debent in Monaſteriis, in quibus moriuntur. Ita affirmant Rodriq. *qq. regul. tom.* 3. *q.* 60. *art.* 1. Gratianus *in deciſ. Marchiæ, deciſ.* 35. *num.* 14. Syluester, *v. ſepultura, q.* 8. *dicto.* 7.

36. Duodecima concluſio: Nouitij regulares ſunt immunes à ſolutione gabellarum, cùm ipſi gaudeant priuilegiis Religionis, vt diximus; & Religioſi nominentur, *ex cap. Nullus. de elect. in* 6. Ita affirmant Molina *tract.* 2. *de iuſt. diſp.* 671. *num.* 2. Rodriq. *tom.* 2. *qq. regul. q.* 47. *art.* 8 Barboſa *in ſuis collect. in cap. Aduerſus. num.* 11. *de immunit. Eccleſ.*

37. Decimatertia concluſio: Nouitij regulares gaudent priuilegio fori; vnde, qui illos percutiunt, ſunt excommunicati eo modo, ac ſi percuſſiſſent Monachum, *ex cap. Religioſo. § vlt de ſent. excomm in* 6, ac proinde conueniri non poſſunt coram Iudice ſæculari, neque in ciuilibus, neque in criminalibus cauſis. Ita affirmant Farinacius *par.* 1. *prax. crim. de inquiſit. q.* 8. *num.* 26. Molina *tract.* 2. *de iuſt. diſput.* 671. *num.* 2. Sanchez *in precep. Decal. lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 10. vbi multos Doctores citat, & ſequitur Campanil. *in diuerſ. iur. canon rubr.* 12. *cap.* 4. *num* 27. Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib* 5. *cap.* 11. *num.* 12. Graff. *tom.* 1. *conſ. lib.* 3. *de voto, conſ.* 8. *numero* 12. Ratio eſt: quia Nouitius eſt pars Religionis, quamuis imperfecta, quæ quidem Religio exempta eſt, ac proinde non poteſt conueniri coram Iudice ſæculari, neque in ciuilibus, neque in criminalibus.

QVÆSITVM XXVIII.

Vtrùm Nouitij puniendi ſint pro ſuis delictis à Iudice ſeculari, vel eccleſiaſtico.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius, qui ante ingreſſum Religionis delictum commiſit, quo modo puniri poſſit à Iudice ſæculari, ſi ingreſſus Religionis fuerit in fraudem.*

2 *Nouitius qui abſque vlla fraude ante accuſationē, & inquiſitionem delicti Religionē ingreſſus eſt, nullo modo poteſt à Iudice ſæculari puniri.*

3 *Nouitius de omnibus delictis, etiam homicidij voluntarij, poteſt puniri à Prælato regulari, ſi ipſe velit in Religione permanere.*

4 *Nouitius, qui occidit, vel vulnerat Monachum, & à Religione aufugit, debet à Iudice ſeculari puniri.*

5 *Nouitius, qui ob delictum ſuum non meretur mortem, ſi à Religione egredi velit, poteſt, etiam inuitè puniri, antequàm è Religione egrediatur.*

6 *Nouitius habitu dimiſſo, an poſſit puniri pro delicto in Nouitiatu commiſſo.*

7 *Nouitius, ſi ratione delicti torqueri debet, poterit vtique à Prælato regulari.*

8 *Nouitius pro delictis contra Regulam, & Conſtitutiones, poterit puniri à Prælato regulari, vſque ad pœnam carceris incluſiuè.*

9 *Nouitius pro debitis ciuilibus apud ſuum Superiorem regularem, non autem Iudicem ſæcularem conueniri debet.*

Magna difficultas eſt, de delicto Nouitiorum ab eis commiſſo ante ingreſſum Religionis, an ſit à laïco Iudice puniendus, etiamſi Nouitius in fraudem Religionem ingreſſus ſit.

In hac re Bartholomæus de Vecch. *in praxi Nouit. diſput.* 12. *dub.* 1. aſſerit, quòd in eo caſu, in quo ingreſſus in Religionem factus fuit cum fraude, licèt talis criminoſus iuxta Sixti V. Conſtitutionem omnibus habitibus Religionis ſpoliari, & puniri debeat à Iudice ſæculari, ac ſi Religionem ingreſſus non eſſet; attamen, quia hanc conſtitutionem in hanc parte moderatus fuit Clemens VIII. ingreſſus Religionis dicitur validior, ad hoc, vt Nouitius priuilegio fori gaudeat ad inſtar Clerici, qui ſtatum clericalem cum fraude aſſumpſit: & ideò quemadmodum Clericus puniri nequit à Iudice ſæculari corporaliter; ſed ſolùm in pecunia, ita vt idem Iudex ſæcularis ſit Iudex cauſæ; non autem perſonæ, vt docent communiter Iuriſtæ: ita eodem prorſus modo Nouitius in hoc euentu ad ſummum puniri poteſt à Iudice ſæculari in pecunia, & bonis; non autem in corpore. Et ſubdit circa illam particulam, *ad ſummum*, ſatis probabile eſſe, neque poſſe puniri Nouitium in pecunia, & bonis à Iudice ſæculari, etiamſi cum fraude veniat ad Religionem, vt latè docet Martha *de iuriſd. part.* 4 *centur.* 1. *caſ.* 121. *num.* 12. qui in ingrediente Religionem non admittit hanc diſtinctionem; an, ſcilicet, ſit cum fraude ingreſſus, vel non. 1.

Si verò Nouitius poſt commiſſum delictum abſque fraude ingreditur Religionem ante accuſationem, & inquiſitionem delicti, non poteſt à Iudice ſæculari vllo modo puniri, neque à Religione extrahi, vel incarcerari, vt bene affirmant Couarruu *pract. qq. cap.* 32. *num.* 4. Ioannes Andr. *in cap* 1. *de obligat. ad rat. n.* 20. Syluest. *verbo. Iudex*, 1. *q.* 6. Bartholomæus de Vecchiis *in praxi Nouit. diſp.* 11. *dub.* 12. *num.* 3. Portell. *in dub. regul. verbo, Nouitius, num.* 17. Iulius Clarus *in praxi criminali, lib* 5. *§. final. num.* 43. Ratio eſt: quia, licèt non ſint Nouitij verè profeſſi; pro profeſſis tamen habentur ad hunc effectum vitandi iuriſdictionem ſæcularem, vt dicunt Ancharanus *in cap. Nullus. num.* 3. *de temp. ordin. in* 6. Gratianus *deciſ.* 35. *in deciſ. Marchi. num* 10. 2.

De omnibus delictis, etiam homicidij voluntarij, poteſt puniri Nouitius à ſuo Prælato regulari, ſi ipſe velit in Religione permanere. Ita Naldus *in Sum. verb. Nouit. n.* 3. Curiol. *de caſib. reſeru. part.* 2. *caſu.* 10. *n.* 6. Sanch. *in precept. Decal. lib.* 6. *c.* 10. *n.* 11. Azor. *tom.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *c.* 3. *q.* 2. Rodriq. *tom.* 1. *qq. regul. q.* 2. *art.* 10. Bonacina *de leg. diſp.* 4. *q.* 2. *part.* ... *§.* 4. *num.* 27. Barthol. à S. Fauſto *lib.* 5. *theſaur. Relig. q.* 207. Ratio eſt: quia Nouitij, cùm gaudeant priuilegiis Religionis, exempti ſunt à Iudice ſæculari. 3.

Si verò Nouitius occidit, vel vulnerat aliquem Monachum, ſiue committit aliquod magnum delictum, & deinde à Religione aufugiat; tunc à ſeculari Iudice puniri debet: quia in eo caſu vt ſæcularis cenſetur. Ita Farinacius *par.* 1. *prax. crimin. tit. de inquiſit. q.* 8. *num.* 46. Sanch. *loco cit. num.* 13. Bartholomæus de Vecchiis *diſp.* 11. *dub.* 11. *n.* 6. 4.

Si Nouitius pro delictis, quæ mortem non merentur, è Religione egredi velit, à Prælatis regularibus puniri debet, & inuitè puniri poteſt, & incarcerari, antequam egrediatur è Religione. Ratio eſt: quia, ſi ſub tali prætextu non puniretur à Prælato regulari, remanerent delicta impunita. Ita affirmant Graff. *tom.* 1. *conſ. lib.* 3. *de voto, conſ.* 8. *num.* 8. Suarez *tom.* 3. *de* 5.

Religione

Religione, *lib.5. cap.16. num.18.* Et hoc non est impedire libertatem Nouitij ad egrediendum e Religione, vt habetur *in cap. Statuimus, de regul. & cap. Non solùm*, *eodem tit. in 6.*

6. Si quæras, an Nouitius, habitu Religionis dimisso, possit à Iudice sæculari puniri propter delictum commissum in Nouitiatu? Respondet Molina *de iust. tom.4. tract.5. disput.49. num.24.* quòd potest puniri. Et idem dicit esse dicendum de Religiosis emissis à Societate Iesu. Secùs dicendum est cum Bonacina *de leg. disp. 10. q.2. punct.1. §. 2. num. 5.* qui citat Saytum, Panormitanum, & alios, quòd ecclesiasticæ personæ, quæ statum mutabilem habent, quem arbitratu suo abiicere possunt, eo deposito, clericalibus priuilegiis spoliantur, vt Clerici in minoribus constituti, & Religionum Nouitij; præterquam quòd ob crimina in statu ecclesiastico emissa post eius mutationem non à sæculari, sed ecclesiastico Magistratu conueniri, ac puniri debeant: quia tempus delicti inspiciendum est. Ita Paulus Layman *in Theol. moral lib 4. tract.9. cap 8. num.5.* Ita etiam decisum fuit in Concil. Neapolitano, vt refert Grammat. *decis.10 n.3.*

Dicendum est ergo cum Diana *in suis resol. moral. tract.1. de immunit. Eccl. resol.34.* Nouitium, postquam Religionem deseruit, puniri non posse à laïco Iudice, propter delictum commissum tempore Nouitiatus. Idem etiam dicendum est de Religiosis emissis ex Societate Iesu, si vxorem ducant, vel si in sæculo liberi maneant: nam illos non posse iudicari à laïca potestate propter delicta commissa in Religione, affirmat idem Diana *loco citato.*

7. Quòd si contingat, seu necessarium sit, Nouitium ratione delicti torqueri, poterit vtique à Prælato regulari, vt professus, torqueri, ad veritatem eruendam: hoc enim concernit officium Iudicis; & habetur *ex cap. Cum in contemplatione, de regul. iur.* & docent Suarez *tom.3. de Relig. lib.5. cap.16. num.18.* Sanchez *lib.6. in Decal. cap.10. num.12.* Batthol. de Vecchiis *in praxi Nouit. disp.11. dub. 11. num.3.* Nauar. *lib.2. consil.5. num.3.* & Rodriquez *tom.2. qq. regul. q.2. art.10.* qui dicunt etiam, tunc torquendum esse Nouitium, non per personam sæcularem, sed per Clericum, vel Religiosum, iuxta formam præscriptam *in cap. Vniuersitatis, de sent. excomm.*

Pro delictis autem à Nouitio commissis contra Regulam, & Constitutiones; putà: quia, verbi gratia, silentium non seruauit, lineas camisias detulit, nudus dormiuit; & similia, poterit puniri à Prælato Regulari vsque ad pœnam carceris, etiam inclusiuè, iuxta formam Constitutionum, vt docent Azorius *tom.1. instit. moral. lib.12. cap.2. quæst. 11.* & Sanchez *loco citato, num. 13.* cum Rodriquez *loco similiter citato*: nam supposito, quòd Nouitius permanere velit in Religione, subiacet Prælatis quoad iurisdictionem, & superioritatem. Ita etiam, præter citatos Authores, docent Sylvester *verbo, Religio, 5. quæst.7.* Tabiena *verbo, Nouitius, num.13.* Armilla *eodem verbo, num.18.* Rosella *similiter num. 12.* qui dicunt, Prælatos Regulares posse in carcere detinere Nouitios pro transgressionibus contra Constitutiones, & Regulam commissis. 8.

Aduertendum tamen est contra Suarez *de Relig. tom.3. lib.5. cap.16. num.8.* non posse cogi Nouitium ad luendam pœnam suo delicto condignam, etiamsi, re integra, id est, ante cœptum iudicium, discedere vellet à Religione, vt docent Barth. de Vecchiis *in praxi Nouit. disp.11. n.6.* P. Diana *in suis resolut moral. tract.1. de immunit. Eccl. resol.34. in fine*, & alij.

Si autem Nouitius in Religione existens debita ciuilia habeat, eiusdem creditores eundem non coram Iudice laïco, vel etiam ecclesiastico sæculari; sed coram suo Prælato regulari conuenire debent: nam eidem Nouitius quoad vtrunque forum subditur, ac proinde creditor apud regularem competentem Nouitij Iudicem creditum exigere debet, vt benè notant Sanchez *loco citato*, cum Rodriquez & Azorio *similiter citatis*, & rationem affert Sanchez *numero 10.* quia, videlicet, Nouitius exemptus est, tam à sæculari, & laïco Iudice, quàm etiam à sæculari ecclesiastico. 9.

DISPVTATIO VII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum Regularium, quoad transitum Religiosorum ad aliam Religionem.

QVÆSITVM I.

An Regularibus licitus sit transitus de vna ad aliam Religionem, absque licentia.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi nequeunt propria authoritate ad aliam Religionem, etiam perfectiorem, transire, absque Abbatis licentia, saltem petita; & an peccent mortaliter id faciendo, num.2.*

3 *Religiosus ad arctiorem Religionem se transferens, petita, licèt non obtenta Abbatis licentia, censetur debitè, & ritè translatus.*

4 *Religio, à qua fit transitus, si habeat priuilegia, quod eius Religiosi nequeant ad aliam, etiam strictiorem transire, quid dicendum sit, ostenditur.*

5 Abbas

5 *Abbas huiusmodi licentiam denegans, si sibi constet, illam nec temerè, nec de re incerta postulari, peccat mortaliter.*

6 *Religiosus, si non petita Abbatis licentia, ad arctiorem Religionem transeat & in ea profiteatur, an possit reuocari: & quid, si nondum professionem emisit, vt num. 7.*

8 *Transitus absque licentia factus ad Religionem, de qua dubium est, an sit arctior; an sit inualidus.*

9 *Re[illegible] arctior quæ sit, ad quem spectet determi[illegible]*

10 *Re[illegible] non satisfacit obligationi de petenda licentia, si illam post transitum petat.*

11 *Religiosus non statim ac petit licentiam, potest transire ad arctiorem Religionem; neque etiam statim ac Superior denegat, vt num. 12.*

13 *Superior an, existente iusta causa transitus ad arctiorem Religionem, debeat statim licentiam concedere?*

14 *Consensus Conuentus non necessario requiritur ad hanc licentiam concedendam.*

15 *Religio, ad quam fit transitus, non debet recipere Rel[illegible]giosum sine litteris dimissorialibus.*

16 *Reli[illegible] non licet statim transire ad aliam Religionem, etiam quando dubitatur, an Abbas, vel Superior malo animo denegauerit licentiam; & quid, si dubitatur de malo animo transeuntis, & de minori authoritate Religionis, vt num. 17.*

18 *Religio, ad quam fit transitus, debet esse, non in suo fine perfectior, sed asperior, & durior.*

19 *Re[illegible]ulæ, per quas cognoscitur, Religionem esse strictiorem.*

20 *Rel[illegible]us ad religionem strictiorem transiens debet [illegible] in probatione per annum continuum.*

21 *A[illegible] Religiosi in Claustris non degentes possunt a[illegible]que lic[illegible] suorum Superiorum transire ad Ordines, & Religione[illegible] laustrales.*

22 *Conue[illegible], & Oblati, qui professionem non emittunt, an possint ad arctiorem Religionem transire.*

23 *Prælati exempti, & immediatè Summo Pontifici subiecti, an possint ad arctiorem Religionem transire: & quid dicendum sit de toto Monasterio Religiosorum, vt num. 24.*

25 *Moniales an possint transire de vna ad aliam Religionem.*

26 *Moniales, quibus stantibus conditionibus licentiam à Sacra Congregatione transeundi ad aliud Monasterium obtinere soleant.*

1. REligiosi non possunt propria authoritate ad aliã Religionem, etiam perfectiorem transire sine Abbatis licentia, saltem petita, ne obedientiæ bonum contemnere videantur, *cap. Sane. & cap. Licèt. de Regular.* & ibi communiter Doctores, necnon Theologi cum D. Thom. *in 2.2. quæst. 189. art. 8.* Probatur expresse *ex d. cap. Licet.* ibi: *Subditus à Prælato cum humilitate, & puritate, debet transeundi licentia postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.*

2. Vnde Religiosus ad aliam etiam strictiorem Religionem, non petita Abbatis licentia, transiens peccat mortaliter: quia verbum, *debet*, quod in eo textu appositum est, importat debitum præcepti, & consequenter indicat obligationem sub mortali, data materiei grauitate, vt docent communiter Doctores, præcipue Sanchez *in Decalog. lib. 6. cap. 4. num. 6.* & *cap. 7. num. 27.* Salas *de legibus, disp. 10. sect. 9. n. 47. & 51.* Atque ita docent Sanchez *d. lib. 6. cap. 7. num. 33.* Bonacina *de clausur. quæst. 2. punct. 9. §. 3. difficul. 1. num. 1.*

3. Quòd si huiusmodi transitus fiat licentia Abbatis priùs petita, licèt obtenta non sit, tamen Religiosus dicetur debitè translatus, *d. cap. Licet.* vbi Innocentius III. id expressè concedit, dicens: *Postquam à Prælato suo licentiam postulauerit, ex lege priuata absolutus, liberè potest sanctioris vitæ propositum adimplere, non obstante proterua indiscreti contradictione Prælati.* Atque ita firmant Doctores ibi, & Gloss. *in cap. Cum singula. §. Prohibemus. verbo, canonicè* vbi etiam Franch. *num. 3. circa medium, de præbend. in 6.* Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 10. à n. 12. vsque ad. 17. exclusiuè*, atque hanc esse communem, & receptissimam omnium Theologorum, atque Canonistarum sententiã, ait Tib. Decian. *lib. 7. cons. 20. n. 12.* quem refert & sequitur D. Antonius Ricciullus *tractatu de iure personar. extra grem. Eccles. existen. lib. 8. cap. 4. conclus. 11. num. 19.*

Et hoc etiam si Religio laxior, à qua fit transitus, habeat priuilegium à Sede apostolica, vt eius Religiosi nequeant ad arctiorem Religionem transire. quia dictum priuilegium est intelligendum, vt nequeant ex temeritate, vel leuitate transire: secùs autem ex maiori religione, & bono zelo, vt dicitur *in dicto cap. Licèt.* & Gloss. ibi. Ita dicunt Nauar. *cons. 52. num. 1. de Regular.* Cucch. *lib. 3. instit. maior. tit. 1. de Regul. num. 132.* Azor. *instit. mor. tom. 1. lib. 12. cap. 14. q. 4.* Reginal. *in praxi, lib. 28. num. 412.* & Rota *in vna Bononien. Professionis*, 14 Martij, 1622. coram Domino meo Merlino. Tenetur tamen Religiosus priùs debito tempore expectare, an Superior sibi licentiam concedere velit, & deinde transire, vt aiunt Doctores cit. 4.

Peccat autem mortaliter Abbas licentiam denegans, si sibi constet, illam nec temerè, nec de re incerta, aut dubia postulari: quia iniuriam subdito facit, illi ius suum denegando, & quantùm ex parte sua est, impediendo meliorem statum, & scandali, vel infamiæ occasionem præbendo, si subditus, ipso renuente, transeat. Probatur ex [illegible]ex. cit. *cap. Licet. Sine difficultate, & prauitate qualibet debet transeundi licentiam indulgere, ne videatur propositum impedire diuinitus inspiratum.* Ita Suar. *d. cap. 10 num. 17.* 5.

Hæc licentia ex vi iuris communis non est de substantia huius translationis, sed requiritur tantùm, vt actus rectè fiat: vnde, si Religiosus, qui absque licentia petita ad arctiorem Religionem transiuit, iam in ea professus est: professio erit valida, nec Religiosus ampliùs reuocari poterit. Ita Gloss. *in d. cap. Sanè & d. cap. Licèt. verbo, licentiã postulauerit, de regular.* Abbas antiquus, Goffredus & Petrus de Ancharano, quos refert, licèt non sequa[illegible]r Panormit. *in d. cap. Licèt. num. 10.* Sequitur Syluest. *verbo, Religio, 4. num. 7.* citans Archid[illegible] & [illegible] at Turrecrem. *in cap. Nullus. 18. q. 3.* Richard. *in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 8.* Palud. *in 4. d. 39. quæst. 4. art. 4.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 101.* & alios, quos citat, & sequitur Sanctarellus *de apost.* [illegible] *cap. 8. dub. vnic[illegible], num. 6.* Bonacin. *de clausur. quæst. 2. punct. 9. §. 3. difficult. 1. num. 7.* Suar. *d. cap. [illegible] num. 22.* qui *num. 26.* 6.

subdit, nec etiam reuocari posse: si nondum professionem emisit, sed habitum tantùm recipit, & iam 7. est in probatione: sed satis esse, vt illam petat ad ibi permanendum: nam id, quod emissum fuit, accidentale erat, non de substantia actus, vt dictum est, & ideò videtur sufficiens, si suppleatur eo modo quo fieri poterit non reuocando, quod anteà fac[illegible] fuerat, cùm id nullius vtilitatis esse videatur: [illegible] Religiosus, qui transiuit, regredi potest [illegible] post petitam licentiam, etiamsi eam no[illegible].

Limitantur hæc omnia [illegible] an transitus fiat, vel factus sit ad arctiorem Reli[illegible]onem, [illegible] ne: tunc enim transitus absque licentia inualidus [illegible]: 8.

quia

quia in tali caſu ; vel non ſufficit licentiam petere ; ſed neceſſarium eſt, illam obtinere; vel ſi Abbas eam concedere noluerit, iure ſuo priuati non poteſt, antequàm dubium Superioris iudicio terminetur, *iuxta tex. d. cap. Licèt.* In dubio enim melior eſt conditio Abbatis poſſidentis. Ita Innocent *ſuper d cap. Licet.* & Butrius *ibidem*, *num.* 8. Panormit. *num.* 3. Illuſtriſſimus Antonius Ricciullus *d. cap.* 4. *num.* 20. Suarez *diſp.* 10. *num.* 27.

9. Dum autem non cognoſcitur, an Religio ſit arctior, Religioſus in priori Monaſterio manere debet: nam donec Superioris determinatio aduenerit, debet remanere in eo ſtatu, in quo reperitur, ne Monaſterium, ſeu Religio, lite pendente, ſua poſſeſſione priuetur, *l. Lite ordinaria. C. de liberali cauſ. l. Ordinata ff. eod. tit. cit.* Butr. *ſuper d. cap. Licet n.* 10. & Anan. *ibidem*, *num.* 6. Antonius Ricciullus *d. cap.* 4. *num.* 21. Quòd ſi ſtante dubio, Religioſus nihilominùs ſine licentia tranſeat, reuocandus eſt etiam poſt profeſſionem alibi factam, vt primum Monaſterium in ſuam profeſſionem reſtituatur, & deinde de dubio inter ſubditum, & Prælatum agatur. Suar. *d. num.* 27. Difficultas autem eſt, cuius Superioris iudicium in hoc requirendum ſit. Innocent. quẽ ſequuntur Butr. Anan. & Panormit. *ſuper. d. cap. Licet.* & Syluest. *verbo. Relig* 4. *n.* 7. & Anton. Ricciul. *d. cap.* 4. *num.* 10. aiunt, in hoc caſu illum eſſe Superiorem, ad quem appellaretur, ſi Religioſus ille grauaretur: vnde eorum iudicio recurrendum eſſe. ad immediatum Superiorem Religioſi tranſire volentis, & Abbatis licentiam denegantis. Eorum ratio eſt: quia prius Prælatus non deberet eſſe Index in ſua cauſa. At Suar. vbi *ſup. num.* 28. cuius ſententia mihi magis probatur veriſimiliter cenſet, illud iudicium vtriuſque Religionis Superiori reſeruandum eſſe; qui Superior, ſi vtraque Religio, vel earum altera exempta ſit, erit Summus Pontifex: quia, ſi committendum eſſet determinationi Generalis, vel alterius Superioris eiuſdem Religionis, ſequeretur, quòd ij eſſent Iudices in cauſa propria: ob quam rationem Authores primæ ſententiæ cenſebant, illud iudicium ſuperiori commitendum eſſe. Quod ex eo patet: nam, ſi hoc caſu de rigore non vertit dubium inter Prælatum, & ſubditum; ſed inter Religiones, quæ, ſcilicet, illarum ſtr[illegible]ior, aut laxior, vnde Prælatorum dictæ eiuſdem Religionis propriæ perſonæ commodum, ſed ſuæ Religionis iura, & dignitatem tueri contendit; & ideò eorum omnium reſpectu illa cauſa tanquàm propria cenſetur.

Ex quibus deducitur primò cum Azot. *t.* 1. *inſtit. moral lib.* 12 *cap.* 14. *q.* 6. & Bartholom. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 5. *q.* 331. non ſatisfieri prædictæ obligationi petendo licentiam poſt tranſitum ad arctiorem Religionem. Ratio eſt: quia quotieſcunque in aliquo actu requiritur petere licentiam, debet neceſſariò ante illum actum peti.

Secundò deducitur, non ſtatim, ac petitur licentia, fas eſſe tranſire ad Religionem ſtrictiorem; ſed debet expectari reſponſio Superioris debito tempore. Ita Azorius *loco citato, quæſ.* 5. *verſ. Quares an.* Bartholom. à S Fauſto. *q.* 239. Barboſa *de iure eccleſ. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 67. vbi ait, ſubditum tranſeundi licẽtiam petentem. eſſe interrogandum ab Abbate de cauſa inducente ad talem tranſitum: & tunc ſubditus tenetur cauſam exprimere.

2. Tertiò deducitur cum eodem Barboſa *loco cit. num.* 68. non ſtatim ac Superior denegat licentiam, fas eſſe ſubdito tranſire ad ſtrictiorem Religionem: quia poteſt ex cauſa iuſta denegare. Quòd ſi nullam cauſam aſſignet, tunc ſubditi eſt petere cauſam denegatæ ſibi licentiæ; & ſi Superior eam exprimere nolit, hoc ſibi imputare debet, & tunc licebit ſubdito tranſire ad aliam Religionem. Ita affirmant Innocentius, Hoſtienſis, Ioan. Andr. & Zabarella, quos citat, & ſequitur idem Barboſa *loco cit*, *num.* 69. vbi ſubinfert, quòd licebit ſubdito ſtatim tranſire, quando Superior iudicans cauſam eſſe iuſtam, denegat licentiam, vel nihil reſpondet, vel allegat cauſam negationis euidenter iniuſtam: quia tunc conſtat de indiſcreta, & proterua denegatione licentiæ. Ita Azorius *loco citato*, *cap.* 40. *q.* 5. Rebuffus, & Rodriq. ſimul, cum aliis *ſuperius* citatis apud eundem Barboſam *loco citato*.

13. Non tamen inferas, exiſtente cauſa iuſta tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem, debere ſtatim concedi licentiam tranſeundi ad illam: ſed primò quærendum eſt, an Religio ſtrictior ſit parata ad recipiendum volentem tranſire ad illam: quòd ſi anteà Monachus ille recedat, eſt Apoſtata: quia ſub nullius obedientia ſe conſtituit; poſſet tamen Prælatus exhibere licentiam ſubdito exeundi Monaſterio: ſed ſub ſua obedientia adhuc manens quærat Religionem ſtrictiorem. Sed hoc negat Bartholomæus de Vecchiis *diſput.* 15. *dub.* 2. *num.* 9. ſtante Decreto *Sacræ* Congregationis nouiſſimè edito iuſſu Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. anno 1624. die 21. Septembris, vbi ſtatuitur, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit, eam Religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit: & tunc Regularis rectè ſe transferat ad arctiorem: quod vt re ipſa adimpleat, idem Superior omni ſtudio. ac diligentia inuigilet.

14. Quartò deducitur, ad hanc licentiam concedendam non eſſe neceſſarium conſenſum Conuentus, vt dicũt Nauar. *com* 4. *de Regul. n.* 10. & Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib.* 5. *q.* 333. Ratio eſt: quia *d. cap. Licet. de Regul.* obligat tantùm ad petendum licentiam à Prælato.

15. Quintò deducitur, quòd Religioſi, ad quos fit tranſitus, nullo modo eum debent recipere abſque litteris dimiſſoriis ſui Superioris; quamuis eis conſtaret, licentiam fuiſſe petitam, ſed non obtentam: debent enim perquirere cauſam denegationis, & non aliter eum recipere, quàm ſi ille Superior nullam, vel euidenter iniuſtam cauſam denegationis aſſignaret. Ita Innocent. *in d. cap. Licet. n.* 5. Zabarell. *ſimiliter num.* 16. & Ioann. Andr. *ibid. num.* 13. & Bartholom. de Vecchiis *num.* 11. vbi *num.* 12. dicit, quòd indubitatum eſt, quòd recipientes alienum Religioſum ſine præfatis litteris, peccant mortaliter. Et hoc probat ex c. *Non eſt vobis. de Regul.* & c. *Statuimus.* 19. *q.* 3. idem docent Zabatella *in d. cap. Licet. num.* 17. Ioan. Andr. *ibid. num.* 13. Hoſtienſ. *ſimiliter. num.* 14.

16. Sed, ſi dubitaretur, quo animo, bono, vel malo Abbas denegaret licentiam, tunc non eſt ſtandum iudicio ſubditi, vt ei ſtatim liceat tranſire ad aliam Religionem, nec etiam Superioris denegantis licentiam; ſed eius Superioris iudicium expectandum eſt, ad quem, vt ad verum Superiorem, & maiorem ſpectat hoc inquirere, eo modo, quo Religioſus contra ius vexatus recurrit ad maiorem Superiorem, vt elicitur ex Azor. *loco cit. cap.* 14. *q.* 5. & Barthol. de Vecchiis *diſput.* 15. *dub.* 2. *num.* 16. Idem dicendum eſt, ſi dubitetur, an Religio, ad quam quis ſe conferre deſiderat, ſit arctior, nécne. Si enim omnibus diligenter perſpectis dubitetur, an Religio, ad quam ſubditus ſe transferre cupit, ſit, nécne, arctior; aut ſi dubitetur, num Religioſus ex charitate tranſitum procuret; in ijs dubiis, neque iudicio ſubditi petentis, neque Superioris denegantis eſt ſtandum, ſed maioris Superioris, vt diximus, nempe, Generalis, vel Prouincialis expectandum

dum est iudicium. Ita docent Host. *part.1.Sum.lib.1. tit 20 art.10.q.1.* Syluester *verbo*, *Religio,4.q.1.* Rosella *eod verbo,4. num.2.* Tabiena *similiter*, *num.24.* Azor. *loco cit.cap.14.q 5.* Cucchus *lib.3. instit.maior. tit.1.num.132. de Regul.* Idem dicendum est in omni alio dubio, si dubitetur, an Monasterium passurum sit, nécne, ex transitu Religiosi damnum notabile, vel grauem infamiam.

17. In dubio verò, an subditus bono, vel malo animo transeat ad aliam Religionem; & similiter in dubio, an Religio illa, ad quam se transfert, sit strictior, affirmat Sanchez *tom.2. in precept. Decal. lib.6. cap.7. num.16.* non posse Religiosum illum transire, denegata ei licentia per Superiorem: sed ad licitum transitum, oportere, vt ab eo, vel ab alio Superiore, ad quem prouocatur, obtineatur licentia. Idem affirmat Barbosa *de iure eccles. lib.1. cap.42. num.72.*

18. Sextò infertur, quòd in huiusmodi transitu non est attendendum, an Religio sit in ordine ad suum finem perfectior, & fructuosior; sed an sit asperior, & arctior, & durior, vt elicitur *in d.cap.Licet, in fine*, de quate agendum est ex professo *infrà, in quaest 4. per totum.* Interim videantur, Syluest. *verbo*, *Religio,4. q 1.num.3.* Cucchus *instit maior.lib.3.tit.1.num.136.* Nauarr. *d comm 4.de Regul num.2.* Ioan.And. *eod.cap. Licet,num.8.* Zabatella *similiter q.vlt.* Abb. *ibid.in fin.* Azor. *1.tom. instit.moral.lib.12.c.14.q.2.* Sanchez *loco cit.n 21.* Valer. Reginald. *in praxi,lib.18.c.29.n.414.* Barthol.de Vecchiis *dub.1. num 15. disp.15.*

19. Ad hoc autem, vt cognoscatur Religio, quænam sit strictior, multa consideranda sunt scilicet, originalis, & primæua institutio, Regula, Constitutiones, adeò vt si Constitutiones post originalem institutionem editæ maiorem inducant asperitatem, Religiò arctior dicetur, vt benè aduertunt Ioan. And. *d. cap. Licet,num.2.* Butr. *ibidem, num 4.* Sanch. *loco cit.n.23.* Bartholom. à S. Fausto *loco cit. lib.5. q. 324.* Ludouicus Miranda *in Manual.Prælat.tom.1. quæst.31.art.4. concl. 1.* vbi ait, quòd si aliqua Religio sit deformata, & in ipsa ad vnguem non obseruetur Regula, licitus est transitus ex ipsa ad aliam, quæ aliàs erat minùs stricta, & perfecta in foro exteriori: quod clarè constat *ex d. cap. Licet*, vbi non ponderatur, qualis fuerit prior Regula; sed, qualis sit præsens obseruantia. Idem affirmant Azor. *loco cit. cap.14 q.3* Nauar. *d.comm.4. de Regul.n.1.* Sanchez *loco cit.cap.7.num.24.* qui ferè omnes aduertunt, vt permittatur transitus à Religione ex primæua eius institutione arctiori ad aliam. Cùm autem probare in particulari, quæ sit Religio perfectior, esset difficillimum, ob tam varios fines Religionum, imò esset odiosum ob varias lites, & rationes, quibus vnaquæque Religio suam perfectionem ostendit; ideò textus dictus *in cap. Licèt*, posuit asperitatem, non verò perfectionem: asperior enim Religio attendenda est, non verò perfectior, vt dicemus *inferius in quæst. 4.*

20. Septimò deducitur, Religiosum ad Religionem strictiorem transeuntem stare debere in probatione per annum continuum, & postea debet emittere professionem, vt probat Barthol. de Vecch. *in praxi Nouit. disp.11.dub.2.* Si verò Regularis ille, qui transit, fiat Prælatus in illa strictiori Religione, non requiritur annus probationis; sed sufficit professio tacita, nec requiritur professio noua, cùm substantialia sint eadem, & ob obseruantias cæteras satis censeatur obligari ea consuetudine, & lege, qua Prælati Regulares se communi Regulæ, & statutis loci conformare tenentur, vt benè dicunt Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.41.dub.13. num.161.* Nauar. *lib.3 cons.60. in fin. de Regul.* Azor. *tom.1. instit. moral.cap.3. quæst.5.* & Bartholomæus de Vecchiis *disput.15. dub.2. num.18.* vbi *num. 19.* dicit, teneri Superiorem recipere Religiosum, cui concessit licentiam transeundi ad arctiorem, si ante emissam professionem in secunda Religione, reuerti vult ad priorem: eò quòd rigorem strictioris sustinere nequit; & quia pœnituit. Ratio est: quia licentia transeundi, & renunciatio prioris Religionis facta fuit ex causa, qua non secuta, nullius etiam sequitur effectus. Quod etiam docent Miranda *tom 1. Manual.Prælat. art.18.* Rosella *verbo, Religio,4.n 9.* Syluest. *eodem verbo,4.q.5.* Tabiena *similiter num 24.* Idem dicendum est de Religioso, qui iniustè transiuit à sua in aliam Religionem: hic enim recipi debet in priori Religione, vt affirmant Panormitan. *consil.95. num.2.* & Barthulom. de Vecch. *loco citato, num.19. in fine.*

21. Octauò deducitur, Religiosos milites in Claustris vitam communem non degentes, absque licentia suorum Superiorum posse transire ad Ordines & & Religiones Claustrales, vt consuetudo iam obtinuit, & etiam fuit decisum *in Bononien. Professionis*, die 14. Martij, 1622. coram D. meo Merlino, etiamsi Religiu Militum priuilegio gauderet, ne Equites, ad aliam Religionem transire possint, absque sui Superioris licentia.

22. Dubium hîc non videtur omittendum, an Conuersi & Oblati, qui professionem non emittunt, possint ad arctiorem Religionem transire eo modo, quo possunt cæteri Religiosi, Gloss. *in cap. Vt lex*, *verbo, Professi, in fine, 27. quæst.1.* negat: quia illi iam sunt effecti serui Ecclesiæ. Eam sequitur Panormit. *in cap. Non est, num.3. de Regular.* atque idem dicunt Angel. *verbo, Monachus, num.1.* & alij. Ricciul. *d.cap.4. num.vlt.* Contrarium tamen dicendum est: quia simplex oblatio priori Monasterio facta non potest maiorem vim habere, quàm habeat professio: tum, quia non debet impedire transitum ad melioris vitæ frugem, aliàs non esset rationabilis oblatio, cùm principaliter ad Dei obsequium, & animæ salutem ordinetur. Atque ita sentiunt Archidiac. *in d. cap. Vt lex.* Gregor. Lopez *in l.9. tit.7. part. 1.* Felin. *in cap. In præsenti, col.3. num 4. in fin de probat.* & alij, quos refert, & sequitur Antonius Ricciullus *d. num. vltim. vers.Cæterùm.* Martinus Bonacin. *de clausur. quæst.2. punct.9.§ 2.num.3.* & Suarez *dicto cap.10. num.1.* vbi probabiliter censet, illos ad emittendam veram religiosam professionem ad quamlibet Religionem transire: quia status eorum est simpliciter status professionis: at emittendo veram religiosam professionem fit transitus ad meliorem statum.

23. Oritur etiam dubium de Prælatis exemptis, qui non subsunt immediatè Summo Pontifici, an possint transire ad strictiorem Religionem? Cui dubio respondeo affirmatiuè: nam illi ad instar aliorum Religiosorum transire possunt ad strictiorem Religionem, petita licentia, licèt denegata à Superiore: quia supradictum *cap.Licet, de Regul. in 6.* excipit tantùm Episcopus, non obtenta Summi Pontificis licentia. Ita docent Abb. *in d.cap. Licet, num.13.* Henriq. *n.4.* Ancharan. *num.8. not.13.* Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig. lib.5. quæst.328.* Sanchez *loco cit.cap.7.num.8.* vbi etiam docet, Generales Religionum, & alios immediatè Pontifici subiectos ad Religionem strictiorem transire posse, petita licentia à Summo Pontifice, eo non respondente, non tamen negate. Quòd si transitus factus sit in præiudicium Abbatis transeuntis, licèt tunc valeret, adbuc per Pontificem posset reuocari. Atque ita resoluunt Syluester *verbo*, *Religio, 4. quæst.3.* Azor. *instit. mor.p.prt.1.lib.1. cap.14. quæst.7.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. sub num.8.* Ricciullus *d. cap.4. num.25. vers. ... ero subsit.*

24. Dubitari præterea potest, de toto Monasterio Religiosorum,

gloſorum, an poſſint omnes ſimul tráſire ad ſtrictiorem Religionem. Sanchez *tom. 2. in precept. Decal l. 6. cap. 7. num. 7.* Ricciullus *loco cit. cap. 4. num. 15.* Tapia *in Authent. Ingreſſi. C. de ſacroſ. Eccl. verbo, Ingreſſi, cap. 9. num.* 37. Rodriq. *qq. regul. tom. 3. q. 52. art. 1.* affirmatiuè reſpondent. Nec obſtat textus *in cap. vnico, §. Confirmatos, in fine, de relig. Dom. in 6.* quia loquitur ibi de totali tranſlatione, ſcilicet, de loco, & perſonis, non verò loquitur tantùm de tranſlatione perſonarũ, vt obſeruát Sách. *loco cit.* & Barboſ. *de iur. eccl. lib. 1. cap. 42. num. 51.*

15. Dubitatur etiam de Monialibus, an, videlicet, vna Monialis poſſit de ſua Religione ad aliam Religionem ſtrictiorem tranſire, eo modo, quo diximus de Religioſis viris.

Reſpondeo, quamuis *d. cap. Licèt. de regular. in 6.* loquatur ſolùm de Religioſis viris, non Monialibus; tamen cauſæ in eo expreſſæ propter tranſitum ad ſtrictiorem Religionem, poſſunt procedere etiam de Monialibus, quæ olim, vt habetur *in cap. 1. q. 4.* ad Religionem perfectiorem, & ſtrictiorem tranſire poterant; & etiam poſſe hodie huiuſmodi tranſitum habere, affirmant Zerola *in praxi Epiſcop. part. 1. verbo, Moniales, in fine*, Mandoſius *de ſignat. gratia verbo, licentia, col.* 9. Rodriq. *d. tom. 2. q. 52. art. 6.* Tapia *loco cit. cap. 9. num* 37. Bartholomæus à S. Fauſto *q. 327.* Ricciullus *loco cit. lib. 8. c. 5. in princ. & num. 4.* aſſerit, nec Concilium Tridentinum, neque conſtitutionem Pij V. prohibuiſſe hanc tranſlationem Monialium, imò illam approbaſſe Sacram Congregationem ſuper negotiis Epiſcoporum, & Regularium, præſertim *in vna Nanaten.* 16 Ianuarij, 1615. & *in vna Redonenſi*, 31. Ianuarij, 1617. Hoc autem aduertendum eſt in tali tranſlatione, quòd, licèt fieri poſſit in caſibus à iure permiſſis ex authoritate Epiſcopi, & Superioris Monaſterij, vt dicunt Rodriq. *loco cit. art.* 3. & Sanchez *loco cit. cap. 7. num. 6.* tamen Sacra Congregatio cenſuit, ad eam in ſimilibus caſibus eſſe recurrendum, & præſertim in dictis Nanatenſi, & Redonenſi.

16. Quatuor tamen códitionibus adiunctis eadem Sacra Congregatio ſimiles licentias concedere ſolet, vt habetur apud eundem Ricciullum *loco citato*, & Barboſam *loco ſimiliter citato num.* 46. Prima conditio eſt, vt antequam è primo Monaſterio egrediatur Monialis, aliud Monaſterium paratum ſit, à quo beneuolas habeat receptrices; quódque in eo capitulariter per ſecreta ſuffragia recipiatur. Secunda conditio, vt dotem à cæteris Monialibus præſtari ſolitam perſoluat. Tertia, vt ſpes illi auferatur ad primum Monaſterium redeundi. Quarta, vt tranſactio fiat, comitantibus matronis, conſanguineis grauibus, ab vno ad aliud Monaſterium recta via, abſque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur, niſi cauſa hoſpitij, idque non niſi apud honeſtas perſonas. In hac re videtur reiicienda opinio Portelli *de dub. Regul. verbo, Religionis tranſitus, n. 4.* vbi hoc putat impoſſibile, maximè cùm *d. cap. Licet.* non loquatur de Monialibus; ſed tantùm de viris Religioſis; tamen concludit de licentia Summi Pontificis, propter clauſuram fieri poſſe, quod etiam docuit Rodriq. ab eodem Portello citatus.

QVÆSITVM II.

An aliquibus Regularibus ſpeciali iure ſit interdictus tranſitus à ſua ad aliam Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Benedictini Monachi non poſſunt tranſire ad quẽcunque Ordinem, etiam ad Carthuſiam, ſine conſenſu generalis Capituli.*

2 *S. Benedicti Congregationis Monachi in Hiſpania non poſſunt tranſire ad quancunque Religionem, etiam Carthuſiam, ſine licentia Papæ.*

3 *Ciſtercienſes non poſſunt tranſire ad quencunque Ordinem, excepta Carthuſia.*

4 *S. Hieronymi Congregationis Monachi in Hiſpania non poſſunt tranſire ad quencunque Ordinẽ.*

5 *Auguſtiniani Diſcalceati non poſſunt tranſire ad alios Calceatos eiuſdẽ Ordinis, ſine licẽtia Papæ.*

6 *Reformati B. Mariæ de Mercede Redemptionis captiuorum non poſſunt tranſire ad Calceatos eiuſdẽ Ordinis, ſine licentia Papæ. & n. 8.*

7 *Mendicantes non poſſunt tranſire ad Ordines monachales, excepta Carthuſia, ſine licentia Summi Pontificis. & n. 12*

9 *Societatis* IESV *Patres non poſſunt tranſire poſt emiſſa vota ad aliam Religionem, excepta Carthuſia; niſi de expreſſa licentia Præpoſiti, aut Summi pontificis.*

10 *Minores Obſeruantes non poſſunt tranſire ad Minimos, niſi de licentia Papæ.*

11 *Capucini an poſſint ad aliquem laxiorem Ordinẽ tranſire.*

13 *Minimorum Religio an arctior ſit Religione Carthuſiana.*

14 *Tranſitus de vna Religione ad aliam non fuit ablatus à Pio V. per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit:* Quæcunque ſacrarum.

ALiqui Regulares per ſpeciales conſtitutiones Summorum Pontificum non poſſunt tranſire, de ſola Superioris licentia, eo modo quo diximus *in antecedenti quæſito*, de ſua ad aliam Religionem, etiam ſtrictiorem. Inter quos ſunt Monachi Benedictini, aliàs S. Iuſtinæ de Padua, & Ciſtercienſes, qui ex conſtit. Eugenij IV. quæ habetur *in compend. priuil. Ciſtercien. in Eugenius. §. 1. & 2.* non poſſunt tranſire ad quencunque Ordinem, etiam ad Carthuſiam, ſine conſenſu generalis Capituli, ſeu Præſidentis, aut minoris partis Viſitatorum Congregationis; nec etiam authoritate apoſtolica, niſi in litteris fiat ſpecifica mẽtio de perſona, & Religione ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda contra recipientes, ſeu retinentes, qui intra triduum à receptione Monachi receptum non reſtituerint. 1.

Monachi Congregationis S. Benedicti in Hiſpania tranſire non poſſunt ad aliam Religionem quancunque, etiam Carthuſienſem, niſi obtenta licentia Papæ, vel Generalis, aut ſui Monaſterij cum Abbate; & excommunicantur tranſeuntes, eoſque recipientes. Ita ſtatuit idem Eugenius IV. vt habetur *in d. Compẽd. Ciſtercienſ. loco citato.* 2.

Martinus Papa V. conceſſit Ciſtercienſibus ſimile priuilegium, cum hoc addito, quòd poſſint tranſire ad Carthuſiam: quod quidem priuilegium confirmatum fuiſſe à Concilio Baſileenſi affirmat Barboſa *de iur. eccl. lib. 1. cap. 41. dub. 56.* 3.

Monachi S. Hieronymi in Hiſpania eodem fruũtur priuilegio, vt habetur *in Compend. eiuſdem Relig. verb. Tranſitus.* 4.

Clemens Papa V. in ſua conſtit. quæ incipit: *Apoſtolica.* ſub die 11. Februarij, 1602. prohibet tranſitum à Diſcalceatis S. Auguſtini ad Calceatos eiuſdem Ordinis ſiue ad quencunque alium Ordinem laxiorem ſine ſpeciali Sedis apoſtolicæ licentia. 5.

Vrbanus Papa VIII. in ſua conſtit. quæ incipit: *Inuncti.* 19. Ianuarij, 1628. prohibet tranſitum Reformatorum Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, ad Calceatos, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. 6.

Mendicantes non possunt transire ad Ordines monachales, excepta Carthusia, sine expressa licentia Summi Pontificis. Ita statuit Martinus V. vt habetur *in Extrauag. Viā ambitiosæ. de Regul.* Et huiusmodi transitus interdictus est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reseruata, eámque incurrunt tam recipientes, quàm recepti.

Huiusmodi constitutio Martini V. extensa fuit per Bullam Pij IV. & Pij V, ad Societatem Iesu, & extensa est similis censura, tam respectu transeuntium, quàm recipientium respectu quotuncunque Ordinum, ablato Carthusiano: vnde Sacra Congregatio Cardinalium rescribens Generali Carthusianorum, vt affirmat Barbosa *loco cit. num.* 53. declarauit, non posse Regulares mendicantes transire ad alium Ordinem, prȩterquàm ad Carthusianos, inter quos Mendicantes huiusmodi iuxta constitutionem Clementis VIII. voce actiua, & passiua careant, atque ad quæuis officia, aut ministeria, ac gradus Religionis perpetuò inhabiles existant.

8. Generali Sanctissimæ Trinitatis Redēptionis Captiuorum, petentibus eiusdem Ordinis Fratribus, prohibitus est transitus, quoad suos Fratres, de sua ad aliam Religionem, per sacram Congregationem Cardinalium, vt refert Barbosa *loco cit. num.* 54. sub his verbis eiusdem Sacræ Congregationis: *Ne Ordinis huiusmodi Religiosi ad alium quencunque etiam Mendicantium Ordinem se transferant, nisi petita à Superioribus licentia, cognitaque & approbata prius ab eadem sacra Congregatione transitus causa, ac inuentis in Religione ad quam transire intendunt beneuolis receptoribus, nec non seruata, vbi opus fuerit, felicis recordationis Sixti Papæ V. constitutione, prohibendum censuit* 15. *Martij*, 1616.

9. Patres Societatis Iesu, post emissa vota, secundùm eorum constitutiones, non possunt ad aliam Religionem transferri, excepta Carthusiana, nisi de expressa licentia Præpositi eiusdem Societatis, aut Sedis apostolicæ. Ita statuerunt Paulus III. Pius IV. & Pius V. adiecta pœna excommunicationis, ipso facto incurrenda, tam contra recipientes, quàm receptos, etiam prætextu cuiusuis priuilegij, vel cuiusuis quæsiti coloris, etiam melioris, & strictioris vitæ, & obseruantiæ. Ex quibus prædictorum Pontificum indultis, si voluerint transire ad Carthusianos, requiritur spatium sex mensium. Ad alium verò Ordinem terminus Superioris arbitrio præscribatur, intra quem debeat actualiter ingredi, & quatenus permanere noluerit, vel non possint, absque vlla mora ad Societatem reuerti teneantur sub eadem pœna excommunicationis. Deinde per Gregorium XIII. statutum fuit transire volentibus ad Carthusienses trium mensium spatium, quo elapso spatio, eis ampliùs non liceat respectu Carthusiæ sine Præpositi licentia transire, adiecta pœna excommunicationis, & apostasiæ. Ita habetur *in compend. priuil. eiusdem Societatis, verbo, Apostata.* Videatur Sanchez *loco cit. cap.* 7. *num.* 28.

10. Minores Obseruantes non possunt ad Minimos transire, nisi de licentia Summi Pontificis, & è conuerso per constitutionem Pij V confirmatam à Gregorio XIII. vt dicit Capucinus *in add. ad Compend. priuileg. tit. recipere.* § *item in anno.* & deinde Sacra Congregatio Cardinalium authoritate Gregorij XIV. statuit, vt transeuntes, & illos recipientes incurrant pœnam priuationis officiorum ipso facto, & vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum.

11. Et Papa Vrbanus VIII. in sua constit. quæ incipit: *Iniuncti.* 9. Augusti, 1628. prohibuit Capucinis, ne ad laxiorem Religionem absque speciali Sedis apostolicæ licentia; ad Carthusienses verò, seu quencunque alium Ordinem, vel Congregationem, nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis licentia in scriptis obtinenda, quouis prætextu, aut ex quauis, quantumuis iusta, legitima, & priuilegiata causa sub apostasiæ, & infamiæ perpetuæ pœna, necnon excommunicationis, ac priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ipso facto absque vlla declaratione incurrenda, transire quoquo modo audeant, siue præsumant.

Eisdem Capucinis non licet recipere Fratres Minores de Obseruantia sine licentia Sedis apostolicæ in scriptis obtinenda, sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcunque officia, & legitimos actus. Ita statuit Paulus III. vt habetur apud Sorbum *in Compendio priuilegiorum, titulo, Recipere, vers. Pariter sic aduertendum.* Vnde Iulius III. renouando huiusmodi prohibitionem declarauit, talem receptionem, & professionem sine licentia esse nullam, & Capucinos recipientes incurrisse præfatas pœnas. Idem statuit Sixtus V. anno 1586. in const. quæ incipit: *Pro ea* ita habetur apud eundem Sorbum *loco citato.*

Bartholomæus de Vecchijs *in praxi Neuit. disput.* 15. *dub.* 3. *num.* 6. dicit quòd nullus Capucinus ad Ordinem S. Francisci de Paula, & nullus Frater S. Francisci de Paula ad Capucinos vllo vnquam tempore, & quantuncunque iustissima causa, etiam de licentia suorum Superiorum, se transferre potest, vt statuit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Sedis apostolica solertia.* anno 1567. die 6. Octobris, quæ confirmata fuit à Gregorio XIII. prout refert Pallatellus *in Compend. priuileg. fol.* 116. vbi etiam refert, Sacram Congregationem Cardinalium iussu Gregorij XIV. anno 1591. die 27. Maij statuisse, Religiosus harum duarum Religionum transeuntes ex vna ad aliam contra formam præfatæ constitutionis Pij V. ipso facto pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & etiam omnium officiorum incurrere.

Quibus positis, aduertendum est, quòd supradicta priuilegia ferè omnia, & præsertim quoad Mendicantes, dum prohibent transitum ad aliam Religionem, excipiunt Ordinem Carthusiensem. Ratio est: quia huiusmodi Ordo est asperior, & strictior in abstinentia, cilicio, clausura, & similibus. Et quauis S. Bonauentura *in qq. supra Regul. Fratrū Minorum, q.* 13. dicat, loquendo vniuersaliter, non posse in foro conscientiæ transiri de Ordine Minorum ad aliam Religionem, absque licentia Sedis apostolicæ, hoc dixit ex vi Regulæ Franciscanæ, quæ *cap.* 2. prohibet, ne Fratres exeant ab illo Ordine iuxta mandatum Summi Pontificis. Vnde D. Bonauentura non contradicit constitutionibus apostolicis postea factis, & proinde Extrauag. *Viam ambitiosa.* Martini V. non aduersatur, vt dicunt aliqui: quia Martinus V. fuit post D. Bonauenturam; ideò tam in foro interno, quàm externo poterunt Minoritæ transire ad Ordinem Carthusiensem, tanquàm strictiorem. Ita affirmant Rodriq. *tom.* 3. *qq. regul. q.* 52. *art.* 1. & Azorius *tom.* 1 *instit. mor. lib.* 12 *cap.* 14 *q.* 2. *&* 14. Portellus *in dub. Regul verbo, Religionis transitus num.* 2. vbi ait, quòd Carthusia strictior est alijs Religionibus propter rationes supradictas; & etiam, quia licèt aliquæ Religiones abstineant à carnibus tempore sanitatis, tamen possunt illas comedere tempore infirmitatis, quales sunt Minimi. & Moniales primæ Regulæ S. Claræ: Carthusienses verò vllo vnquam tempore carnibus vescuntur.

13. Hinc oritur dubitatio à Doctoribus non parum agitata, an Religio Minimorum S. Francisci de Paula, sit arctior Religione Carthusiana. Nauarrus *cons.* 11 *de Regul. vers. Alias si de Regularibus.* & Azorius *loco cit. cap.* 14. *q.* 14. negatiuam partem sustinent quam multis argumentis tuetur præsertim Nauarrus

Ricciullus *loco cit, lib* 8. *cap*. 7. affirmatiuam partem sustinens, dicit, licitum esse Carthusianis, & cuicunque alteri Religioni transire ad Ordinem Minimorum, & non è conuerso. Et hoc probat ex Bulla Leonis X. & Iulij II. quas ibi refert: & *num*. 12. limitat dicens, dummodo non procedat in Fratribus Minoribus de Obseruantia, quibus specialiter per Iulium II. interdicitur, ne ad Ordinem Minimorum transire possint. Limitat etiam quoad Fratres Capucinos, quibus, vt diximus, Pius V. specialiter prohibuit transitum ad Ordinem Minimorum, & è contra. Sed quicquid de hac re sit, cùm ad rem nostram non faciat,, dico, quòd primò,& principaliter attendendum est *dictum cap. Licet*. deinde constitutiones supracitatæ Summorum Pontificum,& particularia denique instituta cuiuscunque Religionis.

4 Quibus sic stantibus,concludendum est,huiusmodi transitum modò *superius* dicto Religiosis concessum, non fuisse sublatum à Pio V. per suam Constit. quæ incipit: *Quæcunque sacrarum*. in qua decernitur, non posse recipi, nec retineri ab vlla Religione Fratres alterius Ordinis; sed remitti debere ad proprium Ordinem: nam dicit Nauar. *lib*. 3. *cons*. 88. *n*.1.*de Regul*. quòd Summus Pontifex non iubet Fratres debitè trāslatos vi iuris communis redire debere ad primam Religionem; sed tantùm translatos virtute facultatum, & priuilegiorum particularium concessorum à Sede apostolica speciatim contra ius commune aliquibus Monasteriis, & Religionibus, vt possint recipere Apostatas, vel aliquos aliarum aliarum Religionum.Ita etiam docent Rodriq. *quæst. reg. t.* 3.*q*.52.*art*. 8. Miran. *in Man. Prel. t*. 1. *q*. 31. *art*. 7. *conc*. 1. Barthol. de Vecch. *in prax. Nouit. disp*. 15. *dub*. 1. *num*. 8.

QVÆSITVM III.

A quonam Superiori licentia ad arctiorem Religionem transeundi postulari debeat

SVMMARIVM.

1 *Licentia ad arctiorem Religionē transeundi, etiam a conuentuali Prælato postulari potest, nisi aliter per regularia statuta caueatur.*
2 *Prælatus an debeat Conuentus consensum exquirere pro concedenda licentia transeundi ad arctiorem.*
3 *Superior, qui licentiam dare debet transeundi ad arctiorem Religionem, quinam esse debeat: & numero.* 4.
5 *Religiosus in Monasterio exempto debet petere licentiam à Superiore immediato Monasterij.*
6 *Licentia transeundi petenda est ab aliquo Prælato, siue mediato, siue immediato.*

1. SVperior,à quo huiusmodi licentia postulari debet, est etiam Abbas conuentualis, nisi aliter per particulares consuetudines, & constitutiones à Sede apostolica approbatas in aliqua Religione constitutum esset: quia *d.cap.Sanè*.& *d. cap. Licet*. nihil ampliùs quàm Superioris licentiam exquirunt. Ita Franchus *in cap.Cùm singula. de præbend. in* 6.§.*Prohibemus. n*. 3. Rebuff. *in praxi benefic. de Regular. n*. 10. Syluest. *verbo*, *Religio*,4.*q*.3.Suar.*d.c*.10.*n*.29.& 30.
2. & alij. Nec est necessarius consensus Conuentus:quia *d.cap. Licet*. solùm requirit,vt subditus debeat à Prælato licentiam postulare, nihil dicens de Conuentu, licèt Innocentius dicat *in cap.fin.de renunciat*. tutius esse, si Capituli consensus interueniat. Ita firmant Franch. *in d.cap.Cùm singula*.§.*Prohibemus. sub n*.3. *circa mediū, de præbend. in* 6. Abbas *in c. Non est. de Regul.n*.6. Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig.l*.5.*q*.330. Miranda *in Manual. Prælat.tom*.1.*q*.31.*art*.5.*concl*.1. Nauar. *d.n*.10. & Rodric. *quæst.regular. q*. 12. *art*. 3. Santarell. *d.dubio vnico,num*.19. & *sequen*.Barbos. *in cap. Licet.n*.10.*de Regular*. Bonacin.*difficult*.1.*n*.10.

Sed cùm Doctores non omnes conueniant in Superiore, qui licentiam dare debet: nam alij volunt, 3.
huiusmodi Superiorem esse Abbatem Conuentualem, alij Prouincialem, alij Generalem, alij totum Monasterium, ideò eorum sententiæ erunt examinandæ, vt veritas magis elucescat.

Barthol.de Vecch. *in praxi Nouit.disp*.15.*dub*. 2. *num*.13. dicit, quòd quamuis facultas concedi possit à Superiore locali; nihilominùs putat, quoad Fratres Minores necessariò petendam esse dictam licentiam, vel à Generali, vel Prouinciali, vel etiam à Custode, qui iurisdictionem in actu exercito habet. Ratio est: quia isti tantùm ex Regula gaudent facultate incorporandi Fratres Religioni. In Religionibus autem, in quibus receptio spectat ad Superiores locales, ad eosdem etiam spectat dare licentiam, vt dicunt Syluester *verbo*, *Religio*, 4. *q*. 3. Azor. *tom*. 1. *instit.moral.lib*.12.*cap*. 14. *q*. 7. Mirand.*in Manuali Prælat.tom*.1.*q*.31.*art*.5.*concl*.1. & Panormit. *in cap. Non est. num*.6. *de Regul*. Rebuf. *in praxi benef.loco citato*, & alij similiter *locis supracitatis*.

Henriq.*tom* 3.*qq. Regul. q*. 52.*art*.3.tenet,probabilius esse, quòd licentia sit petenda à solo Prouinciali; subdit tamen, standum esse consuetudini Religionis.

Portellus *de dub. Regul.verbo,Religionis transitus, num*.4. & Sanchez *tom*. 2.*in præcept. Decal.lib*.6.*cap*. 4.
7.*num*.59. cum aliis supracit. dicunt pertinere, hanc licentiam dare,ad Prælatum immediatum ipsius Conuentus: & si ille sit transiturus ad strictiorem Religionem, eam petere debet à Prouinciali,& hic à Generali,& hic à Capitulo Generali, vel à Protectore, vel à Sacra Cardinalium Congregatione,vel tandem à Summo Pontifice. Ita etiam,& clariùs affirmat Bartholomæus à S. Fausto. *loco citato*. Et idem Sanchez *loco cit. num*.62. putat, non esse necessarium ad hanc licentiam concedendam consulere Conuentum: & *num*.63. dicit, Prælatum Religionis, qualiscunque sit ille, transitum concedere non posse, nisi, vt diximus, ad strictiorem Religionem zelo melioris frugis; non autem ex leuitate, aut animi perturbatione procedenti, aliàs ipse Prælatus concedendo peccaret mortaliter, & esset puniendus, vt dicunt Ludouicus Miranda *loco citato*, *q*.31.*art*.6. *concl*.1. Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig.lib*.5.*q*.342. Similiter non debere Prælatum huiusmodi transitum concedere in grauem iacturam, & infamiam sui Ordinis, sub eadem pœna peccati, & punitionis. Hinc est, quòd Cordub. *in Regul. S. Franc. cap*. 10. *quæst*. 5. *punct*. 4. optimè concludat, Prælatum impedientem transitum absque iustis causis suprà enumeratis,delinquere contra ius diuinum & humanum.

Ex eodem Sanchez *loco citato*, *num*.60. deducitur 5.
quid dicendum sit de Monasterio, & de Religione non exempta, & Episcopo loci subiecta, an, scilicet, petenda sit licentia ab Episcopo; an verò à Prælato immediato illius Monasterij nam, vt docet ille, satis erit, si licentia petatur ab immediato Prælato illius Monasterij; non verò ab Episcopo: quicquid dicant multi Doctores, quos ipse citat *loco supradicto*, *n*.42. limitantes, quando Monasterium laxius non est exemptum, & strictius est in alia Diœcesi. Ratio est: quia reuerà petitur licentia à Prælato, si petatur à Superiore

re immediato, licèt etiam Episcopus dici possit Prælatus etiam Monachi petentis huiusmodi licentiam transeundi: nam huiusmodi licentia non est ab omnibus Prælatis petenda. Existimo tamen, sententiam Sanchez limitandam esse, nisi sit consuetudo in contrarium, ita vt subditi illi Regulares Episcopo subiecti per speciales constitutiones teneantur Episcopo licentiam in rebus grauibus petere, & non tantùm Prælato immediato Monasterij.

6. Ex quibus resolutum restat, hanc licentiam petendam esse ab aliquo Prælato, siue mediato, siue immediato, contra id, quod docuit Abbas antiquus apud alterum Abbatem *in cap. Licet. num.* 10. asserentem, non ex necessitate, sed ex solo honestatis debito petendam esse huiusmodi licentiam, quæ quidem necessaria est, vt petatur, sicut præcipit *idem cap. Licet*, sub his verbis: *Subditus est humilitate, & puritate debet transeundi licentiã postulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur.* Verbum autem, *debet*, importat necessitatem præcepti, vt docent Cardinalis *in d. cap. Licet. num.* 1 *not.* 6. & Abbas *ibid. num* 10. & Nauarr. *lib.* 3. *consil. tit. de Regul. cons.* 59. *in fine, in* 1. *edit.* vbi affirmat, esse graue peccatum, non petere dictam licentiam à Prælato: & Ioan. Andr. *in eod cap. Licet. num.* 5. dicit, falsum esse, vsu non esse receptum, vt petatur licentia à Prælato, & affirmat, se vidisse ita in praxi seruari.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm attendenda sit perfectio, an arctitudo Religionis, ad hoc, vt liceat ad eam transitus, petita, licèt non obtenta, licentia Prælati

SVMMARIVM.

1 *Differentia vnius ad aliam Religionem, quotupliciter considerari possit.*

2 *Sententia asserens, ad transitum ad aliam Religionem, licitè faciendum, excellentiam, & perfectionem Religionis; non autem vitæ asperitatem attendendam esse, refertur.*

3 *Sententia affirmans, arctitudinem, & asperitatem Religionis circumspiciendam esse, ponitur, & latè explicatur, num.* 4.

1. DVpliciter considerari potest differentia vnius ad aliam Religionem. Primò, ex parte finis, ad quem Religio ipsa ordinatur ex proportione mediorum, & circunstantiarum debito fini proportionatarum, vt docet D. Thom. 2.2. *q.*188. *art.*6. & *q.*189. *art.*8. Qua ratione Religio ordinata ad prædicandum, & docendum: quia primarius eius finis est altissimus, & est propinquissima Episcoporum perfectioni, reputatur perfectissima, licèt in exterioribus corporis obseruantiis alia sit ea asperior, & rigorosior. D. Thom. *d. q.* 188. *art.* 6. Secundo modo consideratur perfectio Religionis ex parte exercitij: quod cùm non quæratur propter se, sed propter finem; sequitur, vt illa Religio dicatur perfectior, quæ ordinatur ad finem absolutè potiorem: vt, quia, vel ordinatur ad maius bonum, vel ad plura bona, vt ait D. Thom. *d. art.* 6.

2. His sic positis, ad solutionem quæsiti deueniendo, duæ in hac re sunt sententiæ. Prima asserit, ad hunc transitum licitè faciendum attendendam esse excellentiam, & perfectionem Religionis; non autem arctitudinis. Eam sustinet D. Thom. *locis cit.* quē secuti sunt Palud. *in* 4. *dist.* 38. *q.* 2. *n.* 17. Syluest. *verb. Relig.* 4. *q.* 1. *not.* 3. *& q.* 2. *in fine, & q.* 8. Tabien. *eodē. verb. q.* 23. *n.* 24. Nauar. *cōment.* 4. *de Regular. n.* 2. *&* 3. Marc. Ant. Cucc. *l.* 5. *instit. maior. tit.* 1. *n.* 136. Suar. *de relig. tom* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 10. Ducuntur: quia ratio, & fundamentum huius transitus, ad hoc, vt sit licitus, est maior Dei honor, & maior spiritualis propria perfectio: ergo, si verè, & in re ipsa Religio in hoc excellit, reperitur in ea fundamentū huius liciti transitus: ergo. Tum, quia transire à Religione perfectiori ad minùs perfectam, licèt magis austeram, est retrocedere; quia transiens minùs exactè tendit ad perfectionem, quam promiserat: ergo è conuerso, qui ab arctiori ad perfectiorem transit, non retrocedit: ergo licitè facit. Tum quia *in cap. Licet. de regular.* in quo tex. hic transitus conceditur, fit mentio melioris vitæ: nam, licèt in eo priùs dicatur, *arctioris Religionis obtentu*: posteà verò dicitur *prætextu maioris Religionis*. & deinde subditur, *ad frugē melioris vitæ valeant transmigrare* & rursus, *licite potest, arctioris vitæ propositū adimplere*. ergo ad hunc transitum, maiorem perfectionem absolutam iura attēdunt. Præterea *in c.* 2. 1. 9. *q.* 3. interdicitur Canonicis Regularibus transire ad Monachos, & tamen horum Regula est arctior, *c. Quod Dei timore. in fine, de stat. Monac.* ergo ratio prohibitionis ea fuit: quia institutum Canonicorum Regularium est ad altiorem, & perfectiorem finem, nempe, ad vacandum Ministerijs ad proximorum salutem spectantibus.

Altera sententia asserit, regulariter ad hunc transi- 3.
tum licitum efficiendum opus esse inspicere, quænam Religio sit arctior, non autem quæ sit perfectior, & sic ad id eam Religionem præferendam esse, quæ in externis corporis obseruantiis asperior, & rigorosior est. Eam amplectuntur Panormit. *in c. Sanè. in fine, de Regular.* Angel. *in verb. Religiosus, n.* 34. Passarell. *in priuileg. Ord. Minor. tit. Notanda priuileg. c.* 39 Less. *de iust. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 13. *n.* 100. Azor. *instit. mor. lib.* 12. *c.* 14. *q.* 2. Roder. *qq. regular. t.* 3. *q.* 52 *art.* 4. Sanatell. *de apostasia, c.* 8. *n.* 30. Barbos. *in c. Licet. n.* 8. *de Regular.* Bonacin. *in tract. de clausura, q.* 2 *puncto.* 9. §. 3. *difficul.* 3. *sub n.* 2. Amon Ricc. *de statu person. ext. grē. Eccles. existen. lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 5. Sanch. *in prac. Decal. lib.* 6. *c.* 7. *n.* 21. Nauar. *tom.* 4. *de Regul. n* 2. Reginald. *in prax. l.* 18. *c.* 29 *n.* 414. Barthol. de Vecch. *in prax. Nouit. disp.* 15. *dub.* 1. *&* 2. Portell. *de dub. Regular. verb. Religionis trāsitus, n.* 2. Lopez *l.* 9. *tit.* 7. *p.* 1. Mirād. *t.* 1. *Manual. q.* 51. *art.* 7. Giouagnol. *respōs.* 39. *l.* 2. Hieron. Rodriq. *in Compend. qq. Regu. resol.* 123. *n.* 58. Barbosa *de iure eccles. lib.* 1. *c.* 42 *n.* 73. vbi alios citat, & sequitur. Et Sorbus *in compend. Priuileg. tit. Apostata, vers. Aduertendum est.* qui eam probant primò *ex dicto cap. Licet.* ibi, *arctioris vitæ prætextu*: & *in fine* ibi, *vt apud eos vitam duceret arctiorē.* & ex Concilio Tribuliēsi, in quo sic dicitur: *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam, ad aliud Monasteriū pergere disposuerint, Synodus cōcedit.* Refertur *in can.* 120. *q.* 4. quia *in Extrauagan. Viam ambitiosæ. de Regular.* conceditur omnibus Mendicantibus transitus ad Carthusiam, quæ Religio non est cæteris perfectior quoad finem, cùm eius institutum nō sit vacandi spirituali proximorum saluti; sed soli orationi, & silentio cum arctissima clausura, ac abstinentia perpetua à carnibus: ergo iura non eum finem, sed maiorem tantùm arctitudinem respiciunt. Tertiò præcipuè, quia alias plures, & inextricabiles quæstiones oriri possent inter Religiosos, quænam Religio diceretur perfectior, dum quilibet propriam excellentia, & nobilitate finis cæteris præferre contenderet, vt optimè docet Portell. *loc. cit.* Vnde ad eas remouendas hæc via tutior est, & ideò eligenda videtur, quod non ita facilè in vitæ asperitate contingeret, cùm ea clariùs pateat, & faciliùs dignosci possit.

Nec obstant ea, quæ pro prima sententia adducta sunt: quia idem textus in fine explicauit, quam Religionem

gionem appellauerit sanctiorem, vt liceat hic transitus, dum ait: *Vt apud eos vitam duceret arctiorem.* Ad aliud, quod dicitur de Canonicis Regularibus, respondeo, illum transitum interdici, quoties non zelo maioris progressus; sed temeritate, & leuitate quadam fit, vt docet Gloss. *d.cap.Licèt, vers. Licentiam.*

4. Ad iudicandum verò, quæ sit arctior Religio, dictum est *in primo quæsito*, quòd non solùm spectanda est primæua Regula; sed etiam constitutiones. Vnde restat dicere, quòd. non obstat, huiusmodi constitutiones tolli posse, & ex transgressionibus annullari: quia dummodo non tollantur, Religio arctior dicitur, & illa vita asperior, vt benè docent Cardinalis *in d. cap. Licèt, q.2.* Ancharan. *ibid.num.4.* Abbas *num.6.* Præpositus *num.* 8. Lapus *alleg.61.* Mandosius *in addit.litt.C.* Rosella *verbo, Religio, 4. num.8.* Syluester *eodem verbo, 4.q.6.* Angelus *verbo, Religiosus, num.34.* Rodriq. *qq.regul. tom.3. q.52.art.5.* Sanchez *lib.6. in Decalog. cap.7. num.* 23. vbi *num.* 24. dicit, quòd similiter non sunt spectandæ Regulæ, & Constitutionum institutio, & asperitas; sed præsens obseruantia: vnde, si ex Regula & dictis constitutionibus laxius factum sit alicuius Religionis institutum; arctior tamen præsens viuendi modus sit; illa Religio, dicetur arctior, quàm sit alia iam collapsa, & relaxata: vnde ab hac collapsa ad illam erit transitus, & non è contra. Habetur *ex cap. Sane, de Regul.* per illa verba: *Si locus, vbi nunc permanet maioris Religionis, quàm Ecclesia Aromatensis existat.* ibi enim non ponderatur, qualis fuerit primæua Regula; sed qualis sit obseruantia præsens. Et ratio est: quòd transitus hic permittitur ad ducendam vitam strictiorem: id enim desiderium præsumitur à Spiritu Sancto procedere: ergo attendendus est præsens viuendi modus in illa Religione. Ita docent S. Thom. 2.2.*q.*189. *art.*8. S. Antonin. 3.*part.tit.*16. *cap.*4.§.4. Innocent. *in d. cap. Sanè, num. vnic.* Ancharan. *ibid. num.*2. Ioan. Andr. *num.*1. Hostien. *ibid. in princip.* & Card. *n.*1.*not.*1. Abb. *in d. cap. Licèt, n.*7. Archid. *cap.*2.*num. vnic.*19.*q.*3. & ibi Bellamer. *in princip.* & Turrecremata *ibid. cap.*1. *n.*1. Felinus *cap. Ad nostram, n.*6. *de appell.* Decius *ibid. n.*26. Dominicus *cap. Ne cui, dist.*13. Faber §.*penult. num.*3.*instit.de hered. instituend.* Syluester *verbo, Religio, 4.q.*1. Rosella *eod.verbo, 4.num.*8. Angelus *verbo, Religiosus, num* 34. Gregorius Lopez *l.*9.*tit.*7. *part.*1. Corduba *in Reg.S.Francisci, cap.*2. *quæst.*19. *punct.*2. Maior *in* 4. *dist.*38.*q.*21.*concl.*3. Cucchus *lib.*3.*instit. maior.tit.*1.*n.*133. Rodriq. *qq. regul.tom.*3.*q.*52.*art.*5. Less. *de iust.& iur.lib.*2. *cap.*41. *dub.*13.*n.*101. Azor. *instit.moral.tom.*1.*lib.*12.*cap.*14.*q.*3. & Sanch. *loco cit. n.*24.& *num.*25. vbi ait, quòd ad hoc, vt permittatur huiusmodi transitus, requiritur, vt non sit in Prouincia aliud eiusdem Religionis Cœnobium, in quo sit arctior instituti obseruatio, nec subsit probabilis spes pristinæ vitæ formulæ in ea Religione reuocandæ: quod etiam docent Ioannes Andr. *eod. cap. Sanè, n.*3. & Abbas *ibid.n.*7. Ancharanus *num.*4. Cardinalis *ibid. q.*3. & alij ferè omnes Doctores citati.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares possint subditis licentiam ad æqualem, vel laxiorem Religionem transeundi concedere.

SVMMARIVM.

1 *Sententiæ Doctorum referuntur.*

2 *Prælati regulares possunt, iusta causa interueniente, subditis licentiam ad æqualem Religionem transeundi concedere: sed requiritur consensus Monasterij, vt num.*3

3 *Prælati Conuentuales an possint huiusmodi licentiam concedere, absque Generali, vel Prouinciali.*

5 *Religiosus ad laxiorem Religionem cum apostolicæ Sedis authoritate transiens tutus erit in foro iudiciali, siue translatio fiat cum causa, siue absque causa; secus tamen in foro interno, si talis licentia obtineatur sine causa, vt num.*6.

7 *Prælati regulares possunt Religiosis sibi subditis iusta de causa ad laxiorem Religionem transeundi licentiam indulgere.*

8 *Causæ iustæ huius transitus, quænam sint, ostenditur; & primò est incommoda valetudo, & infirmitas.*

9 *Senectus austeritatibus tolerandis inepta.*

10 *Perfectionis impedimentum.*

11 *Odium maioris partis, & iniustæ persecutiones.*

12 *Infamatio ob aliquod crimen afferens continuam tristitiam, & pudorem Religioso.*

13 *Difficultas magna sustinendi austeritates prioris Religionis.*

14 *Temperies aeris noxia.*

15 *Parentum magna necessitas.*

16 *Inobseruantia Regulæ in priori Religione.*

17 *Professio si emissa fuerit tempore minoris ætatis, facilior causa erit ad legitimè dispensandum.*

18 *Pontificis Romani sine expressa licentia non licet transire ad laxiorem Religionem.*

19 *Dispensare an possit Romanus Pontifex sine iusta causa, vt Religiosus ad laxiorem transeat Religionem.*

VT huius quæsiti perfectam cognitionem statuamus, præmittendæ sunt sententiæ Doctorum, 1.
qui loquuntur de transitu ab vna Religione ad aliam æqualem, vel laxiorem: si enim loquamur de primo transitu ad æqualem, DD. communiter affirmant ad solum Pontificem spectare, facultatem dare, nulla causa legitima existente, vt fiat transitus de vna ad aliam Religionem æqualem. Ita docent Cardinalis *in cap. final. de renunc. num.* 2. *q.*3. & Abbas *cap. Non est, de Regul.* Syluester *verbo, Religio, 4 q.*2. Tabiena *eod. verbo, q.*23. *num.*24. Angelus *verbo, Religiosus, num.*34. Rosella *verbo, Abbas, num.*3. Cucchus *lib.*3. *instit. maior. tit.*1. *num.* 132. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. cap.*14. *quæst.*9. D. Antonin. 3. *part. tit.*16. *cap.*4. quicquid dicant aliqui apud Sanchez *lib.*6. *in præcept. Decal. cap.*7. *num.*42. affirmantes, posse Episcopum, & Abbatem, hanc licentiam dare absque causa, quando Religiosus non est exemptus, & Monasterium est in eadem Diœcesi.

Si verò loquamur de causa legitima transeundi ad æqualem Religionem, communis est Doctorum sententia, posse Prælatum Pontifice inferiorem, hanc licentiam dare. Sed solùm dubium est inter Doctores, qualis debeat esse iste Prælatus inferior. Aliqui dicunt esse Abbatem, vt habetur in Gloss. *cap. Cùm singula, §. Prohibemus, verbo, Canon, de præbend. in* 6. Ioan. Andr. *in cap. Non est, verbo, Permittatis, de Regul. in fine, num.*6. Bellamer. *cap. Ex part. ad fin. de temp. ordin.* Rosella *verbo, Abbas, num* 3. qui quidem Doctores non explicant, an nomine Abbatis intelligatur immediatus Prælatus Monasterij, an supremus, scilicet, Generalis, vel Prouincialis. Archidiacon. *in cap. si Religiosus, in fine, de elect. in* 6. & *cap. Quam sit. q.*2. *num.*6. Speculator *tit. de dispens. §. Sunt quoque. num.* 6. Innocentius *cap. final. num.* 1. *de renunciat.* Hostien. *ibid. num.* 3. Ioan. Andr. *similiter num.* 7. Tabiena *verbo, Religio, quæst.*23. *num.*24. dicunt esse Episco-

Episcopum, & ad eum spectare licentiam concedere, vt suprà. Alij putant, necessariam esse licentiam Episcopi, & Abbatis: alij verò distinguunt de Regulari exempto, vel non exempto, vt videre est apud Sanchez loco citato, num. 46. & 47. & 48. quorum Doctorum sententiæ non sunt explicandæ, cùm hodie omnes ferè Regulares, & Monasteria sint exempta ab episcopali iurisdictione. Quibus sic præmissis, sit.

2\. Prima conclusio: Abbates, & Prælati Regulares iusta causa interueniente, possunt Religiosis sibi subditis licentiā ad Religionē æqualem transeundi concedere. Ita Gloss. in cap. Non est. verb. Permittatis. de Regular. & in cap. Cum singula §. Prohibemus, verbo, Canonicè, de prabend. in 6. Panormit. in d. cap. Non est. num. 6. Et hanc esse communissimam Doctorum sententiam ait Sanchez in Decalog. lib. 6. cap. 7. n. 44. & docent etiam Emmanuël Rodriq. tom. 3. qq. Regul. q. 32. art. 9. Lapus alleg. 130. num. 2. Bellamer, cap. Ex parte. ad fin. de temp. ordinad. Rosella verbo, Abbas, num. 3. Ludouicus Mirand. in Man. Prælat. tom. 1. q. 31. art. 5. concl. 2. Bartholomæus de Vecchiis disp. 15. in praxi Nouit. dub. 4. Bartholomæus à
3\. Sancto Fausto in thes. Relig. lib. 5. q. 346 qui cum supradicto Bartholomæo de Vecchiis affirmat, requiri consensum Monasterij. Ratio est: quia hoc negotium est vnum de maioribus negotiis Monasterij, in quo de quadam alienatione Monasterij videtur agi: huiusmodi autem negotia non possunt fieri sine consensu Monasterij. idem affirmat Lessius de iustitia, & iur. cap. 42. dub. 13. num. 103.

4\. Et in Religionibus exemptis solus Abbas, & Prælatus conuentualis, siue Generalis, aut Prouincialis, cui subditus est; potest talem licentiam concedere. Ita Gloss. in d. cap Cum singula §. Prohibemus, verbo, canonicè, quam dixit receptam Nauar. comment. 4. de Regular. num. 10. Eam sequitur Ioannes Andreas in d. cap. Non est. in fine num. 6. Lapus allegat. 130 Suar. de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 11. num. 3. 4. & 5. contra Bonacin. d. difficul. 1. num. 12. Sanchez d. cap. 7. num. 61. & alios per eum adductos, Quòd autem iusta causa in hoc necessaria sit, patet ex eo: quia potestas Prælati Regularis non se extendit ad id, vt possit rem pretiosam absque Conuentus vtilitate, vel causa vrgente alienare, vt diximus: neque etiam, vt possit subitum in perpetuum à sua, vel suæ Religionis obedientia eximere: quod faceret legitima causa intercedente huiusmodi licentiam concedendo. Ita Innocent. in cap. fin. de renunciat. Panormit. in d. cap. Non est. num. 6. Franc. in d. cap. Cùm singula. §. Prohibemus. num. 4. de prebendis, in 6. Angel. verbo, Religiosus, num. 34. Syluester verbo, Religio, 4. q. 2. Marcus Antonius Cucchus instit. maior. lib. 3. tit. 1. num. 132. Azor. instit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 14. q. 9. Suar. d. cap. 15. num. 13. Bonacina d. difficultate 2. sub num. 12. vers. Tertia pars. Barbos. d. cap. Licèt num 15.

5\. Dico secundò: Religiosus cum authoritate apostolicæ Sedis, si ad laxiorem Religionem transeat, tutus erit in foro iudiciali, siue translatio fiat cum causa, siue absque causa; quia omnes Religiones sunt de iure positiuo, c. fin. & ibi Panormit. num 2. de religiosis Domibus. Sed Summus Pontifex habet latissimam potestatem super omnibus, quæ sunt de iure positiuo. Doctores in cap. 1. de constit. ergo, &c. Ita Nauar. comment. 4. de Regular. num. 20. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 14. q. 8. ad fin. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 1. Santarell. de apostas. cap. 8. dub. vnico, num. 24. Et communem dixit Bonac. d.
6\. difficult. 1. n. 14. Quo verò ad forum internum talis licentia non valebit, si fiat sine causa; & peccabit Religiosus cum ea transiens: ac etiam, qui eam scienter procurauit. Ita Panormit. in cap. Non est. n. 6. de Regular. Angel verbo, Religiosus, n. 34. in princ. Sylu. verbo, Religio, q. 23. Rodriq. d. q. 12. art. 10. Nauar. d. comment. 4. num. 10. vers. Addo. Stephan. Grat. discept. forens. cap. 434. num. 17. Sanchez. in præcepta Decalogi, libro 6. cap. 7. num. 67. & alij apud ipsum ibidem, num. 51. & apud Antonium Ricciullum prædicto capite 4. numero 1. & 2. Santarellum, & Bonacinam. locis citatis.

Dico tertiò: Abbates, & Prælati inferiores, iusta, 7.
causa interueniente, possunt Religiosis sibi subditis licentiam ad laxiorem Religionem transeundi indulgere. Ita Innocent. Host. Ioan. Andr. & Panorm. quos refert, & sequitur Nauar. d. comment. 4. de Regular. n. 11. & consil. 56. sub tit. de Regular. Syluest. verbo, Religio, 4. q. 2. Roderiq. quæst. regular. tom. 3. quæst. 52. art. 9. Azor. instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 15. q 1. Barbosa in cap. Licèt, num. 13. de Regular. Sanctarell. de apostasia, cap. 8. num. 27. Et hanc sententiam communissimam dixit Sanchez d. cap. 7. num. 53. & practicè probabilem Suarez d. cap. 11. num. 20. Etiamsi ad Summum Pontificem facilis sit aditus. Ita Sanchez loco citato, num. 53. Miranda tom. 1. quæst. 31. artic. 6. conclus. 3. Bartholomæus à Sancto Fausto in thes. Relig. lib. 5. quæst. 345. Sanctarellus loco citato, num. 7. Bartholomæus de Vecchiis in praxi Nouit. disp. 12. dub. 5. num. 2.

Nec obstat Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 19. dicens: Nemo Regularis, cuiuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, quia respondetur, eius intentionem esse abrogandi, quæ sine iusta causa, aut non præcedente iusta causæ cognitione, & approbatione conceduntur; non autem, quæ iustis de causis, & semoto iuris Ordine dantur. Ita Nauar. de consil. 16 n. 3. & ex eo Azor. loco cit. Lessius de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 103. vers. Dices. Sanchez d cap 7 n 68. Rodriq. in Sum. tom. 2. cap. 6. num. 8. Barthol. de Vecch. dub. 5. num 6.

Nec obstat similiter, quod habetur in Extrauag. Viam ambitiosæ, de Regul. vbi statuitur, ne Mendicantes possint in aliam Religionem præter Carthusianam transire absque licentia Summi Pontificis: quia eam Extrauag. non esse, quoad hoc vsu receptam affirmat Lessius de iustitia, & iure, loco cit. dub. 13. n. 104. huiusmodi enim textos intelligitur eam de transeuntibus absque legitima causa. Vnde translatus ad laxiorem sine iusta causa dicitur indebitè translatus, etiamsi authoritate sui Abbatis, & Conuentus, & cum dispensatione Episcopi translatus fuerit, vt dicunt, præter Gloss & Geminianum in c. Cum singula, de prabend in 6. Stephanus Gratianus discept. forens. cap. 434. num 2. & Ricciullus loco citato, cap. 4. num 8. Legitimæ autem, & iustæ causæ huius transitus sunt infrascriptæ.

Prima est, quòd ob infirmitatem, & incommodam 8.
valetudinem, vt si Religiosus, vel infirmus, aut ex fragili corporis natura Religionem suam ferre nequeat, potest ad aliam Religionem se transferre. Ita D. Thomas 2. 2. q. vlt. art. 8. Syluest. verbo, Religio, 4. q. 2. Tabiena eodem verbo, 4. num. 2. Angelus verbo, Religiosus, num. 35. Geminianus in cap. Cum singula, §. Prohibemus, num. 6. de prabend. in 6. Franchus ibid. num. 4. Abbas in cap. Non est, de Regul. num. 6. Cucchus lib. 3. instit. maior. tit. 1. n. 135. Azor. tom. 1. instit. mor. lib. 12. c. 14. q. 8. Diana in suis resol. moral. tract. de dub. regul. resol. 43. vbi aduertit, quòd Rodriq. tom. 3. qq. reg. q. 52. art. 9. allegās falsò Sotum, limitat hanc causam, quando Prælatus Religionis strictioris dispensaret cum illo Religioso, vt propter infirmitatem ad onera Religionis non teneatur: hoc enim non obstante, putat cum Sanchez tom. 2. lib. 5. in precept. Decal. c. 7. n. 72.

posse

posse dictum Religiosum transire ad laxiorem Religionem: quia, licet cùm illo Prælatus dispensaret, non posset, moraliter loquendo, non esse Religioni onerosus, & causa scandali, & multarum murmurationum: cui sententiæ subscribit Barthol. à S. Fausto *in thes. Relig. lib. 5. quæst. 352.*

9. Secunda causa est senectus, iis austeritatibus tolerandis inepta, vt dicunt Dominicus *in d. cap. Cùm singula, num. 6.* & Franchus *ibid. num. 4.* Sanchez *loco cit. num. 72.*

10. Tertia causa est, si in sua Religione esset aliquod perfectionis impedimentum, quod non esset in alia, vt dicunt Tabiena *verbo, Religio, q. 23. num. 22.* Sanchez *loco cit. num. 72.* Bartholomæus à S. Fausto *loco citato.*

11. Quarta, si Religiosus odio habeatur à cæteris Fratribus, & indignè tractetur ab illis: qua de causa poterit dispensari in supradicto transitu. Ita Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 102.* Azor. *loco citato, cap. 14. quæst. 8.* Reginaldus *in praxi, tom. 2. lib. 18. cap. 29. num. 414.* Rodriquez *tom. 3. qq. regular. quæst. 52. art. 9.* Sanchez *loco citato, num. 72.* Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst. 352.* Diana *loco cit. resol. 43.*

Hanc autem causam limitat Rodriq. *loco cit.* si Religiosus, scilicet, non præbeat causam, nec emendetur: at, si causæ illum pœnituit, & nititur emendari, & adhuc durat persecutio, erit legitima causa ad prædictum finem, scilicet, ad exeundum è Religione.

12. Quinta causa est, si in illa Religione priori Religiosus ille fuerit infamatus ob crimen aliquod à se patratum, & semper in ea pudore suffusus, ac subinde magna tristitia affectus vitam transacturus sit: quod sæpè accidere potest in Religionibus, in quibus obseruantia viget. Ita Sanchez *loco cit. num. 72.* Diana *loco cit. resol. 43.* Bartholom. à S. Fausto *loc. cit. quæst. 352.*

13. Sexta causa est, difficultas magna sustinendi austeritates prioris Religionis, quæ est in re ipsa, verbi gratia, si inconsulta prudentia professus, vel non credidit ita asperam esse Religionem ex quadam simplicitate sua. Ita Sanchez *loco cit. num. 72.* Diana *loco cit. resol. 43.* Rodriq. *loco cit. art. 9.* vbi dicit, quòd secùs dicendum est, quando ex prauo habitu difficultas procedit: quod etiam affirmant aliqui Doctores apud Sanchez *lib. 8. de matrim. disput. 20. num. 19.* vbi ait, hoc esse intelligendum, nisi prauus habitus eò deuenerit, vt iam votis illis ligatus non possit præ sua fragilitate frequentes lapsus vitare. Idem affirmat Bartholomæus de Vecch. *in prax. Nouit. disput. 15. dub. 7. num. 4.*

14. Septima causa est, quando propter noxiam aëris temperiem non potest Religiosus permanere in priori Religione, vt dicunt Rodriquez *loco cit. art. 9.* & Menochius *de arbitr. cent. 5. cas. 411. num. 26.* & alij Doctores apud eundem Rodriquez *loco cit.* vbi hanc causam limitat, dicens, intelligendam esse, nisi sit aliud Monasterium eiusdem Ordinis extra locum illum, in quo est mala temperies, quam limitationem admittunt etiam Sanchez *lib. 6. in precept. Decalog. cap. 7. num. 72.* & Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst. 352.*

15. Octaua etiam causa est necessitas magna parentum, quando in ea priori Religione nequit illis commodè subuenire, vt poterit in laxiori. Ita Rodriquez *loco citato, artic. 9.* Sanchez *similiter loco citato, num. 72.* Barbosa *de iure ecclesiast. lib. 1. cap. 42. numero 82.* Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst. 352.*

16. Nona causa est, si in priori Religione non seruetur Regula; quæ tamen obseruetur in alia Religione, ad quam cupit transire. Ita Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst. 352.* Huius causæ nullum alium reperi Doctorem præter dictum Bartholomæum à S. Fausto.

Quibus causis positis, aduertendum est cum Innocentio *in cap. Significatum, in fine, de Regul.* & Francho *in cap. Cùm singula, §. Prohibemus, num. 5. de præbend. in 6.* & Sanchez *loco cit. num. 73.* quòd si emissa fuerit professio tempore minoris ætatis; nempe, ante 25. annum; facilior causa erit legitima ad dispensandum in hoc transitu; quia faciliùs prospicitur gestis in ea ætate, in qua non tam maturum consilium adest. 17.

Ex his deducitur, ad laxiorem Regulam transmigrare sine expressa Romani Pontificis licentia non licere, vt habetur ex Concil. Trid. *sess. 25. de Regul. cap. 19.* quod etiam affirmant Sayrus *in flor. decis. eod. tit. decis. 55.* Nauarr. *cons. 56. num. 3. tit. de Regul.* Stephanus Gratianus *discept. forens. cap. 454.* Azor. *instit. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 14. quæst. 12.* Reginald. *in sua prax. lib. 18. cap. 19. n. 412.* Aloysius Riccius *in collect. decis. part. 3. collect. 521.* Bonac. *de claus. quæst. 2. punct. 9. §. 3. difficult. 1. num. 13.* Ioan. de la Cruz *de statu Relig. lib. 1. cap. 7. dub. 3.* Fagundez *in quinque Ecclesiæ precept. precept. 2. lib. 8. cap. 5. num. 4.* Menochius *de arbitr. cas. 421. num. 6.* Miranda *tom. 1. Manual. Prælat. quæst. 31. art. 5. conclusione 3.* Sanchez *in precept. Decalog. lib. 6. cap. 7. num. 67.* Bartholomæus Vecch. *in prax. Nouit. disputatione 15. dub. 5. num. 1.* Barbosa *de iur. eccl. lib. 1. cap. 42. num. 76.* vbi *num. 77.* dicit, quòd Papa non solet huiusmodi licentiam concedere, nisi ex iustis, & legitimis causis: vt pluries in facti contingentia, se expertum fuisse refert Antonius Ricciullus *in suo tract. de iur. person. extra Eccles. existent. lib. 8. cap. 4. num. 4.* & cum derogatione decreti Concilij Trident. *loco citato*, quæ requiritur, vt per Nauarr. *cons. 62. titul. de Regul.* & Stephanum Gratianum *loco citato, cap. 474.* asseritur: si enim Summus Pontifex concederet huiusmodi facultatem transeundi sine causa ad laxiorem Religionem, non redderet Religiosum illum transeuntem tutum in foro poli, vt dicunt Stephanus Gratianus *loco citato, num. 17.* Ricciullus, *loco citato, num. 3.* & Nauar. *cons. 88. de Regul. num. 2.* quod etiam habetur in Gloss. *in cap. Non est de voto.* 18.

Hinc est, quòd S. Thomas 1. 2. *quæst. 96. artic. 9.* & *quæst. 97. art. 4.* & Caietanus *ibid.* Rodriq. *tom. 3. qq. regul. quæst. 52. art. 10.* Nauarr. *comm. 4. de Regul. num. 10.* Corduba *in Regul. S. Francisci, cap. 2. q. 17. part. 1.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 13. num. 102.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 14. quæs. 8.* Bartholomæus à S. Fausto *in thes. Relig. lib. 5. quæst. 147.* dicant, Summum Pontificem non posse pro libito, & sine iusta causa cum aliquo Religioso dispensare, vt de vna Religione ad aliam laxiorem transeat: vnde, si de facto dispenset, affirmant, eum peccare mortaliter, & similiter omnes dispensationem eandem petentes, sollicitantes, & procurantes idem peccatum lethale committere, & dispensatio ex se irrita erit, & nullius valoris, & ea vtentes non sunt tuti in conscientia; quin verò peccant mortaliter. Ratio est: quia, cùm votum Religionis strictioris commutetur in quid minus, interuenit quædam eius dispensatio, quæ sine legitima causa est nullius valoris, vtpote quæ est ex obligatione iuris diuini consurgente ex voto. 19.

QVÆSITVM VI.

De Nouitiatu, & Professione, & obligatione, & facultatibus legitimè transeuntis ad aliam Religionem.

SVMMARIVM.

1 *Nouiti tum de nouo facere, & professionem emitte e debet, qui de vna ad aliam Religionem tr .*

2 *Monalis de vno ad aliud Monasterium transiens, nisi emittat professionem in secundo Monasterio, non dicitur Monalis illius Monasterii: sed limita num.3.*

4 *Religiosus de vna Religione ad aliam translatus, vt sit in ea Abbas, vel Prælatus, debet in ea profiteri.*

5 *Religiosus de vna ad aliam Religionem translatus, quem locum in sessionibus, & alijs congressibus sibi vendicet.*

6 *Vota emissa in vna Religione non sunt obseruanda a Religioso translato ad aliam Religionem.*

7 *Bona Religiosi transeuntis de vna ad aliam Religionem, ad quam Religionem pertineant, ad primam, vel secundam Religionem.*

8 *Re e us tra s s de vna ad aliam Religionem, . po . secum deferre libros, scripta, & vestes.*

9 *Mo ialis transiens de vno ad aliud Monasterium, an possit suam dotem secum deferre.*

1. QVòd Religiosus legitimè de vna ad aliam Religionem transiens debeat de nouo Nouitiatum facere, & deinde in ea secunda Religione profiteri, affirmant Doctores, & præsertim Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.4. dub.13.* Azor. *tom.1. instit. moral. cap.14. lib.12. q.13.* Nauar. *cons.61. num.4. de Regul.* Rodriq. *tom.3. qq. regul. q.17. art.8.* Roderic. à Cunha *in comm. ad cap.1. num.21. dist.54.* Bartholom à S. Fausto *lib.5. thes. relig. q.371.* Miranda *in Man. Prælat. tom.1. q.31. art.21.* vbi affirmat, quòd tenetur in probatione per spatium vnius anni continui eodem modo, quo cæteri sæculares, antequam profiteantur. Idem affirmant Azor *loco cit. q.15.* & Rodriq. *loco cit. q.15. art.11.* Hinc est, quòd Sacra Rota Romana apud Farinac.

2. *part.2. recent decis.115. num.7.* censuit, quòd Monialis vnius Monasterij, vbi ad aliud transfertur, si non emittit professionem in secundo Monasterio, non sit Monialis illius. Et *num.8.* affirmat sufficere professionem emissam in primo Monasterio, quando fit translatio de vno Monasterio ad aliud eiusdem Regulæ, vel vbi

3. transfertur de licentia Papæ. Hinc est, quòd Sacra Congregatio Concilij die 12. Ianuarij, 1619. decreuit, Regulares discalceatos Ordinis Sanctissimæ Trinitatis de licentia Sedis apostolicæ ad laxiorem Calceatorum transeuntes facere debere annum probationis; non autem emittere professionem.

4. Si quæras, an de vna Religione ad aliam translatus, vt sit illius Abbas, vel Prælatus, debeat ibi de nouo profiteri: Respondeo, quòd sic. Ratio est: quia, vacante Prælatura, remanet Monachus illius secundæ Religionis. Ita affirmant Miranda *loco cit. q.31. art.2. concl.1.* Sanchez *in præcept. Decal. lib.6. cap.7. n.86.* Rodriquez *tom.3. qq. regul. quæst.52. art.19.* Nauar. *cons. 61. de Regul. in antiq. aliàs cons. 11. sub tit. de maiorit. & obed.*

5. De loco verò, & præeminentris illius, qui de vno ad alium Ordinem transfertur, Hieronymus Roderic. *in compend. qq. regul. resol.123. n.84.* & etiam Miranda *loco cit. conclus.2.* docent, quòd translatus de vna in aliam prouinciam eiusdem Religionis, postquam in corporatus est, habet locum in Choro, Capitulo, & aliis sessionibus, & congressibus, non à tempore suæ incorporationis; sed à tempore, quo assumpsit habitum, aut emisit professionem in prima prouincia.

At, si loquamur, non de vna prouincia in aliam; sed de vna Religione ad aliam diuersam, dicendum est cum Rodriq. *loco cit. q.52. art.19.* Nauar. *similiter loco cit. cons.60. in antiq. de Regul.* Sanchez *loco citato, num.86.* Miranda *loco cit. q.21. art.23. concl.1.* quòd sedere debet in Capitulo, & aliis congressibus iuxta tempus, in quo emisit professionem in illa Religione posteriori: quia eo tempore incipit esse illius Religiosus; si autem translatus ad aliam, vt esset illius Prælatus, hoc obseruandum non est, ob reuerentiam Prælaturæ; sed finito tempore debebit in primo loco post Prælatum poni.

Quo verò ad vota respondeo breuiter: quia de se clarum est, quòd translatus de vna ad aliam Religionem, non tenetur ad vota specialia in priori Religione emissa: quia talia vota annexa sunt professioni prioris Religionis, quæ cessauit per legitimum transitum ad aliam Religionem, vt dicunt Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de voto, lib.6. cap.3. num.7.* Sanchez *loco cit. num.87.* vbi loquens de transitu ex Religione Minimorum, an teneatur à carnibus abstinere, & an qui professionem emiserat in Societate Iesu, si Frater Minor fiat, aut Dominicanus, teneatur ad ea vota specialia, quæ in Societate emittuntur a professis, dicit, quòd non, cùm sint annexa, vt diximus, professioni prioris Religionis; & dicit, quòd cessat professio prioris Religionis per illum transitum legitimum. 6.

De bonis verò transeuntis ad aliam Religionem, dicendum est, si transitus fiat studio vitæ melioris, bona ipsius manere penes primum Monasterium; & quicquid post secundam professionem in secundo Monasterio emissam illi obuenerit, spectabit ad dictum secundum Monasterium. Ita docent Molina *de iust. tract.2. disput. 140. vers. Quando Religiosus.* Nauar. *in cap. Non dicatis, 12. q.1. num 31.* Azor. *loco lib.12. cap.15. q.3.* Rodriq. *qq. regul. tom.2. q.78. art.2.* Miranda *in Manual. Prælat. tom.1. q.31. art.24.* Cardinal. Thuscus *tom. 5. litt. M. concl. 321.* Ægidius *in repet. l. Titia, part.1. num.50. ff. de condit. & demonstrat.* Hieronymus Roder. *in compend. qq. regul. resol. 123. num. 82.* Villalobos *part.2. Sum. tractat.35. diff. 14.* Barbosa *de iur. eccl. lib.1. cap. 41. num.91.* Bartholom. à S. Fausto *in thes. Relig. lib.5. q.375.* vbi affirmat de communi sententia Doctorum scribentium in iure pontificio. 7.

Ex iis constat, quid sit dicendum de legato relicto Religioso translato ad secundum Monasterium, quod est capax bonorum, si illud legatum fuerit conditionatum, & conditio adimpleta sit tempore secundæ professionis: nam illud legatum esse acquisitum secundo Monasterio affirmant Villalobos *in Summ. tom. 2. tract.t. 35. diffic. 14 num. 4.* & Diana *in suis resolut. moral. tract. 2. de dub. regular. resol. 114.*

Constat similiter, omnia bona acquisita esse priori Monasterio, etiam dum moratur in secundo Monasterio, vsque ad professionem, si aliqua acquirerentur: quia ante professionem nun erat verè Religiosus illius secundi Monasterij. Ita affirmant Nauarrus *cons. 2. de Regularibus, num. 24.* Molina *tom.1. de iustitia, disput. 140.* Azorius *tom. 1. instit. moral. lib.12. cap. 15. quæst. 3.* Roderic. *tom.3. quæst. regul. quæst.5. art. 5.* Bartholomæus à S. Fausto *loco citato, quæst.375. n.3.*

Professus autem in Religione incapaci translatus ad

ad Religionem capacem bonorum, recuperat bona poſt tranſlationem ſibi delata ad vtilitatem ſecundæ Religionis capacis, vt affirmat Iaſon *in l. Ex pacto, ſub num. 10. verſ. Adde etiam, ff. de vulgari.* Tiraquell. *de retract. lign. §. 1. Gloſſ. 9. num. 105.* Buratt. *deciſ. 756. Nicolai de Vbald. de ſucceſſ. ab inteſt. p. 1. num. 3.* & Rota *in vna Romana fideicommiſſi*, 26. Nouembris, 1627. coram Cardinali Virili: ideò cùm dubitaretur *in vna Neronen.* an Regularis ex indulto à Religione Fratrum Minorum Obſeruantiæ ad Tertium Ordinem S. Franciſci ex legitima cauſa tranſlatus, recuperet ſuccedendi ius in bonis ſibi ea teſtamento poſt tranſlationem delatis, Sacra Congregatio Concilij Trid. die 22. Ianoarij, 1628. reſpondit, recuperare ad commodum ſecundi Monaſterij. Ita refert Barboſ. *de iure eccleſ. lib. 1. cap. 42. num. 2.*

Idem Barboſ. *loco citato, num. 93.* docet, quòd circa bona delata ante tranſlationem, adeſt alia declaratio eiuſdem Sacræ Congregationis ſub his verbis. *Die 17. Iunij 1617. ſacra Congregatio Illuſtriſſimorum Cardinalium S. Concilij Tridentini Interpretum, cenſuit, ſi Orator in Religione incapaci nulla facta diſpoſitione bonorum validam profeſſionem emiſerit, bona ipſa fuiſſe acquiſita venientibus ab inteſtato, ac proinde, nec ſucceſſioni ſecunda Religionis capacis, ad quam fuit tranſitus, eſſe amplius locum, nec bonorum renunciationi.*

Tranſlatus verò de Religione incapaci ad capacem authoritate apoſtolica non recuperat bona, quæ ante profeſſionem obtinebat, vt reſoluit Rota *in Ianuen. reintegrationis*, 16. Nouembr. 1621. coram bon. mem. Buratto inter eius impreſſ. *deciſ. 776. num. 2.* quam citat Barboſ. *loco cit. num. 94.*

Si verò Religioſus transferatur ad aliam Religionem, non, vt ibi profiteatur; ſed vt peccatorum ſuorum pœnitentiam agat; tunc vſusfructus bonorum priori Monaſterio acquiſitorum debentur Monaſterio, vbi pœnitentiam gerit, ne illi fiat oneroſus, & grauis, remanente proprietate dictorum bonorum in priori Monaſterio, vt benè docent Rodriq. *quæſt. regul. tom. 3. q. 5. art. 5.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 15. q. 3.* Sanch. *d. tom. 2. lib. 7. c. 31. n. 46.* Barboſ. *loc. cit. n. 96.* Diana *in ſuis reſol. moral. tract. 2. de dubijs Regul. verb. reſol. 114* vbi ait, maximè, ſi Monaſterium eſt inops.

Hic tamen vſusfructus intelligendus eſt, quoad illam quantitatem, quæ ad victum, & veſtitum, cæteráque tranſlati alimenta exiſtimantur neceſſaria arbitrio prudentis viri, vt ait Menoch. *de arbit. caſu 436. caſu vlt.* & Rodriq. *loc. cit. art. 27. in fin.* Sanch. *loc. cit. cap. 32. n. 47. & n. 48.* dicit, hoc intelligendum eſſe de Religioſo, qui eſſet pro ſecundo Monaſterio inutilis. ſecùs dicendum eſſet, ſi eſt vtilis, & ei deſeruiret, ita vt obſequia præſtita illi ſecundo Monaſterio alimentis prædictis æquiualerent.

Si verò tranſlatus Religioſus ab vna Religione bonorum in communi incapaci authoritate apoſtolica in Religionem capacem, bona amiſſa per profeſſionem in priori Religione non poteſt recuperare, vt probant Carolus Tapia *in Authentica, Ingreſſi, C. de ſacroſancta Eccleſ. c. 6 n. 34.* Barthol. *in tract. Minorit. l. 4. d. 5. c. 2.* Nauar. *conſ. 180. n. 4.* Barboſ. *loc. cit. num. 57.* maximè ſi conſtet de voluntate Summi Pontificis id concedendi.

8. Ex dictis oriuntur aliquæ dubitationes. Prima, an Religioſus, qui tranſit ad aliam Religionem, poſſit ſecum deferre ſcripta, vel libros à ſe compoſitos. Hieron. Rodriq. *in comp. quæſt. Regul. reſol. 123. n. 82.* & Villalob. *in Sum. tom. 2. tract. 35 diffic. 14. c. 5.* Barthol. à S. Fauſto *in theſ. Relig. lib. 5. q. 386. n. 5.* negatiuè reſpondent: & eorum ſententiam probabilem putat Diana *in ſuis reſol. moral. tract. 2. de dub. regul. reſol. 63.* licèt contrariam ſententiam non minùs probabilem exiſtimet: ibi enim ait, niſi ſcripta ſint omnino correcta per Authorem, & Domus tranſeuntis velit illa typis demandare. Hinc eſt, quòd Valerus *in differ. vtriuſ. fori. verbo, Regularis, diff. 8. n. 2.* affirmat, ſe vidiſſe Religioſum doctiſſimum detuliſſe ſecum duos libros à ſe compoſitos, nulla petita licentia à ſuo Prælato, dum tranſlatus eſt de vna ad aliam Religionem.

Secunda dubitatio, an, qui tranſit ad aliam Religionem, poſſit ſecum deferre ſuas veſtes. Bartholom. à S. Fauſto reſpondit *loc. cit. quæſ. 375.* affirmatiuè: ex tacita tamen licentia Prælati illius Monaſterij, à quo diſcedit. Idem affirmant Nauarrus *lib. 3. conſil. 1. de Regularib. conſ. 55. num. 9.* Rodriq *tom. 2. quæſt. Regular. quæſt. 79. art. 2.*

Tertia dubitatio eſt, an Monialis, quæ transfertur ad aliud Monaſterium propria voluntate, poſſit ſecum dotem ſuam deferre. Reſpondent Nauar. *comm. 4. de Regul. n. 24.* & Rodriq *loc. cit. q. 79. art. 2.* & Barthol à S. Fauſto *loco cit. quæſt. 375.* negatiuè: quia nondum profeſſio ſecuta eſt in illo ſecundo Monaſterio, ſecùs dicendum eſt, quando profeſſio fuerit ſecuta.

DISPVTATIO VIII.

De poteſtate, & munere Abbatum, & Prælatorum regularium circa apoſtatas, fugitiuos, & eiectos.

QVÆS. I. Vtrùm Religioſus poſt ſolennem profeſſionem ſine Abbatis licentia à Monaſterio recedens cenſendus ſit apoſtata.

II. Vtrùm Religioſus fugiens è carceribus, in quibus iuſſu ſui Superioris detinebatur, cenſendus ſit apoſtata, vel fugitiuus.

III. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares teneantur apoſtatas, & fugitiuos perquirere, & ad propria Monaſteria reuocare; & an pœnas incurrant eos non perquirendo.

IV. Abbates, & Prælati regulares qualiter cum apoſtatis, & fugitiuis ad Monaſteria reuocatis ſe gerere debeant.

V. Quibus cedant apoſtatarum, & fugitiuorum bona, & quibus eorum debita perſoluere incumbat.

VI. Vtrùm Abbas poſſit concedere ſuo Monacho, vt extra Clauſtrum degat, abſque eo quòd apoſtaſiam incurrat; & maximè vt propriis parentibus ſubueniat.

VII. Vtrùm

VII. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares possint Religiosos professos tanquàm incorrigibiles à Religione eiicere: & quid si iniustè illos expellant.
VIII. De obligationibus eiectorum à Religione.
IX. De pœnis contra apostatas, & fugitiuos, illorúmque fautores illatis.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Religiosus post solennem professionem, sine Abbatis licentia à Monasterio recedens, cēnsendus sit apostata.

SVMMARIVM.

1 *Apostata à Religione quisnam propriè dicatur: & num. 11.*
2 *Apostata est in foro conscientiæ qui animo deserendæ Religionis ab ea discessit, licèt pœnitentia ductus statim ad illam redeat.*
3 *Apostata non dicitur Nouitius à Religione fugiens, etiamsi tria simplicia vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ emiserit.*
4 *Apostatæ non dicuntur mulieres Tertiariæ, quæ vota simplicia emiserunt, si habitum dimittant.*
5 *Apostata censendus non est Religiosus ad aliam Religionem etiam laxiorem transiens.*
6 *Fugitiuus à Religione quinam verè, & propriè dicatur: & n. 10.*
7 *Fugitiuus non subiicitur pœnis contra apostatas impositis.*
8 *Electus à Religione dicitur, qui ob suam culpam extra Monasterium expellitur.*
9 *Apostata, neque fugitiuus appellari debet Religiosus, qui ne notabiliter & iniustè grauetur à suo Prælato immediato, confugit ad Prælatum superiorem.*
12 *Apostata an verè sit Religiosus recedens animo non redeundi ad Religionem, permanens tamen cum habitu.*
13 *Religiosus fugiens dimisso habitu ad tempus, habens animum redeundi; an, & quando excusetur ab apostasia.*
14 *Mora quæ & qualis post dimissum habitum sufficiat ad apostasiam; & quænam ad excommunicationem tantum, non autem apostasiam incurrendam.*
15 *Societatis Iesu Religiosus fugiens, quando non sit excommunicatus, neque afficiatur pœnis constitutionum Pij V. & Greg. XIV. contra fugitiuos.*
16 *Apostata solum, non verò fugitiuus incurrit pœnas in constit. Pauli IV. contra degentes extra Claustra inflictas.*

1. NE æquiuocè laboremus in hac materia, videndum est quid sit apostata, & fugitiuus, & eiectus. Nauarr. *lib. 5. consil. in de apost. cons.* 1. dicit, quod apostata à Religione est ille, qui factus verè Religiosus deserit Religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam cum animo non reuertendi ad suam; vnde siue discedat à Religione cum habitu, siue non, apostata dicetur. Et sic verificatur etymologia nominis apostatæ, quæ idem valet, ac retrostatio, & importat retrocessionem quandam, & separationem à Deo, vt dicunt S. Thom. 2. 2. q. 12. *art.* 1. Syluester *verbo, apostasia, & fuga Monachor. n.* 1 Mirand. *in Manuali Prælat. t. 1. q. 51. art. 1. in princ.* vbi distinguit de triplici apostasia, scilicet, à fide, ab obseruantia diuinorum mandatorum, & à Religione, de qua loquimur in præsenti.

Ex quibus sequitur, illum esse apostatam in foro conscientiæ, qui animo deserendæ Religionis ab ea discessit; sed pœnitentia ductus statim reuersus est. 2.

Sequitur etiam, Nouitios, qui à Religione fugiunt, non esse apostatas, etiamsi vota simplicia castitatis, obedientiæ, & paupertatis emisissent. Ratio est: quia non sunt facti verè Religiosi, & consequenter non comprehenduntur in supradicta diffinitione. 3.

Sequitur præterea ex eadem diffinitione, mulieres, quas Beatas alicubi vocant, & alibi Vrsulinas, vel Tertiarias, non esse apostatas, si habitum relinquant, etiamsi simplicia vota supradicta emisissent: quia non sunt verè Religiosæ; imò, si matrimonium contrahant, validum erit, quamuis illicitè: quia non quodlibet votum castitatis irritum facit subsequens matrimonium; sed tantùm votum solenne emissum in approbata Religione, vt dicunt Sanchez *lib. 7. cap. 8. n. 7.* Bannes 2. 2. *q. 12. art. 1. de apostasia à Relig. dub.* 1. Aragon. 2. 2. *q. 12. art. 1. dub. vnic. de apostas. à Relig.* Santarellus *de apostas. cap. 3. dub. 1. n. 5.* quod diffinitum est in sacra Rota Romana apud Puteum *decis.* 136. *lib.* 1. 4.

Sequitur præterea, illum, qui ad aliam Religionem transit, non esse apostatam, etiamsi ad laxiorem trãseat: licèt enim transitus, siue professio in laxiori Religione irrita sit; non reddit tamen Religiosum illum apostatam. Ratio est: quia ille Religiosus non habet animum simpliciter recedendi à statu Religionis. Ita affirmant Emmanuel Sa *verbo, Religio, n. 71.* Bonacina *de claus. q. 2. puncto.* 11. § 1. *n.* 4. vbi pro hac re citat Maiolum, Sayrum, Sanchez, & alios. 5.

Fugitiuus verò à Religione dicitur ille; qui à Monasterio ad tempus discedit, non animo discedendi à Religione; sed intentione posteà redeundi; verbi gratia, si fugiat ob rigorem Prælati, vel ob vagandi voluntatem, aut simili de causa: quod verum est, siue fugiat cum habitu, siue illo dimisso, vt dictum est de apostata. Ita docent Lessius *de iustitia & iure, cap. 41. dub. 15. n. 109.* Aragon. *loco cit.* Valentia 2. 2. *disput. 1. q. 12. punct.* 1. Santarell. *de apost. cap. 3. dub. 1. n. 1.* Suar. *tom. 4. de Relig. lib. 3. cap. 2.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 16. q. 1.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 30. art. 3.* Ex quo patet differentia inter apostatam, & fugitiuũ: nam, licèt omnis apostata sit fugitiuus, non tamen omnis fugitiuus est apostata. 6

Ideò fugitiuus non subiicitur iisdem pœnis contra apostatas impositis, etiamsi habitum dimittat, vt diffiniuit Rota Romana, sicut refert Mandosius *de signat. grat. verbo, Licentia, vers. Quis licentia.* & Sanchez *loco cit. num.* 5. Rodriq. *loco cit. q. 30. art.* 2. Bonac. *similiter loco cit. num.* 8. 7.

Eiectus autem dicitur Religiosus, qui ob culpam suam extra Monasterium expellitur, vt ait Barthol. à S. Fausto *in thesau. Religiosorum, lib. 6. q. 195.* & per hanc diffinitionem patet, eiectum differre ab apostata, & fugitiuo. 8.

Patet etiam, quòd fugiens ad Prælatum superiorem: quia inferior Prælatus vult illum grauare notabiliter, & iniustè, non est apostata, neque fugitiuus, vt dicunt Rodriq. *loco citato, q. 30. art.* 2. & Portellus *de dub. Regul. verbo, apostata, num.* 3. vbi notat illa verba, *vult illum grauare:* quia si iam grauauit, non licet ei fugere pro sola querela faciẽda: ad hanc enim faciendam tempus suppetit, neque etiam fugere potest, si leuiter timet grauari; quòd si fugiat ad superiorem sine fundamento, & sine causa, in foro exter- 9.

no

no erit apoſtata, quæ tamen apoſtaſia, dum directè pergitur ad Superiorem, etiam ſine præcedenti cauſa, non eſt propriè apoſtaſia, maximè ſi fiat abſque ſcandalo, & aliis delictis. Quibus poſitis, vt in forma procedamus.

10. Circa hoc diſtinguendum videtur: nam vel Religioſus à Monaſterio ſponte, & abſque ſui Prælati licentia diſcedit, vt ſit extra poteſtatem Superioris, & ad tempus liberè vagetur, cum animo tamen redeundi, & is non apoſtata; ſed fugitiuus dicendus eſt. Si-
11. verò à Monaſterio recedit animo, & voluntate obedientiæ iugum in perpetuum excutiendi, ac Religioſum inſtitutum deſerendi; tunc apoſtata cenſendus eſt. Ita tradunt Angel. *verb. Apoſtaſia, num.* 4. Syluest. *eod. verb. q. 4. num.* 3. Caietanus 2.2. *q.* 12. *art.* 1. *dub.* 2. Nauar. *lib.* 5. *conſil. vnic. num.* 5. & *duob. ſeqq. titulo de apoſtat.* Valent. *tom.* 3. *diſput.* 1. *q.* 12. *punct.* 1. *verſ. Circa apoſtatam.* Azor. *p.* 1. *inſtit. moral. lib.* 12. *cap.* 16 *q.* 1. Leſſ. *de iuſtit. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num* 109. Roderiq. *quæſt. reg. tom.* 1. *q.* 3. *art.* 1. Sanchez *in præcepta Decalogi, lib.* 6 *cap.* 8. *num.* 2. Ratio differentiæ eſt: quia, dum talis Religioſus animum reuertendi habet, ſemper cenſetur exiſtere ſub ſui Superioris poteſtate, & poſſeſſione, *l. Pomponius, § Idem Pomponius. ff. famil. erciſcund.* Item quia receſſus non ex facto ſolùm; ſed ex conſilio perficitur, *l. Bouem §. Qui ad damnum.* & *§. Si ſeruus. ff. de ædilitio edicto*, notat D. Antonin. Ricciull. *tract. de iure perſon. extra Eccleſ. grem. exiſt. lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 19. *vſque ad* 23. *incluſiue.*

12. Nec refert, quòd non relinquat, neque habeat animum relinquendi habitum, dummodo recedat à Religione, animo nunquam ad illam reuertendi. Quia, ſicut habitus Monachum non facit, ſed religioſa profeſſio *cap. Porrectum.* & *c. Ex parte. de Regular.* ita vt valida ſit profeſſio facta ſine habitus ſuſceptione, vt *d. cap. Porrectum.* & ibi Doctores, & præcipuè Panormit. *in Summa*, & *num.* 7. pari modo retentio habitus tantùm non debet operari, quem eſſe in Religione, ſi reuerà non habeat animum ad illam amplius redeundi; tum etiam, quia habitus non eſt de ſubſtantialibus, ſed de accidentalibus Religionis. Panormit. *d. cap. Porrectum, num.* 5. & ideò poteſt eſſe vera Religio ſine ſpeciali habitu. Atque ita tenent Innoc. *in cap. fin. de renunciat.* vbi Anton. de Butr. poſt Panormit. *num.* . & Communiter Doctores *ibidem*, Tabiena *verb. Apoſtaſia, q.* 11. *numero* 14. Azor. *inſtit. moral. p.* 1. *lib.* 12. *cap* 17. *quæſt.* 6. Sanchez *d. cap.* 8. *numero.* 4. Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 1. *numero* 13. 14. & 15. Angel. Syluest. Caiet. & alij *locis citatis.* Et confirmatur à Clemente VIII *in decreto de caſuum reſeruatione pro Regularibus*, vbi inter alios ponit apoſtaſiam à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento: & ideò è contrario non eſt apoſtata, ſed ſolum fu-
13. gitiuus, qui dimiſſo habitu ad tempus fugit, ſi animum ad Religionem redeundi habeat. Quod verum eſt, quando Religioſus habet intentionem citò reaſſumendi habitum, & redeundi ad Religionem: quia, ſi fugeret, ac dimitteret habitum cum animo viuendi, & permanendi ſtabiliter extra Religionem pro longo tempore; ſiue determinato trium, vel quatuor annorum, ſiue indeterminato, donec aliquod negotium perficiat; cenſendus erit verus apoſtata, etiamſi habeat animum redeundi finito tempore, vel negotio: nam vbi diu ad habitum reaſſumendum, & ad Religionem reuertendum ſteterit; præſumitur animum reuertendi amiſiſſe iuxta text. *in §. Pauonum Inſtit. de rer. diuiſ.* & reputatur perinde, ac ſi nunquam talem animum habuiſſet, *l.* 3 *§ Emanſor.* & *l.* 4. *§. Edicta Germanici.* & *ibi Gloſſ. in verb. Emanſores. ff. de re militari.* Ita Suar. *d. cap.* 1. *à num* 20. *vſque ad* 25. *excluſiuè.* D. Antonin. Ricciull. *cap.* 2. *num* 23.

Difficultas autem eſt, quando cenſeatur mora ſufficiens ad apoſtaſiam poſt dimiſſum habitum; & quæ ſufficiat ad excommunicationem incurrēdam, & non ad apoſtaſiam. In qua re certum eſt, Monachum, qui ad ſe occultandum, dum per loca periculoſa iter agebat, habitum dimiſit, non poſſe apoſtatam dici, text. *in c. Clerici officia.* vbi Gloſſ. *in verb. Cauſa, in fin. de vita, & honeſt. Cleric.* & *capite* 2. *eodem tit. in* 6. & ibi etiam Gloſſ. *in verb. Rationabilis.* Item, certum eſt, neque apoſtatam dici poſſe Religioſum, qui intra Monaſterij ſepta non exhibendo ſe hominum conſpectui; ſed vel ad commodiùs dormiendum, vel ex animi leuitate, vt magis expeditè currat, ludat, vel ſe in balneo, aut flumine lauet, & his ſimilia faciat, habitum dimittit. Imò, etiamſi illum deponat, ad exercendum aliquem actum turpem, videlicet, vt expeditius fornicationi indulgeat; non ſolùm apoſtata dici non poteſt; ſed nec etiam incurrit excommunicationem inflictam contra Religioſos temerè habitum dimittentes *in c.* 2. *Ne Clerici, vel Monachi. in* 6. Ita Syluest. *verbo, Excommunicatio, quæſt.* 2. *caſ.* 2. Nauar. *in Man. capite* 27 *numero* 131. Azor. *inſtit. moral. p.* 1. *lib.* 12 *capite* 17. *q.* 9 *in fine.* D. Anton. Ricciull. *d. capite* 2. *num.* 13. Suar. *de cenſur. diſp* 23 *ſect.* 4. *n.* 27. & *d. cap.* 1. *numero* 25. Sayr. *de cenſur. lib.* 3. *capite* 33. *num* 16. Sanchez *d. cap.* 8. *num.* 56. & alij apud ipſum. Quando autem Religioſus temerè diſcedit à Monaſterio dimittens habitum ad euagandum, etiam per breue tempus, committit peccatum mortale, atque incidit in excommunicationem ipſo facto *per d. cap* 2. *Ne Clerici, vel Monachi, num.* 6. non tamen cenſetur ſimpliciter apoſtata, quoad alias pœnas iuris, niſi quādo cenſetur abſolutè dimittere habitum tam permanenter, vt cenſeatur etiam Religionem dimittere, & hac ratione propter temporis breuitatem poteſt aliquando habitus dimiſſio ſufficere ad excommunicationem incurrendam; non autem ad apoſtaſiam ſimpliciter. Quanta autem debeat eſſe illa temporis mora ad apoſtaſiam inducendam ſufficiens, prudentis arbitrio æſtimabitur, vt ait Suar. *loco proximè cit.* 14.

15. Religioſus Societatis Ieſu ſimili modo fugiens per aliquod tempus, animo tamen redeundi ad Religionem, non eſt excommunicatus, neque afficitur pœnis latis in conſtitutionibus Pij V. & Gregorij XIV. quæ pœnæ non ſunt contra fugitiuos; ſed contra exeuntes, & recedentes, ſeu deficientes à Religione, nimirum, contra apoſtatas: ſupradictus enim Religioſus non dicitur recedere, & exire, cùm tantùm ad tempus intendat vagari. Ita Sanchez *in præcept. Decal. lib.* 6. *capite* 8. *numero* 11. & Bonacina *de clauſ. q.* 2. *punct.* 11. *§.* 1. *num.* 6. Hinc eſt, quòd pœnæ latæ in
16. Bulla XIV. Pauli IV. quæ incipit: *Poſtquàm diuina bonitas.* contra Religioſos extra Clauſtra degentes, extenduntur tantùm ad apoſtatas, non verò fugitiuos, vt patet *in d. Bulla*, vbi pluries fit mentio apoſtaſiæ, & apoſtatarum. Sicut autem vna lex aliam explicat; ita etiam, & multò magis vna pars legis alteram eiuſdem legis partem, & eadem vox in eadem lege repetita grande myſterium continebit, vt dicit Gloſſ. *in Clem.* 1. *verbo, Diœceſani, de iureparr.* Santarellus *de apoſt. cap.* 3. *dub.* 1. *num.* 9. Nauar. *lib.* 5. *conſ. vnic, num.* 9. Rodriq. *tom.* 1. *qq. regul q.* 30. *art* 4. Bonac. *loco cit. n.* 6. vbi ait, quòd non obſtat Bulla Pij V. quæ incipit; *Quacunque Sacrarum.* quia in illa ſolùm prohibetur tranſitus ab vna ad aliam Religionem virtute facultatum, & priuilegiorum Religionibus quibuſdam conceſſorum; quod etiam docet Sātarellus *loco cit. n* 9. quicquid dicant Sanch. & alij apud eundem Bonacinam *loco cit. §.* 4. *n. verſ. Obucies.*

QVÆSITVM II.

Vtrùm Religiosus fugiens à carceribus, in quibus iussu sui Superioris detinebatur, censendus sit apostata, vel fugitiuus.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus à carcere, in quem iussa Superioris coniectus est, non potest licitè aufugere, nisi illi pœna capitis, vel mutilationis membri imponenda esset, vt num. 2.*

3 *Carceri perpetuo damnatus an licitè possit aufugere.*

4 *Carceris pœna quando iniustè imposita fuit, vel si fuerit iustè imposita; modus tamen in ea exequēda seruatus iniquus est, vel si pœna imposita secūdùm allegata, & probata iusta est; tamen sententia in falsis probationibus fundata, Religiosus licitè aufugere potest.*

5 *Religiosus a Superiore in carceribus detentus, & ab eo iniquè vexatus, vel timens, ne vltra modum ab eo puniatur, licitè aufugere potest. Declara, vt ibi num. 7.*

6 *Religiosus aufugiens ad amicum, vel alium, vt eum deprecatorem apud Superiorem habeat, quam pœnam incurrat.*

8 *Religiosus morte plectendus, vel mutilandus, si è carcere fugiat, delinquere non videtur.*

9 *Religiosus ad triremes damnatus, si aufugiat, non censetur fugitiuus.*

1. DIco primò, licèt Laïcus, & Clericus sæcularis licitè possint à carceribus, in quibus iustè, siue iniustè detinentur, aufugere, nulla violentia custodibus facta, etsi eis aliquid damni per accidens euenturum sit, vt docet Caiet. 2. 2 *q.69. art.4. ad primum*, & alij plures apud Bonac *in Decalog. disp.10. quæst 3. punct.2. n.13.* tamen Religiosus in carcere, in quem iussu sui Superioris coniectus est, non potest licitè aufugere: quia nequit iustè à Monasterio egredi absque Superioris licentia, & ex propria voluntate, quam totam in ipsius Superioris arbitrium transtulit, *cap. Quarundam, & cap. Si Religiosus, de elect. in 6.* Ita docent Caietan. *d. art 4. dub. 2. in fine.* Nauar. *comment.4 de Regular. num.64.* Bannes etiam *in 2.2. q.69. art. 4. post 5. conclus.* Sayrus *in claui regia, lib. 12. cap. 18. num. 9.* Roderiq. *quæst. regular. tom 2. q.23. art. 6.* & alij apud Sanchez *in Decalog. lib. 6. cap.8.*
2. *num. 12.* vbi hoc temperat, nisi illi Religioso pœna capitis, vel mutilationis membri imponenda esset: quia in tali casu naturale vitæ conseruandæ desiderium ius fugiendi præbet, quòd nullo Religionis voto abdicatum est. Quod adeò verum est, vt eo casu Religiosus, quamuis Superioris præcepto iussus esset, aut iusta sententia damnatus, vt in carcere maneret; nihilominus aufugere possit, vt censent Syluest. *verb. fugere, num.1.* Soto *de iust. lib.5. quæst.6. art.4. circa solut. ad 2.* Vasquez 1.2 *quæst.69. art.5. disp.174. cap. 1. num.10.* Less. *de iust. lib 2. cap.31. dub.5. n.34.* Sanch. *d. cap.8. num.15.*

3. Dico secundò: Religiosus perpetuo carceri ob aliquod delictum damnatus non potest licitè aufugere: quòd si fugiat, tenetur in conscientia iterum in ipsum redire, nisi Papa, aut eius Generalis aliquo iusto remedio illi subuenerint. Quia per sacrum Concilium Tridentinum *sess.25. de Regular. cap. 4.* expresè cauetur, ne liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam sub prætextu ad suos Superiores accedendi, nisi ab iisdem missi, aut vocati fuerint: quo decreto tunc tantùm non adstringuntur Religiosi, quando iniustè detenti alia meliori via sibi succurrere non possunt, vt *inferius* dicemus. Igitur, id non licebit Religiosis perpetuo carceri iustè damnatis. Atque ita docent Nauar. *loco citato*, Sayr. *eod. cap. 18. num 9. in fine.* Roderiq. *d. art.6.* Sanchez *d. cap.8 num. 15.* Verùm hoc limitatur, vt liceat fugere, quando illa 4. perpetui carceris pœna iniustè, ac nullo iuris ordine seruato imposita fuit: pariter liceat fugere, quando etsi sententia iusta fuerit; modus tamen in ea exequenda seruatus iniustus est, vt si custos carcerum suo proprio motu, siue Iudicis, aut alterius iussu, iniustè illi cibum, vestitum, vel ignem ad vitam sustentandam necessaria denegat. Ita Nauar. *d. num.64. illat.7. & 8.* Sayrus *d. cap. 18. num. 10.* Roderiq. *d. art.6.* Sanchez *d. cap. 8. num. 14.* idem esset intelligendum, quando secundùm allegata, & probata iustè condemnatus esset, vt sententia fundata esset in falsa præsumptione, aut falsis probationibus contra rei veritatem: nam huiusmodi sententia non obligat in conscientia, quamuis secundùm ordinem iuris lata sit. Ratio est: quia sententia est veluti lex quædam priuata: lex autem non obligat ad id, quod est contrarium fini legis. Sed cùm finis sententiæ sit, cuique quod suum est tribuere; si ex eius obseruatione contrarium eueniret, non obligat. Ita Sot. *de iust. lib.5. quæst 6. art 4.* Less. *de iust. lib.2 cap.31. dub 4 n.14.* qui testatur de communi. Reginald. *in praxi lib. 24. num. 146. vers. Aduerte autem.* Martin. Bonacin. *de legib. disp.1. q.1. punct.7. §.3. sub num.1. vers. Quimo, dicitur, & in Decalog. disp.10. q.3. punct.2. num.22.* in terminis Sanchez *d. num.14.*

Dico tertiò: Religiosus in carceribus à suo Superiore detentus, si ab eo iniquè vexetur, vel timet, ne ab eo vltra modum puniatur, & nullo alio remedio sibi consulere potest, nisi fugiendo ad Superiores, vt grauamen auferant; non est censendus apostata, neque fugitiuus, si tunc aufugiat, non animo vagandi, sed recurrendi ad Superiorem Prælatum ad se defendendum. Quia ius defensionis naturale est: tum etiam, quia ibi voluntas interpretatiua maioris Superioris interuenit. Ita docent Bald. *in cap. ad nostram, num. 4. de appellat.* Dec. & alij apud Nauar. *comm 2. de Regular. num.61 & comment.3 num.51. ad 4.* Azor. *instit. moral. p.1. lib. 12. cap.11. q.7.* Roderiq. *quæst. regular. tom.1. quæst.30. art.3.* Sayrus *in claui regia, lib.12. cap.17. num. 40.* Sanchez *in Decalog. lib.6. cap.8. num. 17.* D. Antonin. Ricciull. *tract. de iure person. extra grem. Eccles. exist. lib.8 cap.2. num 24. & pluribus seqq.* Suar. *de Relig. tom 4. tract 8. lib.3. cap. 1. num. 6.* Nec obstat Concilium Tridentinum *sess 25. de Regular. cap.4.* in quo expresè prohibetur Regularibus à suis Monasteriis recedere absque suorum Superiorum licentia, etiam sub prætextu, ad Superiores suos accedendi, nisi ab eis vocati fuerint, sub pœna, vt ab Ordinariis locorum tanquam desertores sui Instituti puniantur: quo decreto motus Bannes 2. 2. *q.13. art.1.* putauit, Religiosus sic confugientes apostasiæ crimen incurrere. Non obstat, inquam: quia non est verisimile, Concilium Tridentinum voluisse impedire, ac tollere Religiosis tam intrinsecum, & naturale ius, prout est iusta defensio; sed censendum est, eius mentem fuisse, subtrahendi Religiosis inanes prætextus, quibus inuixi nonnulli leuissimis de causis sæpè sæpiùs Conuentus exibant, & quod in huiusmodi casibus intellexerit, Religiosos tanquam sui Instituti desertores puniendos esse, etiamsi recedant sub prætextu accedendi ad suos Superiores, ad hoc, vt ab eis vagandi occasio tollatur. Ita Doctor. citati communiter.

6. Idem dicendum est de Religioso ad amicum, vel

aliuin

alium [illegible] gien i, vt eum deprecatorem apud Superiorem [illegible] et. *l. Q. [illegible] si [illegible] §. [illegible] autem ff. de Æd. [illegible] dict.* Ægid. Bossius *tit de carc. [illegible] fideiussor. comm. [illegible] num.*46. in terminis D. Antonin Ricciull. *d. cap.* 2. *num.* 24.

7. Quæ omnia vera intelligenda sunt, quando satis euidenter, & publicè constaret, Religiosum a suo Superiore iniustè vexari; nec aliter sibi subuenire posse, nisi à Conuentu recedens Superiorem adeat, vt posset se apud illum tueri, quatenus ius naturale concedit, & non aliter. Azor. *di[illegible]. cap.* 11. *q.* [illegible] & 8. Suar. *dict. num.* [illegible]. Itero, nisi ex illa fuga scandalum, ac pertubatio in Religione orirentur, vt ait Roderiq. 1. *tom. Summa, cap.* 43. *num.* 1. quod limitaudum est cum Sanchez. *d. num.* 17. quando scandalum, & perturbatio tanti essent momenti, vt superarent defensionem illius Religiosi, adeò vt illi anteponenda essent.

8. Dico quartò, si Religiosus carceratus, qui sit morte plectendus, vel ei aliqua mutilatio inferenda sit, fugiat è carcere, non videtur delinquere: quia fugit, vt vitam, & membra sua conseruet: quod omnibus hominibus à natura inditum est. Ita affirmant Rodriq. *tom.* 1. *qq. reg. q.* 30 *art.* 3. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. [illegible]. 31. *dub.* 5. *num.* 34. Santarellus *de apostasia, cap.* 3. *num.* 7. & alij apud Sanch. *loco cit. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 15: contra Sayrum *in claui reg. lib.* 12. *cap.* 18. *num* 14.

9. Dico quintò, Religiosus damnatus ad triremes, si inde fugiat ad tantam molestiam vitandam, non censetur fugitiuus. Ratio est: quia vel missus erat ad triremes in perpetuum, vel ad tempus; si primo modo, non videtur fugitiuus, sed potiùs censetur à Monasterio eiectus: vnde, vt *in primo quæsito* dicimus, fugitiuus, & eiectus differunt inter se, ita vt eiectus non possit dici fugitiuus: si secundo modo, non videtur etiam fugitiuus, si hoc faciat, non vt vagetur; sed vt à tanta molestia liberetur, & Superiorem, vel Summum Pontificem pro impetratione veniæ deprecetur. Ratio est: quia homines damnati ad triremes, non apponuntur ibi, vt sponte maneant; sed vt inuiti patiantur, & cum ex impulsu naturali detur omnibus animantibus, vt à simili coërctione liberentur, manifestè sequitur, damnatum a dtriremes non esse fugitiuum, si fugam accipiat, maximè cùm hoc genus pœnæ perpetuæ morti comparetur, *l. penult. ff. de regul. iur.* Hanc sententiam tuentur Banues 2. 2. *q.* 69. *art.* 4. *post.* 5. *concl.* & Bonac. *de claus. q.* 2 *punct.* 11. §. 1. *num* 8. quicquid dicant Sayrus, & Sanchez apud eundem Bonacinam *loco cit.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares teneantur apostatas, & fugitiuos perquirere, & ad propria Monasteria reuocare; & an pœnas incurrant, eos non perquirendo.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte negatiua.*

2 *Abbates, & Prælati regulares possunt apostatas, & fugitiuos capere, vbicunque illos repererint, & in vincula conicere, ac debitis pœnis in eos animaduertere.*

3 *Abbates, & Prælati regulares tenentur, si commodè possint, apostatas, & fugitiuos ad propria Monasteria reuocare. Quæ obligatio etiam Conuentualibus Prælatis imponitur, vt n.* 4.

5 *Abbates & Prælati Regulares an teneantur ad eos singulis annis perquirendos, ostenditur. Quid, si huiusmodi Religiosi essent incorrigibiles, scandalosi, vel Religioni noxij? n.* 6.

7 *Religiosus hodie quando verè incorrigibilis censendus sit.*

8 *Respondetur ad argumenta.*

9 *Prælatus non reuocans animatim fugitiuos, de quorum emendatione speraretur, an, & quas pœnas incurrat vt num.* 10.

Videtur primò, quòd Abbas non teneatur procurare, vt Monachi fugitiui, & apostatæ ad vnitatem Religionis redeant: quia Monachus apostata, & fugitiuus à Religione est tanquam præcisus ramus ab arbore: & sicut talis ramus non viuit; ita nec Monachus præcisus à Religione, vt probatur *in can. Pietas* 23. *q.* 4. 1.

Præterea extra Ecclesiam salus non habetur: vnde aqua diluuij arcam quidem ad sublimiora sustulit; omnes autem, quos extra arcam inuenit, extinxit, vt habetur *in cap. Quia ex sola.* 24. *q.* 1. Sed Monachi apostatæ, qui sunt extra arcam Religionis, non deberent ad arcam reuocari.

Ad maiorem huius quæsiti intelligentiam supponendum est, Abbates, & cæteros Religiosorum Prælatos habere potestatem capiendi, cogendi, & in vincula coniiciendi huiusmodi apostatas, eosdémque condignè puniendi, etiam corporaliter, iuxta proprias constitutiones; vel iuxta prudentis viri arbitrium religioso statui consentaneum, & non solùm verè apostatas, sed etiam fugitiuos hoc modo coërcere possũt, de qua potestate fusiùs tradit Nauar. *commentar.* 3. *de Regular. num.* 50. eam confirmans non solùm ex vi iurisdictionis; sed etiam ex titulo dominij, ratione cuius potest dominus seruum fugientem capere, vel rem propriam recuperare, vbicunque illam repererit. Præterea hoc confirmatur ex nonnullis concessionibus factis Religionibus à Summis Pontificibus, vt patet *in Compendio priuilegiorum, verb. apostata*; & *verb. fugitiuus*, quæ ibi videri poterunt, in quibus non solùm id permittitur; sed etiam, quòd possint eos vbicunque sint, siue in sæculo, siue in alia Religione inuocato auxilio brachij sæcularis, summarie, & sine figura iudicij reuocare, capere, & in carceres coniicere, ac in eos debito modo animaduertere, vt in specie cōcessit Pius V. Societati Iesu; & refertur *in eius compend. verb. apostata*, §. 5. & ex alio priuilegio Fratribus Carmelitis concesso, licèt eisdem Prælatis Regularibus Religiosos apostatas, fugitiuos comprehendere, etiamsi in Vrbe reperiantur. 2.

Hac potestate supposita, dicendum est, eosdem Prælatos teneri, si commodè possint, ad apostatas, & fugitiuos reuocandos, vt eos corrigant, & puniant iuxta Regulæ, & constitutionum præscriptum, & sic spirituali eorum saluti prospiciant. Præterea ita de iure communi statutum est, vt patet *in cap. Ne Religiosi. de Regular. in* 6. in hæc verba: *Ne Religiosi vagandi occasionem habentes salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statuimus, vt Præsidentes Capitulis celebrandis, secundum statutum Concilij Generalis, seu Patres, Abbates, aut Priores fugitiuos suos, & eiectos de Ordine suo requirãt solicitè annuatim, qui si in Monasteriis suis recipi possunt, secundum Ordinem regularẽ, Abbates, seu Priores eorũ monitione præuia per censurã ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorũ, salua Ordinis disciplina: quod si hoc regularis Ordo nõ patitur, authoritate nostra prouideant, vt apud eadem Monasteria, in locis competentibus, si absque scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis locis eiusdẽ Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam, talibus vita necessaria ministrentur: si verò huiusmodi fugitiuos, vel eia-* 3.

Etos inobedientes inuenerint, eos excommunicent: & tādiu faciant ab ecclesiarum Prælatis excommunicatos publicè denunciari, donec ad mandatū ipsorum humiliter reuertantur. Hæc ibi. Præterea idem statutum est in decretis Sacræ Congregationis Concilij Sanctissimi D.N. Vrbani VIII. iussu editis de Regularibus apostatis, & electis, anno 1624. die 21. Septembris, quorum verba sunt hæc.

DECRETA S. CONGREGAtionis Concilij de Regularibus apostatis, & eiectis S.D.N. Vrbani VIII. iussu edita.

☞ SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, Regularium eiectorum, & fugitiuorum statui consulere, illorúmque scandala summouere, & succrescentem numerum frangere operæpretium existimans, auditis Religionum Superioribus, réque diligentissimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. VRBANO VIII. atque ex peculiari Sanctitatis Suæ facultate, infrascripta decreta edidit.

Ac primò, vt infecta semina, è quibus praui eiusmodi fructus potissimùm prodeunt, deinceps ne serantur in vinea Domini, censuit, esse innouandas, & Sanctissimi authoritate innouat Constitutiones, & Decreta generalia san. mem. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionē, professionem atque institutionem spectantia, districtéque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obseruent, atque, vt obseruentur, efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus. A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ne in Conuentibus, seu Monasteriis ad Nouitios recipiendos hactenus designatis & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Nouitij ad habitum vllatenus recipi possint, nisi prius à Congregatione Reformationis apostolicæ, vel à propriis locorum Ordinariis expressè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem decreti obseruatione Sacra Congregatio iustis de causis censuit Regulares esse absoluendos, prout, authoritate Sanctissimi Domini Nostri, absoluit, atque exemit.

Deinde, vt apostatandi opportunitas Regularibus præcipiatur, statuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, túmque Regularis rectà se transferat ad arctiorem. Quod vt re ipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Rursus statuit, vt fugitiui, & apostatæ, siue habitum regularem deferant siue non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres coniici, ac Superioribus regularibus consignari, secundùm regularia instituta puniendi, vtque ipsi quoque Superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, vt apprehendātur; salua tamen in omnibus facultate Ordinariis locorum attributa decreto Cōcil. *c. 3. se*... Quód si apostatæ huiusmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menses à præsentis Dec... publ...atione inchoandus sua sponte ad suam quisque Rel...nem redierit, tum pœnarum omnium ...is pr... apostasiam inflictarum, aut infligend...rum ...missionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen vt debeant à Superiore absolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; Superior ... contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate comple...

Adhæc ... ... pos... ... ...onibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis nemine censeatur, ... non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hæc ex ...is communis dispositione ... ...untur, sed ... is hac in parte Statutis & Constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede apostolica approbatis, & confirmatis: verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindéque vnaquæque Religio priuatus habeat carceres in qualibet saltem Prouincia. Elapsu autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquàm pecus morbida, ac membrum putre, eiici tandem possit; sed ab ipsomet Generali tantùm de Concilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; túmque nonnisi instructo secundúm eorum stylum, & Constitutiones, processu, & plenè probatis causis expulsionis ac Sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessariis causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta. Sic verò eiecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm Sacra Congregatio, Religionum Superiores serio admonet, ac per IESV Christi viscera obtestatur, vt, memores pa...næ ...h...tatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas f...atrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, anteq; àm grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quòd sub...torum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster IESVS Christus in supremo Dei iudicio de eorundem Prælatorum manibus sit requisiturus.

Præterea statuit, vt iidem Superiores nemini ex Religi...sis expulsis litteràs testimoniales concedant, illos ad Sedem apostolicam reiicientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item, vt eiecti extra Religionem degentes, sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postrem... ...e ...é i...nouandam, & suæ Beatitudinis authoritate innouat Constitutionem fel. record. Gregorij IX. relatam *in cap. fin de Regul.* ac propterea declarat, eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, seruandúmque esse, qui iustè, diffinitiuéque, ac iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummmodò tamen in expulsis huiusmodi fu... ...spes euidens emen...ationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinar...j, cuius conscientiam in his literis concedendis Sacra Congregatio f...ò onerauit.

Ne qua verò difficultas in supra scriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis suboriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino nostro annuente, atque ap...obante, vniuersis Generalibus

ralibus, Prouincialibus, Commissariis, Ministris, Præsidentibus. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus quoruncunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium vbique locorum existentium iniungit, serióque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis, Collegiis, ac Domibus quoruncunque Monachorum, ac Regularium vbique locorum existentibus, efficiántque, vt tam Decreta supradicta fel. rec. Clementis VIII. quàm præsentes Ordinationes in singulis eiusmodi locis bis saltem in anno legantur in publica mensa.

Si quis verò ipsorum aduersùs ea, quæ superiùs præscripta sunt, vel eorum aliquid, quoquo modo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocísque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnáque huiusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi apostolicæ reseruata, iisdem Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, seu relaxandi potestate penitùs interdicta; & nihiluminùs sit irritum, & inane, quicquid secùs, à quoquam actum extiterit. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis in fauorem quaruncunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium quàm non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Domorum, ac locorum regularium quoruncunque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari Magno, seu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliísque efficatioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostulicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus pro expressis habendis, quibus quoad ea, quæ supradictis quomodolibet aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis Suæ authoritate, derogat, cæterisque contrariis quibuscunque. Dat. Romæ, die 21. Septembris, 1624.

C. CARD. TORRES.

Locus † Sigilli.

PROSPER FAGNANVS, S. Cong Sec.

Ex quibus verbis satis constat hæc Prælatorum obligatio, quæ etiam sequi videtur ex vi eorum muneris, & officij: nam ipsi tenentur, & communi Religionis bono, & spirituali taltum subditorum saluti prospicere: ad vtrumque autem finem necessaria est illa diligentia, & cura Prælatorum.

4. Et ista obligatio non solùm Abbatibus, Præsidentibus Generalibus, vel aliis, qui Capitulis Generalibus præsident; verùm etiam localibus Prælatis imponitur. Vnde ex dispositione dicti textus etiam hi adstricti sunt, Religiosos apostatas fugitiuos, & eiectos perquirere, & reuocare: quia textus indistinctè de omnibus Prælatis regularibus loquitur. Et ita firmant Archidiac. *in c. Abbates. n. 4. 18. q. 5.* Panormit. *super d. c. fin. n. 3.* Syluest. *verb. apostasia, q. 6. n. 10.* Azor. *instit. moral. p. 1. lib. 12. cap. 17. q. 2. in fine.* Rodetic. *q. regular. tom. 1. q. 30. art. 5.* Sanch. *in Decalog. lib. 6. c. 9. n. 11.* Verùm illud decretum *d. cap. final* cùm sit iuris humani, quoad annualem perquisitionem videtur cõsuetudine abrogatum fuisse: Prælati enim Regulares Religiosos fugitiuos, & apostatas quotannis non perquirunt, nec ad Claustrum eos reuocare student; neque illa circunstantia de annali perquisitione videtur moraliter necessaria: nam vel nullus adest fugitiuus & tunc non est, quòd perquirant, vel si aliquis aufugit, & eo casu non debent expectare tempus vnius anni ad illum inquirendum; sed statim diligenter eius reuocationem, & reductionem ad Claustrum curare: quòd si nihilominus tunc capi nequeat, singulis annis illum perquirere, nec etiam necessarium videtur; sed sufficiet inuigilare, ac possibilem diligentiam iuxta occurrentes occasiones adhibere. Ita Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 2. n. 17.* 5

Notandum autem, quòd in casu, quo Religiosus aliquis adeò esset scandalosus, & periculosus, vt aptè non possit capi, corrigi, & detineri, vel sit incorrigibilis, vel nociuus Religioni; Prælatus non tenebitur ad procurandam eiusdem reductionem, ne noceat aliis, postquàm eius desperaretur correctio, & emenda: nam vtilitas communis præponenda est bono cuiuspiam particularis, quod etiam non sequeretur ex correctione eiusmodi incorrigibilis: & propterea inquit D. Hieronym. relatus in can. Resecandæ. 24. q. 3. *Resecanda sunt carnes putrida, & scabiosa ouis à caulis repellenda; ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant.* Prætereà id clariùs significauit D. Bonauentura *in quæst. quas fecit circa Regulam S. Francisci, quæst. 14.* vbi agens de eiectis prædictis, & causis iustificatis ad expellendos aliquos Fratres ab Ordine, descendendo ad particularia, & ad apostatas, & fugitiuos, qui antequàm expellantur, Ordinem derelinquunt, post alia dicit sequentia notanda verba: *Si autem, Deo permittente, quispiam seipsum eiiceret, antequam per Prælatos dimittatur, gratiæ sunt Deo referendæ; non, quia ille peccauit; sed, quia oues suas à pestifera contagione liberauit. Vtinam abscindantur, qui vos conturbant; id est, qui conturbant puritatem vestram, pacem, & famam.* Ita Syluest. *verb. apostasia, num. 10.* Suar. *dict. cap. 2. num. 18.* Sed crediderim, eiusmodi verba intelligenda esse, vt locum habeant duntaxat in casu, quo Religiosus esset verè incorrigibilis ac eius correctio omninò desperaretur. 6

Verè autem incorrigibilis hodie is censetur, in quem non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur; verùm etiam, qui, postquàm vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probatus fuit in carceribus, elapso anno nihilominùs non resipuerit; sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit; sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscunque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede apostolica approbatis, & confirmatis, vt habetur in supradicta declaratione Sacræ Congregationis, § *Ad hæc vt in posterum.* Si verò speraretur ipsum corrigendum fore, si constringatur, & teneatur, absque dubio constringi, ac teneri debet, & cogi ad redeundum in Monasterium, quod aperte innuunt verba textus *in c. A nobis. de Apostat.* 7

& signanter illa verba, ibi: *Debere constringi, incarcerari,& affligi,donec à sua præsumptionis nequitia resipiscant: quòd si humiliter,& voluntariè fecerint,misericorditer, & benignè debeat recipi.* Ita aduertit Gloss. ibi *in verbo, Resipiscant,* & Syluest. *loc.cit.*

8. Ad primum argumentum *in cap. Pietas*, respondemus, quòd si ramus præcisus ab arbore non inseratur iterum cum arbore, exsiccabitur quidem, & arescet; sed, si in arbore fit vulnus, quo possit ramus præcisus recipi, tunc cum arbore vnitus non solùm vita viuet, qui sine vita radicis peribat; sed & vigorem consequetur, & fructus: si autem non coaluerit, ille quidem arescet; sed vita arboris permanebit; sic & Monachus, quamuis per apostasiam sit præcisus ex arbore Religionis,& coalescendo vita viuet, qui sine vita radicis Matris Religionis peribat.

Ad secundum argumentum *in cap. Quia ex sola* respondemus, quòd textus ille loquitur de Hæreticis: nam tales sunt extra Ecclesiam. Et sicut extra arcam Noë, quæ Ecclesiam figurabat, quis non saluabatur: ita nec extra Ecclesiam. Vnde *& in cap. Alienus, ead. caus. & quæst.* habetur: *Alienus est, profanus est, hostis est, habere non potest Deum patrem, qui vniuersalis Ecclesiæ non tenet vnitatem.* Sed Monachi apostatæ non dicuntur Hæretici: nam, si habeant de detestabili errore, sicut Petrus habuit de mendacij timore, amarum dolorem,& veniant ad matrem Religionem, possunt in illa esse Monachi, qui illius fuerunt apostatæ.

9. Quò verò ad pœnas, an, videlicet, incurrantur pœnæ, priuationis officiorum, & aliæ in decreto Sacræ Congregationis expressæ à Superioribus, qui dum subest spes emendationis, suos Religiosos fugitiuos, & eiectos annuatim non reuocant. Aliqui tenent, Superiores non incurrere tales pœnas: nam non faciunt, vel moliuntur aliquid contra ea, quæ in decreto exprimuntur; sed tantùm omittunt: & pœna lata contra facientes, non afficit omittentes, præterquam quòd in materia pœnali mitior interpretatio assumenda est.

Sed contrariam sententiam, nempe, à Prælatis omittentibus hanc annualem reuocationem suorum Religiosorum fugitiuorum, & eiectorum, incurri pœnas in decreto Sacræ Congregationis expressas, omnino veram puto. Nam intentio Sacræ Congregationis videtur esse, vt puniantur Superiores præfata decreta non exequentes, seu non obseruantes, ex illis verbis: *In suprascriptis decretis, & ordinationibus exequendis.* & infrà: *Iniungit, seriòque mandat, vt illa diligenter obseruent, atque obseruari procurent.* Superior autem non reuocans fugitiuos, & eiectos, non obseruat decretum Congregationis Concilij. Tum, quia, licèt omissio, vt sic, actio physicè loquendo non sit; moraliter tamen actio appellari potest, ac consequenter, qui omittit præceptum, explicatur hoc modo: Vult non facere præceptum, qui enim non facit, quod debet, aliud facit, quàm debet: & satis probabilior est sententia, non posse dari puram omissionem in materia præcepta. Denique omnis difficultas tollitur ex eo, quòd in decreto præfato infliguntur pœnæ transgressoribus iuxta formam à Clemente VIII. præscriptam circa admittendos ad Religionem: in illa autem constitutione infliguntur pœnæ iis, qui non obseruant, etiamsi hoc contingat per puram omissionem.

Quare ad rationem suprapositam respondeo, pœnas Congregationis impositas esse non exequentibus ipsius decreta: qui autem omittunt exequutionem, non exequentes propriè appellantur. Ad aliud autem dico, valere, si intentio legislatoris talem mitiorem explicationem patiatur. Sed hic clarè patet, intentionem S. Congregationis esse punire non exequentes eius decreta; quæ ita pariter non exequuntur à contrafacientibus, quàm ob omittentibus facere, quæ præcipiuntur. Et quoad hoc eadem omnino ratio est.

Quænam autem sint huiusmodi pœnæ, colligitur clarè ex verbis ipsius decreti suprapositi, nempe, pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc Superior, qui transgressor decreti extiterit, obtinebit: priuatio vocis actiuæ,& passiuæ,& perpetua inhabilitas ad prædicta in posterum obtinenda. Harum autem pœnarum relaxatio, & dispensatio ad solum Summum Pontificem spectat; quæ omnia, vt dixi, clarè habentur in d. decreto ab illis verbis: *Si verò aduersus ea*, vsque ad finem. 10.

QVÆSITVM IV.

Abbates & Prælati regulares qualiter cum apostatis, & fugitiuis ad Monasteria reuocatis se gerere debeant.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur, quòd cùm his duriùs agendum sit.*
2 *Apostatæ, & fugitiui ad Monasteria reuertentes, benignè, non autem rigidè, & cum asperitate recipiendi sunt.*
3 *Respondetur ad argumenta.*

Videtur primò, quòd cum apostatis, & fugitiuis duriùs sit agendum. Nam tales apostatæ peiores efficiuntur aliis peccatoribus: quia, vt dicit Augustinus ad Vincentium Donatistam: *Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo vestro, qui est testis mihi super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi: quoniam sicut difficilè sum expertus meliores, quam qui in Monasterio profecerunt: ita non sum deteriores expertus, quàm qui in Monasterio defecerunt.* Et habetur *in cap. Quantumlibet, distinct.* 48. 1.

Præterea, cum talibus non plus proficiunt verba, quàm verbera: nam dicit Salomon: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte.* Hinc etiam Beatus Gregorius scribit *in Dialogo*, Beatum Benedictum quendam Monachum virga percutiendo sanasse, quem crebra admonitione curare non poterat. Hinc etiam Dominus flagello facto de funiculis, malè versantes in templo flagellauit, & de orationis domo eiecit: ergo ex his patet, quòd cùm talibus duriùs sit agendum, & habetur *in cap. Cum Beatus, distinct.* 45.

Contrarium tamen dicendum est, videlicet, quòd Religiosi apostatæ, & fugitiui ad proprium ordinem reuertentes, humiliter, vt admittantur,& recipiantur, petentes; benignè, non autem rigidè,& cum asperitate recipiendi sunt: quod docet Decretum sacræ Congreg. Card. Concil. Trid. de apostatis, & fugitiuis, *in antecend. quæsitis* positum, in illis verbis: *Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.* Et Gloss. *in c. A nobis, de apostatis, verbo, Resipiscant,* idem docet dicens, eosdem benignè, imò verò cum venia esse recipiendos: quia, inquit, Ecclesia nunquam consueuit redeuntibus claudere miserationis suæ gremium, *l. Inter claras, C. de summa Trinit. & fide cath.* vbi habetur, quòd Ecclesia nulli viscera misericordiæ claudit, vtcunque peccator sit, dummodo conuertatur,& pœnitentiam agat. Idem habetur *ex cap. Si quis omnem, 1. quæst. 7.* vbi ex nonnullis sacræ Scripturæ locis comprobatur, peccatores post pœnitentiam recipiendos esse, ac Deum illis indulgere, quæcunque peccata, vtcunque grauia, extiterint. 2.

In

In hac tamen re obſeruandum eſt cum Nauarro *lib.3.conſ.de Regul.conſ.69.n.1.* quòd apoſtatæ, & fugitiui ſunt in principio blandè, & benignè recipiendi: mox ſi ad ſanam mentem non redierint, terroribus, ac minis inducendi ſunt, & ſunt illis applicanda remedia iuxta ſuorum delictorum, ſeu potiùs infirmitatis indigentiam. Caueant tamen Abbates, & Prælati, quòd apoſtatæ prædicti, & fugitiui ex propriis delictis non reportent commodum, quod prohibetur *in l.Itaque Fullo.ff. de furtis.* Indecens enim eſt, quòd dolus, & fraus debeant alicui patrocinari, vt præcauetur *in c. Sedes apoſtol. de reſcrip.* Videatur prædictum Decretum Sacræ Congregationis de apoſtatis, & fugitiuis, vbi optima norma pro illis recipiendis, detinendis, & corrigendis oſtenditur.

3. Igitur ad primum argumentum *in c. Quantumlibet*, reſpondemus, quòd textus loquitur de illis apoſtatis qui omninò defecerunt à Monaſterio, nec ampliùs reuerſi ſunt. Nos verò de apoſtatis & fugitiuis, qui iterū cupiunt in Monaſteriū redire, & Regulā monaſticam obſeruare: nam tales ſunt benignè exipiendi.

Ad ſecundum argumentum *in cap. Cum Beatus.* reſpondemus, quòd textus loquitur de peccatoribus incorrigibilibus, & obſtinatis: nam tales ſunt duriùs corrigendi., vt emendentur. Nos vero loquimur de illis apoſtatis, & fugitiuis, qui præteritæ vitæ veniam poſtulantes, ſub obedientiæ Regula in monaſtica diſciplina viuere procurant: nam tales ſunt benignè excipiendi. Hinc dicit D. Gregorius *in moralibus, part.4. c.9.* Diſciplina ſine miſericordia multùm deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Sed circa ſubditos ineſſe debet Rectoribus, & iuſtè conſulens miſericordia, & piè ſęuiens diſciplina, vt habetur *in c. Diſciplina. diſt.45.*

Si dicas, quòd apoſtatæ, & fugitiui ſæpè fiunt incorrigibiles, obſtinati, ac peiores ſupradictis peccatoribus; ideò non blandè, & benigne cum illis debent agere Abbates, & Prælati. Reſpondeo, illos tamen recipiendos eſſe, non eiiciendos, vt præcipit ſupracitatum Decretum Sacræ Congregationis Concilij, vbi ſtatuit, quòd nullus legitimè profeſſus eiici poteſt: & oſtendit, quis dicatur verè incorrigibilis; & quid cum illo obſeruandum ſit à Prælatis, vt dicemus infrà.

QVÆSITVM. V.

Quibus cedant apoſtatarum, fugitiuorum, & eiectorum bona; & quibus eorum debita perſoluere incumbat.

SVMMARIVM.

1 *Bona acquiſita à Religioſo expulſo iure nouo pertinent ad Cameram apoſtolicam.*

2 *Monaſterium quandonam cenſeatur debere ſoluere debita apoſtatarum, & fugitiuorum ad illud redeuntium.*

3 *Sedes apoſtolica de rigore iuris non ſuccedit in obligationibus, & debitis apoſtata, ſed tantum de æquitate.*

QVoad primam partem, loquendo de eiectis tantùm, Doctores inter ſe variè loquuntur: nam Molina *tom.1.de iuſt.diſput.140.* & Leſſius *de iuſt. & iur.lib.2.cap.41.dub.15.num.110.* dicunt, pertinere ad Monaſterium, à quo eiectus eſt: quia Monaſterium in hac parte non ceſſit iuri ſuo: vnde rationabile non eſt, vt propter delictum Religioſi apoſtatæ, ſiue eiecti, amittat ſuum ius.

Alij dicunt; acquiſita ab eiecto, pertinere ad Eccleſiam, ſiue ad Epiſcopum inſtar bonorum vacantium. Ita Santarellus *de apoſtaſia, cap 6.dub.2.num.6.* Nauar. *comment.2.de Regul.num.53.* Sanch. *in precept. Decalogi, lib.7.cap.33. num.28.*

Alij dicunt, acquiſita à Religioſo, expulſo iure nouo, pertinere ad apoſtolicam Cameram poſt Religioſi obitum. Sic ſtatuit Gregorius XIII. in motu proprio, qui incipit: *Officij noſtri.* quod etiam affirmant Rodriquez *tomo 3.qq.regul.quæſt.30.art. 26.* Azorius *tom.2.inſtit.moral.lib.8.cap.3.quæſt.15.* Santarellus *de apoſt.cap.3.num.23.* Sanchez *loco citato, lib.7. cap.33. num.9.* Bonac. *de clauſ.q.2.punct.12.§.7.num.3.* vbi notat, hoc intelligendum eſſe modò Religioſus eiectus, extra Religionem obierit: nam, ſi ad primam Religionem redit, bona ipſius pertinent ad illam Religionem, ſicut etiam probabile eſt, ad illam pertinere dominium bonorum, dum Religioſus eiectus viuit, etiamſi in ſæculo degat, ſicut affirmant Molina *loco citato*, & Leſſius *ſimiliter loco citato.*

Si verò ad aliam tranſiuit, & in ea profeſſionem emiſit, bona ipſius pertinent ad ſecundam Religionem, vt diximus *ſuprà*, de tranſeuntibus de vna ad aliam Religionem *quæſito vlt.* nam tranſeunt per profeſſionem cum illo bona ipſius.

Si autem Religio illa ſit incapax pecuniæ, & aliorum bonorum, pertinet ad Summum Pontificem *ex cap. Exit, qui ſeminat. de verb. ſignific. in 6.* & ex conſtitutionibus Martini V. & Pauli III. vt dicunt Rodriq. *tom.2.qq. regul.q.125.* Sanchez *loco cit.num.21.* Santarellus *loco cit.num.7.* Azor. *loco cit.lib.12.cap.16. q. 9.* Rebellus *p.1. lib.1.q.7.ſect.4.num.33.* Molina *de iuſtit.loco cit.*

Si loquamur de apoſtatis, & fugitiuis, dicendum eſt illorum bona, ſi illi legitimè tranſeant ad aliam Religionem, ſpectare ad ſecundam hanc Religionem, ſi acquiſita ſint poſt profeſſionem ſecūdæ Religionis, cùm fiat ſubditus illius Religionis: ſi vero illegitimè tranſit, ſpectabunt ad priorem Religionem, dummodo illa non acquiſiuiſſet contemplatione illius ſecundæ Religionis: ſi verò non tranſeant ad aliquam Religionem, ſed maneant in ſæculo, & ibi moriantur; ſpectant illius bona de iure antiquo ad Monaſterium, à quo fugam arripuit, vel apoſtatauit; de iure verò nouo ad Cameram apoſtolicam per conſtitutionem Greg. XIII. ſupracit. ſiue ſint bona ab inteſtato, ſiue donatione, ſiue alia ratione. Videantur Nauar. *conſ. 17.de ſtatu Monach.* Sanch. *loc.cit.n.9.* & Bonac. *loc.cit. num.5.*

Quoad ſecundam partem videtur, quòd Abbas teneatur ſoluere debita apoſtatarum, & fugitiuorummā, ſi tales apoſtatæ, dum vagantur, aliquid acquirant, non ſibi, ſed Monaſterio acquirunt, vt dicit textus *in c. Abbates 18.quæſt.2.* ibi: *Omnia, quæ acquiſierit, ab Abbatibus auferantur, ſecundùm Regulam Monaſterio profutura.* Ergo, ſi ex bonis acquiſitis per apoſtatas Monaſterium ſentit commodum, etiam & incommodum ſentire debet, *c. Qui ſentit. de reg. iur. in 6.*

Dicendum tamen eſt, Monaſterium non teneri ſoluere debita apoſtatarum, & fugitiuorum. Ratio eſt: quia Monachus in iure quæſito poteſt prodeſſe, ſed non obeſſe Monaſterio: vnde Monaſterium non tenetur ad ſoluendum debita, nec ſuccedit in obligationibus paſſiuis: quamuis enim ſuccedat in actiuis, & in iuribus vtilibus, nō tamen conſtituitur ad ſoluendum debita ab ipſis Monachis contracta, cum ius reſiſtat obligationibus ab ipſis initis, non tamen reſiſtit acquiſitioni dominij, quod per ipſos Monaſterio poteſt obuenire. Ita Roderiq. *quæſt.reg.tom.1 quæſt.33. art.11.* Veruntamen dicit ipſe Roderiq. Sicut ille, qui emit rem Eccleſiæ ſine ſolemnitate, non poteſt repetere pretium ab Eccleſia, vt eſt tex: *in c. Non liceat. 12. q.2.* & *cap.1. de depoſ.* niſi pretium ſit conuerſum in vtilitatē Eccleſiæ, vt argumento eiuſdem decretalis tenet Sylu. 2.

ita etiam non possunt creditores petere à Monasteriis sibi debita ab apostatis ipsorum Monasteriorum, nisi id, propter quod debitũ fuit contractum, conuersum sit in vtilitatem ipsorum Monasteriorum: qui enim sentit commodum, debet etiam sentire incommodum.

Respondeo ad argumentum in contrarium adductum, quòd Monachus potest prodesse Monasterio, non autem obesse, vt dicunt Baldus *in l. Seruus. C. de pactis*, & Innocentius *in c. Cum olim. de priuilegiis.* Ideò non tenebitur Monasterium soluere debita ab illo contracta, néc succedere in obligationibus passiuis illius quauis succedat in actiuis, & in iuribus vtilibus stando in iure, & in rigore. Secùs dicendum est, si loquamur de æquitate, & benignitate. Vnde concludendum est, quòd in rigore iuris, Monasterium non videtur teneri soluere debita fugitiuorum, & apostatarum & eiectorum, etiamsi aliqua secum bona deferant.

Hinc est, quòd Nauarrus *lib. 3. cons. de Regul. cons. 73. num. 3.* agens de quodam apostata Ordinis Minorum S. Francisci, qui in habitu sæculari aliqua iura acquisiuit, & actiuas obligationes, & postea reuersus est ad Religionem; dicit, quòd fuit quæsitum, quid agendum esset. Et resolutum fuit, prædictum apostatam nihil sibi singulariter acquisiuisse, nec Monasterio; quia erat Ordinis S. Francisci: nam, licèt Religiosi aliorum Ordinum, contrahendo vtiliter, Monasterio, & Ordini suo acquirant; præfatus tamen apostata nihil acquisiuit, ratione sui Ordinis incapacis bonorum; sed omnia iura vtilia per illum acquisita, dictum fuit, pertinere ad Sedem apostolicam.

3. An autem Sedes apostolica, quæ succedit in iuribus vtilibus, succedat in obligationibus, & debitis apostatæ; respondet supradictus Nauarr. de rigore iuris non succedere, sed tantùm de æquitate. Ita refert etiam Miranda *in Manuali Prælat. tom. 1. q. 51. art. 8. concl. 1.*

QVÆSITVM VI.

An Abbas possit concedere suo Monacho, vt extra Claustrum degat, absque eo, quòd incurrat apostasiam; & maximè vt propriis parentibus subueniat.

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte affirmatiua.*

2 *Prælatus non potest in iure communi dispensare.*

3 *Prælatus regularis, iusta existente causa, potest Regulari sibi subdito licentiam extra Claustrum manendi concedere.*

4 *Respondetur ad argumenta.*

5 *Causa iusta concedendi licentiam Religiosis ad egrediendum, quæ sit, ostenditur.*

6 *Prælatus absque iusta causa, licentiam egrediendi Religiosis concedens grauiter peccat, & licentia ita concessa est nulla*

7 *Religiosus an sit tutus tali licentia absque iusta causa vtendo. Vide remissiuè.*

8 *Religiosus professus tenetur subuenire parentibus in extrema necessitate constitutis, petita prius à suo Prælato licentia.*

9 *Superior potest concedere Religioso subdito licentiam, vt parentibus in graui necessitate constitutis subueniat extra Claustra: & quid si Prælatus licentiam denegarit, num. 10.*

Videtur primò, quòd Abbas non possit concedere suo Monacho, vt extra Claustrum degat, absque eo, quòd incurrat apostasiam: nam, si neque Romanus Pontifex, qui humanis legibus est solutus, potest dispensare in clausura sine iusta, & rationabili causa, iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 96. *art. 5.* & Caiet. *ibidè*, & tradit optime Nauar. *Com. 4. de Reg. n. 3.* ergo à fortiori, neque inferior.

Secundò, Prælatus regularis non potest in iure communi dispensare: sed iure communi prohibitum videtur Religioso extra Claustrum degere, vt colligitur *ex can. Placuit. 16. q. 1.* vbi dicitur: *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de d. Monasterio exire, nefandissimo ausu præsumat.* Et infra: *Sit Claustro contentus: quia, sicut piscis sine aqua caret vita; ita sine Monasterio Monachus.* Idem habetur *in cap. Monachi. 2. ead. caus. & quæst* ergo Monachus nequit, etiam de licentia Prælati, extra Claustrum manere, cùm Prælatus non possit illam concedere ex prædictis.

Præterea adest constitutio Clementis VIII. *in suis decretis pro reformatione Regularium*, primò, vt nullus è Conuentu egredi audeat. Secundò, vt degentes extra Monasterium reuocentur, nec de cætero, nisi ex grauissima causa, à Sede apostolica approbanda huiusmodi facultates concedi possint: ergo Monachus nequit, etiam de licentia Prælati, extra Claustrum manere: quia, Prælatus non potest illam concedere ex prædictis. 3.

Contrarium tamen dicendum est. Nam, iusta existente causa, potest Prælatus, Papa inferior, concedere facultatem Regulari sibi subdito viuendi extra Monasterium; nempe, pro vrgenti aliqua necessitate, vel vtilitate Monasterij. Sed absque iusta causa nullus Prælatus potest concedere suo Religioso, vt extra Claustrum maneat. Et ratio assignatur: quia iure communi potestas supra Religiosum est penes Prælatum, *cap. Nullam. 18. q. 2.* tum, quia de iure communi potest quis profiteri aliquam Regulam alicuius Religionis, manens in domo propria de licentia Prælati; & ad eius nutum, *c. Insinuante. Qui Clerici, vel vouent.* cuius antiqui iuris determinatio a nullo posteriore sublata est, vt probat Nauar. *in com. 2. de Regul. n. 16.* Ergo liberum est Prælato, huiusmodi licentiam concedere. Præterea, talis facultatis concessio nón est dispensatio in aliquo voto; sed ad summũ in Regula, super quã Abbas, & Prælatus habet potestatẽ dispensandi: ergo potest huiusmodi licentiam concedere. Ita docent Innocent. *in cap. Cum...... de re iudic.* quem sequitur Panormit. *ibid. n. 29.* & testatur communiter receptum Nauar. *d. Comment. 2. de Regular. num. 40. vers. Secundo, quod iusta de causa.* Idem Nauar. *Comment. 4. num. 36.* Suar. *de Relig. tom. 4. tract 8. lib. 3. cap. 7. num. 3.* Faust. *in thesaur. Relig. lib 6. quæst. 160.* Argumenta in contrarium adducta non obstant; ea enim procedunt, vt nequeat Prælatus super clausura dispensare, absque quòd iusta, & rationabilis causa interueniat. Nec *in d. can. Placuit.* interdictum est Prælatis, ne talem licentiam concedere valeant; sed tantùm prohibetur Monachis, ne Claustrum nefandissimo ausu egredi præsumant. Cum autem egrediuntur de suorum Abbatum, & Prælatorum licentia, non potest dici, quòd egrediantur nefandissimo ausu: *in dicto* autem *can. Monachi.* id expresse colligitur: ibi enim additur, *nisi sui Abbatis imperio*: ergò in eo textu supponitur, Abbatem posse hanc facultatem concedere. Tunc igitur non licet Regularibus Prælatis hanc licentiam Religiosis concedere, cùm iusta causa non adest. quæ causa maior esse debet, cùm maior est licentia: minor autem, cùm minor. Quæ verò vniuscuiusque egressus iusta causa fuerit vel sit, arbitrio Superioris boni, 5. ac prudentis viri definiendum est, pensata circumstantiarum

ſtantiarū loci, perſonæ, ac tempus varietate, *arg. cap. De cauſis. extr. de offic. delegat.* Nauar. *d. Comment. 4. n. 36. in fi. verſ. Tertio, verum eſſe.* Suar. *d. cap. 7. n. 17.*

6. Peccat igitur grauiter Prælatus abſque iuſta cauſa hanc licentiam concedens: quælibet enim diſpenſatio in lege, abſque iuſta cauſa facta, iniqua eſt ex parte concedentis, vt tradunt Doctores citati. Præterea licentia ita conceſſa nulla eſt: quia diſpenſatio in lege Superioris ab inferiore ſine iuſta cauſa conceſſa non ſolùm illicita eſt; verùm etiam inualida, vt tradunt Sanch. *lib. 8. de matrimon. diſp. 17. num. 3.* Salas *de legibus, diſp. 20. ſect. 4. num. 30. & ſect. 6. num. 66.* Vaſq. 1. 2. *d. 178. cap. 3. num. 17.* Et alij apud ipſos; & diximus in materia de poteſtate Abbatum & Prælatorum circa diſpenſationem. Ita Nauar. *loco citato*, &

7. Suar *d. cap. 7. num. 10.* Verùm autem Religioſus ſit tutus, tali facultate ſine iuſta cauſa conceſſa, vtendo; videatur idem Suar *ibid. n. 12.*

8. Quo verò ad proprios parentes, dicendum eſt, Religioſum profeſſum habentem proprios parentes in extrema neceſſitate conſtitutos, teneri illis ſubuenire, petita priùs licentia à ſuo Prælato. Sed in hoc caſo tria requiruntur. Primò, vt ſit neceſſitas extrema. Secundò, vt priùs dicat Prælato. Tertiò, vt non ſit in ſæculo alius, qui illis ſubueniat; & habeatur ſpes, quòd profeſſus poſſit illis ſubuenire. Quibus concurrentibus, ſi Abbas neget licentiam, poteſt Profeſſus abſque ſcrupulo, imò tenetur exire, abſque eo quòd apoſtaſiam incurrat. Ita Nauar *in Summa, cap. 14 n. 14.* & Portellus *de dub. regul. verbo, Parentes Fratrum*, vbi citat D. Thom. pro hac ſententia, & dicit, illam eſſe communem. Et rationem aſſignat: quia ius naturale clarè ſtatuens ſubuentionem parentum in tali ſtatu, obligat filium, vt illis ſubueniat; & Prælatum, vt licentiam tribuat. Non tamen inferas, quod Abbas, ſiue Prælatus, poſſit dare licentiam, vt ſubditus pro tali ſubuentione habitum dimittat.

9. Imò additur, quòd ſi neceſſitas non ſit extrema; ſed ſolùm grauis, poterit Abbas licentiam dare ſubdito, vt ſubueniat parentibus extra Clanſtra, vt affirmat idem Nauar. *lib. 3. conſ tit. de Regul. conſ. 54.* loquendo de neceſſitate, tam ſubſequente, quàm præcedente profeſſionem: diſtinguit tamen idem Nauar. *in c. Nullus, 18. q. 2. num. 49* Quòd ſi neceſſitas grauis profeſſionem præceſſit, tenetur Prælatus dare licentiam, & ſubditus exire: ſi verò neceſſitas ſubſequatur, poteſt Abbas quidem dare licentiam, ſed non tenetur.

10. Sed Diana *in ſuis reſol moral. tract. 2. de dub. Regul. reſol 90* ait, ſi Prælatus neget licentiam ſubdito, vt extra Clauſtra parentibus ſubueniat, grauiter tantùm indigentibus, non poſſe ſubditum de bonis ſibi in vſum conceſſis parentibus ſubuenire; & debet ad illa danda, & donanda licentiam procurare; & Prælatus rectè faciet illam concedendo, iuxta terminos ſuæ Regulæ. Ratio eſt: quia bona illa de iure non ſunt ſubditi, ſed Religionis: ergo non poteſt illa parentibus erogare abſque licentia.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares poſſint Religioſos profeſſos, tanquam incorrigibiles, à Religione eijcere: & quid, ſi illos iniuſtè expellant.

SVMMARIVM.

1 *Sententia varia referuntur, & num. 2.*

3 *Religioſi profeſſi contumaces, & incorrigibiles poſſunt à Religione expelli.*

4 *Carnes putrida, reſecanda ſunt, ne ſanas corrumpant; & ſcabioſa ouis à caulis repellenda, ne cæteras inficiat.*

5 *Regularis nullus profeſſus hodie à Religione ex qualibet alia cauſa, niſi ob incorrigibilitatē tantùm expelli poteſt, & num. 6.*

7 *Incorrigibiles ad effectum de quo agitur, quinam cenſeantur, oſtenditur.*

8 *Religioſos expellendi facultas ad quem ſpectet, oſtenditur.*

9 *Superior abſque cauſa expellens Religioſum à Religione grauiter peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem, vt num. 10.*

11 *Religioſus iniuſtè eiectus poteſt cogere Monaſterium, vt ſe iterum recipiat, & petere alimenta futura, niſi aliter pactus ſit, vt num. 12.*

Aliqui ſenſerunt, Religionem, ac eius Prælatos nullo pacto poſſe Religioſos, quantumuis incorrigibiles, à ſe expellere, ſed eos potiùs incarcerare, ac aliis pœnis afficere debere: quia *in cap. fin. de Regular.* Religionum Prælatis præcipitur, apoſtatas, fugitiuos, & eiectos ad Monaſterium reuocare, ſi ſalua monaſtica diſciplina id fieri poſſit: ſin minùs eos in ſeparata aliqua Monaſterij loca includere: ergo ſaltem poſt illud ius non licèt Prælatis talis eiectio, vt ait Panormit. *in cap Cum ad Monaſterium, num. 13 in fin. de ſtat. Monach.* dicens textum *dicti cap. Cum ad Monaſterium*, diſponentem, Monachum proprietarium eiiet debere, correctum fuiſſe *per d cap fin. de Regular.* quod poſterius eſt, ac prouidet circa eiectos, & fugitiuos, vt ſaltem caſu, quo licita eſt expulſio, deputentur tales in ergaſtulo, inter ſepta Monaſterij, ne detur occaſio vagandi. Ita præter Panormit. ſentiunt Cardin. *in Clem. 1. §. Quia verò, num. 5. quæſt. 1. de ſtat. Monach.* Ioannes Andreas *in cap. Cum in Eccleſiis, num. 9.* & *ibi* Immol. *n. 8. de maiorit. & obedient.* Angel. *verb. Abbas, num. 18.* Graffius *deciſ. aur part. 2. lib. 3. cap. 5. num. 145.* & alij apud Sanch. *in Decalog. lib. 6. cap. 9. num. 2.* 1.

Quidam limitant, vt Religioſus, quantumcunque incorrigibilis, expelli non poſſit, ſi permanere vult, atque ideo, niſi conſentiat. Ita Syluester citans D. Thom. *verbo, Religio, 6. §. 17.* Armilla *eodem verbo, num. vlt.* quia cum per omiſſionem profeſſionis cenſeatur quodammodo celebratus contractus reciprocus inter Religioſum, & Religionem, *cap. Ad apoſtolicam. de regular.* ſicut Religioſus ob nullam cauſam poteſt inuita Religione ipſam deſerere: ergo è contrario, neque Religio poteſt ipſum Religioſum inuitum eiicere: quia contractus debet eſſe ex vtraque parte æqualis. 2.

Nihilominùs his non obſtantibus, certiſſimum eſt, poſſe licitè Religioſum profeſſum contumacem, & incorrigibilem expelli, quoniam, ſecundum Apoſtolum 1. *Cor. 5.* malum auferri debet, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Idcircò Religioſus, ſi corrigi, & emendari renuerit, vti contumax, & Incorrigibilis merito à Religione repelli debet. Probatur primò *ex d. c. Cum ad Monaſterium. de ſtat. Monach.* vbi de Monacho proprietario contumaci ſic decernitur *De Monaſterio expellatur, nec recipiatur vlterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam.* Idem clarè probatur *ex cap. vlt. eiuſdem tit.* vbi dicitur: *Ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat ſanas oues.* Et *in cap. Relatum. ne Cleric. vel Monach.* ibi. *Vel ſi reſtiterint auſu temerario, eis eiectis* &c. & *cap. Cum in Eccleſiis. de maior. & obed.* ibi: *Alioquin de Fratrū cōſortio penitus, excludatur.* Præterea, idem probatur ex Regulis, & communibus Religionum conſuetudinibus. Nam D. Baſilius *in Reg. 28. ex fuſius diſputatis*, de 3.

inobediente post plures admonitiones contumaci ait: *Vt membrum vitiatum, inutiléque, Medicorum more, pracidere conuenit.* D. August. *in Regula, cap.* 20. cùm dixisset, contumacem grauiori pœna puniendum esse, subdit: *Quam si ferre recusauerit, etiamsi ipse non abscesserit, de vestra societate proyciatur: non enim hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* Idem statutum est à D. Patre nostro Benedicto, *cap.* 28. *Reg.* vbi loquens de his, qui sæpiùs correpti non se emendauerint, *in fine*, sic ait: *Quòd si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abscissionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterum: Infidelis, si discedit, discedat, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet.* Idem statutum est à D. Francisco *in sua Regul. cap.* 13. Extant etiam nonnulla Pontificum indulta in Religionibus concedentia, quæ refert Cordub. *in Regula D. Francisci, cap.* 2. *quæst.* 21. *punct.* 1.

4. Præterea id probatur ratione; quia resecandæ sunt carnes putridæ, ne sanas corrumpant; & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne cæteras inficiat, *can. Resecande, & c. Ecce,* 24. *q.* 3. *& can. Sed illud,* 45. *dist.* tum etiam, quia vulnera, quibus remedium applicari non potest, abscindi possunt, *can. Quia,* 81. *dist.* tum etiam, quia omnis Respublica habet potestatem abiiciendi, qui eam conturbant, *l. Congruit, ff. de offic. Præsid.* sic etiam religiosa Communitas. Atque ita tenent D. Thom. *quodlib.* 12. *art. vlt.* D. Bonauent. *in Reg. D. Francisci, q.* 14. Syluest. *verb. Religio,* 6. *q. vlt. & verb. Abbas, q.* 3. *n.* 6. *vers.* 2. Nauar. *comment.* 2. *de Regular. n.* 33. *vers.* 2. *& lib.* 33. *consil. tit. de Regular. in* 1. *edit. cons.* 50. *n.* 1. *& in* 2. *consil.* 77. *n.* 1. Azor. *instit. mor p.* 1. *lib.* 12. *c.* 16. *q.* 2. Less. *de iust. lib.* 2. *c.* 41. *dub.* 114. *n.* 106. Roderiq. *tom.* 1. *q.* 30. *art.* 13. & alij, quos magno numero in hanc sententiam congessit Sanch. *in Decalog lib.* 6. *c.* 9. *n.* 3. quibus addo Suar. *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 2. *& sequen.* Anton. Ricciull. *in tract. de iure personarum extra gremium, &c. lib.* 8. *c.* 10. *à n.* 6. Anton. Perez *in Reg. D. Bened. c.* 28. *n.* 13. *& seq.* Sanctarell. *de apostas. c.* 4. *dub.* 1. Barbos. *in cap. Ne Religiosi, n.* 5. *de Regular.*

5. Bonacin. *de clausur. q.* 2. *punct.* 12. §. 1. *n.* 4. *& seq.* qui omnes hanc communem, & certissimam sententiam testantur ex communi cuiuscunque Religionis consuetudine receptam, & ad eam probandam plura adducunt. Quod tandem expresè probatur ex Decretis Sacræ Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editis de Regularibus apostatis, & eiectis, in quibus, ad hæc ita decernitur: *Ad hæc, vt in posterum è Religionibus nullus legitimè professus eyci possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte statutis, & Constitutionibus cuiusque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede apostolica approbatis, & confirmatis; verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus; proindéque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres, in qualibet saltem prouincia. Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre eyci tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, sumque non nisi instructo secundùm eorum stylum, & Constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen, vsque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proximè celebrandam, si quempiam ex iustis, & necessarijs causis expellere oportebit, eiectio fieri possit à Generali, cum consilio, & assensu sex Patrum, vt suprà, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis Decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superiùs præscripta: sic vero eiecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinarij loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindéque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur. Cæterùm, Sacra Congregatio Religionum Superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas Fratrum suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quòd subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei Iudicio de eorum Prælatorum manibus sit requisiturus.*

Ex quo Decreto colligitur primò, Prælatos regulares nullum Religiosum professum à Religione, ex qualibet alia causa, nisi tantùm ob incorrigibilitatem expellere posse, priuilegiis, statutis, vel consuetudinibus quibuscunque contrariis non obstantibus, quæ in eodem Decreto reuocantur. Vnde, nisi denuò confirmentur, seruanda erit eius Decreti dispositio. 6.

Colligitur secundò, quinam censeantur incorrigibiles ad effectum, vt à Religione eiici possint: ibi enim decernitur, eos, vt tales censendos esse, qui non tantùm ter Religionem deserunt post emissam professionem, vt habetur in Regula D. Patris Benedicti *d. cap.* 28. vel, qui ter conuicti, & puniti, de crimine non emendantur, vt statutum est in Ordine Minorum; & refert Roderiq. *tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 14. vel qui sæpiùs correcti emendari contempserint, vt habetur in Constit. Ordinis Prædicatorum, *lib.* 1. *c.* 19. vel, qui in eisdem, aut æqualibus, vel grauioribus criminibus persistunt, nec vlla spes de illorum resipiscentia, & emendatione superest, vt docent Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 21. *num.* 37. Sanchez *d. cap.* 9. *num.* 4. Graff. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 19. Sanctarell. *de apost. cap.* 4. *dub.* 1. *num* 6. Bonacina *de claus. quæst.* 2. *punct.* 12. §. 1. *num.* 6. sed eos censeri incorrigibiles, & inde à Religione expellendos, qui vno anno in carceribus ieiunio, & pœnitentia probati, post huiusmodi probationem non resipuerint; sed adhuc animo indurato in deprauatis, ac corruptis moribus permanere voluerint. 7.

Colligitur tertiò, quinam sit Superior, ad quem spectet facultas huiusmodi Religiosos expellendi: eam enim ad solum Generalem de consilio, & assensu sex Patrum ex grauioribus Religionis spectare dignoscitur, vt notat Bonac. *d.* §. 1. *ad finem.* 8.

Colligitur quartò, Superiorem absque causa subditum expellentem grauiter peccare, cùm faciat contra iustitiam, & ius illius Religiosi in re graui. Ita Bonacina *loco citato, punct.* 12. §. 1. *num.* 1. 9.

Colligitur quintò, cum eodem Bonacina *loco cit.* illum Superiorem teneri ad restitutionem damni, quod patitur Religiosus ille eiectus: nam ex violatione iustitiæ cum damno alterius consurgit obligatio restituendi. 10.

Hinc est, quòd Religiosus iniustè eiectus potest Monasterium cogere, vt se iterum ad Religionem admittat. Similiter potest Monasterium compellere, vt ipsum alat, & expensas ad litem necessarias conferat. Ratio est: quia ius habet, vt à Monasterio alatur, & obtineat ea, quæ ad sui sustentationem sunt necessaria: quod verum est, etiamsi disputetur, an sit Monachus; quia non debet alimentis priuari, cùm existat in possessione illorum ante Iudicis sententiam, vt docent 11.

Surdus

Surdus *de alimentis, tit. 1. quæst. 121. num. 2.* Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 35. num. 21.* Sanch. *in præcept. Decal. lib 6. cap 9. num. 7.* Sanctarell. *de apost. cap 5. dub. 2. num. 19.* Mol. *tom. 1. de iust. disp. 140. vers. Quando Religiosus.* Velaschtus *tom. 1. cons. 7. num. 3.*

12. Si quæras, an possit petere non solùm alimenta futura, verùm etiam præterita. Respondeo, posse petere futura, non autem præterita, nisi fortè debitum contraxerit ad se alendum. Ratio est: quia obligatio, qua Monasterium alere tenetur Religiosum, est subsidiaria; quæ cessat cessante causa præstandi subsidij. Ita Bonac. *loco cit. num. 2.* vbi hoc ipsum multis rationibus probat.

QVÆSITVM VIII.

De obligationibus eiectorum à Religione.

SVMMARIVM.

1 *Eiecti à Religione tenentur se corrigere, vt ad Religionem iterum admittantur.*
2 *Fidem in professione datam Religiosi obseruare tenentur.*
3 *Eiecti compelli possunt, vt ad Religionem reuertantur.*
4 *Eiecti non sunt tuti in conscientia, donec ad Monasterium redeant.*
5 *Eiecti an teneantur vota sua Religionis seruare: & num. 8*
6 *Paupertatis votum an teneantur eiecti obseruare.*
7 *Eiecti quidquid acquirunt, Monasterio acquirunt.*
8 *Eiecti an teneantur ad obseruantiam, & ad onera Religionis, à quibus expulsi fuerunt: & num. 15.*
9 *Eiecti an teneantur obedire Episcopo loci, & Summo Pontifici.*
10 *Eiecti an teneantur deferre habitum Religionis, à qua fuerant eiecti.*
11 *Eiecti à Religione suspensi sunt ab exercitio Ordinum.*
12 *Prælati Religionum an teneantur eiectos iam emendatos ad Religionem recipere.*
13 *Eiecti non tenentur ad aliam Religionem transire, quando ad pristinam redeuntes de eorum correctione desperatur.*
14 *Religiosus, cuius destructa est Religio, non tenetur ad aliam transire.*

1. Dicendum primò, Religiosos eiectos teneri se corrigere, ita vt in Religione iterum admittantur. Ita affirmant Graff. *in decis. part. 1. lib. 3. cap. 5. num. 47.* Molina *de iustit. tom. 1. tract. 2. disput. 140.* Conradus *de respons. part. 1. q. 285.* Federicus de Sen. *cons. 134.* Miranda *in Manual. Prælat. quæst. 52. art. 3.* Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 3.* Philiarch *tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 21.* Bonacina *de claus. q 2. punct. 12. num. 1.* qui citat pro hac sententia Sayrum, Lessium, Regi-
2. naldum, & alios. Ratio est: quia fidem in professione datam obseruare tenetur: hæc autem fuit, religiosam vitam ducendi. Item, quandiu deprauatos suos mores non corrigit, per ipsum stat, ne votum perseuerantiæ in Religione adimpleat; & aliàs commodum ex suo delicto sentire non debet.

3. Et possunt propter rationem allatam cogi redire ad Religionem, cùm per illos stet, vt ad Religionem non reuertantur. Ita docent Zerola *in praxi Episc. 2. part verbo, Regularis, num. 65.* Corduba *in Regul. D. Francisci, cap. 2. q. 21. punct. 3.* Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 2. art. 5. in solut ad 3.* Graff. 1. *part. decis. lib. 3. cap. 5. num. 147.* Angles *in flor. 2. part. tract. de voto, q. vnic. art. 2. diff. 8.* Conradus *in suis resol. p. 1. q. 285.* Sayrus *in claui reg. lib. 10. cap. 9. num. 25.* Aragon. 2. 2. *quæst. 88. art. 3.*

Vnde sequitur, prædictos Religiosos eiectos non esse tutos in conscientia, donec ad Monasterium redeant. 4.

Dicendum secundò, eiectos teneri vota suæ Religionis seruare. Ratio est: quia adhuc sunt Religiosi: vnde, si reuertantur, non tenentur iterum professionem emittere: tum, quia obligatio voti est personalis; & sequitur personam, vbicunque existat. Ita affirmant Rodriq. *tom. 1. qq. regul. q. 30. art. 29.* Sanctarell. *de apostas. c 6. dub. 1. n. 2.* Sanch. *in præcepta Decalog. lib. 6. cap. 9. num. 33.* Bonac. *de claus. quæst. 2. punct. 12. § 3. n. 1.* vbi ait, quòd neque Papa dispensat in tali obligatione votorum substantialium, nisi graui existente causa: imò tanta est obligatio supradicta, vt etiam eiecti teneantur ad obseruantiam votorum, quamuis denegata fuisset illis facultas redeundi. 5.

Difficultas tantùm est de voto paupertatis: nam Sotus *lib. 7. de iust. quæst. 1. art. 1.* affirmat, eiectos manere liberos ab hoc voto: quia Monasterium eis alimenta non præbet. Et Bonac. *loco cit. num. 1. vers. Hinc sequitur*, ait: *Verum tamen est, non teneri ad paupertatem, & obedientiam, eo pacto, quo in Religione tenebantur: cum enim Superior illos eiciat, nec velit iis necessaria ad victum ministrare, censetur facultatem illis dare, vt sibi meliori, quo possunt modo consulant.* 6.

Sed quod pertinet ad votum paupertatis, videtur dicendum, eiectos ad illud votum teneri; & quicquid acquirunt, Monasterio acquirere, vt dicit Molina *de iustitia, tom 1, tract. 2. disp. 140.* & Ioan. Salas *tract. de ludo, dub 21. n. 5.* Sanctarell. *d. tract. apost. cap. 6. dub. 2. n. 11.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 15. n. 113.* Diana *resol. moral. tract. 2. de dub. regul. resol. 60.* vbi *in fine* addit, quòd post hæc scripta inuenit Suar. *in Enchirid. casuum conscient. lib. 3. §. de voto obedientia*, absolutè docentem, professum eiectum non teneri ad vota paupertatis, & obedientiæ, nec ad officium diuinum, si non est in sacris, nec ad ieiunia, aliàve annexa Religioni. Idem affirmat Villalobos *in Summ. tom. 2. tract. 35. diff. 39 num. 10.* In quam sententiam videtur etiam inclinare Rodriquez *tom. 1. quæst 30. art. 24.* 7.

Dicendum tertiò, Religiosos eiectos, qui antea in Religione aliquod votum emiserunt vltra tria substantialia, teneri ad illorum obseruantiam, etiam postquam expulsi fuerunt à Religione. Ita Bonacina *loco citato, num 4.* Ratio est eadem cum illa de obseruantia trium votorum substantialium. Contrariam tamen sententiam putat probabilem idem Bonacina *loc. cit.* quam docuerunt ante illum Vega *in Sum. p. 2. cap. 86. cas. 16.* & Sanchez *loco cit. num. 56.* 8.

Si dicas, quòd Religiosus eiectus per sententiam expulsionis desinit esse Religionis membrum, ac per consequens non teneri ad onera, ad quæ tenentur membra Religionis. Respondeo, Religiosum illum non liberari absolutè ab oneribus Religionis, cùm adhuc remaneat Religiosus.

Similiter, si dicas: Monasterium per sententiam expulsionis cessit iuri, quod in Religiosum habebat: ergo Religiosus ille eiectus factus est iuris sui, & consequenter eximitur à voto obedientiæ. Respondeo, Monasterium non cessisse omnino iuri suo; sed solùm se exemisse ab onere eiectum alendi.

Dicendum quartò: Religiosus eiectus non tenetur ex vi voti obedire Episcopo: ratione enim voti tenetur ad id, quod in professione promisit. Ita affirmant Rodriquez *loco supra citato*, Sanctarellus *similiter cit.* Bonacina *loc. cit. §. 3. n. 1.* vbi citat alios Doctores. Sanchez 9.

chez *in praecepta Decal.lib.6.cap.9.n.28.* quicquid dicant Nauar *conf.72.* & *seqq. de Regul.* & Zerola *in prax. Episcop.part.2. verbo, Regulares,vers.10.*

Tenebitur tamen obedire Episcopo tanquam subditus suæ iurisdictioni: quia Episcopus generalem habet iurisdictionem in eos, qui in sua diœcesi habitant, nisi sint aliquo priuilegio exempti: quo priuilegio caret eiectus. Ita docet Rodriq. *qq.1.regul.q.30.art.15.* Azor. *tom.1.instit.moral.lib.12. cap.16. q.11.* Santarellus *de apost.cap.6.dub.1.num.3.* Sanchez *loco cit. n.19.* Bonac. *loc.cit.§.5.n.1.* vbi alios Doctores cumulat, & sequitur.

Probabile tamen est, ex vi voti teneri obedire Summo Pontifici, cùm ipse Summus Pontifex supremus, & præcipuus Prælatus Religiosorum.

10. Dicendum quintò, Religiosum eiectum si priuatus fuit suo habitu, non teneri illum deferre: si verò non fuerit priuatus, teneri illum deferre. Ita affirmant Rodriq. *loco cit.q.30 art.17.* & *t.2.q.23. art.6.* Azor. *loc. cit* Sanch. *loco cit.n.55.* vbi rationem assignat, tam de non ferendo habitu, quam illum ferendo: de non ferendo; quia spoliatur per iustam sententiam, & ideò eo vti nequit: de illo ferendo; quia Episcopus, etiam exemptus à Religione; tamen habitum illius induit, & portat.

11. Dicendum sextò: Eiectus à Religione suspensus est ab exercitio Ordinum. Ita decreuit S. Congregatio Cardinalium ex authoritate Vrbani VIII. die 21. Septemb. 1624. vt diximus *suprà, in eius decreto*, per illa verba, *Itē & eiecti extra Religionem dege ntes sint perpetuo suspēsi ab exercitio Ordinum.* Hoc autem non militat in Nouitiis: quia sacra Congregatio loquitur de Religiosis eiectis; Nouitij autem non sunt Religiosi. Nomine autem Ordinum intelliguntur, tam maiores, quàm minores, cùm sacra Congregatio absoluté de Ordinibus loquatur; ideò eiectus celebrando incideret in irregularitatem, sicut etiam si functiones sacrorum Ordinum exerceret: quia violat censuram per huiusmodi exercitium. Eadem ratione eiectus à Religione non potest beneficium recipere, cui annexus sit Ordo, seu functio Ordinis; nec etiam potest ad Ordines superiores ascendere: quia illi videtur vetita susceptio Ordinum, simul cum functione eorum, maximè cùm non habeat titulum, ad quem promoueatur. Quibus positis.

12. Dicendum septimò, Prælatos regulares in nulla pôsitos esse obligatione, eiectos iam emendatos, & petentes Religionem ingredi iterum recipiendi. Ita Santarellus *tract. de apost.cap.5.dub.2.num.18.* vbi citat S. Bonauenturam pro sua sententia, quam etiam sequitur Sanchez *in Sum.tom.1 lib.6.cap. 9. n. 32.* vbi citat Azorium, & Rodriq. idē affirmat Diana *in resol. moral.tract.2.de dub.regul.resol.116.* Et ratio est: quia ex iusta sententia Religiosus eiectus iam condemnatus est, vt viuat extra Religionem, & sic Religio cogi non potest ad eum recipiēdum, quicquid dicant Corduba *in Regulam S. Francisci.cap.2.q.74.punct.2.* & Lessius *de iust.& iur. lib.2. cap.41 dub.15 n.112.* vbi ait, quòd si Religio habet ius reuocandi Religiosum eiectum, debet Religiosus ille habere ius compellendi Religionem ad se emendatum recipiendum: hæc enim ratio non ambulat pari passu: nam, cùm Religio sit innocens, mirum non est, si gaudeat potiori iure, quā ille Religiosus, qui suis delictis læsit Religionem.

13. Dicendum octauò, non teneri eiectos ad aliam Religionem transire, quando ad pristinam redeuntes de eorum correctione desperatur, vt dicunt Nauarrus *com.2.de Regul.n.36.* Molina *tom.1.de iust.disp. 140. §. Quoad votū.* Lessius *de iust.& iurd.2.c.41 dub.15. n.111.* Rodriq.*qq.reg.tom.1.q.30 art. 20.* Sotus *lib.7. de iust.q.2.art.1 ad 3.* Philiarchus *de off. Sacerd.t.1. part.2.lib.3.cap.71.* & hi vltimi duo Authores affirmant, prædictos eiectos, dum correcti etiam repellantur, tutos manere in sæculo. Idem videtur dicendum 14. de Religioso, cuius destructa est omninò Religio: ille enim non tenetur ad aliam, sicut supradicti eiecti non tenentur emittere professionem in genere, nec Episcopus tenetur similiter eis deputare habitum regularem, vt seruent vota. Ita Sanchez *lib.6.in præcept. Decal. cap.9.n.34.* vbi ait, quòd professus minime vouet Religionem in genere, sed hanc: ergo vel ad hanc, vel ad nullam tenetur, etiamsi generatim in ea professione censeretur Religio promissa: at etiam manens in sæculo Religiosus est, & tribus votis obstrictus, quamuis iusta sententia damnatus viuat extra Claustra. Ita Sanchez cum supracitatis Doctoribus: & *num.36.* putat, posse hunc eiectum ad aliam Religionem, siue æqualem, siue laxiorem sine vlla licentia transire: quod etiam manifestè docent S. Antoninus *3.p. tit.16 cap. 4.in fine.* Nauarr.*lib.3 conf.de Regul. conf.51.* Passarellus *in priuil. Minim.c.39. in fin.* Rodriq.*qq regul.t 1. q.30. art. 7.* Ideò non possunt Prælati ex his quæ diximus, compellere prædictos eiectos, vt ad aliam Religionem transeant. Ita Nauarrus *com.4 de Regul.n.71.* Rodrig.*t.1.qq.regul.q.30.art.22.* Lessius *de iust.& iur.lib.2.cap 41.dub.15.num. 114.* Vega *tom.2. Summ.cap.38.casu.13.* Ratio est: quia, sicut Iudex non potest extra territorium suæ iurisdictionis aliquid iubere *ex l.fin.ff.de iurisd.omn.iud.* & *cap.2.de const.in 6.* ergo nec etiam Superior, qui per sententiam aliquem eiecerit, poterit illum ad aliam Religionem ingrediendam cogere.

Dicendum nonò, eiectum non teneri ad obseruantias regulares, & ad reliqua præcepta Religionis extra 15. vota emissa. Ratio est: quia omnia continantur regularem vitam; & ratione solius Religionis à qua eiectus est, tenebatur ad illa: tum, quia Religiosus per se & immediatè solùm vouet tria essentialia vota; reliquas verò mediatè, supposito, quòd perseueraret in eadem Religione. Ita affirmant Lessius *loco cit.lib.2. cap.41.dub.15.* Aragon.*2.2.q.55.art.3.* Sotus *de iustit. lib.7.q.2.art.1.* Emmanuel Sa *verb,Religio,n.40.* Philiarchus *t.1.part.2.l.3 c.21.* Conradus *in suis respons.1. part.q.285.* Sayrus *in thes. cas.t.2 l. 19. n.28.* Sanch. *loco cit n.53.* Batholomæus a S. Fausto *lib.6 thes. Relig.q.213.* vbi refellit opinionem Rodriq. *tom. 1. qq. regul.q.30. art. 19.* dicentis, intelligendum esse de obseruantiis, ad quas non tenetur Religiosus sub mortali. Et sic dicebat ille, Fratres Minores expulsos non liberari à ieiuniis suæ Regulæ.

QVÆSITVM IX.

De pœnis contra apostatas, & fugitiuos, illorúmque fautores illatis.

SVMMARIVM.

1 *Alimentis, & iure alimentorum priuantur apostatæ, & fugitiui in eorum pœnam.*
2 *Priuilegiis Religionum priuantur apostata, & fugitiui.*
3 *Apostata, & fugitiui possunt capi à sua Superiore, etiam extra territorium.*
4 *Apostata non possunt eligi in Abbates, & Prælatos Religionis.*
5 *Apostata an sint excommunicati.*
6 *Apostata repelluntur a susceptione Ordinum, & ab eorum exercitio.*
7 *Apostata in carcerem detrudendi sunt.*

8 *[illegible] ... tatores si ab Ordinario admo-[illegible]s non dimittunt, excommunicationis pœna [illegible]tur.*

9 *Excommunicationis supradictæ materia qualis sit.*

Excommunicatio, quam incurrunt receptatores apostatarum, an sit reseruata.

11 *Apostatas Fratrum Prædicatorum detinentes, an excommunicatione ligentur.*

1. PRima pœna apostatarum, & fugitiuorum est, vt priuentur alimentis, & alimentorum iure. Ratio est: quia Monasterium tenetur alere Religiosum, qui eidem inseruit: quæ ratio cessat in apostata, & fugitiuo: ergo etiam cessabit obligatio. Antecedens fundatur in illo axiomate: *Qui Altari seruit, de Altari viuat.* Ita etiam affirmant Sanchez *lib.6. in præcept. Decal. cap.6. num.*21. Surdus *de alimentis, tit.*8. *priuil.97. num.6.& quæst.27.num.*22. Sanctarell. *de apostas.cap.3. dub.2.num.*22. Pinellus *cap. [illegible]. part.2.n.54. C. de bon. matern.* vbi optimam rationem assignat de alimento filiorum, dicens, quòd pater non tenetur alere filium sua culpa à patris consortio recedentem. Et gloss. *cap. Significasti, verb. Matrimonium, de diuortiis*, dicit, quòd vxor culpa sua à viro diuertens expensas interim factas repetere non potest. Sed hoc intellige de apostatis, & fugitiuis, quandiu in fuga fuerint: nam, si caperentur, & in Monasterio detinerentur; tunc teneretur Monasterium ad alimenta, ne fame pereant: & ad expensas, quia ex tunc vtiliter eius negotium geritur; fitque id, quod Monasterium efficere tenebatur.

2. Secunda pœna est, quòd Religiosus apostata priuatur priuilegiis Religionis, si habitum dimittat, prætendens irritam esse professionem. Ratio est: quia non est congruum, vt priuilegiis gaudeat Religionis, quam abhorret: quod etiam fuit diffinitum in Concil. Tridentino *sess. 25. cap.19. de Regul.* vbi est aduertendum, non induci priuationem priuilegiorum ipso facto; sed requiri sententiam Iudicis, vt bene notat Sanchez *loco citato, cap.8. num* 33. quæ quidem pœna non incurritur ab omnibus apostatis, sed tantùm ab illis, qui iam habitum dimiserint, prætendentes inualidam esse professionem, vt colligitur ex verbis ipsius Concil. *loco cit.* quod etiam docet Bonacina *de clau[illegible]. quæst.2. punct.11. §.3. num.2.* Videatur Mandosius *de priuilegiis ad instar gloss.3.n.10.* & Sanchez *loco cit. num.*34.

3. Tertia pœna est, quòd apostata, & fugitiuus potest capi à suo Superiore, etiam extra suum territorium, & Monasterium. Ratio est: quia possessor alicuius rei, vbicunque illam inuenerit, eam capere, & vindicare potest. *l. Quis, §. differentis, ff. de acquir. possess.* at fugitiuus, & apostata sunt sob potestate Superiorum regularium: ergo illos capere poterit, vbicunque eos inuenerit. Ita affirmant Rodriq. *tom.1. qq. regul. q.30. art.6.* Nauar. *comm.30. de regul.n* 50. Sanctarell. *de apost. cap. 3. dub.2. num.*12. Sanchez *in præcept. Decal. lib.6. cap.8. num.*33. Imò sunt aliquæ Religiones, vt Carmelitana, & Societatis IESV, quæ priuilegiis potiuntur, vt apostatas capere possint, etiam in Curia Romana.

4. Quarta pœna. Apostatæ non possunt eligi in Abbates & Prælatos Religionis, etiamsi ad Religionem redierint, & ad meliorem vitam se receperint. Ita Ar[illegible]iac. *cap 2. num.1. Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* S. Antonin. 3. *part. tit.24. cap.* 53. Syluester *verbo, Excommunicatio, 9. cas.24. num.* 12. licèt contraria, sententia etiam probabilis sit, posse apostatas, post [illegible]endationem suæ vitæ, eligi in Superiores, nullo alio obstante impedimento, neque decreto particulari [illegible]us Religionis. Ratio est: quia in iure non inuenitur expressa huiusmodi supradicta pœna. Nec obstat *cap. Per tuas, de voto*; quia ibi non est sermo de apostatis. Et hanc secundam opinionem tenent Sanchez *loco citato, num.*32. Azor. *tom.1. instit. moral.lib.12. cap.17. quæst. vltim* Sanctarellus *de apost. cap.3. dub.2. num.*21.

Si verò loquamur de censuris, dicendum est apostatas iure communi non incurrere excommunicationem propter apostasiam præcise: quia *per cap. [illegible]. Ne Clerici, vel Monachi, in 6.* professi tantùm dimittentes temerè habitum suæ Religionis, excommunicantur. Et talis est excommunicatio, quam existimant aliqui Doctores latam fuisse contra apostatas. Ideò dixi, *de iure communi*: tum, quia potest aliquis esse apostata, & non dimittere habitum suæ Religionis, vt diximus: tum etiam, quia in iure canonico non reperitur aliqua excommunicatio lata contra apostatas, vt docent Hostiensis *in Summ. tit. de apostat. num* 4. & Gloss. *in cap. 4. verbo, Apostatæ, de tempor. ordin. in 6.* Franciscus de Platea *tract. de excommun. §.2. num.* 2. D. Antoninus 3. *part. tit.24. cap.53. in fine.* Suarez 5. *tom. in 3.part.disp.31 sect.6. n.1.* Aragon.2.2. *q.12.art.1.in dub.de apostas.a Relig.* Lessius *de iust. & iur. lib.2. cap.41. dub.15. num.*109. Rodriq.*tom.1. Summ. cap.41. num.1.* Angelus *verbo, Apostasia, num.6.* Tabiena *eod. verbo, q.12. num.*15. Syluester *similiter num.8.q.11.* Baunes 2.2 *q.12 art* 1. *dub.1 concl.2.* Sanctarell. *de apost.cap.3.dub.2.* Bonac. *de claus. quæst.2. punct.11. §.4. num.1.* 5.

Dixi, *de iure communi*, quia apostatæ in quibusdam Religionibus ex peculiari priuilegio excommunicantur, vt patet in Venerabili Societate Iesu, vbi habetur priuilegium Gre[illegible]ij XIII. quod incipit: *Ascendente Domino*, vbi Religiosi illius Societatis deficientes à Religione excommunicantur ipso facto; nec possunt absolui, nisi à Summo Pontifice, vel Præposito Generali Societatis: quod priuilegium non communicatur aliis Religionibus, cum prædicta Societate communicantibus, vt patet ex eodem priuilegio.

Quinta pœna est, quòd apostatæ à Religione, repelluntur à susceptione Ordinum, & ab exercitio illorum, quos tempore apostasiæ susceperunt, & consequenter suspensi sunt, vel potiùs irregulares, quantumlibet postea pœnitentia ducti redeant ad Religionem, nisi à Summo Pontifice dispensationem obtineant. Ita habetur expressè *in cap. finali de apostat.* non tamen interdicuntur, Ordines ante apostasiam susceptos exercere. Imò dispensatio pontificia in hac re, vt in Ordine sacro suscepto in apostasia ministret, extenditur quoque, vt possit ad superiores ascendere. Videantur Sanchez *loco cit.num.*22. & 23. Sanctus Antonin. 3. *p.tit.27. de suspens.cap.4 vers. Apostatæ.* Vgolinus *de irregularit.* § 4 Maiolus *lib* 5. *c.*13. Henriq. *lib.13. cap.40. num.1.* Qui verò Minores Ordines in apostasia suscepit, non remanet suspensus; nec etiam, qui sacrum Ordinem suscepit ante apostasiam; & etiam, qui Ordinem suscepit post apostasiam, & post obtentam dispensationem à Summo Pontifice. 6.

Vltima pœna apostatarum est, vt in carcerem detrudantur, si blanditiis, vel etiam minis induci non possint, vt habitum dimissum reassumant, & ad Religionem regrediantur. Ita præcipitur *in cap. A nobis, de apostatis*, vbi dicitur, vt ibi durè affligantur, atque solummodo ibi vita sibi misera reseruetur, donec errorem suum corrigant, ac resipiscendo ad sanam mentem redeant. Ita Sanchez *in præcept. Decalog. lib.6. cap.8. num.*16 7.

Quam autem pœnam incurrant apostatas recipientes; respondeo, recipientes apostatas, si admoniti ab Ordinario loci dimittere ipsos nolint, incurrere excommuni 8.

communicationem. Ita habetur ex constitut. 14. Pauli IV. quam *in fine quæsitι* cum moderatione Pij IV. ponemus; in qua constitutione generaliter excommunicantur ipso facto quæcunque, tam ecclesiasticæ, quàm sæculares personæ, cuiuscunque status, gradus, Ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, etiamsi archiepiscopali, patriarchali, aut alia maiori ecclesiastica dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia maiori authoritate, seu excellentia præfulgeant, quæ aliquem Apostatarum receptare, seu nutrire, vel illi, quominus ad Monasterium, seu domum, vel alium locum regularem redeant, fauorem, aut auxilium, seu consilium præstare præsumunt, si ab Ordinario loci, in quo moram trahunt, commoniti non desistant.

9. Ex quibus verbis habetur, materiam huius excommunicationis esse, retinere apostatas, seu auxilium præstare, vel consulere, vel etiam alere, ne ad Monasterium redeant post Episcopi admonitionem: quam materiam præbent omnes, & singuli, qui retinent apostatas, nutriunt, auxilium, siue consilium præstant, ne ad suum redeant Monasterium.

10. Hæc tamen excommunicatio iure communi reseruata non est, vt notat Bonacina *de clauf. quæst. 2. punct. 11. § 5. num. 1. in fine.*

Extat etiam alia prohibitio sub pœna excommunicationis, teste D. Antonino 3. *part. tit. 24. cap. 7.* & aliis apud Bonac. *loco cit. num. 2.* facta per Bonifacium VIII. omnibus detinentibus in suis Monasteriis apostatas Ordinis Prædicatorum. Non ligari tamen hac excommunicatione Religiosum, qui alloquitur, vel inseruit apostatæ Ordinis Prædicatorum, in Monasterio tam commoranti, docet Bonacina *loco cit. num. 4.* quia talis Religiosus non dicitur detinere prædictum apostatam.

CONSTITVTIO PAVLI IV. contra Religiosos professos extra Claustra Religiosorum vagantes, & apostatas, corúmque fautores.

PAVLVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

POstquam diuina bonitas nos, licèt immeritos, ad summi Apostolatus fastigium assumere dignata est, nunquam cessauimus, abusus, qui in Ecclesia Dei, seu nimia Sedis apostolicæ indulgentia, seu hominum malitia irrepsisse cernuntur, pro viribus tollere, & Ecclesiam ipsam in pristinum candorem restituere, diuersas ad hoc salubertimas constitutiones edendo, & inuiolabiliter obseruari mandando. Verùm, cùm non omnia vno, & eodem tempore excogitari, nedum perfici potuerint, quinimò circa ea fit nobis singulis ferme diebus aliquid enitendum, censuræ apostolicæ, quæ per regulares personas sub diuersis falsis prætextibus quotidie incurritur, vlteriùs patcendum non esse censuimus. Nam, licèt diuersi Romani Pontifices prædecessores nostri per eorum constitutiones complura contra apostasiam huiusmodi edixerint statuta, & ordinationes; nondum tamen est plenum contra eam adinuentum remedium. Quinimò diuersi diuersorum etiam Mendicantium Ordinum Religiosi propriæ salutis immemores, Deique timore postposito sub prætextu, alij, videlicet, quòd Religioni, & Ordini in genere ob [illegible] non sint, & [illegible] obtinuerint. Alij, q[illegible] curatum assecuti sint. Alij, [illegible] sui Ordinis loca standi, & [illegible] ecclesiastico deseruiendi a suis Superioribus [illegible] habeant. & alij diuersis alijs co[illegible] coloribus. Alij vero nullo sufflati prætextu, sed te[illegible] propria contra proprium iuramentum, per [illegible] in eorum professione præstitum, & regularia sui Ordinis instituta, extra Claustra suorum regularium locorum degunt, & in sæculo aliqui habitu sui Ordinis retento, aliqui illo abiecto in habitu Presbyterorum sæcularium, & quamplures in habitu laicali temerè vagantur. Et postquam Deo fidem fallere non sunt veriti, cætera omnia, quantumuis grauissima, & detestanda, leuia, & licita reputantes; alij parochianos eorum curæ commissos falsam doctrinam docere, & prauis opinionibus, ac hæresibus repellere; alij vxores ducere; alij, siue paupertate eos cogente, siue diabolico instinctu sæcularibus, & mechanicis negotiis se dare, alij seditionibus popularibus, coniurationibus contra Principes, & alios, ac quibusuis aliis sæuis actibus se implicare, & cætera omnia nequissima facere præsumunt in grauissimam Dei offensam, & Religionis opprobrium, ac animarum suarum perniciem & aliorum Christi fidelium scandalum. Quamobrem considerantes, apostatas huiusmodi infinitis erroribus in eadem Ecclesia Dei causam præstare, & propterea volentes contra apostasiam ipsam pleniùs prouidere, & eam, quantum nobis ex alto conceditur, de medio tollere, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulos, qui post professionem per eos in ætate legitima constitutos, in aliquo approbato, etiam militari Ordine, purè, & liberè emissam, vel si ante ætatem legitimam professi fuerint post illam per eos in ipsa ætate legitima constitutos purè, & libere, ratam, & gratam habitam temeritate propria, aut quouis prætextu, vel causa, etiamsi se Religioni, & Ordini non obstrictos esse sine causæ cognitione & his, quæ à iure requiruntur seruati, omissis, vel non legitimè probatis declarari obtinuerint, aut beneficium ecclesiasticum, etiam curatum non procedere legitima dispositione possideant, vel alicui beneficio ecclesiastico, etiam curato, alterius nomine deseruiant extra Claustra suorum regularium locorum degunt, aut in posterum degent, omnibus, & singulis beneficiis ecclesiasticis, cum cura, & sine cura sæcularibus, aut sui, vel cuiuscunque Ordinis regularibus per eos quomodolibet obtentis, & de cætero obtinentibus, cuiuscunque qualitatis fuerint, ac fructibus, redditibus, & prouentibus ecclesiasticis eis quomodolibet reseruatis, seu assignatis; necnon Bachalaureatus, Licentiaturæ, Doctoratus, & Magisterij, ac quibusuis aliis in iure Canonico, vel ciuili, aut Theologia, seu Medicina, vel artibus, aut quauis alia facultate, gradibus per eos, etiam antequam religionem ingrederentur, obtentis, seu assecutis, necnon quocunque ministerio ecclesiastico apostolica authoritate tenore præsentium penitus, & omnino priuamus, ac de illa, & alia quæcunque, & qualiacunque in posterum obtinenda, seu fructus, redditus, & prouentus ecclesiasticos, percipiendos, aut gradus assequendos perpetuo inhabilitamus, & ab executione quorumcunque ecclesiasticorum, etiam sacrorum, & præsertim Presbyteratus Ordinum, necnon omni ministerio ecclesiastico prædicto perpetuò suspendimus, priuarósque, & inhabiles, ac suspensos esse; necnon beneficia ipsa de iure, & de facto, etiam ad hoc, vt eorum Ordinarij collatores, & aliis liberè conferre possint, & nisi ea infra tempus

à Lateranensi Concilio statutum contulerint, collatio beneficiorum eorundem ad immediatum illorum Superiorem, & demum ad nos, ac pro tempore existentem Rom. Pont. deuoluatur. Patroni quoque eorundem beneficiorum personas idoneas infra tempus à iure statutum ad ipsa beneficia præsentare possint, & nisi præsentauerint, eorum libera collatio ad Ordinarium spectet, & pertineat vacare, ac reseruationes fructuum, redditum, & prouentuum huiusmodi expirare decernimus; ita vt de cætero ipsi Apostatæ, quandiu vixerint, aliqua beneficia ecclesiastica obtinere, vel aliquod Officium ecclesiasticum exercere, aut Sacramenta ecclesiastica ministrare, aut fructus, redditus, & prouentus ecclesiasticos, seu super illis pensiones annuas percipere, vel exigere, seu curam animarum, vel aliquod ministerium ecclesiasticū exercere, seu Missam celebrare, aut prætextu Ordinum, in quibus constituti erunt, aliquid facere, vel exequi nequeant, & prouisiones, seu commendæ, ac reseruationes fructuum, redditum & prouentuum ecclesiasticorum, necnon assignationes pensionum annuarum eis etiam dicta authoritate, etiam cum præsētium toto earum tenore inseriæ, plenaria derogatione pro tempore factæ nullæ sint, & irritæ, ac viribus omninò careant, nec aliquod eis ius, aut titulum beneficia possidendi, aut fructus, redditus, & prouentus, seu pensiones huiusmodi exigendi, vel percipiendi tribuant. Ipsique sic priuati inhabiles, & suspensi fructus suos non faciant, sed ad illorum restitutionem teneantur. Et nihilominùs, si curam animarum exercere, vel ecclesiastica Sacramenta ministrare, seu Missam celebrare, aut prætextu suorum Ordinum prædictorum aliquid facere, aut aliquod ministerium exequi præsumpserint, tanquàm suspensi ab executione Ordinum suorum, & in illis contra suspensionem ipsam, & in contemptum clauium ministrantes condignis pœnis omninò puniantur. Et vt omnis vagandi occasio apostatis huiusmodi tollatur, volumus, & sancimus, quòd quæuis tam ecclesiasticæ, quàm sæculares personæ, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existant, etiamsi Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia maiori ecclesiastica dignitate, etiam Cardinalatus honore, seu mundana, etiam Marchionali, Ducali, aut alia maiori authoritate, seu excellentia præfulgeant, aliquem apostatarum eorundem receptare, seu nutrire, vel illis, quominùs ad eorum Monasterium, seu locum, vel alium locum regularem redeant, fauorem, aut auxilium, seu consilium præstiterint, & per Ordinarium loci, sub quo moram trahent, commoniti, à præmissis non destiterint, sententiam excommunicationis eo ipso incurrant. Et si Patroni alicuius beneficij ecclesiastici, siue sint Laici, siue Clerici, aliquem ex eisdem Apostatis ad beneficium de eorum iure patronatus existens, tunc vacans præsentauerint, præsentationes huiusmodi sint eo ipso nullæ, irritæ, & inanes, ac viribus careant, & ipsi patroni iurè præsentandi alios ad eadem beneficia pro ea vice tantùm priuati existant. Quòdque Superiores Ordinum, quos ipsi professi fuerint, & Ordinarij locorum, in quibus ipsi apostatæ pro tempore degent, tam coniunctim, quàm diuisim, eosdem apostatas, vt ad eorum Monasteria redeant, requirere: & si ad dicta Monasteria redire cessauerint, distulerint, vel recusauerint, eos secundùm Ordinis disciplinam, monitione præuia, per censuras ecclesiasticas, & pœnas, etiam corporis afflictiuas, ad redeundum cogere, & compellere possint, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Quòd si regularis Ordo hoc non patiatur, authoritate nostra prouidere valeant, vt talibus apud eadem Monasteria in locis cōpetentibus, si absque graui scandalo fieri poterit, alioquin in aliis religiosis Domibus eiusdem Ordinis ad agendam inibi pœnitentiam vitæ necessaria ministrētur. Si verò apostatæ huiusmodi se in his inobedientes præstiterint, sint etiam authoritate nostra, maioris excommunicationis sententia, eo ipso innodati, & Superiores sui eos excommunicatos esse declarent, & nuncient, ac vt tales ab omnibus suis subditis nunciari, & publicari faciant, Teneanturque ipsi apostatæ, cuiuscunque Ordinis, Congregationis, & habitus fuerint, biretum nigrum duabus lineis albis ex tela confectis, & digito humano latis, ab vna extremitate ad aliam extremitatem circunductis, distinctum, & per totam eius circunferentiam simili linea alba suffultum, ita vt omnes lineæ præfatæ oculis intuentium manifeste appareant, continuè gestare. Et si sine bireto huiusmodi deprehensi fuerint, possint pro huiusmodi inobedientia non solùm per suos Superiores; verùm etiam per quoscunque, tam ecclesiasticos, quam sæcolares Iudices, & Magistratus condignis pœnis puniri, & ad delationem ipsius bireti, vt præfertur, distincti, & suffulti, omninò compelli. Decernentes quòd de cætero, qui aliquem Ordinem approbatum, vt præfertur, tacitè, vel expresse professus fuerit, & se illi Ordini non adstrictum esse contenderit, vel aliàs quouis modo, siue retento, siue dimisso habitu extra regularia loca ipsius Ordinis de iure aliquo casu stare posse putauerit, vel quauis ratione, aut prætextu super hoc postulauerit, seu supplicauerit literas, quas à nobis, seu officio Pœnitentiariæ nostræ obtinebit, Cardinali Protectori, seu ViceProtectori ipsius Ordinis in Curia residenti, & Procuratori generali Ordinis dirigi, & præsentari facere; ac coram eo in hoc negotio cum plena causæ cognitione procedere teneantur: aliàs omnia, & singula per ipsum professum in præmissis gesta nullius sint roboris, vel momenti, literisque alij directè nullam iurisdictionem tribuant. Quòdque omnes, & singulæ translationes, ab apostatis ipsis ad alium Ordinem, etiam per nos, aut prædecessores nostros vel per officium Pœnitentiariæ huiusmodi hactenus factæ, & quas deinceps fieri contigerit, nisi ad arctiorem, vel parem Ordinem factæ fuerint, & ipsi sic translati in Monasteriis, in quibus regularis obseruantia vigeat, & actu maneat, nullæ sint, & irritæ, ipsique sic translati ad pristinum Ordinem, etiamsi in Ordine, ad quem translati fuerint, professionem in eo emitti solitam emiserint, redire teneantur. Et si post vnam, & secundam monitionem sibi à Prælatis, seu Superioribus Ordinum, à quibus translati sunt, factam redire distulerint, aut neglexerint, liceat ipsis Prælatis, seu Superioribus procedere contra eos modo, & modis contra apostatas statutis. Et nihilominùs præfatos sic translatos, &, vt præfertur, non redeuntes, administratione cuiuscunque beneficij ecclesiastici, seu officij, & prælaturæ perpetuò priuamus, & priuatos esse, necnon bona quæcunque mobilia, seu immobilia, ac census, redditus, & prouentus, iura, & actiones per eosdem Fratres, tam egressos, & eiectos, quam ad alium Ordinem, vt fertur, translatos, seu de licentia suorum Superiorum extra eorum Monasteria stantes, tempore, quo extra Monasteria sui Ordinis steterint, acquisita, etiamsi acquisitiones huiusmodi ab ipsis Fratribus ex redditibus beneficiorum ecclesiasticorum cum cura ab ipsis obtentorum, seu detentorum, aut ex propria industria, seu artificio, mercatura, vel ex testamento, seu successione ab intestato quorumuis cōsanguineorū, affinium, vel amicorum suorum, aut quorūcunque aliorū factæ sint, non fisco nostro, aut Cameræ

noſtræ apoſtolicæ, ſed Religioni, aut Monaſteriis, in qua, ſeu quibus primò profeſſi fuerint, eo ipſo applicata eſſe, & cenſeri debere decernimus, & declaramus; ita vt iuxta regularia Religionis, ſeu Monaſteriorum huiuſmodi inſtituta omninò diſtribui, & diſpenſari, nec ſuper illis per Protectores, aut Superiores Religionis, & Monaſteriorum prædictorum, aut quoſuis alios quacunqoe authoritate fungentes aliqua compoſitio, ſeu concordia, aut remiſſio fieri poſſit. Sicque, & non aliàs, aliter, nec alio modo in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis etiam dicta apoſtolica authoritate fungentes, etiam Palatij apoſtolici cauſarum Auditores, & S. R. E. Cardinales in quauis cauſa, & inſtantia ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi authoritate, & facultate, iudicari, & definiri debere: ac ſi ſecùs ſuper his à quoquam quauis autboritate ſcienter, vel Ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et quoniam, experientia rerum magiſtra docente, cognouimus priuilegia cunctis ferè Ordinibus cõceſſa recipiẽdi profeſſos aliorum Ordinũ in eorum Monaſteriis, Domibus, & regularibus locis materiam præſtare apoſtatis huiuſmodi per ſæculum euagandi; præſertim, cùm diuerſi Ordinum huiuſmodi ſuperiores Prælati apoſtatas huiuſmodi recipiant, & poſtquàm illis eorum habitum regularem exhibuerint, eis ſtandi extra Monaſterium licentiam concedant; nos abuſui huiuſmodi occurrere volentes, omnia, & ſingula priuilegia, & indulta apoſtolica quibuſuis Ordinibus, Monaſteriis, Domibus ſeu aliis regularibus locis, (Carthuſienſibus, & Eremitis Camaldulenſibus, in eremo realiter degentibus, duntaxat exceptis,) ſuper recipiendis Canonicis Regularibus, ſeu Monachis, vel Fratribus aliorum Ordinũ per quoſcunque Romanos Pontifices, prædeceſſores noſtros, ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus, & etiam motu proprio, aut aliàs quomodolibet conceſſa, etiam Mare magnum nuncupata, quoad facultatem recipiendi eoſdem Canonicos regulares, ſeu Monachos, & Fratres penitùs, & omninò reuocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, & verbis penitùs, & omninò reuocamus. Mandantes vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Diœceſanis, locorum Ordinariis, vt ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, vbi, & quando, ac quoties opus fuerit, ſolemniter publicantes, faciant dicta authoritate noſtra eaſdem præſentes Litteras plenæ, & totali executioni demandari; eos, qui illis contrauenerint, iuxta ipſarum Litterarum continentiam, & tenorem, condignis pœnis plectendo, & puniendo, ac contradictores quoſlibet, & rebelles, eiſque in præmiſſis non parentes per ſententias, cenſuras, & pœnas eccleſiaſticas, aliáque opportuna iuris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, necnon legitimis ſuper his habendis ſeruatis proceſſibus, ſententias, cenſuras, & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato ad hoc etiam, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac Monaſteriorum, & aliorum regularium locorum, necnon Ordinum quorumcunque, etiam iuramento confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu bulla aurea, aut alias quomodolibet nuncupatis, ſeu per officium Pœnitẽtiæ huiuſmodi expeditis eiſdem apoſtatis, ſeu tranſlatis, ac noſtro Sancti Spiritus in Saxia de Vrbe Ordinis Sancti Auguſtini, & quibuſuis aliis Hoſpitalibus, necnon Beatæ Mariæ redemptionis captiuorum, & de Mercede, ac quibuſuis aliis Monaſteriis, & regularibus locis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, aut aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis: quibus omnibus, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorúmque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentes pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus contrariis quibuſcunque: aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Litteras apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiuſmodi mentionem. Vt autem præſentes Litteræ ad omnium, quorum intereſt, notitiam deducantur, nec aliquis eorum Ignorantiam prætendere, aut contra eas ſe excuſare valeat, dicta authoritate apoſtolica ſtatuimus, atque decernimus, vt ipſæmet Litteræ, vel earum tranſumptum (cui manu Notarij publici ſubſcripto, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munito, eam prorſus fidẽ in iudicio, & extra adhiberi debere volumus, quæ ipſis originalibus Litteris adhiberẽtur, ſi facto & realiter exhiberentur) in Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, ac Cancellariæ apoſtolicæ valuis, & acie Campi Floræ, per aliquos ex Curſoribus noſtris publicentur, earum exemplo in ſingulis valuis, & acie prædictis affixo, & demiſſo, &c.

Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quinquageſimooctauo, decimutertio Cal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno quarto,

---

MODERATIO CONSTItionis Pauli IV. editæ contra Religioſos apoſtatas, aut malè tranſlatos, vel extra Clauſtra vagantes.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SEdis Apoſtolicæ ſolertia, dum ad ſalutare quorundam remedium extructa, in eorum detrimentum vergere conſpicit, ne quod illis profuturum maturitate ſumma præuidit, noxium incauto miniſterio efficiatur, ſuæ prouiſionis opem afferre conſueuit, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedite, Dudum ſiquidem poſtquàm fel. rec. Paulus Papa IV. prædeceſſor noſter, &c. Cùm autem, ſicut accepimus, licèt ſingulæ Litteræ prædictæ à zelo Religionis eiuſdem prædeceſſoris emanarint; nihilominùs cùm poſt illarum publicationem per Ordinarios locorum ad earum executionem procedi cœptum foret, maximi in omnibus Regnis, & Prouinciis rumores, lites, & contentiones, ac grauiora

ſcandala

scandala multipliciter exorta fuerint; cùm propter maximum ipsorum apostatarum, & translatorum numerum; tum etiam, ex quo multi prætenderent, vel prætendebatur damnari in dictis Litteris omnes ferè vniformiter, nulla inter causam, & causam, ac lepram, & lepram differentia & distinctione habita damnabantur: cùm tamen plerique eorum præniis dispensationibus, & indultis, ac licentiis ab eorum Superioribus, & à Sede apostolica ex iustis, & rationabilibus causis concessis muniti forent, & nihilominùs quamplures ex eis zelo conscientiæ, aut pœnitentiæ ducti Litteris præsentibus parere, & ad Monasteria, à quibus egressi fuerant, redire sese paratos exhiberent; sed ab eorum Superioribus nullatenus reciperentur; sicque ob eandem Litterarum rigorem magnis confusionibus inuoluti, ac miseriis, & calamitatibus oppressi, omnibus remediis destituti, ac perpetuis censuris innodati, ciboque spirituali, & temporali priuati remanerent, ita quòd vel fame perire, aut in extremam desperationem adduci cogerentur; aliique Christi fideles ob magnam dictorum apostatarum multitudinem, vix eorum conuersationem effugere, & exinde excommunicationis incursum euadere possent; & proptereà verisimile sit, quòd si bonitati diuinæ eiusdem prædecessoris vitam paulò vlteriùs prorogare placuisset, ipsemet Litteras suas huiusmodi zelo charitatis, vt par erat, ad iustam moderationis formam, & æquitatem reduxisset. Nos igitur pro pastoralis officij debito omnibus ius, & iustitiam, vt docet, ministrare, neminique iniuriam inferre, aut quenquam suis iuribus, ac legitimis defensionibus priuare, aut aliàs indebitè molestare volentes; sed singulorum Christi fidelium animarum saluti ante omnia prospicere cupientes, singularum Litterarum prædecessoris huiusmodi tenorem, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, habita super his cum nonnullis, & Venerabilibus Fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus, super hoc negotio specialiter deputatis, deliberatione matura, motu simili, ac ex certa scientia nostris, & de simili potestatis plenitudine omnes, & singulos apostatas, seu translatos in dictis Litteris comprehensos, à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, ac aliis sententiis, censuris, & pœnis, quas ob non paritionem Litterarum prædictarum, seu aliàs quomodolibet incurrerint, hac vice duntaxat specialiter, & expressè absoluimus, & liberamus. Necnon super irregularitate per eos contra tenorem dictarum Litterarum Missas celebrando, seu aliàs se diuinis immiscendo, forsan contracta, dummodo in contemptum Clauium id non egerint, misericorditer in Domino dispensamus, ac absolutos, & liberatos, ac dispensatos fore cēsemus; singulasque Litteras prædictas, ac in eis contenta, & inde secuta quæcunque ad formas iuris, & sacrarum constitutionum reducimus, & reducta fore, sicque ab infrascriptis, & quibusuis aliis Iudicibus, ac prædictis Auditoribus, & Cardinalibus sublata eis, & eorum cuilibet quauis iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & interpretari debere ac quicquid secùs à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, & inane decernimus. Et nihilominùs omnes, & singulas lites, & causas hactenus coram quibusuis Ordinariis, vel Delegatis Iudicibus, etiam in Romana Curia introductas, & in quacunque instantia contra dictos apostatas, vel translatos, vel aliàs inter quasuis personas præmissorum occasione pendentes, etiamsi instructæ sint, ad nos aduocamus, ac causas ad nos aduocatas in statu, & terminis, quibus reperiuntur, reassumendas, necnon quam, & quas quæcunque personæ ecclesiasticæ, & regulares, ac etiam sæculares, necnon Conuentus, Collegia, & vniuersitates dicta occasione, seu præmissis communiter, vel diuisim interesse putantes, contra dictos apostatas, vel translatos, aut alios quoscunque actiuè, vel passiuè, ciuiliter, vel criminaliter, ac realiter, & personaliter, vel mixtim habent, & mouent, aut habere, vel mouere volent, & intendent, cum omnibus, & singulis incidentibus, dependentiis, emergentiis, annexis, & connexis, totóque negotio principali, quoad professos, videlicet, in Alma Vrbe, & eius districtu, & alios in ea præsentes dilecto filio nostro Iacobo tituli S. Mariæ in Cosmedin, Presbytero Cardinali, Sabello nuncupato, nostro in dictis Vrbe, & districtu Vicario generali, seu eius locum tenenti; extra Curiam verò Ordinario loci, ac Superiori Monasterij, in quibus prima, & originaria professio per quemlibet ex apostatis, & translatis prædictis emissa asseritur, necnon obtinenti primam dignitatem in Ecclesia cathedrali, seu metropolitana, vel alij Superiori loci huiusmodi, seu antiquiori Canonico pro tempore residenti per eos coniunctim, visis in primis, & diligēter inspectis, & examinatis dispensationibus, facultatibus, licētiis, & indultis per eosdem apostatas, & translatos quomodolibet obtentis, ac processibus desuper habitis, & causis in eis allegatis maturè discussis, ac prout iustum, & æquum fuerit verificatis, & probatis summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, ac sola veritate inspecta, appellatione postposita, cuidenti cognitione, & iuxta iuria, & sacrarum constitutionum dispositionem fine debito terminari committimus, & mandamus. Ac eisdem Iudicibus omnes, & singulos prædicta occasione vitandos etiam per edictum publicum, constito etiam summariè, & extraiudicialiter de non tuto accessu citandi, necnon illis, & aliis, quibus vbi, quando, & quoties opus fuerit, etiam sub sententiis, & censuris, & pœnis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, eorum arbitrio imponendis, moderandis, & applicandis, etiam per edictum simile inhibendi. Necnon quoscunque apostatas, & translatos huiusmodi, qui sine canonica dispositione, aut licentia in sæculo vagari reperti fuerint, ad Monasteria, quibus exiuerunt, aut alia regularia, aut alia honesta loca, prout meliùs pro ipsarum animarum salute eis visum fuerit, super quo ipsorum Iudicum conscientiam oneramus, reuerti, seu intrare faciendi, ac compellendi, ac quęcunque alia, quæ per eos in præmissis statuta, & ordinata fuerint, debitæ executionis demandandi, ac quascunque executiones per quosuis Iudices Ordinarios, vel delegatos in vim litterarum prædecessoris huiusmodi aliàs contra iuris formam factas, causa cognita tractandis, & annullandis, & in pristinum statum reducendis. Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas appellatione postposita compescendi, necnon censuras, & pœnas prædictas incurrisse declarandi, atque illas legitimis desuper habendis seruatis processibus etiam iteratis vicibus aggrauandi interdictum ecclesiasticum, prout iuris fuerit, opponendi, & auxilium brachij sæcularis, si opus fuerit, inuocandi, cæteráque in præmissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis Litteris prædecessoris, ac constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, necnon priuilegiis, indultis, & Litteris apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, quotiescunque, ac quibuslibet, & ex quibusuis causis, necnon intuitu, consideratione, contemplatione, & ad instantiam quorumuis, aut etiam motu, scientia, ac plenitudine

plenitudine ſimilibus, etiam quòd nonnulli ex dictis Ordinibus Profeſſores, ſe de cauſis eis per Sedem ipſam delegatis, niſi ſub certis modo, & forma ibidem contentis intromittere minimè teneantur, conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus omnibus, & illorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, quoad præmiſſa duntaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quòd ſinguli apoſtatæ, & tranſlati huiuſmodi, vt præfertur, abſoluti pœnitentiam per eorum confeſſioné ſibi pro exceſſibus prædictis iniungendam facere omnino teneantur. Quódque, antequam ſententiæ, ſeu declaratoriæ per ſupradictos Iudices à nobis deputatos ferendæ paruerint, à celebratione Miſſarum, & quocunque Altaris Myſterio omnino abſtineant. Volumus autem, quòd infra ſex menſes à die publicationis præſentium ipſi apoſtatæ, ſeu tranſlati licentias eorum, ac diſpenſationes, & indulta ſupradictis Iudicibus præſentent, ac ſententiam declaratoriam deſuper ab eiſdem promulgari, ac cauſam realiter, & cum effectu totaliter expediti faciant, quo termino elapſo, & cauſa, vt præfertur, non expedita, dicti Apoſtatæ, & tranſlati in cenſuras eaſdem, & pœnas, in quibus ante publicationem præſentium erant, reincidiſſe eo ipſo cenſeantur, niſi per ipſos Iudices ſteterit, aut alio legitimo impedimento per ipſos Iudices arbitrando dicti apoſtatæ, & tranſlati detenti fuerint. Cæterùm, quia difficilè foret præſentes Litteras ad ſingula quæque loca, in quibus eis vtendum erit, deferri; volumus, ſimiliter & prædicta apoſtolica authoritate ſtatuimus, atque decernimus illarum tranſumptis, ſiue impreſſis, ſiue manu ſcriptis, dicti Vicarij ſigillo, & illius, ſeu publici Notarij ſubſcriptione munitis, eandem prorſus fidem vbique locorum in iudicio, & extra adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimotertio, Nonis Aprilis Pont. noſtri anno primo.

DISPVTATIO IX.

De poteſtate Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad beneficiorum collationem.

QVÆS. I. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares habeant poteſtatem conferendi beneficia.

II. Quo iure Abbatibus beneficiorum collatio, ac beneficiariorum inſtitutio competat: & an beneficia regularia Regularibus, & ſæcularia ſæcularibus conferenda ſint.

III. Quotuplicia ſint beneficia ab Abbatibus conferenda.

IV. Vtrùm Abbates, & Prælati Epiſcopo inferiores, antequam ſuarum Abbatiarum poſſeſſionem adipiſcantur, poſſint beneficia ad eas ſpectantia conferre.

V. Vtrùm poſſint Abbates præſentare & conferre beneficia eorum Monaſteriis ſubiecta, abſque conſenſu Conuentus.

VI. Vtrùm Abbates beneficia ad eorum collationem ſpectantia poſſint ad libitum, tam Regularibus, quàm ſæcularibus conferre.

VII. Quibus perſonis ſint beneficia, tam ſæcularia, quàm Regularia ab Abbatibus, & Prælatis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus conferenda.

VIII. Vtrùm Monachus ſit capax beneficiorum, tam Regularium, quàm ſæcularium: & quid de Canonicis regularibus Congregationis Lateranenſis

IX. Vtrùm Abbas poſſit cogere ſuum Monachum ad acceptandum beneficium eidem ab ipſo Abbate collatum.

X. Vtrùm Monachus, abſque Abbatis licentia, poſſit beneficium, ſeu dignitatem aliunde ſibi collatam acceptare

XI. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares poſſint regularia beneficia Nouitiis conferre.

XII. Cui acquirat Monachus de fructibus beneficij ſibi ab Abbate collati.

XIII. Vtrùm in beneficiis Regularibus habeat locum regula reſeruationis menſium apoſtolicorum.

XIV. Vtrùm Abbas poſſit ad libitum remouere à Monacho Prioratum manualem, vel aliud beneficium ei ab ipſo Abbate, vel ab alio Superiore collatum.

XV. Vtrùm Abbas poſſit remouere à Monacho beneficium manuale ei à Papa collatum, vel ab ipſo Abbate collatum, & à Papa confirmatum.

XVI. Abbate negligente in conferendo beneficia ſuæ Abbatiæ, ad quem deuoluatur eorum collatio.

XVII. Vtrùm Abbas excommunicatus poſſit beneficia conferre.

XVIII. An Abbates in beneficiis curatis ſibi ſubiectis Vicarium poſſint inſtituere.

XIX. Quod ſalarium debeat conſtitui Vicariis inſeruientibus Parochiis Monaſterio vnitis.

XX. Vtrùm Abbates poſſint habere concurſum ad parochiales Eccleſias ſibi ſubiectas.

XXI. Vtrùm

XXI. Vtrùm Abbates possint acquisitioni iurispatronatus in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis fundandi assensum præbere.

XXII. Vtrùm Abbates possint instituere præsentatos in Capellis iurispatronatus ad ipsos spectantibus.

XXIII. Quibus modis iuspatronatus sæcularium in Monasterium, & Abbatiam transferri possit.

XXIV. Intra quod tempus teneantur Abbates præsentare ad beneficia iurispatronatus, ad eorum Abbatias, & Monasteria spectantia.

XXV. An Regularis possit Ecclesiæ collegiatæ sæculari præfici, & beneficia simplicia obtinere; ac pensiones beneficiorum ecclesiasticorum possidere.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares habeant potestatem conferendi beneficia.

SVMMARIVM.

1 *Papa solus initio nascentis Ecclesia ordinauit, atque instituit ad dignitates ecclesiasticas, aliaque beneficia.*

2 *Beneficia in diœcesi existentia conferre pertinet ad quemlibet Ordinarium.*

3 *Abbas habet authoritatem conferendi beneficia, quæ ad eum pleno iure spectant.*

4 *Beneficia conferre non solum pertinere potest ad Capitula Cathedralium; verum etiam Abbatiarum, & Monasteriorum Regularium.*

5 *Beneficiorum collatio si ad Episcopum, & Capitulum simul spectat, an possit fieri ab vno sine alio, & quibus casibus.*

6 *Beneficiorum collatio, si ad Episcopum tantum spectat, sed cum consilio Capituli, vel consensu, fieri non poterit a Capitulo, Sede vacante; bene tamen, si Episcopus fuerit suspensus, & fuerit in mora in tali suspensione.*

1. CVm certum sit, omnem facultatem beneficia dispensandi Apostolo Petro à Christo Domino traditam fuisse, *cap. Ita Dominus* § *Hunc enim. distinct.* 19. *cap. final. distinct.* 11. *cap In nouo. distinct.* 21. nulla quidem nobis difficultas nunc suboriri potest, quin solus Papa initio nascentis Ecclesiæ semper ordinauerit, & instruerit dignitates, aliasque ecclesiasticas Prælaturas, *cap.* 1. & 2. *distinct.* 22. Selua *in tractatu de beneficiis, part.* 2. *quæst.* 22. *numero* 3. & ad eum tantùm collatio omnium beneficiorum, tam in Vrbe, quàm in toto Orbe existentium, spectauerit. Selua *loco citato*, Flaminius *de religione, lib.* 1. *quæst.* 10. *num.* 55. cuius singulari benignitate postmodum hæc præcipua facultas Archiepiscopis, Episcopis, &
2. locorum Ordinariis communicata est, qua quilibet eorum beneficia in sua diœcesi existentia conferre valet, *cap. Qui se scit. in princip.* 2. *quæst.* 6. Hieronymus Gabriel *cons.* 197. *num.* 3. & 9. Simonetus *de reseruatione, quæst.* 3. Quapropter iure affirmare possumus, modò ad quencunque Ordinarium beneficiorum in sua diœcesi existentium collationem, & institutionem pertinere. Sub quo titulo Ordinarij comprehendi etiam Abbates, & Prælatos habentes territorium separatum à iurisdictione Episcopi, affirmant, quoad hanc materiam beneficiorum, Flores de la Mena *variar resolut. quæst.* 24. *num.* 21. Barbosa *de iure ecclesiastico, lib* 1. *cap.* 17 *num* 102. Aloysius Riccius *in praxi fori ecclesiastici, decis.* 424. *num.* 1. Massobrius *in praxi haben. concur. requis.* 2. *num.* 4.

3. Vnde, cùm etiam Abbates, & Prælati Episcopo inferiores exempti episcopalem iurisdictionem habētes sint suarum Abbatiarū, & Conuentuū Ordinarij, hinc est, quòd beneficia, ad suas Ecclesias & Monasteria pleno iure spectātia, conferendi facultatē habent. Eo ipso enim, quòd Ecclesia Monachis est concessa, ipso iure intelligitur eis concessa facultas ipsam conferendi. Prætereà, beneficiorum collatio spectat ad potestatē iurisdictionis, non autē Ordinis, vt patet: ergo Abbates, & Prælati Episcopo inferiores possunt beneficia pleno iure Ecclesiis, & Monasteriis, quibus præsunt, subiecta conferre: nam in iis, quæ spectant ad iurisdictionem, sunt Episcopis omnino similes, vt alibi docuimus: & hoc quoad Regulares Prælatos probat Rodericus *quæstionum regularium tom.* 1. *q.* 36. *art.* 1 adducens concessionem Leonis X. factam Congregationi Camaldulensi, & Iulij II. Congregationi Oliuetanæ, quòd *quæcunque beneficia ecclesiastica cum cura, vel sine cura ad quarumuis Monasteriorum dispositionem spectantia (præterquam si apud Sedem apostolicam vacare contigerit, vel alias dispensationi apostolicæ reseruata fuerint) impetrari non possint; sed eorum dispositiones, occurrente illorum vacatione, ad Abbates, & Conuentus liberè pertineant. quibuscunque non obstantibus.*

4. Aliquando etiam Capitula non solùm Cathedralium, verùm etiam Abbatiarum, & Monasteriorum regularium habent ius conferendi beneficia ex consuetudine, aut priuilegio, sicut & aliquæ Congregationes Clericorum, & Abbates nonnulli, ac alij Prælati inferiores, qui Ecclesias. & beneficia suis Prælaturis, vel Ecclesiis habent annexa, vt affirmant Barbosa *de iure ecclesiastico, lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 102. vbi ait, quòd aliquando supradicta Capitula, & Prælati simul cum Episcopo conferre possunt beneficia, siue consilium, vel assensum, in collatione beneficiorum Episcopo præstant: quod colligitur *ex capite vnico*, §. *Cùm verò.* & §. *Vbi verò, Ne Sede vacante. lib.* 6.

5. Vnde; si ad Capitulum, & Episcopum simul spectat beneficiorum collatio, alterum sine altero non potest conferre, nisi in his casibus, scilicet, Sede episcopali vacante, & quando Episcopus suspensus esset à beneficiorum collatione, aut innodatus maiori excommunicatione: & tunc supradicta Capitula poterunt per se beneficia conferre, sicut è conuerso Episcopus suspenso Capitulo beneficia conferre poterit, vt habetur ex Quaranta *in Summa Bullarij, verbo, Capitulum, Sede vacante*, & Barbosa *loco citato*.

6. Si verò ad Episcopum spectet tantùm beneficiorum collatio, cum consilio tamen Capituli, vel assensu, non poterit Capitulum beneficia conferre, Sede vacante; sed tantùm poterit, si Episcopus fuerit suspensus, & perstiterit in mora petendi absolutionem à suspensione. Ratio est: quia, Sede vacante, beneficia Episcopi sunt Summo Pontifici reseruata; non autem Episcopo suspenso: sed, si Capitulum è conuerso, siue alius Prælatus deberet cum consilio Episcopi conferre, defuncto

Episcopo poterit absque illo conferre beneficia, vt elicitur *ex d. cap. vnico, §. vltimo.*

Extra tamen huiusmodi casum, non potest Capitulum, siue alius Prælatus conferre illa beneficia, quæ pertinent ad Episcopi collationem, *ex cap. Iis. Ne Sede vacante, & d. tit. in 6.* Excipitur tamen casus, scilicet, præsentatum à patrono potest Capitulum, Sede vacante, instituere, *cap. 1. de institut. in 6.*

QVÆSITVM II.

Quo iure Abbatibus beneficiorum collatio, ac beneficiariorum institutio competat; & an beneficia regularia Regularibus, & sæcularia sæcularibus conferenda sint.

SVMMARIVM.

1 *Abb[illegible]s, & al[illegible] Prælati Episcopo inferiore possu[illegible] h[illegible]ere ius i[illegible]stituendi ex priuilegio, & præ[illegible] ex co[illegible]suetudine.*

2 *Ab[illegible] po[illegible] ad curam animarum insti[illegible].*

3 *C[illegible]eficiorum est iurisdictionis, non ordinis epi[illegible].*

4 *Be[illegible] sæcularia sæcularibus, & regularia Regul[illegible] conferenda sunt. Limita, vt n. 5. & 6.*

7 *B[illegible] in fauorabili materia veniunt et [illegible] pensiones annuæ.*

8 *B[illegible] in rigore sumptum est illud, quod sine c[illegible] habet [illegible]ertum titulum, & perpetuos prouentu[illegible] Ecclesia.*

9 *Papatus non est propriè beneficium.*

1. ABbates, & Prælati inferiores possunt habere ius instituendi ex priuilegio, & præscriptione, cont[illegible] non sit memoria in contrarium. Marius An[illegible] *in resolutionum lib. 1. resol 47. num. 6.* vel ex [illegible]uetudine *cap. 2. & 3. de institut.* Lam[illegible] *lib. 2. part 3. quæst. 1. art. 10.* Car[illegible] *de institut.*

2. Non [illegible] tuem instituere ad curam animarum, ci[illegible]cus non pertineat institutio illa authorizab[illegible], p[illegible] textum *in cap. Cum satis, de officio Archi[illegible]*, vbi absolutè negant, efficere posse consuetudine[illegible], vt Archidiaconus, absque Episcopi assensu, curam animarum tradat. Facit etiam textus *in cap. Frequentibus, de institutionibus,* & text *in cap. 1. de cap. Monachor. in 6.* & ibi Doctores. Tamen verius est, supradic[illegible]m institutionem authorizabilem præscri[illegible] ne [illegible] acquirere posse: absurdum enim non est, quòd si R[illegible]giosi acquirunt Ecclesiam, pleno iure, quoad om[illegible] i[illegible]risdictionem, possint etiam acquirere pot[illegible] [illegible]endi curam animarum: imò id clarissime [illegible] [illegible]pponere text. *in Clement. 1. vers. [illegible] dam præter. a, [illegible] excessib. Prælatorum.* Abbas, & Felin. *in cap. Auditis, num. 8. de præscript.* Balbus *de pra[illegible]ibus, lib. 1. part. 5. quæst. 11. num. 11.* Nec obstat [illegible] *cap. Cum satis,* quia potest responderi, in eo tantùm prohiberi consuetudinem, siue p[illegible] ptionem per quam aliquis inferior intendit [illegible] in ben[illegible] nomine proprio: non autem si pr[illegible]bat vt nomine, & vice Episcopi faciat institution[illegible], vt colli[illegible] p[illegible] ex verbis eiusdem cap. ibi: *Sine [illegible] Ep[illegible]copi,* per quæ verba ost[illegible] t[illegible] [illegible] infer[illegible]r in[illegible]tituat, tanquam de[illegible] non [illegible] obibeatur per regulam: *Om[illegible] acquiri possunt, acquiruntur c[illegible]ptione, l. Super quibusdam, §. Præterea,* *ff. de verb. significatione.* Poterit etiam eis competere ius instituendi ad aliquod beneficium, si in ipsius fundatione fuerit apposita conditio, quòd spectet ad inferiorem instituere; accedente tamen ad hoc Episcopi assensu, vt tenet Abbas *in cap. Cùm dilectus, not. 5. de consuet.* Rochus de Curte *de iurepatr. verb. pro eo, quod de Diœcesani co[illegible]sensu, num. 25.* Lambert. *lib. 1. part. 1. quæst. 9 in princ art. 1. n. 55. & 96.* Refert Marius Anton. *variar. resol. lib. 1. resol. 12. n. 4.* Idem erit dicendum de collatione, quæ eis non competit iure communi, & ordinario: nam hoc est proprium Episcoporum; sed consuetudine, præscriptione, vel priuilegio, aut concessione Romani Pontificis, vel Episcopi. Collatio enim beneficiorum est iurisdictio- 3.
nis, non ordinis episcopalis. Quapropter Abbates, vel alij Episcopo inferiores Prælati, consuetudine, & præscriptione hanc iurisdictionem sibi possunt acquirere, & Episcopos talem potestatem eis dare potest. Ita Azorius *i[illegible]st. moral. part. 2. lib. 6. cap. 25. quæst. 20.* & dictum satis est *supra*.

Quoad secundam partem, cùm alia sint beneficia sæcularia, alia regularia, vt dicemus *in sequenti quæsito:*

Dicendum est, quòd sæcularia beneficia sæculari- 4
bus, & regularia Regularibus conferenda sint, vt habetur *in c. Cùm singula, 31. de præb. in 6. & in Clem. 1. de supplenda neglig. Prælat. & in Concil. Trid. sess. 14. de reform. cap. 10.* quod etiam affirmant Doctores, & præsertim Lælius Zecchius *de repub. eccles. tit. de benef. n. 2.* Cardinalis Thuscus *tom. 1. litt. B. conclus. 67.* Rebuffus *in praxi benef. tit. Quotuplex beneficium sit.* Hoieda *de incompatibilit. benef part. 1. c. 24 n. 92.* Aloysius Riccius *in collect. decis. part. 4. collect. 763.* Flamin. Parisius *de [illegible] benef. lib. 4. q. 5.* Quintanad. *Eccl. lib. 1. c. 4 n. 14.* Grattianus *discept. forens. cap. 574. n. 15. cum seqq.* Garzias *de benef. cap. 6 n. 11.* Hieron. Roder. *in Compend. qq. regul. resol. 15. n. 1.* Viuianus *in sua praxi, part. 1. cap. 1. n. 79.* Paulus Layman *in Theol. morali lib 4. tract 2. cap. 4. n. 1.* Sebast. Ces *in relect. de eccles. Hierarchia, disp. 14 § 1. [illegible] 2.* Anton. Fabrit. *de re benefic. tit. de regul. & sæcul. benef.* August. Barbosa *de iure eccl. lib. 2. cap 4 num 34.*

Limita tamen, quòd in defectum sæcularium, & 5.
subsidium, aut si vrgeat necessitas, vt, verbi gratia, idonei non reperiantur Ministri; tunc beneficia sæcularia Regularibus, & è conuerso, conferenda sunt, vt habetur *in cap. Inter quatuor, de religiosis Domibus:* & docent Rebuffus *in concord. tit. de collat. §. Volumus.* Gonzal. *ad regulam 8. Cancellariæ, gloss. 8. n. 43.* Garzias *de beneficijs, part. 7. cap. 10. num. 16.* Reginaldus *in praxi fori pœnitentialis, lib. 30. tract. 3. num. 158.* Abbas *in dicto cap. Inter quatuor,* quem sequitur Azor. *tom. 2. institutionum moral. lib. 3. cap. 26. quæst. 5.* [illegible] ait, loquendo de Regularibus, hunc Ordinem esse seruandum: *Quando Monachi non sunt idonei pro beneficijs, assumantur alij, siue eiusdem siue alterius Monasterij: quòd si etiam hoc fieri nequeat, supponantur alterius Ordinis Religiosi.* Quod docet etiam Barbosa *de iure ecclesiastico, lib. 2 cap. 4. num. 40.*

Limita secundò, quòd sæcularia beneficia sæcu- 6.
laribus, & regularia Regularibus conferenda sint, vt nullo modo possit conferri Clerico sæculari beneficium regulare, & è conuerso, sine dispensatione Summi Pontificis, sicut docent ferè omnes Doctores citati, quod etiam affirmat Sanchez *in præcepta Decalogi, lib. 7. cap 29. num. 94.*

Hæc tamen beneficia sic distincta, & Regularibus regularia, & sæcularibus sæcularia sic applicata sub ampla significatione continentur sub appellatione beneficiorum, sicut & pensiones annuæ, quæ de redditibus

bus Eccleſiæ præſtantur : & tamen non ſunt propriè beneficia : largius enim ſumitur beneficium in fauorabili materia, ſcilicet, in fauorem Eccleſiæ potius, quàm perſonæ, ita vt etiam beneficium ſumptum impropriè comprehendatur in materia correctionis vitæ, & morum, aut beneficiorum pluralitatis.

8. Beneficium autem in rigore ſumptum illud intelligitur, quod eſt ſine cura, habens certum titulum, & perpetuos prouentus in Eccleſia; licèt alia etiam beneficia ex annexo officio nomen proprium conſequũtur, vt eſt Canonicatus, Parochia, & alia huiuſmodi. Generaliter autem loquendo, beneficium dicitur feudum eccleſiaſticum, & ad inſtar feudi à quibuſdam præſtari ſolet iuramentum fidelitatis, vt habetur *in cap. Ego N. de iureiur.*

9. Hinc deducitur, Papatum non eſſe propriè beneficium : quia Summus Pontifex non eſt beneficiatus ab aliquo; cui ſubiectionem præſtet, niſi Deo : ſicut nec etiam Monachatus, & alia officia regularia poſſũt propriè dici beneficia, quia ſunt bona de menſa Prælati Monaſterij, quæ ſub appellatione beneficij non continentur : cùm non habeant ſpirituale officium in Eccleſia annexum : nuncupantur tamen eccleſiaſtica beneficia. Abbatia tamen perpetua propriè dicitur beneficium. Ita Barboſa *de iure eccleſiaſtico, loco citato, num. 84. & 85.*

QVÆSITVM III.

Quotuplicia ſint beneficia ab Abbatibus conferenda.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia reg[illegible] [illegible]tur, quæ ex fundatione, dota[illegible], ſeu [illegible] inſtitutione, vel præſcriptione R[illegible] tantum conferuntur : & num. 12.*

2 *Beneficium reg[illegible] [illegible]tur illud, quod a Regularibus pl[illegible] [illegible] pacificè guber[natu]m eſt.*

3 *Benefi[illegible] regulare, ſiue ſæculare, quod tempore [ad] præſcriptionem legitimam a iure petito ad[mini]ſtratum ſit per Regulares, vel ſæculares.*

4 *Præſcriptio legitima requirit tempus quadrage[n]a[r]ium.*

5 *Be[neficium], vt iudicetur regulare, vel [ſæ]culare, debent illud poſſidentes eſſe in eo inſtituti a legitimo Super[iore].*

6 *Beneficium poſſidentes, & in eo inſtituti, debent eſſe Rectores.*

7 *Beneficium vt tranſeat in regulare, debet adminiſtrari a Regularibus tanquam regulare: ſecus ſi gubernetur tanquam [ſæ]culare.*

8 *Beneficium non præſcribitur, vt fiat regulare, quãdo ſæculare Regulari confertur, & [è] conuerſo. et[iam]ſi poſſideatur ſpatio quadragenario.*

9 *Beneficium dum confertur, debet illud conferens exprimere illi ſtatum dicti beneficij.*

10 *Beneficium regulare, vt tale ſit, debet bona fide poſſideri, & è conuerſo: quia poſſeſſor malæ fidei [nu]llo tempore præſcribit.*

11 *Capella[illegible] fundata in Monaſterio, præſumuntur regularia beneficia, niſi per ſæculares ſint ſolita [illegible] [nu]m. & 12.*

13 *Beneficia [al]ia ſu[nt] duplicia, alia ſimplicia.*

14 *Prio[r]es [c]onuentuales quinam dicantur, & quæ in[illegible] poſſ[un]t.*

15 *Prioratus [co]nuentuales non ſunt collatiui, ſed electiui.*

16 *Priores conuentuales, ſiue Præpoſiti, aut Guardiani, habent eandem facultatem [illegible], & Monaſterium, quam habent Abbates.*

17 *Priores conuentuales, vt Iudices del[e]gati, dari poſſunt a Sede apoſtolica.*

18 *Prior clauſtralis quiſnam dicatur, & quam adminiſtrationem habeat, & iuriſdictionem.*

19 *Priorum clauſtralium aliqui pon[un]tur ab Abbatibus in Parochijs, & Eccleſijs curatis [M]onaſteriorum ad beneplacitum ipſorum Abbatum.*

20 *Beneficia ſimplicia regularia ſu[n]t Prioratus ſimplex, Monachatus, & Canonicatus regularis.*

21 *Abbates apud diuerſas Religiones varijs nominibus nuncupantur.*

22 *Beneficia regularia alia ſunt electiua, alia collatiua.*

23 *Beneficia regularia an conferantur authoritate Summi Pontificis.*

24 *Beneficia regularia an ſint verè, & propriè beneficia eccleſiaſtica.*

Beneficia regularia illa dicuntur, perſiſtendo in ampla ſignificatione beneficiorum, & in vniuerſali eorum appellatione, quæ ex fundatione, dotatione, ſeu Ordinarij, aut alterius Superioris inſtitutione, vel ſaltem ex præſcriptione Regularibus tantùm conferuntur : hæc enim in iure regularia appellantur, vt affirmant Doctores *in cap. 1. de capell. Monachorum* & *in cap. Cum de beneficio. 5.* & *in cap. Cùm ſingula. 32. de præbendis, in 6* quod etiam docent Rebuffus *in prax. benef. tit. Regularia beneficia. num. 1.* Garzias *de beneficijs, part. 1. cap. 6. num. 13.* Gonzales *in Regul. 8. Cancellariæ, gloſſa 8. num. 1.* Sanchez *in præcept. Decalogi lib. 7. cap. 29. num. 11.* Vnde beneficium duobus modis contingere poteſt, quid ſit regulare. Primò, quando in fundatione illius ſta[tuit]ur, vt adminiſtretur per Regular[e]s, vt dic[it] Reb[uf]fus *loco citato, in proæmio [illegible] Quotuplex [ſit] beneficium, num. 5.* Azor *[In]ſtitutionum moral. tom. 1. [l]ib. 3. cap. 26. quæſt. 1.* Flaminius *in d. c. Cum [d]e be[n]eficio. num. 9.* Horeda *de incompatibilit. beneficiorum. part. 1. cap. vlt. num. 9.* Sanchez *[l]oco citato, cap. 29. num. 15.* vbi affir[m]at, hoc ſtatutum non poſſe fie[r]i per Abbatem; ſed per Epiſcopum, niſi habeat Abbas iu[r]iſdictionem epiſcopalem. Secundò, dicitur beneficium regulare, quod temp[o]re ad legitimam præſcriptionem ſufficienti ab vno, pl[ur]ibus regularibus inſtitutis in eo Rectoribus, pacificè gubernatum eſt : etiamſi antea, vel pòſt ſæculares quandoque adminiſtrauerint in illo beneficio. Ita Sanchez *loco citato num. 15.* vbi *num. 16.* ſex aſſignat conditiones, vt beneficium mutans propriam naturam fiat ex ſæculari regulare, & è contra. 1. 2.

Prima eſt, vt tempore ad præſcriptionem legitimam à iure petito adminiſtratum ſit illud beneficium per ſæculares, vt fiat ſæculare, vel per Regulares, vt fiat regulare : & ſupradictum tempus debet eſſe quadragenarium, vt dicunt Doctores ſecundùm legitimam præſcriptionem aduersùs Eccleſiam, quæ quadragenaria eſt. Quod conſtat maniſeſtè *ex capite, Ad aures. de præſcriptionibus.* Hinc eſt, quòd Eccleſia probatur non tanquam curata, ſi ſpatio quadragenario, tanquam non curata, collata fuit, vt docent Azor *loco cit. lib. 3. cap. 26. quæſt. 3.* Gonzales *in regul. 8. Cancell. gloſſ. [illegible] num. 8.* Ro[dr]iq. *qq. regul. tom. 1. quæſt. 35. art. 1.* Ludouic[us] [illegible] *in tract. expectat. lib. 68* Horeda *de incompa[tib]. benef. part. 1. cap. vlt. num. 92.* Rebuff. *in concord. [illegible] 5. Volumus. n. 4. & 5.* 3. 4.

Secunda conditio pro tali præſcriptione, talis [e]ſt, vt beneficium poſſidentes ſint inſtituti in eo [illegible], ſi 5.

ab'que vlla institutione de facto possiderent, non habcret locum huiusmodi transitus, vt docet *cap. Cum de beneficio.*& Gloss *ibid. verbo, institutus*: & Rebuffus *in d. Concordat.tit.de collat.§.Volumus.in* 1. *requis.* Hoieda *loco cit.cap.vlt. num.*92.

6. Tertia conditio est, vt in beneficio instituti sint Rectores; vt constat *in d.cap.Cum de beneficio.* Vnde non sufficeret, si tanquam Vicarij administrassent. Ita Gloss. *in d. cap. Cum de beneficio.* & Franchus *ibid. num.* 3 & Dominicus *ibid. num.*7. & Sanchez *loco citato,lib.*7 *cap.*19 *num* 22.vbi *num.*25.assignans quartam conditionem dicit:

7. Quarta conditio est, quòd transeat beneficium in regulare, vt administretur à Regularibus, tanquam regulare: secùs, si gubernetur tanquam sæculare, & instar sæcularium Clericorum, vt si Regularis præficiatur Ecclesiæ curatæ sæculari, non transibit in regularem per administrationem quadragenariam: quia præficitur illi, non vt Regularis; sed ad instar Clerici sæcularis: quod etiam docent Anchatan *in d. cap Cum de beneficio. final.de præbend.in* 6. & Fran-
8. chus *ibid.num.*9 *verſ.* 2. Felinus *in cap. In nostra.coroll.*40.*num.*41.*notab.*2. *de rescript.* Vnde beneficium non præscribit, vt fiat regulare, quando sæculare regulari confertur ex dispensatione; & è conuerso; etiamsi possideatur spatio quadragenario, cum talis possessio fiat ex speciali indulto, non verò præscriptione: non enim conferuntur huiusmodi beneficia, vt iure tituli habeantur; sed potiùs iure commendationis, & administrationis. Ita affirmant Hoieda *de [illegible] compatib bene*. *part.*1. *cap. vlt. num.* 92. Rebuf. *in prax. benef. tit. Quotup.ex sit beneficium.num.* 5. Azor *tom.* 2.*instit. moral. lib.* 3. *cap.*16.*q.*3.Sanchez *loco cit. num* 15

9. Quinta conditio est, vt conferens animo, & intentione beneficium conferat, vt velit imprimere illum statum beneficio, quem exprimit; & ideò in collatione debet dicere Regulari: Confero tibi beneficium sæculare, & sæculari: Confero tibi beneficium regulare, vt docent Hoieda *loco citato*, Selua *de benef.*3.*part.q.*11.*num* 125.Sanchez *loco citato,num.*25. Hieronymus Rodriq *in Compend. qq regul.resol.*22. Barbosa *de iur.eccles.lib* 1.*cap.*4.*num* 68.

10. Sexta conditio est, vt regulare beneficium possideatur bona fide à sæculari, & è conuerso: quia possessor malæ fidei nullo tẽpore præscribit.*c. Vigilanti. de præscript.in* 6. Ita etiam docent Rebuffus *in Concordat. in* 2.*requis.* Hoieda *loco cit.num.*91.Franchus *in cap.de beneficio*, *num.*3. Sanchez *loco cit. num.*26. Hieronym Rodriq *loco citato.versic. Sexta.* Barbosa
11. *loco. cit. num.* 68. Sanchez *loco cit.num.*26. vbi *n.*27. dicit, quòd si capellæ sint fundatæ in Monasterio, præsumuntur regularia beneficia, nisi per sæculares teneri solitæ sint: quod etiam docuit Rebuffus *in prax benef.in tit.Quotuplex sit beneficium num* 6.

12. Regularia ergo beneficia (vt dictum est *suprà*) ea intelliguntur, quæ Regularibus, vel ex fundatione, vel ex institutione, aut ex consuetudine, vel præscriptione conferuntur. Hæc autem distinguuntur: nam
13. alia sunt duplicia, alia simplicia. Duplicia, vt Abbatia regularis: Abbas enim duplici onere fungi debet, tam circa personas, quàm circa res Monasterij, *cap. Quanto.de offic.Ord.in fin.cap.Cum ad Monasterium.* & *cap. In singulis. de stat. Monach.* Prioratus est duplex, alter Conuentualis, alter Claustralis. Prior Conuentualis est ille, qui Conuentui Monachorum siue aliorũ Religiosorum præficitur, nẽpe, in Monasteriis,in quibus non adest Abbas. *Clem.Ne in agro.§. Caterum.de stat. Monach.c. Nisi.essent de praben.*

14. Huiusmodi Priores Conuentuales dicuntur habere Conuentum,vel Collegium, *cap.Scriptum.de elect.in* tantum,quòd appellatione Prioratus Conuentualis ex propria significatione venit Ecclesia collegiata regularis; non autem sæcularis, vt dicunt Geminianus *conſ.*131.*num* 4.& Oldradus *conſ.* 281. *in princip.*

Tamen magis propriè Priores Conuentuales sunt, vt diximus, qui Conuentui Religiosorum præficiuntur cum bonorum iurium administratione, & iurisdictione in iis, quæ Regulam concernunt, & statum regularem; ac curam vniuersalem, tam spiritualem, quàm temporalem habent Monasterij, de quibus agit text.*in cap Nullam.*18.*quæſt.*2.vbi Nauarrus *num.*4.& *in cap Nisi essent.de prabend.*& *in Clem.*1.*§.Caterùm. de statu Monach.* Petrus Greg. *Syntagm. iur.lib.* 18. *cap* 18.Rebuff *in praxi benef.tit Regulare beneficium. num* 4. Gonzales *in regul* 8. *Cancel.gloſſ.*8. *num.*113. Corraſ.*de Sacerd.part.*4 *cap* 3.*num.*3.Galganet *de iur. publ.lib.*3,*tit* 4:.*num* 2.

Huiusmodi Prioratus non sunt collatiui,sed electiui *ex Clem.*2.*de rescript.*vbi Imol *in* 3 *not.*& Selua *de benef.part.*2.*quæſt.*27 *n.*45 & Rota *in Carpenteraten. Prioratus.* 27. Nouemb. 1620. coram Buratto inter eius impreſſ. *deciſ.* 492. Et huiusmodi Priores Abbatibus comparantur,vt colligitur *ex cap.final.de reg.* vbi dicitur; *Patres Abbates, seu Priores.* 15.

Hinc est, quòd Priores Conuentuales, quos aliqui in aliquibus Religionibus vocant Præpositos, seu Guardianos, aut Superiores locales, habent eandem facultatem erga Monachos,& administrationem Monasterij, quam habent Abbates, & iisdem priuilegiis spectantibus ad eandem potestatem, & administrationem potiuntur. Imò in aliquibus Religionibus gaudent prærogatiuis, & præeminentiis, quibus pollent Abbates, & vtuntur mitra,annulo, baculo,sandaliis,ac exercent Pontificalia ad instar Abbatum, ideo dicuntur dignitatem habere *ex Clem.Et si principalis. de rescript.* quod etiam affirmant Federicus de Sen. *conſ.* 25. *num* 4 Thuscus *pract. concl tom.*6. *litt. P, concl.* 708. *num.* 11.Oldra lus *conſ.* 257.*num.*34.*verſ. Certum est.* 16.

Ideò,vt iudices delegati à Sede apostolica dari possunt, vt dicunt Azor.*instit. moral tom.*2.*lib* 3 *cap.* 20. Antonius Fabrit. *in theor. de re benef.num.*36 Massobrius *de synodo diœcesana*, *cap.*4 *dub.* 13. *num.* 40. Montera *de conseru.cap.*5 *num.*16. 17.

Prior Claustralis dicitur, qui Religiosis in Claustro,& Monasterio præfectus est,& Abbati subucitur: sed post eum præ cæteris potens esse debet in opere, & sermone, vt exemplo vitæ,verboque doctrinæ suos Monachos instruere possit in bono,& à malo reuocare, *dicto cap. Cum ad Monasterium.* §. *Prior. de stat. Monach.* 18.

Priores Claustrales post Abbatem Monasterio præficiuntur cum administratione iurisdictionis tantùm circa ea quæ ad Claustrum, & Regulam monachalem spectant, qui solent etiam appellari Vicarij, de quibus agitur, vt diximus *in d. cap. Cum ad Monasterium. verſ. Prior.* & *in d. Clem.*2. *de rescrip.verbo, Prioratus*, & Rebuffus *loco cit. num.* 5. Petrus Greg. *loco cit.cap.* 18. *num.* 26. Selua *de benef. part.* 1. *q.*1. *num.* 41. Gonzales *loco cit. gloſſ* 8. *num.* 118. ideo Rota *in d.Carpenteraten.Prioratus*,censuit,Prioratum de quo agebatur, non esse claustralem: quia nullam habebat directionem, aut obedientiam: & tales Priores habent solum officium non distinctum à Monasterio; ideò quod illis relinquitur, acquiritur Monasterio: sicut, si alteri Monacho esset relictum, vt dicunt Cardinalis Thuscus *loco cit. concl.* 710.*num.*2. & Federicus de Sen. *conſ.* 20. *num.* 6. qui *conſ.* 35. *num.* 2. cum eodem Cardinali Thusc. *loco cit.* dicit, quòd Priores claustrales non possunt esse procuratores,executores, Iudices, neque agere, neque defendere 19.

dere: vnde nullam habent dignitatem, ac proinde eis delegatio fieri non potest, vt resoluit Grillenzon *conf.50.num* 112. Mastrobrius *loco cit.dub.*13.*num.*40. Sanchez *in precept. Decal. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 13. *num.* 75.

20. Horum Priorum claustralium aliqui ponuntur ab Abbatibus in Parochiis, & Ecclesiis curatis Monasteriorum: quæ Parochiæ, siue Ecclesiæ curatæ cùm habeant Conuentum suppositum, vocantur obedientiariæ *ex d.cap.Cum ad Monasterium § talos. de stat. Monach.* Et cùm isti ponantur ad beneplacitum Abbatis ab eodem amoueri possunt ad nutum ipsius, vt docent Federicus de Senis *conf.* 133. *in fine, vers. Ad secundum.* & Innocentius *cap. In sign. num.* 2. *vers. Et ideo* de qua re videatur Abbas *conf.*25.*col.* 1 *in fine. vers. Et ex iis. lib.* 2.

21. Beneficia deinde regularia simplicia sunt Prioratus simplex, Monachatus, & Canonicatus regularis, qui suo simplici onere funguntur, *cap. Quod Dei timorem. & cap.fin.de stat. Monach.Clem. Ne in agro.de stat. Monach.cap.final.de relig. Domibus.* Gloss. *in Clem. Dispendiosam. in verbo, In beneficiis. de iudic.*

22. Abbates apud diuersas Religiones variis nominibus nuncupantur: alicubi enim vocantur Priores,
23. alicubi Præpositi. Ex huiusmodi beneficiis regularibus quædam sunt electiua, quæ conferuntur per canonicam electionem a Conuentu faciendam, & authoritate Superiorum confirmandam, vt *cap. Monachi.* §. *Priores. de stat. Monach.* & docet Azor. *moral.instit. part.*1 *lib.*12. *cap.*2. *q.*8. Quædam conferuntur authoritate Superioris, puta, Abbatis, vel Præpositi, siue Prioris. Quædam poterunt esse de iure patronatus & tunc Prælatus regularis confert beneficium præsentat à Patrono.

24. Quædam conferuntur authoritate Summi Pontificis, qui per regulam 3. Cancell. Prioratus Præposituras, ac alias dignitates Conuentuales, & Præceptorias generales quorumlibet Ordinum, præterquàm Militiarum sibi reseruat, & vt ait Mandos. *super.d. regul. quæst.* 8. Papa sibi reseruat omnes Prioratus, & Dignitates conuentuales, non autem claustrales. Conuentuales enim sunt beneficia perpetua, ac electiua: cætera autem non sunt electiua; sed dantur ad nutum Abbatis ac manualia vocantur, in quibus non habet locum regula reseruationis, vt dicemus, Hoc autem intelligendum est de Abbatiis, & Prioratibus conuentualibus, in commendam concedi solitis, vel ad sæcularem statum redactis: talia enim Monasteria, *per d. regulam* 3. *Cancellaria*, reseruata esse intelliguntur, vt dictum est *in* 1. *tom. disp.* 3. *quæst.* 2. Contrarium est verius, vt *in* 2.*edit.ibid.* Ita Rebuff. *in praxi benefic. part.* 1.*tit. Regularia beneficia multiplicia.* vbi addit, etiam Monachatum, & Canonicatū Regularē interdum beneficiū regulare simplex appellari, quod idem habet Gloss. *in Clem.Dispendiosam.verb. Beneficium. de iudic.* & Selu *de benef.p.*1.*q* 2. *num.* 76. Rebuff. *in praxi, loco cit.num.*26. Petr.Greg. *in instit.rei benefic. cap.*10.*num.*27. Barb. *de iure eccles.lib.*3 *cap.*4. *n.* 69. Quomodo autem id intelligendum sit, declarat Nauar. *comment.* 2. *de regular. circa fin.* Verùm adsunt etiam alia beneficia regularia, quæ sunt propria beneficia eiusdem rationis, quoad substantiam cum sæcularibus: dicuntur autem regularia solùm ex eo, quia pleno iure ad Regulares spectant, ac per eos administranda sunt.

25. Huiusmodi beneficia *superiùs* enarrata, & alia Ecclesiarum Ordinum regularium cum certa portione redituum ecclesiasticorum pro ministerio spirituali, & administratione Sacramentorum in eisdem Ecclesiis exercenda, licèt verè, & propriè beneficia ecclesiastica esse, quamuis manualia sint, existimauerit Azor. *instit. moral. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 26. *q.* 12. eò quod habeant alia omnia beneficio conuenientia, præter id, quòd talia sint, vt possint ad nutum reuocari: tamen non esse propriè, & simpliciter beneficia, probabiliter sustinent multi: nam beneficium propriè, & simpliciter tale requirit perpetuitatem, vt docent. Calderin. *conf.*26.*num.* 5. *de prabend.* Gomez. *tit. de grat. expectat.num.*94 Anastas. Germ. *de indult.Cardin.* 5. *Regularia. num.* 40. Fr. Emmanuël *qq. regul. tom.*1.*q.*34. *art.* 2. Staphil. *de litteris gratia, tract. de form. expect. in* 9. *forma, num.* 29. qui Calderino, & Gomezio *supracitatis* addit in reseruationibus beneficiorum, quas facit Pontifex, non claudi manualia; eò, quia illa sola reseruari dicuntur, quæ verè, & propriè beneficia sunt.

Verè tamen, & propriè dici beneficia ecclesiastica asserit Barbosa *de iur. ecclesiastico, lib.* 3. *cap.*4. *n.* 70. nam, licèt aliquando de facto perpetuitatem non habeant; aptitudinaliter tamen eam habent: nam, licèt conferantur à Superiore; ita vt reuocari possint, possunt etiam conferri absque hoc, quòd prouisus vnquam amoueatur. Et ita docet Gambar. *de offic. Legati à latere, lib.*4. *tit. de potest leg. in reseru. benef. num.*14 *& seqq.* Gonzal. *loco cit.gloss.*5.§. 6. *num.* 31. & *gloss.*8.*n.*25. & Rota *decis.*739. *n.* 6. & *decis.*772. *part.* 1. *diuers.* Buratt. *decis.* 944. *num....* & alij apud Barbosam. *loco cit. num.* 71.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores, antequàm suarum Abbatiarum possessionem adipiscantur, possint beneficia ad eas spectantia conferre.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati regulares statim electi possunt beneficia suis Abbatiis, & Monasteriis subiecta conferre.*

2 *Potestas Abbatum, & Prælatorum regularium competit illis, statim vt sunt electi.*

3 *Iurisdictionē an possint exercere Abbates, & Prælati sæculares, antequàm inducantur in possessionem suæ Ecclesiæ.*

4 *Abbates, & Prælati Religionum à Sede apostolica promoti nō possūt in sua Prælatura administrare, nisi priùs expeditis literis eiusdē Sedis apostolicæ.*

PRo huius quæsiti intelligentia clariori distinguendum est: nam, vel loquimur de Abbatibus, & 1.
Prælatis regularibus, aut de sæcularibus. Prælati regulares statim ac à Generali, vel à Diffinitoribus, siue à Capitulo, iuxta morem vniuscuiusque Religionis, aut Congregationis, eliguntur, possunt beneficia Monasteriis, quibus ipsi præficiuntur, subiecta conferre: non enim opus est; quòd prædictorum Monasteriorum possessionem capiant; sed tota iurisdictio, & potestas eis post electionem prouenit; exceptis tamen quibusdam, qui à Sede apostolica prouidentur in Consistorio, vel ab ea suarum electionum confirma-
tionem accipiunt. De Prælatis sæcularibus, siue Com- 3.
mendatariis idem videtur dicendum, quod de Episcopis; in qua materia duæ sunt sententiæ. Prima est Innocentij, Hostiensis, Ioannis Andr. & aliorum ferè communiter, quos refert Panormit. *in cap. Transmissam. de electione*, qui opinantur, quòd inductio in possessionem non est necessaria ad hoc, vt quis possit ea, quæ sunt iurisdictionis, exercere, & sic beneficia

ficia conferre: sed eo ipso, quòd est confirmatus, vel habuit aliquod aliud succedens loco confirmationis; putà, quia fuit institutus, seu prouisus per Superiorem de illa dignitate, potest incontinenti administrare, etiamsi non fuerit installatus, vel corporalem Prælaturæ possessionem non apprehenderit. Et horum ratio est: quia immissio in possessionem est de solennitate: non autem de substantia collationis. Secunda sententia est Dyni *in Regula prima, de reg iur. in 6.* Archidiaconi *in cap. Eum, qui de praben. lib* 6. Petri de Anchar. *in reg. sine possessione, de reg iur. lib* 6. qui tenent, quòd Prælatus, quantumuis confirmatus, vel institutus, siue prouisus de Prælatura, antequam in eius possessionem inducatur, non possit eam administrare, nec iurisdictionalia exercere, nec per cõsequens beneficia conferre. Io hoc videtur tenenda sententia Panormitani *loco citato*, qui ad concordandas prædictas opiniones ait, quod aut alius est in possessionem prælaturæ; & tunc etiam, quod possessio sit iniusta, non licebit confirmato, seu prouiso administrare, nisi priùs adepta legitima possessione: aliàs enim esset spoliare possessionem propria authoritate, quod prohibetur *per dictum cap. Eum, qui de praben. in* 6. & *cap. Placuit.* 16. *q.* 6. Vel Prælatura ita vacat, quòd nemo est in illius possessione, tanquam Prælatus: & tunc post confirmationem, vel institutionem, seu prouisionem potest Prælatus administrare. Insuper, vbi ex consuetudine Episcopus, vel alius Ordinarius nihil potest administrare, nec iurisdictionem exercere, nisi fuerit installatus, aut in possessionem immissus, tunc erit necessaria possessionis assequutio; aliàs secùs. Et hanc dicit communem Ioan. de Selua *de benef. part.* 2.
4. *q.* 15. *num.* 1. Verùm nota, quòd Abbates, & Prælati Religionum, qui ab apostolica Sede confirmationem accipiunt, vel ab ea promouentur absque litteris expeditis eiusdem Sedis, administrare non possunt, nec recipi tanquam Prælati; aliàs tam recipientes, quam recepti punirentur, vt cautum est in Constitutione Bonifacij VIII. incipien. *Iniuncta nobis* quæ habetur inter Extrauagantes communes *de electione*, vbi sic ait: *Sancimus, vt Episcopi, & alij Pralati superiores, necnon Abbates, Priores, & cæteri Monasteriorum regimina exercentes, quocunque nomine censeantur, qui apud Sedem apostolicam promouentur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis Ecclesias, & Monasteria absque dicta Sedis literis eiusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem, seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem recipere non præsumant, nullique eos absque dictarum litterararum ostensione recipiant.* Quòd si aliquid prædicti Episcopi, vel Prælati facere antè præsumpserint, irritum sit, & inane. De hac re latiùs diximus *in* 1 *tomo, disp.* 8.

QVÆSITVM. V.

Vtrùm Abbates possint præsentare, & conferre beneficia eorum Monasteriis subiecta absque consensu Conuentus.

SVMMARIVM.

1 *Abbates de iure communi nequeunt absque sui Cõuentus consensu beneficiarios instituere: sed limita, vt num.* 4.

2 *Monachorũ creatio, sicut requirit consensum Conuentus de iure communi, ita etiam beneficiorum collatio.*

3 *Beneficiorum collationes, & institutiones irrita fiunt, nisi accedat Conuentus, vel maioris partis Monachorum consensus.*

5 *Beneficia regularia alia sunt electiua, alia collatiua: & quomodo vtraque conferantur.*

DE iure communi præsentationes, & prouisiones, 2.
seu collationes beneficiorum regularium, & parochialium Ecclesiarum, Monasteriis vnitarum, vel ab eis dependentium, facienda est ab Abbate, insimul cum Conuentu, aut eius consensu, vt habetur *in cap. Ea nesciunt. de his, quæ fiunt à Prælatis.* & Gloss. *in cap. vlt. in verb. Pertineat. de Regular. in* 6. Archidiac. Ioan Monach. Dominic. & Franch. *ibi* quos refert, & sequitur Azor. *moral. instit. parte* 1. *lib.* 12. *cap.* 22. *q.* 9 asserens, contrarium tenere Panormit. *in d. cap. Ea nesciunt.* Verùm prædicti Doctores omnes loquuntur de creatione Monachorum, vt etiam aduertit Sanchez *in Decaleg. lib.* 2 *cap.* 29. *num.* 106. de qua etiam loquitur *d. cap. fin. de Regular. in.* 6.
non agit de institutione beneficiorum. At de vtraque 5.
re idem est faciendum iudicium: nam, sicut de iure ad monachorum creationem requiritur consensus maioris partis Conuentus; ita & ad beneficiorum collationem. Atque ita tenent expresse Mandos. *in reg.* 3. *Cancellar. q.* 9. *num* 4. Sanchez, & Azor. *locis cit.* Francisc Marc. *decis. Delphinat q.* 1235. *num.* 1. Vnde, si constiterit, quòd consensus Monachorum, seu maioris
partis Conuentus, non accesserit, institutiones, siue 3.
collationes irritæ censendæ sunt.

Verùm hoc limitatur, vt non procedat, quando 4.
ex consuetudine approbata, & antiqua, vel ex aliquo speciali priuilegio Abbates probauerint Capituli consensum non requiri, vt habetur ex textu *in d. cap. Ea nesciunt. de his, quæ fiunt à Pral. sine consensu Capit.* Firmant Gloss. *in cap.* 1. *verb. præsentantur. de capell. Monach. in* 6. & Panormit. *in d. cap. Ea nesciunt col.* 1. *vers. Nota, quòd præsentationibus.*

Supponendum tamen est, cùm beneficia regula- 5.
ria sint, alia collatiua, alia verò electiua; quòd collatiua ad instar sæcularium beneficiorum conferuntur authoritate Superioris: electiua autem per electionem canonicam suffragiis electorum conferri solent, intercedente Abbatis, & Prælati Monasterij confirmatione, vt docent Azor. *loco cit. lib.* 12. *cap.* 12. *quæst.* 8. Sanchez *loco cit. num.* 108. Barbos. *de iure eccles. lib.* 3. *cap.* 4. *n* 75. vbi ait, quòd semper debet fieri mentio in literis beneficij electiui, si beneficium huius qualitatis sit, *per cap. Cum in illis.* 16. §. *Illis verè. de præb. in* 6. ita etiam docent Menoch *de arbit. casu* 201. *n.* 84. Flam. Paris. *de resig. benef. lib.* 10. *quæst.* 2. *num.* 35. Card. Tusch. *tom.* 3. *litt. E, concl.* 90. Censeo tamen cum Sanch. *loco cit.* standum esse statutis, & consuetudinibus cuiuslibet Religionis, & Monasterij: vbi autem de re hac non constaret, dicendum est, pertinere ad Abbatem, & Prælatum Monasterij cum consensu maioris partis Capituli. In Religionibus enim ferè omnibus, quando res magni momenti gerendæ sunt, expectatur in illis benè dirigendis, nedum consensus Abbatis, & Prælati; verùm etiam maioris partis Conuentus: & collationem beneficiorum negari non potest esse enumerandã inter res magni momenti.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm Abbates beneficia ad eorum collationem spectantia possint ad libitum, tam Regularibus, quàm sæcularibus conferre.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum alia sunt regularia, alia sæcularia.*

2 *Regu*

2 *Regularia beneficia Regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda sunt.*
3 *Qualitas beneficij quomodo ex fundatione dignosci possit.*
4 *Capella in Monasterio si fundata sint, beneficium præsumetur regulare, nisi per sæculares regi consueuerint: & quid, si de fundatione non appareat, num. 5.*
6 *Beneficium dicitur regulare, quando legitimè præscriptum est, vt per Regulares administretur; sæculare autem, quando per sæculares.*
7 *Beneficia regularia quibus possint in titulum conferri.*
8 *Beneficiorum vnius Religionis non sunt capaces Monachi alterius Religionis.*

1. NOtandum est, beneficium (prout ad rem nostram facit) esse duplex, vt diximus *in quæst. 2.* videlicet, regulare, & sæculare, *cap. Cum singula.* & *cap Cum de*
2. *beneficio. de prebend. in 6.* Si beneficium erit regulare, non nisi Regulari conferendum est: si sæculare, vtique sæculari Clerico conferri debet, Anchar. *in cap. 2. de supplend. neglig. Prelat.* & *in d. cap. Cum de beneficio. de prebend. lib. 6. num. 1.* Et est regula generalis, quòd regularia beneficia Regularibus; sæcularia sæcularibus conferenda sunt, vt tradunt communiter Doctores, & habetur ex Concilio Trident. *inferius* citando.

3. Ista autem qualitas discerni potest præcipuè ex fundatione ipsius beneficij, vt si in ea statutum sit, quòd per Regulares tale beneficium administretur, vtique censebitur regulare, vt docent Gemin. *in d. cap. Cum de beneficio. num. 9.* Franch. *ibid. num. etiam 9. vers. Et intellige. circa finem.* Rebuffus *in praxi beneficial. in proœm. tit. Quotuplex sit beneficium. num. 5.* & *in Concordat. tit. de collat. §. Volumus. verb. Regularia.* Azor *moral. instit. part. 2. lib. 3. cap. 26. q. 1.* Sanchez aliis relatis *in Decalog. lib. 7. cap. 29. num. 14.* Et hoc statutum, tam per Episcopum, quàm per Abbates, & Prælatos inferiores episcopalem iurisdictionem habentes fieri potest, vt tradunt Gemin. Franch. & Sanchez *locis cit.*

4. Quòd si Capellæ in Monasterio fundatæ sint, beneficia præsumentur regularia, nisi per sæculares regi consueuerint. Rebuff. *in praxi benefic. loco cit. num. 6.* Sanch. *eo cap. 29. in fine.*

5. Si verò de fundatione non appareat, erunt inspiciendæ institutiones, & consuetudo, seu præscriptio, per ea, quæ habentur *in d cap. Cum de beneficio.* & *Clem. 1. de suppl. neglig. Prel.* Rursus, si clare de institutionib non apparuerit, nempe, quia aliquando sæcularibus, aliquando autem Regularibus factæ fuerint; inspicere opus erit quis institutor eas fecerit: si enim persona ecclesiastica sæcularis, præsumetur talem Capellaniam, siue beneficium esse sæculare; nisi aliter appareat, quòd, scilicet, ipse institutor beneficij statum immutare voluerit: quod non præsumitur, nisi declaretur *arg. c. 1. dist. 10.* & *cap. Querimoniam. de iurepatron.* Gonzal. *de mensibus, & alternat. in gloss. 5. §. 6. num. 11. & 28.* Tamen è contra non semper erit præsumendum regulare, etiamsi appareat, quòd institutor fuerit Regularis, si fuerit solùm possideri per sæculares. Gonzales *d. tract. in gloss. 8. n. 38.* Si autem collationes ab institutore ecclesiastico Regulari in persona Regularium factæ fuerint; beneficium proculdubiò censebitur regulare.

6. Præscriptione beneficium dicetur regulare, si per tempus quadraginta annorum (quod regulariter ad præscribendum contra Ecclesiam requiritur, *cap. Ad aures.* & *cap. De quarta. de præscript.*) ab vno, vel à pluribus Religiosis in eo institutis pacifice & continuò gubernatum est, etiamsi anteà, vel post dictum tempus sæculares quandoque in eo ministrauerint: sicut sæculare dicitur id, quod eodem modo à sæcularibus rectum fuit *d. cap. Cum de beneficio. de prebend. in 6.* dummodo post completam præscriptionem sæculares id beneficium per alios quadraginta annos non texerint: nam noua induceretur præscriptio in eorum fauorem, ac illa prior extingueretur. Ita Gloss. *in d. c. Cum de beneficio. verb. post.* & alij apud Sanch. *lib. 7. in Decalog. cap. 29. num. 15.* Sex igitur conditiones requiruntur, vt beneficium ex regulari fiat sæculare, & è contra, de quibus agimus *in 2. quæst.*

Regularia igitur beneficia non possunt in titulum, 7.
nisi Monachis professis, & sui Ordinis tantùm, vel iis qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, ab Abbate conferri, ne vestem lana, linóque contextam induant, vt habetur in Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 10. de reformat.* Circa hoc autē ista regula seruanda est, vt beneficia regularia dentur priùs Religiosis eiusdem Monasterij. Secundò, in eorum defectum dentur aliis Religiosis alterius Cœnobij eiusdem tamen Ordinis. Tertiò, in totum defectum aduocentur alij Regulares alterius Ordinis. Vltimò, in defectum omnium Regularium (quod vix accidere potest) licebit in eis sæculares Clericos instituí. *cap. Inter quatuor,* vbi Gloss. Panormit. & alij communiter *de relig. Domib.* Azor. *moral. inst part. 2. lib. 3. cap. 26. quæst. 5.*

Dixi, *Monachis sui Ordinis tantùm.* Quia Monachi, 8.
& Regulares alterius Ordinis non sunt capaces beneficiorum aliorum Ordinum. Et hoc grauiter prohibetur *cap. Cum singula. §. Prohibemus de prebend. in 6.* Quod etiam affirmant Nauar. *com. 4 n. 23. de Regular.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. cum Regular. n. 2.* Rodriq. *quæst regul. t. 1. q. 34. art. 8.* Gonzal. *in Reg. 8. Cancell. gloss. 8. n. 96.* Sanch. *lib. 7. in prac. Decal. c. 29. n. 19.* vbi ait, quòd in hoc non poterit Legatus dispensare absque speciali commissione: quod etiam affirmat Rebuff. *loco cit. n. 2.*

Et Summus Pontifex non est solitus concedere licentiam Regularibus assequendi beneficium alterius Religionis, nisi transferendo illos ad id Monasterium, ad cuius collationē beneficium assequuntur. Ita Sanch. *loc. cit. n. 30.* & Barbos. *de iure eccles. lib. 3. cap. 13. n. 159.* vbi ait cum Sanch. *loco cit.* integrum non esse duobus Religiosis diuersorum Ordinum permutare beneficia regularia de licentia suorum Prælatorum: quia neuter est beneficij alterius capax, quod etiam docet Bellam. *de permut. benef p. 2. quæst. 11. n. 2.*

QVÆSITVM VII.

Quibus personis sint beneficia, tam regularia, quàm sæcularia ab Abbatibus, & Prælatis, tam sæcularibus, quàm regularibus conferenda.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati in beneficiis conferendis, quomodo se gerere debeant.*
2 *Heretici, eorúmque fautores, defensores, & filij vsque in secundam generationem, sūt inhabiles ad beneficia obtinenda.*
3 *Apostata sunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica obtinenda.*
4 *Excommunicati maiore excommunicatione sunt inhabiles ad quæcunque beneficia: sed amplia, vt n. 5 & limita, vt n. 6.*
7 *Suspensi ab officio, & beneficio sunt inhabiles ad benefi-*

beneficiis ecclesiastica.
8 *Interdicti personaliter non possunt beneficia consequi.*
6 *Irregulares beneficia obtinere non possunt.*
10 *Sodomita notorij sunt ad beneficia ecclesiastica inhabiles.*
11 *Bigami prohibentur habere beneficia.*
12 *Aleatores beneficia non possunt consequi.*
13 *Simoniaci in assequendo beneficio post eius priuationem fiunt inhabiles.*
13 *Clericus, qui priuatur beneficio propter vsurpationem, fit inhabilis ad alia beneficia consequenda.*
15 *Concubinarij incorrigibiles redduntur inhabiles ad beneficia, vsque ad emendationem, arbitrio sui Prælati.*
16 *Clericus coniugatus, durante matrimonio, redditur inhabilis ad beneficia, etiamsi clericaliter viuat: & num. 17.*
18 *Sæcularis, & non professus prohibetur beneficia regularia, in titulum Regularibus conferri consueta, obtinere.*
19 *Laicus non potest habere beneficia ecclesiastica, etiam simplicia.*
20 *Clericorum filij, procreati ex legitimo matrimonio, in Ecclesiis, vbi Patres habent, vel habuerunt beneficia, consequi non possunt.*
21 *Tonsura, & Ordines in beneficiis obtinendis, an sint necessarij*
22 *Illiterati sunt inhabiles ad beneficia.*
23 *Infames ad beneficia redduntur inhabiles.*
24 *Corpore vitiati, qui notabiliter deformati sunt in corpore, tanquam irregulares beneficia habere non possunt.*
25 *Periurus, qui infamis est, beneficium non potest consequi.*
26 *Cardinalem offendẽtium filij, & nepotes, inhabiles sunt in posterum ad consequenda beneficia.*
27 *Beneficia incompatibilia non dimittentes, post priuationẽ eorum, quæ obtinebunt, redduntur inhabiles ad alia beneficia.*
28 *Beneficium curatum habens non potest aliud curatum, vel aliud incompatibile obtinere.*

1. Non sunt beneficia ecclesiastica quibuscunque conferenda, nulla eorum habita notitia, à Prælatis, qui in beneficiis conferendis præcipitanter se gerere nequaquam debent; sed mature consideratis personis, earúmque meritis, & conditionibus, præcauere summopere debent, ne inhabiles sint. Ad hoc igitur, vt illas meliùs dignoscant, hic apponendum duxi, qui de iure ad beneficia inhabiles reddantur.

Primò, inhabiles sunt ad beneficia, Hæretici, eorúmque fautores, & receptatores, defensores, eorumque filij, vsque ad secundam generationem. Quòd si
2, admitterentur ad beneficia, esset irrita, & nulla talis admissio *ex cap. Quicunque. §. Hæretici. cap. Statutum. §l. 2. de Hæret. in 6.* vbi de beneficio iam obtento ante declarationem criminis paterni: secùs dicendum est de superueniente crimine, hoc enim non reddit inhabilem ad beneficium iam obtentum, vt dicunt Oldrad. *de nobilit. p. 4. in princ. cap. 9.* Hoieda *de incompatib. benef. p. 1. cap. penul. n. 100.* Decianus *in tract. crim. lib 5. cap. 45. n. 6. limit. 7.* Menoch. *conf. 805. num 33.* De filiis verò, & nepotibus prædictorum intelligendum est, qui tales esse, aut tales decessisse probentur; non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, & pœnitentiam egerint; quamuis ante peractam pœnitentiam obierint; dummodo tamen ad eam recipiendam parati essent, sicut docent Paris. *conf. 2. num. 185. lib. 4.* Surdus *conf. 360. n. 14* Ricciull. *de iure personarum, lib. 5. cap. 30. n. 41.* Farinac. *de hæres. quæst. 141. num. 64.* & Rota *in Collimbricen. Canonicatus*, 13. Iunij, 1616 coram Card. Sacrato: vbi etiam decisum fuit, non esse faciendam distinctionem inter sponte confessum, & condemnatum. Aduertendum tamen est, quòd in linea materna pœna tantùm extenditur ad primam generationem, vt probatur *ex d. cap. Statutum.* Aduertendum est prætereà, quòd hæresis patrui non impedit, quominùs nepos ad beneficia obtinenda habilis existat, vt decreuit S. Congreg. Card. teste Barb. *inferius* citando *n. 135.*

Secundo, apostatæ inhabiles sunt ad beneficia ecclesiastica, vt dicũt Valent *2. 2. disp. 1. quæst. 12. punct. 3. not. 2.* Sanch. *in præcept. Decal. lib. 2. cap. 7. num. 18.* Barbos. *de iure eccles. lib. 3. cap. 13. num 135.* Squillante *de priuileg. Cleric. cap. 4. num. 221.* tam si habitum suæ Religionis non dimiserint, quàm si illo iam spoliati sunt: quia dictum, & resolutum est *in disput. de apostatis, & fugitiuis, & eiectis*, quòd possunt etiam esse Regulares verè apostatæ, licèt habitum propriæ Religionis retineant. 3.

Tertiò, excommunicati maiori excommunicatione inhabiles sunt ad quæcunque beneficia consequenda, alioquin collatio esset irrita, *ex cap. Postulastis. de Cleric. excommunicato minist.* Idem docent Couar *in cap. Alma mater p. 1. §. 7. n. 1* Selu. *de benef. p. 3. q. 4.* Rebuff. *in tit. de excommunicato vitando, vers. Aduertendum est.* Nauarr. *in Manual. cap. 23. n. 21.* Flaminius Paritius *de resignat. benef lib. 4. q 3 n. 32.* Vgolinus *de cens. tab. 2. cap. 13. §. 1.* Bonacina *in simil. tract. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. §. 1.* 4

Hoc tamen impedimentum in multis est ampliandum cum Barbos. & Doctoribus ab eo citatis *de iure eccles lib. 3. cap. 13. num. 137.* Primò, in quocunque genere beneficij ecclesiastici, siue sint maiora beneficia, siue minora, vt etiam habeant annexam dignitatem, siue sint beneficia sæcularia, siue regularia; & non solùm in collatione beneficiorum; sed etiam in permutatione, & resignatione. 5.

Secundò, etiam in foro conscientiæ, in quo beneficium collatum excommunicato, seu resignatum, non potest ab ipso retineri, etiamsi collatio sit facta motu proprio, & valet, tam de excommunicatione lata à iure, quàm ab homine: in vtraque enim militat eadem ratio, siue lata sit excommunicatio per sententiam generalem, siue particularem: etiamsi excommunicatio iniusta sit, dummodo ritè lata fuerit.

Tertiò, quamuis excõmunicatus non adhuc denunciatus: quia ad effectum, vt non possit beneficium obtinere, denunciatio non est de substantia. Idem dicendũ esset, si excõmunicatus esset occultus: quia collatio ex eo esset nulla, cùm in his, quæ geruntur iure priuato, nulla sit differentia inter excommunicatum publicum, & occultum.

Quartò, hoc etiam valet, quamuis excommunicatus reputetur communi opinione pro absoluto: quia in hac materia, de qua agitur, vt excommunicatus reddatur incapax ad beneficium obtinendum, veritas præualet opinioni.

Quintò, quamuis post collationem sequeretur absolutio: quia talis absolutio sequens non tollit præcedentem incapacitatem, cùm in istis spectetur initium.

Sextò, etiamsi excõmunicatus esset absolutus cum reincidentia post aliquod tẽpus: quia, si post præfixum tempus, & reincidentiam fiat sibi collatio, erit nulla, non obstante, quòd Iudicis declaratio non adfuerit.

Huiusmodi tamen inhabilitas excommunicationis limitanda est primò, non procedere, si excommunicatio sit nulla. Secundò, si excommunicatio superuenerit post collationem: quia, licèt nondum sit 6

effectuata

effectuata; tamen valet, vnde potest excommunicatus beneficium acceptare iam sibi collatum, quando non erat excommunicatus. Tertiò, quando prouisus esset possessor triennalis, tunc non potest molestari, non obstante, quòd collatio fuerit sibi facta tempore, quo erat excommunicatus. Quartò, limitatur in eo, qui excommunicatus fuit post appellationem interpositam: quia, pendente causa appellationis, est capax collationis. Hoc tamen intelligitur, quando appellatio esset valida, & hoc pro certo haberet: secùs si notorium esset eam non valere.

An autem possit Episcopus dispensare, vt quis retineat beneficium tempore excommunicationis, vide apud Barbosam *loco citato, num.* 143.

7. Quartò, inhabiles sunt ad beneficia obtinenda, & consequenda suspensi ab officio, vel beneficio; & prouisio eis facta nulla est *ex c. Cum dilectus. vers. Quia, nobis. de consuet.* & ibi Gloss. *verbo, cessauimus.* & *c. Per inquisitionem de electione*, & Gloss. *verbo, Suspensi.* & *c. Cum bona. de ætat. & qualit.* vbi Abbas *n.* 8. & *verbo, Irritas, in c. Tanta. de excessib. Prælat.* Hoc intellige de suspensis ab omnibus Ordinibus, cùm secùs dicendum sit ab vno Ordine sacro tantùm: quia ratione alterius Ordinis, quem habet, sine suspensione potest obtinere beneficium, *ex c. Vel non est compos. de temp. Ordin* & Abbas *in d. c. n.* 6. suspensus enim ab Ordine presbyterali tantùm, licèt non possit habere sacerdotalem præbendam; poterit tamen habere diaconalem: qui verò per annum contumax steterit in suspensione, non solùm nequit ampliùs beneficium consequi; sed ea, quæ interim acquisiuit, & priùs habebat, amittit, vt habetur *in d. cap. Cum bona. de ætat. & qualit.*

8. Quintò, interdicti personaliter non possunt beneficia consequi. Ita Nauarr. *in Manual. c.* 24. *num.* 133. Vgolin. *de censur. tab.* 5 *cap.* 13. §. 1. *num.* 2. Lessius *de iust. & iur. lib* 2. *cap.* 32. *num.* 116.

9 Sextò, irregulares non possunt beneficia obtinere, & collatio illis facta, ipso iure nulla est, *ex cap.* 1 *in fin. de Cler. pugn. in duello, cap.* 2. *de Cler. non ordinat. ministr.* & Lessius *loco citato. num.* 120. Vgolin. *de off. Episc. cap.* 50. §. 6. *num.* 4.

10. Septimò, Sodomitæ notorij ad beneficia sunt inhabiles, & collatio his facta nulla est, vt optimè resoluit Barbos. *de off. & potest. Epis. part.* 2. *alleg.* 44. *num.* 28.

11. Octauò, bigami prohibentur beneficia habere, cùm etiam prohibeantur ordinari, vt probant Rebuff. *de pacif. possess. n.* 193. & Sayrus *de cens. lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 9. Garsias *de benef. part.* 7. *cap.* 6 *num.* 1. Propterea beneficij collationem factam bigamo nullam esse, affirmat Nauarr. *cons.* 3. *num.* 1. *de bigamis.*

12. Nono, aleatores beneficia consequi non possunt, & collatio eis facta, si publici sint, ipso iure fit nulla; si occulti, erit irritanda. Ita diffiniuit Rota Romana *decis.* 426. *part.* 1. *diuers.* & multi Doctores *ibi* allegati.

13. Vndecimò, simoniaci in assequendo beneficio post eius priuationem fiunt inhabiles ad omnia alia beneficia obtinenda per Bullam Pij V. quæ incipit: *Cùm primùm.* sub datum Calend. April. 1566. quæ *in Bullario* est constitutio eius quinta.

14. Vndecimò, Clericus quæcunque, vel iure Ecclesiarum, vel priorum locorum vsurpans, vel aliis consensum, aut auxilium præstans, priuatur beneficio, & fit inhabilis ad quæcunque alia beneficia consequenda, ex Concil. Trid. *sess.* 22. *in fin.*

15. Duodecimò, Clerici concubinarij incorrigibiles post multas pœnas, & priuationem beneficiorum, redduntur inhabiles ad consequenda beneficia vsque ad emendationem arbitrio Ordinariorum suorum, ex d. Concil. Trid. *sess.* 25. *de reform. cap.* 14.

16. Decimotertiò, Clericus coniugatus, etiamsi clericaliter viuat, durante matrimonio beneficia ecclesiastica consequi non potest, *ex cap.* 2. & *cap. Diuersis fallaciis. cap. Cum decorem de Cleric. coniugat.* Poterit tamen haberere beneficium ecclesiasticum ratione stipendij, vel alterius ministerij temporalis, vt benè probat Sanchez *de matrim. lib.* 7. *disp* 41.

17. Decimoquartò, quicunque coniugatus, qui aliquem de Ordinibus sacris præsumit suscipere, matrimonio durante, etiam nondum consummato, nisi seruata regula canonum, etiam ad beneficium quodcunque, vel officium ecclesiasticum prohibetur promoueri *per Extrauagantem, Antiquæ. de voto.* Ioann. XXII. Vnde, si promoueatur ad Ordinem sacrum, efficitur irregularis, vt dicunt Maiolus *de irregul. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 10. Couarr. *de sponsal. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 2.

18. Decimoquintò, sæcularis, & non professus prohibetur beneficia regularia in titulum Regularibus conferri consueta obtinere, nisi eiusdem Ordinis habitum suscipiat, & professionem emittat ex Concil. Trid. *sess.* 14. *de reform. cap.* 10.

19. Decimosextò, Laicus beneficia ecclesiastica, etiamsi sint simplicia, obtinere non potest, *ex cap. Ex literis de transact.*

20. Decimoseptimò, filij Clericorum procreati ex legitimo matrimonio, in Ecclesiis, vbi patres eorum aliquod habent, vel habuerunt beneficium; consequi non possunt beneficia, *ex cap.* 2. & *cap. Cum decore. de filiis Presbyt.* & Concil. Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 15.

21. Decimooctauò, nullus, qui prima tonsura est initiatus, & in Ordinibus minoribus est constitutus ante annum 14. suæ ætatis beneficium potest obtinere, ex Concil. Trid. *sess.* 23 *de reform. cap.* 6. Non oportet tamen expletum esse dictum annum 14. sed sufficit esse cœptum ad obtinendum beneficium simplex, vt docet Barbos. *de iur. eccles. lib.* 3. *cap.* 13. *num.* 163. cum multis Doctoribus ab eo allegatis: & hæc prohibitio subsistit, nedum per viam collationis, sed etiam præsentationis, electionis, aut alterius cuiuscunque prouisionis, vt docet Mandosius *de minor. ætat. cap.* 4. *num.* 17. Standum tamen erit fundationi, vt beneficium etiam in minori ætate adipisci valeat, cùm non fuerit derogatum tali fundationi per Concil. Tridentinum, vt resoluit Barbos. *loco citato, num.* 163. cum Doctoribus ab eo allegatis. Cum quibus docet *num.* 164. quòd Episcopus non potest indulgere alicui, vt ante annum 14. beneficium obtineat: si enim conferret, ante talem ætatem, Episcopus, siue alius Prælatus peccaret mortaliter, & collatio esset nulla.

22. Decimononò, illiterati sunt inhabiles ad beneficia *ex cap. Illiteratus. dist.* 36. *cap. Pœnitentes. dist.* 55. Vnde, si collatio facta fuerit penitùs illiterato, est ipso facto irrita, & inualida, vt dicit Azor. *instit moral. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 6. *q.* 3. cum aliis ab eo citatis, & Nauarr. *de orat. miscell* 33. *num.* 7.

23. Vigesimò, infames beneficium non possunt obtinere, *argumento litera vnica, C. de infamibus, lib.* 12. *cap. Inter dilectos. de excess Prælat. cap. Infamibus. de regul. iur. in* 6.

24. Vigesimoprimò, corpore vitiati, qui insigniter deformati sunt in corpore, tanquàm irregulares beneficia obtinere non possunt. Ita Barbosa *loco cit. n.* 167. cum aliis Doctoribus *ibid.*

25. Vigesimosecundò, periurus, quia infamis est, beneficium consequi non potest, ex eodem Barbosa *loco citato*, & DD. *ibid.* allegatis.

26. Vigesimotertiò, filij, & nepotes offendentium Cardinalem, inhabiles sunt in posterum ad obtinenda beneficia, *ex cap. Felicis vers. Quòd si quis. de pœn. in* 6. & Decian. *in tract. crim. lib.* 7. *cap.* 41. *num.* 32. & Farinac. *in prax. crimin. part.* 5. *num.* 112. Sanchez *in præcept. Decalogi, tom.* 2. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 20.

27 Vigesimo quartò, non dimittentes beneficia incompatibilia, secundùm Extrauagantē Ioannis XXII. quæ incipit: *Execrabilis de prabend.* post priuationem eorum, quæ obtinebant, redduntur inhabiles penitùs ad alia beneficia obtinenda: quod etiam habetur *in Extrauag. Vt quos.de off. Ordin.in comm.*

28 Vigesimoquintò, & vltimò, habens beneficium vnum curatum, non potest aliud curatum, vel aliàs incompatibile obtinere, *ex cap. vnico, §. penult. 10. quast.3.* iure enim naturali prohibetur, ne quis simul plura beneficia habeat, quæ diuino iure assiduam beneficiarij præsentiam expostulant, vt docent Valer. Regnaldus *in prax. lib. 30. num. 277.* Comitolus *respons. moral. lib.1. quast. 73.* Azor. *tom. 2. instit. moral. lib.6.cap. 11. quast 5.* Vnde, si quis Ecclesiam cathedralem, & parochialem, aut ecclesiasticam dignitatem, vel aliam præbendam obtinens accipiat, si quidem authoritate Sedis apostolicæ id egerit, ipso iure vacat prima, *ex cap. Quanto.de transl. Episc.* & *cap. De multa.*vbi D. D. *de prabend.cap. Dudum. de elect. cap. Litteras de conces.prabend. cap. Quia nonnulli. de Cler. non resid. cap. Eam. de atat. & qualit.* Quòd si absque Pontificis authoritate id faciat, amittit vtramque, nulla suffragante consuetudine in contrarium ex Concil.Trid.*sess.7.de reform.cap.2.*

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Monachus sit capax beneficiorum, tam regularium, quàm sacularium; & quid de Canonicis regularibus Congregationis Lateranensis.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia eiusdem Monasterij, vel Ordinis, conferenda sunt Monachis illius Monasterij, & Ordinis; non vero alterius.*

2 *Beneficia Monasterio subiecta pleno iure per solam voluntatem Abbatis, & Pralati, cum consensu Capituli sunt conferenda.*

3 *Beneficia, qua pleno iure Monasterio non sunt subiecta, non possunt per solam voluntatem Abbatis, siue Pralati, etiam cum consensu Conuentus conferri.*

4 *Monachus an possit beneficia sacularia obtinere, & ea pracipuè, qua sunt curata, & n.6.*

5 *Regularis, ad hoc vt possit habere beneficium curatum, attento iure communi non indiget dispensatione.*

7 *Regularis, vt beneficium curatum possit obtinere, requiritur necessitas, siue necessitas Ecclesia; & quod Ecclesia sit actualiter curata, num.8.*

9 *Ecclesia si regatur per saculares cum exclusione Regularium, illi non potest prafigi Regularis.*

10 *Regulares, vt sint capaces beneficij sacularis parochialis, debent habere licentiam sui Superioris.*

11 *Canonici regulares de iure communi absque dispensatione Sedis apostolica, cum sola licentia suorum Superiorum, possunt promoueri ad beneficia sacularia, animarum curam, & regimen habentia: & num.12.*

13 *Canonici regulares, tam de iure communi, quàm de iure nouo, possunt assumi ad beneficia sacularia curata in fauorem cura animarum, cum sola licentia suorum Superiorum.*

1\. IN hac re certum est, Regularem posse beneficium eiusdem Ordinis, vel Monasterij, non autem alterius, nisi ex speciali dispensatione, obtinere. Priorem huius assertionis partem docent communiter Doctores, per illam generalem regulam, beneficia regularia Regularibus conferenda esse. Secunda pars expressè probata est *in antecedenti quasito* per tex. *in cap. Cum singula.9. Prohibemus.de prabend. in 6.* vbi deciditur, beneficia per Monachos alicuius Monasterij administrari consueta, illis tantùm, & non aliis conferri debere: & firmant Rebuff. *in praxi benefic. tit.de dispensat.cum Regular.num 2.& duob.seqq.* Nauarr.*Comment.4.de Regular.num.23.* Syluest.*verb. Religio,6.* Panormit. *in cap. Deus, qui.de vit. & honest. Cleric.*& *cap. Quod Dei timorem.de stat. Monach.* Roderic.*regular quast.tomo 1. quast.34.art.1.* Gonzal. *ad regulam 8 Cancellar.gloss.8.à num.96 vsque 110.* Sanchez *in pracepta Decalogi lib.7.cap 29.num.29.* Suarez *de Relig.tomo.4.tract.8.lib.3.cap.vlt n.4.*

Ideò, si huiusmodi beneficia sint pleno iure tali Monasterio subiecta, per solam voluntatem regularis Prælati, cum Conuentus consensu, potest Religiosus ad ea transferri; nisi secùs per regulares constitutiones habeatur. Quia tunc omninò ad Monasterij Prælatum spectat, de beneficiis huiusmodi prouidere: nam hac ratione dicuntur ad Monasterium pleno iure pertinere: tum, quia persona prouidenda, qui est Regularis, est plenè Monasterij Prælato subiecta: ergo ab illius voluntate pendet quoad beneficij prouisionem, vel receptionem. 2.

Quando verò beneficia non subsunt pleno iure Monasterio, conferri nequeunt Religiosis per solam Prælati regularis voluntatem: quia, si eius voluntas sufficeret, haberet plenum ius in collatione talis beneficij: si ergo plenum ius non habet, ex eo est, quia beneficium subiectum est Episcopo, vel alteri Prælato quoad institutionem, & destitutionem, vt notat Nauar. *comment. 2. de Regular.num. 6. vers. Septimò.* 3.

Quoad beneficia sæcularia dicendum est, Monachos ad ea esse omninò inhabiles, iuxta prædictam iuris regulam, sæcularia beneficia sæcularibus conferenda esse. Hoc tamen non procedit in Ecclesiis parochialibus, vel curatis sæcularibus, quæ possunt Monachis, præsertim aptis Concionatoribus conferri per textum iuncta Gloss. *in verb. cum.in can. In parochia, 6. quast.1.& cap. Quod Dei timorem de stat. Monach.* & ibi Gloss.*verb.regimen.* Panormit.*num 7.& 8.* idem Panormit.*in cap. Super eo. circa sint.de Regular.* & *in cap. fin. num 4.de Cleric.agrot.* Franch.*in cap.Cum de beneficio.num.9.vers.Secundo, intelligo. de prabend. in 6.* Felin.*in cap. In nostra.num.vlt.not.10 de rescript.* Lambertin.*de iure patron.lib.2.part.1.quast.7. art.19. à num.13. vsque in fin.* Nauar. *lib.3. consil in 2. edit. tit.de statu Monach. cons.11. num.5.* & *toto cons. 12.* Azor.*moral.instit. part.1. lib. 12. cap.19. quast.13.* & *part.2. lib.3.cap.2.quast. 8.* Less. *de iust. lib. 2. cap.4. dub. 12. num.98.* & alij quamplures, quos citat Garz. *de benefic. part.7.cap 10.num.17.* & Sanchez *in pracepta Decalogi lib.7. cap. 29. num.35.* Ioannes Andr. *in d. cap. Quod Dei timorem. verbo, Regimen, num. 14.* Hostien. *ibid.num. 8.* & Ancharan.*num. 6.* Abb. *num. 7.* Cardinalis *num.5. quast.2* Federicus *cons.129.* Rochus *de iurep.verbo, Honorificum, q. 4. num. 13.* Bertachinus *tract.de Episc.lib. 2. in princip. quast. 39. num. 72.* Selua *de beneficiis, 3. part q.11. num. 133.* Corrasius *de benef. part. 3. cap. 5. num. 3.* Greg. Lopez *verbo, Ecclesias.* Angelus *verbo, Monachus, num. 3.* Rosella *eodem verbo, num.4.* Tabiena *num. 4. quast.3.* Armilla *num. 5.* Couarruuias *de testamentis, cap. 2. num. 3.* Cucchus *lib. 3. instit maior. tit. 1. num. 154.* Zerola *in praxi episcopali, part. prim. verbo, beneficium.* Graff. *decis. part. 2. lib.3. cap. 20. num. 6.* Roderiq. *qq. regul.tom.3.q.13.art.2.* 4.

Licèt

Licèt tamen sentiant contrarium Innoc. *in d. c. Quod Dei timorem, circa init. de stat. Monach.* Archidiac. *d. cap Cum singula num. 3. vers. Ecclesiis. de prebend. in 6.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de dispensat. cum Regular. num. 5.* Mandos. *de sign. grat. verb. dispens. cum mon. pro obt. benef.* & alij apud Garz. *d. cap. 10. num. 18.* & apud Sanchez *loco citato num. 34.* quibus addo Suarez *de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 3 cap. 19. num. 27.* Cui opinioni fauet textus *in Clem. 1. de elect.* ibi: *Per hoc autem, quin Religiosus in Episcopum sæcularis, vel cuiuslibet regularis Ecclesiæ licitè possit eligi, non intendimus prohibere.* Ergo indicat superiorem prohibitionem extendi ad omnem Ecclesiam sæcularem, sola episcopali excepta. Præterea fauet etiam declaratio quædam Sacræ Congregationis relata à Gonzalez *in reg. 8. Cancell. gloss. 7. num. 53.* & à Sanchez *loco inferius citando*, in qua hæc habentur: *Sanctissimus Dominus Gregorius XIII. noluit, licere Canonicis Regularibus, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu Summi Pontificis, assumere curam animarũ, etiam ad tempus, multóque minùs beneficium curatum ad tempus.*

5. His tamen non obstantibus, dicendum est, attento iure communi, nullam habendam esse dispensationem, vt Regularis possit habere beneficium curatum, etiam sæculare, vt probatum est *ex d. cap. Quod Dei timorem. de stat. Monach.* sicut etiam probant Authores *supra* allati. Et probari potest per antiquos canones, in quibus satis constat, Monachos posse ad Ecclesias parochiales admitti, ex quo prædicationis officium debent exercere. Quod colligitur præsertim *ex cap. In Parochia. 16. q. 1.* vbi Gelasius, Summus Pontifex, iubet. Monachum ad parochiam præsentatum admitti ab Episcopo, nullo facto verbo dispensationis: & ideò ius commune videtur explicare, quòd hoc in fauorem curæ animarum inductum sit. Et Bulla Pauli IV. quæ videbatur prædictum ius commune aliquo modo tollere, redacta est ad terminos iuris communis per Pium IV. sicut probat Mandosius *de signat. grat. verbò, dispensatio Monachorum pro obtinendo benef. vers. penult.*

6. Hoc tamen quod diximus de tali facultate Regularibus concessa in fauorem curæ animarum, limitandum est, vt diximus, nisi specialibus Religionis alicuius statutis hoc interdicatur: Religiosi enim Societatis I E S V, vt refert Sanchez *loco cit. num. 36.* ad nullum beneficium promoueri possunt. Limitatur secundò, quatenus concurrat necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ curatæ sæcularis, cui Regulares sunt præficiẽdi: Gelasius enim Summus Pontifex, vt *supra* diximus, pro tali necessitate iussit, Monachum ad beneficium parochiale admittendum esse ab Episcopo.

7. Sanchez tamen *loco cit. num. 39.* putat, exigi necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ. Ratio est: quia talis cõcessio iuris dimanauit ad fauorem boni animarum, cui prospicere, munus est Monachorum: ergo exigitur saltem vtilitas animarum, vt illarum regimini Regulares præficiantur. Ita habetur *in Gloss. in dict. cap. Quod Dei timorem. verbo, Regimen, de statu Monach.* Rosella *in Sum. verbo, Monachus, num. 4.* Syluester *verbo, Religio, 7. quæst. 3.* Rochus *de iurepatr. verbo, Beneficium, quæst. 4. num. 13.* Rodriq. *qq. Regul. tom 1. q. 34 art. 5.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 12. num. 99.*

8. Limitatur tertiò, dummodo Ecclesia illa, cui Regularis præficitur, sit actualiter curata; non autem solo habitu: hoc enim priuilegium concessum est Regularibus, vt diximus, in fauorem curæ animarum: quod tunc cessaret, nisi esset actualiter curata. Ita affirmant Ancharan. *in d. cap. Quod Dei timorem. n. 11.* & *ibi* Ananias *num. 9.* Sanch *loco cit. num. 41.*

Limitatur quartò, dummodo non sit præscriptio quadragenaria, vt regatur Ecclesia illa per sæculares cum exclusione Regularium. Ita docet Selua *de benef. 3 part. q. 11. num. 133.* Cardinal. *in Clem. 1. in princ. num. 19. q. 21. de suppl. negl. Prælat.* Sanchez *loco citato, num. 42.* qui *num. 43.* dicit, quòd text. *in cap. 1. de Capellis Monachorum*, qui ait, quòd si Monasterium habet populum subiectum, non est exercẽda cura animarum per Monachos; sed per Clericos sæculares, loqui secundùm iura antiqua, & attento statu mero Religiosorum. Similiter idem Sanch. *num. 37.* impugnat iura, & D D. asserentes, Mendicantes incapaces esse, & inidoneos ad curam animarum. 9.

Limitatur quintò, vt Regulares sint capaces beneficij sæcularis parochialis, dummodo priùs obtineant Superioris licentiam, vt habetur *ex cap. Religiosus in principio de election. in 6.* per hæc verba: *Si Religiosus electioni de se ad prælationem aliquam extra suum Monasterium, vel suam Ecclesiam celebratæ, sui Superioris, qui dare ipsam valeat, non petita, & obtenta licentia, præsumpserit consentire, consensus sic præsumptus non teneat, & in pœnam præsumptionis istius electio eadem ipso facto iuribus euacuetur omninò.* 10.

Verùm quoad Canonicos regulares dicendum est, cum Gabriele Pennotto *lib. 2. histor. tripart. Canonic. regul. cap. 72.* nempe, Canonicos regulares de iure communi, absque speciali apostolicæ Sedis dispensatione, Superiorum suorum regularium licentia obtenta, posse ad beneficia sæcularia animarum curam, & regimen annexum habentia promoueri. Quod probatur ex Concilio Tridentino, dum *sess. 14. de reform. cap. 11.* prohibet, Canonicum regularem ad alium Ordinem translatum, ad sæculare beneficium etiam curatum assumi: nam tacitè videtur innuere, non translatum assumi posse: quo fundamento ita tenuit Rota *in vna Papien. iurispatronatus*, die 6. Martij, 1598. coram Card. Seraphino, quam refert Gabr. Pennott. *loco cit. num. 5.* pluribus rationibus hanc assertionem probans. Nec obstat citata declaratio Sacræ Congregationis: quia respondetur, eam quoad Regulares Canonicos nunquam fuisse practicatam: nam D. Carolus Borromæus Canonicum quendam Regularẽ Lateranensem Congregationis, Dom Theophilum Varisium de Triniglio appellatum, ad concursum admisit, eique parochialem Ecclesiam sæcularem contulit anno 1584. & sic triennio post dictũ decretũ, quod fertur emanasse anno 1581. vt patet ex prouisione dictæ Ecclesiæ parochialis in personam d. Canonici Regularis ab eodem D. Carolo factæ, quam verbatim refert Gabr. Pennot. *loco citato, num. 6.* Præterea, contrarium resolutum fuit à Rota *in citata decis.* multò post decretum Patrum: ergo dicendum est, illud non fuisse praxi demandatum, vel promulgatum, ne cogamur dicere, sacram Rotam illud contempsisse, vel ignorasse, contrarium decidendo, quod non est verisimile. Tandem eadem Sacra Congregatio anno 1602. & sic longè post dictum decretum, secus declarauit, his verbis: *Congregatio Concilij censuit, decretis eiusdem Concilij Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, nisi fuerint ex iis translatis, de quibus habetur in d. decreto, cap. 11. sess. 14.* Quam declarationem refert Gabriel Pennot. *d. cap. 72. num. 7. circa med.* qui *numeris seqq.* subdit, idem probabiliter dici posse de aliis beneficiis sæcularibus simplicibus. 11.

Nec obstat id, quod scribit Quarant. *in Sum. Bull. verb. Canonicus Regularis*, hodie nullos Regulares, etiamsi sint Canonici, habere posse sine dispensatione apostolica beneficia curata, nec in perpetuum, nec ad tempus. Et ita in praxi obseruari, vt testatur etiam Gunzal. *in Comment. Regul. Cancell. gloss. 7. num. 31.* 12.

vbi refert, supradictam declarationem Congregat. Sacri Concil. factam de mente S. D. N. Greg. XIII. quia supradictus Quarant loquitur ex attestatione dicti Gonzales *loc. cit.* qui in posteriori editione sui Operis de veritate meliùs edoctus nostram sententiam tenet, & scribit in fauorem Canonicorum Regularium *in dicta gloss. 7. n. 55. vers. Cæterum.*

Ad decretum verò Sacræ Congregationis authoritate S. D. N. Gregorij factum, respondit Pennottus *loc. cit.* nunquam fuisse promulgatum, maximè cùm post tempora Gregorij contrarium obseruatum sit, vt diximus, non solùm ex decreto Sacræ Congr. Concil. Trid. & Rotæ Romanæ; sed etiam tempore Clementis VIII. Summi Pontificis, cùm collata esset quædam Præpositura D. Paulo Tapparello Pedemoniano, Canonico regulari, ante talem collationem quæsitú fuit, an ille esset capax beneficij eiusdem de iure: & decisum fuit, illum fuisse capacem, vt refert Pennot. *loc. cit.* sicut etiam visum fuisse *ibid.* attestator à dicta Sacra Congr. Concilij, non esse contrarium decreto Concil. Trid.

13. Concludendum ergo restat, Regulares in fauorem curæ animarum posse assumi ad beneficia curata, tam de iure communi, quàm nouo; obseruato tamen decreto Concil. Trid. quòd regularia Regularibus, & sæcularia sæcularibus conferantur beneficia, vt *in 2. quæst.* latiùs: & Canonicos Regulares, etiam de iure nouo absolutè sine speciali dispensatione Sedis apostolicæ, cum sola Superiorum licentia, posse beneficia, etiam sæcularia, in titulum obtinere, vt constat ex dictis. Et ad pleniorem huius rei confirmationem ad dam Concilium Domini Vincentij Parentij I. V. D. tenoris, qui sequitur:

CONSILIVM.

NOn mediocri dubitatione ambigitur, an Canonici Regulares Congregationis Lateranensis possint Ecclesiis sæcularibus beneficiatis curam animarum habentibus, Religioni tamen eorum non annexis, post tria vota solemniter emissa præfici. Antequàm ad huius quæstionis resolutionem accedamus, priùs quædam in medium sese offerunt referenda, quæ huic propositioni dubitationem offerre videntur. Et

Primò opponi videtur illud, quòd frequenti iuris prudentum sententia firmatum exitit; valere, nempe, argumentum de Monachis ad Canonicos Regulares & è conuerso, vt, scilicet, quod de illis sancitum, ac determinatum sit, de iis quoque intelligendum esse haud dubio affirmét, *c. Quod Dei timorem.* vbi Glos. & Doct. *de stat. Monach.* idé notat Glos. *in c. Cùm illorum. de sent. excom* Imol. *in Clem. Dispédiosam. col. 2. de iudic.* Barb. *in Clem. 1. col. 9. de elect.* Paul. Lancell. *in suis inst. canon. lib. 1. tit. 30. §. 1.* cum simil. Sed de Monachis statuit Supremus Ecclesiæ Dei Pontifex *in c. Ioannes de regul.* & transit ad Religiosos quòd non possint ad libitum Monasterium in quo primò ingressi sunt, egredi. Cuius rei rationé assignat *ibidem* Abb. *not. 2.* quia Monachi illi Monasterio, in quo ab initio sunt ingressi, obnoxij remanent. Vnde non possunt ad aliud Monasterium, seu ad aliam Religioné transitum facere. Ergo multò fortius censetur eisdem prohibitus transitus ad aliquod beneficium sæculare, etiam curatum, cùm sit penitus diuersum, & separatum à Monasteriis, nullámque habeat communem, & præsertim in essentialibus Religionis cum iis, quæ in Claustris seruatur. Vnde propter argumentum mox excitatum, hæc quoque de Canonicis Regularibus dicenda esse, nemo dubitabit.

Secundò obiici videtur Alex. III. Rom. Pont. responsum, *in c. Super eo. de reg. & trans. ad Relig.* quo in loco sancitum reperitur, vt aliquod Monasterium semel ingressi, cuius professionis habitum susceperint, non possint ampliùs ab eo Monasterio, vel Religione discedere, & in sæcularibus Ecclesiis deseruire: sed sunt omninò, si fortè inde recesserint, compellendi in illamet, vel strictiori Religione Deo famulari: sed & Canonici Regulares professi tales sunt: ergo ad sæcularia beneficia non sunt promouendi: in iis denique deseruire minimè valent.

Tertiò, dubium facit Honorij III. Summi Pontificis decretalis constitutio *in c. Ad audientiam. de Capell. Monach.* quo loco committitur Archiepiscopo Burdegalensi, vt mandet omnibus Abbatibus sibi suppositis, quatenus reuocent omnes Monachos solitariam vitam ducentes in quibusdam Prioratibus Ecclesiarum sæcularium, & in iis ipse Archiepiscopus sæculares Clericos constituat Deo famulaturos: sed si Monachi sæcularibus Ecclesiis deseruientes reuocantur; quantò difficiliùs erunt posteà cæteri ad id munus admittendi; Quandoquidem faciliùs facienda impediuntur, quàm facta reuocantur, *l. Patre furioso. ff. de iis, quæ sunt sui, vel alieni iur.* & turpiùs eiicitur, quàm non admittitur hospes: & apud Ouid *lib. 5 de dist. elig.* & habetur etiam *in c. Quemadmodum de iureiuran.* Ab his præcauendum est, quæ infirmari facillimè, aut reuocari possunt. Nil mirum igitur, si Canonici Regulares ad sacerdotia sæcularia admitti nequeant,

Quartò, refragari videtur illa vulgaris regula, quòd Monachus non habet, neque velle, neque nolle, *c. Si Religiosus. de elect. lib 6.* notat Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. tit. de stat. Monach.* Ias. *in l. Legatum. num. 15. de legat. 1.* cum simil. Sed in acceptatione beneficij consensus, atque voluntas, aut saltem, vt ita dicam, voluntas, aut resistentia acceptantis requiruntur, vt *in d. c. Si Religiosus.* Vbi Religiosi electio *ibidem* ideò annullatur: quia ipse nullo modo poterat suum consensum præstare electioni de se factæ. Ergo & etiam in promotione facienda de Canonico Regulari idem dicendum videtur, cùm & in illo eundem defectum extare manifestè dignoscitur.

Quintò, non modicam difficultatem afferre videtur id, quòd Monachis, & omnibus aliis Religiosis professis dicitur; nempe, quòd nihil proprij habere possunt, *cap. Ioannes.* vbi Abbas *de Regul.* & *cap. Non dicatis* & *c. Nolo. 12. q. 1* notat. Abb. *in cap. Cum. ad Monasterium. de stat. Monach.* & *in c. Ad nostram. de confirm. vtil. vel inutil.* Et quod Monachis, aliisve Religiosis nihil proprium habere liceat, vltra quod eorum Regula cauetur, iisdem à D. Augustino tradita, vt est legere apud eúdem *in sermone de communi vita Clericorum*, & habetur *in d. cap. Nolo.* & *cap. Non dicatis.* fuit iisdem Religiosis à Clemente IV Romano Pontifice, & apud eum *in epistola 4* legitur, & habetur *in cap. Dilectissimus. 12. q. 1.* exemplis Apostolorum præceptum, ne quid omninò proprij haberent. Idem fuit sub graui pœna sancitum in Lateranensi Cócilio, vt habetur *in cap 2. de stat. Monach.* Vbi habentes peculium, nisi fuerit eisdem ab Abbate permissum, dum viui sunt ab Altaris communione arceantur; & mortui non possint inter Fratres sepeliri, nec pro eis oblatio fieri valeat. Rursus Clemens III. Summus Romanæ Ecclesiæ Pontifex *in cap. Super eo. & de stat. Monach.* de quodam Canonico Regulari loquens, qui proprium, quod latenter habebat, resignare voluit; cùm vltimum diem clausisset, & inter Canonicos Regulares sepulturæ traditus fuisset, declarauit, talem Canonicum Regularem non tantum Christiana sepultura priuandum fuisse; sed etiam, si sine scandalo fieri

potuisset

potuisset, dignum ab Ecclesia proiici iudicauit. Et ita in futurum seruari mandauit. Innocentius quoque II. Romanus Pontifex, pius quidem, & eruditus, moribus, atque doctrina maximè perillustris *in d. c. Cum ad Monasterium. de stat. Monach.* optimè sanxit, prohibendo districtè sub diuini iudicij attestatione, ne quis Monachorum proprium aliquid possideat. Et paucis interpositis: *Si proprietas apud quenquam inuenta fuerit in morte ipsa, cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur.* Quod se fecisse *in Dialog.* D. Gregorius narrat. Et rursum post pauca: *Hac astimet Abbas, quòd super proprietate cum aliquo Monacho dispensare possit: quia abdicatio proprietatis, sicuti & custodia castitatis, adeò sunt Regula annexa monachali, vt circa eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Vnde dicitur, quòd votum solenne Religionis indispensabile est, vt *Leuit. cap. vlt.* quod semel est Domino consecratum, non potest in alios vsus commutari. Et *in cap. Semel. de reg. iur. lib. 6.* cum aliis concordantibus. D. quoque Thomas 2. 2. q. 89. votum paupertatis indispẽsabile esse ostendit: & *ibidẽ.* grauius esse cõtendit votum factum, quàm periurium: quandoquidem votum soli Deo fit; & promittitur, Sacramentum Deo, & hominibus præstatur. Sed, si Monachi, & alij Religiosi nihil proprij habere possunt, & quæcunque sæcularia beneficia suos proprios redditus habent, qui huiusmodi beneficiorum titulo præditis conceduntur, sequitur, vt qui ad huiusmodi beneficia admittuntur, sint etiam & proprietatis capaces, quod & Monachis, & Canonicis Regularibus est denegatum: ergo nec eorum regimini præfici possunt.

Sextò, nihil faciunt illa verba in eorum professione apposita, quibus promittunt ij Canonici Regulares, *se non acceptaturos sæcularia beneficia, nisi de licentia Capituli generalis, aut illius vices fungentis*, &c. quia, si talis professio ita qualificata admitteretur, aut isthæc verba aliquid operatentur, sequeretur, quòd etiam professio ad tempus fieri posset, vel sub aliqua conditione, quod esset contra iuris vtriusque dispositionem: siquidem actus legitimus, dubio procul professio est; quippe quæ à lege inuenta & comprobata: & exititit argumentum *l. Legitima ff. de pact.* vbi Gloss. & pariter Gloss. & Doct. *in l. Actus. ff. de reg. iur.* cum simil. sed actus legitimi non recipiunt diem, neque conditionem, *cap. Actus. de reg. iur. lib. 6. d. l. Actus. ff. eod.* Ergo illa conditiu in professione apposita nihil operatur, & pro non apposita habetur, ac si simpliciter facta esset. Alioquin sequeretur, quod quis ad tempus Monachus effici posset: quod tamen non est dicendum, vt notat Bald. *in l. Testamentum. C. de testat.* Franc. *in d. cap. Actus.* Et id saltem procedit emissa professione, vel D. Thomæ testimonio, 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 44. Vnde, cùm quis Religionem ingressus fuerit, & professionem emiserit, ibi perpetuò permanere debet, cùm & perpetuò illi Religioni sit astrictus, vt *suprà* dictum fuit.

Hæc, & his similia fundamenta non equidem aspernenda possent Iudicem ;mouere ad iudicandum pro parte negatiua. Verùm enim verò, re diligentiùs considerata, his non attentis contrarium verius iure existimamus.

Pro inuestigatione veritatis huius quæstionis plures conclusiones sunt prænotandæ. Et primò Sacramentorum administrationem proprium, ac peculiare Clericorum, Sacerdotúmve munus esse; quod iisdem competere Clericatus iure constat. Hoc sic probatur: Christus Saluator noster ipsemet Clericos instituit *cap. Ita Dominus. 19. dist. c. Dominus noster* 93. *dist.* notant Abb. & alij *in cap. Translato. de constit.* cum simil. ipsemet etiam Dominus Iesus Sacramentorum administrationem iisdem Clericis commisit, vt apud Matth. *cap.* 18. ibi: *Quæcunque ligaueritis super terram*, &c. Ioan. *cap.* 2. *Accipite Spiritum Sanctum.* & Marcus cap. vlt. *Euntes docete.* Et sancta, & orthodoxa Ecclesia canit: *Sic Sacrificium Missæ instituit, cuius officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit.* Rursus idem Saluator noster iisdemmet Clericis animarum regimen credidit, vt apud Ioan. *c. vlt.* ter dixit Petro, tanquàm Capiti, ac totius Ecclesiæ Principi: *Pasce oues meas.* & apud Matth. & Marc. cap. vlt. *Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ.* & in Actis Apostolorum, *c.* 6. *Nos verò orationi, ac ministerio verbi Dei instantes erimus.* Notat Gloss. *in cap. Significasti. in verbo, Pane, de elect.* & est textus *in cap: In nono.* 21. *dist.* Est io Emmanuele cum plurib. seqq. *cap.* 24. q. 1. com simil. Non possunt infinita accumulari.

Secundò, hinc infertur, Sacramentorum administrationem, iurisdictionem quandoque importare: quod sic probatur: Sacramenta omnia Ecclesiæ non nisi à proprio Sacerdote administranda sunt, *cap. Omnis vtriusque sexus. de pœniten. & remiss. cap. Interdicimus.* 16. *quæst.* 1. Baptismi tamen Sacramentum, necessitatis tempore adueniente, à quocunque, siue Clerico, siue Laico, siue etiam infideli conferri permittitur, vt latè per Innocentium *in rubrica*, & *cap.* 1. *de Baptis. & eius effectibus.* Sacramentum item pœnitentiæ ex demandata quadam iurisdictione, etiam à Clericis Religiosis, ab Ordinario tamen approbatis, iuxta Concilij Tridentini sacrosancti dispositionem 15 *sess.* 23. ob credentium multitudinem administrari permittitur, vt not. *in d. cap. Omnis vtriusque sexus.* & extant diuersa priuilegia superinde variis Religionibus à plurimis Summis Pontificibus concessa: ex quibus sanè patet Sacramentorum administrationem iunctam esse cum aliqua iurisdictione, siue ordinaria, siue demandata, *cap. Nemuem.* 70. *dist. cap.* 2. & passim 71. *dist.* notat Did. plures allegans *de Sacramento pœnitent. lib.* 1. *variarum resolutionum, cap.* 10. *num.* 11.

Tertiò, propiùs accedendo ad rem dicimus, Canonicos Regulares Congreg. Lateranens. à sua primæua institutione, Clericos esse: quod pluribus, tum rationibus, tum authoritatibus comprobatur. Et primò Aug. *in sermone de communi vita Clericor.* nos Clericos expressè appellat, vt habetur *in d. cap. Nolo.* & *cap. Non dicatis. & cap. Certè.* & passim 12. *quæst.* 1. Idem quoque D. Augustinus ad Aurelianum, vt habetur *in cap. Lego.* 16. *q.* 1. D. item Thomas 2. 2. *quæst.* 18. *ad* 4. de Canonicis Regularibus loquens, quibus, inquit, per se competit, vt sint Clerici Religiosi. Hoc etiam suadetur ratione ex gentili, communive nomine Clericorum, quorum appellatione, tam sæculares, quàm regulares continentur, *d. cap. Nolo*, cum aliis mox allegatis. Idem quoque colligitur ex Terracensi Concilio, prout habetur *in cap. Obseruandum*, 15. *quæst.* 2. vbi cauetur, ne quis Sacerdotum, aut Clericorum, more laicorum postulare audeat. Quem locum Gratianus *ibidem* expendens, de illis, inquit, intelligendum est, quòd canonicam vitam professi regulariter se seruituros proposuerunt. Et *ibidem*, quòd nedum hoc nomen *Clericus*, est ipsis, tum regularibus, tùm sæcularibus indifferenter commune; sed & etiam hoc nomen *Canonicus*, quo indistinctè sacri Canones sæpiùs vtuntur. Hoc patet *in cap. In omnibus.* vbi Gloss. *in verbo, Et Canonici, de consecrat. distinct.* 5. *est in causis. §. nunc ij*, ibi, *ad eos duos, de Canonicis*, & *de elect.* quo in loco Romanus Pontifex de Canonicis Regularibus verba faciens, prout ex illius decretalis

epistolæ titulo constat; eos tamen simpliciter Canonicos appellat. De iisdem Canonicis Regularibus meminere tex. *in c. Causam. de elect. c. Cùm in Ecclesiis. de maior. & obed.* & c. *Præterea. de preben.* cum simil. Insuper hoc nomen, *Canonicus*, commune est omnibus: tam Canonicis sæcularibus, quam regularibus: notat Glos. *in Clem. Dispendiosam, in verbo, beneficij*, & *ibidem* Lanfr. *col. 1. de iudic.* Et hinc infertur, quòd si hi Religiosi sint Canonici, per cõsequens etiã dicẽdum est, eos Clericos esse. Quandoquidem nemo potest esse Canonicus, nisi & priùs sit Clericus. *c. 2.* vbi Doct. not. *de instit.* notat Glos. *in c. cùm M. Ferrariensis, in verb, receperunt, de cõstit.* Abb *in c. Bonæ. 1. col. 1. de postul. Prælat.* Sunt igitur hi Religiosi Canonici, & per necessarium antecedẽs Clerici, vt hactenus dictum fuit. Sed & Regulares passim nuncupantur, quasi quòd secundùm regulam à sanctis Patribus traditam in sortem ministrorum spiritualium sint assumpti. Fuit enim olim ab Apostolis, & sãctis Patribus regula constituta de his, qui sacris ministeriis essent initiandi, & in specie quosdã ab eo ordine remouet Apostolus, vt patet *in epistola eiusdem ad Timotheum, c 3.* Vnde, qui ex prohibitis admittebantur, sacris initiari contra regulam dicebantur: quare & irregulares passim nuncupabãtur, *c. Quoniam. 48. dist. cap. Vnum erariũ. 25. dist.* Canonici igitur olim primùm hi appellati sunt, qui vitam in communi agentes intra domum publicam, aut Ecclesiam Collegium ecclesiasticum, diuini cultus gratia, constituêre, communem mensam habentes, Regulámque Apostolorum à D. Augustino decoratam exactissimè seruantes. Hic etenim vsus in aliquibus Ecclesiis, episcopalem Sedem habentibus frequentatur. In aliis verò Ecclesiis communem vitam omittentes nomen simplex Canonicorum retinuêre. Atque merito iure pontificio, vt ab his priores extinguantur, dicuntur illi Canonici Regulares: hi verò sęculares, *c. Quod Dei timorẽ. c. In singulis. de stat. Monach.* Quo rationis discrimine minimè perpenso Ludouicus Viues *in annotat. ad D. Augustinum, de ciuitate Dei, lib. 3. cap. 15.* Canonicos Regulares nominis ambitione accusare videtur, quasi bis hoc nomine vocari gaudeant, necnon semel putentur Regulares, cùm idem, & Canonici, & Regulares significent: & tamen hac nota liberi omninò sunt existimandi: si quidem ius pontificium nomina isthæc distinctè indixerit, imò geminatio hæc Regularitatis plurimum ornamentum iisdem Religiosis præstare videtur, cùm geminationis potentiæ plurimùm operari contingit, iuxta notata *in l. Balista. ff. ad Trebell.* & *in l. Cùm seruus. cap. de agricul. & cens. lib. 11.* & *in c. Etsi. 750. de iureiur.* notant Felin. & alij *in cap. Si cautio. de fid. instr.* & notat *in Clem. fin. de appell.* Ias. *in l. 1. de offic. eius.* Et ex his apparet, quòd tum ex institutione, tum ex nomine hi Religiosi Clerici nuncupantur.

Sed & ex habitu lineo, quo passim, palámque vtuntur, facillimè eos esse Clericos dignosci potest. Habitus enim lineus proprius est Clericorum, quod sic probatur. Nam Deus Optimus Maximus cùm olim legem dedit Moysi, eidem & sacerdotium tradidit; & inter alia, quæ ad sacerdotum, & spiritualium ministrorum curam pertinent, & illud præcepit, vt Sacerdotes linea veste induerentur, vt habetur *Exod. cap. 29. & cap. 39.* & *Leuit. cap. 6.* ibi: *Vestietur tunica etiam Sacerdos, & femoralibus lineis.* & *Apocal. cap. 7.* de omnibus Sanctis: *Et ambulabunt mecum in albis.* Et rursum *cap. 6.* legitur *equus albus*, vbi Lyran. locum expendens per illum equum Iacobum Apostolum Patriarcham Hierosolymitanum intellexit, qui tunica linea induebatur: quod & D. Hieronymus testatur de illius iure: & subdit *ibidem* Lyran. quòd Apostoli habitu lineo vsi fuère. Et hinc Mahumet Apostolos, *Viros dealbatos* vocabat. Angelos quoque sæpiùs sub tali habitu apparuisse legimus. Et hinc tractum est, quòd vniuersa Ecclesia nihil sacri attentat, nisi cum vestimentis lineis. Vnde & Altari, & alibi, iuxta rei opportunitatem Clerici, & Sacerdotes vestibus lineis induuntur. Hinc etiam videmus, ipsum Supremum Ecclesiæ Pontificem, sanctæque, & orthodoxæ eiusdem Cardinales Episcopos, qui, cùm saltem in publicum prodeunt, lineis vestibus induuntur: facit ad hoc tex. *in c. Clerici officia*, vbi Abb. *de vita & honest. Clericor.* & *ibidem* Host. ac Ioan. Anton. inquiunt, quòd habitus lineus est proprius Canonicorum Regularium. Cardinalis quoque ille Nicænus, Vir alioquin sacratum Litterarum eruditissimus, dicere consueuerat, Canonicos Regulares partem habuisse doctissimum, nempe, Augustinũ, qui acceperat habitum à Deo institutum. Imperatores quoque Romani in triumphis habitu lineo vtebantur. De hoc habitu plura legere est apud Guillel. Durandi in eo tractatu, qui *Rationale diu. offic.* inscribitur, *lib. 3.*

Et hinc corollariè infertur, quòd hi Canonici Regulares habuerunt originem ab Apostolis ipsis, quandoquidem & eo habitu vtuntur, quo & ipsimet Apostoli vtebantur. Quinimò, quòd tales fuerint, vel illustrium Virorum testimonio clarissimo videre licet. Nam Vincentius Historicus lib. 26. cap. 41. *Anno*, inquit, *Christi 90. ordo Canonicorum primum ab Apostolis, postea à Beato Augustino regulariter institutus cœpit florere in Ecclesia S. Quintini.* Quamplurimi quoque sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifices suis decretis, & constitutionibus idem affirmauêre: nam Eugenius IV. in quodam suo decreto de Canonicis Regularibus ita inquit: *Diuinam in terris Familiam Clericorum, qui religiosam vitam ducerent, ad exemplum nascentis Ecclesiæ sanctam institutionem seruarent, quos Canonicos Regulares appellamus.* Et paulò inferiùs hæc adiungit: *Hi sunt, qui primorum Christianæ Religionis Clericorum nomina, traditiones, & instituta sectantur Huius profectò Ordinis sacri, & sancti propositi post sanctos Apostolos Diuus Marcus, Petri discipulus, in Alexandrina Ecclesia fuit institutor, & conditor; & gloriosus Doctor Augustinus Episcopus diuinis regulis decorauit.* Et rursus, paucis interpositis: *Sicque hæc sancta, & Deo placens institutio antiquitùs, vt ab ipsis primordiis obseruata extitit, & sanctam Basilicam prędicti Ordinis Clericos per longa tempora sanctè, & salubriter gubernatam fuisse, certissima scientia, ac veritate comperimus.*

Benedictus quoque Summus Pontifex *in quadam Extrauagãti*, quæ incipit: *Benedictus Seruus Seruorũ Dei.* vbi affirmat Canonicos Regulares *Clericos esse, & originem in primitiua Ecclesia ab Apostolis habuisse.*

Nicolaus V. idem affirmat sua constitutione, cuius initium est: *Ad perpetuam rei memoriam.* Sixtus IV. idem affirmat in sua constitutione, quæ incipit: *Regiminis.*

Paschalis item Summus Pontifex illud idem affirmat, & plures huiusmodi Summorum Pontificum constitutiones extant de hac re disponentes, quæ Rauennæ, Venetiis, Arimini, & aliis in locis custodiuntur, quæ, breuitatis gratia, omittuntur, ex quibus optimè supradicta probantur; hos, nempe, Religiosos à sui primæua institutione Clericos esse, originémque ab Apostolis traxisse. Quamobrem graue nefas, imò sacrilegium esset, contrarium asserere, & tantò magis, cùm in huiusmodi dubitationibus

bus ad Supremum Romanæ Eccleſiæ Pontificem eſt recurrendum, cuius declarationi omninò ſtandum eſt, *c. Litteris.* vbi not. *de reſt. ſpoliat.* & Pontificum decretis non eſſe contradicendum notat Ioan. Andr. *in c. Dilecto. de prabend.* & *in c. Tibi. de reſer. lib. 6.* cum ſimilibus, breuitatis gratia, omiſſis.

Ex his optimè elicitur, quòd ſi hi Canonici Regulares à ſua primæua inſtitutione Clerici ſint, & ab Apoſtolis ordinati, neceſſariò eſt ſubinferendum, quòd hi Canonici, etiam tunc temporis, animarum regimini fuerint præfecti; quod probatur, quia in primitiua Eccleſia vitæ actiuæ magis, quàm contemplatiuæ erat vacandum: quòd patet.

Nam *Actuum cap 6.* habetur, quòd numerus credentium valdè in dies creſcebat: vnde etiam opus erat, quòd huic multitudini præeſſent, qui Sacramenta iiſdem miniſtrarent, & qui in Congregationibus concionarentur, Opus etiam erat, quòd modò huius, modò illius hæreticas opiniones aduersùs nouam, & ſurgentem Eccleſiam graſſantes refellerent. Quare, cùm tunc temporis pauci eſſent Clerici, ſiquidem niſi idonei ad id munus aſſumerentur, vt patet *Actuum cap. 6.* & paſſim; idcircò indubitanter eſt affirmandum, hos Canonicos Regulares animarum regimini fuiſſe tunc præfectos. Quamobrem, cur & hodie iidem ad id munus aſſumi non valeant, non video: ſiquidem res facilè ad ſuum primæuum ſtatum reuertuntur, *c. Ab exordio. 35. diſtinct.* l. *Si vnus. §. Quod & in ſpecie. ff. de pact.* not. Gloſſ. *in c. Licet. Canon. in verbo, Parochiales, de elect. lib 6.* cum ſimil.

Alia quoque non debili ratione ſuadetur, poſſe hodie Canonicos Regulares animarum regimini præfici. Nam Monachi, quòd dubioprocul ſtrictiori Regulæ inſeruiunt; regiminis animarum munere inſigniri poſſunt, nulla etiam præuia diſpenſatione, *c. Quod Dei timorem. de ſtat. Monach.* & Specul. *tit. de diſputat. & alleg § 4. verſ. Et generaliter.* inquit, quòd Gregorius I. Summus Pontifex, qui floruit anno à Chriſto Domino nato 94. ſupra quingenteſimum primus omnium ſtatuit, vt Monachi poſſint ſacris Ordinibus initiari, (nam anteà ſæculares erant,) & præfici Eccleſiis ſæcularibus curatis ob Clericorum defectum. In Conſilio Ferrarienſis Collegij, *in cauſa præcedentia ipſorum Canonicorum Regularium, & Monachorum* edito habetur, quòd Bonifacius IV. ſupremus Eccleſiæ Antiſtes hoc idem ipſis Canonicis conceſſit anno ſalutis octauo ſupra centeſimum ſexcenteſimum. Verùm & quod idem munus Monachis iure communi competat, habemus text. *in c. Doctos.* & paſſim 16. *q. 1.* & tenent omnes Doctores, & præſertim Abbas *in c. 2. & c. Quòd Dei timorem. de ſtat. Monach.* & *in c. fi. de Capel. Monach.* & *in c. Cum olim. not. 8. de praſcript.* & *conſ. 59. lib. 2.* Ioan. Dert. *in tractat. de Epiſcopo, lib. 2. part. 1. quaſt. 39.* Felin. *conſ. 131.* Dec. *in c. Ad noſtram. de confir. vtil vel. inut il.* cum ſimil.

Verùm enim verò, ſi id munus Monachis iure communi competit, quantò magis illud idem Canonicis Regularibus competere iure communi debet: tum, quia Regulæ inſeruiunt laxiori, vt probat text. *in d. c. Quod Dei timorem.* tum, quia à ſui primæua inſtitutione Clerici ſunt: tum etiam, quia ab initio eorum inſtitutionis animarum regimini inſeruiunt, quæ omnia in Monachis deſiderantur, cùm ex tempore facti ſint Clerici, & ad Eccleſiarum ſæcularium regimen ob Clericorum inopiam, ſint admiſſi, vt mox ex Speculatore adnotauimus.

Quamobrem, vt huic conſultationi finem aliquando imponamus, quidve hac in re ſentiendum ſit, non quidem argumentis, & coniecturis; ſed certis, & iuridicis Romanorum Pontificum decretis, ac conſtitutionibus deliberemus; habemus tex. de Canonicis ipſis Regularibus in propriis terminis propoſitæ quæſtionis loquentem, nempe, *in d. c. Quod Dei timorem de ſtat. Monac.* quò loci Innocentius III. Vir equidem eruditiſſimus, pontificio decreto dubitationem iſtam diffiniuit ibi: *Licèt autem in Lateranenſi Concilio de Monachis caueatur, ne ſinguli per villas, & oppida per quaſcunque parochiales ponantur Eccleſias, &c. Et quia tum illud de Canonicis Regularib. ſpecialiter non caueatur, quòd, etſi à ſanctorum Monachorum conſortio non putentur ſeiuncti; Regulæ inſeruiunt laxiori, & per antiquos Canones etiam Monachi poſſunt ad Eccleſiarum parochialiū regimē in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium, quod priuilegiatū eſt, exercere: ſic annuendum duximus poſtulatis, vt plebani officium exercens, ſi commodè fieri poterit, vnum Canonicū Regularem tecum habeas ad cautelam, cuius in his, quæ ſunt Dei, & regularis obſeruantiæ, tam conſortio, quam ſolatio perfruaris.*

Hactenus Innocentius III. Author iſtius textus, & omnes Doctores, tum ibidem, tum alibi, vt inferiùs patebit, hoc idem affirmauêre. Sed dubitarunt aliqui, an iſtæc promotio de Canonico Regulari ad regimen animarum iure communi, an aliqua præuia diſpenſatione fieri debeat. Et iure communi etiam fieri poſſe contendimus: quod ſic probatur. Nam ibi Romanus Pontifex arguit, quòd Monachi per antiquos Canones poſſint ad regimen Eccleſiarum Parochialium in Presbyteros ordinari. Ponderant Abb. & alij Doctores *ibidem* verbum, *poſſunt*, quod ius commune importat. Facit tex. *in c. Faciat.* vbi Gloſſ. 23. *quaſt. 2.* & *in l. Nepos ad fin. ff. de verb ſignific.* notat Innocent. *in c. Paſtoralis. de cauſ. poſſ. & propriet.* Idem tenet Archidiac. *in c. primo*, per illum tex. 6. *diſtinct.* Nam Romanus Pontifex, præficiens Monachum regimini animarum, vſus fuit hoc verbo, *concedimus*: vbi inquit Archidiac. hoc verbum iuris conceſſionem, non diſpenſationem importate. Ioan. Andr. *in d. c. Quod Dei* quem *ibidem* ſequuntur Anchar. Abb. Put. & alij, inquit, quòd Monachus cum licentia ſui Superioris poteſt præfici per Epiſcopum Eccleſiæ parochiali, etiam ſæculari; & non eſt opus, quòd Epiſcopus vtatur verbo diſpenſationis per text. *in c. 2. 58. diſt* & *c. Quadam. 24. diſtinct.* & idem eſſe in Canonicis Regularibus affirmat per tex. *in d. c. Quod Dei.* & *in c. Per tuas. de not.* & ſubdit *ibidem* Ioan. Andr. quòd Abbas cogitur conſentire, vbi Epiſcopus idoneos Clericos non adinueniat. Gloſ. *in d. c. Quod Dei timorem.* dicit, Canonicos Regulares poſſe præfici animarum regimini, vtilitatis gratia, & iure communi abſque diſpenſatione. Brandæ Duguanus *in d. c. Quod Dei* inquit: *Monachi poſſunt aſſumi ad regimen animarum: & multò fortius Canonici Regulares.* Hoc idem tenuit Hoſt. *in Summa, eod tit §. 3 & 4.* vbi inquit, faciliùs Canonicos Regulares poſſe præfici Eccleſiæ ſæculari curatæ.

Idem affirmat text. *in c. In parœcia.* & *in c. Presbyteros. 16. q. 1.* & *in c. Priſcis.* vbi Archid. 55. *diſt.* & *in c. Si quis. 58. diſt.* Abb. *in c. Non eſt. de not.* & *in c. 2. de ſtat. Monach.* & *in c. fin. de Capell. Monach.* cum aliis paulò antè citatis pro Monachis. Idem affirmat Gloſ. *in Clem. 1. de elect.* vbi late Imol. *col. 2. verſ. 2. hoc probat* & *col. 5. in gloſ. in verbo, Monaſteriis,* & *col. 11.* ſuper Gloſ. *in verb. ſæculares*, hoc idem ibi Abbas affirmat, & Barbat. *col. antepenultima, & penultima*, Idem Barbat *in Clem. Et ſi principalis. colum. 7. de reſcript.* Et infinitæ authoritates poſſent accumulari, quæ, breuitatis gratia, omittuntur. Solùm in medium afferam eos, qui hanc eſſe communem opinionem affirmauêre. Nam hanc eſſe communem opinionem dixêre Abb. *in d. c. Quod Dei. quaſt. 70.* & Did. *in c. 2.*

numero 3. *de testament.* Ex his, tum rationibus, tum authoritatibus resoluta præposita dubia remanent. Nunc dubitationes oppositæ tollentur è medio.

Primæ igitur oppositioni hoc pacto respondetur. Fatemur quidem, illud argumentum procedere, & illud pro nobis accepimus, prout etiam facit ipse Summus Pontifex *in d.c. Quod Dei timorem.* dum dicit, posse Monachos secundum Canones antiquos præfici parochialibus Ecclesiis: quare, & multo magis, id licere Canonicis Regularibus *suprà* non semel fuit adnotatum. Sed nec tex. *in dict. c. Ioan.* obstat, quandoquidem ibi Romanus Pontifex prohibet Monachis, quod & de aliis Religiosis intelligere libet, ne temere de vno ad alium Monasterium transeant, ob rationem Abb. *ibidem*: quam *supra* retulimus. Verùm, si iusta, ac rationabilis causa subsit, vt purà, strictior, & sanctior vita: hoc casu transitus licitus est, & passim conceditur, vt maius bonum, *c. Licèt.* vbi omnes Doct. not. de *regul.* quod & D. Thomas non prætermit 2. 2. *quæst.* 189 *artic.* 8. Et idem est, si iusta subsit causa necessitatis, aut vtilitatis: nam potest, tum Monachus, tum Canonicus Regularis præfici Ecclesiæ sæculari curatæ, Religioni non annexæ, prout *superius* abundè, tum rationibus, tum authoritatibus firmatum fuit. Nec obstat dictum Abb. quod, scilicet, obligatus sit illi Monasterio, in quod ab initio ingressus est: quia respondetur, id non haberi in consideratione, propter maius bonum, quod inde sequitur, vt *in d. c. Licet.* vbi propter maiorem vtilitatem permittitur transitus de vna ad aliam strictiorem, ac sanctiorem religionem: quæ quidem ratio tantò magis militat in casu nostro, quantò vita actiua, qua regimini animarum quis intendit, perfectior, ac præstantior est vita contemplatiua simplici, vel D. Thom. testimonio 2.2. *quæst.* 188. *not.* 6. & quantò maius bonum in recto regimine animarum consistit, quam in illa strictiori vita, quæ tantùm assiduè contemplationi incumbit; quandoquidem hæc sibi tantùm; illa, & sibi, & aliis pluribus, & maximè prodest: ergo.

Ad secundam respondetur, nempe, ad tex. *in d. c. Super eo. de Regular.* quòd *ibidem.* loquitur Summus Ecclesiæ Pontifex de illis Religiosis, qui post susceptum habitum professionis vellent illum dimittere, & in Ecclesia deseruire, fortè etiam in habitu clericali sæculari. Vnde huic malo occurrere cupiens Summus Pontifex statuit, vt in illamet, vel alia, saltem laxiori, Religione perseuerent: siquidem professione emissa, iisdem locus pœnitentiæ ampliùs esse non potest. Non dicit tamen ille textus, Monachum professum non posse consequi dignitatem in Ecclesia sæculari curata; quia istud iure fieri potest, vt *superius* probatum fuit, & id Abbatis consensu maximè accedente. Nam, sicut Monachus potest deputari (ex causa tamen) ad alicuius Episcopi, vel Principis e i m sæcul - tis obsequium, vt notat Abb. post Host. *in c. Quanto. de offic. Ordin. not.* 1. & *in c. Ex rescripto. col.* 2. *de iureiur.* à fortiori est dicendum, quòd possit al... i ad obsequium sæcularis Ecclesiæ curatæ. Et arg. iit Dec. *in c. Ad nostram de confir. vtil. vel inutil.* Vnde, si hæc in Monacho procedunt, multò magis in Canonico regulari locum obtinebunt, qui regulæ in...e laxiori dicitur, *d. c. Quod Dei timorem.* & munus regiminis animarum magis proprium, ac peculiare Canonicorum Regularium est, quàm Monachorum, vt *superiùs* demonstratum fuit.

Ad tertiam respondetur, quòd Honorius III. mandat *ibi*, reuocari omnes Monachos solos in Ecclesiis sæcularibus deseruientes, contra ordinationẽ Lateranensis Concilij, quo cauebatur, ne singuli Monachi per villas sæcularibus Ecclesiis præficerentur, *d. c. Monachi.* & *d. c. Quod Dei timorem. de stat. Monach.* Et id elicitur ex eodemmet tex. *in d. c. Ad audientiam.* dum *ibidem* Summus Pontifex statuit, vt Archiepiscopus in illis Ecclesiis, in quibus Monachi soli deseruiunt, eisdem sæculares Clericos præficiat, Monachis reuocatis, vel eisdem Monachis eiusdem Religionis socios adiungat. Vnde Glos. *ibi* affirmat, quòd Monachi possunt sæcularibus Ecclesiis curatis cum socio eiusdẽ ordinis præfici; Canonici verò Regulares possũt assumi ad regimẽ animarum, in sæcularibus Ecclesiis; & non coguntur socium eiusdem Ordinis habere, nisi id commodè fieri possit, *d. c. Quod Dei. timorem.* vbi Abb. *colum.* 3 & Ioan. à Siluagal. *vbi suprà.*

Ad quartam respondetur, quòd quidem illa regula procedit, & in se verissima est. Et ita in terminis consuluit Alex. *cons.* 70. *lib.* 3. qui *ibi* idcircò collationem quandam de certa Ecclesia sæculari Monacho factam nullam esse dixit: quia Superioris consensus defecerat, tanquam Monachus non haberet, neque velle, neque nolle. Verùm Superioris consensu interueniente, omnia feliciter procedunt. Abbas autem id facere recusans, poterit cogi, vt consentiat, vt ex Ioan. Andr. *supra* adnotauimus: quod & sentit Abbas *in d. cap. Quod Dei. col.* 4. *ad fin.* vbi subdit, quòd etiam Abbate omninò reluctante, poterit Superior licentiam præstare.

Ad quintam respondetur, quòd Monachi non possunt habere quicquam proprium, quoties ita gerunt in animo, vt possideant: quia faciunt cõtra Superioris voluntatem, quam eidem celatam tenent: & insuper habent animum deprauatum, nolle, scilicet, illud relinquere, etiam Abbate id iubente. Et de iis loquitur tex. *in d. cap. Ioannes.* cum aliis allegatis. Et ita locum expendens dixit Abb. *ibi* & *in d. cap. Cùm ad Monasterium. col.* 1. Sed quoties Religiosus alicuius peculij administrationem habet, Abbate permittente, quòd & libenter relinquere sit paratus, eodem Abbate mandante, is quicquam proprium habere non dicitur. Facit, quod in simili de seruo dicitur, qui licèt priuilegij administrationem habeat, domino permittente, proprium tamen nihil habere dicitur, *l. Quam tuberonis ff. de pecul.* Innoc. *in cap. Insinuante, qui Cler. vel vouen.* inquit, posse Abbatem concedere Monacho, vt habeat vsumfructum certarum rerum in suas necessitates conuertendum. Idem notat Calder. *cons.* 2. & 3. *de regul. & trans. ad relig.* Bart. quoque *in auth. Ingressi num.* 10 *C. de sacrosanct. Eccles.* hoc idem affirmat. Vnde, si Monachus, & Religiosus in Monasterio existens alienius rei administrationem, Abbate permittente, habere possit; multò magis eidem licitum fore dicendum est, extra Monasterium existente: tum, quia extra Monasterium non habet, qui eum alat, cæteráque necessaria subministret: siquidem hunc Monasterium ampliùs alere, cæteráque necessaria subministrare, præstaréve non tenetur: tum quia (vt inquit Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 9.) qui Altari seruit, cum Altari participat. *cap. Cum secundum. de praben.* Et ex quo Abbas huic Monacho, seu Religioso licentiam concedit beneficia ecclesiastica posse consequi, per consequens etiam eidem concessisse dicitur omnia eisdem beneficiis annexa, & ab eis dependentia, inter quæ & administratio redditūum beneficiorum connumeratur, vt patet; & sic non venit quia contra votum, nec contra substantialia Regulæ, quandoquidem in voto, prout & in iuramento, voluntas Dei, & Superiorum semper dicitur excepta, *cap. Beatus.* vbi Gloss. *not.* 22 *q.* 2. in quocunque voto, & iuramento Dei dispositio est reseruata: quod & idem de Superiore dicendum est, *cap. Venientes. de iureiur.* & *in l. Imperatores. ff. ad municip*

ncip. cum ſimil. & ita etiam de Beatiſſima virgine dicitur, quæ caſtitatis votum emiſerat; ſalua tamen omnipotentis Dei contraria diſpoſitione, *cap. Sufficiat.* & *cap. Beata.* 27. *q.* 2. Magiſt. ſenten. *lib.* 4. *diſt* 30. & *ibidem.* Diuus Thomas *q.* 2. *art.* 1. cum ſimil.

Præterea, quidquid ſuperiùs in hac 5. oppoſitione dictum fuit, procedit ipſo Religioſo in Monaſterio exiſtente: quo caſu non licet Monacho, & Religioſo quicquam, nec ſub nomine proprij, nec peculij habere: plus enim in ſe proprium, quàm peculium continet: nam, qui habet peculium, plenum ius in illa re habere non dicitur: quod tamen ſecùs eſt in eo, qui proprium habere dicitur. Et ita declarat Gerandus Magnus *in tractatu de proprietate Monachorum.* Et ita etiam omnia ea procedere cenſemus, quæ latiùs à Ioanne Gerſon *in tract. contra proprietarios Regulæ Sancti Auguſtini,* dicta fuère. Verùm, quoties Religioſi animarum regimini ſunt præfecti, licèt, dum in Religione, & Monaſterio permanerent, nihil proprij habere poſſent. Et ita expreſsè ſentit Hoſt. *in Summ. d.* 3. *de ſtat. Monach.* vnde ceſſant opiniones.

Ad 6. reſpondetur, quòd licèt Romanus Pontifex *in dict. cap. Actus.* indiſtinctè loquatur de quibuſcunque actibus legitimis, vti non poſſint diem dicere, neque conditionem recipere, tamen illa regula ſolùm procedit, vt adnotarunt ibi Gloſſ. & Doct. & pariter Gloſſ. & Doct. *in d. cap. Actus.* in his, quæ repugnant Eccleſiæ ad certum tempus, quòd Prælati Eccleſiæ debent eſſe perpetui, huiuſmodi conditio reiicitur, & pro non appoſita habetur. Item, ſi matrimonium ad tempus contrahatur, & ſic de aliis ſimilibus, in quibus dies, aut conditio actus repugnet, naturámque actus alterat: in his etenim actibus dies, atque conditio pro non appoſita habentur. At verò vbi conditio, ſeu dies appoſita actum non alterat, nec illius perfectioni repugnat; tunc illius appoſitio non vitiat actum: quinimo, & dies, & conditio in his appoſita ſeruanda eſt, vt patet *tot. tit. de condit. appoſit.* Vnde applicando hæc ad caſum noſtrum dicimus, profeſſionem ſub ea conditione factam valere, & tenere, & omninò ſeruari debere, vt *ſuperius* dictum fuit: alioquin tot Romani Pótifices, Imperatoréſque, ac iuris vtriuſque Interpretes in vacuum de harum conditionum appoſitione locuti fuiſſent, minimèque ipſis Canonicis Regularibus vix conceſſum fuiſſet, vt ſæcularibus beneficiis curatis præfici poſſent, vt latiùs *ſupra* demonſtratum fuit, quibus accedit, quòd ſi iura id permittant in ſimplici profeſſione facta abſque huiuſmodi qualitate de non acceptando beneficia, niſi de voluntate & conſenſu Capituli; quantò magis iſtud procedere debet in caſu noſtro, in quo talis qualitas, & conditio eſt appoſita, quaſi quòd in emiſſione profeſſionis de huiuſmodi ſæcularibus beneficiis quilibet Canonicus Regularis cogitaſſe videatur: & propterea tantò facilius eſt ad ea admittendus, maximè Superiorum conſenſu accedente, quantùm hodie Reipublicæ Chriſtianæ vtilitas, vel maximè ſuadeat. Et ſi vnquam in Eccleſia Dei neceſſaria ouiū cuſtodia fuit, id hodie magnoperè expedit, ob tot, tantáque imminentia pericula: vnde etiam optimis Paſtoribus opus eſt, qui animam ſuam ponant pro ouibus: qui exacta cognitione illas cognoſcant, qui vocent eas nominatim, vel Saluatoris noſtri exemplo, vt apud Ioan. *cap.* 10. & qui aſſiduè in ſua parœcia reſideant, qui gregem cuſtodiant, ne diſpergatur; & ne Dominus clamitet, vt apud Zachar. *cap.* 11. *O paſtor, & idolum, gregem derelinquens.* & Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 85. *art.* 5. neceſſariam eſſe docet Paſtorum præſentiam, propter actus ipſos paſtorales. Quod, tum doctrina, tum exemplis Sanctorum Patrum optimè demonſtrat. Sed & tales debent eſſe Paſtores, qui populum, & bonis moribus, & catholica ſcientia dilucidè inſtruant. Nam & Romanus Pontifex *in d. cap. Quod Dei timorem.* moueri principaliter videtur ad concedendum paſtorale munus ipſis, tum Canonicis Regularibus, tum Monachis, ob prædicationis officium, quod maximè in Eccleſia Dei vtile dignoſcitur, vt quotidie manifeſta exempla demonſtrant. Et propterea, cùm in Canonicis Regularibus tantoperè de Republica Chriſtiana benemeritis nihil horum deſideretur, quàm facillimè ad paſtorale munus in ſæcularibus Eccleſiis ſunt admittendi, nulla etiam præuia diſpenſatione, cùm id eis iure communi competere latiùs *ſupra* demonſtratum fuerit. Et ita ſublatis contrariis optimi iuris eſſe cenſemus, ſalua, &c.

VINCENTIVS PARENTIVS I. V. D

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbas poſſit cogere ſuum Monachum ad acceptandum beneficium eidem ab ipſo Abbate collatum.

SVMMARIVM.

1 *Regulares ratione voti obedientiæ tenentur acceptare beneficia ſibi ab Abbate collata.*
2 *Beneficium, ſi exiguos redditus habeat, adhuc tenetur acceptare Religioſus.*
3 *Religioſus non poteſt cogi ad acceptandum beneficium adeò tenue, quod abſque penuria non ſufficit ad ſuſtentationem.*
4 *Beneficium ſi ſit manuale, & iuſta cauſa Religioſus non acceptaret, poſſet excuſari.*
5 *Abbas non poteſt cogere ſubditum ad acceptandum beneficium ſæculare.*
6 *Regularis non poteſt cogi ad acceptandum beneficium regulare alterius Ordinis, neque eiuſdem, ſed alterius Monaſterij.*

BEneficiorum pleno iure alicui Monaſterio ſubiectorum prouiſio, vt dictum eſt, ad ipſius Monaſterij Abbatem, ſeu Prælatum ſpectat, ipſorúmque adminiſtratio ad eiuſdem Monaſterij regimen, & commodum attinet, arg. *cap. Quorundam. de elect. in* 6. ac propterea eorum receptio comprehenditur ſub materia obedientiæ religioſæ: quia ordinatur ad commune bonum illius Monaſterij: qua de cauſa Regulares non ſolùm poſſunt; verùm etiam tenentur acceptare huiuſmodi beneficia, cùm ratione voti obedientiæ 1. ſint plenè ipſimet Abbati ſubiecti, ac teneantur ei obedire in omnibus, quæ ſunt ſecundùm Regulam, & quæ ad ipſam, & ad Monaſterium ſpectant iuxta D. Thom. 2 2 *quæſt.* 104. *art.* 5. & nos *alibi* docuimus. Quare, ſi Abbas eis præcipiat, tenentur talia beneficia ſuſcipere: quia illud præceptum iuſtum eſt, & intra limites religioſæ obedientiæ. Atque ita Nauar. *Comment.* 4. *de Regular. num.* 23. Roderic. *quæſt. regular. tomo.* 1. *q.* 34 Sanch. *in Decalog. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 51. Suarez *de Relig. tomo.* 4. *tract.* 8. *cap. vlt. num.* 5.

Et hoc procedit, etiamſi beneficium ſit tenue, & 2. exiguos redditus habens: nam obedientia religioſa non fundatur in propria authoritate, aut commodo temporali; ſed in obſequio Religionis. Si tamen 3. beneficium eſſet adeò tenue, vt Religioſus nequiret ex illius fructibus abſque penuria ſuſtentari; non poſſet cogi, vt relinquens Monaſterium, in tali beneficio reſi

residéant. Ratio est: quia nemo cogi potest ad administrandum saltem absque sufficientibus alimentis: ergo in hoc casu, si voluerit Prælatus subditum adstringere ad residendum in Ecclesia, vbi est huiusmodi beneficium, tenebitur ibi eidem necessaria alimenta subministrare. Ita Nauar. & alij *locis cit.* Dixi, *absque penuria*: quia, si id beneficium tot redditus haberet, vt ex iis possit Religio sustentari, victum, & vestitum sufficienter capiendo, licèt non commodè, iuxta loci consuetudinem, ac personæ qualitatem; teneretur illud beneficium acceptare, ac Superioris legitimè præcipientis mandatum adimplere: habenda tamen esset consideratio ad onera consueta, ad quæ d. beneficium tenetur.

4. Posset autem Regularis Prælatus cogere subditum ad acceptandum id beneficium, licèt sit manuale, & ad nutum amouibile; nisi Religiosus iusta causa excusari posset: quia, scilicet, crederetur malitiosè sibi conferri; eò quòd litigiosum est, vt litem terminet, & ea terminata sibi auferatur: non est enim hominum malitiis indulgendum, *l. In fundo. ff. de rei*

5. *vendicat*. Nequiret tamen Prælatus Religiosus ad sæcularia beneficia acceptanda compellere: quia non est ei licitum illa suscipere: nam ad ea, absque dispensatione promoueri non potest, vt *superius* vidimus: tum etiam, quia etsi ex pontificia dispensatione id sibi liceret; tamen non pertinet ad Regulam, nec ad Monasterium suum, ad quæ, & alia ad ea pertinentia tantùm cogi potest, vt diximus.

6. Præterea nequiret Prælatus cogere Monachum ad acceptandum beneficia regularia aliorum Ordinum; imò neque regularia einsdem Ordinis, sed alterius Monasterij: quia id sub grauibus pœnis prohibetur *in cap. Cùm singula §. Prohibemus. de prabend. in 6.* Ita Nauar. Rodcric. & Sanch. *locis cit.*

QVÆSITVM X.

Vtrùm Monachus absque Abbatis licentia possit beneficium, seu dignitatem aliunde sibi collatam acceptare.

SVMMARIVM.

1 *Monachus nequit, absque Abbatis licentia, beneficium, seu dignitatem extra suum Ordinem acceptare.*

2 *Monachus, absque Abbatis licentia, potest à Papa beneficium impetrare, & ad impetrandum ab illo procuratorem constituere.*

3 *Religiosus potest electioni de se ad summum pontificatum factæ consentire.*

4 *Religioso an sufficiat generalis, vel etiam specialis prælati licentia ad consentiendum electioni de se quandocunque faciendæ, vel iam factæ, quam tamen ipse ignoraret.*

5 *Licentia huiusmodi, etiam ab immediato Conuentus Superiore concedi potest.*

6 *Prælatus Conuentus si talem licentiam absque iusta causa denegaret, quid faciendum ostenditur.*

7 *Prælatus an in huiusmodi licentia concedenda teneatur consensum sui Conuentus requirere.*

1. NOn potest Religiosus sub Abbatis potestate constitutus consentire promotioni de se factæ ad Episcopatum, aut aliam dignitatem, vel institutioni ad aliud beneficium extra suum Monasterium, nisi petita, & habita licentia sui Abbatis, aliàs consensus non valeret; imò, si consentiret, non obtenta huiusmodi licentia, electio ipso facto irrita censeretur. Est textus expressus *in cap. Si Religiosus. de elect. in 6.* Cuius ratio est: quia Monachus non habet velle, nec nolle. Quæ ratio optimè probat, idem intelligendum esse de quibuscunque beneficiis, licèt textus loquatur de electione ad prælaturam: quod etiam constat *ex can. 1. dist. 58.* ibi: *Nullus ad ecclesiasticum officium ex Monasterio producatur Monachus, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit Episcopo.* Et ita docent Franch. *in d. cap. Si Religiosus, initio.* Roderic *quæst. regular. tomo. 1. q. 34. art. 5*, Sanch *in præcepta Decalogi lib. 7. cap. 29. num. 57.*

Potest tamen Monachus absque Abbatis licentia à Papa beneficium impetrare, quia Papa est supremus Religiosorum Prælatus; & ad impetrandum ab illo procuratorem constituere: quia, quod potest per se, potest & per alium, *reg. Potest quis. de reg. iur. 1. 76* Ita Nicol Milis *in suo Repertor verb. Religiosus, §. Religiosus non potest consentire electioni.* 2.

Potest etiam Religiosus electioni de se ad summum pontificatum factæ, sine licentia Prælati consentire: quia contra electum à duabus partibus Cardinalium nihil, præter hæresim, opponi potest. *c. Licet. de elect.* neque attenditur, quòd Religiosus fingatur mortuus, & non habeat velle, aut nolle: quia in hoc casu prævalet veritas, & purus consensus. Ita Cardin. post Petr. de Anchar *in Clem. fin. in 2 quæst. in 6. de elect. & in d. cap. Licèt n. 12. q. 28.* quos refert, & sequitur Felin. *in c. cum I & A. in fine, de sent. & re iud.* Syluest *verb. Votum, 3. q. 4.* Sanch *d. cap 29 num 58.* & alij apud ipsum, contra Gloss. *in can. Quam sit. verb. Ad ordinandum. 18. q. 2.* Panormit. *in cap. fin. num. 3. de voto.* Ioan Andr. Franc. Dominic & alios apud. Sanch. *ibid.* 3.

Non sufficit, quòd Superior Regularis concedat generalē licentiam Religioso consentiendi electioni, vel prouisioni de se quādocūque faciendæ: quia huiusmodi licentia viam ambitioni parat. *Clem. final. de elect.* Sicut nec etiam sufficit, si concedat licentiam specialem, vel si exprimatur locus; putà, quòd consentire possit, si eligatur, vel præsentetur ad talem Prælaturam, vel Ecclesiam fortè vacaturam: quia etiam ibi subest eadem ratio ambitionis, quæ Religiosorum oculos excæcat, *cap. Quorundam. de elect. in 6.* Ita Gloss. *in d. Clem. finali, verb. Si quam.* vbi etiam Panormit. *num. 4* Card *q. 10. num. 13.* & alij apud Sanch. *loco cit. num. 60.* Idem dicendum est, si Religiosus iam electus esset, & talem electionem de se factam ignoraret, & Superior ei concederet licentiam consentiendi electioni de se iam factæ, huiusmodi enim licentia non valeret: quia super certo danda est. Facit text. *in cap. 1. vers. Subinnectimus etiam. in fine, de concess. præbend. lib. 6.* Sufficit tamen licentia Superioris ad certam dignitatem, vel beneficium in certa Ecclesia acceptandum eum conditione, si iam Religiosus ad illud electus esset. Ita docent Gloss. *dict. Clement. vlt. verb. Nullam.* & *ibi* Panormit. *num. vlt.* Card. *q. 11. num. 14.* Bonifac. *num. 22.* & alij apud Sanchez *loco cit. num. 61.* 4.

Huiusmodi licentiam immediatus Conuentus Superior impertiri potest: quia tex. *in d. cap. Si Religiosus.* exigit licentiam illius Superioris, cuius imperio Religiosus se subiecit: at Religiosus per professionem etiam immediato Monasterij Prælato se subiecit: ergo, nisi secùs ex Religionis constitutionibus habeatur, poterit etiam huiusmodi Superior hanc facultatem tradere. Ita Ioannes Andr. *in d. cap. Si Religiosus. n. 2.* Franch *ibid. n. 1. notab. 3.* citans Archidiac. *in cap. 1. de testament. lib. 6* Petrus de Anchar. Dominic. Cardinal. & alij apud Sanch *d. cap. 29. num. 65.* qui probat, id procedere quoad omnes Religiosos, tam non Mendicantes, quàm Mendicantes. 5.

Quòd

Quòd ſi immediatus Conuentus Prælatus, talem licentiam, abſque iuſta cauſa denegaret; Eccleſiæ, ad quam Religioſus eligitur, vel præſentatur, vtilitate, ſiue neceſſitate concurrente, per ſuum Superiorem Prælatum ad illam concedendam compelli poterit: quòd ſi adhue nolit, poterit idem Superior eam dare. Ita docent Panormit. *in cap. Quod Dei timorem. n.* 12. *de ſtatu Monach.* Lambertin. *de iurepatronat. lib.* 2. *part.* 1. *q.* 7. *art.* 18. *n.* 13. Rochus de Curte *eod. tract. verb. Honorificum. q.* 4. *n.* 23. Sylueſt. *verb. Religio,* 7. *q* 9 Roderic. *q. regul. tom.* 1. *q.* 34. *art.* 5. Leonard. Leſſ. *de iuſt. lib.* 6. *cap.* 41. *dub.* 12. *n.* 97. Sanchez aliis relatis *d. cap.* 29. *num.* 68. *& ſeq.*

7. Eſt autem notandum, in huiuſmodi licentia à Prælato validè præſtanda non eſſe neceſſarium Conuentum conſulere, & ipſius conſenſum habere; quamuis ſit ex grauioribus Monaſterij negotiis: & hoc, vt ordinationes Eccleſiarum, & Monaſteriorum, in quibus tales electi fuère, celeriùs, faciliúſque valeant expediri, vt expreſsè habetur *in d. cap. Si Religioſus.* §. *Quia verò.*

QVÆSITVM XI.

Vtrùm Abbas, & Prælati Regulares poſſint regularia beneficia Nouitiis conferre.

SVMMARIVM.

1 *Nouitio an poſſit conferri regulare, an ſæculare.*
2 *Beneficium regulare conferri poteſt nondum profeſſis ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere velint, & teneantur.*

1. IVxta ſententiam Gloſſ. *in cap. Beneficium, verb. conferendum, de Regularibus, in* 6. Nouitio poteſt regulare beneficium conferri; non autem ſæculare: eius enim ſtatus dubius eſt, & ſtatu dubius ad militiam promoueri non poteſt, *l. Qui ſtatus. ff. de re milit.* Contrariũ tamẽ omninò tenet *ibidem* Gemin. & Frãc. *n.* 1. *in fine:* necnon Paulus, & Lapus, quos refert ipſe Franch. dicentes, poſſe Nouitio ſæculare beneficium conferri, non autem regulare: quia, cùm Nouitius adhuc ſit ſui iuris, & proprium habere poſſe non prohibeatur, erit per cõſequens capax beneficij ſæcularis, quod ſibi collatum acceptare valet, ſuum aſſenſum prȩſtando, vt tenent Paulus, Lapus, & Franch. allegati, Tiraquell. *de retract. lignag. gloſſ.* 8. §. 1. *num.* 37. Azor. & Garzias *inferiùs* citãdi. Regulare autem beneficium non poteſt ei conferri: quia expreſsè profeſſo dari debet, iuxta diſpoſitionem *cap. Nullus. de elect. in* 6. *Clem. prima, de ſupplen. neglig. Prælat.* & *Clement.* 1. §. *Sanè.* 2. *de ſtat. Monach.* Idem ſentiunt Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 3. *quæſt.* 1. Nicol. Garz. *de benefic. part.* 7.
2. *cap.* 10. *num.* 4. Verùm ex diſpoſitione Concilij Tridentini *ſeſſ.* 14. *de reformat. cap.* 10. poteſt regulare beneficium conferri nondum profeſſis, imò etiam ſæcularibus, qui nondum habitum ſuſcepère, dummodo habitũ omninò ſuſcipere, & profeſſionẽ emittere teneantur. Verba eius decreti hæc ſunt: *Regularia beneficia in titulum Regularibus profeſſis prouideri conſueta, cùm per obitum, aut reſignatione, vel aliàs illa in titulum obtinentes vacare contigerit; Religioſis tantùm illius Ordinis, vel iis, qui habitum omninò ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & non aliis, ne veſtem lino, lanâque contextam induant, conferatur.* Quare Sacra Cõgregatio cenſuit, poſſe prædicta regularia beneficia ſæcularibus Clericis per ordinarios collatores, inconſulto Papa, conferri; dummodo habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere omninò teneantur, vt refert Gonzal. *in reg.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 8. *num.* 78. Hoc autem intelligi debet, vt talia beneficia conferantur, facta conuentione, vt beneficiarij illi intra certum tempus ad Religionem tranſire teneantur: ſicut etiam beneficia curata habent eam tacitam conditionem, quando dantur non Sacerdotibus, vt intra annum ad ſacerdotium promoueri teneantur, *cap. Licèt canon. de elect. in* 6. Ideò conferri non poſſunt iis, qui ſolius voti ratione tenentur ingredi Religionem, & in ea perſeuerare: nam hæc obligatio ex voto procedens ſolum Deum reſpicit, non autem forum externum: quod Concilium petere videtur. Ita Sanch. *lib.* 7. *in Decalog. cap.* 4. *num.* 24.

QVÆSITVM XII.

Cui acquirat Monachus de fructibus beneficij ſibi ab Abbate collati.

SVMMARIVM.

1 *Monachus de fructibus ſui beneficij, quicquid acquirit, ſuæ Eccleſiæ, non Monaſterio acquirit, Declara, vt num.* 2.
3 *Monachus beneficiarius, cui acquirat bona, quæ aliunde, quam ex beneficij fructibus, ſibi proueniunt.*

HAnc quæſtionem fuſiùs tractant Doctores, & 1.
præcipuè Nauar. *comment.* 2. *de Regular. num.* 6. Leſſ. *de iuſt. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. Suarez *de Relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 19. *à num.* 7. & alij, qui omnes diſtinguunt, quod aut Monachus, vel alius Regularis acquirit de bonis ſibi prouenientibus reſpectu Eccleſiæ, de qua prouiſus eſt, aut aliunde. Primo modo dicendum erit, Monachum acquirere ſuæ Eccleſiæ, non Monaſterio. Ita Barr. *in l. Si ſeruus communis. num.* 6 *ff. de ſtipulat. ſeru.* Nauar. *vbi ſuprà*, qui hoc confirmat *ex Clem. vnic. de ſupplen. neglig. Prælat.* vbi prohibetur Prælatis Regularibus, ne huiuſmodi beneficia menſis ſuis applicent, nouáſque penſiones imponant, aut veteres augeant, nec eorum vacantium bona occupare poſſint In quibus ſupponitur, ea, quæ ex fructibus talium beneficiorum acquiruntur, ad Monaſterium non ſpectare; aliàs poſſet Prælatus penſionem non ſuper eis imponere, imò ſibi, aut ſuo Monaſterio reſeruare omnia, quæ ipſi beneficiario in ſuo munere neceſſaria non eſſent.

Hoc autem intelligendum eſt de beneficiis, quæ 2.
non ſunt de menſa ipſorum Prælatorum, ſeu ipſorum Monaſteriorum, vt expreſsè declaratur *in dicta Clem. vnica*: quia, ſi eſſent ſic Monaſteriis vnita ex ſpeciali Sedis apoſtolicæ indultu; tunc id non procederet: vnde nec ob mortem prouiſi vacare dicerentur per tex. *in cap. vnico. verſ. Quidam etiam. de exceſſ. Prælat. in* 6. quia Monaſterium, ad quod tales fructus ſpectant, nunquam moritur. Quo caſu beneficiarius non dicitur acquirere, ſed tribuere Monaſterio, quod ſuum eſt, ex ſpeciali applicatione ei facta. Sed, quamuis beneficia pleno iure ad Monaſterium, ſeu ad eius Abbatem ſpectarent; tamen eorum redditus, & prouentus menſæ abbatiali, ſiue Monaſterio applicari non eſſent; tunc Monachus beneficiarius ſuæ Eccleſiæ, non Monaſterio acquireret, vt clarè patet *in dicta Clem.* & affirmat Suar. *loco citat. n.* 9.

Quo verò ad bona aliunde per dictum Monachum beneficiarium acquiſita, diſtinguendum eſt: nam, aut

Monachus obtinet beneficium, cuius bonorum vniuersitas, siue corpus ab Ecclesia diuisum est; & tunc omnia, quæ acquirit Monachus ille, acquirit Ecclesiæ: vel beneficium non habebit corpus bonorum separatum; & tunc, quæ acquirit ex beneficio, debentur beneficio; quæ verò aliunde, Monasterio. Ita Nauar. *com. 4. de Regular. num. 69.* hoc modo conciliáns opinionem Bart. *dict. l. Seruus communis. ff. de stipulat. seru.* dicentis, Monachum beneficiarium, ea, quæ ex beneficio comparat, acquirere ipsi beneficio; ea, quæ aliunde, Monasterio; cum opinione Panormit. & Canonistarum communiter *in cap. In præsentia, de probat.* dicentium, acquiri beneficio, & nihil Monasterio.

QVÆSITVM XIII.

Vtrùm in beneficiis regularibus habeat locum regula reseruationis mensium apostolicorum

SVMMARIVM.

1 *Arguitur pro parte affirmante.*
2 *Beneficia manualia, tam regularia, quàm sæcularia non cadunt sub regula reseruationis mensium apostolicorum.*
3 *Beneficiorum naturam mutare non intendit Papa, quando id non exprimit.*

1. Videtur dicendum, quòd sic. Nam in prædicta Regula reseruationis mensium apostolicorum Pontifex sibi reseruat collationem alternatiuam beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, & sine cura, sæcularium, & quorumuis Ordinum Regularium, quomodolibet spectantium ad collationem, prouisionem, præsentationem, electionem; & quamuis aliam dispositionem quorumcunque collatorum, ac collatricum sæcularium quorumuis Ordinis Regularium: ergo videtur, quòd quæcunque regularia beneficia sub prædicta reseruatione cadant.

2. Contrarium tamen, his non obstantibus, dicendum est, nempe, quòd sub reseruationibus etiam generalibus, ac regula prædicta non veniant, beneficia manualia, seu ad nutum amouibilia, siue sæcularia, siue regularia illa sint; sed tantùm beneficia perpetua. Papa enim reseruando sibi beneficiorum collationem,
3. videtur intelligere de collatione, quæ fit perpetuò: nec intendit mutare naturam beneficiorum, cùm non exprimat. ita docent Gald. *de præbend. cons. 26. num. vnic.* Felin. *in cap. Per tuas. num 4. de maior. & obed.* Cassad. *decis. 4. num. 1. de præbend.* Rebuff. *in regul. 2. Cancell. verbo, ac dignitates conuentuales, in fine.* Flam. Paris. *de resignat. benefic. lib. 11. quæst. 3. num. 82. & seq.* & *num 95.* Gomez *in reg. Cancellar. tit. de grat. expectat n 94.* Staphileus *de liter. grat tract. de form. expect. in 9. forma, num. 29.* Sanch. *in Decalog. lib. 7. cap. 29. num. 106.* Et ita fuisse decisum *in vna Parmen. Prioratus*, 5. Iunij, 1593. coram Corduba, refert. Garz. *de benefic. part. 5. cap. 1. num. 510.* Nec obstat, quòd in d. regula exprimantur beneficia regularia: ea enim, quamuis ex sui natura sint manualia; tamen aliquando sunt perpetua, vt aiunt Cassad. *d. decis. 4. n. 3.* & Achill. *decis. 272. seu 9. de præbend.* Mandos. *reg. 3. Cancell. q. 10.* vbi plures alios refert. Flamin Paris. *dict. n 82. cum sequen.* Augostin. Barbosa *de potest. Episcop. parte 3. alleg. 57. num. 153.* & sic constat, quòd Abbates Regulares possunt beneficia manualia ad eorum nutum quandocunque conferre.

Præterea id expressè probatur ex infrascripta decisione sacræ Rotæ *in vna Foroliuien. Parochialis*, facta die 15. Maij, 1626. coram Buratto, ad fauorem nostræ Congregationis Vallumbrosæ, quam hic referre libuit.

R. P. D. BVRATTO.

FOROLIVIENSIS PAROchialis, Veneris, 15 May, 1626.

Concurrentibus ad parochialem, de qua agitur, per obitum Vngarelli de mense Octobris, 1623. Oliuerio prouiso Apostolico, tanquàm de reseruato ratione mensis, & Remigio Monacho Vallisumbrosæ ad eiusdem curam deputato per Abbatem S. Mercurialis. Post disputationem super manutentione 14. Martij, 1625. in qua Rota mandauit, apposito sequestro, videri de bono iure. Proposui hoc dubium, & Domini dixerunt, constare de bono iure Remigij.

Moti, quia visum fuit, Ecclesiam S Antonij, & sic dictam parochialem esse de mensa Monasterij S. Matiæ de Flomana, vniti Monasterio S. Mercurialis; & ideò cessare reseruationem Reg. octauæ; sed etiam in mense reseruato Monasterio competere præsentationem, & Episcopo institutionem, iuxta constitutionem fel. rec. Pij V. *ad cap. 1. de Capell. Monach.* Gonzal. *super reg. de mensa. gloss. §. 3. n. 59.* & Rota *in Vlisbon. iuris conferendi*, coram Litta, *quæ est decisio 202. par. 1. in recent. & in alia Vlisbonen.* relata per Gonzal. *vbi suprà*, & *in Iacen. Vicaria* coram me, *quæ est 704. par. 2. recen.*

Esse autem de mensa, probatur ex instrumento antiquissimo permutationis anni 1237. inito inter Episcopum Foroliuiensem, cum consensu Capituli, & Abbatem Monasterij de Flumana cum consensu Monachorum, in quo Abbas dedit Episcopo Ecclesiam S. Petri in Arcu, & recepit ab eo Ecclesiam S. Antonij cum clausulis amplissimis translatiuis iurium, ibi: *Cum pleno iure, cum decimis, possessionibus, iuribus, tam temporalibus, quàm spiritualibus, dictæ Ecclesiæ competentibus, ad instituendum, destituendum, & quidquid in perpetuum placuerit, faciendum*: & quòd *licitum sit, ponere, confirmare, instituere, & destituere*, & quòd *Episcopo licitum nō sit, habere institutionem, correctionem, visitationem, seu examinationem*, & omnia iura temporalia, & spiritualia Episcopus Abbati concessit, nullum ius reseruãdo, quod ad legem diœcesanam iurisdictionis, & Ordinis pertinere possit, &c. Per quas clausulas dubitari non potest, Ecclesiam S. Antonij pleno iure spectare ad Monasterium de Flumana. Gloss. *in Clem. 1. in ver. Ad mensam. de exces. Prælat.* ibi Imol. Anchar. vterque *n. 16.* Vitalin. *n. 10.* Zabarell. *n.* & notant omnes *in cap. de Monachis, de Præbend.* Rota *in Vrgellen. Parochialis de Osseya*, 17. *Nouemb.* 1603. coram Card. Pamphilio, *& in dicta Iacen. Vicaria* coram me.

Effectuatio autem dictæ permutationis visa fuit Dominis indubitata. Primò, ex eo, quòd Monachi de Flomana accesserunt ad habitandum Ecclesiam S. Antonij, per quem accessum dicitur capta possessio. Afflict. *decis. 267. n. 1. & 2. in principio.*

Et licèt translatio Monachorum fuerit per sententiam anni 1255. declarata nulla, vti sequuta sine authoritate Præsidentis Vallisvmbrosæ; tamen ista ratio non tollit effectuationem permutationis, & quòd non accesserint, & habitauerint, tanquàm in Ecclesia propria, vt *suprà* acquisita.

Secundò, ex deputationibus in ea factis per Abbatem

tem pro tempore. Primò, de Monachis; nempe, Don Benigno 16. Octobris 1500. & deinde Don Paulo per renuntiationem Don Benigni *in Summario*, *n*. 3. quæ cùm sint antiquissimæ, etiam sine effectuatione releuant, vt dicitur de antiquis locationibus, quæ probant possessionem. Aym. *conf*. 54. *num*. 11. cum aliis adductis per Menoch. *de retinen. remed*. 3. *num*. 54. & faciunt allegata *in Lancianen. Archipresb*. 2. Maij, 1616. coram me. Secundò, de Clericis sæcularibus, vt ex quatuor deputationibus, nempe, 22. Ianuarij, & 24. Februarij 1564. 8. Ianuarij, & 11. Aprilis, 1584 quæ durauit vsque ad præsentem. *In summario*, *num*. 4.

Et licèt non constet de deputationibus medio tempore ab anno 1565. vsque ad annum 1584. illæ tamen præsumuntur, probatis extremis, & non docto de contrario statu. Rota *decis*. 545. *num*. 1. *part*. 1. *diuers*. cum aliis adductis *in dicta Lancianen*. & *Ianuen. Abbatia*, 13. Iunij, 1625. coram me.

Tertiò probatur etiam effectuatio ex Decreto, & Declaratione Episcopi 12. Aprilis, 1584. dictam Ecclesiam S. Antonij esse de iuribus Abbatiæ S. Mercurialis, & collationem spectare ad Abbatem, & collationem ab eo factam in personam Vngarelli fuisse nullam, remittendo eundem ad Abbatem, vt ab eo collationem, & possessionem legitimè reciperet, prout præuia renuntiatione collationis Episcopi, collationem, & possessionem solenniter cum interuentu, etiam Monachorum, recepit, *vt in Summario*, *dicto num*. 4. & vsque ad obitum continuauit.

Ex quibus, vbi etiam dubitari posset de fide instrumenti dictæ permutationis ex eo, quòd non constet de validitate primi transumpti anni 1274. à quo dicitur sumptum anni 1449. ad instantiam recol. mem. R. P. D. Ludouici de Ludouisiis Bononien. tunc Rotæ Romanæ Auditoris, & Vicarij Prosperi Card. Columnæ, Commendatarij Monasterij de Flumana, cùm tamen simus in antiquissimis, adhuc ex dicta obseruantia ei fides daretur. Cyn. *inter conf. Bald*, *conf*. 400. *n*. 5. *lib*. 4. Bald. *conf*. 101. *num*. 4. *lib*. 1. *&* 274. *lib*. 2. Fab. de Anan. *conf*. 88. Mastrill. *decis*. 43. *num*. 6. Rota *in Anconitana de Fanello*, 21. Maij, 1618. coram bon. mem. Vbaldo, *& in Foroliuien. census*, 14. *Iunij*, 1613. & *in Bentucentana Domus*, 28. Aprilis, 1617. coram me.

Non obstat, quòd D. Remigius dictam parochialem, vti vacantem, obtinuerit in titulum perpetui Rectoris: quia debet intelligi de vacatione de facto, non autem de iure, vt confessio præiudicet minùs quàm fieri possit. *l. Si quis intentione. de iudic*. & in beneficialibus datur multiplicatio titulorum. Cassad. *decis*. 5. *num*. 5. *super Reg*. & fuit dictum *in Ianuen. Abbatiæ*, 3. Iunij, 1625. coram me. & ex superuenienti titulo mutatur caussa possessionis cumulatiuè, non tamen extinctiuè.

Denique non obstat, quòd Vngarellus obtinuerit de dicta Ecclesia prouisionem apostolicam: quia illa non immutat statum beneficij, vt post Calderin. *conf*. 26. *de preben*. Seraph. *decis*. 299. *num*. 5. & 1273. *num*. 2. Rota *decis*. 545. *num*. 3. *part*. 1. *diuers*. *& in Sorana Beneficij*, 9. Nouembris, 1622. coram R. P. D. Merlino.

Nec etiam ex eo, quòd fuerit in dicta Ecclesia deputatus Vicarius, seu Rector sæcularis, dici potest status illius mutatus: quia etiam sæculares eligi possunt in Ecclesia mensæ abbatialis, vt in hac causa dixit Sacra Congregatio Concil. 12. Aprilis, 1625. & fuit dictum *in Callian. Vnionis*, 29. Maij præterit. coram me.

Et ita decisum vtraque parte informante.

QVÆSITVM XIV.

Vtrùm Abbas possit ad libitum remouere à Monacho Prioratum manualem, vel aliud beneficium ei ab ipso Abbate, vel alio Superiore collatum. 7.

SVMMARIVM.

1 *Abbas potest ad libitum Priorem manualem, & Monachum beneficiarium, à Prioratu seu beneficio remouere.*
2. *Beneficia sæcularia, quæ perpetua sunt, possunt etiam legitima de causa auferri.*
3 *Beneficium licèt ab Abbate collatum suo Monacho per totum suæ vitæ tempus, potest illo priuari.*
4 *Dominus seruo obligari non potest.*
5 *Abbas si Monacho beneficium contulerit cum conditione irreuocabilitatis, etiam iuramento firmata, an possit illud auferre.*
6 *Beneficium manuale an possit per Abbatem auferri à Monacho, si memoria non adesset quod aliquis Superior benef[i]cium præfatum Regulari collatum nunquam reuoca[u]it.*
7 *Beneficium an possit au[fe]rri à Monacho, si ei collatum fuerit ab Abbate simul cum Conuentu, cum conditione, vt talis collatio non possit reuocari.*
8 *Monachus inuari non potest in pacifica possessione sui beneficij.*
9 *Monachus spoliatus à suo Abbate beneficio, non potest contra Abbatem de possessorio agere, petendo se ad pristinam possessionem restitui, & num.* 10. *Quid, si de malitia Abbatis spoliaretur.*
11 *Abbates, & Prælati Regulares non possunt pro suo libito amouere Monachum à beneficio electiuo, absque legitima causa.*
12 *Beneficium regulare habens parochiam, an possit ab Abbate pro suo libito auferri à Monacho parocho.*
13 *Monachus si præficiatur beneficio, tanquam Clericus sæcularis, non vt Monachus; tunc non potest reuocari à suo Abbate.*
14 *Beneficium de sui natura perpetuum, non potest ad nutum Abbatis auferri à Monacho beneficiario.*

Abbas potest ad libitum, & absque vlla causa, Priorem manualem, & administratorem, seu beneficiatum Monachum à suo Prioratu, administratione, vel beneficio remouere, per textum *in c. Cum ad Monasterium. de stat. Monach*. ibi *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda*. At, quod non potest absque legitima causa auferri, dicitur omninò perpetuum: sæcularia enim beneficia, quæ perpetua sunt, possunt etiam legitima de causa auferri. Probatur etiam *ex Clem vnic*. §. *Præmissa de supplen. neglig. Prælat*. ibi: *Liberè possunt ad Claustrum, cùm oportuerit, reuocari* Non potest autem quid liberè fieri, cùm causa legitima necessaria est. Atque ita docent Gloss. *in Clem*. 2. *verb*. *Per electionem. de rescript*. Federic. de Sen. *consil*. 134. *per tot*. Panormit. *in c. fin. num* 6. *de precar*. Felin. *in cap Per tuas num*. 4. *de maiorit. & obed*. Nauar. *Comment*. 4. *de Regular. n*. 22. *vers*. *Ex quibus facilè*. & *num*. 25. *vers*. 4. Less. *de iust. lib*. 2. *cap*. 41 *dub*. 12. *num*. 98. Azor. *moral. instit. parte* 1. *lib*. 12. *cap*. 9. *q*. 8. & *cap*. 22. *q*. 10. Sanch. *in Decalog. lib*. 7. *cap*. 29. *num*. 111. 1. 2.

Ampliatur dicta conclusio, primò, vt procedat, licèt Abbas talem Prioratum, administrationem, vel beneficium Religioso contulisset, explicans, vt eo per totum vitæ suæ tempus fruatur, vel promittens, se illud nunquam reuocaturum: quia, sicut dominus 3. 4.

seruo obligari non potest, *l. Interpositas, ff. de transact.* ita nec Abbas suo Monacho: tum etiam, quia huiusmodi promissio tanquam contraria iuri communi, disponenti, nihil concedendum esse Monacho, quod ad Superioris nutum reuocari nequeat, *d. cap. Cum ad Monasterium.* est omninò irrita. Sic Archidiac. *in can. Cum pastoris. num. 5. 2. quæst. 7.* Ioan. Andr. *in cap. fin. num. 1. in fine, & num. 2. de offic. Ordin. lib. 6.* vbi etiam Franch. *num. 3.* Federic. de Sen. *d. consil. 134. num. 1. & consil. 259. num. 2.* Panormit. *in cap. Cum inter se. num. 2. de elect. & in cap. Ad nostram. n. 9. de confirmat. vtili, vel inut. & d. cap. Cum ad Monasterium. num. 11. & 12.* Syluest. *verb. Abbas num. 65. q. 3. dict. 7.* Azor. *instit. moral. part. 1. lib. 12. cap. 9. q. 8.* & alij, quos refert, & sequitur Sanch. *eo cap. 29. num. 125.*

5. Secundò ampliatur, etiamsi Abbas huiusmodi promissionem iuramento firmasset. Panormit. *vbi proximè, num. 10.* Rebuff. *de pacificis possessor. num. 274.* incideret tamen hoc casu in periurium reuocando absque iusta causa: quia, licet peccauerit, promittendo contra iuris dispositionem; non tamen peccat, non reuocando posteà concessionem: quia nullo iure iubetur reuocare, & sic obligat iuramentum, iuxta regulam vulgarem, quoties impleri potest absque dispendio salutis æternæ. Ita Sanchez *loco cit. num. 126.*

6. Tertiò ampliatur, vt possit Abbas auferre à Monacho beneficium manuale, quamuis non esset memoria hominum in contrarium, quòd Superior beneficium illud regulari collatum nunquam reuocasit: quia vel Superior nunquam reuocauit; quia noluit: & ob id non potest dici inducta consuetudo: nam ex actibus meræ facultatis, seu ex non vsu nun habente in se actum tacitum dispositioni iuris contrarium, non inducitur consuetudo, vt notatur *in cap. Ioannes. de Cleric. coniugat.* Vel Superior voluit remouere, & ob possidentis potentiam non potuit: & hoc casu nequit dici inducta consuetudo, cùm sit contra votum obedientiæ. Ita Panormit. *d. cap. Ad nostram. num. penult.* vbi etiam Dec. *num 6. vers. Vltimò Abbas concludit.* Rebuff. *de pacific. possess. numero, 335.* Sanchez, *d. cap. 29. num. 117.* Rota *decis. 778. part. 1. diuersor.*

7. Quartò ampliatur, vt procedat, etiamsi Abbas cum Conuentu statuerit, vt ea beneficij collatio Monachis facta reuocari nequeat, absque consensu Conuentus, vel etiam cum illo: quo statuto non obstante poterit Abbas beneficiarium ad sui libitum remouere: quia id statutum fieri non potuit in præiudicium Abbatis successoris, neque ipsemet Abbas potuit sibi legem imponere, à qua non sit ei integrum recedere. Ita Panormit. *in cap. Cum ad Monasterium. num. 11. de statu Monachor.* Rebuff. *vbi proximè, num. 278.* Syluest. *verb. Abbas, q. 4. num. 7. vers. Et tertio.* Roderic. *quæst. regular. tom. 3. q. 23. art. 9.* Sanchez *d. cap. 29. n. 127.* etiamsi id statutum iureiurando confirmatum sit: quia nihilominus reuocatio tenet, licèt reuocans incidat in periurium. Ioan. And. *in cap. Non est obligatorium. in fine, de reg. iur. in 6.* Panormit. Roderic. & alij *proximè* adducti. Nisi tamen id statutum authoritate Superioris confirmatum sit: quia tunc Abbas nequiret beneficium reuocare; sed id spectabit ad Superiorem, à quo statutum confirmatum est: quia Superior confirmando manum apposuit, ac videtur id sibi reseruare voluisse.

8. Ex prædictis colligitur Monachum iuuari non posse pacifica possessione triennali talis beneficij, ne molestari possit, *iuxta regulam Cancellariæ, de triennali:* quia ea est talium beneficiorum natura, vt possint ad Superioris nutum auferri. Ita Rebuff. *de pacific. possessor. numero 274.* Sanchez *dist. d. cap. 29. num. 114.*

Colligitur secundò, Religiosum huiusmodi beneficiis ab Abbate, absque iusta causa spoliatum, nõ posse contra illum de possessorio agere, petendo sed ad pristinam possessionem restitui: quia Abbas spoliando vsus est iure suo, & ideò nullam ei fecit iniuriam. Ita Bald. *in l. Cùm affirmes. C. de liberali causa.* quem refert, & sequitur Felin. *in c. Per tuas. sub n. 4. ver. Merito dixit Bald. de maiorit. & obed.* Rebuff. *vbi proximè.* Nauar. *comment. 2. de Regular. num. 65. vers. Addo octauo, & lib. 3. consil. in 2. edit. tit. de stat. Monach. cons. 14. n. 12.* Azor. *instit. moral. part. 1. lib. 12. c. 1... 9.* Sanch. *d. c. 29. n. 115.* 9.

Si tamen Abbas reuocaret ex malitia, vt ratione mali animi, & odij; vt quia ... accusatus ab eo, vel ad eius instantiam inquisitus ... posset quidem Regularis beneficiarius reuocatus officium Superioris implorare, ne remoueatur. quia præsumitur id efficere animo vlciscendi, vt & malo. Ita Innocent. *in cap. Insinuante. qui Cleric. vel voue...* & *in cap. final. n. 3. de offic. Ordin. lib. 6* & *ibi* Io ... Andr. Dominic. & Franc. Rebuff. *loco cit. n. 275.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 41. dub. 12. n. 98.* Nauar. Azor. & Sanchez *locis proximè cit.* Potest tamen Religiosus conqueri de tertio, si eum spoliauit, petendo se restitui. Ita Baldus, Felin. Rebuff. Nauar. Azor. Sanchez, *vbi supra.* 10.

His ita determinatis, multa sunt cauenda. Primò, quòd Abbates, & Prælati Regulares non possint pro suo libito amouere Monachum à beneficio e... absque legitima causa, cùm huiusmodi beneficia perpetua sint, *ex cap. 2. Ad fidem de stat. Monac...* ...d etiam docent Cassadorus *decis. 4. num. 3. de præbendis,* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 3 c. 26 q. 15.* ... *Clementina vnic. §. Præmissa. num. 4. de supplenda neglig. Prælat.* Anastasius Germonius *de indultis ... ardin. §. Regularia benef. num. 51.* 11.

Secundò, si beneficium regulare habet Parochiam, tunc Monachus, qui ei præficitur, non potest ad nutum Abbatis amoueri, cùm constitutus iam sit Monachus in tali Parochia, vt beneficiarius authoritate, & consensu Episcopi, cuius est animarum curam committere, & pro illa ministros idoneos deputare. Colligitur *ex cap. de Monachis. 16. q. 1.* Ita Cardinal. *d. Clement. vnic. præmissa, num. 4. & ibid.* Ancharan. *num. 13.* Federic. de Senis *cons. 134 num. 1.* Felin. *cap. Per tuas. num. 4. de maiorit. & obed.* Hoc tamen negat Azor. *loc. cit. cap. 21. q. 10.* Ad quos Doctores conciliandos, Sanchez *lib. 7. in præcept. Decal. cap. ... num. 120.* dicit, si beneficium curatum subsit pleno iure Monasterio, tunc poterit Monachus ille reuocari ad nutum Abbatis: secùs, si Monasterio non subsit pleno iure, cùm in priori casu nullatenus necessaria sit authoritas Episcopi. 12

Tertiò, si Monachus præficeretur beneficio, ... quam Clericus sæcularis, non vt Monachus ... contingit, si præficeretur Ecclesiæ curatæ sæculari, vel beneficio simplici sæculari, ex le... ima... spentione, tunc reuocari non posset ab Abbate, vt dicunt Rebuff. *de pacificis possess. num. 275.* & Abb. *i... c. 2. num. 3. de stat. Monach.* Nauar. *Comm. 2. ... Regul. num. 65. versic. Addo 2.* 1...

Quartò, si beneficium sit de sui natura pe...etuum, tunc non potest Regularis, qui tali benefici... præfectus est, ad nutum Abbatis amoueri: quia collat... ...idetur facta secundùm naturam, & q... ...tatem beneficij. Ita docent Rebuff. *loc. cit. num 2...* vbi refert in Gallia ferè omnia beneficia regularia esse huiusmodi. Idem docet Sanchez *loco citat. num. 122.* cum Doctoribus ab eo allegatis. 14.

QVÆ...

QVÆSITVM XV.

Vtrum Abbas possit remouere à Monacho beneficium manuale ei à Papa collatum; vel ab ipso Abbate collatum, & à Papa confirmatum.

SVMMARIVM.

1 *Abbas quo casu possit à Monacho Prioratum manualem ei à Papa collatum auferre.*

2 *Papa quando beneficium manuale ab Abbate collatum ex certa scientia alicui Monacho confirmet, non potest Abbas illud Monacho absque ipsius Papæ licentia auferre.*

3 *Monachus, si crimen aliquod priuatione dignum committat, poterit priuari beneficio, non obstante confirmatione Papæ.*

4 *Beneficium manuale per Papæ collationem, aut confirmationem non mutat naturam suam; sed mortuo possidente poterit ad Superioris nutum conferri, & reuocari.*

1. AD priorem huius quæsiti partem, respondeo distinguendo, quòd vel Summus Pontifex contulit Monacho huiusmodi Prioratum, vel beneficium, potestate ad ipsum deuoluta, ob Abbatis negligentiam: & tunc non alteratur natura beneficij, sed sicut ante Papæ collationem poterat Abbas ad suum libitum illũ remouere; ita etiam post ipsam collationem: nam non præsumimus Summum Pontificem hoc casu mutare voluisse naturam beneficij, vt colligitur ex textu *in Clem. vnica, de supplen. neglig. Prælat.* Quia nec plus, nec aliter confert supplens negligentiam, quàm negligens debebat conferre, cùm non tanquàm principalis; sed tanquàm ipsius subrogatus conferat. Ita Gloss. *in d. Clem. vnic. verb. Reuocari.* Panormit. *in c. Ad nostrã n. 7. de confirm. vtil. vel inut.* Felin. *in c. Per tuas, sub n. 3. vers. Pro ista differentia. & n. 4. de maior. & obed.* Philipp. Franch. *in c. fin. n. 3. de offic. Ordin. in 6.* Nicol. Milis *in reperter. verb. Beneficium, n. 16. vers. Beneficium manuale.* Selua *de benefic. part. 3. q. 69. n. vlt.* & alij plures apud Sanch. *in Decalog. lib. 7. c. 29. n. 133.* contra Decium *in d. c. Ad nostram: in noua edit. n. 16.*

Vel Summus Pontifex contulit, cessante omni negligentia Abbatis; & rursus, aut talem Prioratum, vel beneficium contulit Monacho expressè, vt debeat, quoad vixerit, possidere, & tunc nõ poterit Abbas eum remouere, iuxta textum *in c. Cum inter, ff. de elect.* vbi Innocent. *in princ.* & Panor. *n. 2.* idem Panor. *d. c. Ad nostram, n. 7.* Felin. *in c. Constitutus, n. 1. de rescript.* & *d. c. Per tuas, n. 3. in fine.* Rebuff. *de pacif. possessor. n. 181.*

Vel contulit simpliciter: & tunc poterit ab Abbate ad suum nutum amoueri, sicut potuisset, si ipsemet illum contulisset. Ratio est: quia, cùm Papa concurrat in collatione beneficiorum cum omnibus Ordinariis, *c. 2. de præben. lib. 6.* simpliciter conferendo; non videtur beneficij naturam alterare voluisse, & regulare manuale, seu ad nutum amouibile facere perpetuum, *arg. d. c. Ad nostram*: & *c. Porrecta, de confirmat. vtil. vel inutil.* Si verò non simpliciter, sed ex certa scientia illud contulisset, nequiret Abbas reuocare: quia tũc Summus Pontifex censetur manũ apponere, volens, id negotium sibi reseruari. Atque ita distinguentes hanc sententiam tuentur Federic. de Sen. *consil. 88.* Archidiac. *in can. Si Monachus, 16. q. 1. n. 2.* Felin. *vbi proximè.* Rebuff. *loc. cit. n. 279. & seqq.* Nauar. *comment. 2. de Reg. n. 6. vers. Septimo.* Azor. *part. 2. instit. moral. lib. 12. c. 22. q. 10.* Sanch. *c. 29. n. 136.* & alij apud ipsum.

2 Ad secundam quæsiti partem, quando Abbas beneficium manuale contulit alicui Monacho, qui deinde eius confirmationem à Summo Pontifice obtinuit; respondeo dicendo, quòd si Papa tale beneficiũ ex certa scientia confirmauit, quamuis illud fuisset ad nutum Abbatis amouibile, tamen non poterit Monachus ab eo, absque ipsius Summi Pontificis licentia, remoueri: sed, sicut priùs erat Abbatis obedientiarius; posteà vigore confirmationis efficitur obedientiarius Papæ, ad notata per Innocent. *in c. Nisi, de præben. & in d. c. Cum inter R. de elect.* quem dixit communiter receptum Nauar. *Comment. 2. de Regular. sub n. 65. vers. Addo octauo, ad finem.* Panormit. *in c. Porrecta, n. 4. de confirmat. vtili. vel inut.* & *in c. Ad nostram, n. 6. eod. tit.* Felin. *vbi proximè.* Selua *de benefic. p. 3. q. 68. num. 1.* Rebuff. *de pacific. possessor. n. 279.* Azor. *d. lib. 12. c. 22. q. 10. & parte 2. lib. 8. c. 7. q. 11.* Roderic. *qq. regul. tom. 1. q. 34. art. 2.* & alij apud Sanch. *d. c. 29. n. 140.* Quod est intelligendum, quoad confirmationem tantum, nempe, vt non possit ad libitum remoueri; & vt nemo, nisi Summus Pontifex, possit de iure confirmationis, seu de viribus ipsius confirmationis cognoscere; in reliquis autem omnibus remanebit Abbati, sicuti anteà, subiectus: & ita renuntiatio, & permutatio illius beneficij, ipsius Abbatis authoritate fieri debet. Ita Panormit. *proximè alleg. in vtroque loc.* Rebuff. *d. tract. de pacific. possessor. n. 282.* Sanch. *eo cap. 29. n. 142.*

Si verò huiusmodi Religiosus crimen aliquod priuatione dignum committat, licet beneficium sit ei in perpetuum à Papa collatum, vel ex certa scientia confirmatum; poterit nihilominùs ab Abbate illo priuari: quia per eam Papæ collationem, aut confirmationem, solùm quoad præterita inferiorum Prælatorum manus ligatæ sunt, ne de viribus illius collationis, aut cõfirmationis cognoscere possint; secùs respectu criminis de nouo superuenientis: quia confirmatio, seu priuilegiũ non extenditur ad non cogitata; tum etiam, quia aliàs collatio, seu confirmatio illa tribueret exemptionem ab Ordinariis, quod est absurdum. Ita docent Panor. *in c. 1. n. 8. & 10. de confirmat. vtil. vel inutil.* & *in d. c. Porrecta, n. 4.* & *c. Ad nostram, n. 6. eod. tit.* Felin. *d. c. Per tuas, n. 4. in princip. de maior. & obed.* Bald. *c. Illud, n. 2. de maiorit. & obed.* Dec. *in c. Cum accessissent, in noua edit. n. 47. de const.* Sanch. *d. c. 29. n. 139.* & alij apud ipsum. 3.

Notandum autem, quòd, licet beneficium regulare manuale per talem Summi Pontificis collationem, aut confirmationem fiat perpetuum; non exinde dicitur omninò mutasse naturam suam; sed obeunte illo, cui collatum, vel confirmatum est, redibit ad naturã suam: & sic deinceps poterit ad Superioris nutum auferri. Ita Anton. *in d. c. Porrecta, n. 2. de confirmat. util.* Lapus *allegat. 9. n. 4.* Felin. *in c. In nostra, n. 45. notab. 9. de rescript.* Selua *de benefic. part. 3. q. 11. n. 151.* Rebuff. *de pacific. possessor. n. 279.* Sanch. *eod. cap. 29. n. 141.*

QVÆSITVM XVI.

Abbate negligente in conferendo beneficia sua Abbatia, ad quem deuoluatur eorum collatio.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum deuolutio, quibus de causis inducta sit.*

2 *Beneficiorũ prouisio intra quod tempus facienda sit.*

3 *Abbas, si est immediatè Papæ subiectus, prouisio beneficiorum ad ipsum spectantium ad Papam, vel ad eius Legatum de latere deuoluitur.*

4 *Abbatum ex negligentia haud immediatè Papæ subiectorum, ad quem fiat deuolutio.*

5 *Patronus tam regularis, quam secularis, si neglexerit præsentare intra tempus sibi præfixum, tunc ius conferendi deuoluitur ad instituentem, tanquam ad proprium Superiorem.*

6 *Menses quot reseruentur ad conferenda beneficia.*

7 *Prælato inferiore negligente in conferendo, ad quẽ deuoluatur potestas conferendi sua beneficia?*

8 *Tempus præfixum sex mensium quando currere incipiat.*
9 *Potestas conferendi beneficia amittitur per priuationem, per quam perditur ius conferendi, vel ad tempus, vel in perpetuum.*
10 *Beneficij collatio facta à negligente collatore, post elapsum tempus nulla est.*

1. PRo intelligentia huius quæsiti cauendum est, potestatem conferendi beneficia, amitti solere duobus casibus, nimirum, per deuolutionem, & priuationem. Deuolutio pluribus de causis inuenta est, nempe, ne Ecclesiæ diu maneant in suspenso, *cap 2. de concess. preben.* quia id valde dispendiosum, & damnosum esset Ecclesiis *cap. Quàm sit, de elect. in 6.* tum propter publicam vtilitatem, ne iura ecclesiastica in incerto sint, & pereant, *argum. l. 1. ff de vsucap.* Aduertat igitur Abbas, vt intra tempus à iure statutum beneficia ad eius collationem spectantia conferat: aliter enim ius de illis prouidendi ad Superiores deuoluetur. Rebuff.
2. *in prax. beneficiorum, t. p. tit. de deuolut. n. 7.* Tempus autem à iure statutum intelligitur tempus sex mensium, intra quod prouidere habent de beneficiis vacantibus ij, ad quos pertinet prouisio, seu collatio, vt *d. cap. 2. de concess. preben. & cap. Licèt, de supplen. neglig. Prælat. & Clem. 1. eod. tit.* & quòd semestre habet locum in omnibus beneficiis, tam constitutis in Ecclesiis sæcularibus, quam regularibus, tenent Innoc. Ioan. Andr. & Abb *in c. Ne pro defectu, de elect.* idem Abbas *in d. c. 2.* Rebuff. *d. tit. de deuol. n. 4.* quod idem tempus regulariter currit pro quibuslibet beneficiis, & aliis dignitatibus inferioribus. Idem Rebuff. *d. n. 4.* Restat videndum, ad quos Superiores fiat huiusmodi
3. deuolutio. Vnde decimus, quòd si Abbas, & Prælatus est immediatè Papæ subiectus, beneficiorum collatio, quæ ad ipsum pertinebat, deuoluitur ad Sedem apostolicam, vel ad Legatum de latere, per *cap. Licet, c. Sicut, de supplen. neglig. Prælat.* Rebuff. *d. tit. de deuolut. n 36. vers. Nonò* Selu. *de benef. p. 3. q. 49. n. 4.* Panormit *in c. Graue, n. 6. & 7. de offic. Ordin. & in c. 2. de concess. preb.* Ratio est: quia proximus Superior talium exemptorum est Papa, *c. Nulla, dist. 49.* Ioan. de Selua *vbi suprà.*
4. Ex negligentia verò Abbatum Regularium inferiorum, ad Episcopum, & Ordinarium fit deuolutio, qui apostolica authoritate confert, *c. Cùm singula, de preben. in 6. d. Clem vnic. de supplen. neglig. Præl.* Rebuff. *d tit. de deuolut n. 39.* Doct. *in d. c. 2. de concess. preben.*
5. Si verò patronus, tam regularis, quàm sæcularis, neglexerit præsentare intra tempus sibi præfixum; tunc conferendi ius ad instituentem, tanquàm ad proximum Superiorem deuoluetur, ex *c. 3. & cap. Propter de iurepatron.* Quòd etiam docent Rebuffus *in prax. benef. tit. de deuolut. n. 54.* Gregorius Lopez *l. 9. gloss. 1. tit. 16. part. 1.* Azor. *instit. moral. tom. 2 lib. 6. c. 27. q 5.* qui obseruant, hoc idem esse tenẽdum, etiamsi instituẽs fuerit inferior Episcopo, & cui ex aliquo titulo spectauerit potestas instituendi: quod adeò verùm est, vt procedat etiam in Prælatis inferioribus Episcopo, licèt sint Regulares: illis enim negligentibus fit deuolutio ad insti-
6. tuentem, vt colligitur ex Gloss. *verbo, Distinctionem, in Clem. vnica, de supplend. negl. Prælat.* quam sequuntur Cardinal. *ibidem, n. 5.* & Imola *n. 33.* Facta sic prædicta deuolutione ad instituentem ex negligentia patroni non præsentantis, instituenti reseruantur ad conferendum sex menses à die deuolutionis, & notitiæ, etiamsi patronus esset laicus, cui tantùm quatuor menses competerent ad præsentandum, vt habetur *in cap. 1. de iurepatr. lib. 6.* quod etiam affirmat Azorius *loco cit. cap. 27. quæst. 11.*
7. Vbi verò Prælatus inferior Episcopo, ratione suæ iurisdictionis episcopalis, sibi legitimè acquisitæ ius conferendi habuerit, eo negligente potestas conferendi deuoluetur ad Episcopum, tanquàm ad proximum Superiorẽ, vt probatur *ex d. Clem. vnica, de suppl. negl. Prælat.* & ex Azor. *loc cit. cap. 27. q. 4.* & Rebuff. *d. tit. de deuol. n. 25.* & nullo modo deuoluetur ad Capitulum, Sede vacante, vt notat Panormit. *in c. Cùm olim. n. 2. de maiorit. & obed.* & Ioan. Monach. *cap. 17. n. 93.*

Hoc etiam procedit in collatoribus, etiam Regularibus, quorũ potestas, etiã ex negligentia in beneficiis conferendis, ad Episcopũ deuoluitur, qui conferre poterit, tanquam Ordinarius, si illi exempti nõ fuerint: si verò fuerint exempti, ad eundem Episcopum spectat, tanquam Sedis apostolicæ delegatus. Sed hoc inferiùs limitatur. Ita Affirmãt Reb. *d. tit. de deuol. n. 37.* Azor. *loco cit. c. 27. q. 4.* Zerola *in prax Episc. part. 1. verb. Beneficia, vers. Ad tertium.* qui intelligunt de Episcopo illius loci, vbi existunt beneficia; licèt in aliena diœcesi moretur collatores.

Verùm hoc intelligendum erit, nisi Abbas, & Prælatus regularis alteri Prælato intra Religionem immediatè subiiciatur: quia tunc ad illũ deuoluetur talis collatio. Card. *d. Clem. vnic. q. 3. arg.* Gloss. *super verbo, Alia, in Clem. Attendentes. de stat. Monach.* Erasm. Coch. *de iurisd. Ordin in exempt. 4 q. 30. n. 8.* Barbos. *de offic. & potest. Episcopi, parte 3. alleg. 58 n. 13. in fine.* Et quòd deuolutio habeat etiam locum in beneficiis regularibus, quæ sunt manualia, & ad nutum amouibilia, probatur *in dicta Clem. vnic. de supplen. neglig. Præl.* & *ibi* Gloss. *§. Præmissa. verbo, Reuocari,* & Cardinalis *n. 4* Garz. *de benef. parte 10. c. 3. n. 46.* Notandũ tamẽ, quòd inferior, re integra, poterit morã purgare, & prouidere de huiusmodi beneficiis manualibus: quia sunt 8
ad eius nutũ amouibilia, vt ait idem Garz. *n. 47.* Tẽpus præfixum sex mensium incipit currere à die certæ scientiæ, & notitiæ, vel à die, quo scire debuit Collator, *cap. Quia diuersitatem. de concess. preben. c. vnico, de iurepatr. in 6. cap. Licèt. de supplen. neglig. Prælat.* & *ibi* Innoc. & Abbas, & alij. Azor. *instit moral. part. 2. lib 6. c. 26. q. 10.* quia, vbi non est scientia, nõ potest esse negligentia. Gloss. & Doctor. *in cap. Si Clericus de preb. in 6. & in cap. Si pluribus. ibid.* Roch de Curte *in tract. de iurepatr. in verb. Honorificũ, q. 27.* Reb. *loc. cit. n. 10.*

Amittitur etiam potestas conferendi beneficia, vt 9
præmisimus in principio quæsiti, per priuationem, per quam perditur ius conferendi, aut ad tẽpus, vel in perpetuum. Si primo modo, amittitur ius conferendi in illis casibus, quibus collator à beneficiorum collatione suspẽditur, *ex c. Postulatis. de Cler. excomm. ministr. de prebend.* quod parum seruatur per se, & simpliciter, vt à sola collatione beneficiorum ille suspẽdatur; sed, aut pro præsenti facienda collatione tantum ea potestate priuatur in pœnam, veluti si elegerit indignũ scienter: quo casu fit deuolutio, aut cũ maiori excõmunicatione ligatur. & etiã in hoc casu, durante excõmunicatione, ab huiusmodi collatione suspẽsus est. Ita docet Barbos. *de iure eccl. l. 3. c. 13. n. 119.* Si secũdo modo perditur, collator ab ea dignitate deponitur, cui annexũ est ius conferendi, siue cùm eius beneficia fiant Summo Pontifici, vel alteri reseruata. Ita docet Barbos. *loco cit.*

Ex his constat, quòd collatio facta à negligente 10
collatore, post elapsum tempus nulla est, quamuis deuolutio posteà contingat, nec per superuenientem deuolutionem conualescit, nisi denuò fiat, vt habetur *in c. Ex part. vers. Nos igitur. de concess. preb.* & per Felinum *in c. Cum ex officij. n. 37. de præsc.* Azor. *loc. cit. c. 27. q. 6.* quod procedit, etiamsi is, qui iure deuoluto à se putato contulit, haberet potestatem ad conferendũ iure ordinario: quod enim potuit, noluit; quod voluit, adimplere nequiuit, *c Cùm super de off. deleg. l. Multum interest. vers. Si verò. C. Si quis alteri.* & Rebuff. *d. tit. de deuol. num. 52.*

QVÆ

QVÆSITVM XVII.

Vtrum Abbas excommunicatus poſſit beneficia conferre.

SVMMARIVM.

1. *Abbas excommunicatus vitandus, neque licitè, neque validè beneficia conferre poteſt.*
2. *Excommunicatus vitandus eſt priuatus vſu iuriſdictionis.*
3. *Beneficiorum collatio ſpectat ad poteſtatem iuriſdictionis.*
4. *Beneficiorum collatio facta ab Abbate excommunicato tolerato valida eſt.*

1. ABbas excommunicatus vitandus, neque licitè, neque validè poteſt beneficia conferre, *cap. 1. in princ. Ne Sede vacante. in 6. cap. Tanta. de exceſſib. Prelat.* Facit *cap. Quia diuerſitatem. de conceſſ. preben.*
2. Ratio eſt: quia excommunicatus vitandus, ſeu non toleratus, eſt priuatus vſu iuriſdictionis: nam Eccleſia eo ipſo, quòd huiuſmodi excommunicatum non tolerat, ipſum propriæ iuriſdictionis vſu priuat, *cap. Ad probandum. de re iudic. cap. fin. de Cleric. excom. miniſtr. cap. Audiuimus 24. quæſt.* 1. Idem colligitur *ex cap. 1. de offic. Vicar. in 6.* & *ex cap. Si de cui. de offic. deleg. eodem lib.* & ex aliis iuribus citatis per Suar. *de cenſur. diſput. 14. ſect. 1. in princip.* Beneficiorum au-
3. tem collatio ad poteſtatem iuriſdictionis ſpectat Gloſſ. final. *in cap. Tranſmiſſam. de elect.* ergo, cùm excommunicatus vitandus ſit priuatus vſo iuriſdictionis, conſequenter nec etiam poteſt beneficia conferre. Quod adeò verum eſt, vt, ſi Abbas ita excommunicatus, nihilominùs beneficia conferret; huiuſmodi collatio nulla eſſet: quia actus iuriſdictionis ab excommunicato factus nullus, atque inualidus eſt. Atque ita Gloſſ. & Doct. communiter *in cap. vlt. de exceſſ. Prælat.* Couar. *in cap. Alma mater. part. 1. §. 7. num. 9. in princ.* Nauar. *in Manual. cap. 27. num. 21. verſ. Octauò.* Suarez *d. diſput. 14. ſect. 2. num. 1. & 2.* Vgolin. *tab. 2. de cenſur. cap. 11. §. 2. num. 2.* Reginal. *in praxi, lib. 32. tract. 1. num. 29.* Martin. Bonac. *de cenſur. diſput. 2. quæſt. 2. punct. 5. num. 6.* & alij apud Vgolin. & Reginal. *locis citatis.*

4. Dixi, *excommunicatus vitandus*: quia, ſi Abbas excommunicatus eſſet toleratus non denunciatus nominatim, dummodo tamen non eſſet publicus Clerici percuſſor, per Extrauag. Martini V. *Ad euitanda.* collatio beneficiorum ab eo facta valida eſſet, non in fauorem conferentis; ſed eius, cui conferuntur: quia Eccleſia permittit cum eo liberam communionem in rebus ſacris, & aliis pertinentibus, etiam ad iuriſdictionem æquè, ac cum non excommunicato per d. Extrauag. *Ad euitanda.* Ita Couar. *d. num. 9. verſ. Quid autem.* Suar. *d. ſect. 2. num. 3.* Vgolin. Reginald. & Bonac. *locis citatis.*

QVÆSITVM XVIII.

Vtrùm Abbates in beneficiis curatis ſibi ſubiectis Vicarium poſſint inſtituere.

SVMMARIVM.

1. *Abbates Regulares in Eccleſiis ſibi pleno iure ſubiectis olim poterant Vicarios ad nutum amouibiles ponere.*
2. *Tridentina Synodus quid ſuper hoc ſtatuerit.*
3. *Pius V. quid de hac re ordinauerit.*

IN *Clement. 1. de exceſſibus Prælat.* & *ibi* Gloſſ. *verb. Ad menſam.* ſimiliter Gloſſ. *in Clement. 1. de reſcrip. verbo, Haberent,* alia Gloſſ. *in Clement. 1. de ſupplen. neglig. Prælator. verb. de menſa,* habetur, Abbates in Eccleſiis ſibi pleno iure ſubiectis poſſe Vicarios ad nutum amouibiles ponere: quia in huiuſmodi beneficiis, & Eccleſiis, cùm principalis titulus ſit penes Cœnobium, non ſunt ibi Vicarij perpetui, ſed ad nutum amouibiles, conſtituendi: nunquam enim vacare dicuntur tituli Eccleſiarum Monaſteriis, & Collegiis annexarum. Ita affirmat Imol. *in d. Clement. 1. n. 16 de exceſſ. Prælat.* Rebuff. *in praxi, tit. de Vicariis perpet. n. 7.* Hoieda *de compatib. benefic. par. 1. cap. 15. num. 3.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancel. gloſſ. 5. §. 3. num. 11. & 14.* & alij. 1

Attamen prædicta omnia procedebant de iure antiquo. Poſteà per Concil. Triden. facta fuit aliqua mutatio circa prædictos Vicarios: etenim *ſeſſ. 7. de reform. cap. 7.* ſanciuit, vt poſſint Ordinarij locorum deputare Vicarios perpetuos in beneficiis quibuſcumque curatis vnitis Cathedralibus Eccleſiis, Collegiis, & Monaſteriis, exemptionibus, & priuilegiis quibuſcunque non obſtantibus: quod etiam deciſum fuiſſe à Sacra Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium eiuſdem Concil. Trident. Interpretum aſſerit Garz *de benefic. p. 11. cap. 2. n. 9.* vbi addit, prædictos Illuſtriſſimos Cardinales decreuiſſe ab Ordinariis locorum poſſe perpetuos Vicarios conſtitui in prædictis beneficiis, etiamſi in littera vnionis adſit expreſſa clauſula, vt per Vicarios ad nutum amouibiles poſſint in iis locis, Monaſterio pleno iure ſubiectis deſeruire: quod eſt intelligendū de litteris, quæ emanarunt ante Conc. Trident. quia, ſi poſt Concil. Trident. appoſita eſſet in litteris vnionis, clauſula, vt per Vicarios amouibiles deſeruiāt; tunc valeret, etiam ſine derogatione eiuſdem Concilij, per ea, quæ notat idem Garz. *part. 4. cap. 5. à n. 130.* Nec poterat Epiſcopus Vicarium perpetuum in dictis beneficiis vnitis Monaſteriis, niſi in viſitatione ponere: Concilium enim non videtur tradere iuriſdictionem Ordinariis circa hoc, niſi in viſitatione, vt ait Garz. *d. part. 11. cap. 2. n. 12.* ad quod adducit declarationem S. Congregationis ſuper dicto Decreto. 2.

Deinde verò Pius V. *in Bulla 46. de Vicariis perpetuis,* conſtituit, vt in Parochialibus vnitis Monaſteriis Regularium Mendicantium debeat ab Epiſcopo vnus ex ipſis, quem Superior ſibi nominauerit, præuio examine, approbatus deputari, qui ſit ad nutum Ipſius Superioris amouibilis. Idem ſtatuit idem Pontifex de Regularibus Monachis, cum conditione tamen, vt cum Monacho ita deputato cohabitent, ſaltem alij quatuor Monachi. Circa quod à Gregorio XIII. fuit decretum, ſufficere, vt vnus tantum cohabitet, vt declarauit S. Congregatio per hæc verba: *S. D. N. Gregorius XIII. non habet pro reuocata Bullam Pij V. de Vicariis perpetuis in Parochialibus vnitis Monaſteriis Regularium, vbi Epiſcopus ad nominationem Monachorum deputat vnum ex ipſis præuio examine approbatum ad nutum ipſorum, amouibilem, & cum Vicario ſic deputato debet habitare vnus duntaxat aut alius Monachus, ne plures extra clauſuram maneant.* Ita refert idem Garz. *d. cap. 2. n. 13.* 3.

QVÆSITVM XIX.

Quod ſalarium debeat conſtitui Vicariis inſeruientibus Parochiis Monaſterio vnitis.

SVMMARIVM.

1. *Vicarus inſeruiētibus Eccleſiis parochialibus vnitis Monaſteriis*

Monasteriis debet congrua fructuum illarum portio, Episcopi iudicio, assignari.

2 *Parochialium Ecclesiarum Regularium fructus superexcedentes portionem Vicariorum, in Monachorum vsus conuerti debent.*

1. CONcilium Tridentinum *sess. 7. de reformat. cap. 7.* & *sess. vltim. de reformat. cap.* 16. imponit Ordinariis beneficia curata Monasteriis aggregata visitantibus, vt per idoneos Vicarios perpetuos, si opus fuerit, ipsis prouideant, cum tertia parte fructuum, aut maiori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, necnon certa portione desuper assignanda, non obstantibus quibuscunque priuilegiis. Sixtus V. etiam anno Domini 1588. Pontificatus sui anno quarto, concessit Congregationi Sancti Benedicti Regni Portugalliæ, quòd parochiales Ecclesiæ, quæ per Monachos Ordinis Sancti Benedicti solitæ fuere curari, ad vitam ipsorum per Presbyteros sæculares, vel etiam per Monachos ad nutum amouibiles curentur, constituto eis salario decente, ab Ordinariis locorum be-
2. neuiso. Reliqui verò fructus in vsus Monachorum conuertantur, vt habetur apud Roderic. *quæst. regular. tom. 1. quæst. 36. art. 2.* quæ concessio non videtur recedere à supradictis decretis Concilij Tridentini: quia hîc Pontifex Ordinariorum prudenti iudicio; non autem Regularium arbitrio, salarij supradictorum Vicariorum assignationem committit, quæ debet esse congrua fructuum beneficij portio, vt ait idem Concil. *d. cap.* 18. ibi: *Cum congrua eius arbitrio fructuum assignatione.* Et hoc, ne ob eius modicitatem Rectores cogantur aliunde necessaria quærere, & animarum curæ negligentiùs assistant. Vnde Monasteria quibus sunt vnita beneficia, non possunt minuere consuetam pensionem, quæ datur illis Rectoribus: nec ipsi possunt augere salarium, quod ab initio accipere solebant, *c. Auaritia de praben.* vbi Abbas 1. *not.* quod vt rectè fiat, à Concil. Trident. Episcoporum arbitrio committitur, vt bene notat Roderiq. *loc. citat.*

QVÆSITVM XX.

Vtrùm Abbates possint habere concursum ad parochiales Ecclesias sibi subiectas.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Episcopis inferiores regulariter nequeunt habere concursum ad Ecclesias parochiales vacantes, quarum collatio ad eos spectat.*

2 *Limita, nisi inferiores sint nullius diœcesis, & habeant proprium territorium, in quo exerceant episcopalem iurisdictionem; & habeant ius congregandi Synodum.*

3 *Prælatus, & Abbas exemptus, licèt non sint nullius diœcesis, possunt habere concursum, modò habeant distinctum territorium, & iurisdictionem episcopalem, ac ius congregandi Synodum & num. 4.*

1. GEneraliter non possunt Prælati Episcopis inferiores concursum ad Ecclesias parochiales vacantes, quarum collatio ad eos spectat, habere, vt colligitur ex decreto Concilij Tridentini *sess. 24. de reform. c. 18.* vbi statuitur, *quòd vacante Ecclesia parochiali, etiam generaliter, vel specialiter affecta, debeat Episcopus si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium constituere, qui eidem Ecclesiæ inseruiat, donec ei de Rectore prouideatur; & demum prauio concursu, & examine coram Examinatoribus faciendo ex his, quos ipsi Examinatores, et tempore, vitæ, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis idoneos iudicauerint, Ep[illegible]opus eum eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit, atque ei [illegible] & non alteri collatio Ecc[illegible], ab eo fiat, ad quem spe[illegible] eam cōferre.* Per quæ patet Episcopis, vel eorum Vicariis, non autē aliis collatoribus facultatem concursum habendi commu[illegible]ti. Idem habetur ex constitutione Pij V. quæ incipit: *In conferendis beneficiis.* edita Romæ apud Sanctū Petrum anno Domini 1566. 15. Kalend. Aprilis, Pōtificatus sui anno secundo: & testatur Garz. *de benef. parte 9. c. 2. n. 121. & pluribus sequen.* dicēs ita fuisse pluries declaratum à Sacra Congregatione Concilij, & præcipuè apparere *ex quadam declaratione tr[illegible]* dita Episcopo Palentino Romæ die 24. Octob. 1[illegible] & *ex quadam alia declaratione Sal[illegible]* & *Rauennatensi*, in qua sic dicitur: *Commendatarius Abbatiæ exemptæ existentis intra fines ali[illegible] diœcesis, & habens iura quasi episcopalia, non potest [illegible] concursum beneficiorum curatorum. sed, hoc spe[illegible] Episcopum, in cuius diœcesi est Abbatia, qu[illegible] magis idoneo mittet eundem ad Commendatarium pro collatione.* Ita Garz. *d. cap. 2. num.* 123.

Verùm supradictæ declarationes, & resolutiones limitantur, vt non procedant quando Prælati Episco[illegible] inferiores sunt nullius diœcesis, & habent proprium territorium, & omnimodam, & quasi episcopalem iurisdictionem, & ius congregandi Synod[illegible] vt Flam. Paris. *de resignat. benefic. lib. 8. quæst. 9. num. 98.* dicens, ita fuisse declaratum per Sacram Congregationem Concilij: quod patet ex infrascripta declaratione ipsius Sacræ Congregationis *super d. cap. 1[illegible], sess.* 24. eiusdem Trident. Synodi. *Ex hoc [illegible]erbo* (Ordinarius,) *colligitur hoc decretum locum habe[illegible] in inferioribus Prælatis: vnde inferior Epi[illegible] qui omnimodam iurisdictionem habet episcopale[illegible], ne[illegible] alicui subditur; sed est immediatè subiectus Sedi a[illegible]stolica, nullius diœcesis proprium territorium habe[illegible] si habet ius congregandi Synodum, & legitimè conf[illegible] illam congregasse, & elegisse Examinatores poterit concursum instituere, examinare, & approbare, ac Oeconomos, & Vicarios deputare: denique omnia [illegible] quæ per hoc decretum permittuntur, præstare.* Ita [illegible] Mallobr. *in praxi habendi concursum,* &c. *[illegible] dub. 8. num. 18.* & Garz. *d. cap. 2. num.* 130. qui refert idem tenuisse Rotam ex sententia Sacræ Congregationis, *in vna Forosempronien. Parochialis* 15 Ianuarij, 1593. & 7. Maij eiusdem anni coram D. Mantica, & *in vna Tarusina iurisdictionis*, 1[illegible]. Februarij, 1595. coram D. Litta.

Idem procedit de Abbatibus exemptis, qui, etsi non sint nullius diœcesis; tamen habent propriū & di[illegible]ctum territorium, & episcopalem iuris[illegible] p[illegible]atiuè, & ius congregandi Synodum: ad quod facit [illegible] claratio Sacræ Congregationis *in vna F[illegible] Le[illegible]men. Marsicana, & Cremonen.* in qua habetur, q[illegible] *Commendatarius Abbatiæ habentis iura epi[illegible] potest coram se, vel suo Vicario de curat[illegible] vacanti[illegible] concursū facere; si modò habeat ius con[illegible] Sy[illegible]dum, & eligendi examinatores.* vt refert idem G[illegible] 137. Vbi *n.* 140. aduertit, colligi ex præfatis, quòd q[illegible]uis Abbates ius Synodum congregandi obtinuerent, [illegible] nondum illam congregarunt, aut examina[illegible] deputarunt; concursum habere spectabit ad Epi[illegible]opum, intra cuius fines, seu diœcesim parochialis Ecclesia existit, vel ad viciniorem. Si autem semel Synodum congregassent, & in ea examinatores deputassent; quamuis examinatores extincti fu[illegible]int, su[illegible]adicta non habebunt locum; sed deuolutio fiet ad Sedem apostolicam, iuxta prædictam constitutionem Pij V. E[illegible] his ergo resol[illegible]itur, quòd Abbates [illegible] ab Episcoporum iurisdictione exempti, & habentes proprium districtum, & ius congregandi Synodum,

&

& qui cum effectu illam congregarunt, ac examinatores deputarunt, possunt concursum habere ad Ecclesias parochiales, quarum collatio ad ipsos spectat, & in eis magis idoneos instituere.

QVÆSITVM XXI.

Vtrùm Abbates possint acquisitioni iurispatronatus in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis fundandi assensum præbere.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus quibus modis acquiri possit.*
2 *Ordinarij assensus interuenire debet ad iurispatronatus acquisitionem.*
3 *Abbas habens potestatem dandi licentiam ædificandi Ecclesias intra suam Parochiam; potest etiam præstare assensum, & authoritatem acquisitioni iurispatronatus.*

1. SVpponendum est, iuspatronatus, tam per laicos, quam per Clericos, tribus potissimum modis acquiri, nempe fundatione, constructione, & dotatione, vt ait Gloss. in cap. *Piæ mentis*.16.q.7. Roch de Curt. *in tract. de iure. verb. Ecclesiam fundauit*, & verb. *Construxit*, & verb. *Dotauit*. Lambert. *eo. tract. part.* 1. *lib.* 1. *q.* 2. *cum seq. vsque ad* 9. Flam. *de resig. lib.* 4. *q.* 4. *n.* 40. *cum seq.* Gatz. *de benef. p.* 5. *c.* 9. *à n.* 36. qui plures cumulat. Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 18. *n.* 33. *cum seq.* Vgolin. *de potest. Episc. c.* 51. *in princ. n.* 6. & alij.

2. Supponendum est insuper, non acquiri ex supradictis causis iuspatronatus, nisi Ordinarij ad id consensus, & authoritas accedat, vt *cap. Nobis*. & ibi *Doct. de iurepatr.* Roch. de Curt. *verb pro eo, quod de Diœcesani consensu*. Lambert. *de pars.* 1. *q.* 5. *art.* 5. *cum seq.* Viu. *in praxi iurispatron. p.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 14. Gatz. *d. c.* 9. *n.* 1. & alij communiter.

3. His præcognitis, constat, Abbates posse assensum præbere in acquisitione iurispatronatus in Ecclesiis, in quibus exercent iurisdictionem episcopalem; imò absque eorum authoritate non posse tale iurispatronatus acquiri: Ordinarij etenim nomine in hac materia veniunt omnes Prælati, etiam Episcopo inferiores, dummodo habeant episcopalem potestatem, vt tradit Viuian. *d. part.* 1. *lib.* 1. *c.* 1. *n.* 17. Rota *diuers. p.* 2. *decis.* 85. In qua fuit resolutum, *Abbatem habentem potestatem dandi licentiam ædificandi Ecclesias intra suā parochiam, in quandam consequentiam habere etiā facultatem præstandi authoritatē, & consensum creationi, & acquisitioni iurispatronatus, cùm regulariter nō soleāt Ecclesiæ ædificari sine acquisitione iurispatron. & sic potestas dandi licentiam construendi Ecclesiam trahit secū, tanquam quid consequentium, potestatem consentiendi acquisitioni iuris patronatus: & dicta potestas dādi licētiam ædificandi Ecclesiam, videtur concedi ad finem acquisitionis iurispatronatus.* Hanc decisionem in pr̄ncto, & ad propositum nostrum adducunt Garz. *d. cap.* 9. *d. num.* 71. & Barbosa *de offic. & potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 70. *num.* 31.

QVÆSITVM XXII.

Vtrùm Abbates possint instituere præsentatos in Capellis iurispatronatus ad ipsos spectantibus.

SVMMARIVM.

1 *Institutio quid sit.*
2 *Institutio in Ecclesiis, & Capellis Abbatibus pleno iure subiectis, spectat ad eosdem Abbates. secus autem in iis, quæ ad ipsos pleno iure non pertinent.*
3 *Institutio in iurepatronatus, ipso transito ad Monasterium, an pertineat ad Abbatem.*

INstitutio est concessio Ecclesiæ, seu beneficij authoritate legitima Episcopi, vel alterius Ordinarij facta, non simpliciter cuilibet Clerico, sed tantum illi, quem patronus nominauit, siue præsentauit. Hanc diffinitionem institutionis tradunt August. Barbos. *de potest. Episcop. part.* 3. *alleg.* 72. *n.* 174. Azor. *instit. moral. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 27. *q.* 1. & alij. Dicitur etiam translatio iuris non libera à Superiore facta, ex qua plenum ius datur instituto. Ita Panorm. *in c. Authoritate. n.* 7. *de instit.* & Gloss. *in cap.* 1. *de regul. iur. lib* 6. Ideò autem dicitur nō libera: quia Superior non quēlibet Clericum in huiusmodi Ecclesiis, siue beneficiis; sed idoneum à patronis præsentatum instituere tenetur, *c. Decernimus*. 16. *q.* 7. *cap. Pastoralis*, & *cap. Quod autem de iurepatr.* Quibus suppositis, pro solutione quæsiti dicimus quòd in Ecclesiis, & Capellis pleno iure Abbatibus subiectis; institutio spectat ad ipsos Abbates, per textum *in Clem.* 1 *v. Quidam præterea*. & *vers. Quidam etiam. de excess. Prælat.* Roch de Curte *in tract. de iurepatron. verb. competens, quæst. vltima*, Cochier. *de iurisd. Ordin. in exempt. part.* 4. *quæst.* 80. non autem possunt instituere, & destituere in Ecclesiis ad eos pleno iure non spectantibus, sed Clerici, vel Presbyteri ab eis præsentati sunt ab Episcopo instituendi, *c. In Lateranensi*. & *ibi Abbas n.* 5. & *cap. de Monachis, de prabend. cap. Cùm & plantare. §. in Ecclesiis. de priuil.* quia, si Abbates possent in huiusmodi Ecclesiis etiam instituere, dicerentur eis pleno iure subiectæ: nam Ecclesiæ, & Capellæ dicuntur Abbatibus pleno iure subiectæ, quando Episcopi in eis nullum ius episcopale exercēt; sed tota iurisdictio ad eos Abbates pertinet; & possunt in eis beneficiarios instituere, ac destituere, *cap. Quoniam*. & ibi Abbas *num.* 3. *de priuileg.* Gloss. *in cap. Abbates, verb pleno iure, eod. tit. in* 6. Sed tamen, si iuspatronatus ad Monasterium transiret cum aliqua vniuersitate bonorum, nō transibit ad eum institutio; sed manebit illius, ad quem anteà pertinebat: quia per illum transitum non potest plus iuris transferri, quàm erat penes transferentem, *cap. Cum saculum. de iurepatron.* Rochus de Curt. *tract. de iurepatr. in verb. Competens alicui. num.* 70. Coch. *loco cit.* Barbos. *vbi supra, num.* 188. Patroni verò exempti debent instituendos Episcopo præsentare. Paul. de Cittadin. *tract. de iurepatr. art.* 3. 6. *num.* 79. *quæst* 45. Cocchier. *d. quæst.* 80. Barbosa *loco cit.* 1. 2. 3.

QVÆSITVM XXIII.

Quibus modis iuspatronatus sæcularium in Monasterium, & Abbatiam transferri possit.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus laicorum per hæreditariam successionem potest in Monasterium transire. Item,*
2 *Patronus laicus si efficiatur religiosus.*
3 *Iuspatronatus quando delatum fuit iure sanguinis ad patronum, qui Religionem ingressus est; Monasterium habebit ius præsentandi, durante vita ipsius tantùm.*
4 *Iuspatronatus laicorum transit in Monasterium titulo*

tulo donationis, & venditionis cum vniuersitate bonorum.

5 *Ordinarij assensus an sit necessarius in translatione huiusmodi iurispatronatus in Monasterium.*

6 *Iuspatronatus transfertur per permutationem.*

7 *Iuspatronatus quomodo dicatur vendi cum vniuersitate bonorum.*

1. PLuribus modis iuspatronatus laicorum potest in Abbatiam, & Monasterium transmitti, si quidem per hæreditariam successionem, *cap. Considerandum. 16. quæst. 7. Clem. 2. de iurepatronat.* videlicet, quando Monasterium a Patrono laico hæres institueretur: quia tunc accessorie cum vniuersitate bonorum hæreditatis veniret etiam iuspatronatus, vt ait Mantic. *decis. 140.*
2. *n. 2.* Cardinal. Thusc *pract concl. litera I, conclus. 612. in fine.* Vel si patronus laicus efficiatur Religiosus, iuspatronatus ad ipsum spectans transfertur in Monasterium, vt ait Gambar. *de offic. Legat. lib. 3. num. 416. & seqq.* cum Marian. Socin. *in repetit. cap. de Monachis, de prebend.* Ratio est: qoia per talem ingressum omnia illius bona acquiruntur Monasterio. *Auth. Ingressi. C. de sacros. Eccles.* & sic iuspatronatus transiret in Monasterium. Lambert. *de iurepatr. parte 1. lib. 2. quæst. 2. art. 11. n. 12.*
3. Hic autem est aduertendum, quòd quando iuspatronatus delatum fuit iure sanguinis ad ipsum Patronum, qui Religionem ingressus est, Monasterium habebit ius præsentandi, durante vita Monachi tantùm: quia post eius obitum defertur in posteros. Ita Prob. *in addit. ad Ioann. Monach. rub. de iurepatr. in 6. n. 2. & n. 418. & sequen.* Garz. *de benef. part. 5. cap. 1.*
4. *n. 555.* Non solùm autem iure hæreditario, & per successionem transit iuspatronatus; sed etiam quandoque titulo donationis, permutationis, & venditionis, cum vniuersitate bonorum, in qua sit iuspatronatus, transfertur per donationem, cùm patronus illud donaret Cœnobio, seu Monasterio, vel Abbatiæ, siue etiam Abbati, nomine, & iure Abbatiæ, & dignitatis, cui præest, vt *cap. Ex insinuatione. de iurepatronat.* Gloss. *in cap. Piamentu, 16. q. 7.* Tiraq. *in l. Si vnquam. verb. donatione largitus, n. 353.* Lambert. *lib. 1. p. 1. q. 4. art. 1.* Circa quod est notandum, quòd
5. etsi in translatione iurispatronatus per donationem necessarius est Episcopi assensus, tamen est intelligendum, si fiat de laico in laicum, vel etiam Clericum causa ipsius, non Ecclesiæ, ne iuspatronatus Ecclesiæ transeat ad hominem suspectum, vel minùs Ecclesiæ gratum. Sic Hostien. Ioannes Andr. & Archidiacon. relati à Panormit. *in cap. Illud de iurepatronat.* Quia, si fiat Religiosis etiam per patronum Laicum, non requirerentur huiusmodi assensus. Doctores communiter *in cap. Nullus. cap. Ex insinuatione cap. Cùm saeculum. & d. cap. Illud. de iurepatronat. cap. vnic. eod. tit. in 6.* Viuian. *tom. 1. commun. opin. lib. 1. tit. 4. num. 9 pagin. 167.* Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 20. q. 5.*
6. Transfertur & alio modo iuspatronatus à Laico in Religiosos, & Monasterium, siue Abbatiam per permutationem *cap. Nemini. 16. q. 7.* in qua nec etiam requiritur Episcopi assensus. Ita Rochus de Curte *de iurepatr in verb. Ipse, vel is, à quo. q. 16. n. 28.* Azot. *d. cap. 20 q. 6.* Viu. *d. tomo 1. lib. 4. cap. 3.* Permutatio autem ita permissa est, si fiat cum alia re spirituali, putà cum alio iurepatronatus, aut alio iure similiter rei spirituali annexo, & non aliter, *per cap. Ad quæstiones. & cap. vltimo, de rerum permutat.* Transmittitur & alio modo iuspatronatus à laicis in Religiosos per venditionem veræ vniuersitatis bonorum in qua est constitutum, putà, cum villa, castro, hæreditate, fundo dotali, vel alia re, quæ non singula corpora, sed corporum vniuersitatem, id est aliqua iura contineat, *cap. Ex litteris. & cap. Cùm saeculum. de iurepatr.* Suar. *de Relig. tomo. 1. lib. 4 de f. mon. cap. 28. num. 12. cum seqq.* Couat. *variar. resolut. lib 1. cap. 15. n. 3. & 4* Molin. *de inst. tract. 2. disp. 620. n. 6.* Garz. *de benefic part. 5. cap. 9. num. 19.*

Iuspatronatus dicitur vendi cum vniuersitate rei, quando venditur cum tota re, in qua est vniuersitas. 7
In præsenti autem vniuersitas intelligitur, quando aliqua res non solùm est particularis; sed continet in se non modò corpora rerum; sed etiam iura vniuersalia. Abb. *in cap. Ex litteris. de iurepatr. n. 10. & 11.* & cum ea in emptorem transferũtur etiam seruitutes, onera, & iura, ac actiones ad ipsam spectantes. Iuspatronatus etenim non adhæret cuilibet rei certæ, sed rei bonorum vniuersitatem habenti, vt putà, villæ, castro, Ecclesiæ, Conuentui, Cœnobio, Seminario, Ciuitati, Prouinciæ, quæ omnia habent iura vniuersitatis. Hæreditas etiam continet vniuersitatem, quia est quid vniuersum, *l. Bonorum. ff. de verb. signific. & l. Hereditas. ff. de pet. hered.* Nomine etiam bonorum continetur vniuersitas, vt asserit, & probat Panormit. *d. cap. Ex litteris. de iurepatr.*

QVÆSITVM XXIV.

Intra quod tempus teneantur Abbates præsentare ad beneficia iurispatronatus, ad eorum Abbatias & Monasteria spectantia.

SVMMARIVM.

1 *Patronis laicis est præfixum quadrimestre; Ecclesiasticis verò semestre ad præsentandum. Magis dignum trahit ad se minus dignum.*

2 *Præsentandi tempus quando incipiat currere.*

3 *Patroni ecclesiastici an possint variare, antequam Ordinarius præsentatum instituat.*

4 *Patronis quod tempus sit præfixum ad præsentandum ad beneficia curata, & parochialia.*

IN hoc differunt præcipuè Patroni ecclesiastici à laicis, quòd laici habent tantùm quadrimestre ad præsentandum, *cap. Cum propter de iurepatr.* Regularibus, & Clericis ecclesiasticis est præfixum tempus sex mensium, vt *cap. vnico, §. Verum. eodem tit. in 6.* notant. Vgol. *de potest. Episc. cap. 51. in princ. n. 5.* Aloy Ricc. *in collect. decis. part. 1. collect. 119.* Lambert. *de iurepat. lib. 2. p. 2. q. 1. art. 1.* Garz. *de benefic. part. 5. cap. 9. n. 209.* & alij, Quod procedit etiam quando simul cum Abbate alius laicus haberet præsentare, ratione communionis Gloss. *fin. ind. §. Verum.* Roch. de Curt. *de iurepatr. verb. Ius, n. 15* Selu. *de benef. 3. p. q. 11. n. 18.* Viuian. *in praxi iurispatr. p. 2. l. 7. c. 1. n. 5* qui affirmat, idem procedere, etiamsi laicus haberet maiorem partem: nam magis dignum trahit ad se minùs dignum, *c. Quod in dubiis & ibi Glos. verb Consecratum. de consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.* Quod tempus non incipit currere, nisi à die scientiæ vacationis beneficij, vt aiunt Garz. *de benef. p. 10. cap. 2. n. 34.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 37. n. 27.* & alij, qoos refert, & sequitur Barbosa *de offic. & potest. Episcop. p. 3. allegat. 72. n. 134.* 1 2

Et quamuis patroni laici possint variare, antequam Ordinarius præsentatum instituat, & alium successiuè cumulando præsentare; non licet tamen id facere patronis ecclesiasticis, *cap. Cum autem cap. Pastoralis. & cap. Quod autem. de iurepatr.* Roch. de Curt *verbo, honorificum, q. 9. & seq.* Lambert. *p. 1. lib. 2. q. 7.* 3

per-

per totam. Reginald. *in praxi fori pœnit. lib. 30. tract. 3. n. 223* Garz. *d p. 5. cap 9. n. 211. & seq.* Ratio eſt: quia præſentatio Eccleſiaſticorum habet vim electionis, vbi non cadit variatio: electus enim ſtatim acquirit ius in re, *cap. Publicato.* vbi Gloſſ. & *cap. Quod ſicut de elect.* Idcircò patronis laicis conceditur quadri-
4. meſtre; Eccleſiaſticis verò ſemeſtre: quia iſti variare nequeunt. Quæ omnia prædicta procedunt quoad præſentationem ad beneficia ſimplicia, & ſine cura: ſecùs autem dicendum erit de beneficiis curatis, ac parochialibus patronatis. Circa quod eſt obſeruandum, quòd omnes patroni & patronæ, tam Clerici, quam ſæculares, & regulares habentes ius præſentandi ad Parochias patronatas, tenentur ad eas vacantes intra viginti dies à die veriſimilis notitiæ vacationis Capellanos præſentare, iuxta conſtitutionem Pij V. editam ſuper collatione Parochialium Eccleſiarum, quæ incipit: *In conferendis beneficiis*. Vbi prohibetur expreſsè Ordinariis, ne tempus decem dierum eiſdem Ordinariis, & Patronis à Concilio Tridentino ad nominandum idoneos ad Eccleſiam regendam coram deputatis examinatoribus præfixum, vltra alios decem dies prorogare audeant, vel præſumant; ac præſentati, examinati, & approbati per examen debent intra duos menſes à die præſentationis, & confecti examinis ab Ordinario institui; aliàs beneficium deuoluitur ad Papam.

QVÆSITVM. XXV.

An Regularis poßit Eccleſiæ collegiatæ ſæculari præfici, & beneficia ſimplicia ſæcularia obtinere, ac penſiones beneficiorum eccleſiaſticorum poſsidere.

SVMMARIVM.

1. *Regularis præfici poteſt Eccleſiæ collegiatæ.*
2. *Beneficia ſimplicia poſſideri non poſſunt a Regularibus.*
3. *Epiſcopus diſpenſare non poteſt cum regulari, vt beneficium ſimplex obtineat.*
4. *Abbas non poteſt facere Monachum ſuum habilem ad duo beneficia ſui Ordinis.*
5. *Regularis ſine diſpenſatione Papæ eſt incapax penſionis ſuper beneficio ſæculari, ſiue ſimplex ſit, ſiue curatum.*
6. *Regularis abſque prædicta diſpenſatione eſt etiam incapax penſionis ſuper beneficio regulari.*

1. POſſe Regularem præfici Eccleſiæ collegiatæ, affirmant Selua *de benef. 3. part q. 70. n. 4.* Sylueſt. *verb. Relig. 7. quæſt. 6.* Roſella *verb. Monachus. num. 4.* Tabien. *eod verbo, num. 4. quæſt. 3.* Graff. *in deciſ. 2. part. lib. 3. cap. 20. num. 7.* Rodriq. *qq. regul. tom. 3. q. 53. art. 2.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. cap. 19. q. 13.* Abb *in cap. Quod Dei timorem. num. 5. de ſtat. Monach.* Cardinal. *ibid. num. 5. q. 7.* Sanchez *lib. 7. in præcept. Decal. cap. 29. num. 73.* vbi rationem aſſignans ait: quia eadem videtur ratio, ac de Epiſcopo, qui eligitur ad curam eorum, qui pertinent ad Collegium: & ſicut Epiſcopus cum ſuo Capitulo inſtituit vnum corpus; ita ille Regularis cum ſuo. Et licèt Ioannes Andr. *in cap. Quod Dei timorem. & num. 16. de ſtat. Monach.* & Anchar. *ibid. num. 12.* & alij oppoſitum teneant, hoc procedit ex eo, quia exiſtimant, huiuſmodi beneficium eſſe ſimplex.

2. De beneficiis autem ſimplicibus nulla difficultas ſit, ea non poſſe à Regularibus poſſideri propterea tum incapacitatem, deſumptam ex natura regularis obſeruantiæ, & ex ſacris Canonibus, qui negant, poſſe Regularem ſæculare beneficium ſimplex obtinere: & affirmant illum poſſe præfici beneficio curato in fauorem curæ animarum: quod probatur ex *cap. In noua actione. 16. q. 7.* & ex D. Hieronymo ad Riparium Presbyterum, relato *in cap. Monachus. 16. q. 1.* & Federic. de Sen. *conſ. 119* Hoſtienſis *in cap. Inter quatuor. final. de relig. Dom.* Abb. *in d. cap. Quod Dei timorem. num. 5. de ſtat. Monach.* Cardinal. *ibid. num. 7. q. 5.* Selu. *de benef. p. 1. q. 70. num. 3.* Rochus *de iurepatr. verb. Beneficium, q. 4. num. 13* Angelus *verbo, Religioſus, n. 37.* Sylueſter *verbo, Religio, 7. q. 5.* Nauarr. *comm. 4. de Regul. num. 23.* Tabiena *verbo, Monachus, num. 3.* Armilla *eod. verbo, num 4.* Roſella *ſimiliter num 1* Flamin. *de reſig. benef. lib. 4. q. 5. num. 1.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 33. art. 4.* Azor. *tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 19. q. 13.* Emmanuel Sa *in Aphoriſ. verbo, Religio, num. 31.*
Sanchez *loco cit. num. 75.* vbi *num. 76.* dicit, quòd non 3.
poteſt Epiſcopus in hoc diſpenſare: quia nullibi id illi conceditur, vt etiam affirmant Roſella *d. verbo, Monachus, num. 4.* & Tabiena *num. 4 q. 3.* Armilla *ſimiliter num. 5.* Gambar *de authorit. Legat. à latere, lib. 6. num. 253.* & Sanchez *eod. loco, num 77.* infert, minùs poſſe Epiſcopum diſpenſare, vt Religioſus promotus ad beneficium parochiale habeat ſimul beneficiũ ſimplex: quia vltra inhabilitatem, quam habet ad beneficium ſimplex, concurrit aliud impedimentum, ſcilicet, pluralitas beneficiorum, vt benè probat idem Sanchez *loco cit.* cum Doctoribus ab eodem adductis: & *num. 78.* infert, quòd non poteſt Prælatus facere ſuum
Monachum habilem ad duo ſui Ordinis beneficia: 4.
quod manifeſtè habetur *in cap. Cùm ſingula. in principio, de præbend. in 6.* per illa verba: *Prohibemus, ne aliqui Religioſi pluribus Prioratibus, aut Eccleſiis abſque Sedis apoſtolicæ authoritate præeſſe præſumant, niſi vnus ex eis ab aliis dependeat, vel ad inuicem ſint annexi.*

Ex quibus videtur reſolutum, quid dicendum 5.
ſit de penſione: nam primò manifeſtè conſtat, Regularem eſſe incapacem penſionis ſuper beneficio ſæculari, ſiue ſimplici, ſiue curato obtinendæ, abſque diſpenſatione Summi Pontificis: quia valet huiuſmodi argumentum, ſcilicet, qui eſt incapax beneficij, eſt etiam incapax penſionis: ſed Regularis eſt incapax beneficij ſæcularis ſimplicis: ergo erit incapax penſionis ſuper dicto beneficio poſitæ.

Si dicas, quòd eſt capax beneficij ſæcularis curati: ergo ſaltem poterit ſine diſpenſatione obtinere penſionem ſuper beneficio curato. Reſpondeo, quòd Regularis eſt capax beneficij curati ſæcularis ex indulgentia iuris, propter fauorem curæ animarum, vt diximus: qui quidem fauor, cùm non reperiatur in penſione conſtituenda, non erit capax penſionis ſuper beneficio curato.

Si petas, an Regularis poſſit habere penſionem 6.
beneficij regularis ſui Monaſterij. Reſpondeo, non eſſe capacem abſque eadem diſpenſatione Summi Pontificis; quod probatur *ex Clem. vnica, de ſupplen. negl. Prælat.* vbi decernitur, beneficia regularia non poſſe ab Abbatibus ſuis beneficiis vniri, neque nouis penſionibus onerari: quod etiam probatur ex eo, quòd non poſſit Abbas penſionem imponere ſuper Prioratu habente bona diſtincta à bonis Monaſterij, vel habente ius ſpirituale annexum. Ita Sanchez *in præcept. Decalogi, lib. 7. cap. 29. num. 45.* quod etiam habetur *in Clem. vnica, §. eod. num. 2. de ſuppl. negl. Prælat.* in qua dicitur, non poſſe imponi nouam penſionem beneficio ſibi ſubdito.

DISPVTATIO X.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad exactionem charitatiui subsidij à subditis, & beneficiarijs.

QVÆS. I. Quid sit charitatiuum subsidium, & à quibus personis sit exigendum.
II. Vtrum Abbates, ac Prælati Episcopo inferiores, possint charitatiuum subsidium à M[illegible]enis, & Ecclesiis sibi subiectis exigere.
III. Ex quibus causis charitatiuum subsidium, & in qua quantitate exigi possit.
IV. Vtrum Abbas c[illegible] suo Monasterio charitatiuum subsidium Episcopo soluere teneatur. & quid de Ecclesiis exemptis, & Monialibus.

QVÆSITVM I.

Quid sit charitatiuum subsidium, & à quibus personis sit exigendum.

SVMMARIVM.

1 *Charitatiuum subsidium dicitur, quasi charitatis auxilium.*
2 *Charitatiuum subsidium petitur, quando propriæ Ecclesiæ redditus non sufficiunt.*
3 *Episcopus, & alij Prælati, quibus incumbit ius petendi charitatiuum subsidium, possunt compellere subditos ad illud soluendum.*
4 *Episcopus in his, quæ spectant ad dignitatem, & honorem suæ Ecclesiæ, potest esse Iudex in propria causa.*
5 *Charitatiuum subsidium exigendum est ratione beneficiorum à Clero, & ab Ecclesiis propriæ Diœcesis.*
6 *Charitatiuum subsidium soluere tenentur Canonici, seu Capitulum Ecclesiæ cathedralis, & pensionarius, pro rata suæ pensionis, & Rector beneficij, num. 7. & 8. & 11.*
9 *Charitatiuum subsidium soluere non tenetur Clericus, qui vltra victum, & vestitum nihil habet de fructibus sui beneficij.*
10 *Charitatiuum subsidium non debet solui de quotidianis distributionibus.*

1\. CHaritatiuum subsidium dicitur, quasi charitatis auxilium, per Hostiens. & alios Doctores scribentes *in cap. Conquerente. de offic. Ordin.* quia à principio ex charitate peti debet, non per vim extorqueri, *ex cap. Ex parte. de censibus.* & Doctoribus *infra* citandis.

2\. Dicitur, & appellatur huiusmodi charitatiuum subsidium, aliquando *subsidium*: quia, sicut subsidium datur, quando deficit proprium; ita etiam charitatiuum subsidium petitur, quando redditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt Episcopis, & aliis Prælatis, quibus competit ius, seu priuilegium, aut consuetudo petendi charitatiuum subsidium. Ita Azor. *tom. 2. instit. moral. lib. 9. cap. 14. q. 1.*

3\. Dixi: *quod à principio ex charitate peti debet*, non quia Episcopus, & alij Prælati, quibus incumbit ius postulandi dictum subsidium, non possint compellere, (existente manifesta, & rationabili causa,) illos Clericos ad tale subsidium soluendum: possunt equidem illos compellere, imò edictum affigere, vt vbicunque Clericus beneficium habés, non soluerit charitatiuum subsidium infra certum tempus, excommunicetur, Ita decisú fuisse à Sacra Rota Romana, affirmat Azor. *d. tom. 2. instit. moral. lib. 9. cap. 14. q. 3.* Idem affirmat Barbos. *de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 87. num. 5.* V.

vbi *num. 6.* dicit, quòd non obstat, quòd Episcopus videatur esse Iudex in propria causa, *l. 1. C. Ne quis in sua causa.* Quia existente rationabili, & iusta causa, vt diximus, in his, quæ spectant ad dignitatem, & honorem suæ Ecclesiæ, potest Episcopus esse Iudex in propria causa, *ex cap. Romana. de pœnis*, & ex Alexand. Trentac. *variarum resolut. lib. 2. tit. de Iudice, resol. 5. num. 7.* & Barbos. *loco cit. de offic. & potest. Episc. num. 6.* Non possunt tamen loco pignoris capi Calices, vel libri, vel alia diuinis ministeriis deputata, ex cod. Azor. *loco cit. quæst. 3. in fin.* A quibus verò personis sit recipiendum, dico, quòd. 4

Hoc subsidium exigendum est, ratione beneficiorum, à Clero, & ab Ecclesiis suæ propriæ diœcesis, & sibi subiectis, *ex cap. Competente, de offic. Ordin.* & Barbos. *loco cit. de offic. & potest. Episc. num. 39.* qu[illegible]d priùs docuerunt Nauar. *cons. 10. in antiq. & [illegible] 5. in nouis tit. de censibus* Saytus *in florib. decis. sub. [illegible] tit. decis. 40.* Azor. *loco cit. q. 6.* & debet esse de fructibus, & redditibus beneficiorum, vt dicunt cit. Doctores. 5.

Canonici, seu Capitulum Ecclesiæ Cathedralis tenentur soluere dictum charitatiuum subsidium. Ita Barthol. Bel[illegible]ncinus *tract. de charitatiuo subsidio* [illegible] Remigius de Gonni *in simili tract. q. 38.* Ba[illegible] *iure eccles. lib. 3. cap. 21.* [illegible] 48. 6.

Pensionarius etiam pro rata suæ pensionis ad idem subsidium tenetur. Barbos. *loco cit.* [illegible] qui *num. 44.* dicit, quòd stylus Curiæ habet, vt pensio authoritate Papæ assignata sit immunis ab omni onere, etiam subsidij charitatiui. 7.

Rector etiam beneficij tenetur illud soluere, ex eodem Barbos. *loc. cit. num. 44.* sicut etiam successor in beneficio aliquo, quando suus antecessor [illegible] Rector, vel alius Beneficiatus non soluerit, ex [illegible] Barbos. *loco. cit. n. 38.* & Bel[illegible]inc. *loc. cit. q.* [illegible] Azor. *loc. cit. q. 6.* vbi ait, posse Episcopum conuenire [illegible]cessorem, vel antecessorem, si adhuc viuus sit, vt maluerit, & subsidium petere. Idem affirmat Barbos. *loc. cit. eod. n. 38.* 8.

Clericus, qui vltra victum, & vestitum & proprium commodum, nihil habet de fructib[illegible] redditibus sui beneficij, non tenetur ad sub[illegible] charitatiuum, vt dicunt Belline. *loc. cit. q. 30.* Barbos. *de iure eccles. loc. cit. n. 3*[illegible] Azor. *loc. cit. q. 6.* 9.

De quotidianis distributionibus non debet [illegible] charitatiuum subsidium: quia quotidianæ distributiones non possunt dici fructus, & redditus pro[illegible] beneficij. Et ita affirmant idem Belline. *loc. cit.* Gonzal. *ad Regul. 8. Cancell. gl.* [illegible] *loc. cit. n. 41.* 10

Rector habens Ecclesiam in vna diœcesi, [illegible] verò in alia, tenetur soluere charitatiuum [illegible] Ordinario in cuius diœcesi sita est Eccles[illegible] Ba[illegible] *de offic. & potest. Episc. loc. cit. n. 15.* & S[illegible] *de* [illegible] *bonum aphorism. Episc. verb. charitatiuum subsidium* [illegible] 4. 11

QVÆ

QVÆSITVM II.

Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores possint charitatiuum subsidium à Monasterijs, & Ecclesijs sibi subiectis exigere.

SVMMARIVM.

1 *Prælati Episcopo inferiores possunt subsidium charitatiuum eorum oneri necessarium à Monasterijs & Ecclesijs sibi subiectis petere & quo iure.*

2 *Abbates, & Prælati habentes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, & in eis episcopalem iurisdictionem exercentes, possunt charitatiuum subsidium ab eis exigere.*

3 *Commendatarius perpetuus potest ab Ecclesijs sibi subiectis charitatiuum subsidium exigere.*

4 *Prælati habentes territorium, & diœcesim, possunt cogere subditos ad soluendum charitatiuum subsidium.*

5 *Episcopus, & Prælati, quando charitatiuum subsidium postulare volunt, debent facere cum consensu sui Capituli.*

1. DIco primò: Prælati Episcopo inferiores possunt subsidium charitatiuum exigere; non quidem ex iure, sed ex consuetudine, & priuilegio. Ita Barthol. Bellencionus *in tract. de charitat. subsidio. q. 5.* Azor. *tom. 1. instit. moral lib. 9. c. 14. q. 5.* Boer. *decis. 133.* Barbos. *de iure eccles. lib. 3. cap. 21. num. 15. & de offic. & potest. Episc p. 3. alleg. 87. num. 17.* vbi pro hac sententia refert etiam Calderinum.

2. Dicendum est secundò, Abbates, & Prælatos Episcopo inferiores habentes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, tam regulares, quàm sæculares, posse ab eisdem subsidium charitatiuum exigere: quod probatur à contrario sensu authoritate Barbosæ *de offic. & potest. Episc. loc. cit.* & Caldetini *in cons. de censibus*, citati ab eodem Barb. *num. 18.*

3. Dico tertiò: Commendatarius perpetuus potest ab Ecclesijs sibi subiectis charitatiuum subsidium exigere, perinde ac titularis: quia, licèt titulo careat, nihilominùs habet legitimam administrationem, ac exercere potest ea, quæ sunt iurisdictionis, æquè ac si titulum habuisset, imò Commendatarij perpetui in omnibus, vt titulares censentur, prout probauimus *in 1. tomo, disput. de commendis.* Ita Bellinc. *q. 6.* Azor. *d. cap. 14. q. 5. vers. Commendatarius item* & Innoc. *in cap. Si constiterit, de accus.* Barbos. *de offic. & potest. Episc. loc. cit. num. 20.*

4. Dico quartò, Abbates, & Prælatos habentes territorium, & diœcesim, data manifesta, & rationabili causa, licitè cogere suos subditos ad huiusmodi charitatiuum subsidium præstandum, cùm in his Prælatis militent omnes rationes & exigentiæ, & opportunitates, quæ militant in Episcopis. Ratio est: quia in his, quæ ad charitatem spectant, ideò subditi ex parte sua obnoxij tenentur suis Prælatis: quia ab illis beneficia recipiunt. Vnde, cum in regimine, tam spirituali, quàm temporali, recipiant etiam subditi ab Abbatibus, & Prælatis, in quorum territorio, & diœcesi existunt, huiusmodi beneficia, pari ratione tenentur illis exhibere charitatiuum subsidium, ac si essent Episcopi. Et quòd Episcopo debeatur tale subsidium, nulli dubium est, vt omnia iura clamant, quæ ad eosdem Prælatos, & Abbates diœcesim habentes pari ratione referenda sunt. Debent tamen huiusmodi Prælati, sicut & Episcopus, quando charitatiuum subsidium postulare cupiunt, hoc facere cum consilio sui Capituli, & Clericorum, *ex cap. Quanto. de ijs, quæ fiunt à Prælatis.* Similiter poterunt supradicti Abbates, & Prælati diœcesim habentes, hoc subsidium ad instar Episcoporum petere: quia spectat huiusmodi subsidium ad legem diœcesanam, vt dicit Bellinc. *loc. cit. q. 32. num. 8.* quæ lex competit etiam supradictis Abbatibus, & Prælatis.

QVÆSITVM III.

Ex quibus causis charitatiuum subsidium, & in qua quantitate exigi possit.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati, quomodo causam suæ necessitatis narrare debeant.*

2 *Causa rationabilis ad petendum charitatiuum subsidium, quæ sit.*

3 *Debitorum solutio, quæ Prælatus contraxit pro suæ Ecclesiæ iure tuendo, censetur causa petendi charitatiuum subsidium.*

4 *Prælatus, qui magnas impensas fecit in negotijs Religionis communibus pertractandis, potest petere charitatiuum subsidium.*

5 *Prælatus, qui aliquam rem magni momenti emit ad suam Ecclesiam conseruandam necessariam, potest petere charitatiuum subsidium.*

6 *Prælatus iter facturus ad Papam, Imperatorem, vel Regem, ob suæ Ecclesiæ, vel etiam totius Religionis commune bonum; potest charitatiuum subsidium petere.*

7 *Prælatus vocatus ad prouinciale Concilium, potest prædictum subsidium petere.*

8 *Prælatus, qui fecit impensas magni momenti necessarias in aduentu Imperatoris, Regis, vel Principis, potest exigere charitatiuum subsidium.*

9 *Charitatiui subsidij quantitas iusta quænam esse possit.*

ABbates, & Prælati prædicti, quibus charitatiuum subsidium exigere licet, congregato Capitulo, siue Conuentu, cum charitate, & humanitate illis causam suæ necessitatis narrare debent, ac eos hortari, vt in tali necessitate sibi subueniant. Causa autem ad tale subsidium exigendum euidens & rationabilis esse debet, ne vltra debitum subditis grauamen inferatur, vt per tex. *in cap. Conquerente. de offic. Ordin. & cap. Cum Apostolus. §. Prohibemus. de censibus* Quæ autem circa hoc negotium manifesta, & rationabilis causa dicatur, nihil certi in iure habetur: proptereà Iudicis arbitrio relinquendum opinantur Glos. *in d. §. Prohibemus. verbo, Rationabilis.* Abbas *ibidem, num. 4. in fin.* Card. *num. 2.* Bellinc. *tract. de charit. subsid. quæst. 16. num. 12.* & alij, quos refert, & sequitur Menoch. *de arbitrar. cas. 178. num. 2.* Barbos. *de iure eccl. lib. 3. cap. 21. num. 12.* Hippolytus *in l. In quæstionum modum. num. 6. ff. de quæst.* Et *per d. cap. Cum Apostolus. vers. Sustinemus.* non solùm requiritur causa rationabilis; sed quòd manifestè sit talis: & casum dubium excludat, vt per Bellinc. *quæst. 18.* Aliquas harum causarum enumerat Azor. *instit. moral part. 2. lib. 9. cap. 14. quæst. 4.* vbi has septem enumerat. 1. 2.

Prima causa censetur solutio debitorum, quæ contraxit Prælatus pro suæ Ecclesiæ iure tuendo, videlicet, quando multa, & magna sunt debita, & aliunde ex bonis Ecclesiæ solui commodè nequeunt. Hostiensis 3.

in

in Summ. tit. Vt ecclesiastica beneficia. §. 1. & *tit. de de censibus*, §. *Ex quibus causis.* Butrius, & Imola *in cap. Conquerente. praedicto.*

4. Secunda causa exigendi est, si Praelatus magnas fecerit impensas in negotiis Religionis communibus pertractandis. Innocentius *cap.* 1. *de stat. Monach.* Vel, si lites magnas pro bono Ecclesiae habuerit. Menoch. *loco cit. cap.* 178. *num.* 12.

5. Tertia causa, si Praelatus rem aliquam magni momenti emerit necessariam ad suam Ecclesiam conseruandam. Hostiens. *locis suprà cit.* Butrius, & Imol. *praefato cap. Conquerente.* Oldrad. *consil.* 140. quod incipit: *Circa propositam quaestionem.* Barbos. *de iur. eccl. loco cit. num.* 27.

6. Quarta, si Praelatus iter facturus sit ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem, ob suae Ecclesiae, vel etiam totius Religionis commune bonum. Innocent. *cap.* 1. *de statu Monachor.* Hostiens. & Butr. *locis citatis.* Menoch. *loco similiter cit. cas.* 178. *num.* 9.

Quinta, si Praelatus ad generale Concilium vocatus iter susceperit, iuxta id, quòd habetur *in c. Placuit distinct.* 18. vt notat Innoc. & Ioannes Andreas *in cap. Graue. de praebend.*

7. Sexta, si vocatus iturus sit ad prouinciale Concilium, exigere potest, secundùm Innocentium *in cap.* 1. *de stat. Monach.* quem ibi sequuntur Butr. & Panormit.

8. Septima, si Praelatus, impensas necessarias, & alicuius momenti fecerit in aduentu Imperatoris, Regis, vel Principis; praesertim, si ab eo habeant Regalia, Belline. *quaest.* 22. post Archidiaconum. & Hugonem *in cap. vnico* 10. *quaest.* 3. Barbos. *loco cit. num.* 30.

Quae omnes causae ideò apponuntur, vt etiam Abbates, & Praelati Episcopalem iurisdictionem priuatiuè ad Episcopum habentes, quos diximus posse petere charitatiuum subsidium, caueant quibus de causis huiusmodi charitatiuum subsidium petere possint.

9. In quanam autem quantitate charitatiuum subsidium exigendum esse debeat, nihil pro certo, vt diximus, statui potest; in hac tamen re dicendum puto cum Barbos. *loco. cit. num.* 6. decimam annui redditus partem iustam esse subsidij quantitatem: vnde non sunt audiendi, qui putant, seruandam esse illam quantitatem, quam Benedictus XII. praefiniuit *in Extrauag.* quae incipit: *Vas electionis.* quae Extrauagans recepta non fuit, vt docet Menoch. *de arbitr. cas.* 178. *num. vlt.*

Verum quidem est, quantitatem subsidij charitatiui non esse determinatam: & ita affirmant Nauar. *consil.* 10. *in antiq.* & *in nouis cons.* 5. *de censib.* Sayrus *in flor. decis. sub illa tit. decis.* 10. Vnde in omni euentu nullus debet cogi ad maiorem solito contributionem, vt censuit S. Congregatio negotiis Episc. & Regul. praeposita sub die 17. Ianuarij, 1589. Hanc declarationem refert Barbos. *loco cit. num.* 7.

QVAESITVM IV.

Vtrùm Abbas cum suo Monasterio charitatiuum subsidium Episcopo soluere teneatur. Et quid de Ecclesiis exemptis, & Monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Monasteria exempta non tenentur soluere Episcopo charitatiuum subsidium.*

2 *Legatis, aut Nunciis apostolicae Sedis, siue Metropolitanis procurationes aliquas, vel subsidia non tenentur Regulares soluere.*

3 *Charitatiui subsidij exactio est de lege dioecesana, à qua lege Monasteria exempta sunt. Monasteria aliqua an sint, quae teneantur subsidium charitatiuum Episcopo elargiri.*

4 *Ecclesia exempta non tenetur soluere Episcopo charitatiuum subsidium. Limita, vt n.* 5. & 6.

7 *Moniales an teneantur soluere charitatiuum subsidium.*

Abbates, & Monasteria non tenentur praestare Episcopo subsidium charitatiuum, vt tenent Ioannes Andr. Butr. Imol. *in c. Dilectus. de off. Ordinar.* Innocent. *in c.* 1. *de stat. Monach.* Hostiens. *in Summ. tit. de cens.* §. *Ex quibus causis. vers. Item, Episcopus exigit.* Belline. *d. tract. quaest.* 29. Rodet. *qq. regul. tom.* 2. *q.* 66. *art.* 1. & 2. qui refert, Gregorium XI. Pontificatus sui anno quarto, Idibus Octobris Ordinem D. Hieronymi in Hispania exemptum fecisse à solutione charitatiui subsidij, ita vt neque Legatis, siue Nunciis apostolicae Sedis, aut locorum metropolitanorum, siue dioecesanorum procurationes aliquas, vel iura alia, aut subsidia, quaecunque nomine nuncupata Monasteria, aut Fratres soluere teneantur. Refert etiam, Eugenium IV. anno Domini 1443. Pontificatus sui anno 13. decimo-septimo Kalen. Decembris, Priori, & Fratribus Beatae Mariae de Guadalupe concessisse, & indulsisse, quòd Monasterium praedictum, ac eius Fratres in dicto Monasterio pro tempore degentes, & omnia eorum bona, & loca ad ipsum Monasterium spectantia, à talibus subsidiis, & impositionibus, aliisque exactionibus quibuscunque exempta essent. Refert etiam Leonem X. Clem. VII. Paulum III. Pium IV. & Pium V. idem concessisse in Monasterio, & Conuentu Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, vt habetur in Bulla Sixti V. incip. *Etsi ex iusta pastoralis officij.* data Romae anno Domini 1587. die 18. Augusti, indict. 15. vbi D. Magnus Magister, & Conuentus, Baiuliue, Castellanus, Emposte, Priores, milites, aliaeque personae dicti Hospitalis, necnon eorum subditi, vassalani, coloni, & seruitores, ac alij in eorum obsequiis, & dicti Hospitalis beneficiis quomodolibet nuncupatis existentes, etiam Presbyteros curam animarum exercentes, quandiu illam exercerent, & in illorum obsequiis forent, illorumque animalia, praedia, domos, molendina, & bona quaecunque obtinent, atque in posterum obtinerent, & possiderent, à solutione, & exactione decimarum, censuum, iurium, etiam synodalium, & canonicarum portionum, seu charitatiui subsidij, &c. exempti essent. Quae concessiones extenduntur etiam ad alios Ordines, qui eorum priuilegia participant. Ratio autem vltra praedictas concessiones, quare Monasteria, & Religiones ad charitatiuum subsidium soluendum non tenentur, est: quia eius exactio est de lege dioecesana, non autem iurisdictionis, vt ait Belline. *eod. tract. quaest.* 28. Cochier. *de iurisdict. Ordin. in exemptos, par.* 1. *quaest.* 25. *num.* 8. At Monasteria etiam non exempta à lege dioecesana immunia sunt de iure communi, vt probatur per text. *in can. Ne pro cuiuslibet.* 16. *quaest.* 1. & *in cap. de stat. Monach.* Nec obstat *Clementin.* 1. & 2. *de censibus*, vbi habetur, Religiosos teneri soluere iura episcopalia, & subire onera, &c. nisi speciali Papae concessione, aut consuetudine se tueri possint. Quia respondetur, ibi textum loqui de Monasteriis habentibus Ecclesias saeculares sibi subiectas, quae, antequam Monasterio subderentur, Episcopo tale subsidium, & alia iura soluere consueuerant; & propterea censentur aggregatae Monasterio cum suo onere, *cap. Pastoralis. de decimis, cap. Quia Monasterium de relig. domib.* Ita Cochier. 1. 2. 3.

vbi

vbi ſupra, dicto num 9. verſ Limita primo. Azorius *inſtit. moral. tom. 2. cap.* 14. *q.* 6. Barboſa *de iur. eccleſ. lib. 3. cap* 21. *num.* 51

4. Eccleſiæ ſimiliter exemptæ non tenentur præſtare Epiſcopo tale ſubſidium charitatiuom, vt probant Cardinal. *in Clem. Frequens. §. Nonnulli. de exceſſ. Prælat.* & Ancharan, *ibid. verſ.* 8. not. Bellinc. *loco cit. q.* 32. Azor. *ſimiliter loco cit. quaſt.* 6. Eraſmus Cochier. *loco cit. quaſt.* 9. Barboſ. *loco cit. num.* 53. vbi aduertit, quòd maximè procedit, ſi exemptio ſit data cum plena libertate: quia hoe Importat exemptionem non modò à iuriſdictione, ſed etiam ab omnibus, quæ ſunt de lege diœceſana.

5. Limittatur tamen, niſi in priuilegio exemptionis appoſita eſſet clauſula: *Volumus autem, quod Eccleſia huiuſmodi exempta cum charitate priori cum Epiſcopo remaneat.* Ita Bellinc. *loco cit. quaſt.* 32. Eraſm. Cochier. *quaſt. 9. part. 1. num. 9.*

6. Limitatur etiam niſi Eccleſiæ exemptæ haberent populum non exemptum: reſpectu enim populi non exempti deberetur charitatiuum ſubſidium, vt dicunt Bellincionus *loco cit. q. 32. num* 5. Eraſm. Cochier. *part. 4. quaſt. 9. num. 2.* & Barboſa *loco citato num.* 54. Sed hæc limitatio intelligenda eſt vt puro, de Eccleſiis, quæ non ſunt vnitæ Monaſteriis priuilegiaris, & exemptis, vt ſunt hodie mulia beneficia curata de menſa Prælatorum, & Abbarum, quæ licèt populum exemptum non habeant, cùm ſint vnitæ Monaſteriis, & Abbatiis, charitatiuum ſubſidium præſtare non tenentur.

Nec obſtat in contrarium *Clem. 1. §. Nonnulli.* cum Gloſſ. *in verſ. Exigendo.* vbi Abbas *num. 11. de exceſſ. Prelat.* & Hoſtien. *in Sum. de off. §. 2. verſ. nunquid Epiſcopus.* & Alexand. de Neuo *conſ. 58. num.* 8. & Boër. *deciſ.* 135. qui videntur affirmare, charitatiuum ſubſidium exigi poſſe ab exemptis, & à Monaſteriis, tam virorum regularium, quam mulierum, dummodo modus non excedatur, quod videntur colligere *ex d. Clem. 1.* à contrario ſenſu. Nam reſpondeo, quoad Regulares, præter ea, quæ dicta ſunt, iam excluſam eſſe conſuetudinem præſtandi charitatiuum ſubſidium propter exemptionem illis à Sede apoſtolica traditam

7. Quod verò ſpectat ad Moniales, ſi loquamur de exempris, quæ gaudent priuilegiis ſuarum Religionum, non tenentur, ſicut nec tenentur viri regulares exempti: ſi verò loquamur de non exempris, dicendum eſt Moniales non habentes redditus vltra ſummam 14. ducatorum auri de camera pro victu cuiuſlibet Monialis, & vltrà non habentes alios redditus; non teneri ad huiuſmodi ſubſidia, neque ad decimas papales prout decreuit Pius IV. in ſua Conſt. 5. quæ Conſtitutio quotidie practicata ponetur *in fine quaeſiti.* Idem affirmant Petrus Leo *in theſ. fori eccl. c.* 27. *num.* 86. & Laurentius de Franch. *in ſuis controuerſ. inter Epiſcopos, & Regul. q. 71. pag.* 394.

PIVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

De ſtatu Eccleſiarum, & Monaſteriorum quorumlibet curæ noſtræ, diuina diſpoſitione, commiſſorum, paterna diligentia cogitantes, ad ea, per quæ illorum, ac perſonarum, præſertim fœminei ſexus, in illis ſub regulari caſtimonia Altiſſimo famulantium ſtatui, & opportunæ ſubuentioni, valeat ſalubriter prouideri, ipſæquæ perſonæ, ſemotis ſatis perturbationibus vuiuerſis, in pacis, & quietis amœnitate diuinis Officiis liberios vacare valeant, libenter attendimus, ac in iis noſtri paſtoralis officij partes fauorabiliter impartiamur. Hinc eſt quod nos, motu proprio, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate omnes & ſingulas Abbatiſſas. Prioriſſas, miniſtras, Moniales, & Sorores quoruncunque Monaſteriorum, Domorum, & Regularium locorum, & Monialium & Sororum quorumuis Ciſtercien. Præmonſtraten. S. Claræ, necnon Sancti Benedicti, & Sancti Auguſtini, ac tertij Ordinis Sancti Franciſci, & aliorum quorumuis Ordinum, etiam ſub cura & regimine, ac ſecundùm regularia inſtituta Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum, & eremitarum eiuſdem Sancti Auguſtini degentium in Lombardia, & qoibuſconque aliis Italiæ partibus conſiſtentium, ipsáque Monaſteria, & domos, & loca (deductis quatuordecim ducatis auri de camera pro victu cuiuſlibet Monialis vel Sororis,) alios redditus non habentia, eorúmque poſſeſſiones, & alia quæcunque bona mobilia & immobilia à quaruncunque decimarum, & ſubſidiorum, ac aliorum onerum quomodolibet nuncupatorum per nos, & Sedem apoſtolicam, ſeu eius Legatos, & Nuncios, aut quoſcunque alios qoauis authoritate fungentes, etiam pro expeditione contra Turcas, vel fidei tuitione, ac Fabrica Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, aut quauis alia vrgentiſſima cauſa, pro tempore impoſitorum ſolutione ex certa noſtra ſcientia, authoritate apoſtulica, tenore præſentium in perpetuum prorſus eximimus, & liberamus, Et nihilominus omnibus, & ſingulis Collectoribus, Subcollectoribus, & Commiſſariis necnon quibuſcunqoe ad decimarum, & ſubſidiorum huiuſmodi exactionem deputatis, & pro tempore deputandis, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub noſtræ indignationis, ac excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictiùs Inhibemus, nec Abbatiſſas, Prioriſſas, Miniſtras, Moniales, & Sorores, Domos, & Monaſteria, & loca prædicta, etiam vigore quaruncunque Litterarum à nobis, vel Sede prædicta pro tempore emanatarum, etiamſi in eiſdem contineatur, quod ad quæuis exempta, & non exempta, Domos, Monaſteria, & loca ſe extendant, vel alterius cuiuſcunque tenoris exiſtant, ipſius Sedis ſibi conceſſæ facultatis niſi de præſentibus, eorúmque toto tenore, ac de dictis Ordinibus, & nomine eorum, quibus dictorum Ordinum cura, gubernatio, & protectio pro tempore commiſſa fuerint, plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importantes fecerint mentionem ad ſoluendum decimas, ſeu ſubſidia, aut onera huiuſmodi quouis modo cogere, aut compellere, ſeu aliàs præmiſſorum occaſione eas moleſtare, ſeu inquietare præſumant. Quocirca dilectis filiis Cameræ apoſtolicæ Locumtenenti, ac Almæ Vrbis noſtræ Vicario in ſpiritualibus generali, necnon vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, Epiſcopis, & etiam dilectis filiis eorum in ſpiritualibus Vicariis generalibus, cæteriſque Eccleſiarũ Prælatis per præſentes committimus, & mandamus; quatenus ipſi, vel duo, aut vnus eorum per ſe, vel alium, ſeu alios eiſdem Abbatiſſis, Prioriſſis, Miniſtris, Monialibus, & Sororibus in præmiſſis efficaci defenſionis præſidio aſſiſtentes eaſdem præſẽtes, & in eis contenta quæcunque inuiolabiliter obſeruari faciant: Non permittentes eas, ac Domos Monaſteria, & loca huioſmodi per Collectores, aut Subcollectores, & Commiſſarios præfatos, ſeu quoſcunque alios contra earundem præſentium tenorem quomodolibet moleſtari, cõtradictores quoſlibet,

& rebelles per censuras, & pœnas ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia appellatione postposita compescendo, necnon legitimis super his habendis seruatis processibus, censuras, & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Non obstantibus præmissis, ac fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri de vna, & in Concilio generali de duabus diætis edita, dummodo non vltra tres diætas, vigore præsentium, ad iudicium non trahatur, & aliis constitutionibus, priuilegiis quoque, indultis, & Litteris apostolicis, etiam in forma breuis, aut aliis quibuscunque per Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem prædictam, com quibusuis irritatiuis, annullatiuis, reuocatiuis, exceptiuis, restitutiuis, declaratiuis, aut derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, etiam pluries, ac aliàs quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis Quibus omnibus, etiamsi talia forent, quòd pro eorum derogatione de illis, eorùmque totis tenoribus specialis specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quòd earundem præsentium transūptis, sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, & manu alicuius Notarij publici subscriptis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ originalib. adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostēsæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo, Nonis Aprilis, Pont. nostri anno primo.

DISPVTATIO XI.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum circa bonorum temporalium administrationem.

QVÆS. I. Administratio bonorum temporalium Abbatiæ, siue Monasterij, aut religiosæ Congregationis, apud quem sit.

II. Vtrùm Abbas bonorum temporalium sui Monasterij dominus dici possit.

III. Abbatis potestas in acquirendo pro Monasterio, quæ sit.

IV. Quicquid acquirit Monachus, an Abbatiæ, & Monasterio, vel sibi, & consanguineis acquirat.

V. An Abbas, vel Monachus, ad Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem assumptus, suæ Ecclesiæ, vel Monasterio acquirat.

VI. An penes Abbates sit potestas, & cura conseruādi bona temporalia sui Monasterij.

VII. An Abbas teneatur defendere bona, iura, & priuilegia suæ Abbatiæ, & Monasterij, & quæ pœnæ contra raptores bonorum ecclesiasticorum illatæ sint

VIII. Vtrùm contra Abbates, bona, iura, & priuilegia non tuentes, possit Monasterium agere.

IX. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares suorum Monasteriorum bona in prouidendo decori, & ornatui Ecclesiarum expendere debeant

X. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares de facultatibus Monasterij debeant subditorum necessitatibus æqualiter prouidere.

XI. Quis numerus Regularium in vnoquoque Conuentu constituendus sit.

XII. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares de bonis Monasteriorum possint ædificia construere; & qualia ea esse debeant.

XIII. Vtrùm Abbas possit in supellectilem, & vestes pretiosas, lautas comessationes, superfluos seruos, & equitatus bona Monasterij impendere.

XIV. Vtrùm Abbates Commēdatarij, & alij Prælati, possint de fructibus suarum Ecclesiarum, & beneficiorum liberè disponere.

XV. Abbates, & Prælati sæculares, in quos vsus suorum beneficiorum redditus expendere teneantur.

QVÆSITVM I.

Administratio bonorum temporalium Abbatiæ, siue Monasterij, aut religiosæ Congregationis, apud quem sit.

SVMMARIVM.

1 *Administratio bonorum alicuius religiosæ Congregationis non potest esse apud singulos Religiosos.*

2 *Religio qualiter dicatur habere dominium bonorum in communi.*

3 *Administratio bonorum temporalium Religionis ipsis Prælatis commissa est de iure communi, & ex Regulis antiquorum Institutorum, vt num. 4. 5. 6. & 7.*

8 *Dominium facultatum Monasterij penes quos sit.*

9 *Dominium rerum Fratribus S. Francisci concessarum, & legata, necnon annui redditus dati iis Fratribus, & eorum Ecclesiis concessi, penes quem resideant.*

10 Præla

10 *Prælatus regularis, si facultates, ... eleemosynæ ipsius culpa pereant, an peccatum committat.*
11 *Bona Monasterij an teneantur singuli Monachi conseruare, sicuti tenetur Superior.*
12 *Abbas an teneatur ad restitutionem rerum Monasterij, quas apud Monachum depositas furari videt, & tacet.*
13 *Beneficio restitutionis in integrum an possit iuuari Monasterium, quando dolo debitoris in supradictis rebus depositis.*

1. NOn potest religiosa Congregatio omninò carere bonis temporalibus, quibus sustentetur: quomodocunque autem illa habeat, necesse est, vt eorum cura, & administratio penes aliquem resideat. Non potest autem esse apud singulos Religiosos: quia hoc repugnat ordini, & conseruationi rei: tum etiam, quia singuli potiùs paupertatis voto impediuntur, ne propria authoritate, & arbitrio de bonis temporalibus disponere possint: & licèt Monasteria bonorum in communi capacia dicantur habere dominium bonorum in communi, vt *inferius* videbi-
2. mus: hoc tamen non est ita accipiendum, vt omnes Religiosi sint domini singuli alicuius quotæ pro indiuiso; sicut contingit in fundo multis communi: sed habent dominium vniuersè, ita vt Conuentus habeat dominium tale, quale in rebus ecclesiasticis haberi potest, vt aiunt Nauar. *Comment. 2. de Regular. num. 8. in princip.* Sanchez *in Decalogum, lib. 7. c. 18. num. 11.* Quamuis autem potestas administrandi prædicta bona in tota Communitate esse possit: tamen nequit moraliter Communitas immediatè per se ipsam omnes actus ad hanc administrationē spectantes exercere: esset enim moraliter impossibile, ad singulos huiusmodi administrationis actus exigere, ac expectare omnium simul Religiosorum consensum; ideò oportet, vt potestas ea bona administrandi, vel in totum, vel saltem ex magna parte, ipsius Capiti, & Prælato commissa sit; quod est consentaneum sta-
3. tutis sacrorum Canonum, ac Regulis, & institutis Religiosorum, ac ipsarum Institutorum. Quoad sacros Canones, patet in multis locis, & præcipuè in *c. Nullam. 18. q. 2.* vbi à Pelagio Papa sic dicitur: *Vniuersa, quæ vel ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.* In quo textu pro certo supponitur, totam potestatem bonorum Monasterij, esse apud solum Abbatem. Patet etiam hoc ex nonnullis aliis iuribus, & præcipuè per *c. Ad apostolicam. &* . *Cum ad Monasterium. de stat. Monach.* iuncta Gloss. *verbo, Amouers, & cap. 2. eod. tit.* ibi: *Nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum.* Et ex c. *Edoceri. de rescript.* vbi Panormit. & communiter omnes, & *in d. c. Ad apostolicam. de regular.* Nauar. *Comm. 3. de regular. n. 5. & 6.*
4. Quo verò ad Religionum Regulas, & earum Institutiones, patet primò ex D. Basilij *Regula 7. & 8.* & *serm. 1. de institutione Monachorum*, & pluries alibi, vbi docet, totam bonorum curam esse debere apud Antistitem. Et in Regula S. Augustini *in princ.* hæc
5. habētur: *Non dicatis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia communia: & distribuatur vnicuique à Præposito ... &* *infrà* præcipit, vt nihil occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi.
6. Idipsum constat ex Regula S. Benedicti c. 32. & 33. & 54 & 57. in quibus locis, & alibi supponit totam hanc potestatem reperiri penes Abbatem: & clarius declaratur in c. 66. ibi: *Ideoque nos propter pacis, charitatisque custodiam in Abbatis pen-*
7. *dere arbitrio ordinationem Monasterij sui.* Ac latiùs *infra.* Cassian. etiam *de institut. renunc. lib. 4. c. 13. & 14.* idem refert de antiquis Monachis; & *c. 20. & se-*

quen. vbi supponit, totam Monasterij curam, penes Abbatem fuisse. Idem colligitur *ex toto lib. 7.*

Ex his patet, non solùm administrationem rerum & facultatum Monasterij esse penes Abbatem; verùm etiam earum dominium. Non nego, imò constanter affirmo, dominium omnium, quæ possident omnes in vniuersum Religiosi, remanere penes Deum; secundariò, penes Summum Pontificem, & totam Ecclesiam; tertiò, penes Ordines, & Monasteria, vt dicemus *in sequentibus quæsitis*: sed pro nunc affirmo, in Religionibus, quæ possident in communi administrationem, quam cum dominio impropriè sumpto confundo, cōsistere penes Prælatos primò, & principaliter; secundariò penes eorum Ministros, & Officiales, attentis in hac re propriis Constitutionibus, & consuetudinibus. 8.

Difficultas non parui momenti remanet explicanda de dominio rerum Fratribus S. Francisci concessarum, penes quem resideat. Aliqui dicunt, omnium rerum, quæ in numero, pondere, & mensura consistunt, & consumuntur vsu, dominium esse penes eos, qui eas donant, donec per ipsos Fratres consumptæ sint: aliarum verò rerum dominium esse apud Sedem apostolicam. Ita Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. c. 24. q. 5.* 9.

Nauarrus *lib. 3. cons. tract. de Regul. cons. 74. in 1. edit. num. vnic.* dicit, dominium omnium rerum donatarum Franciscanis existere, siue apud Deum, vel Summum Pontificem: & Bannes *2. 2. q. 62. in princip. tit. de domin. q. 1. dub. 1. in corollario*, affirmat, non sibi placere opinionem Doctorum affirmantium, dominium rerum comestibilium esse apud Summum Pontificem, & pecuniarum esse apud dantem.

Sanchez *in precept. Decal. lib. 7. cap. 18. num. 15.* dicit, dominium pecuniarū, quæ Franciscanis in eleemosynas largiuntur, remanere apud dantem; aliorum vero omnium, siue vnico, siue pluribus vsibus consumptibilium, & aliorum omnium, verbi gratia, domorum, Ecclesiarum, quas Fratres S. Francisci habent, dominium esse apud Summum Pontificem, *ex cap. Exiit, qui seminat. §. Cæterum, cum in eadem Regula. de verborum signific. in 6.* vbi de pecunia ab aliquo Fratribus concessa sic dicitur: *Ita tamen, quod penes ipsum dantem dominio, proprietate, ac possessione ipsius pecuniæ, cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam, semper vsque ad conuersionem ipsius in rem deputatam plenè, liberè, ac integrè remanentibus in ipsa pecunia, nihil omninò Fratres iuris habeant.* De legatis verò, & annuis redditibus prædictis Fratribus, siue eorum Ecclesiis relictis, videatur hæc decisio Sacræ Rotæ Romanæ in re hac scitu necessaria, sub proprio tenore.

R. P. D. MERLINO.

ROMANA COMPVTORVM.
Mercurij 10. Aprilis, 1630

DOminus Petrus Ioannes Albertus à Petro Elia in testamento executor supremæ eius voluntatis decretus, postquàm demandatam executionem ex voto testatoris impleuisse se arbitratus est, ad reddendam rationem testamentariæ administrationis paratum se exhibuit; super qua rationum editione suborta controuersia inter Syndicum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Monteserrato hæredis institutæ, & D. Albertum executorem, causa fuit coram Auditore Cameræ introducta, cui placuit me proponente Rotam consulere, An constet de legitima computorum redditione quoad tres partitas

Primò, quoad scuta ducenta soluta Oeconomo Sancti Petri ad montem Aureum.

Secundò, quoad scuta centum nonagintaseptem soluta pro impressione libri Fratris Angeli del Paz.

Tertiò, quoad expensas inscriptionis in eloquium testatoris factæ.

Et hodie quoad omnes affirmatiuè resolutum fuit.

Quod enim attinet ad primam, nempe, ad solutionem scutorum ducentorum factam Oeconomo sancti Petri ad Montem Aureum, in dubium non videtur posse reuocari, quin dicta scuta rectè fuerint soluta, quoniam Petrus Elias testator disertis verbis mandauit, vt pro cultu diuino in honorem Venerabilis Fratris Angeli del Paz, ad eiusdem sepulcrum situm in Ecclesia sancti Petri ad Montem Aureum, perpetuò accensa lampas arderet, ad quem effectum legauit vnum ex locis Montium in sua hæreditate reperiendum, & consignandum Oeconomo dictæ Ecclesiæ, & alium ex dictis locis Montium legauit eidem Ecclesiæ, ad hoc, vt tot Missarum Sacrificia in propitiationem, & suffragium animæ ipsius, pro requie benefactorum Deo offerrentur. Vnde D. Albertus ad exequendam voluntatem testatoris assumptus, rectè, & iuste soluit scuta ducenta, cùm loca Montium in hæreditate nulla extarent, & sic, quoad fieri potuit, iussa testatoris impleuit, & vt conseruaretur suprema eius voluntas, omni meliori modo curauit: hoc enim est munus testamentarij executoris, qui, dum nequit secundùm impositam formam mandata in testamento exequi, debet secundùm id, quod scit, vel præsumit, & speculatur voluisse testatorem, & secundùm Legũ, & Canonum sanctiones, eiusdem testatoris licitam voluntatẽ ad effectũ perducere, *ad l. Nulli. C. de Episc. & Cleric. c. Ioannes. c. Tua nobis. c. Nos quidẽ. de testam.* & tradit Ioan. de Canib. *in tract. de exec. vlt. volũt. p. 2. §. 1. num. 21. & seqq.* Gregor. Thulosan. *Syntagm. iur. part. 3. lib 42. num. 9.* Spin. *de testament. gloss. 28. num. 2. 18. & 29.* Et ad ipsum executorem spectat supplere, declarare, atque interpretari mentem testatoris, & voluntatem exequi; & ipsius declaratio est omninò attendenda. Bald. *cons. 259. lib. 4. & cons. 468. num. 3. vers. Super quo etiam executore, lib. 1.* Ancharan. *cons. 329. num. 2. in fin. & 3.* Simon de Pret. *de interpret. vltim. volunt. lib. 1. solut. 7. per tot.* Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib. 3. tit. 1. num. 20.* Præsertim verò, quando apparet, quòd testator expresse fidem executoris secutus est, vt in casu præsenti, vbi testator iussit post solutionem æris alieni, & Legatorum, residuum hæreditatis ab Ecclesia Beatæ Mariæ de Monteserrato hærede scripta distribui in pia opera benè executoribus visa; & in specie declarauit, *quod omnia fierent cum consensu, & voluntate Alberti: quia ipse solus sciebat eius mentem, & intentionẽ.* Ex quibus verbis desumi potest amplissima authoritas Alberto concessa, ita vt ex arbitrio, & voto ipsius fuerit omninò adimplenda voluntas defuncti, dummodo rationabiliter impleretur: hoc enim important beneplacitum, iudicium, & voluntas Alberti à testatore exacta, ad trad. per Bart. *in Extrauag. Ad reprimendum. in verbo, Videbitur. num. 4* Corn. *cons 92. num. 11. & seqq lib. 2.* Menoch. *de arbitr. iud. lib. 1. quæst. 7. num. 1. & quæst. 8. num. 10.* & benè in his terminis Capt. *de executor. vltim. volunt. membr. 6. num. 145 & 146.* Borgnin. *decis 40. num. 12. & 13. part. 5.* Imò ipsi sat est dicere, soluisse dicta scuta ducenta; quia ita benè sibi visum fuit: verbum enim, *videtur*, licet importet arbitrium boni viri, & excludat temeritatem agentis; nullam tamen imponit probationis necessitatem personæ, in quam directum est: nec grauat ad iustificandum id, quod gessit, vt benè docuit Ioan. Andr. *in cap. 12. num. 2. ad med. verb. Malitia, de iuram. calumn.* quem sequitur Afflict. *decis. 91. num. 7. vers. Sed posito.* Castill. *decis 8. num. 3. & seqq.* & consequenter implementum, & executio, mediante solutione scutorum ducentorum ab Alberto perfecta, nullo modo impugnari potest: sed, quod ipse declarauit, haberi debet, ac si fuerit à testatore declaratum iuxta tradita per Capt. *vbi suprà num. 149.*

Nec est ambigendum, quin voluntas Petri licita, & valida fuerit, quoad dictum legatum factum Oeconomo Ecclesiæ sancti Petri ad montem Aureum, pro lampade in honorem Patris Angeli del Paz, & pro Missis in suffragium animæ suæ, licèt Fratres Ecclesiæ Sancti Petri in Monte Aureo, tanquam de Obseruantia Ordinis Sancti Francisci, videantur incapaces omnis successionis, & legatorum ex Constitutione Nicolai III. *in cap. Exiit. §. Insuper. de verb. signif. in 6.* & Clementis V. *in Clem. Exiui de Paradiso. eod. tit.* & ex Sacri Concilij Tridentini dispositione, quod hanc incapacitatem solùm reseruauit Patribus Capucinis, & Minoribus de Obseruantia, vt *in sess. 25. cap. 3.*

Quoniam visum fuit Dominis, in proposito casu non applicari dictas Constitutiones *in cap. Exiit. & Clem. Exiui.* & non obstare validitati prædicti legati, pro quarum Constitutionum intelligentia, cùm multa inculcarentur ab informantibus, congruum putarunt Domini aliquas formare conclusiones.

Prima est conclusio, quòd Fratres Minores Ordinis S. Francisci, tam de Familia, quam Reformati, sunt capaces legatorum, quæ vnica solutione, seu præstatione adimplentur, tam in pecunia numerata, quam in aliis speciebus, vtputa frumenti, vini, olei, & stabilium; dummodo tamen duo copulatiuè concurrant. Primo, quod legatum fiat modo licito, atque ipsis Fratribus iuxta eorum Constitutiones permisso, hoc est, vt in eorum necessitates conuertatur, vel nullus explicetur vsus, sed absolutè illis legetur: quo casu præsumitur legatum eo modo, qui ad legati valorem necessarius est: non autem fiat modo illicito, & illis prohibito, vtputà si legentur bona stabilia ad excolendum, vel loca [illegible]dum: tunc enim eum Legatum capiat substantiam à modo (siquidem Fratres Minores ex se, non sunt rei immobilis relictæ capaces, sed ratione solius modi illis liciti capaces redduntur, vtique legatum corruit, nec etiam æstimatio debetur. Secundò, quòd legati quantitas non sit ingens; & immoderata, quæ sapiat thesaurizationem, & inde violetur votiua paupertas, & videatur fieri in fraudem, hoc est, relinqui hæreditatem sub nomine legati, sed modica, & suppetens ad solam necessitatem, vel executionem officiorum sui Ordinis, quod relinquitur arbitrio Superioris, attenta personarum & temporum qualitate, & conditione locorum, atque aliis circunstantiis. Ita ad normam Regulæ S Francisci sanxerunt Summi Pontifices, Nicolaus III. *in d. cap. Exiit.* & Clemens V. *in d. Clem. Exiui. de verbor. signific.* & tradunt Bart. *in tract. Minor. lib. 2. distinct. 1. num & seqq.* Bald. *in Auth. Ingressi. num. 59. C. de sacrosanct. Eccles.* Card. Zabarell *in d. Clem. Exiui. §. Proinde. num. 11.* & *ibidem* Anchar. *num. 13. & 15.* Butr. *in cap. In præsentia. num. 25.* vbi & Felin. *num. 52. ad fin. de probat.* Gabr. *conclus. 1. num. 4. de legat.* Nauar. *cons. 8. num. 1. & 2. de testam.* Peregr. *de iur. fisc. lib. 3. tit. 14. num. 2. & conclus. 10. & 11.* Menoch. *cons. 1014. num. 41. & seqq. vsque ad fin.* Roderic. *de Regular. tom. 2. quæst. 127. artic. 1. per tot.* C[illegible]duba *super Reg. Sancti Francisci, cap. 6. quæst. 8. super 2 puncto.* Hier. à Polit Capucin. *super dicta Reg. cap. 6. num. 62. & 72.* Benè Sanchez *super Decal. lib. 7. q. 26 à num. 10. ad 19. & numero 28.* Nec deficit ratio; quoniam per receptionem huiusmodi legatorum non prouidetur totali necessitati Fratrum, nec excluditur mendicitas, ita vt precariò & ostiatim sibi quærere victum non cogantur, vt præcipitur *in cap. 1. de reli.*

lig. Domib. in 6. cap. Nimis.il.2. de exceſſib. Prælat. ſeu hæc legata ſunt quædam eleemoſynæ, quæ nullum tribuunt dominium, proprietatem, aut poſſeſſionem, quæ repugnent eorum ſtatui; nec tollunt, quin Fratres diuinæ innitantur prouidentiæ: & quemadmodum Fratres ſunt capaces donationis ſub modo licito; ita etiam legati, quod eſt quædam donatio. *§.Legatum.inſtit.de legat.*Sanchez *ſuper Decal.d l.7. cap.* 26. *num.* 10. Sanctes Capucinus *ſuper Regula S. Franciſci,cap.6.fol.*305.

Secunda eſt concluſio, quòd Fratres Minores non ſunt capaces annuorum redditituum perpetuorum, etiamſi illa relinquantur adiecto onere perpetuo celebrationis Miſſarum. Ita videtur decidere textus *in dict.Clem.Exiui,verſ.Cùmque annui redditus.de ver. ſignif. in* 6. & idem volunt Gloſſ.*in cap. Quorundam. verb. Mendicantium.de elect.in 6.& in cap.1.de relig. Domib. eod. lib.* Abb. *in cap. Nimis. il 2. ſub num.* 2. & ibidem Ioan. Andr. Anchatan. *num.* 2. *de exceſſ. Prælat.* Geminian. *conſ.*40. *num.* 4. *& ſeqq.* quod eſt etiam *inter conſ.* Fulgoſ.104.Bald.*in d. Auth.Ingreſſi. num* 59.*C.de ſacroſ.Eccleſ.*Bart.*in l. Legatum.num.*2. *ff. de capit. diminut.* Zabarell.*in d.Clem. Exiui.dict. §. Cùmque annui. per tot.* Federic. de Sen. *conſ.* 12. *num.* 4. *& 5.* Nauar. *conſ.*8. *num* 3.*& ſeqq.* ac de teſtam. Polit. Capucin.*ſuper Reg.Sancti Franciſci, cap.* 6.*num* 59.vbi teſtatur, Capucinos non admittere huiuſmodi legata. Sanctes Capucin. *ſuper dicta Reg. c.*6. Sanch. *ſuper Dec d. c.*26.*n.*34. Quæ quidem concluſio illa potiſſimùm ratione ſobnititur: quia nihil eſt, quod magis arctiſſimæ paupertati Minorū repugnet, quam redditus annui, qui ſunt certi, & determinati, & ſapiunt nimiam proprietatem, atque inter immobilia connumerantur *in d. Clem. Exiui. § Cùmque annui.* Et *ibidem*.notantDoctores,& latè in his terminis Borell. *conſ.* 17. *num.* 23. per quorum poſſeſſionem in perpetuum prouideretur Fratrum neceſſitati, & penitùs excluderetur mendicitas, vel in ea certè mentenetur; quod eſt abſonum, vt *ex l. Si quis. C. de cenſib. & cenſic. lib.* 11. deducit in propoſito Bald. *in dicta Authen. Ingreſſi. num.* 60. *ad fin. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Sique Fratres reciperent huiuſmodi annua legata, & obligationes perpetuas, etiam pro Miſſis, & Anniuerſariis celebrandis, tractu temporis nedum mendicitatem deſererent; ſed conflatis pluribus annuis redditibus, qui ſuperabundarent ad alimenta, & vitæ ſuſtentationem, apertè diueſcerent: quod eſſet magnum abſurdum eorum ſtatui repugnans, vt perpendit Nauar. *d. conſ.* 8. *num.*6. & Sanctes *Theſaur. Capucin. ſuper Reg. Sancti Franciſci, cap.* 6.*fol.*308. Qui ampliùs aſſerit, ſuper hoc emanaſſe Conſtitutionem Leonis X. prohibentem receptionem huiuſmodi legatorum: & demum modus ſimilis legati, vt quotannis aliquid ſoluatur, ſemper ſecundùm eorum Conſtitutiones eſt illicitus. A modo autem capere ſubſtantiam legata facta Minoribus, dixit Bald. *dicta Authen.Ingreſſi.num.*59.Sanch. *ſuper Decal. d. lib.*7. *cap.*26.*num.*18.

Et quamuis ab hac opinione, quoad Anniuerſaria perpetua relicta Minoribus in ſtipendium Miſſarum, & diuinorum Officiorum celebrandorum, diſſentire videatur Syluelt.*in Summa, verb. Legatum, il 2.ſub num.* 4. *verſ. Tertium Petrus.* quem ſequitur Roderic. *quæſt. regular. tom.*2. *quæſt.* 127. *art.*4. & Frater Thomas à Ieſu Maria Diſcalceatus Carmelit. *in expoſit. Reg. ſancti Franciſci, part.*5. *cap.* 3. *verſ. Poſſunt præterea.* Attamen etiam quoad iſtaAnniuerſaria benè procedit ſupra firmata concluſio, & militant prædictæ rationes, annuúſque redditus, ex eo, quòd ſit debitus intuitu Miſſarum, non deſinit eſſe annuus redditus, qui ſemper Minoribus eſt interdictus. Et

ſententiam Syluestri, atque aliorum doctè reprobat Sanchez *dict. cap.* 36. *num.* 41. contra quam refert, per duo Capitula generalia ita fuiſſe definitum, & capitulares Ordinationes teſtatur ſe vidiſſe Suid. *de aliment. tit.*3. *quæſt.*4. *num.*13. Addens, quòd in vim huiuſmodi Ordinationum Guardianus, vel alius Prælatus proteſtari debet, quòd non intendit legatum acceptare, imò abſolutè repudiat: & concordat Corduba *ſuper Regula S. Franciſci, cap.*6. *quæſt.* 11.*art.* 4. *verſ. Si vero legatum.* Nec aduerſantur Federic.de Sen. *conſ.*12. Abb. *conſ.* 63.*lib.*2. Zabarell.*in Clemen. Exiui.§.Cùmque annui de verb.ſignif.*Menoch.*conſ.*1014. *num.* 44. & alij. Quoniam Federic. de Sen. & Abb. quorum dicto cæteri innituntur, firmant, quòd Fratres Minores ſunt capaces annui redditus non perpetui, ſed ad tempus, vtputà ad vitam vnius Fratris maximè annoſi, vt inquit Abb. Et hæc opinio Federici temperanda eſt, vt procedat ſolùm, quando legatum annuum continet præſtationem modicæ, ſeu minimæ quantitatis, & eſt ad modicum tempus, quod reputatur decennium, vel minus. Ita declarat Abb. *d. conſ.* 63. *ſub num.*6. *verſ. Sed ego hanc opinionem ſequor* Hieronym. à Polit.*ſuper Reg Sancti Franciſci,cap.*6.*num.*68. *ad fin. verſ. Ego vero credo.* Cordub. *ſuper dicta regula, cap.* 6. *quæſt.* 11. *punct.*3.*ad fin.* vbi, quòd licet huiuſmodi optimo iu rigore litteræ poſſit videri contra *Clement. Exiui.* tamen in ſenſu æquitatis non eſt contra eam. Sorbus *in compend. priuileg. Mendicant. verb. Legata, in ſuis annotat.verſ. Modicum autem tempus.* Et cum hoc temperamento opinionem Federic. de Sen. & Abb. videtur etiam amplecti Sanchez *d. cap.* 36. *ad fin.* imò, quòd Minores ſint incapaces cuiuſcunque annui redditus, etiam exigui, tenet Gemin. *conſ.* 40 quod eſt *inter conſ.* Fulgoſ.104. Dec. *in cap. In præſentia num.* 273. *de probat.* Tiraq. *in tract. de iudic in reb. exig. num.* 158 *verſ. Quinquageſimoquinto* Queſad.*diuerſ quæſt. iur.cap* 22.*num* 39. Sucin. *de oblat. libell.*8. *num.* 35. *& ſeqq.* In quam ſententiam videtur inclinare Bart. *in tract. Minoricar. lib.* 2. *diſt.* 6. *cap.* 3. vbi monet Fratres, vt ab huiuſmodi legatis penitus abſtineant.

Tertia eſt concluſio, quòd legatum annui redditus perpetui factum Fratribus, ſeu potiùs Eccleſiæ, & Sacriſtiæ Fratrum Minorum, non ad ipſorum victum; ſed ad certum diuini cultus vſum, vt ad frumentum, vel vinum, neceſſaria materiæ conſecrationis, oleum pro lampadibus, ornamenta altarium, calicéſque; omninò ſuſtinetur, vt apertè docuit Federic.de Sen.*conſ.*12 *num.*4.& *ibi* adden. Butr. *in cap.In præſentia. num.* 25. *de probat.* Abb. *conſ.*63. *num.*4.*lib* 2. Card. Zabarell.*in Clement Exiui.num.*13. vbi Anchar. *num.* 13. *&* 25. *de verb. ſignific.* Baldus *in Authent.Ingreſſi. num.*59.*C.de ſacroſ.Eccleſ.* Anan. *conſ.*30. *num.*3. *& ſeqq.* Menoch. *conſ.*1014.*num.*36. & 37. Corduba *in Reg.ſancti Franciſci, cap.*6.*quæſt.* 11. *puncto* 3. Roderic. *quæſt. Regular. tom.* 2. *quæſt.* 127.*art.*5. Sanchez qui alios congerit *ſuper Decalog. lib.* 7. *cap.* 26. *num.* 42. Frater Thomas à Ieſu Maria *ſuper Regula S. Franciſci, part.*5. *capite* 3.*col.*3.*verſ. Sed an fieri poſſit.*Frater Hieronym. Polit. Capucin.*ſuper dicta Regula, cap* 6 *num.*70. Et eſt ratio: quia legatum non concernit commoditates Fratrum, ſed diuinum cultum: nec aduerſatur eorum paupertati; ſiquidem, cùm mendicitas Fratrum Minorum in eo verſetur, vt quotidie ex pietate Chriſti fidelium alimenta mendicent, quorum nomine veniunt ſolùm corpori neceſſaria, vt eorum potus, habitatio, veſtes, *l.Legatis.ff de aliment. & cibar. legat.l.Verbo victus. ff de verb.ſignif.*vtique huiuſmodi legato non infringitur, nec tollitur hæc eorum mendicitas, vtpote

quòd non in alimenta, seu victum, & vestitum ipsorum cedere debeat; sed in necessaria cultui diuino, vt benè ratiocinatur Bart. *in tract. Minoric. lib. 1. num.* 18. Abb. *d. cons.* 63. *num.* 2 & alij *supra* allegati, & præcipuè Sanchez *d. cap.* 26. *num.* 42. & tale legatum nullibi repetitur prohibitum, quod non dicitur Fratribus relictum, sed sacris ædibus, & templis: atque aliud est Ecclesia, aliud Monasterium, vt per Syluest. *in verbo, legatum, il* 2. *num.* 4. Nauar. *cons.* 9. *de testament.* Roderic. *quæst. regular. cap.* 127. *art.* 5. Ex quo malè sensisse videtur Azor. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 25 *q.* 15. negans, sostineri simile legatum, qui reprobatur per Sanchez *ibi supra. num.* 42.

Ex quibus conclusionibus Domini inferebant in casu præsenti, legatum factum à Petro Elia esse validum, & rectè fuisse persolutum ab Alberto exequutore. Quoniam, quoad scuta centum pro celebratione Missarum, prima conclusio benè applicatur circa legata, quæ vnica præstatione adimplentur, quorum Fratres Minores sunt capaces, & confirmant tradita *in cap. Anima. & cap. Abeuntibus.* 13. *q.* 2. vbi sacrificiorum oblatio pro Defunctorum animis commendatur. Quò verò ad alia scuta centum pro manutenenda lampade in honorem P. Angeli del Paz, intrat tertia conclusio quoad legata respicientia cultum diuinum; & Menoch. *cons.* 1014. *num.* 37. præcisè loquitur de simili legato pro lampade, atque alij pro dicta conclusione allegati, quod Fratribus legatariis omninò debetur.

Non obstat modò, quòd hæc duo legata; alterum nempe, pro lampade accensa; alterum pro celebratione Missarum, irrita sint, & nulla; quia in hæreditate non fuerunt reperta loca montium destinata à testatore pro solutione legatorum, & consequenter legata videntur effecta fuisse caduca, *ad l. Si sic. §. Si mihi ff. de legat.* 1. *cum concordant.*

Quoniam quoad legatum pro lampadis conseruatione, Domini non dubitarunt, quin fuerit omninò soluendum, licèt loca montium non fuerint reperta in hæreditate. Siquidem testator primò legauit absolutè, & per narrationem perfectam, & deinde separatim mandauit legatum solui ex locis montium. Vnde loca montium non dicuntur adiecta taxatiuè, sed demonstratiuè; adeò vt, licèt illa non fuerint inuenta, legatum sit præstandum ex reliqua hæreditate, *iuxta l. Quidam testamento. ff. de legat.* 1. & benè distinguendo tradit Castren. *cons.* 338. *num.* 3. *lib.* 1. Alex. *cons.* 216. *n.* 3. *lib.* 7. Berof. *cons.* 17. *num.* 23. *lib.* 1. Simon. de Pret. *cons.* 117. *num.* 14. Gabr. *cons.* 105. *num.* 9 *lib.* 2. Manent. *cons.* 6. *n.* 14. *& seqq lib.* 1. Rut. *dec.* 662. *num.* 1. *part.* 1. *diuers.* cum aliis. Legatum enim huiusmodi non consistit in locis montium, sed in præstatione illa quantitatis in genere: nec deficit substantia legati, licèt demonstratio, & designatio adiecta executioni eiusdem sit falsa. Bart. *in d. l. Quidam testamen. in princ. ff. de leg.* 1. Bald. *in l. Si sic legatum. §. Si mihi* vbi etiam Ias *num.* 1. *ff. eod.* Beroi. *cons.* 91. *n.* 4. *& seqq.* Gabr *dicto cons.* 105. *n.* 1. *& seqq.* licèt secus esset, si eadem oratione, & vnico verborum contextu contineretur legatum; & vnde, vel ex quibus pecuniis debeat illud solui; & sic appareret, testatorem non habuisse pro dilmiti rem legatam, & solutionem eiusdem. Ad quem effectum considerat Castrensis vnitatem, vel duplicitatem orationis, vt scitè ponderat Laderch. *cons.* 15. *per tot.* tunc enim, quia solutio dicitur adiecta causa taxationis, limitationis, & si pecuniæ illæ non reperiantur, corruit legatum, vt docent præallegati Doctores, & benè per Rot. *decis.* 11. *num.* 8. *& 9. de testam. in antiq.* Card. Mantic. *de coniect. vltim. volunt. lib.* 9. *tit.* 3. *num.* 10 Menoch. *cons.* 1163. *n.* 15. *&* 16. plenè Laderch. *dict. cons.* 159. *per tot.* & Mo-dem. Mantuan. *controuers. forens. cap.* 336. *num.* 11. *&* 12.

Quo verò ad legatum pro Missarum Sacrificiis in propitiationem animæ suæ Deo offerẽdis, illud etiam esse debitum, quamuis locus montis non vacabilis in hæreditate non fuerit repertus, Domini censuerunt ex coniecturata mente testatoris. Quam voluntatem, etiam tacitam, & coniecturis elicitam prædominari verbis, & esse attendendam, est certi iuris, *l. Licèt. Imperator. ff. de leg.* 1. *Cum proponebatur. ff. de leg.* 2. Mantic. *de coniect. vlt. volunt. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 2. *&* 10. Honded. *cons.* 69. *num.* 7. *lib.* 1.

Hæque voluntas testatoris, vt dictum legatum omninò præstetur, à Dominis desumebatur: tum ex eo, quia idem testator noluit hæreditatem suam deferri Ecclesiæ S. Mariæ, nisi postquam fuerint soluta legata, quæ habuit pro seclusis, & separatis ab hæreditate, & sine controuersia præstandis, stantibus illis verbis, *solutis legatis, &c. residuum hæreditatis distribuatur.* ad *l. Traditis l. Ossilius. ff. de legat.* 3. Cuman. *cons.* 115. *num.* 1. Paris. *cons.* 74. *num.* 61. *lib.* 3. Et Missarum Sacrificia præcisè iussit celebrari in Ecclesia, in qua sepeliri voluit, vtpote prædilecta, iuxta tradita per Abb. *cons.* 99. *sub num.* 5. *par.* 2. Card. Caualer. *decis.* 494. *num.* 3. *&* 4. signum patens enixæ voluntatis ipsius circa legati præstationem. Tum etiam, qoia, cùm idem testator haberet pecunias super bancho destinatas emptioni locorum montium, quod facto declararunt exequutores, erogãdo statim huiusmodi pecunias in dictam emptionem, staute hac destinatione emptio habenda fuit pro facta, ad tradita per Becc. *cons.* 60. *num.* 32. Surd. *cons.* 195. *num.* 2. *&* 3. *& cons.* 239 *num.* 4 Quæ certiora etiam euadere videbantur, attenta amplissima facultate Alberti exequutoris, bona fide, atque obligatione eiusdem, & fauore causæ piæ, & animæ defuncti, in cuius fauorem in dubio exequutor arbitrari tenebatur, vt tradit Capra *de executor. vltim. volunt. membr.* 6. *num.* 146.

Quoad secundam partitam, de qua in dubio, nempe, scuta 197. soluta pro impressione libri Fratris Angeli del Paz, habendam esse illius rationem, Domini etiam responderunt; quoniam aperta est testatoris voluntas, quam pro lege seruandam esse decernit lex omnium vetustissima; & quæ primo Romanis constituit Rempublicam, nempe, XII. Tabularum, vt inquit Iustinianus *in Nouella de nupt.* Et iustè pro huiusmodi impressione soluta fuerunt dicta scuta. Reu. P. Lucæ Vvadingi de Obseruantia, qui ex præcepto testatoris dictæ impressioni præesse debebat. Neque id repugnat statui mendicitatis, cùm in ipsius vsum conuerti non debeant; sed vt typis mandentur Opera dicti Fratris Angeli del Paz: nec simila legatum est illi interdictum, quemadmodum nec prohibita sunt Minoribus legata pro emendis libris, & pro studio, etiamsi legentur annui redditus; quoniam non pro eorum alimentis deseruiunt, sed pro litteris addiscendis, iuxta Gloss. *in Clem. Dudum. verb. Indurctè. de sepultur.* Menoch. *cons.* 1014. *num.* 38. Sanchez *super Decalog. dict lib. cap.* 26. *num.* 45.

Incongrua autem visa fuit prætentio Syndici Sanctæ Mariæ, de Monteserrato, quod nempe, Albertus executor deberet exigere à Patre Fratre Luca fideiussionem de restituendo dicta [illegible] uta postquam libri fuerint impressi: Tum, quia, cum testator nullam requisiuerit satisdationem, nec illam exequutor tenebatur requirere, vt est textus *in l. Liberto §. Largius. ff. de annuis leg.* & concordat *Primo. §. 1. ff. Quando dies leg. ced.* Tum q[illegible], cùm Pater Frater Lucas, tanquam Minor de [illegible] seruantia Ordinis Sancti Francisci, sit incapax eius-

insecunque iuris, & obligationis ciuilis vtrique non poterat interuenire fideiussor, nec fideiussori promittere & cauere de indemnitate, *ad l. Fideiussor. §. Fideiussor. ff. de fideiussor. cap. penult. eod. tit.* & sic prorsus inutilis fuisset huiusmodi petitio. Tum demum, quia, cùm Albertus haberet notam mentem defuncti, vt idem testator expresse confessus est, omissa satisdationis exactio ab Alberto de voluntate testatoris omissa censeri debet, & in omnem casum dicti libri remanent pro cautione dictarum pecuniarum, insignisque integritas Patris Fratris Lucæ Vvadingi, locupletissimi fideiussoris loco fuit iure merito apud Albertum.

Quoad tertiam partitam, nempe: scuta 18. impensa pro excitando lapide in Valetudinario ex pecuniis hereditariis constructo, pro recipiendis infirmis in memoriam ipsius Petri testatoris; æquum esse Domini existimarunt, vt de illa etiam ratio habeatur, quoniam operi publico inscribi nomen eius, cuius pecuniis id opus factum est, licere scripsit Marcellus iurisconsult. *in l. Opus nouum. ff. de oper. public.* & Paulus *in l. 2. ff. eod. tit.* inquit: *Qui liberalitate, non necessitate debiti, reditus suos ad opera publica perficienda concessit, munificentiæ suæ fructum de inscriptione nominis sui operibus, si qua fecerit, capere per inuidiam non prohibetur.* Et Imperator Valens pariter *in l. Legata. C. de administr. rer. ad ciuit. pertin.* rescripsit, *munificentiam eius, qui legauit municipio, esse inscriptione notandam* Alphan *in l. 1. numero 120. ff. si certum petatur. Pont. de potestate Proreg. titulo de diuersis proceß. rub. de insignib. & arm. num. 5.* Caput de regim. *Respub. in rubr. n. 45.* Chassan. *in Catalog. glor mund. par. 1. consideral. 38 concl. 13.* Et huiusmodi inscriptiones, dummodo nil contineat, quod à veritate alienum sit approbauit etiam Rota *in Abulen iurispatronatus.* 16. Iunij 1628. coram Reuerendiss. D. meo Decano. Et eò magis in præsenti casu inscriptio est admittenda: quia ex voluntate officialium Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Mon e serrato ædificium prædictum pro recipiendis infirmis fuit perfectum, & D. Albertus executor benè conscius voluntatis defuncti, sub hac conditione consensit prædicto ædificio: vnde qualitas inscriptionis non videtur posse reiici, cum actus sit approbationi indiuiduus, nec debeat fieri voluntatis diuisio *ad l. Cum in causa ff. de verb. oblig. In hoc inductio ff. famil. ercisc. ind.* Doct. *in l. Stipulationes non diuiduntur, ff. de verb. oblig.* Crauett. *cons. 170. n. 6.* Card. Seraph *decis. 540 num. 5.*

Et ita vtraque parte informante resolutum fuit, &c.

Extat etiam Decretum Sacræ congregat. Fabricæ S. Petri pro eisdem Fratribus, sequentis tenoris.

DECRETVM S. CONGREG. Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe.

Super Legatis relictis PP Minoribus de Obseruantia S. Francisci.

CVm sæpius fuerit habitus recursus ad Sacram Congregationem Ven Fabricæ S. Petri, super annuis legatis, factis, seu faciendis ad fauorem Fratrum S. Francisci Minorum de Obseruantia, cum onere Missarum, seu Officiorum, siue grans, siue alio modo.

Prætendente Ven. Fabrica S. Petri, ad illã spectare, propter dd. Fratrum incapacitatem, huiusmodi legata. Dictis autem Fratribus allegantibus posse annua legata huiusmodi recipere tuta conscientia quatenus hæres ex sua libera voluntate velint illa dare in eleemosynam, & committere Fratribus dd. Missas, & Officia, iuxta sententiam S. Bonauenturæ, & Decreta S. Congregationis à Sanctissimo D. Nostro Fratrum Minorum de Obseruantia S. Francisci Cismontanæ Familiæ Consultationibus præpositæ, sub die 4. Iunij, 1628. publicata,

Eadem Sacra Congregatio pro opportuna præmissorum prouisione, facta prius relatione Sanctissimo D. N. Vrbano Papæ VIII. ac de illius expresso ordine, & mandato decreuit in futurum super huiusmodi legatis obseruari, vt infrà.

Quòd huiusmodi legata per debitores, vel hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum Ministris Fabricæ faciendam, vel alio quouis modo, sed illorum capitale, siue sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conseruetur semper, & perpetuò, ad effectum, vt in vsus Romano Pontifici pro tempore existenti benè visos possint applicari; ita tamen, vt quandiu applicationem specialem authoritate apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint liberè, si velint, dictis Fratribus dare dicta annua legata per eosdem Fratres recipienda in eleemosynam; non autem per eos exigenda. Et quod quæuis extinctio, reductio, seu diminutio capitalis, seu proprietatis aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus, aut aliis quibuscunque suffragetur.

Quodque Commissarij, aliique Ministri Ven. Fabricæ super huiusmodi capitale seu proprietate supradicta, se de cætero non intromittant, nec dictos hæredes, seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinuestiendi in casu reinuestimenti, seu prouidendi, vt conseruetur, vt supra, aut aliàs in executionem applicationis authoritate apostolica facta, vel facienda,

Et quòd nolentibus dd. hæredibus vel debitoribus dare supradictis Fratribus dd. eleemosynas, seu annuas præstationes, siue legata, vt supra, soluere vel illas, seu illa non soluentibus, tunc, & eo casu lapsis duobus annis à die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel à die maturatæ illius solutionis eadem Fabrica, & illius Commissarij, & Ministri id totum, quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, vt supra elapsum biennium vel vltra, possit, & valeat annuas præstationes huiusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium, iuxta suas facultates, & priuilegia; saluo semper capitali, seu proprietate, vt suprà, ad effectum, quòd hæredes, vel debitores, (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios vsus eius authoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit,) possint si velint, etiam quandocunque futuris temporibus, & sic deinceps in perpetuum, dare dictis Fratribus dicta annua legata in eleemosynam, vt suprà, nec Fabrica eosdem hæredes, vel debitores molestare possit, & valeat toties, & quoties casus contigerit nisi pro præterito, & tunc in illis terminis tantum, post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel vltra vt suprà; salua semper electione beneficiorum, & applicatione legatorum, seu quorumcunque bonorum, & redditum, ac iurium eisdem beneficiis, seu aliis vsibus piis authoritate apostolica facta, vel in posterum quandocunque, & quomodocunque facienda, & executione literarum apostolicarum desuper expeditarum, seu expediendarum; ita vt præfata decreta ad illas nequaquam se extendant,

dant, sed illæ semper firmæ & illæsæ remaneant, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri debeant; ita quòd neque Fabrica, neque hæredes, vel debitores præfati, vllo modo illas impedire, retractare, vel controuertere valeant, & salui semper Sedis apostolicæ authoritate, ac facultatibus competentibus dictæ Sacræ Congregationi Ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem Sacra Congregatio Fratribus supradictis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat seu præsumat, per se, nec per alios Syndicos, Ministros, seu Procuratores, tam sæculares, quam Regulares, dictas annuas præstationes, seu legata, nec iudicialiter, tam coram quocunque Iudice ecclesiastico, quàm seculari Ordinario, vel Delegato, nec alias nisi iuxta formam dicti Decreti Congregationis Fratrum Minorum de Obseruantia Sancti Francisci Cismontanæ Familiæ à Sanctissimo D.N deputatæ ab hæredibus, seu quibusuis aliis eorum debitoribus petere, minúsve dd. hæredibus, seu debitoribus facere aliquas receptas pro dd. annuis præstationibus, nisi pro rata, & pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac verè, & realiter eisdem Fratribus data, vel soluta, seu datis vel solutis, nec sub alia Data, nisi sub ea, qua verè fuerit iisdem Patribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio; & insuper, ne Prouisos apostolicos pro tempore de beneficiis, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum Procuratores, & Ministros super etectione dd. legatorum directè vel indirectè impedire vel molestare quouis quæsito colore, vel prætextu audeant, vel præsumant. In quorum fidem, &c. Dat. Romæ ex Collegio eiusdem Sacræ Congregationis, die 14. Februarij, 1633.

DOMINICVS Card. Gynnasius

Locus † Sigilli.

C. DE GHETTIS *Oecon. grauis.*

De aliis verò rebus in §. *Ad hæc cũ Fratres*, sic statuitur: *Omnium vtensilium & librorum ac eorum mobilium præsentium, & futurorum, quæ, & quorum vsumfructum, scilicet, Ordinibus, & Fratribus ipsis licet habere proprietatem, & dominium ad nos, & Romanam Ecclesiam plenè, & liberè pertinere hac præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus.* Et eodem loco Suarez assignans rationem, cur de his ita diuersimodè statuatur, dicit, quòd eleemosyna pecuniarum Franciscanis non est conformis eorum Regulæ, quia ipsarum contractus illis interdicitur. Et idèò optimo iure sancitum esse apud datem remanere dominium, vt suo nomine expendantur in necessaria pro Fratribus; aliarum verò rerum eleemosynæ consonant illorum statui, & idèò dominium transit in Summum Pontificem, qui est specialis Pater fratrum Minorum. Et licèt ipse donans intentionem non habuerit expressam transferendi in Summum Pontificem vtensilia, nec reseruandi sibi dominium pecuniarum illarum; satis tamen habet tacitam, cum censeatur donare Fratribus modo illis legitimè congruenti *l. Plenum §. Equitij ff. de vs. & habit.* & eo modo, quo Fratribus ipsis potest acquiri iuxta probatas eorum constitutiones. Ita affirmant Rodriq. *qq regul. tom 1. q. 125 art 6.* Sotus *de iust. lib. 4 q. 1. art. 1. vers. Hisce tamen.* Alcozer *lib. de ludo, c. 17. ad finem* Rebellus *de iust. part. 1. lib. 1. quæst. 7 sect 4.*

Nec obstat extrauagans Ioan. 22. quæ incip. *Ad Conditorem. de verb. signif.* in qua ille Pontifex à se abdicanit, & à Sede apostolica totum dominium rerum fratrum S. Francisci: quia postmodum alij Summi Pontifices, & præsertim Alexander VI. idem dominium receperunt, vt habetur *in compend. priuileg. Fratrum Min. verbo Paupertas.*

10. His positis, aliquæ suboriuntur difficultates Prima, an Prælati regulares penes quos est dominium rerum, & facultatum Monasterij, siue cura, vel administratio, siue dominium sit penes Deum, aut Summum Pontificem aut Monasterium, vel quemlibet alium; peccatum committant, si facultates, siue eleemosynæ ipsorũ culpa pereant, aut deteriorentur Respondeo, si Prælatus se ingerat in acquisitione suæ Prælaturæ, tenetur de culpa leui: nam in commodum proprium prælaturam recepit: si autem non se ingerit, sed passiuè se habet in receptione prælaturæ, tenetur solùm de culpa lata: quia tunc non in sui gratiam, sed Monasterij, prælaturam recepit. Ita habetur *in Gloss. in cap. vnic. de commod. verbo, de leuissima.* Naldus *in Summ. verbo, bona, num. 14.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 41. dub. 9. num. 79.* Llamas 3 *part. met. cap. 13. §. 14.* Syluester *verbo, Prælatus, q. 4. qui verbo, culpa, q. 1. num. 2* distinguit de culpa in latam, leuem, & leuissimam. Prima est ignoratio illius rei, quam quis scire tenetur, & sciunt alij eiusdem status, & conditionis. Secunda est omissio illius rei quam homines eiusdem conditionis diligenter solent adhibere. Tertia est omissio rei, quam homo diligens adhibere solet.

11. Secunda difficultas est an singuli Monachi teneantur, sicut tenetur Superior, & Abbas, conseruare bona Monasterij. Cui difficultati respondeo, quòd cùm res monasterij communes sint, ad singulos spectat eorum conseruatio. Non tamen inferas, eos teneri eodem modo ad talem conseruationem, quo tenetur Abbas: quia iste ex iustitia omninò tenetur, non solùm non dissipare, sed etiam conseruare: Monachi verò si prædictæ res eorum curæ non sint demandatæ non tenentur ex iustitia eas conseruare, & non dissipare; sed tantum ex charitate, & ne contra paupertatis votum peccatum committant. Ita Suarez *tom. 4. de Relig tract. 1. lib. 2. cap. 26 num. 7.* Anton Peres *in Comment. Regul. S Bened. cap. 32 num. 6.* Vbi Turrecrem *tract. 91.* Laurentius de Peytin. *tom. 2. de Prælat. q. 1. cap. 5 num. 48.*

12. Tertia difficultas, an Abbas videns res, & facultates Monasterij apud monachum depositas ab aliquo furari vel aliquo alio modo culpa sua illas perire, nec obstet, cùm possit, teneatur illas restituere. Respondent aliqui peccare quidem Abbatem, sed non teneri Monasterium, nec Abbatem ea restituere Monacho non restituente: quia res illæ personæ Monachi tantùm commendatæ fuerunt.

Respondent alij, quòd cùm Abbas in bonum Religionis, & vtilitatem electus sit, non autem in damnum; teneri ad restitutionem. Alij dicunt, peccare quidem mortaliter; non autem teneri ad restitutionem: quia res Monasterij, quæ restituendæ essent, Abbatis curæ nequaquam commissæ sunt, vt ex in pœnam sui criminis, & erroris consumantur. Dicunt tamen, Abbatem non compellentem Monachum restituere parti petenti, non solùm peccare, verùm etiam teneri. Ita affirmant D. Antonin. 3 *part. tit. 16. cap. 6. §. 7.* Sylnester *verbo, Religio, 6. q 8.* Tapia *Authent Ingressi §. Sua. cap. 18. num. 17. de sacros. Eccles.* Quæ quidem sententia non mihi satis probatur propter rationem adductam, præterquàm quòd, cùm Abbas adstrictus sit voto paupertatis, non inuenio, qua ratione possit facultates Monasterij ad proprium errorem diluendum aliis elargiri.

13. An verò Monasterium possit priuari in integrum beneficio restitutionis, quando dolo in supradictis rebus depositis deliquerit, & quando dictæ res depositæ factæ Monasterio censeantur; respondeo negatiuè: quia

quia Eccleſia æquiparatur minori, *cap. 1. de reſtit. in integrum*: at minori non reſtituitur, quando præceſſit dolus. Ita Sforſias Oddo *de reſt. in integrum. p. 2. q. 83. tit. 10. art. 2.* Ioan. Andr. *cap. 1. num. 2. de depoſit.* Cardinal. *ibid. num. 2. not. 2.* & Imola *ſimiliter ibi num. 6.* quòd ſi ſolùm eſſet in culpa lata, dicunt Ioannes Andr. & Cardinalis *loco citato*, ibi adhuc non competere beneficium reſtitutionis ſibi: quia lata culpa æquiparatur dolo.

QVÆSITVM II.

Vtrùm Abbas bonorum temporalium Monaſterij dominus dicit poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Dominium quid ſit.*
2 *Dominus quis dicatur.*
3 *Abbas non poteſt dici dominus bonorum ſui Monaſterij; ſed tantum adminiſtrator.*
4 *Dominium, & proprietas bonorum temporalium Monaſterij apud quem reperiatur.*

1. PRo clariori huius quæſiti explicatione ſupponendum videtur, dominium eſſe ius perfectè diſponendi de re aliqua corporali, in quemcunque vſum lege non prohibitum. Ita illud diffiniuit Bartol. *in l. ſi quis vi. §. Differentia num. 4. ff. de acquirend. poſſeſſ.* Addidit autem illam particulam, *corporali*: een et enim, rerum incorporalium, vt ſunt iuriſdictio, ius eligendi, & ſimilia iura, eſſe non poſſe dominium propriè, ſed quaſi dominium: neque poſſeſſionem, ſed quaſi poſſeſſionem, vt aiunt omnes Iuriſtæ. Attamen, quia circa hæc omnia eſſe poteſt vera proprietas, & principalis facultas diſponendi de illis; ideò illa proprietas ſimpliciter dominium appellari poteſt. Vnde dici conſueuit, hunc, vel illum eſſe dominum huius beneficij aut cathedræ, aut iuris, præcipuè in materia, de qua loquimur, vbi huiuſmodi differentia nullius eſt momenti, ſi alioqui tales res incorporales ſunt pecunia æſtimabiles. Ita Molina *de iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſput. 3. verſ. Addit Bart.* Suarez *de Relig. tom. 3. lib. 8. c. 5. num. 4.*

2. Porrò dominus ille dicitur, qui habet ius, & poteſtatem perfectè diſponendi de re, id eſt, omni modo, & propria authoritate, ſiue in proprium, ſiue in alienum commodum ea vtendo; & ſiue eam conſumendo, vel alienando, ſiue reſeruando.

3. His ita poſitis, patet, quid dicendum ſit ad propoſiti quæſiti reſolutionem: licèt enim penes Abbatem ſit præcipua adminiſtratio proxima bonorum ſuæ Abbatiæ, & Monaſterij, iuxta commune ius *in cap. Nullam. 18. q. 2. cap. Edoceri de reſcript. cap. Cùm ad Monaſterium. de ſtatu Monach.* Concil. Trident *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 2.* & nos latiùs diximus *in antecedenti quæſito, & in diſputatione de poteſtate Abbatis circa votum paupertatis.* certum eſt tamen, illum non eſſe, nec dici poſſe dominum, ſed Protectorem potiùs: tum, quia ipſe etiam eſt paupertatis voto adſtrictus, atque ita dominij incapax: iura enim Religioſis propriom prohibentia loquuntur indifferenter de omnibus profeſſis: tum etiam, quia Monaſterium non tranſtulit in ipſum Abbatem dominium bonorum: ergo non poteſt eorum dominus dici, nec pro ſuo libito illa expendere, vt alibi docuimus: tum etiam, quia, ſi Epiſcopi, & cæteri Prælati, & beneficiarij ſæculares, qui paupertatem non vouerunt, non dicuntur poſſidere bona ſuarum Eccleſiarum, & beneficiorum quoad dominium, & proprietatem: ſed tantùm quoad gubernationem, ſeu adminiſtrationem; & ideo non dicuntur eorum domini, ſed adminiſtratores, vt notatur *in c. 2. de donat.* Innocent. & alij *in cap. Cùm ſuper. de cauſa poſſeſſ. & propriet.* vbi præcipuè Panormit. *num. 20.* Idem *in cap. Edoceri. n. 2.* Quantò magis Abbates, cæterique Regulares Prælati, qui arctantur voto paupertatis, quod eſt promiſſio non habendi hoc dominium, vt explicat D. Thom. *2. 2. q. 186. art. 3.* Abbas igitur non dominus ſed adminiſtrator bonorum ſuæ Abbatiæ, vel Monaſterij dicendus eſt. Atque ita expreſsè probatur *in d. c. 2. de donat.* cum aliis iuribus adductis per Gloſſ. ibi, *in verb. procurator.* notant Archidiac. *in c. Quia Epiſcopus in fin. 5. q. 3.* Anton. de Butr. *in d. c. 2. in 1. not.* vbi etiam Panormit. *n. 2.* idem Anton. de Butr. *in cap. Petitio. in 2. col.* poſt Innocent. *ibidem, de Procuratoribus*, vbi etiam latè Bart. de Bellinc. idem Panormit *in d. cap. Edoceri. n. 2.* Nauar. *Comment. 2. de Regular. pluribus in locis præcipuè n. 21. & Comment. 3.* Sanch. *in Decalog. lib. 7. cap. 19. n. 21.* Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 8. c. 15. n. 10. & tom. 4 tract. 8. lib. 2. cap. 26. n. 1. parte 2. & ſeqq.*

Si petas, dominium, & proprietas bonorum, quæ à Monaſteriis, & religioſis domibus poſſidentur apud quem reſideat; ſuper hoc duæ ſunt ſententiæ. Prima eſt Innocent. *in cap. Cùm ſuper. de cauſ. poſſeſſ. & propriet.* Nauarri *Comment. 2. de Regular. n. 3.* Azor. *inſt. moral. tom. 1. lib. 12. cap. 10. q. 5.* Roderic. *quæſt. regular. tom. 3. q. 29. art. 5.* Mirand. *Manual. Prælat. tom. 1. q. 28. art. etiam 5. concl. 7.* aſſerentium verum dominium omnium bonorum, quæ poſſident omnes in vniuerſum Religioſi, reſidere primò, & principaliter penès Deum & ſupremum, & generale ius ea adminiſtrandi penes Papam, & Eccleſiam vniuerſalem; particulare verò Congregationibus Religioſorum, quæ poſſunt habere bona immobilia in communi; non autem quòd habeant aliquod dominium ſuper illis. Et adducunt rationem, nempe, quia hæc bona in iure vocantur patrimonium Chriſti 4.

Contraria autem ſententia, quæ probabilior videtur, tenet in Religioſis Congregationibus, quæ ſunt capaces redditiuum, & bonorum immobilium in communi, dominium illorum eſſe apud totam Communitatem. Hoc habetur expreſsè *in c. Quoniam. 16. q. 1.* vbi dicitur liberum eſſe Epiſcopis bona Eccleſiarum, nempe, decimas, & oblationes concedere Monachis Deum timentibus, & colentibus; & in dominium illorum, & vſum transferri, ergo dominium bonorum Conuentuum apud religioſam Communitatem reſidet. Præterea probatur ex Concilio Trident. *ſeſſ. 25. de Regular. cap. 3.* vbi *concedit omnibus Monaſteriis, & Domibus, tam virorum, quàm mulierum, & Mendicantium (exceptis domibus Fratrum S. Franciſci Capucinorum, & eorum, qui Minores de obſeruantia vocantur) etiam quibus, aut conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut ex priuilegio apoſtolico nõ erat conceſſum, aut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* Sed nõ dicitur propriè poſſidere, qui ſolam adminiſtrationem, ſed, qui dominium habet. Probatur tertiò, quia certum eſt, quòd quicquid adquirit Monachus, acquirit Monaſterio, non ſibi, vt *c. Cùm olim. el 2. de priuil.* & *ibi.* Innoc. at impropriiſſimè diceretur acquiſitio, ſi ſolum adminiſtrandi ius, non autem dominium acquireretur. Atque ita tenet Molina *de iuſtitia tom. 1. tract. 2. diſp. 142. col. 4. verſ. His obſeruatis. circa fin.* Sanch. *in Decalog. lib. 7. cap. 18. n. 10.* Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 16 ſubn. 2.*

QVÆSI

QVÆSITVM III.

Abbatis potestas in acquirendo pro Monasterio, qua sit.

SVMMARIVM.

1 *Acquirendi pro Monasterio potestas de iure communi tota penes Abbatem residet.*
2 *Abbas, quicquid acquirit, pro suo Monasterio, vel Religione acquirit.*

1. DIximus *in primo huius disputationis quæsito*, penes Abbatem residere potestatem administrandi temporalia Monasterij bona: quia verò inter actus huius administrationis est acquisitio bonorum, quæ ipsi Monasterio fit: omnes enim actus huius administrationis ad tria capita reduci possunt, nempe, ad receptionem, seu acquisitionem, ad conseruationem, & ad distractionem, seu alienationem talium bonorum, vt doctè notauit Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 1. ad finem.* Ideò *in hoc quæsito* proponimus de potestate Abbatis in acquisitione bonorum sui Cœnobij: in hoc autem actu, supponendo, quòd acquisitio pro Monasterio iusta sit, & statui Religioso conueniens, de iure communi tota facultas acquirendi est apud Abbatem, vt colligitur *ex c. Nullam. 18. q. 2.* ibi: *Vt de cætero fideliter, & studiosè vniuersa, quæ ad diuini cultus reuerentiam, vel ad vtilitatem eiusdem Monasterij pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem potestas tota pertinere conuenit, debeat adimplere.* Talis enim acquisitio in euidentem Monasterij vtilitatem vertitur, & ad Dei cultum refertur.

Huius igitur potestatis ratione, poterit Abbas recipere quicquid Monasterio, & sibi donatum fuerit: & etiamsi loquamur de Mendicantibus Prælatis, & eorum subditis, eleemosynas petere, & oblatas recipere, quòd licitè fieri possit, docet S. Thom. 2. 2. q. 187. art. 4. & S. Bonau. *tom. 1. Opusc. de paup. Christi, q. 2.* Valdens. *tom. 1. lib. 4. art. 1. cap. 4.* non enim tenentur manibus laborare, vt panem lucrentur, vt colligitur ex eod. S. Th. *loc. cit. art. 3. in argum. Sed cont.* Et ratione eleemosynarum, poterunt, quibus permissum est, terras, prædia acquirere, & recipere, vt benè probat Laurent. de Peyrinis *tom. 2. de Prælato, q. 1. cap. 5. num. 37.* vbi fusiùs de materia eleemosynarum *à dicto num. 37. vsque ad num. 45.* quo numero concludit, quòd Prælati, qui possunt commodè sustentari de suo, scilicet, de acquisitis, & relictis Monasterio, non debent alienum quærere, maximè si à pauperibus eleemosynas hauriant, vel à diuitibus, ita vt illas à pauperibus auferant. In qua re est valdè cauendum id, quod habetur *in cap. Clericos. 1. q. 2.* vbi sic legitur: *Clericos autem illos conuenit stipendijs Ecclesiæ sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona: qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, iudicium sibi manducant, & bibunt.* Debito ergo modo eleemosynas acquirere possunt, & alia bona: quamuis non sibi, sed Monasterio acquirant: certum est enim, quòd Abbas regularis, quic-
2. quid acquirit, Monasterio, non sibi acquirit, siue acquisita sint intuitu Abbatiæ; siue aliunde, vt *l. Deo nobis C. de Episc. & Clericu.* vt *in cap. Abbates. 18. q. 2.* vbi disponitur, vt omnia, quæ acquisierit Monachus extra Monasterium, per Abbates auferantur, vt est tex. *in c. Monachi.* & *in c. Non dicatis. 12. q. 1.* vbi dicitur *non dicatis, vos aliquid habere proprium; sed sint vobis omnia.* & *c. Monacho. 27. q. 1.* sed Abbas etiam dicitur Monachus: ergo quicquid dicitur de Monacho dicitur de Abbate. ergo, sic vt Monachus nihil proprij habere potest; ita & Abbas, de quo est textus ad literam *in c. Abbati. 14. dist.* vbi patet, quòd Abbas, & Monachus quoad hoc æquiparantur, & de vtroque est eadem dispositio. Porrò in textu illo sic dicitur: *Abbati, vel Monacho Monasterij seruum non licebit facere liberum: qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest.* Patet igitur, quòd omnia, quæ Abbas Regularis acquirit, suo Monasterio acquirit. Monachi pariter, cum illius licentia, poterunt Monasterio comparare, quamuis non sibi ipsis: at sine Abbatis licentia, nec sibi, nec Monasterio acquirere poterunt, vt *in* [illegible] *tione de potestate Abbatis circa votum pauperta*[illegible] tiùs dictum est. Notanda sunt autem verba illius textus prædicti: *Ad vtilitatem eiusdem Monaste*[illegible] per quæ innuitur, quòd non possunt acquirere alteri personæ priuatæ; sed tantùm Monasterio. Nec poterit Abbas acquirere alteri Monasterio, nisi [illegible] ius administratio est sibi commissa; nam in al[illegible] nullam habet potestatem; quod colligitur ex illa particula d. textus, *eiusdem Monasterij*, notat Suar. *[illegible] cap. 26. num. 2.*

QVÆSITVM IV.

Monachus, an quidquid acquirit, Abbatiæ, & Monasterio, vel sibi, aut consanguineis acquirat?

SVMMARIVM.

1 *Peculium habere licitum est Monacho, de Abbatis licentia.*
2 *Monachus quicquid acquirit, Monasterio* [illegible] *bi acquirit.*
3 *Monachus, neque ob ingratitudinem in* [illegible] *aduersus parentes commissam, potest ab* [illegible] *exhæredari.*
4 *Religiosus professus nequit hereditatem* [illegible] *tam adire; sed Abbas, & Monasterium* [illegible] *Religioso ignorante, ac inuito, potest, ac tenetur illam adire.*
5 *Religiosus acquirendo pro Monasterio, partim seruo, partim filio familias comparatur.*
6 *Religiosus professus cui Monasterio acquirat.*
7 *Bona omnia Religiosi, ac iura per profe*[illegible] *Monasterio acquiruntur, nisi expresse antea* [illegible] *nunciauerit.*
8 *Legitima priuari non potest superstes auia M*[illegible] *nachi, ex cuius morte bona patris, vel alterius consanguinei Monasterio acquiruntur.*
9 *Bona acquisita Monasterio post prof*[illegible] *onem M*[illegible] *nachi, appellantur bona* [illegible] *strensia.*
10 *Vsusfructus, quem Monachus habebat in sæculo, per professionem Monasterio acquisitus extinguntur solum eiusdem Monachi morte natura*[illegible] *sequenti. Limita, vt num. 11. & 12.*
13 *Legatum annuum relictum alicui transeunti ad Religionem non extinguitur per professionem, sed per eandem Monasterio acquiritur.*
14 *Maioratus, qui instituti solent in domibus & familiis, per professionem non acquiruntur Monasterijs incapacibus bonorum in communi: secus dicendum est de Monasterijs capacibus, vt n.* [illegible] *Et quomodo hoc intelligendum sit, vt num. 16.*

17 Mona

17 *Monachus ante professionem potest testamentum condere, quando maioratus talis est, vt possit in illum succedere Monasterium nomine Monachi, quoad fructus maioratus. Et quid, si vsus fructus relinquatur Monacho, pro se, & suo herede, quando erat in saeculo constitutus, vt num. 18.*

19 *Vsusfructus, si concederetur pro se, & filiis, quantum duret.*

20 *Vsusfructus si relinquatur Monasterio ante professionem, ea postea secuta, quanto tempore duret.*

21 *Regnum, Ducatus, & Marchionatus, an Monasterio acquirantur per professionem Monachi: & num. 22.*

23 *Monasterium an succedat in primogenitis iurisdictionem in vassallo habentibus.*

24 *Iudicandi officium, quomodo Monachis sit interdictum.*

25 *Feudum per professionem Monachi Monasterio acquiritur, & acquisitio durat, dum Monachus professus vitam naturalem degit. Limita tamen, vt num. 26. 27. 28. 29. 30. 31. & 32.*

33 *Seruitium personale in feudo petitum exhiberi potest per alium, quando in illo non eligitur industria personæ: secus si eligatur.*

34 *Monasterium succedit per professionem Monialis in feudum, quando non eligitur industria persona.*

35 *Feudum quando non transit ad Monasterium, & Monachus moritur, redit ad dominum directum, quando non superessent alij vocati à primo institutore.*

36 *Equites Commendatarij, & qui matrimonium contrahere solent, sunt capaces feudorum; sicut & Equites D. Ioannis Hierosolymitani, vt num. 37.*

38 *Feudum an comprehendatur in renuntiatione bonorum, licet amplissima, & generalissima.*

39 *Emphyteusis an per professionem Monachi acquiratur Monasterio.*

40 *Bona concessa Monacho in sæculo, eo pacto, vt ea alienare non possit; an acquirantur Monasterio, & sint prohibita alienari.*

41 *Hæreditas Monacho relicta post eiusdem professionem, immediate acquiritur Monasterio.*

42 *Statutum excludens filiam à successione patris, si ingrediatur Religionem, inualidum est: sicut nec pater eadem ratione exhæredare potest filiũ.*

43 *Hereditatem, quam Monachus acquirit per professionem, adire, quo iure valeat Monasterium.*

44 *Monachus emissa professione succedit patri ab intestato, tanquam verus hæres, & in hoc nullam patitur capitis diminutionem.*

45 *Monachus per professionem non amittit iura agnationis.*

46 *Nouitio moriente ab intestato intra annum probationis non succedit Monasterium; benè tamen, quando emisit professionem.*

47 *Testamentum, in quo Fratres Minores, de Obseruantia nullo facto cohærede instituuntur, nullum est, & hæreditas deuoluitur ad venientes ab intestato.*

48 *Testamentum, in quo instituuntur heredes Minoritæ, cum clausula, quòd vendatur hæreditas, & pretium conuertatur in necessitates eorum; valet tantùm quoad causam piam ibi appositam.*

49 *Hæreditas relicta Ecclesiæ Fratrum Minorum valet tanquam relicta Ecclesiæ capaci.*

50 *S. Francisci Fratres Conuentuales succedere possunt, & vocari in testamentis, & hæreditates acquirere propriis Monasteriis.*

51 *Canonici Regulares succedunt in bonis temporalibus, eáque Monasterio acquirunt ex priuilegio Summorum Pontificum, atque ita etiam Monachi Benedictini, & Cistercienses, vt n. 52.*

53 *Fratres Prædicatores, & Augustinienses similibus gaudent priuilegiis, & omnes aliarum Religionum, & Congregationum Regulares communicantes in priuilegiis, vt num. 54 & 55.*

56 *Moniales Ordinis Mendicantium succedunt in bona Monialium Professarum.*

57 *Conuersi manentes in sæculo, nec profitentes Regulam approbatam, succedunt consanguineis, ac si non essent oblati.*

58 *Legitima debita filiis, an debeatur illis post emissam professionem patris in Religione bonorum in communi capaci; an verò post eius mortem naturalem.*

59 *Monachus si occidatur, remissio, vel mortis venia spectat ad Monasterium, quod est hæres; non ad filium, si habeat, seu ad consanguineos.*

60 *Monasterium, quod adit hæreditatem, compelli potest à legatariis ad faciendum inuentarium, non sumptibus Monasterij, sed petentium.*

61 *Hæreditatem Monacho relictam, eo etiam inuito, repudiare potest Abbas.*

62 *Hæreditatem adire potest Monasterium mortuo Monacho, exclusis omnibus substitutis, & hæredibus.*

63 *Monasterio integrum est querelam inofficiosi testamenti intentare, ac testamentum rumpere, si Monachus sit exhæredatus, seu relictus à parentibus, etiam ipso inuito.*

PRo ratione dubitandi videtur dicendum quòd ea, quæ acquirit Monachus, non Monasterio, sed sibi ipsi etiam acquirat, arg. tex. *in c. Monac. de statu Monach.* in quo patet, licitum esse Mnnacho habere peculium, de licentia Abbatis: ergo non omnia, quæ acquirit Monachus, acquirit Monasterio; sed illud, quod ex peculio acquirit, sibi acquirit. 1.

Contrarium tamen dicendum est: quia per religiosam professionem fit, vt cum persona omnia bona, & iura Religiosi in Religionem transferantur; adeò vt quicquid deinceps Religiosus acquirat, statim in Religionem transeat, non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad possessionem, siue hæreditatis iure, siue per donationem, aut quolibet alio modo ei obueniat. Et ita quicquid acquirit Monachus, suo Monasterio acquirit. Ita habetur *in Auth. Nunc autem. C. de Episc. & Cleric. Auth. Si qua mulier. & Auth. Ingressi. C. de sacrosanct. Eccles. can. si qua mulier. & c. Ingredientibus. 19. q. 3.* Hoc autem non habet vim quatenus de iure ciuili inductum est, cùm de Monachis expressè constituat, vt ait Azor. *instit moral p. 1. lib. 12. c. 8. q. 1.* nec quatenus inseritur in decreto à Gratiano; cuius authoritas non sufficit, vt illud ius canonizatum dici possit, vt *alibi* notauimus: sed habet vim, quia est approbatum à D. Gregorio Papa, vt refertur *in c. Quia ingredientibus. 19. q. 3.* & vsu etiam, ac consuetudine receptum est. Et ita sentiunt communiter Doctores, teste Suar. *de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 16. n. 2.* Huius fundamentalis ratio est: quia Monachus se totum Religioni tradidit; ac ideò in iure solet Religiosus seruo comparari, vt probatur per *c. Abbates. 18. q. 2. per d. c. Quia ingredientib. & per c. 2. de testam.* & notát Innoc. *in c. Cùm olim. il. 2. de priuil.* & Panormit. *in cap. Quanto. sub n. 2 de offic. Ordin.* Nauar. *Comment. 2. de Regular. n. 4.* & alij. Et non solùm bona, quæ Religiosus ante professionem habebat, emissa professione, Monasterio acquiruntur; sed etiam, quæ posteà acquirit; 2.

acquirit; siue per suas operas, & industriam; siue donatione, aut alio quouis titulo acquirat, per *d. c. Abbates.* Et licèt Religiosus testari non possit; tamen potest hæres institui, atque ab intestato succedere,
3. adeò vt neque ob ingratitudinem in sæculo aduersùs parentes commissam, possit ab eis exhæredari, *l. vlt.* §. 1. iuncta Gloss. *C. de Episc. & Cleric. d. c. vlt.* 19. *q.* 3. quoniam per ingressum Religionis ingratitudo tollitur, *cap.* 1. 16. *dist.* Gloss. *d. c. vlt. verb. Ingratitudinis.*

Ad argumentum *in c. Monachi.* respondemus, quòd quamuis textus ibi asserat, quòd Monachus possit habere peculium de licentia Abbatis; hoc intelligitur pro vtilitate Monasterij; vel saltem, vt alat seipsum. Facit ad hoc *cap. Insinuante. Qui Clerici, vel vouent.* Secùs autem, si vellet habere, vt disponeret ad libitum; quia tunc Abbas non posset sibi hoc concedere, vt videre est *in d. c. Cùm ad Monasterium, in fine*, & nos latiùs diximus *alibi.*

Hæc autem omnia intelligenda sunt, non, quòd Religiosus post professionem quicquam sibi acquirat, & deinde illa transeant ad Monasterium, cùm sit incapax sibi acquirendi: sed quòd Monasterium ratione, & nomine professi ea omnia immediatè acquirat, *iuxta*
4. *ta d. Auth. Ingressi. C. de sacros. Eccles.* Vnde professus nequit talem hæreditatem adire: sed Abbas, & Monasterium etiam professo ignorante, & renuente potest, ac tenetur illam adire: quia Religiosus velle, & nolle non habet, *cap. Si Religiosus. de elect. in 6.*
5. cum simil. Religiosus enim in acquirendo pro Monasterio, partim seruo, & partim filiofamiliâs æquiparatur, prout Monasterio vtilius fuerit. Vnde, si in maiorem vtilitatem Monasterij cesserit, Monachum seruo comparari, illi comparabitur: secus autem, si vtilius sit illum comparari filiofamiliâs, vt docent Felin. *in cap. Parochianos. num.* 5. *de sent. excom.* Menchaca *lib.* 3. *de successionum creat.* §. 21. *num.* 150. Graff. *p.* 2. *decis. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 74. Molin. *de iust. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 140. *vers. Non solum bona.* Sanch. pluribus relatis *in precept. Decalogi, lib.* 7. *cap.* 12. *num.* 40. qui dicit, hanc sententiam frequentissimam. Igitur Monachus comparabitur seruo, quatenus, quemadmodum seruus domino acquirit non solùm vsumfructum, verùm etiam dominium, & proprietatem rei, quam acquirit; ita Religiosus vsumfructum, & dominium, ac proprietatem rei acquirit Monasterio: cùm tamen filiusfamiliâs in castrensibus, vel quasi, nihil acquirat patri, in aduentitiis autem solum vsumfructum; comparatur filiofamiliâs quoad modum acquirendi: sicut enim hæreditatem filio delatam potest eo ignorante, ac inuito, pater acceptare, & adire, *l. vlt. in princ. C. de bon. quæ. liber.* ita Abbas, & Monasterium, inuito, & ignorante Religioso, potest adire hæreditatem, & acceptare legatum, aliàs ad Religiosum spectantia. In seruo autem non sic: sed hæreditatem ei delatam non potest dominus, absque eius consensu adire, *l. Cùm proponas. C. de hæred. instituen.* Comparandus est igitur in hoc Monachus filiofamiliâs: quia hæc comparatio est Monasterio vtilior. Atque ita tenent Bart. *l.* 1. *n.* 21. & 22. *ff. de vulgar. & pupil. substit.* Ioann. And. *in cap. In præsentia. n.* 23. *de probat.* & *ibi* Anton. de But. *n.* 28. & Anchar. *n.* 18. Anton. Cucchus *instit. maior. tom.* 1. *lib.* 5. *n.* 108. Carolus Tapia *Auth. Ingressi. verbo ipso ingressu, in princ. num.* 94. Molin. *dicta disp.* 145. *d. vers. Non solum bona.* Less. *de iust. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 87. Graff. *loco cit.* Roderic. *tom.* 2. *q.* 77. *art.* 1. & alij, quos magno numero congessit Sanch. *d. cap.* 12. *num.* 40.

6. Notandum autem, quòd Monachus acquirit particulari Monasterio, in quo emittit professionem, se illi singulariter tradendo. *cap. Abbates.* 18. *q.* 2. & *cap. Quia ingredientibus.* 19. *q. vlt.* vel toti Ordini, si generaliter Ordinem, seu parti Ordinis, verbi gratia, Prouinciæ, si Ordinem, vel Prouinciam profiteatur, ex Panormit. communiter recepto *in cap. In præsentia. n.* 64. *de probat.* & Calder. *in cons.* 23. *de Regul.* Si verò profiteatur Religionem in genere generalissimo, non autem in aliquo Ordine, vel speciali Monasterio, cùm non sit verè professus, sibi acquirit, non Religioni. Ita Nauar. *Commentar.* 2. *de Regular. n.* 5. Aduertendum tamen est cum eod. Nauar. *loc. cit.* quòd per constitutiones speciales aliquarum Religionum per Summum Pontificem approbatas distinguenda est hæc propositio: *Quicquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit.* scilicet, vel acquirit Monasterio, in quo professus est, vel in quo moritur: vel intelligenda est de bonis mobilibus, vel immobilibus. Et secundum has constitutiones iudicandum est arg. Gloss. *cap. Generε. de reg. iur. in 6.*

Vnde, cùm Monachi per professionem se totaliter 7.
Deo dedicare intendant, consequenter dedicare videntur omnia bona sua, quæ possident, & sic per professionem ea, vt diximus, acquiruntur Monasterio, ac omnium bonorum etiam vsufructuum, emphyteusis, vel census, aut pensionum iura statim post dictam professionem acquiruntur Monasterio, saltem ipsis Monachis viuentibus, loquendo de illis bonis, & facultatibus, quæ Monachorum naturalem vitam respiciunt, similiter successionem ab intestato eidem Monasterio acquirunt, nisi ei expresè renunciasse ostendatur. de quibus omnibus particulariter mox dicemus. Videatur de hac re Lop. *lib.* 7. *verbo, Descendit. tit.* 1. *part.* 6. Nauarr. *Comm.* 2. *de Regul. n.* 46. Tapia *in Authentica, Ingressi. verbo, Ideòque nec de his. c.* 1. Valaschus *cons.* 14. *num.* 5. *tom.* 1. Rodriq. *qq. regul. tom.* 2. *q.* 80. *art.* 2. Benedictus Ægid. *in repet. l. Titiæ si non nupserit. part.* 1. *num.* 50. *in fin. ff. de condit. & demonstrat.* Molin *de iust. tract.* 2. *disput.* 140. *col.* 5. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 10. *num.* 83.

Quapropter, si Monachus Monasterio bona acqui 8.
siuit ex iure patris, vel alterius consanguinei suæ domus; & posteà moriatur, viua auia, illa non potest priuari legitima, & Monasterium solummodo succedet in tertia, sicut docent Valaschus *loco cit. in fin. d. cons.* 24. Emmanuel Rodriq *loco cit. quæst.* 128. Ceuallus *in comm. contra comm. q.* 106. *cum seqq.* Sanchez *in precept. Decal. lib.* 7. *cap.* 9. *num.* 21. vbi *num.* 22. dicit, non procedere in bonis acquisitis post professionem, tanquàm à Monacho; veluti si professus operibus suis aliquid compararet; aut legatarius, & hæres esset institutus in testamento aliquo, etiam ante professionem ab extraneo, si post professionem sit delata hæreditas, cùm professus ille de huiusmodi bonis non posset disponere, nec quicquam in illa habent ascendentes, vel descendentes, cùm ea non acquirantur, vt à parente, aut filio; sed tanquam à Monacho. Ita Barbosa *de iure eccles. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 223. *in fine*, vbi resoluit cum Sanchez *loco citato*, quòd quando decedit professus non facta diuisione inter filios, succedere Monasterium, dummodo sit capax succedendi in omnia illius bona, præterquàm in filiorum legitimam, quod in Regno Castellæ succedit in solam quartam partem bonorum.

Bona supradicta acquisita post professionem Mo- 9.
nasterio ab ipsomet Monacho in proprietatē, & vsumfructum ipsius Monasterij, appellantur bona castrensia, vt si filiusfamiliâs iam professus in bona materna succedat, siue aliquid acquirat: quia, cùm acquisitionis tempore sit constitutus extra patriam potestatem, nequit pater huiusmodi vsumfructū in his bonis acquirere, quippe qui est potestatis patriæ effectus. Hac stante potissima ratione, quòd Monachi post professionem

ſionem gaudeant hoc priuilegio Clericorum; nimirum, vt omnia poſt Clericatum acquiſita ſint quaſi caſtrenſia. Ita docent Molina *tom.1.de iuſt. diſp.* 140. *col.5.verſ.Hoc tamen fundamento.* Saytus *in theſ.caſ. tom.2.lib.9.cap.7.n* 9.Abbas *in cap.In præſentia.n.* 56. *de praben.*Pariſius *ibid. num.*156. Tabiena *verbo, Religio,q.*36.*n.*37.Syluester *verbo,Clericus,* 4.*q.*14. *num.* 10.Roſella *eod.verbo* 4. & *verbo, Legare, n.*18.Azor. *tom.1.inſtit.moral.lib.*12.*cap.*8.*q.* 9. Lælius Zecchius *de Repub.Eccl.2.part.cap.*8.*num.*7.

10. Vſusfructus, quem Monachus habebat in ſæculo, acquiritur Monaſterio per profeſſionem ipſius Monachi,dum profeſſus ille vixerit: naturali autem morte ſequente extinguitur;non autem in profeſſione,vt aliqui dixerunt. Ratio eſt:quia *in Authent.Ingreſſi.C.de ſacroſ.Ecc.*cùm oſtendatur,omnia bona,& iura, actionéſque Monachorum per profeſſionem tranſiſe in Monaſterium,nec ibi excipiatur vſusfructus,neque in alio textu;negare non poſſumus,huiuſmodi vſumfructum acquiri Monaſterio: dicunt enim aliqui Doctores, vſumfructum directè relictum Eccleſiæ durare centum annis;ſecùs verò quando non directè,ſed ſuccedit Eccleſia in ius alterius, vt patet in caſu noſtro de Monacho poſt emiſſam profeſſionem: quia tunc tandiu durabit vſusfructus; quandiu vixerit ille,in cuius ius ſuccedit. Ita docent Bartholus *in* 1.*lectur.num. vlt.*& Bald.*num.*31.Gloſſ.*in d.Authent. Ingreſſi. verbo,dedicant*, & Cynus *ibid.num.*12.Baldus *num.*31. Bellapetra *col.*8 Decius *in fine.*Albericus *num.*22.Salicetus *num penult.q.*7.Iaſon *num.*40. Speculator *tit.de de ſtat.Monach.* §. *unico, num.*52. *queſt.*46. Ioannes Andr.*in addit.l.M, verbo,in Monaſterium,* Angelus *verbo,Religioſus,num.*52.Tabiena *verbo,Hæreditas,q.* 14.*num.*15 Sylueſter *verbo,Religio,*6. *queſt.*1. *dicto* 2. Roſella *verbo, Donatio,*1.*num.*94.Nauarr.*comm.*2. *de Regul.n.* 38. Villalobos *in ſuis comm.litt. M, verbo, Monachus,num.*178. Mantica *de coniect. vlt. volunt. lib.*11 *tit.*19.*n.* 24. Tapia *d. Authent. Ingreſſi.verbo, Sua,cap.*17.*num.*1.Benedictus Ægidius *l.*1. *part.*4. §. 2.*num* 9.*C.de ſacroſ. Eccleſiis* Azorius *tom.*1. *inſtit. moral lib.*12.*cap.*8 *q.* 2. Molina *tom.*1. *de iuſt. diſp* 9. *col.antepenult.*Saytus *in clauis regia lib.*9.*cap.*7.*dub.*6. *num* 8.Lælius Zecchius *de Repub. Eccleſiaſt. de Regul.cap.*3.*num.*14.*ampl.*2.Graff.2.*part.deciſ.lib.*3.*cap.* 19.*num.*43.Rebellus *de iuſt.part.*1.*lib.*1.*q.*7.*ſect.* 2.*n.*
1. 21. quorum Doctorum plerique limitant ſuam ſententiam ſupradictam,dummodo Monachus ante profeſſionem aliter non diſpoſuerit. Limitant etiam aliqui ex ſupradictis ſententiam dummodo Religio ſit
2. capax ſuccedendi in tali vſufructu: nam profeſſione emiſſa in Religione incapaci, ſcilicet, non poſſidente bona in communi, ſtatim extinguitur vſusfructus: quia Monach. ille redditur incapax ratione ſui,& ratione Religionis. Et hoc præſertim affirmant Azor. *tom.*1.*inſtit.moral. lib.*2. *cap.*22. *q.* 4. Angelus *verbo, Religioſus,num.*52. Tabiena *verbo,Relig.q.*34.*num.*35. Sylueſter *eod.verb.*6.*q.*1. Molina *tom.*1.*de iuſt. diſp.*9. *colum.antepenult.verſ.Vlterius dubium.* Saytus *in clauis reg.lib.*9.*cap.*7.*num.*8.*dub.*6.

3. Legatum annuum relictum alicui poſteà tranſeunti ad Monaſterium capax bonorum, non extinguitur per profeſſionem; ſed acquiritur Monaſterio,ſiue ſit vnum legatum, ſiue ſint plura, etiamſi relinquatur pro alimentis:tale enim legatum deſinit eſſe per mortem legatarij,aut tempore diffinito tranſacto,vt contingit in vſufructu temporali. Ita docet Rodriq. *qq. regul.tom.*3.*q.*16.*art.*5.

4. Maioratus,qui ſolent inſtitui in Domibus,& Familiis, certum eſt Monaſteria incapacia bonorum in communi illos per profeſſionem Monachi non acquirere; vt probat Molina *de iuſt. tract.*2. *diſp.* 239. *in princ.*& Rodriq. *qq.regul.tom.*2.*q.* 78. *art.* 12. Si verò loquamur de Monaſteriis bonorum capacibus in 15.
communi, certum eſt, poſſe acquirere huiuſmodi maioratus, & illos poſſidere, etiamſi annexam habeant iuriſdictionem temporalem,dummodo per ſubſtitutum præſtari poſſit,vt inferiùs de ſucceſſione primogeniorum habentium iuriſdictionem in vaſſallos dicemus;niſi tamen per inſtitutorem primum Monaſterium à maioratus ſucceſſione repellatur: potuit enim primus inſtitutor repellere quem vellet, aut inſtituere,& quibuſlibet ſuis rebus imponere. Ita affirmant Molina *de primogenus lib.*2.*c.*12.*n.*54.Cardinal. Mantic.*de coniect.vltim.volunt. lib.*11.*c.*7. *n.*20. Couarr.*lib.*1.*variar.c.*19.*n.*10. Tapia *in Authentica, Ingreſſi.verbo,Sua,cap.*16.*n.*11. *C. de ſacroſ. Eccl.* Non obſtantibus text.*in Authen.de ſanctiſſ.Epiſ.*§.*Sed. hoc præſenti.collat.*9. & *in Authen. Niſi rogati.C.ad Trebellian.*& *in cap.In præſentia.de probat.* vbi habetur, quòd ſi inſtitutioni, vel ſubſtitutioni factæ alicui apponatur conditio illa, ſi ſine liberis deceſſerit,& grauatus Monaſterium ingrediatur;talis conditio inualida,& pro non ſcripta habetur,& Monaſterium excludit ſubſtitutum. Reſpondeo enim, quòd hoc procedit in dubio, non autem quando conſtat de diſponentis voluntate,quando voluit excludere Monaſterium, & præferre ſubſtitutum. Nec obſtat conditio illa, quòd Monaſterium in maioratu non ſuccedat, quæ pro adiecta non habetur, ne impediatur profeſſio Religionis, & ne repellatur aliquis à vita monachali.

Non nego, quòd primus inſtitutor maioratus poſ- 16.
ſit Monaſterium expreſsè excludere à maioratu; ſed etiam tacitè,ſcilicet, quando deſcendentes ex proprio corpore procreatos, vel filios legitimos naturales ad ſui maioratus ſuſceptionem ſolùm vocauit,vel ſimiles vocationes appoſuit: & ſic quando per manifeſtas coniecturas percipitur voluiſſe primum inſtitutorem Monaſterium excludere, tunc Monaſterium non ſuccedit in maioratu, vt affirmant Cardin. Mantic. *de coniect.vltimar.volunt.lib.*11.*tit.*7.*n.*20. Couar. *lib.*1. *variarum,c.*19.*n.*11. Hier. Roderic.*in Compen. queſt. regul.reſol* 72.*n.*4.& Barboſ.*de iure eccl.l.*3.*c.*31. *n.* 8.
Et poteſt Monachus ante profeſſionem teſtamentum 17.
condere,quando maioratus talis eſt, vt poſſit in illum ſuccedere Monaſterium,nomine Monachi,quoad fructus maioratus. Vnde,cū de fructibus maioratus poſſit Monachus teſtari in Religione capaci bonorum in communi,videtur etiam per profeſſionem huiuſmodi fructus Monaſterio acquiri. Ratio eſt de acquiſitione bonorum, & iurium Monachi, ſiue vſusfructus, ſiue annui redditus,vel maioratus,quòd,ſcilicet, acquirantur Monaſterio per Monachum profeſſionem emittentem: quia, cùm hæreditas ſit ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit, *l.Nihil aliud eſt,*24. *ff.de verbor.ſignif.*eo ipſo,quòd aliquis hæres inſtituitur,in hæc omnia bona iura ſuccedit,in quæ nullo inſtituto hærede Monaſterium ſuccedere debebat.

Et licèt Monaſterium regulare ſit, & teſtamentum in Religione capaci non debeat ſortiri ſuum effectum à die profeſſionis, ſed poſt naturalem mortem ipſius Monachi,& interim excluſo hærede,& legatariis,Monaſterium ſit periturum illis bonis;videtur tamen hoc fallere in vſufructu,ac maioratu: nam fruitur hæres, vel legatarius à die profeſſionis: quia hoc fallit,vbi eſt coniectura contrariæ voluntatis teſtatoris,vt dicit Sanch.*in præcept.Decal.lib.*7.*cap.* 13.*n.*58.

Dixi,quòd vſusfructus durat per mortem naturalē 18.
Monachi. Sed hoc fallit, ſi vſusfructus relinquatur Monacho pro ſe, & ſuo hærede, quando erat in ſæculo conſtitutus:& tunc illo profitente in Monaſterio capaci bonorum in communi,nullo inſtituto hærede ſuccedet Monaſterium, quod habetur loco hære-

dis: vnde, cùm in Monasterio censeatur nouus vsufructus constitutus, sicut est in illo hærede; durabit talis vsusfructus centum annis post vitam ipsius Monachi.

19. Si dicas, quantum durat vsusfructus, si concederetur pro se, & suis filiis. Respondeo, non durare post mortem professi, nec posse illum transire ad Monasterium tanquàm ad filium: intelligitur enim de filiis veris, quorum loco Monasterium non venit in tali casu.

20. Similiter talis vsusfructus intelligitur acquiri Monasterio si relinquatur ante professionē, illa posteà secuta: si enim relinqueretur contemplatione Monasterij talis vsusfructus, duraret centum annis, ac si esset Monasterio relictus: si verò contemplatione Monachi, durabit tantùm tempore suæ vitæ naturalis. Ita docent Parisius *in cap. In præsentia. num. 163. de probat.* Bald. *l. Quicquid. num. 1. vers. Sed nunquid. C. de bonis maternis.* Tapia *in Authe. it. Ingressi. verbo, Sua. cap. 17. in fin.* Si verò dubium sit, cuius contemplatione relictus sit talis vsusfructus; dicendum est, illud duraturum centum annis. Ratio est: quia, cùm Monachus, nihil possit sibi acquirere, sed tantùm Monasterio; præsumitur in tali dubio Monasterij contemplatione relictum esse talem vsumfructum, eo modo, quo vsusfructus relictus seruo in dubio præsumitur relictus contemplatione sui domini, cui omnia seruus acquirit, vt dicit Bartolus *l. fin. C. de vsufruct.*

21. Regnum, Ducatus, & Marchionatus, an Monasterio acquirantur per professionem Monachi, non parua controuersia est inter Doctores. Si loquamur de Regno, affirmant ferè omnes doctores, Monasterium non succedere: quia, cùm Regnum sit suprema dignitas, à qua omnes dignitates procedunt, vt tradit Chassan. *in Catal. glor. mundi part. 5. consi. 37.* non videtur decens, vt per Monachum, siue Monasterium, tanta maiestas, & dignitas repræsentetur, argumento textus *in cap. Hoc nequaquam in fin. 7. q. 1.* quódque affirmāt Anton. Gomez. *l. 40. Tauri. num. 66.* Emmanuel Rodriq. *qq. regul. tom. 2. q. 78. art. 12.* Menochius *de præsumpt. lib. 4. præs. 83.* Molina *de primogen. lib. 1. c. 13. num. 80.* vbi fatetur de communi, quòd etiam confirmatur, quòd Monasterium nō succedat in Regno hac ratione: quia Rex amplectitur aliqua onera, & ministeria personalia, quæ per se ipsum tenetur exequi, quæ Monasterium siue Monachus præstare non potest, prout in feudo, vbi debita seruitia à vasallis per substitutos præsentari nequeunt, vt probat *cap. 1. §. Si quis vers. Qui Clericus. si de feud. defunct.* Et tradunt Molina *loco cit. num. 84.* & Rolandus *cons. 23. lib. 1.* Vnde, si in feudo, in quo requiritur personale seruitium, non succedit Monasterium; multò minùs in Regno, in quo est necessaria præsentia proprij Regis.

22. Si loquamur de Ducatu, siue Marchionatu, & similibus dignitatibus, idem videtur affirmandum propter eandem rationem, scilicet, propter personalia munera, vt diximus, quæ in domo regia seruiendo Regi exiguntur; quæ tamen per substitutos nequeunt præstari, vt docent Baldus *cons. 275. lib. 2.* Lopez *lib. 11. tit. 1. part. 2.* Huiusmodi enim dignitates, scilicet, Ducatus, Marchionatus, & similes, tacita conditione à Rege solo creantur, vt sua præsentia, & apparatu in publicis actibus maiestatem regiam condecorare possint. Gloss. *verb. centum, in cap. Si quis vero. de pac. tenend* quod magis confirmatur ex consuetudine recepta, quòd Monasterium ad huiusmodi hæreditates Regni, Ducatus, Marchionatus, & similium dignitatum nunquam fuerit admissum, vt benè aduertunt Molina *loco cit cap. 13. n. 44.* Barbos. *de iur. eccl. lib. 3. cap. 31. n. 2.* Auendan. *ad l. 40. Tauri gloss 4. n. 45.*

23. De primogeniis iurisdictionem in vassallos habentibus etiam dubitari potest, an Monasterium in illis succedat, & Monachus per professionem eidem Monasterio primogenia acquirat. Antonius Gomez *l. 40. Tauri, num. 66.* & Molina *loco citato, cap. 13 num. 22.* & Menochius *similiter lo. o cit præsump 83. num. 45.* constanter affirmant, Monasterium in primogeniis non succedere, cum huiusmodi primogenia sint instituta ad conseruandas familias, & domos, & prosapias, & propter alias similes causas adductas à Molina *lo. cit.* condita fuère à primis Dominorum Institutoribus. Contrarium tamen affirmant Auendan. *loco cit. ad. l. 40. Tauri, gloss. 4. num. 39.* & Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 78. art. 12.* & Barbos. *loco cit num. 3.* vbi ait, quòd non videt vrgens fundamentum, & rationem efficacem, quare Monasterium ab his primogeniis excludatur: ad alia verò, quæ iurisdictionem non habent interim dum monachus viuit, admittitur libere; cùm vtroque casu nominis, & familiæ conseruatio requiratur, imò per Religiosum, interim dum viuit, conseruetur, vt communiter fatentur Doctores.

Deinde plura, imò ferè omnia primogenia iurisdictionem habentia, illam habent annexam bonis patrimonialibus. Vnde si monasterium in patrimonialibus succedit, quid obstat, vt iurisdictionem accessoriam retinere non possit maximè cum nulla lege hoc prohibitum videatur. Pro qua re facit text. *in cap. Cum dilectus de ordin. cognit. cap. Abbate. de sent. & re iudic. in 6. cap. volentes. per locum à speciali, de statu Monach.* Videatur Rodriq. *loco cit.* vbi aliis iuribus, & rationibus probat, Monasteria, tam virorum, quàm Monialium vassallos, & iurisdictionem possidere

Si dicas quòd officium iudicandi Monachis quoad actuale exercitium prohibitum sit; respondeo hoc non obstare: quia non prohibetur idoneos ministros [illegible] gere, qui veram iustitiam administrent, & hoc, [illegible] non est prohibitum, imò expresse admissum [illegible] *vit. Ne Clerici, vel Monachi*

Dubitari potest de feudo; an per Monachi professionem acquiratur Monasterio. Nicolaus de Vb[illegible] *de success. ab intest. part. 2. num. 2.* Albericus *in [Au]thentica, ingressi. numero 21. C. de sacros. [illegible]* & Signorellos *ibid. num. 29.* Redoanus *de spoliis ecclesiast. quæst. 8. num. 59.* Syluester *verbo, feudum, quæst. 9. num. 10.* Angelus *eod. verbo, num. 10.* Iulius Clarus *lib. 4. recept. §. Feudum. quæst 8. num 4.* & alij affirmant, per professionem amitti feudum, & Monasterio non acquiri: & probant ex *§ Si quis per triginta, vers. Qui Clericus*

Alij tamen affirmant, per professionem Monasterio feudum acquiri, loquentes de feudo, cuius seruitium est reale, aut personale, quòd per Monachum [illegible] præstari possit, seu per substitutum, quæ acquisitio facta Monasterio hoc modo dicto durat, dum Monachus professus vitam naturalem degit. Ita affirmant Costa *in cap Si pater, verbo, Si absque lib. [illegible] num. [illegible].* Baldus *in cap. Qui Clericus. si de feudo [illegible]* Decius *in cap. De præsentia de probat.* Afflictus *decis. 120. num. 3.* Carolus Tapia *in Authentica Ingressi. verbo, Sua. cap. 14. num. 37. C. de sacros. Ecclesiis.* Hyeronimus Rodriq *in compend. qq. regul. resol. 66. num 5.* Menoch. *cons. 549. num. 3.* Barbos. *de iure eccles. lib. 3. cap. 31. num. 10.* vbi alios Doctores citat, & sequitur Molina *tom. 1. de iust. disp. 140. colum[illegible] vers. Regulam.* Lessius *lib. 2. de iust. & iure, cap 4[illegible] dub. 10. n. 84.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 8. quæ[st.] 5.* Rodriq. *qq. regul. tom. 1. q. 38. art. 3.* Felinus *in cap. I. præsentia num. 47. de probat.* Sanchez cui immerito contradicit Hieronymus Rodriq. *loco cit.* & alij multi, quos congessit idem Sanchez *lib. 7. in præc. pt. Decal. cap. 15. num 42.*

Horum Doctorum aliqui, & iure optimo affirmant, quod Nouitius non amittit feudum ante professionem

feſſionem, qualecunque illud ſit, atque adeò Religionem egreſſus illud retinebit, cùm certum ſit, quancunque dignitatem, & hæreditatem Nouitium ante profeſſionem retinere, ſicut & omnia alia ſua bona. Ita docent, præter aliquos ex Doctoribus citatis, Gregorius Lopez *l.6.verbo, Religioſi,tit.26 par.4.* & Præpoſitus, & Afflictus, quos refert, & ſequitur Carolus Tapia *loco citato,cap* 14.*num.*16. Sed ſententia horum Doctorum de tali acquiſitione limitatur multis modis ab iiſdem Doctoribus: alij enim vnam, alij alteram limitationem addunt, quæ ſub breuitate hîc apponentur.

26. Prima eſt quòd Religio incapax bonorum in communi per profeſſionem Monachi non acquirit feudũ, imò in ea profeſſione feudum ſpirat, ac ſi morte naturali decederet Monachus. Ita docet inter alios Odofredus *Authent.Ingreſſi.n.*10.*C.de ſacroſ. Eccleſ.*

27. Secunda limitatio eſt niſi inſtitutor feudi in inſtrumento inſtitutionis addiderit clauſulam, ne ad Monaſterium tranſeat: tunc enim ſeruanda eſſet clauſula ſic ordinata à primo Inſtitutore, vt docet Sanch. *loco cit. num.*6. dum loquitur de maioratibus.

28. Tertia limitatio eſt, niſi ſeruitium in feudo petitũ perſonale ſit, & reale, quod non poſſit decenter à Monacho exhiberi, & non ſufficiat ſeruitium præſtitum per ſubſtitutum: quæ limitatio attingitur ferè ab omnibus citatis Doctoribus.

29. Quarta limitatio ponitur à Nauarro *comment* 2 *de Regul.n.*55. niſi præſtandum ſit iuramentum fidelitatis, tunc non ſuccedit Monaſterium: quia, vbi adhibito iuramento aliquid eſt promittendum, cenſetur electa induſtria perſonæ, vt probat Menochius *conſ.* 54. *n.*16.*vol.*1. quæ limitatio non mihi ſatis probatur, cùm iuramentum poſſit præſtari per ſubſtitutum, vel remitti, quòd etiam docet Carolus Tapia *loc. cit.c.* 15. *n.*36. & Sanch. *loc cit* cum aliis adductis *n.*41.

30. Quinta limitatio eſt, quòd acquiritur feudum Monaſterio per profeſſionem Monachi, dummodo non habeat annexam dignitatem regiam, ſiue ducalem, vel alias huiuſmodi dignitates, quæ dignitates non tranſeunt ad Monaſterium, vt diximus *ſuprà*: quod etiam docet expreſsè Aſcanius Clemens *de patr. poteſt. cap. vlt. num* 74.

31. Sexta limitatio eſt, vt feudum acquiratur Monaſterio per profeſſionem Monachi, eius vita durante; non autem vt perpetuo illud ſuccedat in Monaſterio, vt docet inter alios Leonardus Leſſius *loc.cit.* & Carolus Tapia *ſimiliter loc.cit.cap.* 24.*n* 48.

32. Septima limitatio eſt, quòd non tranſit per profeſſionem Monachi feudum in Monaſterium, neque illi acquiritur, ſi datum ſit feudum pro ſe, & pro filiis: quia intelligitur de filiis veris, & realibus; non autem ſuppoſitiuis, vt dicit inter alios Abbas *in d.cap. In præſentia.n.*71. & Aretinus *ibid. n.*82.

33. Ex his deducitur primò, quòd ſeruitium perſonale in feudo petitum exhiberi poteſt per alium, quando in illo non eligitur induſtria perſonæ: ſecùs verò ſi eligatur: quod habetur *in l.Inter artifices.ff de ſoluti.*

34. Deducitur ſecundò, Monaſterium ſuccedere per profeſſionem Monachi in feudum, quod pro fœminis etiam conceditur per deſcendentiam, ſtante, vt diximus, quòd non eligatur induſtria perſonæ, & quòd per ſubſtitutum poſſit ſeruitium neceſſarium præſtari in dicto feudo: quod docet inter alios Felinus *in d.cap. In præſentia,n.*57.

35. Deducitur tertiò, quoties feudum non tranſit ad Monaſteriũ, aut Monachus moritur, in perſona cuius ſucceſſerat, redit ad dominum directum, quando non ſupereſſent alij vocari à primo Inſtitutore. Ita docent Signorellus *in d. Authent. Ingreſſi.n.*29. & Molina *lib.* 1.*de primogenitu,cap.*13.*n.*79.

Deducitur quartò, Equites Commẽdatarios eſſe capaces feudorum, caſu, quo Religioſi incapaces ſint: & ſi ſint Equites, qui matrimonium contrahere ſolent, vtrique capaces erunt, vt docet Sanchez *loc.cit.n* 3. 36.

De Equitibus D. Ioannis Hieroſolymitani, qui matrimonium nõ contrahunt, etſi aliqui negent eos ſuccedere in feudo; tamen plerique Doctores affirmant, eos, licèt propriè ſint Religioſi, ſuccedere, imò potioribus rationibus ſuccedunt, quàm alij Regulares, propter multas rationes; & præſertim, quia ipſi poſſunt exhibere ſeruitia neceſſaria pro feudis, quæ ab aliis Regularibus forſitan præſtari nequeunt. 37.

Deducitur quintò, in renunciatione bonorum, licèt ampliſſima, & generaliſſima, non venire feudum, ad quod habebat, vel habere poterat ius illud renuncians, niſi de ipſo feudo ſpecifica, & expreſſa mentio fiat: ſic vt nec bona feudalia veniunt in generali alienatione, vel hypotheca, aut obligatione, vt docent Cou *in cap. Quamuis pactum.* 2 *part* §.2.*n.*6. Tiraquel *l de retract. lig.iag gloſſ.*3 *n.*9. Sanch. *lib.*7.*in Decal.c.*7.*n.*8. 38.

Dubitatur etiam de emphyteuſi, an per profeſſionẽ Monachi acquiratur Monaſterio. In qua re diſtinguendum eſt de emphyteuſi inter Eccleſiaſticũ, & ſæcularem. Eccleſiaſtica durat vita Monachi, & Monaſterio acquiritur, niſi per dominum intra biẽnium reuocetur. Sæcularis quoque viuente Monacho Monaſterio acquiritur, ſed non poteſt reuocari per dominũ. Prior pars probatur: quia illa omnia in Monaſterium tranſeunt, quæ retineret Monachus, ſi in ſæculo degeret, dummodo non exigat perſonale onus, quòd à Monaſterio exhiberi non poſſit. Ita docent Molina *de primogenitu,lib.*1.*cap.*13.*n.*61. Valaſchus *conſ* 101. *num.*7. Pinellus *in l.*1.*C.de bonis matern.p* 2.*num.*46. Sed limitatur, ſi Eccleſia emphyteuſim intra bienniũ reuocauerit à Monaſterio, ſicut hoc facere poteſt ex text. *in Authent. de alienat. & emphyteu.* §.1.*verſ. Si vero contingeret*, & Decius *in d.cap In præſentia, num.* 77. Secunda pars probatur: nam, licet duabus de cauſis ad emphyteuſim alienandam requiratur conſenſus domini directi: prima, vt, ſi dominus velit emere rem, cæteris emptoribus, pro eodem pretio præferatur: ſecunda, vt videat, an nouus emphyteuta ſit de illis, qui prohibentur in contractu emphyteutico, *ex l.vlt.Cod.de iur.emphyteut.* & *in cap. Potuit.de locato.* In donationibus tamen tenetur ſolùm requirere dominum, vt agnoſcat donatarium emphyteutam, vel alleget cauſam, quare illum non admittat, vt docet Bartolus *in d.l vltim.C.de iure emphyteu* & alij Doctores *in d. cap. Scribentes.* Reſtat ergo deciſum, per profeſſionem Monachi emphyteuſim acquiri Monaſterio, & non poſſe dominum directum, durante vita naturali Monachi à Monaſterio auferre. Ita docet Barboſa *de iur.eccleſ.lib.*3.*cap.*41.*n.*12. 39.

Supereſt difficultas de re conceſſa Monacho in ſæculo, hoc pacto, & lege, vt illam non poſſit alienare; vtrum res illa tranſeat in Monaſterium, eique acquiratur, ſequuta profeſſione: & vtrum huiuſmodi res ſic prohibita alienari, tranſeat perpetuò, & irreuocabiliter in Monaſterium. 40.

Reſpondeo, talem conditionem non alienandi parum obſtare, vt res illa non acquiratur Monaſterio: quia talis prohibitio intelligitur de alienatione voluntaria; ſecùs verò de alienatione neceſſaria à lege inducta in conſequentiam tranſlationis perſonæ, qualis eſt iſta, de qua loquimur, vt docet Bartolus *in Authen.Ingreſſi. lect.*2. *num.*50.*C.de ſacroſ. Eccleſ.* Innocent. *cap In præſentia. de probat.* vbi Ioan. Andreas *num* 16. Hoſtien. *num.*8. Anchar. *num.*12. Molina *lib.*1.*de primogen.cap.*13. *numero* 77. Sed hoc limitatur à Syluestro *verbo, Hæreditas,* 1.*quæſt.*7.*num.* 10. *d.*4. vt bona hæc ad Monaſterium tranſeant,

T 2 quando

quando non frustratetur finis prohibentis alienationem in eo transitu. De qua re videatur Sanchez *loco cit.num.70.*

41. De hæreditatibus autem, quæ huiusmodi materiam similiter concernunt, aliqua secundùm probabiliorem sententiam per sequentes conclusiones subiiciam.

Prima conclusio: Hæreditas Monacho relicta post eiusdem professionem, immediatè acquiritur Monasterio. Ita expresse habetur *cap. Si Religiosus de elect. in 6. cap. Non dicatis*, & *cap. Nolo. 12. q. 1.* Et ratio est: quia omnia iura Monachi, & omnis eius voluntas per professionem in Monasterium transfertur. Ita similiter habetur ex prædictis capitibus. Quapropter Monasterium propter huiusmodi ius ad se per professionem Monachi translatum, potest, etiam inscio, imò inuito Monacho professo, cui relicta hæreditas est, eandem adire. Ita habetur *l. vltima. initio, C. de bonis, quæ liberis.* Et ipse Monachus absque consensu, & licentia Abbatis, hæreditatem sibi relictam adire non potest, vt probat Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 77. art. 1.* & docet Bartolus *in l. 1. num. 22. C. de hæred. instituend.* Imola, Abbas, & Canonistæ *in cap. In præsentia, de probat.* Abbas tamen potest se solo talem hæreditatem adire; etiam Monacho professo hærede instituto reluctante, vt habetur ex citatis iuribus, & Doctoribus; quod confirmant etiam Spin. *in specul. testam. gloss. 12. princ. num. 12. & 20.* Molina *tom. 2. de iust. disp. 140. col. 8. §. Non solùm bona.* Lælius Zecchius *de Republ. Christ. tit. de Regul. cap. 3. num. 14. ampliatione 9.* Iulius Clarus *lib. 3. recept. §. Testamentum, q. 30. in fine*, Hieronym. Roder. *in compend. qq. regul. res. 72. num. 1.* Et quamplurimi alij apud Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 12. à num. 36.*

42. Secunda conclusio: non valet statutum excludens filiam à successione patris, si ingrediatur Religionem: sicut nec pater exhæredare potest filium: quia vult ingredi Religionem. Ratio est: quia tale statutum, & exhæredatio est impeditiua perfectionis religiosæ. Ita Paulus Castrensis *cons. 335.* & Sanchez *in precept. Decal. lib. 7. cap. 16. num. 19.* Et simpliciter loquendo omne statutum excludens ab hæreditate ingredi volentes Religionem, vel etiam ingressos, & professos, est nullum, & irritum, vt docet idem Sanchez *loc. cit. c. 12. n. 18. & 19.* vbi refert Rodriq. Geminianum *cap. Quamuis pactum. num. 10. de pactis, in 6.* Alciatum *Auth. Cassa n. 8. C. de sacros. Eccles.* Salycetum *cap. Deo nobis. §. Etiam cognitum. n. 4. C. de Episc. & Cler.* Couar. *de pact. 3. part. §. 2. num. 5.* Hondedeus *cons. 11. num. 14. vol. 2.* Ceuallos *in qq. communib q. 4. num. 3 in fine.*

43. Aduertendum est, hæreditates, quas acquirit Monachus per professionem Monasterio, non posse illas Monasterium adire, tanquam proprius hæres: sed tantum iure acquisitionis cuiusdam naturalis, & accessoriæ personæ; non autem iure hæreditario: quia eo ipso, quòd persona transfertur in Monasterium, transeunt etiam eius bona, sed accessoriè: quod probatur *ex cap. Authent. ingressi. C. de sacros. Eccles.* Et ita affirmant Innocentius *in cap. In præsentia n. 6. de probat.* & *ibi* Abbas *num. 74.* Bellamer. *num. 21.* Baldus *num. 14.* Parisius *num. 198.* Tapia *verbo, Ipso ingressu. in principio num. 4. in d. Authent. Ingressi.* Menchaca *de success. creat. lib. 2. §. 16. num. 13.* Sanchez *in præc. Decal. lib. 7. cap. 12. num. 21.* vbi alios citat Doctores; & sequitur.

44. Tertia conclusio: Monachus, etiam professione emissa, succedit patri ab intestato, vt verus hæres illius, & acquiritur Monasterio hæreditas modo *supra* enarrato: & in hoc casu succedendi patri ab intestato nullam patitur capitis diminutionem, vt colligitur *ex l. Deo nobis. § 1. C. de Episc. & Cler.* & docent Tiraquellus *de vtroque retract. §. 1. gloss. 8. num. 19.* & Cardinalis *in Clement. final. 6. q. 11. de regul.* Couarruuias *in cap. Quia nos. de testam.* Nauarr. *comm. 3. de regul num. 41.* Molin. *tom. 1. de iust. disp. 40 col. 5. §. Vtrum autem.* Gomez *l. 48. Tauri, num. 7 in fine*, Costa *in cap. Si pater. 2 part. verbo, Testatore mortuo, num. 11. de testamentis.* Sanchez *in præcept. Decal. lib. 5. num. 29.* vbi alios citat, & sequitur Doctores.

Quarta conclusio: Monachus per professionem non amittit iura agnationis, sed succedit patri tanquam suus verus hæres, transmittendo Monasterio iura dictæ agnationis, sicut transmitteret ad alios hæredes. Probatur *ex d. l. finali, C. de Episc. & Cler.* vbi habetur, Monachum succedere in iura agnationis, ac si Religionem ingressus non esset. Ita affirmant vnanimiter Doctores ferè omnes supracitati, & alij apud Sanchez *lib. 7 loc. cit. cap. 11. num. 5.* & Hieronymum Rodriq. *in Compend. qq. regul. resol. 72. n. 6.* 45.

Quinta conclusio: Nouitio morienti ab intestato intra annum probationis non succedit Monasterium, sicut succedit, quando emisit professionem; sed succedunt alij hæredes venientes ab intestato. Ita Abbas *in cap. In præsentia. de probat.* & Lopez *lib. 17. tit. 1. part. 1. verbo, contrahendo* Hoc tamen limitandum est cum Hieronymo Rodriq. *loc. cit. num. 8.* nisi, scilicet, Nouitius in ingressu Religionis expresse contulisset bona sua Monasterio, nec expresse reuocauerit: tunc enim bona ad Monasterium spectabunt, non verò ad hæredes ab intestato, dummodo ille donans non declararet, se nolle aliter valere donationem, quam sequuta professione: si enim id explicaret, rediret ad venientes ab intestato. 46.

Sexta conclusio: Testamentum, in quo Fratres Minores nullo facto cohærede instituuntur, nullum est, & hæreditas deuoluitur ad venientes ab intestato: vnde, si adsit cohæres, aut substitutus, qui hæreditatem adeat, valet, & portio illa Fratribus Minoribus relicta accrescit cohæredi, nisi per officium à Syndico petatur. Ita docet Hieronymus Rodriquez *loco cit. num. 12* vbi ait, quòd ex hoc fit, quòd hæreditas per fideicommissum vniuersale non potest prædictis Fratribus relinqui: quod patet *ex Clement. Exiui de Paradiso. §. Quia ergo.* quia vniuersalis fideicommissi est hæres, *l. Qui quadraginta. & l. Si filios quod cum eo. ff. ad Trebell.* Benè tamen fideicommissum singulare, quod petere potest Syndicus ad subueniendum Fratrum necessitatibus: quod etiam docent Baldus *in Authent. Ingressi. num. 46. C. de sacros. Eccles.* Corduba *in Regul. S. Francisc. c. 6. q. 11. punct. 1.* Sanchez *loco citato, cap. 25. n. 5. & 6.* vbi limitat supradictam conclusionem dicendo esse veram, attento iure communi, quòd testamentum, in quo Minoritæ instituuntur, foret nullum, cohærede non instituto, aut illis non adeuntibus; attento verò iure Castellæ erit nullum tantùm quoad illius hæredis institutionem, non autem quoad reliqua in illo contenta. Habetur *ex l. 1. tit. 4. lib. 5. noua recopil.* vbi ad testamenti valorem non requiritur institutio hæredis, sicut ex communi iure petitur. 47.

Ex his deducitur primò, testamentum, in quo instituuntur hæredes Minoritæ, cum clausula, quòd vendatur hæreditas; & pretium conuertatur in necessitates eorum, valere, non quoad institutionem hæredum, sed quoad causam piam ibi appositam. Ratio est: quia ipsi Fratres sunt omnino incapaces hæreditatis; non autem causa pia, in quam conuertitur huiusmodi pretium: & sic causa pia sustinebit personam hæredis. Elicitur *ex l. Ad declinandam. C. de Episc. & Cleric.* Hieronymus Rodriquez *loco citato, numero 13.* vbi ait, quòd extraneo instituto hærede cum tali clausula, vt, scilicet, 48.

licet, vendita hæreditate expendat pretium in vsus Fratrum, in nullo iure prohibetur acceptare: quod etiam affirmant Bartolus *in tract. Minoritarum, lib 5. dist. 5. cap. 2. num. 3.* Guido Papa *decis. 327. num. 1.* Sorbus *in Compend. Mendicantium, verb. Hæreditas, in annot. §. Quæritur enim.*

49. Deducitur secundò, hæreditatem relictam Ecclesiæ Fratrum Minorum valere, tanquam relictam capaci: quia capax est Summus Pontifex, ad quem pertinent ius, & proprietates Ecclesiæ: vnde, cùm facultates dictorum Fratrum, vt habetur *in Clem. Exiui. de verb. significat.* Syndicus, seu Procurator possit Ecclesiæ Romanæ acquirere, valebit talis hæreditas relicta Ecclesiæ Fratrum Minorum, ex eodem Bartol. *loco cit. tract. Minorit.* & Abbas *cons. 63. n. 4. lib. 2.* Antonius Cucchus *lib. 3. instit. maior. tit. 1. num. 37.* licèt oppositum teneat Sanchez *loco cit. cap. 25. num. 14.*

50. Ea, quæ hactenus dicta sunt, non intelliguntur de Conuentualibus, sed de Fratribus Obseruantibus S. Francisci: nam huiusmodi Fratres Conuentuales per constitutiones Sixti IV. & Clementis IV. possunt succedere parentibus, & vocari in testamentis, & alias hæreditates acquirere propriis Monasteriis.

51. Canonici etiam Regulares, licèt priuatim non permittantur possidere, attento tamen iure communi *in cap. Si qua mulier. 19. q. 3.* succedunt in bonis temporalibus, eaque Monasterio acquirunt, tanquam si essent in sæculo, ex speciali priuilegio Cælestini V. quod habetur *in Compend. Societ. Iesu, tit. Bona, 62. §. 6.*

52. Monachi Benedictini, & Cistercienses etiam simili gaudent priuilegio, & bona quæcunque ex successione, vel alias illis obuenientia, possunt petere, ac retinere, ac si essent in sæculo ex priuilegio Innocentij IV. & Clement. IV. vt habetur in Bullario *constit. 28. ipsius Innocentij*, & *in compend. Cistercien. tit. Hæreditas*, vbi per constitutionem Nicolai III. & Clementis IV. habetur, bona ante professionem Monachis competentia Monasterio suo acquiri.

53. Fratres Prædicatores, etiam ex priuilegio Sixti IV. per Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3. de Regul.* possidere possunt bona stabilia, absque hoc, quòd Mendicantes desinant esse, ac per consequens succedere possunt in hæreditatibus: & Clemens IV. apud Hieronym. Rodriq. *loco cit. n. 15.* ipsis specialiter indulsit, vt possint succedere, etiam in bonis temporalibus, tanquam hæredes, eo modo, quo in sæculo manentes succederent, atque ideò tales hæreditates, & bona temporalia possunt vendere, ac pretium eorundem in communem vtilitatem conuertere.

54. Augustinensibus item Fratribus Alexand. IV. idem concessit, hoc tantùm excepto, quòd feudalia bona non possint acquirere, & retinere. Et tandem de omnibus Mendicantibus generaliter loquens idem asserit Sanch. *loco suprà cit. n. 2. & 16.* & *cap. 12. num. 1.* & *cap. 15. n. 19. ad finem.*

55. De aliis verò Religionibus, quæ speciale priuilegium non habent, & eorum Monasteria capacia sunt bonorum in communi, dicendum est, vel communicare cum supradictis priuilegiis; vel contineri in illo axiomate: *Quicquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit, ex §. Si qua mulier. Auth. de Sanctiss. Episc. & §. Illud quoque. Authentica. de Monachis*, & *authent. Ingressi. C. de sacros. Eccles.* & *cap. Si qua mulier.* & *c. Quia ingredientibus. 19. q. 3. & l. regia. 17. tit. 1. part. 6.* ex quibus Sanchez *loco cit. in præcept. Decal. lib. 7. cap. 12. n. 4.* elicit, constare, hoc solo iure humano inductum esse, cum nullum aliud ius hoc disponens inueniatur. Vnde Doctores ferè omnes circa has supradictas leges scribentes dicunt, consuetudine alicubi huic iuri derogatum esse, quæ derogatio nullam habet vim: quia hoc iure ciuili inductũ est, maximè cùm sit approbatum à D. Gregorio Papa *l. 7. registr.* quòd refertur *in cap. Quia ingredientibus. 19. q. 3.* quódque consensu omnium Pontificum receptum est. Imò successio Monasterij in bona professi verificatur non solùm post emissam professionem; sed etiam, quando ante finem anni Nouitiatus fit professio in articulo mortis ex priuilegio Pij V. de quo priuilegio agit Sanchez *lib. 5. in præcept. Decal. cap. 9. n. 16.*

56. Moniales etiam Ordinis Mendicantium succedunt in bona Monialium professarum, quia illis ex priuilegio permittitur habere bona in communi. Idem dicendum est de Monialibus, quæ Clarissæ vocantur, siue primitiuæ Regulæ, aliàs Collectaneæ, siue Capucinæ: in decreto enim Concil. Trid. tantùm excipiuntur Fratres Minores de Obseruantia, & Capucini: vnde, cùm exceptio firmet Regulam in contrarium, omnes Moniales cuiuscunque Ordinis, poterunt habere bona in communi, & succedere in bona Monialium professarum, vt benè docent Hieron. Rodriq. *in Compend. dictarum qq. resol. 72. n. 19.* cum aliis *ibi* ab eo citatis, simul cum quadam declaratione Sacræ Congregat. Cardinalium.

57. Conuersi manentes in sæculo, nec profitentes Regulam approbatam, succedunt consanguineis, ac si nõ essent oblati: imò etiam illis postmodum professis in Monasterio bonorum in communi capaci hæreditas peruenit, eámque acquirunt Monasteria, vt docet Rodriq. *qq. regul. 1. 2. q. 77. art. 10.* & Bart. *in l. Generaliter. C. de sacrosanctis Eccles.* & Sanch. *lib. 7. in Decal. c. 8. n. 42.* Hieron. Rodriq. *loco cit. n. 8.*

58. De hæreditate verò, seu legitima, quæ debetur filiis, si eorum pater Religionem ingrediatur, & professionem emittat, non leuis difficultas est, an, scilicet, legitima debita filiis debeatur illis post emissam professionem patris in Religione bonorum in communi capaci, an verò post eius mortem naturalem. Nauar. *com. 2. de Regular. n. 48.* Couarru. *in c. 1. n. 7. de testam.* Molina *de iustit. tract. 2. disp. 140. vers. At vero.* Lessius *de iustit. & iure, lib. 2. c. 41. n. 84.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 8. q. 7.* dicunt, statim patre profitente, deberi legitimam filiis.

Alia sententia, quæ mihi probabilior est, affirmat, quòd attenta æquitate, & iure ciuili, legitima filiis non debetur à tempore, quo pater profitetur, sed naturalem ejus mortem esse expectandam, & interim Monasterium debere potiri facultatibus illius patris. Ita habetur *in l. 1. §. Impuberi. ff. de collat. bonor.* & ex argumento desumpto à contrario sensu ex *Authentica, Si qua mulier. in fine, C. de sacros. Eccl.* Quam sententiam tuentur Gloss. *ibi, verbo, Moriatur.* Bartol. *n. 22.* Cynus *n. 5.* Iason *n. 51.* Felin. *in c. In præsentia. de probat. n. 55.* Parisius *n. 149.* Decius *n. 262.* Beroyus *n. 536.* Antonius *n. 20.* Surdus *de aliment. tit. 1. q. 19. n. 7.* Greg. Lopez *l. 17. tit. 1. part. 6.* Roland. *cons. 97. n. 29. lib. 2.* Menchaca *lib. 3. de success. creat. n. 175.* Ceuallos *communium q. 342.* Spino *de test. gloss. 12. n. 82.* Castil *de vsufructu lib. 1. c. 64. n. 10.* Stephanus Gratianus *tom. 1. discept. foren. cap. 102. n. 2.* Matienzo *lib. 3. gloss. 2. num. 13. tit. 4. lib. 5.*

Fateor, transire obligationem ad Monasterium, quam habet pater respectu filij quoad legitimam, vt benè Sanch. *in præcept. Decal. lib. 7. cap. 20. num. 10.* Idem dicendum est de filio respectu patris, quod tanquam indubitatum, tradit Surdus *de aliment. titul. 1. quæst. 29. num. 1. vsque ad 5. & num. 9. & 10.* quem sequitur Sanchez cum aliis multis *loco cit. num. 8.* & Hieronymus Rodriquez *in Compend. quæstionum regularium, resolut. 72. num. 26.*

59. Ex quibus omnibus aliquæ eliciuntur resolutiones. Prima resolutio est, quòd cũ actio iniuriarũ facta de-

functo competat suis hæredibus, *l.* 1 §. *Si fortè ff. de iniuriis.* si Monachus occidatur, remissio, vel mortis venia spectant ad Monasterium hæredem, & non ad eius filium, si habeat in sæculo, vel alios consanguineos, vt de communi opinione fatetur Rodriq. *qq. regul. tom.* 2. *q.* 92. *art.* 3. Federicus de Senis *cons.* 25. Guillelmus Benedictus *in cap. Raynutius,* il 2. *verbo, condidit, num.* 17. *de testam.* Padilla *in l. Transire. num.* 38. *C. de transump.* Abbas *in cap. In præsentia. de probat.* Farinac. *in prax. crim. tom.* 1. *titul. de accus. quæst.* 13. *num.* 26.

60. Secunda resolutio: Quando aliquam hæreditatem adit Monasterium, potest compelli à legatariis, facere inuentarium, non sumptibus Monasterij, sed petentium, quòd ea confectio non noceat Monasterio, & possit prodesse legatariis, *arg. l.* 2. §. *Item Varus. ff. de aqua pluuia.* ibi: *Qui factus mihi prodesse potest: ipsi nihil nociturus est, hæc æquitas suggerit, etsi iure stricto deficiamur.* Quod affirmant Bertrandus *cons.* 168. *n.* 2. & Sanch. *loco cit. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 34. Tenetur etiam Monasterium ad petitionem legatariorum, & creditorum pati describi bona Monachi professi: hoc enim generale est in omnibus inuentarium facere non obligatis: & in foro conscientiæ tenebitur Monasterium eam bonorum descriptionem facere, quæ inuentarium non est, si Monachus professus habeat ascendentes, aut descendentes, aut alios qui ex testamento condito ante professionem ei successuri sunt, aut creditores, quibus soluendum est, vt constet, bona, in quæ illi sunt successuri, aut extent bona ad satisfaciendum creditoribus. Ita Sanchez *loco citato.*

61. Tertia resolutio est, posse Abbates repudiare hæreditatem Monacho delatam, ipso inuito, cùm dictum sit *superius,* quòd sicut in adeundo non pendet à voluntate Monachi; ita nec in repudiando, vt docent Cynus *l. finali, num.* 7. *C. de Episc. & Cler.* Felinus *in cap. In præsentia. n.* 57. *q.* 10. *de probat.* Guillelm. Benedictus *cap. Raynutius, verbo, si absque liberis,* il 2. *num.* 86. Caluacanus *decis.* 1. *n.* 52. *part.* 3.

62. Quarta resolutio: Potest Monasterium hæreditatem adire, mortuo Monacho, propter quem Monasterium successit in talem hæreditatem; & excluduntur substituti, ac omnes alij hæredes, qui nullo modo præferendi sunt Monasterio, licèt Monachus prædictus sit defunctus. Ratio est: quia Monasterium non innititur iure transmissionis; sed eo, quòd Monachus omnem voluntatem suam, & omnia sua iura in Monasterium contulit: ex eo enim defertur immediatè hæreditas Monasterio, & ius adeundi talem hæreditatem, quando Monasterio placuerit. Ita affirmant Ioannes Andreas *dicto cap. In præsentia. num.* 23. *de probat.* & *ibi* Abbas *num.* 77. Anchatanus *num.* 18. Alexander *l.* 1. *in principio, n.* 26. *in fine, ff. de vulgari,* & Alciatus *ibid num.* 95. Imola *num.* 6. Nicolaus de Vbald. *de success. Regul. part.* 2. *num.* 5. Angelus de Gambalconibus *de testam. gloss* 84 *num.* 7. Rolandinus *de testam. num.* 23 *rubur.* 19. Caualcanus *decis.* 1. *num.* 50. *port.* 3. Redoanus *de spol. Eccles q.* 8. *in princ. num* 63. Conarr. *cap.* 1. *num.* 21. *de testam* Lælius Zecchius *de Repub. Eccl. tit. de Regul. cap.* 3. *num.* 14. *ampliat.* 9. Molina *tom.* 1. *de iust. disp.* 149. *col.* 8. Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. *num* 87. Emmanuel Sà *verbo, Religio, num.* 27. Rodriquez *quæstionum regularium tom.* 2 *quæstione* 77. *art.* 1. Sanchez *lib.* 7. *in præcepta Decal. cap.* 12. *num.* 47. vbi alios Doctores citat, & sequitur.

63. Quinta resolutio: Monacho exhæredato, aut præterito à parentibus, integrum esse Monasterio querelã inofficiosi testamenti intentare, ac testamentum rumpere. Ita docent Doctores apud Angelum *l. Papinianus.* 8. *in princ. num.* 2. licèt ipse cum Paulo *ibid. num.* 3. Fulgosio *num.* 3. & 4. Baldo, Iasone, & Salyceto, vt notat Sanchez 7. *in Decal. cap.* 12. *num.* 51. putent, non competere hanc querelam intentare contra voluntatem Monachi: nam filio exhæredato pater caret iure huius querelæ, inuito ipso filio. Si ergo tunc Monasterium comparatur filio, non habet hanc querela, atque ita expresse asseritur *in d. l. Papinianus.* 8. *in principio.* Si verò comparatur seruo, tunc, & fortiùs idem dicendum: quia querela tendit ad succedendum ab intestato. Verùm, quod diximus, ius querelæ, & testamenti rumpendi competere Monasterio probabilius est. Atque ita docet Sanchez *loco cit. num.* 52. Ratio ea est: quia omnia iura Monachi sunt ad Monasterium translata, & illi competunt, sicut iam Monacho competebant: ergo, si anteà reluctante Monacho restitui poterat in integrum: ita Monasterium mo[illegible] nam. ipso inuito: quia ius est ad Monasterium trans[illegible]um. Et ratio contrariæ sententiæ non obstat: nam val[illegible]t comparatio, quando non esset in præiudicium iuris Monasterij iam acquisiti: in casu tamen nostro illa repudiatio est prorsus irrita, & non potest officere ius Monasterij, vt docet Sanchez *loco cit n.* [illegible]8 & 48. vbi citat pro hac sententia Betuium *in cap. Raynutius, num* 391. *de test.*

QVÆSITVM V.

An Abbas, vel Monachus, ad Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem assumptus suæ Ecclesiæ, vel Monasterio acquirat.

SVMMARIVM.

1 *Res semel Deo dicatæ perpetuò manent.*
2 *Abbas, vel Monachus, quem sacri Canones absoluunt à iugo Regulæ monasticæ, & Episcopus efficitur, velut legitimus hæres paternam hæreditatem iure vendicare potest.*
3 *Monacho ad dignitatem episcopalem euecto, spectant quoad vsum, & administrationem omnia, quæ post adeptam dignitatem acquisiuit; post verò eius mortem, non ad Monasterium, sed ad Ecclesiam, cui præfectus est: & num.* 11.
4 *Monachus factus Episcopus de hæreditate sibi delata, an possit ad suum libitũ disponere: & n.* 5. & 6.
7 *Episcopus regularis de licentia Summi Pontificis potest testamentum condere.*
8 *Dispensatio, & licentia prædicta, vt legitima [illegible]t, quæ impedimenta exprimenda sint.*
9 *Testandi licentia à Summo Pontifice Prælatis concessa non expirat morte concedentis.*
10 *Testamentum vigore prædictæ facultatis factum potest reuocari; & toties quoties placuerit, co[illegible]di.*
12 *Religiosus titularis Episcopus bona acquirit Summo Pontifici.*

ET primò videtur dicendum, quòd Monachus, vel Abbas ad Episcopatum assumptus non succedat in paterna hæreditate: sed hoc ius spectat ad Monasterium, arg. tex. *in c. Quæ semel.* 19. *q.* 3. in quo textu disponitur, vt res, quæ sunt Deo dicatæ, perpetuò maneant: & *c. Perlatum. ead q.* 3. vbi dicitur quòd donatio facta Monasterio est irrenocabilis: ergo Abbas effectus Episcopus non succedit in paterna hæreditate: sed ius spectat ad Monasterium.

Sed contrà est, quod disponitur *in c. Statutum.* 18 *q.* 1. quòd Abbas, vel Monachus, quem sacri Canones absoluunt à iugo Regulæ Monasticæ, & Episcopus efficitur, velut legitimus hæres paternam hæreditatem iure vendicare potest, Ex quo textu patet, [illegible]

quando

quando Monachus aliquis ad epiſcopalem, vel aliam ſæcularem dignitatem aſſumitur; omnia, quæ poſt eam dignitatem aſſecutam acquiſierit, etiam hæreditario iure ad ipſum ſpectant, quoad vſum, & adminiſtrationem; poſt illius verò mortem ſpectant ad Eccleſiam, cui præfectus eſt; non autem ad Monaſterium, vnde [illegible]ptus fuit. Ita etiam habetur *in cap. Ne pro* [illegible] *.16.q.1.* iuncta Gloſſ. *in verb. Sacrum.* Ita Nauar. *Commen 4 de Regular. n. 6.* Azor. *inſtit. mor. p. 1. lib. 12. c. 10. q. 6.* Molina *de iuſtit. tom. 1. tract. 2. diſp. 140. in fin.* Rodet. *tom. 2. q. 58. art* 6. Beller. *diſquiſit. Cleric. p. 1. tit. de bon. Cleric. §. 8. n. 3.* Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. p. 3. alleg.* 114. *n.* 20. quamuis eſſemus in dubio. Niſi conſtet alteri voluiſſe acquirere. Rota *in vna Vercellen: donationis*, 28. Iunij, 1610. coram Card. Ludouiſio.

Ad argumentum reſpondeo, & primò ad textum *in cap. Quæ ſemel.* dicimus, quòd textus loquitur de Monaſteriis, & de aliis rebus, quæ iam ſunt Deo realiter dicatæ: nam illæ ad profanos vſus nullo modo reduci poſſunt. Et ſimiliter ad text. *in c. Perlatum.* reſpondemus, quòd loquitur de illis rebus, quæ illa mulier realiter donauit; vnde talis donatio eſt irreuocabilis; ſed in caſu noſtro Abbas, ſiue Monachus realiter non donauit bona hæreditaria, ſed tantùm ſolam ſpem, & non ius ſuccedendi: ſed tale ius non competit, niſi poſt mortem defuncti: vnde non dedit illud ius Monaſterio; ſed tantùm ſolam ſpem: ſed illa ſpes euaneſcere debet, ex quo illa perſona deſinit eſſe filius illius Monaſterij, vt §. *Mortuo. Inſtit. de acq. per arrog.* & habetur per Gloſ. *in cap. Statutum. in verb. reſtituar. 18. quæſt. 1.*

4 Notandum autem, quòd de huiuſmodi hæreditate ad ſuum libitum diſponere non poteſt, cùm eam non ſibi, ſed ſuæ Eccleſiæ acquirat, vt explicat Gloſ. *in d. cap. Statutum*: nam illud verbum, *ſibi*, exponit, id eſt, Eccleſiæ ſuæ.

5. His tamen non obſtantibus affirmant Doctores, Religioſum beneficiatum, ſiue Epiſcopum quàm amplè poſſe diſponere, ſicut poteſt Epiſcopus ſæcularis. Ita affirmant Rodriq. *tom. 2. qq. regul. q. 8. art* 8. Leſſius *de iuſt. & iur. lib. 2. c. 4. dub. 5. num. 29.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 276.* & Rota *in vna Vercellen. ſpoliorũ*, 13. Februarij, 1609. coram Cardinali Ludouiſio apud Farinacium *deciſ. 241. num. 4. part. 2. recent.* & eadem Rota *deciſ. 216. num 13. part. 2. in nouiſſim.*

6. Qua ſtante diſpoſitione, integrum illis erit, diſponere, & acquirere tam Eccleſiæ Cathedrali, quàm Monaſterio de illis, quæ diſponere poſſunt, & de li-
7. centia Summi Pontificis poſſunt teſtamentum condere, & in eo adhuc viuentes diſponere de ſupradictis facultatibus.

8. Vnde Epiſcopus regularis talem licentiã obtinens à Summo Pontifice, duplex impedimentum tenetur explicare, vt legitima ſit diſpenſatio; vnum, ſe eſſe Religioſum; alterum, ſe eſſe Epiſcopum, quòd duplici hoc impedimento ad teſtandum affectus ſit: & hoc intelligendum eſt in caſu, in quo talis Epiſcopus vellet teſtari de bonis acquiſitis intuitu Eccleſiæ: nam, ſi vellet de patrimonialibus omnibus, vel de acquiſitis propria induſtria in ſuo teſtamento diſponere, ſufficit explicare, ſe eſſe Religioſum, cui obeſt authoritas teſtandi, vt Religioſus eſt, non vt Epiſcopus. Ita elicitur ex Suar. *lib 7. in precept. Decal. lib. 6 cap. 6. n. 11.*

9. Quæ quidem licentia teſtandi à Summo Pontifice Prælatis conceſſa non expirat morte illius Pontificis, vt putauit Couarruu. *in cap. Cùm ex officij. num. 8. de teſtam.* & contra illum docent non expirare Sanchez *de matrim. lib. 8. diſp. 28. num. 82.* Rodriq *loco cit. q. 69. art. 6.* Gonzalez *gloſſ. 12. in princip. num. 35.* & ſacra Rota Romana *in vna Placentina facultatis teſtandi*, 24. Ianuarij, 1578. vt teſtatur Aloyſius Riccius *in prax. aurea reſol.* 386.

Non expirat etiam vigore prædictæ facultatis, teſtamentum ſemel faciens, quin poſſit teſtamentum 10. ſemel factum reuocare, & de nouo condere, quoties, & quomodo ſibi placuerit. Ita affirmant G[illegible]tierres *practicarum lib. 3. q. 48. n. 7.* Rodriq. *loco cit. q. 69. art. 5.* Gonzalez *d. gloſſ. 12. n. 97.* Sarmiento *de redditib. Eccleſia. part. 4. cap. 4. num. 3.* Ratio eſt: quia verba cuiuſcunque diſpoſitionis, quantùs maximè odioſæ, in dubio cum effectu ſunt intelligenda, *argum. cap. Relatum. 4. verſ. Cum igitur. de Cler. non reſident.*

Hoc tamen non obtento priuilegio à Summo 11. Pontifice condendi teſtamentum, certum eſt, acquiſita ab Epiſcopo Religioſo poſt adeptum Epiſcopatum ab illo eſſe adminiſtranda, dum vixerit: illo verò defuncto, non ad Monaſterium, à quo deſumptus fuerat; ſed ad ſuam Eccleſiam epiſcopalem ea pertinere, vt *ſupra* diximus. Et probatur *in cap. vnico, 18 quæſt. 1.* vbi Gloſſ. *verbo, Legitimus*, & Abbas *in cap. final. num. 3 de Regul.* Sotus *de iuſt. lib. 10. q. vlt. art. vlt. ad 3* quod verum eſſe, etiamſi iure hereditario illa bona ſunt acquiſita poſt Epiſcopatum, affirmant Molina *loco cit. tractat. 2. diſp. 140. in fin.* Leſſius *loco cit. in fin. cap. 41. dub. 11. num. 92.* Rodriq. *loc. cit. q. 58. art. 7.* Idem dicendum eſt etiam de acquiſitis donatione, & de acquiſitis propria induſtria, & labore. Ita Leſſius *loco cit.* & Azorius *tom. 1. inſtit. moral. lib. 12. c. 10. q. 6.* & Rodriq. *loco cit. q. 18. art. 6.* & Barboſa *de off. & poteſt. Epiſc. part. 3. alleg. 114. num. 28.* vbi *num. 29.* dicit, hoc procedere, etiamſi ille Religioſus Epiſcopus ſit ex Ordine Fratrum Minorum: ille enim factus Epiſcopus ſuccedendi ius recuperat: vnde ipſi mortuo ſuccedit ſua Eccleſia. Ita Molina *loco citato, diſp. 140. verſ. Quando Religioſus.* Azor. *loco cit. lib 12 q. 6. & cap. 15. q. 3.* vbi ait, quòd à tempore confirmationis pontificiæ incipit Eccleſia acquirere. Ita etiam Rodriquez *in Summ. tom. 2. cap. 70. num. 6.*

Si dicas, an Epiſcopus titularis Religioſus, qui 12. nullam Sedem epiſcopalem habet, acquirat Monaſterio? Reſpondent Rodriq. *tom. 3 qq regul. q. 69. art. 4.* Emmanuel Sà *verbo, Religio, num. 52.* affirmatiuè. Azorius verò *loco cit. cap. 10. q. 7.* ſimul cum Barboſa *loco cit. num 29.* dicit, quòd acquirit Summo Pontifici: quia ſolutus eſt omninò ab obedientia Religionis, & immediatè ſubeſt Summo Pontifici.

QVÆSITVM VI.

An penes Abbates ſit poteſtas, & cura conſeruandi bona temporalia Monaſterij.

SVMMARIVM.

1 *Abbati conceſſa eſt vniuerſa poteſtas neceſſaria ad debitam adminiſtrationem & conſeruationem bonorum ſui Monaſterij.*

2 *Abbas expendens bona Monaſterij in vſus vanos, præiudicat ſuo officio conſeruandi bona Monaſterij, peccat contra votum paupertatis, & eſt proprietarius.*

3 *Religioſus expendens quantitatem notabilem extra vſus pios, & neceſſarios, licet cum licentia Abbatis, peccat contra votum paupertatis. & num. 8.*

4 *Abbas expendens aliquid contra præſcriptum Regulæ, vel alius dans licentiam, facit contra conſeruationem bonorum Monaſterij, & non eſt in bo-*

no ſtatu, vt num. 5. ſicuti facit, & eſt Religioſus, qui expendit abundanter bona Communitatis in magnum Monaſterij detrimentum, vt n. 6.

7 *Reſtituere tenentur, qui accipiunt à Religioſo ad vſus vanos, & ſuperfluos, etiam de licentia Superioris.*

9 *Abbas, vel Superior concedens aliquid Religioſo in vſus proprios, ſed decentes, non facit contra conſeruationem bonorum Monaſterij.*

1. RÉcolendi ſunt ex ſuperioribus, nempe, ex huius diſpoſitionis quæſito, illi tres actus adminiſtrationis bonorum temporalium Monaſterij, ſcilicet, acquiſitio, conſeruatio, & alienatio. Cum autem explicatum fuerit, quanta ſit Abbatis poteſtas quoad actum acquirendi Monaſterio; videndum eſt in præſenti conſequenter de ipſius poteſtate in iam acquiſita conſeruando: parum enim prodeſſet acquirere, niſi acquiſita ſeruentur; quia vt vulgò dicitur: *Cribro haurire aquam, nihil prodeſt.* cùm cribrum aquam hauſtam non ſeruet. Hinc dicebat Ouidius:

Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.

Circa quod parum videtur immorandum: indubitatum eſt enim, quòd penes Abbatem ſit vniuerſa poteſtas ad debitam conſeruationem, & adminiſtrationem bonorum ſui Monaſterij neceſſaria; non aliter, quam ſi ſua propria eſſent: quia ad hoc bonum regimen eſt neceſſarium: nam aliter communia bona facilè perirent. Vnde fit, vt, quanta fuit poteſtas ei tradita, tanta ſit obligatio quoad curam, & ſolicitudinem, fideliter talia bona adminiſtrandi, ita vt ad maius Dei obſequium, ac Monaſterij commodum, & vtilitatem illa conſeruentur. Ex quo cùm nequeat omnia per ſe immediatè exercere, poterit cum eadē facultate Officiales, & alios Miniſtros creare, per quos hæc temporalis cura exequatur, quibus prædicta bona fideliter adminiſtrandi, & conſeruandi obligationem imponat, vt docet Suar. *de Relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 26. num. 7.* Hinc ait D. Anton. Perez *in comment. Reg. S. Benedicti, ſup cap. 32. num. 5.* cum bonorum Monaſterij cura principaliter ſit apud Abbatem, præcipere D. Benedictum, vt Abbas habeat codicem, in quo rationes refcrantur omnium; quæ Monaſterij Miniſtris in cuſtodiam traduntur, ne aliquo modo obliterentur: & idcircò, ne quidpiam horum ab Abbatis memoria effluat, præcipit S. Pater, vt codici, litteriſque ea mandentur: quia ſcriptura eſt fidus memoriæ cuſtos.

2. Huic curæ conſeruandi bona Monaſterij multa aduerſantur. Primò, ſi Abbas expendat in vſus vanos, & ſuperfluos, ac proinde ſine cauſa iuſta, non ſolùm præiudicat officio ſuo conſeruandi prædicta bona, verùm etiam peccat contra votum paupertatis, & eſt proprietarius, vt docent Azorius *tom 1. inſtit. moral, cap. 12. q. 2.* Nauar. *lib. 3. conſ. in 1. edit. & de regul. conſ. 75. num. 41. in 2. tit. de ſtat. Monach. conſ. 3. num 42. & comm. 3. num. 27. de Regul.*

3. Sicut etiam peccat Religioſus expendens quantitatem notabilem extra vſus pios, & neceſſarios, licet adſit licentia Abbatis: quia illa non eſt legitima. Ita docent Nauar. *lib. 3. de reſtit. cap. 1. in noua edit. part. 3. dub. 1. num.* 168. Rodriq. *qq. regul. tom 3. q. 29. art. 11.* qui affirmant, illum peccare mortaliter, ſicut etiam peccat Abbas mortaliter concedendo talem licentiam. Et ideò non poteſt illam concedere, etiam cum Conuentu: quia, licèt Conuentus ſit dominus illorum bonorum, hoc tamen dominium eſt reſtrictum per votum paupertatis, & per conſtitutiones eccleſiaſticas. Ita Nauar. *comm. 2. de regul. num. 23. coroll. 12.* Rodriq. *loco cit. q. 29. art. 11.* Mendoſa *in quodl. q. 8. art. 6.*

Secundò, contra dictam conſeruationem bonorum facit Abbas expendens aliquid contra præſcriptum ſuæ Regulæ, & dans licentiam ſubditis, vt poſſint expendere contra dictum præſcriptum. Ita affirmat Sanchez *in præcepta Decalogi, lib. 7. cap. 19. num. 26.* 4.

Tertiò, qui facit contra dictam conſeruationem bonorum Monaſterij, non eſt in bono ſtatu; præcipue, ſi, in quantum poteſt, abſque graui ſcandalo non nititur, Religioſos in communi viuere, & ſuperfluos vſus vitare; & niſi cogat illos, vt iuxta paupertatem promiſſam viuant, vt elicitur ex D. Antonino *3. part. tit 16. cap. 1. §. 12.* Syluestro *verbo, Religio, 6. q. 7.* 5.

Quartò, facit contra dictam conſeruationem bonorum Religioſus, qui expendit abundanter bona Communitatis, vnde oritur maximum detrimentum Monaſterij, & alij Religioſi patiuntur neceſſitatem. Et illum peccare mortaliter ſic abundanter expendentem, etiam de licentia Abbatis affirmant Lopez *1. part. inſtruct. cap. 156. colum. penult.* & Roderiq. *tom. 2. in Sum. cap. 31. num. 6.* qui etiam affirmant, Abbatem, etiam in hoc caſu, peccare mortaliter, imò grauiùs. 6.

Ex his deducitur primò, quid dicendum ſit de illo, qui recipit à Religioſo ad vſus vanos, ſuperfluos, & turpes; an teneatur reſtituere. Aliqui affirmant, Religioſum illum habentem licentiam ſui Abbatis expendendi in vſus, qui ſibi placuerint, non facere peccatum iniuſtitiæ; & illi, qui ab eo accipiunt, non tenentur ad reſtitutionem, cùm adſit licentia Superioris.

Verior tamen ſententia eſt, eſſe peccatum iniuſtitiæ, & accipientem modo ſupradicto, teneri ad reſtitutionem, vt bene docet Sanchez *lib. 7. in Decal. cap. 19 num. 3* Sicut etiam, ſi Abbas expenderet in prædictos vſus turpes, tenerentur accipientes ad eandem reſtitutionem, vt docet idem Sanchez *loco cit. num.* 32 & peccaret contra votum paupertatis, ac per conſequens ipſemet Abbas fieret manifeſtè proprietarius: quia nec de bonis acceptis habet facultatem quicquam conferendi ad eum finem propriæ delectationis, cùm nihil poſſit ſibi proprium applicare propter votum paupertatis, quo adſtrictus eſt, nec etiam ex præſumpta ſuorum Superiorum voluntate. Ita Abulenſis *in cap. 6. Matth. q. 37. verſ. & tunc dicendum eſt.* 7.

Deducitur ſecundò; quòd non faceret Abbas, neque Religioſus contra dictam conſeruationem bonorum Monaſterij, quando expenderent in vſus pios, vel in remunerationem beneficiorum acceptorum quia decet Religioſos gratos eſſe ac piis operibus intendere. Ita Corduba *in Sum. q. 54. dub vlt. d. 1.* Nauar. *lib. 3. conſ. de Regul. in 1. edit. conſ. 75. num. 33.* Ludouicus Lopez *1. part. inſtruct. conſcient cap. 155. ad 3.* Molin. *tom. 2. de iuſt. diſp. 276. col. 2.* Emmanuël Sà *in Aphoriſm. verbo, Religio, num. 48.* Inter huiuſmodi opera pia, cùm etiam enumeretur aliquid expendere pro Sacris faciendis, vel pro nuptiis pauperum; ideò poterit Prælatus, ſiue Religioſus, cum eius licentia, aliquid moderatè expendere, vt dicunt Corduba, & Lopez *locis citatis*, abſque eo, quòd agant contra dictam conſeruationem bonorum Monaſterij. 8.

Deducitur tertiò, nec ſimiliter agere contra conſeruationem bonorum illos Superiores, ſi concederent licentiam Religioſo expendendi aliquid in vſus proprios, ſed decentes, arbitrio boni viri, vt pro libris, veſtitu, & ſimilibus. Ita docet Emmanuël Sà *verbo, Religio num. 49.* Nauar. *loco citato, num. 43.* 9.

QVÆ

QVÆSITVM VII.

An Abbas teneatur defendere bona, iura, & priuilegia ſua Abbatiæ, & Monaſterij: & quæ pæna contra raptores bonorum eccleſiaſticorum illata ſint.

SVMMARIVM.

1 *Abbas non defendendo conſeruando, & recuperando bona ſui Monaſterij peccat, & debet, vt dilapidator deponi.*

2 *Prælati quomodo ſe gerere debeant, quando Eccleſiæ vacant.*

3 *Pœnæ contra raptores, & inuaſores bonorum eccleſiaſticorum enumerantur: & n.4.5.& 6.*

8 *Raptores, & inuaſores bonorum eccleſiaſticorum incidunt in Bullam Cœnæ.*

1. CVm Abbas reſpectu ſuæ Eccleſiæ, & Monaſterij ſe ſe habeat tanquam ſponſus erga ſponſam, vt patet ex *ſuprà* relatis; & ſicut neceſſarium eſt, ſponſam à ſuo ſponſo tueri: ita Abbas ſuæ Abbatiæ bona, & priuilegia defendere tenetur: imò, ſi id non faciat, & patiatur ea præſcribi, nec prauos abuſus ab ea amoueat proculdubiò peccabit, *c. Cùm quiſque 23. q. 4. cap. Fit Rector. 45. diſt.* quod colligitur etiam ex Concil. Aquiſgran. II: vbi habetur: *Abbates eccleſiaſtica iura intemerata cuſtodiant.* Nec debent permittere Abbates, vt ea, quæ in eorum Eccleſiæ detrimentum vergunt, exequantur, etiamſi aliàs ſub iuramento promiſſa forent: quia non ligat Eccleſiam iuramentum in eius damnum præſtitum. Abb. *in c.1. de his, quæ fiunt à maior. par. Cap.* Inſuper, cùm in eius manibus, ac pectore temporalium bonorum Monaſterij adminiſtratio, & eorundem conſeruatio, & defenſio recondita ſint ſi ex negligentia, vel ignorantia non redimit, acquirit, vel defendit bona iura, & actiones Monaſterij, cum poſſit: proinde delinquit, ac ſi vendidiſſet, & dilapidaſſet, arg. tex. *in cap. Si dignum. §. Illi etiam de homicid.* vbi dicitur, quod ſi quis à morte proximum non liberauerit, cùm poſſit, teneatur de homicidio: ita Abbas non defendendo, recuperando, acquirendo, & conſeruando, cùm poſſit, videtur vendere, alienare, & dilapidare; & ideò eadem pœna tenebitur, ac ſi dilapidaret, & alienaret, ergo vt dilapidator poterit à dignitate remoueri per text. *in cap. 2. in fin. de ſtat. Monach.* & *cap. Si quis Presbyter. 50. diſt.*

Hac de cauſa ſtatutum eſt in ſacris Canonibus,
2. quod vacantibus Eccleſiis, cum ſoleant earum bona deperire, non ſolùm Prælato ea nota eſſe debere; verùm etiam Canonicis, & Presbyteris, & Clericis: ſed etiam Canonicorum Capitulo *ex cap. Manifeſta. 12 q. 1.* Inferiorum verò Eccleſiarum, etiam maiori Prælato, vel earum Patrono, vel aliis ſi qui ſunt earum ſpecialiter curam habentibus, mortuo autem Prælato, vel alia de cauſa ab Eccleſiæ Prælatione remoto præcipitur *in cap Charitatem 12. q. 2.* vt conuenientibus omnibus œconomis, cunctiſque Clericis prioribus, ſiue Canonicis, aut aliis, ad quos ſpectare dignoſcitur, Inuentarium de bonis, & rebus Eccleſiæ conficiatur, in quo omnia, quæ reperta fuerint ſubtiliter deſcribantur, nec quidquam de rebus ipſis, quaſi pro labore huiuſmodi inuentarij conficiendi tollatur: quod quidem inuentarium coram Iudice eccleſiaſtico debet tantùm confici. Ita docent Maria *de iuriſdict. p.4 caſu 122. n. 16.* & Franciſ. Marc. Delphin. *deciſ. 105 p. 1.* & Barboſ *de iure eccleſiaſt. lib. 3. cap. 29. num. 5.* Et ea bona debent eſſe ſub cuſtodia Clericorum, vel eorum, qui ad id delegabuntur, quoadvſque ordinetur illius Eccleſiæ Prælatus, *ex cap. non liceat alicui. 12. q. 2.*

3. Quo verò ad pœnas illatas raptoribus & inuaſoribus prædictarum rerum, & bonorum eccleſiaſticorum, dicendum eſt, pœnas multas, tanquàm ſacrilegis, inflictas eſſe, vt habetur *in cap. Nulli liceat in fine: & in cap. Prædia. & in cap. Hac huius. in fin. & in cap. In legibus 12. q. 2.* Et ad tale ſacrilegium, quod ſupradicti committunt, ſpectat illud, quod habetur *in cap. Conqueſti. de ſenten. excommun.* ſcilicet, quando cum fractione ſpoliatur Eccleſia, in quo caſu incurritur excommunicatio ipſo iure, à qua poſt denunciationem tantùm Papa poterit abſoluere. Sed ad hanc excommunicationem incurrendam requiritur ſpoliatio violenta, & effractio, vt patet *in cap. vlt. de furtis.* In iure verò ciuili propter talem immanitatem pœna mortis ſunt puniendi ſupradicti fures, inuaſores, & raptores rerum Eccleſiarum, vt dicunt Boërius *deciſ. 254. n. 5.* Decian. *in tract. criminal. lib. 6. cap. 33. n. 15.* & Barboſ. *loc. cit. num. 7.*

4. Similiter *in cap. Quicunque militum. cum ſequent. 12. q. 2. cap. De rebus. ead. quæſt.* ſtatuitur, quòd quicunque militum, vel cuiuſcunque ordinis perſona, vel cuiuſcunque profeſſionis prædia eccleſiaſtica à quocunque Principe ſæculari, vel ab inuitis Epiſcopis, ſeu Abbatibus, aut aliis Eccleſiarũ Rectoribus ſuſceperit, vel inuaſerit, aut eorum conſenſu tenuerit, niſi eadem prædia reſtituerit, excommunicationi ſubiaceat. His, quæ ſuperiùs dicta ſũt, additur, quid de Prælatis ipſis vel Rectoribus Eccleſiarũ bona eccleſiaſtica vſurpãtibus ſtatuendum, pro quibus *in c. Monemus, & in cap. Non habentes. 12. q. 2.* habetur: *Vt nullus Epiſcoporũ, & Sacerdotũ rem tituli ſui vſurpare præſumat; ſed neque Eccleſiæ redditus, qui exſolui debentur amicitia, vel timoris, aut muneris cauſa, pertentet auferre, ne Eccleſia Dei ad nihilũ redigatur: quod verò Eccleſiæ eſt iniuſtè ablatum reddere compellatur. Qui verò de Eccleſiæ fructibus agros, vel prædia quæcunque ſibiipſis comparant, tanquam rerũ Dominicarũ inuaſionis crimine teneantur, niſi admoniti eadem Eccleſiæ contulerint.* Ita habetur in cap. 1. 12. q. 3. *Et qui neglectis, aut diminutis Eccleſiæ ſuæ rebus quæſtum ſibi proprium auxerit, quicquid in rebus Eccleſiæ minuit, ille reſtituat, ex cuius rebus, vel fructibus ſuos conuictus fuerit ampliaſſe labores.* Sic *cap. Quicunque. 12. q. 4.*

5. Si verò loquamur de Clericis, qui bona Prælatorum decedentium ſubripiunt, decernitur pro illis *in cap. E cuius, & in cap. Non liceat & in cap. illud. & in cap. De laicis. 12. q. 2.* his verbis: *Vt defuncto Antiſtite, vel adhuc etiam in ſupremis agente, nullus Clericorum cuiuſcunque Ordinis, graduſve exſtiteret, quicquã de domo eius rei mobilis, ſeu ſupellectilis, aut immobilis rei Eccleſiæ, ſubripere auderet, aut conaretur inuadere, nihil furto, nihil dolo ſupprimẽs, auferẽs, aut abſcondẽs; ſed is cui Domus cura cõmiſſa eſt, ſubiũctis ſibi vno, vel duobus fideliſſimis, omnia vſque ad tẽpus ſubſtituẽdi Põtificis cõſeruaret. Quod ſi quacunq; occaſione aliquis eorum, vel domini facultate quidpiam abſtuliſſet, aut dolo aliquo ſuppreſſiſſet, vt reus ſacrilegij prolixiori anathemate erat condẽnandus Sed ſi inſtrumẽta, aliaſve ſcripturas, quib. Eccleſiæ poſſeſſio firma tenetur, ſupprimere, vel negare, aut auertere, vel fortaſſe tradere præſũpſiſſet quidquid inde damni illatũ fuiſſet Eccleſiæ, de propriis facultatib. redderet.* Ex *cap. Si quis de Cleric. 12. q. 2.* 6.

Sed ſpecialiùs de tali ſubreptione rerum eccleſiaſticarum cautum eſt *in cap. generali. de elect. lib. 6.* vbi dicitur. *Vt qui eccleſiarum vacantium patronatus, vel iura quæcunque, aut bona, quæ ſibi nõ competunt, vſurpauerint, aut occupare præſumpſerint, necnon Clerici, & Religioſi id fieri procurãtes excõmunicationẽ ipſo iure incurrant*

incurrat: qui verò Clerici, cùm deberent, se talia præsumentibus non opposuerunt, à fructuum perceptione Ecclesiarum ipsarum pro rata temporis, quo culpabiles, hac in re extiterunt suspenduntur.

Qui verò vacante Cathedrali Ecclesia, vel Collegiata, aut regulari bona ipsius occupauerit, vel surripuerit, consumpserit, dilapidauerit, à beneficiis eo ipso suspensionem incurrunt, in eáque persistunt, donec plene restituerint. Ita habetur *in cap. Quia sæpè. de elect. in 6* Postremò, Concil. Trident. *sessione 22. de reform. cap. vltimo*, decreuit, *vt si quis Clericorum vel Laicorum quacunque is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, alicuius Ecclesiæ, seu cuiusuis beneficij ecclesiastici, aut quorumcunque piorum locorum, & Montium pietatis, iurisdictiones, bona, census, ac iura, etiam feudalia, fructus, emolumenta, seu quascunque obuentiones, quæ in Ministrorum, & pauperum necessitates conuerti debent, quocunque modo, vel via, aut arte, vel colore in proprios vsus conuertere, illosque vsurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos de iure pertinent, percipiantur; is anathemati tandiu subiaceat, quandiu ea omnia, quæ ad eum quoquo modo peruenerint. etiam ex donatione supposita persona, Ecclesiæ, eiusque administratori, siue beneficiato integrè restituerit ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit*. De qua quæ te videatur Suar. *tom. 5. disp. 22. sect. 6. n. 22.* Vgolin. *de offic. Episcop. 8. §. 4 n. 1.* Paul Comit. *respons. moral. lib. 6. quæst. 23. n. 2.* Valer. Reginal. *in sua praxi, lib. 30. tract. 3 n. 154.* Sayr. *de censuris lib 3. cap. 31. num. 26.* Francisc. Leo *in thesau. fori ecclesiast. p. 2. cap. 15. num. 44.*

Sed Barbosa *de iur. eccles. lib. 3. cap. 29. n. 12.* docet, quòd hodie huiusmodi vsurpantes iurisdictionem, fructus, redditus, aut prouentus ad personas ecclesiasticas pertinentes, ratione Ecclesiæ, siue beneficiorum, incidunt in Bullam Cœnæ reseruatam.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm contra Abbates bona, iura, & priuilegia non tuentes possit Monasterium agere.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia potest agere contra suum Prælatum, qui passus est, res, & iura eiusdem Ecclesiæ præscribi.*

2 *Abbas regularis negligens in tuendo, & conseruando bona, & iura sui Monasterij, ad quid teneatur, ostenditur.*

3 *Abbas nolens mouere causam in qua sumptus litis excedit quantitatem principalem, excusatur.*

4 *Abbas renunciare non potest priuilegio concernenti Ecclesiam, nec de rebus Ecclesiæ aliquid donare locis piis.*

5 *Abbates, & alij Superiores an debeant resistere rapientibus bona suæ Ecclesiæ, & num. 6.*

7 *Monasterium agere potest contra Abbates, qui repudiant hæreditatem, vel legatum ipsi Monasterio relictum.*

1\. Abbas *in c. 2. de treug. & pac. in c. 1. de dol.* & Felin. *in c. Accepimus. de fid. instrum.* & Gloss. *in c. fin. 2 q. 4.* dicunt, Ecclesiam posse agere contra suum Prælatum, qui passus est, res, & iura eiusdem Ecclesiæ præscribi. Et in Gloss. cit. *Si Prælatus neglexit acquirere Ecclesiæ, vbi potuit, tenetur ad interesse lucri cessantis.* Ex quo loco facilè licebit inferre, non solùm Monasteria posse agere contra Abbates negligentes, & patientes res, & bona illarum præscribi; sed illos etiam teneri ad interesse. At dices. Abbates regulares nihil proprij habent, ex quo possint huic lucri cessantis damno satisfacere: ergo ipsi non obligantur. Respondeo, licèt hi excusentur à solutione æris alieni in foro exteriori; non tamen excusantur in conscientia (quod maius est, arctissimam commissæ negligentiæ rationem reddituri. Hinc licet inferre, Abbatibus malè administrantibus, & conseruationem bonorum, & iurium suæ Abbatiæ negligentibus Monachos resistere debere. Ita Abb. *in c. Per inquisitionem. de elect.* 2.

Excusatur tamen Abbas nolens mouere causam, in qua sumptus litis excedit quantitatem principalem. Anchar. *in c. Nonnullis. de rescript.* Propterea dicit idem Panormit. *in c. Apostolica. de donat.* Prælatum non posse renunciare priuilegio concernenti Ecclesiam, nec de rebus Ecclesiæ aliquid donare locis piis. Et licèt videatur posse dare modicum ex eod. Abb. *in c. 1. de testam.* & *in cap. Cæterùm. de donat.* tamen hodie propter Clementis VIII. Constitutionem est aliqua dubitatio; quia per dictam Constitutionem prohibentur Religiosis donationes, & largitiones 3. 4.

Aduertendum est ergo, cùm non teneantur Abbates, & alij Prælati ecclesiastici, rapientibus bona, & iura suarum Ecclesiarum per vim, aut imperium resistere, vim vi repellendo, vt docet S. Ambros. & refertur *in cap. Si tributum. 12. q. 1.* sub his verbis: *Si tributum petit Imperator, non ei negamus; agri Ecclesiæ soluant tributum Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, si libitum est Imperatori non dono, sed non nego*, non debent hac ratione puniri, neque contra eos debet agere Monasterium, cùm ipsi sacri Canones in casu supradicto, & similibus eosdem Abbates, & alios Prælatos excusent, & sic à fortiori excusari debent à Monasterio. 5

Sed in hac re mihi aduertere libuit, quod *d. cap Si tributum.* loquitur semper de Imperatore: fortitan, vt ostendatur, quod præter maiestatem imperialem, vel similem, liceat vim vi repellere, defendendo iura, & bona, simúlque priuilegia propriarum Ecclesiarum, sicuti fecerút multi Prælati, qui vsque ad sanguinis effusioné ad iura ecclesiastica tuenda desudarunt. 6

In casu etiam, quo Abbates, & Prælati repudiarent hæreditatem, vel legatum relictum Monasterio, siue Ecclesiæ; potest Monasterium, vel Ecclesia agere contra dictos Abbates, & Prælatos, qui ex officio tenebantur Ecclesiæ, & Monasterij vtilitatibus consulere, *ex cap Quicunque. 12 q. 4. ibid.* Geminian. *cap. 2. n. 19. de rebus Eccles. in 6.* Syluest *verbo. Alienatio, 18.* Hieron. Rodriq. *in Compend. qq. regul. resol. 7. n. 22.* vbi docet, quod adhuc Ecclesia in tali casu, quòd Abbates, & Prælati repudient hæreditatem, potest implorare beneficium restitutionis in integrum: de qua restitutione iterum habebitur sermo *in disput. de alienatione, quæst. 2.* 7

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares, suorum Monasteriorum bona in prouidendo decori, & ornatus suarum Ecclesiarum expendere debeant.

SVMMARIVM.

1 *Ignauia in rebus diuinis, res nefaria est.*

2 *Abbates tenentur suorum Monasteriorum redditus in cultum, & ornatus Ecclesiæ expendere.*

Magnum, & (vt ita dicam) incomprehensibile esse puto supplicium à Deo, res diuinas sordidè, 1.

dìdè, ac negligenter tractantibus, præparatum, cùm hoc sit, Deum ipsum, cui omnis honor, & gloria debetur, contemnere: quod, (ne sacrarum literarum, & Patrum authoritates recenseam,) antiqui Gentiles valde detestati sunt, inter quos Aristides hymno suo in Iouem, qui ait: *Ignauia in rebus diuinis, res nefaria est, ob quam puniri a Dijs potius, quàm reprehendi mereremur.* Et meritò: quoniam, si de omni torpore (ait Ephrem *tom. 1. in 2. Dom. Aduent.*) gaudet maximè Diabolus, quantò magis de isto gaudebit? Additur insuper Spiritus Sancti sententia: *Maledictus homo, qui agit opus Dei negligenter.* Quod præcauens sanctiss. mus Patriarcha Benedictus *sua Regula cap. 32.* præcipit, vt corrigantur sordidè, & negligenter res Monasterij pertractantes. Quid, si de ecclesiastica malè tractantibus sermonem habuisset?

2. Animaduertat igitur prudens Abbas, ne in talem errorem incidat, & prouideat decori, & munditiei suæ Ecclesiæ, non parcendo expendere bona suæ Abbatiæ, vt ea diuino cultui impendat: tenetur enim bona prædicta in diuini cultus reuerentiam, ac in ornamenta, & ornatus Ecclesiæ, vel Monasterij, expendere, *can. Nullam. 18. q. 2.* Hinc meritò factum est, vt pro Ecclesiarum ornatu, aliisque expensis Constitutiones monasticæ summam quandam pro quolibet anno erogandam, attenta Abbatiarum possibilitate, & facultate determinauerint.

QVÆSITVM. X.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares de facultatibus Monasterij debeant subditorum necessitatibus æqualiter prouidere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas, & Prælatus regularis tenetur ad totum Conuentum de eius fructibus alendum, atque ad singulorum necessitatibus prouidendum.*
2 *Abbas tenetur sub mortali a suis subditis peculiorum causam, cum commodè poterit, auferre.*

NAuar. *Comment. 3. de Regular. n. 6.* quærens, in quæ Abbas, vel alius Præfectus Monasterij regularis, totam bonorum Monasterij administrationem habens teneatur, solo iure communi attento, eius fructus impendere, ait, illum debere fructus huiusmodi expendere in primis in necessarios & honestos suæ personæ vsus. Secundò, in similes vsus fabricæ, ornamentorum, & ornatus Ecclesiæ, vel Monasterij. Denique, tertio loco ponit sustentationem Conuentus. Verùm, quatenus hic ordo procedere posset in iis Conuentibus, in quibus mensa Abbatis distincta est, & certa portio ad eius sustentationem, alia ad vsus fabricæ, alia demum ad Religiosos sustentandos destinata est; tamen in iis Monasteriis, in quibus perfectus modus viuendi in communi, & Regularis disciplinæ rigor obseruatur, atque omnia Conuentus bona indiuisè ad omnia ipsius onera sustinenda designata sunt, non est, cur dicatur, Abbatem ordinem aliquem inter se, & alios Religiosos seruare posse, præter illum, quem necessitas exigere potest, quæ aliquando ad priùs sibi, quàm aliis, subueniendum obligabit: interdum verò è contrario, vt optimè more suo docet Suarez *de Relig. tom 4. tract. 8. lib. 2. cap. 16. n. 10.* Tenetur igitur Abbas, ad totum Conuentum de eius fructibus alendum, atque ad singulorum

1. necessitatibus prouidendum: in quo maximè seruare debet proportionalem distributionem; quod optimè assequetur, sequendo Apostolorum exemplum, qui bona communia diuidebant singulis, prout cuique opus erat vt *Actorum 4.* dicitur. Id, quod etiam D. Pater Benedictus *Regulæ cap. 34.* his verbis docet: *Sicut scriptum est, diuidebatur singulis, prout cuique opus erat. Vbi non dicimus, vt personarum (quod absit) acceptio sit, sed infirmitatum consideratio.* Abbas enim prouidendo singulis suis Monachis, si qui eorum necessitates postulauerint, peculiorum causam ab eis auferet: ad quod, cùm commodè potest, tenetur sub culpa mortali, vt ait Syluest. *verb. Religio, 6. q. 7. in fin.* & Sanchez *aliis citatis, lib. 7. in præceptis Decalogi, c. 22. n. 25.* Si enim Christus Dominus *Matth. 6.* inde fidelibus suasit, ne de proprio victu, aut vestitu solliciti essent, quoniam Deo ipsi cura de omnibus erat; quid Monachis de proprietate abdicanda suaderi non poterit, si viderint, Abbatem illis cuncta necessaria opportunè impartientem? Facit id, quod habetur *in cap. Episcopus. 12. q. 1.* vbi præcipitur Episcopis, ac Ministris, eorùmque Procuratoribus, vt cum summa reuerentia, ac timore Dei, res ecclesiasticæ indigentibus dispensent; prouideantes singulis de victu pariter, ac vestitu. Quòd si hæc mandantur Episcopis pro egenis, quorum fortassis nomina nunquam audierunt, nec viderunt facies; multò fortiùs ad eadem, & maiora tenebuntur Abbates pro suis Monachis, viuis suorum corporum membris, qui que se, ac sua omnia Monasterio dederunt, seipsos in omnibus Prælatorum tutelæ committentes. 2.

QVÆSITVM XI.

Quis numerus Religiosorum in vnoquoque Conuentu constituendus sit.

SVMMARIVM.

1 *Religiosorum numerus in Monasteriis is tantùm constitui mandatur, qui ex redditibus, aut consuetis eleemosynis viuere possit.*
2 *Vallumbrosana Congregatio, ac etiam Calestina in Monasteriis, quorum redditus ad duodecim Monachorum numerum sustentandum sufficiunt, Superiorum præficit, qui Abbas appellari potest, ac Abbatum priuilegiis gaudet.*
3 *Calestinorum priuilegium super hoc recensetur.*

COncilium Tridentinum *sess. 25. de Regular. c. 3. ad fin.* mandat, vt in Monasteriis, & Domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantùm numerus constituatur, qui ex redditibus, & consuetis eleemosynis viuere possit. Aduertant igitur Superiores, vt in Religione non plures recipiantur, quàm eius redditus, seu eleemosynæ consuetæ sustinere valent. 1.

Insuper Clemens VIII. in decretis pro Regularium reformatione editis §. 14. sic statuit: *In vnoquoque Conuentu Fratrum is tantum deinceps constituatur, & in posterum retineatur numerus, qui ex redditibus illius propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliisve quibuscunque obuentionibus in commune (vt praefertur) conferendis commodè possit sustentari.*

Denique Paulus V. anno Domini 1605. die 4. Decembris, Pontificatus sui anno primo, per Constitutionem incip. *Sanctissimus in Christo Pater.* quæ est 9. aliàs 7. *in Bullario*, prædictum Concilij Tridentini decretum, & Clementis VIII. Constitutionem innouans, mandauit etiam, vt certus Religiosorum numerus cuicunque Monasterio, Conuentui, ac Domui Regularium

gularium præfigeretur, iuxta modum ibi præscriptum.

Certius autem Religiosorum numerus formato Conoentui assignandus esse debet duodecim ad minus.

2. Vnde nostra Congregatio Vallumbrosana, sicut etiam Cælestina, obtinuerunt à Sede apostolica, vt in Monasteriis, quorum redditus sufficiunt ad commodam sustentationem duodecim Monachorum, computatis, tam Professis, quam Oblatis, & famulis, ex quibus sex saltem sint Sacerdotes, Prælati præficiendi, Abbatis nomine nuncupari possint, atque omnibus prærogatiuis, præeminentiis, & dignitatibus Abbatum vti, & gaudere possint. In cæteris verò Monasteriis, quorum reditus sex tantùm Monachos professos sustentare possunt, Superiores præficiendi Priores appellentur. Ita concessit Paulus V. Congregationi Cælestinorum. Tenor concessionis est, qui sequitur.

---

3. PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

AD sacram Beati Petri Sedem, meritis licèt imparibus, diuina prouidentia vocati, circa statum Congregationum, ad diuini cultus augmentum, & Religionis propagationem piè institutarum, sollicitis studiis intendentes, illa libenter statuimus, & decernimus, per quæ Congregationes ipsæ maiora, tam in spiritualibus, quam in temporalibus suscipere valeant incrementa. Hinc est, quòd nos felici, prosperóque Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Cælestinorum statui, & salubri directioni, quantùm nobis ex alto conceditur, prospicere volentes, matura deliberatione desuper habita, supplicationibus, & nomine totius Congregationis prædictæ nobis humiliter porrectis, inclinati, hac nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnia prædictæ Congregationis Monasteria; quorum redditus, & prouentus ad congruam duodecim Monachorum, computatis, tam Professis, quam Oblatis, & famulis; ex quibus tamen saltem sex Sacerdotes esse debeant, sustentationem sufficiunt, ab vno ex Monachis prædictis, spectatæ tamen virtutis, & disciplinæ, sub titulo Abbatis; alia verò Monasteria, ex, quorum redditibus, sex duntaxat, computatis omnibus, vt suprà congruè ali, & manuteneri possunt per Priores canonicè eligendi, iuxta dictæ Congregationis instituta gubernentur; excepto tamen Monasterio Sancti Spiritus de Maiella, quod primum omnium Monasteriorum dictæ Congregationis fuisse asseritur; & idcirco ab Abbate gubernari posse volumus, etiamsi prædictum Monachorum numerum non habeat, dummodo non minùs quàm decem Monachi, vt suprà, in eo alantur. Priores autem, Abbatibus decedentibus, Monasteriis maioribus per gradum, prout eorum virtutum merita, & administrationis ratio postulare videbuntur, canonicè similiter, vt petitur, præficiantur; omnésque Abbates, & Priores supradicti gaudeant omnibus priuilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, & præeminentiis, quibus gaudent alij Abbates, & Priores eiusdem Congregationis, quocunque iure, sine tamen præiudicio iurium Abbati Generali, & aliorum, qui Abbatis Generalis munere functi fuerunt, eis iuxta dictæ Congregationis statuta competentium: & ita quòd propter præmissa: Monasteriorum status in aliquo non alteretur. Alia verò Monasteria, seu Domus, & membra eiusdem Congregationis prædictis Monasteriis maioribus vnita, & annexa sint, & esse censeantur, iuxta distributionem in proximè futuro Capitulo diffinitoriali faciendam, & in ipsis minoribus Monasteriis, seu Domibus, ac membris sic vnitis nulla in posterum constituatur familia; sed in illo, seu illa vnus duntaxat Monachus Sacerdos quadraginta annorum maior, ac probatæ vitæ cum vno Conuerso, seu Oblato collocetur, qui sint, & censeantur ex familia Monasterij, cui Domus, seu membrum illud vnitum, & annexum fuerit, ac in ea Ecclesia celebrent, & bonorum, ac redditIum curam respectiuè habeant. Si verò fortè contigerit, vt aliquod, seu aliqua ex minoribus Monasteriis prædictis, vel Domibus ad formam Monasterij maioris redigantur, competentérque dotentur, ita vt duodecim in eo Monachi, vel saltem sex ali possint, vt petitur, tunc cum Capituli Generalis consensu, & Protectoris licentia restituantur, sub Abbatis, vel Prioris titulo respectiuè gubernanda. Decernentes, præsentes literas, & in eis contenta quæcunque nullo vnquam tempore de nullitatis vitio notari, seu impugnari, aut aliter quomodolibet infringi, vel retractari, seu inualidari, aut in ius, vel controuersiam vocari vllatenus posse; sed ab omnibus, quos concernunt, & concernent, quomodolibet in futurum obseruari debere, sicque per quoscunque Iudices ordinarios, & Delegatos, ac Commissarios quauis authoritate fungentes; & S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Congregationis prædictorum, etiam iuramento confirmatione apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, priuilegiis quoque, indultis & Literis Apostolicis quibusvis personis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in contrarium præmissorum quomodolibet cōcessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis eorum omnium tenoribus, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Aut, si aliquibus communiter, vel diuisim ab apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Maiorem, sub annullo Piscatoris, die 24. Iannuarij, 1516. Pontificatus nostri anno vndecimo.

QVÆSITVM XII.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares de bonis Monasteriorum possint ædificia construere, & qualia ea esse debeant.

SVMMARIVM.

1 *Ædificiorum religiosum statum decentium constructio ad Abbatem spectat.*
2 *Abbates, & Prælati regulares an superflua, & curiosa ædificia construere possint.*
3 *D. Bernardus, & D. Bonauentura, quid de curiosis, & sumptuosis ædificiis contra Superiores inculcent.*

COnstructio quoque ædificiorum monasticum statum decentium ad Abbatem spectat: quia intra 1.
latitu

latitudinem eius administrationis includitur c… testas ædificia necessaria construendi, quæ ope… dari solent ab habente potestatem. Cum autem Monasterij potestas sit penes Abbatem, *c. Nullam. 18. q. 2. &c. Ad apostolicam. de stat. Monach.* ad eum spectabit, cùm necessitas, & conuenientia postulauerit, in ædificia erigenda superfluos Monasterij redditus expendere. Sed de hoc nulla est controuersia.

2. Dubium autem est tantùm de superfluis, & curiosis ædificiis. Ad quod dicemus, quòd Abbatibus non solùm prohibitum est, huiusmodi ædificia erigere; verùm etiam id faciendo peccarent mortaliter, vt colligitur ex Concil. Viennensi relato *in Clem. … §. Hinc est. de verb. signific.* non debent enim Regulares Prælati, vt Monasteria ampliandi, & noua ædificia erigendi desiderio satisfaciant, suis subditis necessaria subtrahere, nec superflua, ac curiosa beneficia extruere; quia Religiosorum, ac ideò pauperum Domos, non Imperatorum Palatia erigere debent; de quibus Hugo *de Claustro animæ, lib. 2. cap. 4.* sic ait: *Ædificia Fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa, sed honesta. Vtilis est lapis in structura, sed quid prodest in lapide calatura?* Religiosorum igitur ædificia, fortia, capacia, atque necessariis officinis, ac cellis munita esse, congruum est. At curiositates in ædificiis, superfluósque sumptus non Fundatores Religionum præceperunt, imò abominati sunt; sed fastus Diaboli, & vanitas, & sæcularitas inuenerunt.

3. Audiamus querimoniam, quam super hoc D. Bernardus Abbas in Apolog. ad Guillel. Abbatem instituit. *Iam enim subintrauit de aere alieno sumptuosa, & (quantum sinit pudor) ambitiosa cellularum ædificatio, & abiecta sancta simplicitate, & rusticitate, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates: dimissam enim nobis à Patribus nostris iure hæreditario formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, verum decorem Domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum cellas, non tam eremiticas, quàm aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et paulò infrà. *Ergo, obsecro, in peregrinatione huius sæculi, in malitia hac super terram, ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum, vtpote citò inde vocandi, & emigraturi in patriam.* Aggrauatur in Abbatibus, superbas, & curiosas fabricas tentantibus peccatum, propter damna, & incommoda, quæ ex sumptuositate ædificiorum oriri solent, vt optimè in quadam epistola suo Ordini scripta annotauit D. Bonauentura, his verbis: *Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa; & curiosa, quæ pacem Fratrum inquietat, grauat amicos, & hominum peruersis iudiciis multipliciter nos exponit: & non sine præiudicio paupertatis, occurrit sumptuositas expensarum. Nam, cum Fratres paucis nolunt esse contenti, facti sumus omnibus onerosi, magisque fiemus in posterum, nisi remedium celeriter apponatur.*

Potest quidem ædificiorum sumptuositas exemplo sanctissimi Patris nostri Ioannis Gualberti, Ordinis Vallisvmbrosæ Generalis Institutoris, detestari, qui superbam cuiusdam Monasterij sibi subiecti fabricam à quodam Abbate constructam conspiciens, illo priùs correcto, à Deo precibus impetrauit, vt fabrica miraculosè demoliretur, ac funditùs euerteretur, sicut protinus contigit. Ergo notandum est, quòd Superiores, qui superflua ædificia, & nimis curiosa construunt, si illa paupertatis, aut sui status decentiam excedant, peccant mortaliter, & sunt proprietarij.

QVÆSITVM XIII.

Vtrùm Abbas possit in supellectilem, & vestes pretiosas, lautas comessationes, superfluos seruos, & equitatus bona Monasterij expendere.

SVMMARIVM.

1 *Supellectilis superflua, vestes pretiosæ, & alia huiusmodi quam dedecet ant regularem Prælaturam, ex D. Bernardo, & num. 2.*

OMnium personarum genus si maximè dedecere dicatur in supellecti, & vestibus lautis, comessationibus, equitatibus, & comitatu proprium superare statum, & (vt ita dicam) extra suæ actiuitatis sphæra se se collocare; quid de Monachorum Patribus, omnium virtutum, & præcipuè humilitatis speciem præseferentibus, dicendum nobis erit; nisi, eos talia perpetrantes grauiter errare, & contra paupertatis votum agere, atque se se proprietarios demonstrare, simplicitati monasticæ magnam iniuriam afferre, suásque Regulas, & Sanctorum Patrum profanare instituta: Audiant, si qui sunt (quod absit) Abbates hæc meditantes, vel operantes, sanctissimum Abbatem 1.
Bernardum in 1. Timoth. 6 *Habentes victum & vestitum, his contenti simus. Nobis autem pro victu satietas; nec vestitum appetimus, sed ornatum. Quæritur ad induendum, non, quod vtilius; sed quod subtilius inuenitur. non, quod repellat frigus; sed, quod superbire compellat: non denique (iuxta Regulam) quod vilius comparari potest; sed, quod venustius, siue vanius ostentari. Heu me miserum qualécunque Monachum! Cur adhuc viuo, videre, ad id deuenisse Ordinem nostrum, Ordinem, scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis Ordinibus; nullus vicinior ei, quæ est in Cœlis Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorem: cuius Apostoli Institutores, cuius hi, quos Paulus tam sæpè Sanctos appellat, inchoatores extiterunt. Et quidem inter illos, cùm nihil, quod suum esset, quispiam retinuisset, diuidebatur (vt scriptum est) singulis, prout cuique opus erat. Non igitur, quod quisque pueriliter gestire poterat. Sanè vbi tantùm, quod opus erat, accipiebatur; ibi nihil proculdubiò otiosum admittebatur; quantò magis nihil curiosum? quantò magis nihil superbum.* Et cùm de vestibus superfluis, & delicatis egisset, inferiùs subdit: *Dicam, dicam, præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est? Quomodo sal terræ infatuatum est? Quorum nobis via vitæ debuit esse, dum exemplum in suis actibus ostendunt superbiæ, cæci facti sunt duces cæcorum. Quod enim (vt cætera taceã) specimen humilitatis est, cum tanta pompa, & equitatu incedere, tantis hominũ crinitorũ stipari obsequiis, quatenus duobus Episcopis vnius Abbatis multitudo sufficiat? Mentior, si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eo ampliùs, in suo ducere comitatu. Dicas, si videas eos transeuntes, non Patres esse Monasteriorũ, sed dominos castellorum; non Rectores animarum, sed Principes Prouinciarum. Tum deinde gestari iubentur mappula, scyphi, bacini, candelabra, & mantica suffarcinata, non stramentis; sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis a sua quispiam domo recedit, nisi cum tota suppellectile sua, tanquam sit, vel iturus ad exercitum, vel transiturus per desertum, vbi non valeant inueniri necessaria. An non posset eodem vasculo, & aqua manibus spargi, & vinum bibi? An non posset ardens*

lucere lucerna, nisi in suo, quod portas, candelabro, & hoc aureo, vel argenteo? An non posses dormire, nisi super varium stratum, aut sub peregrino coopertorio? An non vnus aliquis Minister posset & iumentum ligare, & ad mensam seruire, & lectulum praeparare? Huic ergo tanta multitudini garsionum, & iumentorum cur, vel ad solatium mali, nobiscum non fecimus necessaria, quatenus hospites non grauaremus? Sed haec parua sunt, veniam ad maiora; sed ideò visa minora, quia vsitatiora. Omitto Oratoriorum, immensas altitudines, immoderatas longitudines, superuacuas latitudines, sumptuosas depolitiones, curiosas depictiones, quae dum orantium in se retorquent aspectum, impediunt & affectum. Haec Bernardus. Et in epistola ad Gvillelmum Abbatem, de eadem re sic fatur: *Vnde inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus, potationibus, in vestimentis, & lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit? Et quod deterius est, vbi hac studiosius, voluptuosius, atque effusius fiunt, ibi ordo melius tenere dicatur, ibi maior putetur Religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia; sobrietas, austeritas creditur; silentium, tristitia reputatur: & contra remissio, discretio dicitur; effusio, liberalitas; loquacitas, affabilitas; cachinnatio, iucunditas; mollities vestimentorum, & equorum fastus, honestas; lectorum superfluus cultus, munditia: cùmque hac alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem; hac discretio discretionem confundit; talis misericordia crudelitate plena est.* Hæc, & alia plura D. Bernardus, à cuius verborum mystico sensu nonnullas valde vtiles admonitiones colligere possunt Abbates, quantum ad huius quæsiti explicationem spectat.

QVÆSITVM XIV.

Vtrùm Abbates Commendatarij possint de fructibus suarum Ecclesiarum, & beneficiorum liberè disponere.

SVMMARIVM.

1. *Commendatarij ad tempus de fructibus beneficiorum sibi commendatorum liberè disponere non possunt.*
2. *Commendatarij perpetui tenentur ad ea, ad quæ obligantur beneficia in titulum obtinentes.*
3. *Commendatarij an ad hospitalitatem obligentur.*
4. *Equites Commendatarij S. Iacobi, Calatraua, Alcantara, & similes, an possint liberè disponere de fructibus Commendarum suarum.*
5. *Ludentes cum Commendatarijs non tenentur restituere acquisita in ludo.*

1\. SVpponendum est ex dictis *in disputatione de Commendis*, quòd Abbatiæ aliquando commendantur ad tempus, vt olim; aliquando verò in perpetuum, & ad vitam, vt hodie obseruatur. Quo supposito, dico, quòd Commendatarij ad tempus, quales olim erant, iure de fructibus Abbatiæ sibi commendatæ, liberè disponere nequaquam poterant: quia tunc erant tantùm Administratores, & Procuratores Ecclesiæ sibi commendatæ, sicut tutor pupilli, pro tempore, quo idoneus Prælatus illi non præficiebatur; & eá solùm recipere poterant, quæ ad sui ipsorum commodam sustentationem necessaria erant, cum obligatione, reliquos fructus futuro Pastori conseruandi, ac de illis rationem reddendi. Is autem, qui benefi-
2\. cium, vel Ecclesiam in perpetuum commendatam habet, tenetur iisdem oneribus, & obligationibus, quibus tenetur beneficiarius habens beneficium, vel Ecclesiam in titulum, nisi aliqua onera specialiter Ecclesiæ sibi commendatæ inhæreant; quia in Literis apostolicis, per quas Abbatia, vel beneficium commendatur, ait Summus Pontifex: *Talem N. Abbatiam cum omnibus iuribus, & pertinentijs suis, authoritate apostolica, prout quamdiu vixeris, & dictam N. Abbatiam obtinebis tenendam, & gubernandam; ita quòd durante Commenda huiusmodi de fructibus, redditibus, & prouentibus ipsius Abbatiæ N. disponere, & ordinare valeas, sicut veri Abbates.* Ex quibus constat, quòd Commendatarius perpetuus eam liberam bonorum Abbatiæ, vel alterius Ecclesiæ sibi commendatæ dispositionem habet, quam obtineret, si beneficium foret ei in titulum collatum. Vnde se habet, vt verus beneficiatus, & tenetur ad onera, & obligationes Abbatiæ, vel Ecclesiæ annexas. Igitur in primis ad cultum, atque ornatum Ecclesiæ sibi commendatæ obligatur: quia hoc est præcipuum onus Ecclesiarum Prælatis impositum. Demum videndum erit, an Hospitalia Abbatiis annexa sint, & ab Abbatibus ex facultatibus Monasterij sustentanda. Verùm, quia multa sunt Hospitalia Abbatiis annexa, quæ vel diruta sunt, vel desunt pauperes, ita vt illorum vix habeatur memoria, tunc non videtur obligari Abbas Commendatarius ad aliquid de sui Cœnobij facultatibus in hospitalitatem erogandum. Sed hoc nullatenus admittendum est: quia in tali casu sacrosanctum Concil. Trident. *sess. 25. de reform. cap.* 8. decreuit, vt pars illa, quæ Hospitali debebatur, piis vsibus applicetur modo *ibidem* præscripto; quæ omnia sub grauibus pœnis præcipiuntur omnibus & singulis Hospitalium Administratoribus, cuiuscunque ordinis & Religionis, & dignitatis fuerint; iis dumtaxat Hospitalariis exceptis, qui illis Regularibus subijciuntur, vbi viget regularis obseruantia: & prædictum Concilium addit derogationem exemptionum, consuetudinum etiam immemorabilium, seu priuilegiorum, aut Indultorum. Igitur concludendum est, debere Abbates omnes, qui suæ Abbatiæ Hospitalia annexa habent, de illius facultatibus ea sustentare: quod satis probatur non solùm ex Concil. Trident. *loco cit.* sed etiam ex Concilio Viennen. *Clem. Quia contingit, de religiosis.* Quod etiam rationi, & pietati congruum est: quia hospitalitatis officium à Sanctis Patribus frequenter commendatum (vt ait Concil. Trid. *loco cit.*) per eos Abbates promptè, & benignè, quantum per eorum prouentus licebit, debet exerceri; memores, eos, qui hospitalitatem amant, Christum in Hospitalibus recipere.

Quid verò dicendum sit de aliis Commendatariis Equitibus S. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ, & similibus, an de fructibus Commendarum suarum liberè disponere possint, sicut dicemus *in sequenti quæsito* de Prælatis, & beneficiatis sæcularibus; res non adeò clara est. Pars affirmatiua, & negatiua circúfertur inter Doctores, quorum sententiæ proponendæ sunt. 4

Prima sententia est Rodriq. *qq. regul. tom. 3. q. 49. art. 7.* Valasch. *consf.* 108. *num.* 7. Molin. *de iust. tom.* 1. *disp.* 141. *vol.* 3. *vers. Est verò rigida.* Alcozer *lib. de ludo, cap.* 39. qui affirmant, prædictos Equites Commendatarios esse veros dominos quorumcunque bonorum, ante, & post professionem acquisitorum; ac proinde posse de illis omnibus, tam patrimonialibus, quàm redditibus commendarum ita liberè disponere, ac cæteros sæculares. Ratio est: quia consuetudo antiqua eorum paupertatem ita interpretata est Superioribus scientibus, & non contradicentibus, & redditus Commendarum titulo sæculari prædictis Equitibus Commendatariis dantur sub titulo militari.

Secunda sententia est Nauarri *de redditibus Eccles. q.* 1.

q. 1. num. 95. Matta *in lib. instruct. Vt Commendatarij tendant ad perfectionem, cap. 4. num. 50.* Ayala *in compendio Regula Ordinum militar.* & aliorum dicentium supradictos Equites Commendatarios teneri omnia bona prædicta in vsus suos honestos expendere; & si aliquid superfuerit, in opera pia. Et quamuis *comm. 1. de Regul. num. 56.* dicat, hos Commendatarios non posse testari sine licentia Papæ; antiqua tamen consuetudo apud illos obtinuit, posse testamentum condere, tam de bonis patrimonialibus, quàm de redditibus Commendatum; imò non solùm ex consuetudine, verùm etiam ex priuilegiis Innocentij VIII. & Clementis VII. dictam facultatem habent testandi. Vnde constitutio Pij V. reuocans huiusmodi priuilegia, non fuit apud illos Commendatarios recepta, licèt eadem Constitutio Pij V. expressè reuocata sit à Gregorio XIII. vt affirmant Hieronym. Roder. *in Compend. qq. regul. resol. 28. n. 11.* & Molina *de iust. tom. 3. disp. 604.* Sanch. *in prec. Decal. lib. 7. c. 8. n. 30.* qui *n. 31.* docet, posse hos Equites Commendatarios de vtriusque bonis maioratum instituere non secùs ac alios sæculares.

5. Hinc est, quòd Alcozer *de ludo, cap. 39.* affirmat, ludentes cum his Commendatariis non teneri restituere, quæ acquirunt in ludo: quia, cùm sint verè domini omnium illorum bonorum, & possint de illis disponere, verè transferunt illorum dominium in ludo perdendo. Ita etiam affirmat Barbosa *de iur. eccl. lib. 3. cap. 57. num. 16* vbi ait, Clericos Ordinum militarium in Claustro viuentium, qui ex legitima causa, & licentia extra claustra viuunt, & inseruiunt alicui beneficio, testari posse cum hac conditione, vt quotannis inuentarium præsentent Superiori, in quo contineantur propria bona, & dummodo quintam partem bonorum relinquant Monasterio: & tertio quoque anno petant à Superiore licentiam testandi.

QVÆSITVM XV.

Abbates, & Prælati sæculares in quos vsus suorum beneficiorum redditus expendere teneantur.

SVMMARIVM.

1 *Tempora varia, in quibus Ecclesiastici circa bona Ecclesiarum se gesserunt, & modo gerunt, enumerantur, inclusiue ad num. 5.*

6 *Sententia asserens, sæculares Prælatos, & beneficiatos non posse licitè sumere de fructibus suorum beneficiorum, enumeratur.*

7 *Charitas benè ordinata incipit à seipso.*

8 *Prælati, & Beneficiarij sæculares ex superfluis suorum beneficiorum aliquid in vsus profanos expendentes, licèt mortaliter peccent, pauperibus non erogando, non tamen tenentur ad restitutionem: & n. 10. & 11.*

9 *Beneficiarij dicuntur habere dominium redditnum suorum beneficiorum.*

12 *Beneficiarius, & Prælatus quilibet sæcularis, quod sibi superest de prouentibus ecclesiasticis, debet expendere in pios vsus, in opera hospitalitatis, & peregrinationis, vt n. 13.*

14 *Beneficiarius, & Prælatus sæcularis habens patrimonium, potest illud conseruare, & in proprios vsus expendere.*

15 *Beneficiarius potest disponere de distributionibus pro suo arbitrio.*

16 *Beneficiarius ex fructibus beneficij potest alere filios legitimos, & spurios, si aliunde non habeant.*

17 *Pensionarius non potest dispensare pensionem, prout vult, neque de ea testari.*

18 *Bona empta ex fructibus Ecclesiæ sunt, & fiunt ipsius Ecclesiæ.*

19 *Beneficiarius ex fructibus beneficiorum potest dare rationabilem dotem filiæ etiam spuriæ, modò aliunde non habeat.*

20 *Beneficij redditus ad tempus capi possunt pro debito beneficiarij, modò relinquantur Clerico necessaria ad sustentationem.*

21 *Beneficiarius potest disponere, & heredes instituere de bonis patrimonialibus.*

22 *Beneficiarium, si tempore, quo adeptus est beneficium, nihil proprij habebat, præsumendum est bona non modicæ æstimationis ex redditibus Ecclesiæ comparasse.*

PRo intelligentia huius quæsiti præmittēda est distinctio temporum, quoad huiusmodi fructus beneficiorum: & in hac re multa tempora sunt consideranda, vt difficultates, & præsertim varietates sacrorum Canonum conciliari possint.

Primum tempus fuit, quando Ecclesia, & Christiani, tam Clerici, quam laici; tam in particulari, quam in communi, propria bona non possidebant, sed existentes in perfectione euangelica, omnia sibi oblata vendebant, & ad pedes Apostolorum pretium ponebant, vt propriis, & alienis necessitatibus subuenirent, diuidebatúrque tunc singulis, prout cuique opus erat, *Actor. cap. 3.* 1.

Secundum tempus fuit, quando numerus fidelium summopere auctus erat, vt ad vitam, & vestitum sufficientes opes non suppeterent, cœperunt laici Christiani propria bona retinere, & tunc Clerici adhuc communem vitam obseruabant, nihil possidentes in particulari, & prædia, & quæcunque alia sibi oblata Ecclesiis tradebant, quibus Episcopi præsidebant, vt ex redditibus illorum, decimis, & oblationibus aliisque eleemosynis Clerici communem vitam ducentes sustentarentur, *ex cap. Videntes. & cap. Expedit. & c. Duo sunt. 12. q. 1.* Vnde S. Thom 2. 2. *quæst. 43. art. 8. in corpore*, quando dicit, bona ecclesiastica committi Prælatis ad derogandum aliis, sicut bona Republicæ communia Rectoribus, intelligendus est attento hoc tempore. 2.

Tertium tempus fuit, quando Clericis ægrè ferentibus carere propriis rebus, fuit permissum, vt patrimonia, vel bona aliunde oblata, & quæsita habere possent; ita vt proprium habentes nihil acciperent de deputatis bonis ad sustentationem pauperum, & Laicorum, habetur *in cap. Clericus. cap. Pastor Ecclesiæ. cap. Si quis propter. 12. q. 2.* 3.

Quartum tempus fuit, quando Parochiæ segregatæ fuerunt, & Ecclesiæ assignatæ singulis Presbyteris, & bona Ecclesiarum quoad redditus distributa fuerunt in quatuor partes; vna pro Diœcesano Episcopo; secunda pro Parocho; tertia pro fabrica; quarta pro peregrinis, & pauperibus, *ex cap. Vobis. & cap. Vulterranæ. & aliis capit. 12. q. 2.* 4.

Quintum tempus est præsens, quo Episcopi, bonis exceptis applicatis suæ mensæ, & etiam Capitulis Cathedralium habent in plerisque Ecclesiis partem tertiam fructuum: alias verò partes habent Ecclesiarum Rectores, cum onere fabricæ, & ornamentorum, & paramentorum Ecclesiæ, & alia huius generis similia; ac denique circa eam partem Ecclesiæ, quæ dicitur Sancta Sanctorum, vulgò, *Capella maior*, quod enim attinet ad illam partem, quæ Episcopo, aut Clericis, siue fabricæ diuidenda dicitur, hodie in his locis tantùm obtinet, vbi talis existit consuetudo: quia iam non omnes Episcopi, nec omnes Ecclesiæ, vel Clerici, & Ecclesiarum Rectores eis subuenire teneantur, cùm ferè omnes supradicti, & etiam 5.

etiam fabrica Ecclesiæ proprios redditus habeant. Et ita rigor ille de quarta parte fructuum eroganda remittitur; non tamen Clericus absoluitur, quin teneatur suæ Ecclesiæ, vel Episcopo indigenti; de quarta verò pauperibus eroganda, certum est quòd per contrariam consuetudinem, saltem in foro conscientiæ tolli non potest.

6. Prima sententia est, sæculares Prælatos, & beneficiarios non posse licitè sumere de fructibus suorum beneficiorum, & Ecclesiarum, nisi qood necessarium est ad commodam eorum sustentationem, & qoidqnid superest de redditibus illarum Ecclesiarum, lege iustitiæ in pauperes, & pias causas expendere teneantur: quòd si aliter fecerint, obligari ad restitutionem in opera pia ex aliis eorum bonis. Hanc sententiam sequuntur multi Theologi. Riccard. *in 4. dist. 45 quæst. 1. circa. 3. principale.* Alexand. Alens. 3. *part. quæst.* 36. *num* 5. *à.* 2. Henric. *quodlibet.* 8. *quæst.* 27. Maior *in* 4. *d.* 24. *quæst.* 6. Eandem sequuntur aliqui Canonistæ, Nauar *tract.* 2. *de reddit. Eccles. plurib. locis.* Petrus Sotus *de instruct. Sacerd p.* 2 *lec.* 3. & Francis. Turrianus *in epistola ad Episcopum Laodicensem.* Hæc sententia est valde probabilis cùm sit multorum Doctorum, & sacris Canonibus admodum conformis: volunt enim Sacri Canones, quòd beneficiorum redditus dentur Clericis, cum obligatione, vt superflua erogent paoperibus. Ita habetur *in can. Quia tua fraternitas.* 12. *quæst.* 1. & *in can. Res Ecclesiæ.* 12. *quæst.* 1. & *cap. Quod autem.* 25. *quæstione.* 7. & multis aliis locis, vbi habetur, beneficia ecclesiastica instituta esse, vt Clerici sufficienter sustententur ex iis; ita tamen, vt quod superest, ex eo pauperes alantur. Et hoc magis probatur: nam sacri Canones beneficiarios, & Prælatos, qui de prædictis bonis gaudent, vocant pauperum procuratores, & dispensatores: tenentur autem eos fructus in pauperum vsus erogare, qui vltra suffi-
7. cientem eorum sustentationum superflui sunt: quia ordinata charitas incipit à se ipso, *can. Non satis.* 86. *dist.* & *can. Quo vult. de pœnit. dist.* 3. tex. expressus *in capite De his.* & *ibi* Panormit. *numero* 2. *de Ecclesiam ædifican.* Est insuper hæc sententia rationi multùm consentanea: non est enim credibile, quòd fideles tantas opes, & diuitias in ecclesiastica beneficia contulerint, vt illis soli Prælati, & beneficiarij fruantur, sed, quòd etiam ex iis, quæ supersunt, in pauperes, & pia opera conferant. Hanc sententiam tanquam tutiorem vult Leonard. Less. *loco citato numero.* 41. esse in praxi beneficiariis consulendam.

8. Secunda sententia, quæ verior, & probabilior est, maximè apud recentiores, vult, post erecta beneficia, post certos redditus, & prouentus beneficiis assignatos, Prælatos, & beneficiarios ita effici illorum redditiuum dominos, vt si ex superfluis aliquid profanè expenderint, non teneantur ad restitutionem in pauperes, vel alias pias causas, sed tantùm peccare mortaliter, si, quæ supersunt, in pauperes, & pias causas non expenderint. Hanc sententiam tenent S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. Sotus *de iustit. lib.* 11. *quæst.* 4. *art.* 3. Adrian *in* 4 *tract. de restit.* 5. *Præclariori conclusione* 2. & 4. Couar. *in cap. Cùm in offic. de test.* in Franc, Sarmien. *de reddit. par.* 2. *cap.* 1. & 2. & multi recentiores.

Pro cuius intelligentia notanda sunt verba illa: *Post erecta beneficia, & post certos redditus, & prouentus beneficiis assignatos.* Nam, antequam erigerentur beneficia, & distincta portio beneficiis singulis assignaretur, ratio, & conuenientia postulabat, vt essent omnia communia, & eo tempore Clerici non habebant dominium; sed tanquam Monachi Apostolorum Regulam obseruantes, omnia in communi habebant. Cùm vero tractu temporis erigerentur beneficia, & illis certi assignarentur redditus, ex quibus seorsum ab aliis posset vnusquisque beneficiarius viuere; factum est, vt vnusquisque beneficiatus illorum redditiuum constituatur dominus, & de superfluis possit, absque restitutione, non verò sine peccato mortali, in profanos vsus expendere, vt tenent Doctores secundæ sententiæ, quæ sic breuiter explicata probanda est quoad vtranque partem, scilicet, quòd beneficiarij habeant dominium de omnibus redditibus suorum beneficiorum: secundo, quòd non teneantur ad restitutionem, si de superfluis profanè expendant; sed tantùm peccare mortaliter.

Quoad primam partem probatur ex Concil. Trid. 9.
sess. 22 cap. 3. de reformatione: *Statuit, vt in omnibus Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis tertia pars prouentuum, dignitatum, personarum, & officiorum in distributiones diuidatur; vt, scilicèt, qui eas obtinent, si personaliter competens sibi seruitium quolibet die statuto non impleuerint, illius diei distributionem amittant, nec eius quoquo modo dominium acquirant: sed fabrica, vel alteri loco applicetur.* Et sess. 23. c. 1. de reformat. *Statuit vt Episcopi, qui vltra tres mēses (nisi vrgēte necessitate) absunt a suis Ecclesiis, fructus non faciant suos pro rata temporis absentia; sed teneantur fabricæ, vel pauperibus erogare.* Et in cap. vnico, de Clerico nō residente: *Qui diuinis Officiis nō intersunt (nisi infirmitas, seu iusta, & rationabilis necessitas, aut euidēs Ecclesiæ vtilitas releuet nō sunt domini quotidianarum distributionum, neq. faciunt eas suas, sed ad restitutionē sic perceptorū obligantur.* Ex quibus verbis, & aliis similibus, tam in Concilio Trid. quam in aliis Constitutionibus pontificiis infertur, beneficiarios obseruantes ecclesiastica decreta, fieri dominos redditiuum suorum beneficiorum. Et hoc fatentur ferè omnes recentiores, quidquid dicat Nauar. *locis citatis.*

Quo verò ad secundam partem, quòd non tenean- 10.
tur ad restitutionem, quanuis profanè expendant, probatur: quia, si sunt domini, non tenentur ad restitutionem illius, quod ad illos spectat: non enim potest cogi aliquis ad restitutionem, nisi rei alienæ, vt iura dicunt: tum, quia bona beneficiis, & Ecclesiis donata à fidelibus non sunt cum hoc onere, & conditione illis applicata (nisi aliqua particulari donatione expressum sit;) sed elargita sunt ad splendorem, sustentationem, & augmentum diuini cultus, & liberè ab illis erogata fuerunt. Quod verò mortaliter peccent, prouenit: quia hoc est contra præceptum Ecclesiæ, quæ hoc omninò interdicit, vt de redditibus præcipuè Episcoporum videre est in Concil. Trident. *sess* 25. *cap.* 1. *de reformat.* tum etiam, quia, si superfluè expendunt, faciunt beneficiarij contra gradum proprium, & contra seipsos, qui pauperum tutores vocantur; & insuper agunt contra charitatem in re graui, quæ licèt omnes Christianos liget; particulari tamen modo, & strictiori vinculo illos coget, qui bona ecclesiastica possident.

Ex his deducitur primò, Clericos, & beneficiatos 11.
expendentes fructus beneficiorum in profanos, & turpes vsus, licèt peccent mortaliter, vt diximus; non tamen tenentur ad restitutionem, vt satis in antecedentibus verbis probauimus: & hoc docent Sotus *lib.* 10. *de iust. q.* 4. *art.* 3. Anton. Molin. *in instr. Sacerdotum, cap.* 15. *via.* Couar. *in cap. Cùm in off. n.* 3. *vers. Quartum de test.* in. vbi pro pro hac sententia citat S. Thom. Adrian. Præpositum, Driedonem, & alios quamplurimos. Et quòd non teneantur ad restitutionem, potissima ratio est: quia nunquam vidimus, Ecclesiam coëgisse Clericos expendentes fructus beneficiorum suorum in profanos, & turpes vsus ad restitutionem pauperibus faciendam ex hac ratione:

quia

quia dominus etiam abutendo propria re, non obligatur ad reſtitutionem, *argum l. Sed etſi 28. §. Conſuluit. §. de petit. hæredit. l. In re mandata. C. mandati*, cũ vulgaribus.

Vnde, quando S. Hieronymus inquit, agens de Sacerdote: *Omnia quæ Clerici habent vltra congruã ſuſtentationem, pauperum eſſe.* intelligendus, eſt ſicut intelligendæ ſunt multæ conſimiles authoritates Sanctorum, de tempore illo antiquo, antequam fieret diuiſio bonorum. Habetur dictum Hieronymi *in cap. 1. verſ. Quomodo. 24. diſt.*

12. Secundò deducitur, debere tamen beneficiatum, & quemlibet Prælatum ſæcularem, quod ſibi de fructibus, & prouentibus eccleſiaſticis ſupereſt, expendere in pios vſus, & in vſum fabricæ Eccleſiæ, pauperum, Religioſorum, & ſimilium, etiamſi fructus iam eſſent incorporati cum aliis ſuis propriis bonis. Ita Filliuc. *tr. 43. c. 3. q. 5.* Nauar. *de ſpol. Cler. §. 3. n. 1.*

13. Tertiò deducitur, Prælatum, & beneficiarum ſæcularem debere ſupradictos fructus ſibi ſuperfluos in opera hoſpitalitatis, & peregrinationis expendere, & in alios pauperes, ſiue familiares, aut conſanguineos ſub titulo paupertatis erogare. Ita Barboſa *de iure eccl. lib. 3 cap. 17. num. 30.*

14. Quartò deducitur, eoſdem habentes patrimonium, poſſe illud conſeruare, & redditus ſuorum beneficiorum in proprios vſus expendere. Ratio eſt: quia nullus cogitur propriis ſtipendiis militare, etiamſi diues ſit, *ex cap. Charitatem. in fin. 12. q. 1.* maximè cùm redditus eccleſiaſtici ſint Clericis deputati pro mercedibus ſuorum laborum. Ita affirmant Nauar. *loc. proximè cit. de redditib. n. 78.* Sotus *lib. 1. de iuſt. q. 2. art. 3.* Couar. *in c. 1. de teſtam. n. 2.* Graſſius *in deciſ. aureis part. 1. lib. 2.*

15. Quintò deducitur, poſſe beneficiatum diſponere de diſtributionibus pro ſuo arbitrio, & voluntate, non ſolùm cùm ſit dominus dictarum diſtributionum, ſed etiam, quia illæ traduntur tanquam mercedes operis ob miniſterium perſonale. Ita etiam docent Pariſius *conſ. 33. num. 10 tom. 4.* Dominic. *in cap. Præſenti. 9. de officio Ordin. lib. 6. n. 16.* vbi Franchus *num. 10.* Syluester *verb. Clericus. 4. q. 4. n. 3.* Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. §. 7. num. 164.*

16. Sextò deducitur, hos beneficiarios ex fructibus beneficiorum poſſe alere filios legitimos, & ſpurios, dum aliunde non habeãt ad illos alendos: quia hoc eſt pietatis opus, quo mediante pater tenetur ſpecialiter erga filios. Ita Nauarrus *de filiis Clericorum, § 19. num. 10.* Molin. *de iuſt tract. 2. diſput. 146.* Filliucius *tract. 43. cap. 4. q. 19. num 36.* quorum Doctores aliqui affirmant, filium illegitimum poſſe tuta conſcientia accipere neceſſaria ad alimenta ex bonis eccleſiaſticis paternis, & Cameram apoſtolicam teneri conſulere ei ex bonis paternis, quæ ſpolio ſubiecit; & inſuper inopem ſororem., ac egentes Fratres alere poſſe, & alios pauperes conſanguineos, dicunt Rodericus à Cunha *in Comment. ad cap. Omninò n. 4. diſt. 31.* Garzias *de expenſis, cap. 3. num. 32.* Nauar. *in Apolog. de red. it. q. 2. monit. 26. num. 2.*

Septimò deducitur, illum, qui percepit à beneficiis eccleſiaſticis penſionem, non poſſe eam diſpenſare, vt voluerit, & proprio teſtamento de ea teſtari: quia penſio æquiparatur beneficio, vt dicit Nauarrus *loc. cit. monitu 32. num. 2.* & Nicolaus Garzias *de benef. part. 1. cap. 5. num. 161.* Oppoſitum tamen tenent Naldus *verbo, fructus, num. 7.* Zerola *in prax. epiſcopali, verbo, Penſionarius, §. 25.* Gigas *de penſ. q. 52. num. 2.* Menochius *de arbitr. caſu 172. num. 12* Azor *tom. 2. inſtit. moral. part. 2. lib. 6. cap. 9 quæſit. 12.* Sed de hac re videatur Barboſa *de iur. eccl. lib. 3. cap 17. num. 33.* 17.

Octauò deducitur, empta ex fructibus eccleſiaſticis eſſe, & fieri ipſius Eccleſiæ: quod habetur in multis Conciliis, & præſertim in Concil. Agathenſi relato *in cap. Presbyter. 12. q. 4.* & Concil. Hiſpalen. I. relato *in cap. Fixum. 12 q. 5.* & in Concil. Carthag. III. relato *in cap. Placuit. 12. q. 3.* & Concilio Toletan. IX. relato *in cap. Sacerdotes. 12. q. 4.* Ratio eſt potiſſima: quia bona ex pecuniis, & fructibus eccleſiaſticis empta ſubiiciuntur Cameræ, & fiſco apoſtolico, vbi eſt vſus ſpoliorum ex conſtit. Pij IV. & Pij V. vt refert Barboſa *loco. cit. num 38.* ergo non ſiunt bona quaſi patrimonialia ipſius beneficiarij. 18.

Nonò deducitur, poſſe beneficiarios, & Prælatos ſæculares ex fructibus beneficiorum rationabilem dotem filiæ ſpuriæ, vel ſorori tradere, dummodo aliunde non habeant talem dotem: quia dos in locum alimentorum ſubrogatur, licitum eſt alere prædictas, vt diximus: ergo & eis dotem tradere. Ita Barboſa *loco cit. num. 39.* vbi citat Palatium, Sylueſtrum, Nauarrum, Reginaldum, & alios. 19.

Decimò deducitur, pro patrimoniali debito, vel alterius ſpeciei redditus beneficiarij capi poſſe in cauſam iudicati ad tempus; ſed non in perpetuum, donec debitum ſatisfiat, dummodo relinquantur à Clerico neceſſaria ad ſuſtentationem. Ita Barboſ. *loco cit. n. 42.* cum aliis ab eo citatis. 20.

Vndecimò deducitur, prædictos beneficiarios, & Prælatos ſæculares de propriis patrimonialibus, & de acquiſitis diſponere, & ad hæredes trãſmittere, *c. Epiſcopi. cum ſequentib. 12. q. 1. c. De laicis. verſ. Epiſcoporum. 12. q. 2.* Molina *de primogeniis lib. 2. cap. 10. n. 26.* Graſſius *in deciſ. aureis, part. 1. lib. 2. cap. 100. n. 29.* 21.

Verùm, ſi Clericus tempore, quo beneficium adeptus eſt, nihil proprij probetur habuiſſe, quicquid reperitur, quando moritur de immobilibus bonis, aut etiam mobilibus, non modicæ æſtimationis, præſumitur de redditibus Eccleſiæ comparaſſe, & ideò tranſire non poterunt ad hæredes. Sed, ſi conſtiterit ante adeptum beneficium, bona habuiſſe, & tenues ipſius beneficij redditus eſſe; tunc bona, quæ reperta fuerint, præſumuntur acquiſita ex bonis Clerici, non Eccleſiæ. Ita Romanus *conſ. 346.* & Rota Romana *deciſ. 182. n. 7. & 10. part. 3. diuerſ.* & Barboſ. *loco. cit. num. 31.* 22.

DISPVTATIO XII.

De poteſtate Abbatum, & Prelatorum inferiorum circa feuda, & vaſallos.

QVÆS. I. Verùm Abbates poſſint ciuitates, caſtra, oppida, vaſſallos, ac iuriſdictionem temporalem habere.

II. Verùm liceat Ciſtercienſibus caſtra, oppida, vaſſallos, ac temporalem iuriſdictionem habere.

III. Verùm Abbas poſſit aliqua loca, ſiue caſtra Monaſterij alicui Regulari, vel ſæculari concedere.

IV. Vtrùm Abbates, & Prælati ecclesiastici castra, aut alia feuda possidentes, teneantur per suos vassallos suo Principi auxilium præbere.

V. Vtrùm Abbates, & Prælati regulares cum suis subditis Regularibus teneantur ad obsequia propriæ Republicæ propter bonum commune.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbates possint ciuitates, castra, oppida, vassallos, ac iurisdictionem temporalem habere.

SVMMARIVM.

1 *Pro parte negatiua arguitur.*
2 *Nemo militans Deo sæcularibus se negotiis implicare debet.*
3 *Iurisdictione temporali in vassallos potiri, non est alienum à monastico instituto.*
4 *Monasteria nonnulla temporali iurisdictione pollentia recensentur.*
5 *Priuilegia quædam referuntur, ex quibus patet, Abbates Regulares huiusmodi iurisdictionem habere posse.*
6 *Responsio ad obiecta.*
7 *Prælati Ecclesiastici temporalem iurisdictionẽ, non vt Sacerdotes; sed vt temporales domini exercent.*
8 *Iudices ab ecclesiasticis Prælatis constituendi, vt iurisdictionem temporalem in suis castris, seu villis exerceant, necessario laici esse debe..t.*
9 *Prælati prædicti, & Iudices ab eis constituti temporalem iurisdictionem exercendo, nequeunt censuris, & aliis spiritualibus pœnis procedere.*
10 *Iudices debent in iudicando leges Regnorum, ac legitimas consuetudines obseruare.*
11 *In casu appellationis, ad quem sit à prædictis Iudicibus recurrendum.*
12 *Cui debeantur bona à prædictis Iudicibus confiscata contra Clericos, aut laicos.*

1. Videtur dicendum, quòd non: quia ciues talium ciuitatum, vel castrorum, debent iis præsidibus in causis ciuilibus, & criminalibus cõmitti, à quibus, decentiùs regantur. At sæculares non possunt in causis ciuilibus, & criminalibus per Abbates, qui Religiosi sunt, ritè, & rectè gubernari; tum, quia Regulares mundanis actionibus inuolui non debent. Vnde Concilium Turonense *in cap. Non magnoperè. Ne Cler. vel Monac. sæcul. negot. se immisc.* statuit, vt nullus post factam in aliquo loco religiosam professionem, ad Physicam, vel leges mundanas exire permittatur: tum etiam, quia Religiosi ea authoritate non pollent, vt subditis terrorem incutiant, qui ad humanam audaciam arcendam est admodum necessarius. Vnde D. Paulus ad Timoth. nos admonet, vt nemo militans Deo sæcularibus se negotiis implicet.

2. Secundò, vsu, & experientia rerum magistra compertum est, huiusmodi sæculares Abbatum, & Ecclesiasticorum possessiones, & diuitias, plura incommoda, & damna peperisse; scilicet, non solùm bella, verùm etiam hæresum turbas, atque rebellionum insultus: Germaniæ etenim, atque Angliæ Hæretici hoc in causa rerum turbatarum ponebant, quòd nec Antistitum potentatus, nec Cœnobitarum diuitias æquo animo ferre poterant. Additur, quòd Religiones ipsæ inde vtplurimùm antiquas suas austeritates amiserunt, quòd immodicis diuitiis abundarent.

3. Contrarium tamen deduci potest *ex cap. Audistis. de præscript. & ex cap. Dilectus. de offic. Ordin.* ex quibus colligitur, non esse alienum à Monachorum instituto, villas, castra, ciuitates, & oppida suæ iurisdictioni subiecta habere posse, ac illorum ciues, tanquam suos vassallos in foro interiori, & exteriori gubernare. Quod patet etiam ex praxi: permulti enim adsunt Monasteriorum Abbates habentes castra, & vassallos, in quos vtranque, spiritualem, scilicet, & temporalem iurisdictionem exercent, vt in Regno Neapolis, Abbas Cassinensis, & alij, quorum meminit Marin. Freccia *in tract. de subfeud. sub rubr. de origine Baron. c. 3. n. 28.* atque etiam in aliis Italicæ locis, & similiter in Gallia, & Germania, Abbas Dolensis, qui Abbas, & Princeps Dolensis appellatur; necnon, & Abbas Corbiensis, Abbas, & Comes Corbiensis; & alij, quos plurimos recenset Renatus Choppinus *de sacra politia forensi, lib. 1. tit. 4. n. 17.* ita & in Hispania Monasterium S. Mariæ de Noguera, Ord. S. Benedicti, & in Lusitania Monasterium S. Crucis Colimbricensis, quod habet sub se nonnulla castra, & villas cum iurisdictione spirituali, ac temporali; & alia plurima, quæ hîc recensere longum, ac tædiosum foret, & videri poterunt apud Historicos. Eorum quædam retulimus *in 1. tomo, disp. 3 q. 4.* Cùm enim Reges cuncta per se gubernare nequeant; sed necesse habeant Comitibus, atque aliis Potentatibus iurisdictionis partem committere; dum tamen semper penes eos suprema potestas resideat; non est, quare Abbates, atque alij ecclesiastici Prælati huiusmodi iurisdictionem non participent, cùm moraliter credendum sit, ipsos, tum iustiùs, ac æquiùs; tum etiam mitiùs, & cum maiori beneuolentia subditorum lites, & causas aut composituros, aut determinaturos, ac cum maiori charitate in vitia animaduersuros. Qua confidentia antiqui Reges huiusmodi iurisdictiones illis committebant: certè sperantes futurum, vt tanquàm patres filios essent subditos tractaturi. Videatur Soto *de iust. lib. 10. q. 4. art. vlt.* Idémque confirmatur ex quibusdam priuilegiis à Sede apostolica aliquibus Monasteriis concessis. 4

Nam Sixtus IV. quadam sua perpetuò valitura Constitutione, tam omnibus & singulis Monasteriis S. Mariæ de Noguera, Ordinis S. Benedicti vassallis, & subditis vtriusque sexus, quàm Principibus, Baronibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Militibus, aliísque personis cuiuscunque dignitatis, status, gradus, vel conditionis fuerint partium illarum districtè præcipiendo mandauit, quatenus vassalli, & subditi prædicti sponte, vel violenter aliis dominis sæcularibus dati, subiecti, vel submissi, seu commendati, statim post habitam de præsentibus notitiam ad immediatam ipsius Monasterij obedientiam, & subiectionem redeant, ac personæ, quibus dicti submissi, vel commendati existunt, illos liberè redire permittant, & de illis de cætero nullatenus se impediant. Alij verò non commendati subditi, & vassalli dicti Monasterij, nulli, nisi de expressu mandato, seu consensu prædicti, & pro tempore existentis Monasterij huiusmodi Prioris se subiiciant, dent, & submittant, aut cõmendent. Ac Principes, Duces, Barones, Marchiones, Comites, & Milites, aliæque personæ, vt præsumitur qualificatæ vassallorum, subditorum, locorũ dicti Monasterij aliquam commendam, seu submissionem, aut seruitia, ac à Priore, & Conuentu, necnon personis etiam Clericis sæcularibus in Ecclesiis dicti Monasterij beneficiatis, dictíque, & pro tempore existentis Prioris eiusdem Monasterij subditis, de rebus, & bonis suis, quæ vndecunque habent, reponunt, & vendunt, 5

ac

ac de cætero eos habere, reponere, & vendere contigetit, ab illa ementibus datia, exactiones, impoſitiones, gabellas & pedagia, aliáque noua iura, collectas, etiam vetredas & accendarias nuncupata imponere, exigere, petere, aut extorquere, ac vendentes,& emenres huiuſmodi per ſe,vel aliũ,ſeu alios,ſuper præmiſſis incarcerate,ſeu aliàs eis iniuriari, ac ligna à nemoribus & Montibus Monaſterij.& vaſſallorum,ac ſubditorum prædictorum ſcindere, vel Monaſterium, Priorem, Conuentum, vaſallos,ſubditoſque prædictos ſuper iuribus, & iuriſdictionibus ſuis, illarúmque vſu impedite, aut perturbare non audeant, neque in præmiſſis,aut eorũ aliquo illa cõmittentibus aux ilium, conſilium, vel fauorem per ſe vel alium, ſeu alios directè,vel indirectè,quouis quæſito colore, quoquo modo præſtare præſumant: qui verò contra præmiſſa, vel eorum aliquod fecerint ſi perſonæ fuerint ſingulates excommunicationis ſententiam incurrant,abſque aliqua hominis declaratione:ſi auté Communitas,ſeu Vniuerſitas ciuitatis,oppidi, villæ, caſtri, ſeu loci alterius cuiuſcunque, ipſa ciuitas caſtrum,oppidum,villa,ſeu locus ſimiliter eo ipſo interdicto ſubiaceat eccleſiaſtico. Mandantes diſtrictius harum ſerie in virtute ſanctæ obedientiæ Venerabilibus Fratribus noſtris Epiſcopis, &c. Quod priuilegium refertur in lib conceſſ.Ord S.Bernard.Hiſpan.impreſſ.Valliſoleti, anno Domini 1595.& eodem gaudent cætera eiuſdem Coogregationis Monaſteria, necnon etiam Religiones eiuſdem indulta participantes.

Ex prædicto indulto colligitur quòd ſubditi,& vaſſalli Monaſteriorum tenentur ipſis, & eorum Abbatibus, & Superioribus obedientiam præſtare, tanquàm eorum Dominis. Quod clariùs habetur ex conceſſione Alexandri VI.quæ refertur d.lib.priuil.96.fol.535. p.2.& priuileg. 171.fol.143.p.2. per quam conceſſit Monaſterio S.Benedicti Valliſoleti,& eius Cõgregationi,anno Domini 1497 quòd cauſas, quas inter dd. Monaſteriorum vaſſallos reſpectiuè pro tempore moueri contingeret, ipſorum Monaſteriorum Superiores cognoſcere debeant. Quæ & alia priuilegia eidem Ordini ab aliis Summis Pontificibus tradita,confirmata, &reualidata ſunt per ampliſſimam priuilegiorum confirmationem, & innouationem eidem Ordini à Clemente VIII.conceſſam, anno Domini 1594. vt habetur eod.lib.priuil.124 fol.143.

6. Ad obiectiones reſpondeo,& ad primam,quòd non eſt de eſſentia,Dominos, & Barones ciuitatum,& caſtrorum ſcientia ciuilium,ac mundanarum legum callere:poſſunt enim eorum adminiſtrationem aliis literatis viris committere, vt videmus communiter ab omnibus fieri. Et ad id,quod dicitur,R eligioſos ea authoritate non pollere, vt ſubditis terrorem incutiant, reſpondeo,concedendo, quòd nullatenus Religioſi,& Eccleſiaſtici ſuos ſubditos,atque vaſſallos, abſque regio fauore gubernare valent. Nam ſi Rex penes quem ſumma poteſtas ſita eſt, authoritate ſua inferioribus non fauet, neceſſarium eſt omnes corruere. Si autem Rex Eccleſiaſticorum Tribunalia,ſiue temporalia,ſiue ſpiritualia æquè,ac reliqua omnia quaſi ſua propria,à ſuiſque prædeceſſoribus conceſſa foueret, non minori decentia,& authoritate Religioſi,& Eccleſiaſtici ſuos vaſſallos gubernarent,quàm ſæculares. Neque incongruum videtur Religioſa Cœnobia temporalem iuriſdictionem habere. Nam monaſticos Ordines, quos Clauſtra ad mendicandum egredi nõ licet, neceſſe eſt auctioribus diuitiis abũdare,ne illos inopia à ſui quiete auertat.Et ratio,cur illis oppida cum iuriſdictione temporali ac ſpirituali oblata ſunt,fuiſſe creditur,vt expeditiùs,ac cum maiori quiete poſſent ſuos redditus colligere,ne cogerentur nimis extra clauſtra euagari.

Ad ſecundam reſpondeo, quòd in Germania,atque Anglia Principum ſæcularium ambitio,atque inextinguibilis ſitis, quæ Eccleſiaſticis ſemper ſua bona inuident,vnde eoſdem illis ſpoliare cupiunt,ad quod nihil non machinari omittunt,licèt extiterit cauſa,vt eccleſiaſticum ſtatum demoliri contenderint; nullum tamen facit argumentum, quòd Eccleſiaſticos non deceat huiuſmodi facultatibus pollere.

Nec rectè dici poteſt, Religiones ideò antiquæ rigoroſitatis, ac obſeruantiæ plurimum amiſiſſe; quia immodicis diutiis abundant, videmus enim Carthuſianorum Monaſteria ferè omnia magnis diuitiarum copiis affluere, ac eorum nonnulla ciuitates, caſtra, oppida,ac villas ſub ſe habere;& tamen ſtrictiſſimi ab omnibus cenſentur, adeò vt aliis Religioſis liceat ad eos tranſitum facere,vt Extrauag.Viam ambitioſè.de Regular.inter communes. ita prædictum Monaſterium ſanctæ Crucis Colimbricenſis in Luſitania opulentiſſimum æque arctiſſimum eſt: quod etiam patet de nonnullis aliis Monachorum Cœnobiis: quæ diuitiæ ac poſſeſſiones à Regulari obſeruantia deflectere, haudquaquam faciunt.

Hic autem nonnulla aduertenda ſunt. Primò,quòd Abbates, & Prælati, ſiue Regulares, ſiue ſæcolares, prædictam temporalem iuriſdictionem non vt Sacerdotes,ſed vt domini temporales exercent.Nam,ſicuti poſſunt dicta caſtra,& oppida ſibi à Principibus conceſſa retinere: ita etiam poſſunt iuriſdictionem ipſis annexam exercere,vt affirmat Duaren. lib. 1. de ſacr. eccleſ.miniſt cap.4. quem refert.Roderic.quæſt.reg tomo 2.q.62.art.8. verſ. Aduertendum. 7.

Secundo notandum eſt, quòd Iudices ab Abbatibus,vel aliis Prælatis, & perſonis eccleſiaſticis conſtituendi,vt in eorum caſtris, ſeu villis,& oppidis temporalem iuriſdictionem exerceant, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, tam in prima, quàm in ſecunda inſtantia, neceſſariò laici eſſe debent, vt aduertit Gregor. Lopez in l. 48. verſ. En lo temporal. tit.6 p.1 8.

Tertiò notandum,quòd ipſi Abbates,& Prælati,ac Iudices,& Officiales per eos conſtituti, non debent, neque poſſunt, iuriſdictionem temporalem exercendo,cenſuris, ac aliis ſpiritualibus pœnis vti; ſed tanquam temporalium dominorum Iudices ſe gerere: nec debent in tali iuriſdictione exercenda vti Notariis apoſtolicis, vel Actuariis eccleſiaſticis;ſed Notariis regalibus, & perſonis laicis. Roderic.aliis relatis d.art.8.verſ.Iudices tamen 9.

Quarto notandum, quod prædicti Iudices debent leges Regnorum obſeruare, & ſecundùm eas iudicare,ac ſe legitimis conſuetudinibus, iuſtitiam adminiſtrando conformare,vt tradunt Conrad. in templ.iud. lib.2.cap.7 §.3.n.54.& Iacob. de Beluiſo, quos refert. & ſequitur Roderic.loco cit.verſ Debent inſuper. 10.

Quintò notandum, quòd in caſu appellationis à prædictis Iudicibus, non eſt recurrendum ad Prælatos ipſos, vel eorum Superiores regulares, aut eccleſiaſticos; ſed ad regios, & ſæculares Iudices, quibus earum cauſarum cognitio de iure competit. Nam litigantes in hoc caſu ſubditi ſunt iuriſdictioni regali, vel Reipublicæ, aut aliorum Principum ſæcularium: ſuprema enim iuriſdictio reſeruata, & radicata remanſit in eiſdem Principibus,à quibus dono, aut alio feudi titulo accepta eſt. Ita colligitur ex cap fin. Ne Cler.vel Monach. Bald.in cap.Soluta.in princ. de maiorit. & obed. Carol. Graſſ. lib.2.reg. Franc.cap.15.n. 11. & 12. pag. 80. & alij,quos refert idem Roder. 4. art.8.verſ. Tenentur etiam.dicentes,quod,licèt Eccleſia ſit mater Imperij, tamen quando Eccleſiaſtici tenent feudum.à Rege, cenſentur circa hoc vaſſalli, & ratione feudi homagium præſtare tenentur. Ita etiam Didacus Couar.pract.quæſt.cap.4.n.2. 11.

12. Sextò notandum, quod bona confiscata à prædictis Iudicibus in castris, vel oppidis prædictorum Abbatum. & Prælatorum, contra Clericos, aut laicos, ob crimen læsæ maiestatis, aut propter alia delicta, Principi, ac eius Cameræ, seu fisco applicanda esse: nullus enim vassallorum dominus habens iurisdictionem temporalem, absque speciali facultate, & priuilegio, potest bona ita confiscata sibi applicare. Ita Guid. Papa *decis. 76. & 34.* Boher. *decis.* 264 *num. 5.* Petr. Gregor. *Syntagm. iur part. 3. lib. 31. c. 31. num. 9.* & alij apud Rodetic. *d. art. 8. vers. Denique ex dictis.*

QVÆSITVM II.

Vtrùm liceat Cisterciensibus, castra, oppida vassallos, ac temporalem iurisdictionem habere.

SVMMARIVM.

1 *Abbatibus Cisterciensibus ab Alexandro III prohibitum fuit, villas, castra, &c. ac iurisdictionem temporalem habere.*

2 *Hodie tamen licitũ est eis tali iurisdictione potiri.*

1. Videtur, quòd non: Cisterciensibus enim Abbatibus per Alexandrum III. vt refertur *in c. Recolentes de statu Monach.* fuit prohibitum ne villas, & consequenter vassallos, ac iurisdictionem ciuilem haberent per hæc verba: *Dolentes dicimus quòd, etsi non ab omnibus, neque in omnibus à plerisque tamen vt in pluribus ab illa sancta institutione dicitur declinatum in tantum, vt aliqui ex vobis prima institutionis obliti contra Ordinis vestri regulam, villas, Ecclesias & Altaria possident, fidelitates, & dominia benigne suscipiunt, iustitiarias, & tribunarias tenent.* Et infrà: *Ideoque precibus, & monitis exhortamur, quatenus Domus illa, quæ prima sui origine in ipso Ordine fuit fundata, Constitutis terminis sint contenta.* Et infra: *Si enim relictis originalibus Ordinis institutis, ad communia volueritis aliorum Monasteriorum iura diuertere; oportebit, vos communi iure censeri: quia dignum est, vt qui similem cum aliis vitam suscipiunt, simul em sentiant in legibus disciplinam. Cæterum Domus illæ, quæ de aliis Institutionibus ad vestrum Ordinem se transtulerint, vestris omnino se satagant vsibus conformare, & relictis possessionibus, Vel etiam commoditatibus, quas Institutio vestra non recipit, sic se in omnibus Religioni vestræ coaptet, vt quemadmodum gaudent se in Societatem Ordinis, & habitus identitatem assumptas; sic etiam in paupertate sæcularium rerum se lætentur vestris Institutionibus conformatas.* per quam Alexandri III. Constitutionem videtur prohibitum, quòd Cistercienses possint dominium in vasallos habere.

2. Verùm hoc pro temporum varietate mitigatum fuit; nam, vt habetur *in lib. priuil. d. Ord. fol. 59. priu. 58.* in quodam priuilegio Benedicti XII. præsupponitur Cistercienses posse habere castrum, & villam; & per aliud Clementis VI. eis concessum anno 1351. idem patet: nam in eo euentu à Sede apostolica contra occupantes, vel occupari facientes castra, villas, & alia loca, domus, Ecclesias, grangias, molendina, decimas, obedientias, casalia, terras, vineas, possessiones, census, redditus, & prouentus, iurisdictiones, & iura, ac nonnulla bona mobilia & immobilia Monasteriorum Cisterciensis Ordinis detinentes, & indebitè occupantes, vt habetur *in eod. libro, fol. 62.* & Innocent. VIII. per aliud priuilegiom d. Ordini concessum anno Domini 1487. sub apostolica protectione recipit Monasteria, eorumque vassallos, sicut alij Summi Pontifices eius prædecessores receperant, vt habetur *in dicto libro fol. 12. & 130. & 141.* Refer. Roder. *quæst. reg. tom. 3. q. 75. art. 1.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm Abbas possit aliqua loca, siue castra Monasterij alicui Regulari, vel sæculari concedere.

SVMMARIVM.

1 *Abbas non potest castra, siue loca Monasterij Regulari, vel sæculari alicui concedere.*

2 *Principaliora Summorum Pontificum Decreta, ab Vrbano VIII. collecta, per extensum recensentur.*

Respondeo negatiuè. Et quoad primam huius quæsiti partem, nempe, quòd non possit Regulari aliquem locum, siue castrum concedere, id colligitur ex Trident. Synodo *sess. 25. de Regular. cap. 2.* vbi hæc habentur: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsum Fratrum, vel vsum, administrationẽ, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, vel Conuẽtuum ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorũ amouibiles pertineat.* Per quæ verba clarè habetur, non posse bona Monasterij, quæcunque illa sint, etiam in administrationem, nisi Officialibus eorundem ad Abbatis nutum amouibilibus concedi, de qua re nos latè diximus *in 2. tomo, disput 22. de potest. Prælat. reg. circa vot. paupert. q. 5.* Quo autem ad sæculares probatur. Nam ad hoc, vt quis aliquid concedere possit, oportet quòd super eo habeat dominium, vel ius disponendi, de illo tanquàm de re propria: proprium autem dicitur vt possit de eo disponere iure proprio, non ex alterius commissione. Ita Nauarr. *Commentar. 2 de Regular n. 15. & Comment. 3. n. etiam* 15. Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 3. dub. 1. n. 1.* Sed Abbas non habet dominium, sed tantùm administrationem super locis, & castris suo Monasterio, & Abbatiæ subiectis, quoniam de illorum gubernatione non iure proprio; sed ex Monasterij commissione disponit: ergo eius loca, seu castra nemini concedere poterit: nim etiam, quia hæc esset alienatio, quæ expressè Regularibus, & aliis Prælatis de bonis immobilibus, & mobilibus pretiosis Ecclesiæ est prohibita per extrauag. Pauli II. *Ambitiosa de reb. Eccl. non alien.* 1.

De re huiusmodi emanarunt multa Summorum Pontificum Decreta: quorum aliqua tanquàm principaliora, in vnum collegit Vrbanus VIII. anno 4. sui Pontif. quæ veluti necessaria Prælatis omnibus ciuitates, castra, feuda, iurisdictiones in statu Ecclesiæ possidentibus, hîc per extensum recensentur.

S. D. N. D. VRBANI 2.
DIVINA PROVIDENTIA
Papæ VIII.

Confirmatio, & innouatio Constitutionum fel. rec. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V. Romanorum Pontificum, super prohibitione alienandi Fortalitia, & Castra, aliáque bona iurisdictionalia in statu Ecclesiastico

clesiastico existentia, absque Sedis apostolicæ licentia.

Earúmque declaratio, & extensio respectiuè quoad castra diruta, tenutas, & prædia etiam non iurisdictionalia in confinibus loci iurisdictionalis, & bona in dicto statu in confinio Principum exterorum sita illorúmque locationes, & censuum annuorum super præmissis omnibus impositiones, & impositorum venditiones.

CONSTITVTIO FEL. REC. SIXTI PP. V. de non alienandis bonis, ciuitatibus, oppidu, & castris, ac aliis iurisdictionalibus, tam in forenses, quàm in subditos, absque Sedis apostolica licentia.

SIXTVS EPISCOPVS,
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitvdo, paternúsque affectus, quo Sedis apostolicæ subditos prosequimur, nos inducunt, vt ea diligenti cura prospiciamus, quæ ad illorum conseruationem, statusque Ecclesiæ vtilitatem, & commodum pertinent. Accepimus siquidem, quod in diuersis ciuitatibus, terris, oppidis, & castris nobis, & dictæ Sedis temporali ditioni subiectis extant statuta prohibentia res, ac bona stabilia in forenses, & non subditos alienari. Nihilominùs nonnulli ciues, & incolæ ciuitatum, terrarum, castrorum, & locorum, huiusmodi bona stabilia, aliis personis extraneis vendere, & alienare præsumunt in Maximum præiudicium, & damnum ciuium, & incolarum prædictorum. Quocirca nos considerantes, quantùm statuta præfata vtilia, & fauorabilia sint, quantumque Reipublicæ intersit dicta bona in illius ciues, & habitatores conseruari; Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam; sed de nostra mera deliberatione, & certa scientia, statuta huiusmodi, etiamsi non sint in vsu apostolica authoritate, tenore præsentium de cætero obseruari mandamus. Et nihilominùs, quòd perpetuis futuris temporibus, Vniuersitates, ciuitates, Collegia, feudatarij quicunque, ac personæ cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existant, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel alia quauis authoritate, & dignitate, etiam ecclesiastica, quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, prædicti sint, nullatenus, sine nostra, & Sedis prædictæ licentia, audeant, seu præsumant ciuitates, oppida, castra, feuda, iurisdictiones, ac bona quæcunque stabilia, vel immobilia in dicto statu ecclesiastico existentia cuiuscunque qualitatis, quantitatis & valoris per eos nunc, & pro tempore possessa vendere, permutare, vltra triennium locare, in emphyteusim, feudum, liuellum, pignus, seu precarium concedere, in aliquam Communitatem, Vniuersitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem, quæ nobis, & dictæ Sedi, ratione temporalis iurisdictionis status nostri subdita, & supposita non sit; vel, quæ domicilium legitimè non contraxerit in dicto nostro statu, cuiuscunque dignitatis, status, gradus, conditionis, & qualitatis existat, etiamsi, vt præfertur, imperiali, regali, ducali, vel alia quauis authoritate, & dignitate, etiam ecclesiastica, quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, præditus sit. Insuper, quia decens, & conueniens existit, quòd si vendantur, vel permutentur, seu etiam donentur ciuitates, castra, & oppida, multò magis fortalitia, id ad notitiam Principis deducatur, & præsertim si feuda, & iurisdictiones feudales sint, ea omnia, nec in exteros, nec alios quoscunque, nisi de expressa præcedente nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis eadem, supradicta licentia, vendi, permutari, vel donari valeant. Neque etiam extraneus, aut subditus originarius, bona huiusmodi in dicto statu habens, & in eo habitans, si ab illo discedat ampliùs ad ipsum non reuersurus, illa retinere possit; sed intra biennium, ex quo ipse demigrauerit, ea vendere, seu pro aliis extra dictum statum existentibus permutare, aut aliàs transferre in alium immediatè subiectum teneatur, authoritate, & tenore præsentium de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio perpetuò statuimus, & ordinamus. Licitum tamen erit omni dicti status habitatori siue extraneo, siue subdito, de bonis suis in eodem statu positis, vel in consanguineos, vel in alios de dicto statu non existentes, quocunque alio, quàm venditionis, seu permutationis, vel donationis titulo disponere; ac suis etiam ab intestato hæredibus pariter licebit in illis succedere; qui tamen intra triennium, vel in eundem statum habitatū veniant, vel bona ipsa in alium, seu alios habitatores, & subditos, vt præfertur transferant. Quod etiam illis extraneis, ad quos bona huiusmodi ex quibuscúque aliis quàm venditionis, seu permutationis, aut donationis huiusmodi causis peruenerint, illave acquisiuerint, censeatur permissum; bonorum autem præfatorum appellatione, neque census, neque portiones, seu loca montium, nec mulierum dotes: sed neque Vrbem nostram, quæ communis patria est, cum eius decem passuum milium circuitu volumus comprehendi: filij tamen, & hæredes dictarum mulierum, soluto matrimonio, si extranei fuerint, aut in eodem statu ad habitandum, aut vendendum, seu permutandum, vt dictum est, sint adstricti. Decernentes Communitates. Vniuersitates, Collegia, vel personas extraneas, seu forenses huiusmodi ad dictorum bonorum pro tempore contra earundem præsentium tenorem alienatorum acquisitiones omninò inhabiles, necnon quoscunque contractus, venditiones, & alienationes contra huiusmodi prohibitionem quocunque modo, vel causa pro tempore faciendas, nullas, & inualidas existere, nullumque ius per eas emptoribus attributum esse, seu tribui posse. Necnon omnes scripturas desuper conficiendas, ac inde secuta quæcunque nullius roboris, vel momenti esse, nec ex illis auditi, agi & excipi posse in iudicio, vel extra ipsáque bona alienata ad eos, ad quos de iure peruenire debēt, spectare, & pertinere. Sicque per S.R.E. Card. etiam Legatos, ac Vicelegatos, necnon sacri Palatij apostolici Auditores, Gubernatores, seu illorum Locatenentes, aliosve Iudices, & Commissarios, quauis authoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secùs super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes eisdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac Iudicibus, nunc, & pro tempore in toto statu prædicto existentibus, & eorum cuilibet, vt statutum, & ordinationem, ac alia præmissa perpetuo ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore

tempore spectabit, per censuras ecclesiasticas, & alia eis benevisa remedia obseruari faciant, & mandent. Non obstantibus nostris de non tollendo iure quæsito, aliisque, apostolicis constitutionibus, necnon ciuitatum oppidorum, terrarum, & locorum prædictorum statutis, & consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quacunque alia firmitate muniris, ac etiam immemorabili, & quantocunque tempore pacificè obseruatis, necnon ciuilitatibus, ciuitatumque iuribus, priuilegiis, exemptionibus & indultis apostolicis, illis, eorumque dominis prædictis ac quibusuis aliis per quoscunque Rom. Pont. ac Nos, & dictam Sedem quomodocunque, & quotiescunque concessis, confirmatis, & innouatis, quæ omnia, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, omninò tollimus, & abrogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem easdem præsentes, quoniam in Consistorio nostro de consilio prædicto promulgatæ sunt, à die datæ ipsarum quoscunque, tam præsentes, quàm absentes, & vbicunque etiam extra dictum statum existentes perinde obligare, ac si quique singulatim intimatæ fuissent. Et nihilominùs, vt illæ ampliùs innotescant, mandamus eas valuis Ecclesiæ S. Ioannis Lateranensis, & Basilicæ principis Apostolorum de Vrbe, aliisque locis consuetis appendi, & in libris dictæ Cameræ describi. Ac etiam volumus, vt ipsarum exempla etiam impressa, edantur, eaque Notarij publici manu, & sigillo cuiuscunque Curiæ, Ecclesiæ, aut personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignata eam ipsam prorsus fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum mandatorum, statuti, ordinationis, decreti, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1585. Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno primo.

A. DE ALEXIIS.

Registrata apud Ioan. Baptistam Secretarium.

CONSTITVTIO FEL. RECORD. *Clementis PP. VIII. qua innouatur, declaratur, & extenditur prædicta fel. rec. Sixti Constitutio.*

CLEMENS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Romanum decet Pontificem suorum prædecessorum Constitutiones innouare, ac quandoque eas declarare, & extendere, ne illarum obseruantia propter aliquorum prauam interpretationem retardetur, vel ob hominum malitiam earundem effectus eludatur. Aliàs siquidem fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster, vt suorum, ac Sedi apost. subditorum conseruationi, statúsque Ecclesiæ vtilitati, & commodo prospiceret, accepto quòd in diuersis ciuitatibus, terris, oppidis, & castris, tunc ipsius prædecessoris nunc nostræ, & Sedis apost. temporali ditioni subiectis, & extabant statuta quædam prohibentia res, & bona stabilia in forenses, & in non subditos alienari, quódque nihilominùs nonnulli ciues, & incolæ ciuitatum, terrarum castrorum, & locorum, huiusmodi bona stabilia aliis personis extraneis vendere, & alienare præsumebant in maximum præiudicium, & damnum ciuium, & incolarum prædictorum: considerans, quantùm statuta prædicta vtilia & fauorabilia essent, quantumque Reipub. interesset, dicta bona apud illius ciues, & habitatores conseruari. Motu suo proprio statuta huiusmodi etiamsi non essent in vsu, de cætero obseruari mandauit. Et nihilominùs, quòd perpetuis futuris temporibus Vniuersitates, ciuitates, Collegia, feudatarij quicunque, ac personæ cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existerent, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel alia quauis authoritate, & dignitate, etiam ecclesiastica, quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, præditi essent, nullatenus sine eiusdem prædecessoris, & Sedis prædictæ licentia auderent, seu præsumerent ciuitates, oppida, castra, feuda, iurisdictiones, ac bona quæcunque stabilia, vel immobilia in dicto statu ecclesiastico existentia cuiuscunque qualitatis, quantitatis, & valoris essent, per eos tunc & pro tempore possessa vendere, permutare, vltra triennium locare in emphyteusim, feudum, liuellum, pignus, seu precarium concedere, seu transferre in aliquam Communitatem vniuersitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem, quæ ipsi prædecessori, & Sedi prædictæ ratione temporalis iurisdictionis subdita, & supposita non esset, vel quæ domicilium legitimè non contraxisset in dicto statu cuiuscunque gradus, conditionis, & qualitatis existeret, etiamsi, vt præfertur, imperiali, regali, ducali, vel alia quauis authoritate, & dignitate, etiam ecclesiastica quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, prædita esset. Insuper, quia decens, & conueniens erat, quòd si venderentur, vel permutarentur aut etiam donarentur ciuitates, castra, & oppida multò magis fortalitia, id ad notitiam Principis deduceretur, & præsertim si feuda, & iurisdictiones feudales essent, ea omnia nec in exteros, nec in alios quoscunque, nisi de expressa præcedente dicti Sixti prædecessoris, & pro tempore existentis Rom. Pontificis eadem supradicta licentia vendi, permutari, vel donari possent, neque etiam extraneus, aut subditus originarius bona huiusmodi in dicto statu habens, & in eo habitans, si ab illo discederet ampliùs ad ipsum non reuersurus, illa retinere valeret, sed intra biennium, ex quo ipse demigrasset, ea vendere, seu pro aliis extra dictum statum existentibus permutare, aut aliàs transferre in alium immediatè subiectum teneretur, de Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium consilio perpetuò statuit, & ordinauit; licitum tamen esse voluit omni dicti status habitatori siue extraneo, siue subdito de bonis suis in eodem statu positis, vel in consaguineos, vel in alios de dicto statu non existentes quocunque alio, quam venditionis seu permutationis, aut donationis titulo disponere, ac suis etiam ab intestato hæredibus in illis succedere, qui tamen intra triennium, vel in eundem statum habitatum venirent, vel bona ipsa in alium, seu alios habitatores, & subditos, vt præfertur, transferrent, quod etiam illis extraneis, ad quos bona huiusmodi ex quibuscunque aliis, quam venditionis, seu permutationis, aut donationis huiusmodi causis peruenissent, & qui illa acquisiuissent, censeretur permissum. Bonorum autem prædictorum appellatione, neque portiones, neque loca montium, nec mulierum dotes, sed neque Almam Vrbem,

Vrbem, quæ communis patria est, cùm eius ad decem milia passuum circuitu comprehendi; filios autem, & hæredes dictarum mulierum; soluto matrimonio, si extranei forent, aut ad habitandum in eodem statu aut ad vendendum, vel permutandum, vt dictum est, adstrictos esse voluit, decernens Communitates, Vniuersitates, Collegia, vel personas extraneas, seu forenses huiusmodi ad dictorum bonorum pro tempore contra dictæ Constitutionis tenorem alienatorum acquisitiones omninò inhabiles necnon quoscunque contractus, venditiones, & alienationes contra huiusmodi prohibitionem quocunque modo pro tempore faciendas nullas, & inualidas existere, nullumque ius per eas emptoribus attributum esse, seu tribui posse, necnon omnes scripturas desuper conficiendas, ac inde secuta quæcunque nullius roboris, vel momenti esse, nec ex illis audiri, agi & excipi posse in iudicio vel extra; ipsáque bona alienata ad eos, ad quos de iure peruenire debent, spectare, & pertinere, ac aliàs prout latius in eiusdem Sixti prædecessoris literis sub dat. Kal. Iulij Pontificatus sui anno primo expeditis continetur.

Cùm autem, sicut experientia docuit posteaquam prædictæ Sixti prædecessoris literæ emanarunt, nonnulli status nostri ecclesiastici habitatores, & subditi prætextu permissionis in dictis Sixti prædecessoris literis contentæ, quod nimirum, omni dicti status ecclesiastici habitatori, siue extraneo, siue subdito licitum sit de bonis suis stabilibus in eodem statu ecclesiastico existentibus, quocunque alio quam venditionis, seu permutationis, & donationis titulo disponere, vel in consanguineos, vel in alios de dicto statu non existentes; qui tamen intra triennium, vel in eundem statum habitatum veniant, vel bona ipsa in alium seu alios habitatores, & subditos, vt præfertur, transferant; licèt ideo habitatores, & subditi non ignorent in prædicta Sixti prædecessoris permissione iuxta verisimilem illius mentem illos tantum comprehendi, qui in eundem statum ecclesiasticum habitatum, vel venire possunt, vel verisimiliter venturi sunt; nihilominùs dictas Sixti prædecessoris literas perperam interpretantes, illarumque, & aliarum etiam Rom. Pontif. prædecessorum nostrorum Constitutionum contra ipsos quouis modo disponentium effectum eludere conantes, & in illarum fraudem, siue amore, siue odio in suos, & alios moti, siue alia quauis ratione ducti de suis bonis stabilibus in eodem statu ecclesiastico existentibus, non solùm in consanguineos, & alios de dicto statu non existentes priuatos, sed in quascunque etiam Communitates, Vniuersitates, Collegia, ac etiam in Principes extraneos, tam nobis, & eidem Sedi ratione feudi, aut alia quacunque causa subiectos, quàm non subiectos, qui, videlicet, in propriis ditionibus, vel alibi degentes in eundem statum ecclesiasticum habitatum, vel, vt præfertur, venire non possunt, vel verisimiliter venturi non sunt, testamento, codicillis, legato, fideicommisso, donatione ex causa mortis, vel alia quacunque vltima voluntate liberè disponere posse prætendant, seu disponant, ea forsan intentione, atque consilio, vt Communitates, Vniuersitates, Collegia, ac Principes extranei huiusmodi, ad quas & quos dicta bona de iure peruenire non possunt, & qui alioqui prædictis bonis non indigent, eadem bona in fraudem legis consequentes, illa, vel alia illorum loco personis ad dicta bona obtinenda incapacibus, & inhabilibus, via, scilicet, confidentiaria, aut alia ratione tribuant, in illas transferant, atque ita euenire possit, & eueniat, vt dictæ personæ incapaces, & inhabiles, id quod per se, ac directè obtinere non valent, per interpositam personam, & indirectè consequi sperent, & consequantur, contra verisimilem dicti Sixti Prædecessoris intentionem, qui ex prædictis, atque aliis etiam causis animum suum tunc mouentibus in permissione superiùs expressa de ipsis Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, & Principibus extraneis prædictis specificam mentionem non fecit, sed illas & illos in dicta permissione non comprehensas, neque comprehensos esse censeri voluit.

Nos, ad quos potissimum spectat prædecessorum nostrorum Constitutiones non solùm innouare; sed etiam dubia, quæ super illis emergunt declarare, & hominum malitiis, ac fraudibus occurrere, attendentes ad nostrorum, & eiusdem Sedis subditorum quietem, & tranquillitatem, & ad bonorum eorundem subditorum, penes ipsos conseruationem id magis pertinere, necnon etiam ipsius status nostri ecclesiastici vtilitati, & commodo, ac etiam securitati maximè conuenire quibus præcipuè rationibus idem Sixtus prædecessor, vt supra dictum est ad præmissa statuenda, motus fuit, vt ad omnem ambiguitatem tollendam dictam Sixti prædecessoris Constitutionem innouemus, declaremus, atque extendamus, & ampliemus, ac alia infrascripta ad status nostri ecclesiastici, nostrorumque, & apostolicæ Sedis subditorum commodum, vtilitatem, & securitatem spectantia necessaria, & opportuna statuamus; his, ac aliis iustis, & rationabilibus caussis adducti super præmissis opportunè prouidere volentes, & eiusdem Constitutionis Sixti prædecessoris tenorem, ac si ad verbum insereretur, præsentibus pro expresso habentes habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in Consistorio nostro secreto deliberatione matura, de illorum consilio, & assensu, ac Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem dicti Sixti prædecessoris authoritate apostolica tenore præsentium innouamus, ac de cætero ab omnibus, ad quos spectat, inuiolatè obseruari volumus. Insuper de consilio, & assensu, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus declaramus quascunque Communitates, Vniuersitates, & collegia, quæ extra statum ecclesiasticum existunt, & ecclesiasticæ non sunt, necnon etiam quosvis Principes extraneos, etiam imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque authoritate, & dignitate, quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, præditos, etiamsi illi aliàs nobis, & dictæ Sedi ratione feudi, aut ex alia causa subditi sint, qui nimirum, in propriis ditionibus, vel alibi degentes in eundem statum ecclesiasticum, vel habitatum venire non possunt, vel verisimiliter venturi non sunt, aut si aliquando venerunt, vel venient, recedere tamen solent, & postea etiam verisimiliter non reuersuri inde recesserunt, aut secedent, bona aliqua stabilia non solùm in finibus eiusdem status ecclesiastici, & iuxta terminos, ac limites ditionum eorundem Principum, sed etiam in quacunque alia eiusdem status ecclesiastici parte, & in ipsa Vrbe existentia, necnon census, aliaque bona ac iura, quæ pro stabilibus habentur, (non tamen officia Romanæ Curiæ, nec portiones, & loca Montium,) cuiuscunque illa quantitatis, qualitatis, & valoris sint, nullo venditionis, permutationis, donationis, aut alterius contractus præterquam ex causa dotis, inter viuos titulo, ac ne quidem ex testamento, codicillis, legato, fideicommisso, donatione ex causa mortis, aut ex alia dispositione in vltima voluntate quorumcunque testatorum, aut de bonis stabilibus, & aliis supradictis contra præmissa in ipsorum fauorem aliàs disponentium facta vel facienda

tum

acquirere illaque habere, retinere, & apprehendere hactenus potuisse, neque deinceps posse.

Et nihilominus Constitutionem eiusdem Sixti prædecessoris ad quæcunque etiam genera contractuum, præterquam, vt præfertur, ex causa dotis, & dispositionum inter viuos ac etiam ad testamenta, codicillos, legata, fideicõmissa, donationes causa mortis, & alias vltimas volũtates huiusmodi, vt præfertur, factas, & faciẽdas, authoritate apostolica, tenore præsẽtium extendimus, & ampliamus, ac neminem ex habitatoribus, & subditis status nostri ecclesiastici cuiuscũque ille dignitatis, gradus, ordinis, & conditionis, vt suprà dictum est fuerit, de suis bonis stabilibus, & aliis supradictis contra formam Constitutionis dicti Sixti prædecessoris, & præsẽtis declarationis, & extensionis nostræ disponere potuisse, & posse, ac ipsas Respublicas, Communitates, Vniuersitates, Collegia, extra dictum statum ecclesiasticum existentia, & non ecclesiastica necnon Principes extraneos huiusmodi ad bonorum stabilium, & aliorum supradictorum acquisitionem fuisse, & esse omninò inhabiles, nullumque Ius illis, in quos dicta bona, iura, & alia supradicta, prætextu eiusdem permissionis hactenus translata fuerunt, seu in futurum transferri contigerit, acquisitum fuisse, aut acquiri posse; sed ipsa bona stabilia, iura, & alia supradicta, quoad dispositiones iam factas ad eos, ad quos illa de iure, si disponentes ab intestato decessissent, & dispositiones huiusmodi factæ minimè fuissent, peruenire debuissent, & deberent, spectasse, & pertinuisse, ac spectare, & pertinere, seruata in reliquis forma Cõstitutionis eiusdem Sixti prædecessoris, necnon instrumenta, contractus, testamenta, legata, codicillos, donationes, & alias quascunque dispositiones in illas, & illos quouis titulo, vt præfertur, factas, & faciendas, siue etiam principes prædicti aliquo consanguinitatis, seu affinitatis vinculo ipsis disponentibus coniuncti sint siue non, & inde secuta quæcunque fuisse, & esse nulla, & nullas, nulliúsque roboris, vel momenti, ac instrumenta, & scripturas desuper edita, & editas, siue edenda, & edendas etiam iuramento vallata, & vallatas, similiter fuisse, & esse nulla, & nullas, ac nullius roboris, & momenti, nullámque fidem fecisse, & facere, nec ex illis audiri, agi, & excipi potuisse, & posse in iudicio, & extra.

Et vlteriùs Tabelliones publicos, ac nostros, & Sedis apostolicæ Notarios, etiam ex numero participantium, & alios quoscunque de huiusmodi instrumentis, & aliis dispositionibus supradictis se rogare, aut illa conficere nullo modo potuisse, & posse. Quinimò eos ipsa instrumenta, & scripturas iam facta, & factas teneri infra mensem à die publicationis præsentium computandum nobis, & Sedi, ac Cameræ apostolicæ reuelare, & cum effectu exhibere.

Habitatores prætereà, & subditos nostros prædictos, vt præfertur, in futurum disponentes, pœnas amissionis dictorum bonorũ, & aliorum supradictorũ; ita quòd Sedes, & Camera apostolica eo ipso possit illa propria authoritate capere, & penes se retinere, viuẽtibus ita disponentibus: ipsis verò defunctis eadem bona, & alia supradicta, de quibus dispositũ fuerit ad eos, ad quos de iure, si disponẽtes ab intestato decessissent, vel dispositiones huiusmodi, si factæ non fuissẽt, peruenire debẽt, omninò perueniãt: Tabelliones verò, & Notarios, etiam ex numero participantium, & alios quoscunque prædictos, instrumenta, & scripturas huiusmodi conficientes, seu iam facta, & factas, vt præfertur non reuelantes, & exhibentes, pœnã quoque falsi, ac priuationis Tabellionatus, & Notariatus, etiam ex numero participantiũ huiusmodi, & aliorum officiorum, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa & alia exercenda, eo ipso incurrere decernimus.

Cæterùm declaramus dispositiones, tam factas, quàm pro tempore faciendas in earum Rerumpublicarum, Communitatum, Vniuersitatum, Collegiorum extra statum ecclesiasticum existentium non ecclesiasticorum, necnon in Principum extraneorum huiusmodi fauorem, ad quas & quos tempore obitus disponentiũ illorũ bona, aliàs de iure, si disponẽtes ipsi ab intestato decessissent, peruenire debuissẽt, seu deberent in præsenti nostra Constitutione non esse nec fore comprehensas; pro ea tamen rata, in qua dictæ Respublicæ, Communitates, Vniuersitates, Collegia, & Principes præfati de iure communi, vel alias ab intestato tempore mortis dictorum disponentium, & ante non fuissent, & essent successuri: & tunc quoque volumus seruari formam Constitutionis dicti Sixti prædecessoris, quod, scilicet Respublicæ, Communitates Vniuersitates, Collegia, & Principes præfati teneantur intra triennium bona ipsa in habitatores dicti status ecclesiastici transferre.

Volumus autem, vt vnicuique priuato siue nostro, & status nostri Ecclesiastici subdito, siue extraneo liberum, ac licitum sit in Alma Vrbe nostra, quæ communis patria, & nationum omnium domicilium est, cum eius ad decẽ millia passuum circuitu, non solùm officia Romanæ Curiæ, & portiones, ac loca montiũ sed quæcunque bona stabilia, & alia, quæ stabilium loco habentur, tam ex quocunque genere contractus, quàm ex quauis dispositione in vltima voluntate, ac etiam ab intestato acquirere, habere, retinere, & apprehendere posse, iuxta Constitutionis dicti Sixti prædecessoris continentiam, & tenorem.

Insuper, vt malitiis etiam, & fraudibus, quæ in similibus excogitari, aut fieri possent, occurramus: motu, & authoritate similibus inhibemus quibuscunque subditis status nostri ecclesiastici supradictis, cuiuscunque similiter dignitatis, vt præfertur, fuerint, ne de cætero aliquis eorum audeat, vel præsumat, sese, aut ciuitates oppida, terras, castra, fortalitia, iurisdictiones, feuda, res, & bona stabilia in quacunque eiusdem status ecclesiastici parte existentia quouis modo submittere, vel supponere alicui protectioni, defensioni, commendationi, siue commendigiæ, saluæ guardiæ, submissioni, ac confœderationi, seu etiã custodiæ Rerumpublicarum, Communitatum, Vniuersitatum, Collegiorum extra dictum statum ecclesiasticum existentium, ac Principum extraneorum supradictorum cuiuscunque pariter dignitatis, vt præfertur fuerint, aut eorum Capitaneorum, & militum; seu, vt submissiones, aut alia præmissa fiant, authores esse, aut consensũ præstare, sub confiscationis ipsarum ciuitatũ, oppidorum, terrarum, castrorum, iurisdictionum, feudorũ, & bonorum stabilium supradictorum, & aliorum quorumcunque Cameræ apostolicæ ipso iure applicandorum, necnon criminis læsæ maiestatis, & rebellionis in primo capite, eo ipso, absque alia declaratione, incurrendis pœnis; quas nihilominùs in supradictis omnibus casibus verè, & realiter, & ipso facto incurrisse, & incurrere per præsentes declaramus.

Prætercà, vt subditorum nostrorum vtilitati, ac status ecclesiastici tranquillitati magis consulamus, quòd de cætero nullus ex subditis status nostri ecclesiastici præfatis aliquas fideiussiones, cautiones, promissiones, & obligationes pro Rebuspublicis, Communitatibus, Vniuersitatibus, Collegiis, quæ extra statum ecclesiasticum existunt, & ecclesiastica non sunt, necnon pro Principibus extraneis quibuscunque supradictis, seu illorum, ac alicuius eorum cõtemplatione, & intuitu facere, dare, præstare, ac alias quoquo modo sese, eorumque ciuitates, oppida, terras, castra, iurisdictiones, feuda, res, & bona stabilia supradicta, in quacunque eiusque eiusdem status ecclesiastici parte, ac in ipsa etiam

Vrbe

Vrbe existentia, ac inta eidem quouis modo competentia,& a ia bona, quæ loco stabilium habentur, vt præfertur, ad ipsos quouis modo spectantia, tam pro eis,& aliquo eorum, ac eorum, vel alicuius eorum intuitu, & contemplatione ad fauorem quorumcumque extraneorum, vel etiam subditorum eiusdem status nostri ecclesiastici, quàm pro aliis quibusuis, & aliorum quorumcunque intuitu, ac contemplatione ad fauorem, & commodum ipsorummet Principum extraneorum, & aliorum supradictorum obligare, & hypothecare, aut etiam bona quæcunque stabilia,& alia supradicta in commendam, aut in erectionem commendarum alicui ex Militiis regularibus, quibus Reges, aut Principes extranei Nobis, & Sedi apostolicæ non immediatè subiecti in Administratores, seu Magnos magistros deputati sunt, concedere, aut, vt euncedantur, aliquo modo consentire sine expressa præcedente nostra, & Rom. Pontificis pro tempore existentia licentia, sub pœna amissionis dictorum bonorum contra tenorem præsentium, vt præfertur, obligatorum,& concessorum eo ipso similiter incurrenda,& Sedi, ac Cameræ apostolicæ applicanda possit, & valeat; ita quòd in casu contrauentionis eidem Sedi, & Cameræ apostolicæ liceat, viuentibus supradictis, ita obligantibus, & concedentibus, dicta bona capere, & penes se retinere; illis verò defunctis, ad eos, ad quos de iure pertinere debent, omnino pertinent, quódque Tabelliones, & Notarij, etiam ex numero participantium, & alij quicunque prædicti super præmissis scripturas,& instrumenta conficientes, pœnas priuationis officiorum, quæ obtinent,& perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia exercenda eo ipso incurrant; & nihilominus fideiussiones, cautiones, obligationes, hypothecæ, necnon concessiones, & consensus prædicti per ipsos, vt præfertur, faciendæ,& præstandi respectiuè, sint nullæ,& nulli, ac nullius roboris,& momenti, nec alicui quouis modo prosint, aut scripturæ,& instrumenta similiter super præmissis conficienda fidem faciant, vel ex illis audiri, agi, vel excipi possit in iudicio, vel extra, perpetuò statuimus,& ordinamus, sicque & aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatij apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari,& diffiniri debere irritúmque,& inane quidquid secus super his à quoquam quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, mandantes eisdem Legatis, Gubernatoribus, ac Iudicibus nunc,& pro tempore in toto statu ecclesiastico prædicto existentibus, & eorum cuilibet, vt declarationem, extensionem, decretum, inhibitionem, præceptum, & mandatum, statutum,& ordinationem nostram huiusmodi in eodem statu ecclesiastico ab omnibus, ad quos spectat,& spectabit, perpetuò obseruari mandent, & faciant, contradictores quoscunque opportunis iuris, & facti remediis appellatione postposita compescendo. Non obstantibus nostra de [illegible] tollendo iure quæsito, & quibusvis aliis Constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, necnon quibuscunque fideicommissis pro-rificatis, & purifi[illegible]andi[illegible], ac vltimis voluntatibus, donationibus,& pactis quibuscunque, ac legibus, etiam municipalibus, necnon Vrbis, & aliarum Ciuitatum, Terrarum,& locorum status nostri ecclesiastici, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, ac priuilegiis, gratiis, & indultis, eisdem Rebuspublicis, Communitatibus, Vniuersitatibus, & Collegiis extra dictum statum ecclesiasticum existentibus,& non Ecclesiasticis, necnon Principibus extraneis, ac etiam Militiis præfatis quorumcunque Ordinum regularibus,

ac Almæ Vrbi, necnon Populo Romano, & quibuscunque ciuitatibus, terris,& locis, Nobis,& Sedi apostolicæ subiectis, etiamsi tales essent, quæ sub generali expressione non venirent, sed de illis specialis, & individua mentio habenda foret, in genere, vel in specie,& sub quibuscunque tenoribus,& formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus,& insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis in contrarium præmissorum hactenus quomodolibet concessis, confirmatis,& approbatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores præsentibus pro expressis,& ad verbum insertis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, necnon omnibus illis, quæ prædictus Sixtus prædecessor in suis literis prædictis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque.

Volumus autem, vt præsentes, quæ in Consistorio nostro,& de Fratrum nostrorum consilio,& assensu prædicto promulgatæ sunt, quoscunque, tam præsentes, quàm absentes, & vbicunque etiam extra statum nostrum ecclesiasticum existentes, perinde obligent,& arctent, ac si vnicuique eorum nominatim intimatæ fuissent. Et nihilominus, vt illæ magis innotescant, mandamus eas valuis Ecclesiæ S. Ioan. Lateranen. & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ appendi, ac publicari, ac etiam volumus, vt earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici,& sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides vbique locorum in iudicio, & extra habeatur, quæ ipsismet præsentibus haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum confirmationis, innouationis, declarationis, extensionis, ampliationis, decretorum, inhibitionis, præcepti, mandatorum, voluntatum, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo primo, pridie Non. Iulij, Pontificatus nostri anno decimo.

A. DE ALEXIIS.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

INNOVATIO, ET DECLARATIO *prædictarum Constitutionum fel. rec. Sixti V. & Clementis VIII.*

PAVLVS EPISCOPVS,

Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

PAstorale munus, quod infirmitatem nostram gerere diuina clementia voluit, nos admonet, vt sicut rationis exigit ordo, Nos, qui aliis sua [illegible] procuramus, Sedis etiam apostolicæ [illegible] statutamus,& statens, ac subditorum nostrorum vtilitati, & tranquillitati consulamus; ac proinde, vt ea, quæ à Rom. Pont. prædecessoribus nostris prouide constituta comperimus, illibata perpetuò persenerent, omnem ea eludendi viam apostolicis declarationibus, ac nouis dispositionibus præcludimus, & apostolico munimine roboramus, ac alias disponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Siquidem, licèt olim fel. rec. Sixt. PP. V. prædecessor noster, vt ditionis tēporalis Sedis apostolicæ, eiusque subditorum

conseruationi,

conseruationi, & commodo prospiceret, ciuitates, oppida, castra, feuda, iurisdictiones, ac bona quæcunque stabilia, vel immobilia in statu ecclesiastico existentia absque sua, & Sedis apostolicæ licentia, quibuscunque forensibus, & extraneis eidem Sedi non subditis, vendi, permutari, vltra triennium locari, in emphyteusim, feudum, liuellum, pignus, seu precarium concedi, necnon ciuitates, castra, & oppida, multóque magis fortalitia ac feudalia, & iurisdictiones in eodem statu ecclesiastico cõsistentia, & consistentes, sà in exteros, vel forenses, quàm in alios quoscúnque etiá subditos, nisi de expressa præcedente sua, & Romani Pótificis pro tempore existentis licentia vendi, permutari, vel donari, prohibuerit, ac alia statuerit, & ordinauerit, prout in suis sub dat. Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1585. kal. Iulij, Pontificatus sui anno primo, expeditis literis plenius continetur. Ac subinde à rec. mem. Clemente Papa VIII. similiter prædecessore nostro emanauerint Literæ tenoris subsequẽtis, videlicet, CLEMENS Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem. *&c. Tenor est suprà insertus.*

Nihilominùs, quia postmodum experientia cópertum fuit, ampliùs prouidendú esse, ne tã ab extraneis, & forensibus, quam à subditis nostris prohibitiones, ac Cõstitutiones, & Literas eorundem Sixti, & Clementis prædecessorum, varijs, & alienis ab eorum mente interpretationibus subuerti, & diuersis conuentionib. etiam palliatis, in iis, quæ circa alienationem, ciuitatum, castrorum, oppidorum, & locorum iurisdictionalium, non, nisi præcedente nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis licẽtia, faciendá, disponunt, fraudibus eludi possint. Nos tam ex iis, quæ in Constitutionib. prædictis continentur, quá ex aliis iustis, & rationabilibus causis animű nostrű mouẽtib. premissis, & aliis infrascriptis opportunis remediis occurrere volẽtes, necnon præfatarű Sixti, & Clementis prædecessorum huiusmodi Literarum tenores, præsentibus pro expressis habentes; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, déque apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuò valitura Constitutione easdem Literas Sixti, & Clementis prædecessorum approbamus, & confirmamus, illásque innouamos, ac inuiolabiliter obseruari mandamus. Prætereà, easdẽ Constitutiones, quatenus etiã in subditis bona alienari absque Sedis apostolicæ licentia vetãt, declarantes; & quatenus opus sit, etiam extendentes, Constitutiones huiusmodi in venditionis, permutationis, donationis contractibus, etiam cum pacto de retrouendendo, seu retrocedendo, vel etiam reseruato nostro, & apostolicæ Sedis beneplacito, aut etiam correspectiuis, seu connexis, vel sub locationis, aut alterius contractus nomine palliatis, super præfatis ciuitatibus, castris, oppidis, & multò magis fortalitiis, & quibuslibet locis iurisdictionalibus, vel feudalibus intra limites status ecclesiastici consistentibus, illorúmque dominio, & possessione, iurisdictionéque, ac iurisdictionis exercitio quomodolibet, & quauis occasione, prætextu, vel causa etiam necessaria, etiam subhastationis, adiudicationis, & dationis in solutum etiá iudicialis faciendis obtinere, & inuiolabiliter obseruandas esse, ita, videlicet, quòd nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis expressa licentia priùs in scriptis impertari, & in actu celebrationis contractus, realiter apud Notarium exhiberi, & dimitti debeat, & non aliàs decernimus, statuimus, & ordinamus. Quòd si quis ad aliquàm alienationem deueneris contra formam præsentis Cõstitutionis, alienatio, seu contractus sint ipso iure nulli, nullúmque sortiãtur effectum, & nihilom nos alienans, ac contrahens pœná præfatæ prædecessoris Cõstitutionis incurrat; nempe, cadat ab omni iure suo & intelligatur ipso iure absque alia declaratione priuatus omni sua possessione, eiúsq. vita durante, fructus, & commoditas, vt supra, alienatæ sei, translatæ, aut gabatæ, spectent pleno iure ad Sedem, & Cameram apostolicam; ita quòd eo ipso Camera apostolica possit bona præfata propria authoritate capere & penes se retinere, viuentibus sic contrahentibus; ipsis verò defunctis, eadem castra, oppida, & iurisdictiones, alia quæ supradicta ad eos, ad quos de iure, si dicti contrahentes ab intestato decessissent, vel contractus huiusmodi facti nõ fuissent, peruenire deberẽt, omninò perueniant. Tabelliones verò & Notarios, etiá de numero participantium, & alios quoscunque instrumenta, & scripturas huiusmodi cõficientes, & formá huiusmodi non seruantes, seu illas Sedi, & Cameræ apostolicæ non reuelantes, nec exhibentes, pœnam falsi, ac priuationis nedum exercitij sed officij, & tituli Tabellionatus, ac Notariatus, aliorúmque Officiorű, quæ obtinent, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, & alia in posterum exercenda, eo ipso incurrere decernimus; sicque & nõ aliter per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatij apostolici Auditores, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos; sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquá quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter cõtigerit attentari, decernimus. Iniungentes, & mandantes eisdem Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, ac in locibus, nunc, & pro tempore in toto statu ecclesiastico existentibus, & eorum cuilibet, vt declarationem, extensionem, decretum, inhibitionem, præceptum, mandatű, statutum, & ordinationem nostram huiusmodi in eodem statu ecclesiastico ab omnib. ad quos spectat, & spectabit, perpetuò obseruari mandent & faciant. Contradictores quoscunque opportunis iuris, & facti remediis, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfati Sixtus, & Clemens Prædecessores in suis literis præfatis voluerunt non obstare, cæterísque contrariis quibuscúque. Volumus autem, vt præsentes, postquam in Valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorű, necnõ in Acie Campi Floræ affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque tam præsentes, quam absentes, & vbicunque etiam extra statum nostrum ecclesiasticum existentes perinde obligent & afficiant, ac si vnicuique eorum nominatim intimatæ fuissent; ac etiã volumus, vt earum exemplis etiá impressis, manu Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides vbique locorum in iudicio, & extra habeatur, quæ ipsis met præsentibus haberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginá nostrorum confirmationis innouationis, declarationis extensionis, decretorű, inhibitionis, præcepti, mandatorum, voluntatum, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo de[illegible], duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

M. DAT.

I. BVLGARINVS.

S. DE VRSINIS.

Registra in Secretaria Breuium.

S.D.N.

S. D. N. D. VRBANI DIVINA PROVIDENTIA Papæ VIII.

INNOVATIO, DECLARATIO, & extensio prædictarum Constitutionum fel. record. Sixti V. Clementis VIII. & Pauli V.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEcens, & æquum esse censemus, vt Nos, qui ex onere pastoralis officij, subditorum commodis assiduè inuigilamus, Sedis apostolicæ iura tueri nullo pacto negligamus; ac proinde iurisdictiones temporales eidem Sedi subiectas, quouis prætextu, vel colore à quoquam vsurpari, aut illis grauamina, seu incommoda inferri non permittamus; & si super Constitutionibus apostolicis per Rom. Pontifices prædecessores nostros editis dubia aliqua oriri contingat, nostræ declarationis remedio, abstractisque illarum interpretationibus, & quoruncunque contrahentium palliationibus occurramus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Cùm itaque aliàs fel. rec. Sixtus V. considerans conuenire, quòd, si ciuitates, castra, oppida, iurisdictiones, fortalitia præsertim feudalia vendantur, vel permutentur, seu etiam donentur ditioni temporali S.R.E. subditis siue extraneis vel forensibus, id ad Principis notitiam deducatur per suas sub Dat. videlicet, Kal. Iulij, Pontificatus sui anno primo, omnibus, & singulis cuiuscunque status, gradus, cõditionis, qualitatis, & dignitatis, existentibus etiamsi imperiali, regali, ducali, vel alia quauis authoritate, & dignitate, etiam ecclesiastica, quæ specialem, & indiuiduam mentionem requireret, prædiri essent, ne ciuitates, castra, oppida, iurisdictiones, fortalitia, seu bona, aut loca iurisdictionalia huiusmodi in alium, vel alios quoscunque, nisi de expressa præcedente sua, & pro tempore existentis Romani Pontificis licentia vẽdere, permutare, vel donare valerent, sub pœna nullitatis contractuum huiusmodi prohibuerit, aliaque etiã circa præmissa statuerit: & successiuè Clemens VIII. volens hominum malitiis & fraudibus occurrere, & dubia quæ tũc super præmissorũ interpretatione emergebant, declarare per suas sub Dat. Prid. Non. Iulij, Pũtificatus sui anno decimo prohibitionem, & statuta prædicta confirmauerit, approbauerit, innouauerit, declarauerit, extenderit, & ampliauerit, pœnasque amissionis bonorũ, & aliorum prædictorum contrafacientibus, ac priuationis officiorum Tabellionibus, & Notariis, qui de contractibus, vt præfertur prohibitis se rogarent, imposuerit, aliáque etiam iussetit, & decreuerit. Et insuper Paulus etiam V. Rom. Pontifices prædecessores nostri, ne disposita per Sixtum, & Clementem prædecessores præfatos variis, & alienis ab eorum mente interpretationibus subuerti, ac palliatis conuentionibus eludi possent, etiam per suas sub dat. duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus sui anno tertiodecimo, confectas literas, necdum præmissa confirmauerit, & innouauerit; sed etiam declarauerit & quatenos opus esset, ad quodcunque genus contractuum, & conuentionum extenderit, & ampliauerit, ac licentiã prædictam in scriptis priùs obtineri, & in actu celebrationis contractus apud Notarium exhiberi mandauerit & contrafacientes nullitatis contractuum, & priuationis rei alienatæ, seu translatæ, vel grauatæ, ac tabelliones, seu notarios pœnas falsi, ac priuationis officiorum omnium, quæ obtinerent, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum exercenda incurrere voluerit, aliaque similiter disposuerit, prout in singulis literis prædictis pleniùs continetur. Ab inde verò citra hominum versutiam, & artificium aduersùs prædictarũ litterarum tenorem, vel ipsorum prædecessorum verisimilem intentionem, & mentem, cautelas, & modos aliquos, absque prædicta Romani Pontificis licentia alienandi, & contrahendi adinuenerit, & excogitauerit, alienando, & respectiuè acquirendo castra diruta, seu tenutas iurisdictionales etiam cum retentione, seu reseruatione iurisdictionis, ac etiam Barones seu Domicelli, casalia, tenutas, siue prædia etiam non iurisdictionalia in confinibus territorij alterius ciuitatis, castri, oppidi, vel loci iurisdictionalis alterius Baronis, seu Domicelli existentia, illa etiam nulla Romani Pontificis obtenta licentia, alteri Baroni, seu Domicello cõnicino vendiderint, seu alienauerint, & respectiuè emerint, seu acquisiuerint, & ex prædictis alienationibus, & acquisitionibus respectiuè dubitari possit, ne tempore saltem procedente, iurisdictio aliqua vsurpetur, ac termini, seu fines iurisdictionales confundantur, aut protrahantur vel illam vsurpandi, seu illos confundendi & protrahendi occasio inde aliqua præbeatur, etiã in præiudiciũ Sedis, & Cameræ apostolicæ, ac præsertim in euentũ cuiuscunque aperitionis feudi, & deuolutionis, seu cuiuscuque alterius acquisitionis ciuitatũ, castrorum oppidorum, seu locorum iurisdictionalium, aut casalium, seu tenutarum, siue prædiorum eorundẽ, Nos attendentes, prædictas literas ad hoc vt omnia Principi innotescant, emanasse, & verisimilem eorundem Pontificum prædecessorum nostrorum intentionem extitisse, ne vllo modo Cameræ præfatæ præiudicium aliquod inferri possit, easdemque rationes, etiã in huiusmodi cõtractibus, & alienationibus, ac acquisitionibus militare, ex prædictis, seu aliis rationabilibus causis animum nostrum mouentibus, & remedium opportunum exquirentibus adducti singularum literarũ præfatarum, ac alienationum, acquisitionum, & contractuum quoruncunque, necnon omnium in singulis literis prædictis expressorum, & aliorum hic etiam de necessitate exprimendorum tenores, præsentibus pro expressis, habentes, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & matura deliberatione, déque apostolicæ potestatis plenitudine ac nostra perpetuò valitura Constitutione, singulas Sixti, & Clementis, ac Pauli prædecessorum nostrorum prædictorum literas prædictas approbamus, confirmamus, ac etiam, quatenus opus sit, innouamus. Præterea, quascunque venditiones seu alienationes, ac locationes vltra triennium cuiuscunque ciuitatis, oppidi, seu castri diruti, seu tenutæ iurisdictionalis, vel cuiuscunque casalis, tenutæ, seu prædij, etiam non iurisdictionalis in cõfinibus alterius ciuitatis, castri, oppidi, seu loci iurisdictionalis, eiusve territorij siti, & etiam ab vno tantum latere confinantis, hactenus, à die Dat. vltimo dictarum literarum, per quencunque Baronem, seu Domicellum cuicunque alteri Baroni, seu Domicello, ciuitatẽ, oppidũ, castrum, seu locum quemcunque iurisdictionalem, eiusve territorium in confinio quomodolibet positum possidenti, cuiuscunque qualitatis, conditionis, status, gradus, & dignitatis etiam ecclesiasticæ, etiam speciali, vt præfertur, & indiuidua nota dignæ ipsi alienantes, & locantes, ac etiã acquirentes, & conducẽtes fuerint, & sint, siue simpliciter, siue cum assertione non existẽtis iurisdictionis, siue cũ iurisdictionis penes vendi-

torem, seu alienantem retentione, seu reseruatione, aut aliàs quomodolibet factas, etiam hucusque effectum plenum sortitas vltimo dictarum literarum dispositioni, quoad nullitatem præfatarum alienationum, acquisitionum, & contractuum duntaxat subiacuisse, & subiacere; & huiusmodi alienationes, acquisitiones, & contractus inter Barones, seu Domicellos, vt præfertur, facta, & inde sequuta quæcunque, nulla, nulliúsque roboris, aut momenti fuisse, & esse declaramus, ac tabelliones, & Notarios de illis rogatos, sub eadem priuationis Officiorum, aliisque nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio incurrendis pœnis, instrumenta, & scripturas desuper iam facta nobis, & Cameræ præfatæ intra sexaginta dies, à die infrascriptæ publicationis præsentium computandos, reuelare, & cum effectu exhibere teneri volumus, & mandamus. Denique singulas literas prædictas, & in eis contenta quæcunque, tam ad venditiones, permutationes, & quascunque alienationes, & locationes etiam ad triconium, vel quantumuis mitius tempus, à quocunque etiam non Barone de castalibus, tenutis, seu prædiis non iurisdictionalibus, quæ in confinibus, etiam ab vno tantùm latere alicuius ciuitatis, castri, oppidi, vel loci iurisdictionalis, vel eius territorij consistant de cætero directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè, & aliàs quomodolibet alicui Baroni, vt præfertur, iurisdictionem, seu bona in confinio possidenti, ac etiam ad quascunque locationes bonorum quorumcunque in statu nostro ecclesiastico, in confinio tamen dominij cuiusuis Principis exteri, etiam nobis mediatè, vel immediatè subiecti existentium, cuiuis etiam non Baroni: qui tamen noster subditus non sit, vel esse quandocunque desierit, ita vt eo casu, eo ipso illæ nullæ sint, & resoluantur, faciendas, quàm etiam ad quascunque impositiones, venditiones, cessiones, & alienationes censuum annuorum, iuxta Constitutionem per piæ mem. Pium PP. V. etiam prædecessorem nostrum de creandis censibus editam super prædictis ciuitatibus, castris, oppidis, locisve iurisdictionalibus, aliisque bonis non iurisdictionalibus, in confinio alicuius ciuitatis, castri, oppidi, seu loci iurisdictionalis, vt præfertur, eiúsve territorij, etiam ab vno tantum latere, confinantis, existentibus per quoscunque Barones, seu Domicellos, & alios quoscunque, etiam Communitates, Vniuersitates, & quorumcunque Monasteriorum, Ecclesiarum, beneficiorum ecclesiasticorum, & aliorum piorum locorum Superiores & Conuentus, Capitula, Rectores, Beneficiatos, & Gubernatores, seu Administratores respectiuè in futurum imponendorum, ac tam quoad illos, quàm etiam quoad antea iam impositos vendendorum, cedendorum, seu alienandorum ad fauorem cuiuscunque, ita quòd nullum ius prælationis in emendis præfatis ciuitatibus, castris, oppidis, aut locis iurisdictionalibus, siue non iurisdictionalibus præfatis censuariis, aliisve ab ipsis causam pro tempore quomodolibet habentibus, vnquam tribuant in præiudicium dictæ Cameræ, quæ eisdem censuariis, & aliis præfatis semper erit præferenda, siue emat ad effectum retinendi, siue intra annum à die emptionis computandum cuilibet alteri rem emendam, vendendi, vel cedendi extendimus, & ampliamus. Sicque & non aliter in omnibus, & singulis præmissis per quoscunque Iudices ordinarios, delegatos, & commissarios, & etiam Cameræ præfatæ Clericos Præsidentes, necnon causarum Palatij apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam Camerarium, & de latere Legatos iudicari, & diffiniri, ac interpretari debere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ac irritum, & inane quicquid secus super his à quoquam, quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Iniungentes, & mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna indignationis nostræ, eisdem Legatis Vicelegatis, Gubernatoribus etiam Vrbis, ac Iudicibus, nunc, & pro tempore in eadem Vrbe, & toto statu nostro ecclesiastico existentibus, & cuilibet eorum, vt præsentes nostras, & in eis contenta quæcunque in Vrbe, ac statu præfatis ab omnibus, & singulis, ad quos quomodolibet spectat, & in futurum spectabit, perpetuò obseruari mandent, & faciant, & pro omnium, & singulorum præmissorum inuiolabili obseruatione contra inobedientes, & præmissis in aliquo contrauenientes, & alios quos opus erit, omnibus iuris, & facti remediis opportunis procedant, omni, & quacunque appellatione remota. Non obstantibus præfata Pij V. super creandis censibus, & nostra de non tollendo iure quæsito, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ Sixtus, & Clemens, ac Paulus prædecessores præfati, in dictis eorum voluerunt non obstare, cæterísque contrariis quibuscunque. Vt autem præsentes omnibus innotescant, volumus, & apostolica authoritate decernimus, quòd illæ in valuis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, necnon in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, quæ, postquam sic affixæ, & publicatæ fuerint, quoscunque, tam in Romana Curia, & statu præfato, quam extra eos existentes perinde obligent, & arctent, ac si vnicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent, quódque earum exemplis etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam approbationis, confirmationis, innouationis, declarationis, extensionis, ampliationis, iniunctionis, mandati, voluntatis, & decretorum nostrorum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimoseptimo, Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno quarto.

E. DAT.

FANTINVS RENTIVS.

Visa de Curia A. Hurandus.

G. MONTANVS.

Locus † plumbi.

Registrata in Secretaria Breuium.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbates, & Prælati ecclesiastici castra, aut alia feuda possidentes teneantur per suos vassallos suo Principi auxilium præstare?

SVMMARIVM.

1 *Prælati ecclesiastici licitè possunt temporalibus Dominus auxilium, & consilium tradere.*

2 *Prælatus potest esse à consilio Regis.*

3 *Abbates,*

3 Abb[illegible], & Prælati ec[illegible] possunt [illegible] Principibus tem[illegible] Reipub[illegible] & tempore belli auxilium p[illegible], ad id tamen cogi nequeunt.

1. Abbates, & Prælati Ecclesiastici [illegible], vel aliâ feuda possidentes licite possunt [illegible] Dominis [illegible], & consilium tradere pro Reipublicæ conseruatione, maxime instante Regni turbatione aliqua, & ne fiunt, vt docet Panormitan. *in cap. Non est, ad [illegible] vott redempt.* inferens, quòd 2. possit Prælatus esse de consilio Regis, per text. *ibi*, & *in c. In Archiepiscopatu, de rapt.* & c. *Duo sunt, 96. dist.* Et hoc maximè, quando Prælati id sponte faciant, & ex consilio, vel Regis, aut Dominorum precibus: nam non possent ad præstandum eis auxilium cogi, absque apostolicæ Sedis assensu, vt per Doct. *in cap. Non minus, & cap. Si aduersus, ext. de immunit. eccles.* 3. Manet igitur conclusum, Abbatem feudotum Dominum posse cum suis vassallis Principibus temporalibus, & reipublicæ modo prædicto succurrere.

QVÆSITVM V.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares teneantur tum suis subditis regularibus ad obsequia propriæ Reipublicæ propter bonum commune?

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati regulares per seipsos, & suos subditos [illegible] tenentur ad aliqua obsequia suæ Reipublicæ propter bonum commune præstanda: ne[illegible]*
2 *Consilia bona.*
3 *Legationes.*
4 *Custodire ciuitatem, & num. 7.*
5 *Arma sumere contra bannitos pro defensione Reipublicæ.*
6 *Pugnare in necessitate ad consequendam iustam victoriam.*
8 *Religiosus, qui non est ciuis illius ciuitatis, in qua degit, an teneatur ad prædicta obsequia præstanda.*
9 *Religiosus si in talibus obsequiis mutilaret, vel occideret: an incurreret irregularitatem.*
10 *Religiosus patriæ obsessæ ab his, qui eam [illegible] perdere vellent, potest, si sæcularium vires non sufficerent pugnare absque peccato, [illegible] irregularitate.*
11 *Consensus Summi Pontificis [illegible] respectu Prælatorum, & Episcopi respectu Clericorum, ad hoc vt prædicta obsequia quoad pugnam præstare a Religiosis possint.*
12 *Obsequia quoad facultates [illegible] pecunias erogandas, an sint à Religiosis præstanda?*
13 *Bellum iustum indicere, & duces ad hunc esse [illegible] constituere posse Prælati [illegible] Abbates, aliique Ecclesiastici, qui temporale dominium habent in Republica.*

1. Non solùm Prælati tenentur, vt diximus per suos vassallos Principi, & Reipublicæ auxilium dare modo supradicto; sed etiam per [illegible] ipsos, & suos subditos Regulares tenentur ad aliqua obsequia, auxilia, & fauores suæ Reipublicæ, propter [illegible] commune: cùm autem hæc omnia consistant in consiliis, legationibus, custodia ciuitatis, in auxilio pecuniæ, tempore necessitatis, & aliis huiusmodi; dicendum est, Prælatos cum suis subditis, absque Ecclesiastici [illegible] teneri ad huiusmodi obsequia, modis, & formis hîc explicandis.

Quoad consilia, certum est, Prælatos, & Regulares qui Patres [illegible], teneri [illegible] consilia Principibus, & Reipublicæ administrare; [illegible] magis hodie æstimatur à sæcularibus, est, quòd [illegible] rectantur viri talia consilia administrare pollentes, quorum multitudo magna reperitur inter Regulares. 1.

Quo verò ad legationes, experientia rerum magistra quotidie nos docet, Regulares scientes tradere moralem obligationem, in variis legationibus, tam ab Ecclesiasticis, quàm sæcularibus Principibus pro bono vniuersali semper adhiberi. 3.

Sed maior difficultas est de custodia ciuitatis, an prædicti Prælati, & Regulares teneantur. Et licet in sacris Canonibus prima facie videantur Ecclesiastici, & præsertim Religiosi prohibiti, ne arma capiant, vt habetur *in cap. Eos, qui, 20. q. 3.* & *cap. Ex multa, §. de Clericis, de voto.* Nihilominus posse Religiosos, & Ecclesiasticos, saltem de consensu præsumpto suorum Superiorum adhortari milites ad pugnandum pro defensione oppressorum, & præsertim Ecclesiæ, constat expresse *in cap. Omni timore, & cap. Hortatu, 23. q. 8.* quod etiam docent D. Thom. *2. 2. quæst. 40. art. 2. ad 2.* Nauar. *in Manual cap. 27. num. 215.* Molina *tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 108.* Becanus *2. 2. cap. 25. quæst. 18. num. 4.* 4.

Possunt etiam Religiosi sumere arma pro defensione Reipublicæ contra bannitos, & pugnare propriis manibus, mutilando, & occidendo. Non loquor de casu propriæ defensionis, qui de se clarus est: sed loquor de defensione reipublicæ, patriæ, & ciuitatis, si illis pugnantibus conseruabitur, & non pugnantibus destruetur, aut capietur. 5.

Similiter possunt pugnare, & ea omnia supradicta præstare, quando hoc necessarium esset ad consequendam victoriam iustam, à qua bonum commune Ecclesiæ pendet, in quibus casibus non solùm possunt, sed etiam iure naturali tenentur, vt dicunt Becanus *loco cit. num* 8. Caietanus *2. 2. quæst. 40 art. 2.* Valentia *tom. 1. disp. 3. punct. 4. col. 3.* vbi aduertit, in his casibus licentiam non requiri: quia, sicut gratia non destruit naturam; ita lex ecclesiastica non tollit obligationem legis naturalis. Idem docet Molina *de iust. tract. 2. disp. 108.* qui restatur de communi opinione. 6.

Tenentur præterea Religiosi ad custodiam murorum ciuitatis tempore necessitatis, *ex cap. peruenit, de immunit. Eccles.* cùm nulla maior sit pietas, quàm patriam defendere, *cap. Fortitudo, 23. quæst. 3.* in quo casu licitum est etiam fortificare Ecclesias, vt ad illas fugientes obsessi saluentur. Ita Anchar. *in cap. Quia nonnulli, num. 5. de immunit. Eccles.* & Innocent. *in cap. Cum Ecclesia, eod. tit.* & Ioannes Andr. *ibid. n. 2.* 7.

Si petas, an Regulares, qui reperiuntur in aliqua ciuitate; & tamen non sunt ciues illius, vt sæpè contingit inter Regulares, teneantur in his casibus supradicta obsequia præstare. Respondeo teneri: quia Regulares hoc priuilegium satis vulgare sibi vendicant, vt fiant ciues illorum locorum, in quibus habitant, & comedunt panem: quod etiam docent, Graffius *tom. 1. cons. lib. 5. de pænit. cons. 2. diff. 3. num. 7.* Emmanuel Sa *in Aphor. verbo, Ciuitas, num. 4.* Nauarr. *tom. 1. cons. de test. cons. 6. n. 2.* & Bartholus *in l. 1. ff. Ad municipales, num. 13.* vbi expresse ait, quòd Prælatus sit ciuis illius ciuitatis, in qua habet Ecclesiam; non tamen propter hoc desinit esse ciuis suæ patriæ, vbi ortus est. Item Bartholus *loco cit. num. 11.* 8.

Si dicas, si Regulares tenentur sic pugnare, ciuitatem custodire, mutilare, occidere facile esset [illegible] incurrere irregularitatem propter frequentes occisiones, & mutilationes, quæ in his pugnis, & [illegible] [illegible] solent. Respondeo cum Molina *loco cit. disput. 109.* in his casibus Religiosos, & alios Ecclesiasticos 9.

siasticos nullas incurrere irregularitates. Ratio est: quia, si necessitas defendendi corpus excusat ab irregularitate, vt habetur *in Clem. § Iuriosi. de homicid.* multò magis necessitas animæ, cùm sub peccato lethali teneantur, prædicta obsequia præstare. Idipsum affirmant Syluester *verbo, Bellum,* 3. *quæst.* 2. Coninch. *de actib. human. disp.* 31. *n.* 91. quicquid dicat Nauarr. *loco cit.*

10. Ex quibus etiam sequitur, si patria obsessa sit ab aliquibus, qui velint innocentes interficere, possunt Clerici, & Religiosi, si laïcorum vires non sufficiant, pugnare contra illos absque peccato, & sine irregularitate, aliàs sine causa non possent Clerici, & Religiosi propriis manibus pugnare; sed tantùm ad bellum iustum exhortari, & milites ab victoriam excitare, & pugnam in genere; modò non dicant in particulari, *interfice*, aut *mutila*; sed, *age fortiter, ne succumbas: pugna strenuè, & viriliter pro Ecclesia sancta Dei.* Ita S. Thom. 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. *ad.* 3. quod etiam elicitur *ex cap. Qui igitur. cum seqq.* 23. *q.* 8.

11. Aduertendum tamen est secundùm eundem S. Thomam *loco citato, art.* 2. requiri consensum Summi Pontificis quoad Prælatos, & Episcopi quoad Clericos, vt possint Prælati, vel Clerici interesse bello, quod etiam habetur *in cap. Reprehends.* & *cap. Quo casu.* 23. *q.* 8.

12. Molina tamen *loco citato* putat, sufficere præsumptum consensum, quando aduersùs Ecclesiam, & hostes fidei peragitur bellum.

Si dicas, quòd *in cap. Non minùs.* & *in cap. Peruenit de immun. Eccles.* licèt habeatur, quòd Clerici, & alij Ecclesiastici non debeant angariari; & ideò eos teneri ad prædicta obsequia; tamen cùm Doctores huiusmodi Canones variè interpretentur, aliqua aduertenda sunt circa intelligentiam illorum. Dicunt ergo aliqui Doctores, quòd huiusmodi Canones intelligantur de ciuitatibus, in quibus dominium temporale exercet Ecclesia, vt est ciuitas Terracinæ, cuius Episcopo Summus Pontifex scribit. Sed huiusmodi Doctores ita explicantes non sunt recipiendi: quia Decretales omnes sunt omnibus communes *ex cap.* 1. & *cap. final. de constit.* Alij dicunt, quòd dicti Canones loquuntur, quando terra, siue ciuitas impugnatur ab infidelibus, & tunc obligari Clericos, & Religiosos cum laicis ad illam custodiendam, & defendendam propter periculum animarum, quod posset sequi, si ciuitas occuparetur ab infidelibus *ex cap. Placuit.* 16. *quæst.* 3. & *cap. Igitur sæpè.* 3 *quæst.* 1. Alij dicunt, quòd ibi sermo est de laïcis seruientibus Ecclesiæ: sed meliùs dicunt Doctores affirmantes, Canones prædictos loqui generaliter, siue terra impugnetur ab infidelibus, siue à fidelibus; quando tamen magna adest necessitas, timor communis, subitus, & improuisus. Ita docent Abbas *in d. cap. Non minus, & in cons.* 3. Innocentius, Cardinalis *ibid.* quæ doctrina videtur conformis *d. cap. Non minus.* vbi habetur, quando adest magna necessitas, quæ sine Clericorum auxilio reparari non potest.

De obsequio autem quoad facultates, & pecunias erogandas Principi, seu Reipublicæ ab Ecclesiasticis, & Regularibus, tempore necessitatis, dicunt Anchatan. *in c. Quia nonnulli, de immun. Eccles. in* 6. *num* 5. & Laurentius de Peyrin *tom.* 1. *priuileg. sui Ord. Minim. in const.* 2. *Iuly II, num.* 141. & multi Doctores per eum allegati, illos teneri; & *tom.* 2. *de Prælat. q.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. affirmat, quòd cùm tempore belli io flicti Reipublicæ Genuensi anno 1625. ille esset Prouincialis illius Prouinciæ, obtulit prædictæ Reipublicæ omnia vasa argentea, quæ erant in Sacristia illius Monasterij, cæteràque bona eiusdem Monasterij, & ab Illustrissimis de Palatio cum gratiarum actione responsum accepit, ea pietate dignum, qua semper esset venerata res ecclesiasticas dicta Respublica, nimirum, priùs esse consumenda bona Reipublicæ, deinde sæcularium; tum demum his consumptis, quando nullum aliud superesset remedium, bonis Ecclesiasticis Respublica vsa fuisset. 13.

In hac re, nimirum, de pecuniis, & facultatibus ecclesiasticis nihil ex propria sententia scribere audeo: consulantur supradicti Doctores, & quando casus huius magnæ necessitatis eueniet, (quod Deus auertat,) tunc loquar, & meam sententiam proferam.

Ex his deducitur conclusio maximè necessaria; nimirum, Prælatos, & Abbates, aliósque Ecclesiasticos habentes dominium temporale in Republica, posse indicere bellum iustum, & Duces, qui bellum gerunt, vt affirmant Syluest. *verb. Bellum,* 3. *q.* 1 Bannes *in* 2. 2. *q.* 40. *art.* 2. *conc.* 5. Ratio est: quia aliquando Reipublicæ plurimùm interest, vt bella moueat; sed eius potestas, vt supponitur, est in Prælato, vel alio Ecclesiastico: ergo Abbates, & alij Prælati habentes dominium temporale in Republica, poterunt indicere bella; aliàs esset huiusmodi ecclesiasticus Princeps imperfectus. Vnde credendum est cum Bannes *loc. cit.* quando Summus Pontifex tradit dominium Prælatis, & aliis Ecclesiasticis, dispensari etiam cum illis, vt possint bella iusta mouere. Quæ quidem bella non sunt interdicta iure diuino Ecclesiasticis, vt aliqui putarunt: sed iure pontificio, quo iure etiam dispensantur, & permittuntur, modo suprà explicato. 14

DISPVTATIO XIII.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad alienandum bona suarum Ecclesiarum.

QVÆS. I. Vtrùm Abbas possit bona mobilia Monasterij alienare.

II. Vtrùm Abbas possit bona immobilia ecclesiastica alienare.

III. Vtrùm Abbates, & Prælati, tam Regulares, quàm sæculares possint arbores Monasteriorum, & Ecclesiarum suarum absque Conuentus & Capituli consensu incidere.

IV. Quomodo debeat procedere Abbas in alienatione bonorum immobilium & mobilium pretiosorum, ad hoc vt sit legitima.

V. Vtrùm in alienatione bonorum Monasterij requiratur etiam Episcopi assensus: & quid de permutationibus faciendis à Rectoribus, Episcopis, & Prælatis subiectis.

VI. Vtrùm Abbates, & Prælati Generales, ſtante aliquo priuilegio, poſſint bona Monaſteriorum ſuæ Religionis inconſulto Romano Pontifice alienare.

VII. Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares poſſint abſque aſſenſu apoſtolico, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum ſolutione damni emergentis, & lucri ceſſantis; & quid de pecunia, quæ conuertitur in vtilitate Eccleſiæ propter alienationem.

VIII. Vtrùm Abbas localis poſſit bona Monaſterij abſque Abbatis Generalis licentia alienare.

IX. In quibus caſibus poſſint Abbates, & Prælati bona ſuorum Cœnobiorum, & Eccleſiarum, inconſulto Romano Pontifice alienare.

X. An mortuo Abbate poſſit interim Conuentus alienare.

XI. An Prior exiſtens ſub Abbate exempto poſſit alienare.

XII. Quas pœnas incurrant Abbates alienantes bona ſuorum Cœnobiorum, inconſulto Romano Pontifice, & contra formam Extrauagant. *Ambitioſa.*

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbas poſſit bona mobilia Monaſterij alienare.

SVMMARIVM.

1 *Alienationis nomine quid intelligatur.*

2 *Bona Monaſteriorum alia immobilia, alia mobilia.*

3 *Pecunia retenta nihil operatur.*

4 *Pecunia destinata ad emenda ſtabilia, cenſus, & mobilia pretioſa, non poteſt, abſque cauſa, & ſolennitatibus, alienari, & mutuo alijs dari, vt num. 15.*

5 *Pecuniam, quæ percipitur de redditibus Monaſterij, & non eſt de ipſius proprietate, in quos vſus poſſit Abbas alienare.*

6 *Bona, quæ vſu ipſo conſumuntur, & ſeruando ſeruari non poſſunt, quomodo poſſit Abbas alienare: & n. 12. & 13.*

7 *Bona mobilia, quæ commodè ſeruari non poſſunt, Abbas ſolus alienare poteſt.*

8 *Bona mobilia in vſu diu permanentia, an poſſit Abbas ſine ſolennitatibus alienare.*

9 *Bona mobilia pretioſa non poteſt Abbas, abſque cauſa, & ſolennitatibus alienare.*

10 *Res immobiles, & mobiles pretioſa æquiparantur quoad difficultatem alienationis.*

11 *Reliquias Sanctorum an poſſit Abbas, ſine aſſenſu Summi Pontificis alienare.*

14 *Grex ouium totus comprehenditur inter bona pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt.*

17 *Pecunia Monaſterij fructuoſa non poteſt alienari, ſicut nec quæ datur pro dote Monali, vt num. 17.*

1. ALienationis nomine, propriè, & in rigore loquendo, intelligitur omnis actus, per quem dominium transfertur, ſiue ſit dominium, directum, vel vtile, aut vſusfructus, vel nomine alienationis, latè loquendo, intelligitur omnis contractus grattuitus, vel onerosus, quo rei dominium in alterem transfertur, & etiam hypotheca, & locatio vltra triennium; dummodo tamen locatio fiat de bonis, quæ ſingulis annis fructus reddunt: nam, ſi ſolùm alternis, vel ternis annis fructus reddant, poteſt locatio pro rata, & reſpectiuè protrahi, vt docet Bonac. *tract. var. de alien. bon. eccl. quæſt vnic. punct. 2. num. 1.* & *de contract. n. 32.* Infeudatio quoque, & contractus emphyteuticus ſub nomine alienationis comprehenduntur, prout patet ex Extrauag. *Ambitioſa.* quam in fine huius quæſiti adiiciemus, vbi Pontifex, poſtquam generaliter prohibuit omnem alienationem, deuenit tandem ad particulares modos alienationis, ipſos ſub cenſura comprehendens in illis verbis: *Si quis autem contra huius noſtra prohibitionis ſeriem de rebus, & bonis eiuſdem quicquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, & infeudatio huiuſmodi nullius omninò ſint roboris, vel momenti.* Hæc ſupradicta eliciuntur ex Suarez *de cenſuris, diſp. 22. ſect. 6 num. 6.* Redoano *de alien. q. 1.* Alterio *tom. 1. diſp. 16. c. 2. col. 3.* Filliuc. *3. part. tract. 44 c. 1. q. 1.* Azor. *2. tom. inſtit. moral. lib. 9. cap. 1. q. 2.* Bonacina *de alien q. vnic. punct. 2. n. 1.*

Nomine etiam alienationis in fauorabili materia continetur donatio, venditio, permutatio, & etiam contractus ſub conditione factus. Ita notant Hoſtien. & Archid *de reb. Eccl. non alienan. tom. 1. q. 27. art. 1.* Syluest. *verbo, alienatio, q. 6.* Leſſius *lib. 2. de iuſt. & iur. cap. 24. dub. 11.* Portellus *in dub. regul. verbo, alienare.* Villalobos *2 part. Sum. tract. 25 diff. 17.* Couarr. *2. variar. cap. 16.* Hieronymus Rodriq. *in compend qq. regul. reſol. 7. num. 1.*

Quibus poſitis, notandum, quòd bona Monaſterij dupliciter poſſunt conſiderari, nempe, immobilia, quæ certum eſt Abbatem per ſe ſolum nullo pacto alienare poſſe, (*vt inferius* dicemus;) & mobilia, quæ rurſum alia ſunt vſu conſumptibilia; alia, quæ durant cum ipſo vſu, velut libri, veſtes, & ſimilia vſo conſumptibilia. Quædam ſpectant immediatè ad vitæ conſeruationem, vt eſculenta, & poculenta. Quædam verò mediatè, vt pecunia, quam regulariter poteſt alienare Abbas: quia ſeruando ſeruari non poteſt; quia pecunia retenta nihil operatur, *cap. Eiiciens. 88. d. ist. in l. 1. §. Quæſitum ff. ad Trebell.* Facit text. *in l. Cum plures. in fin. ff. de admin. tutor.* Abbas *in c. Nulli. de rebus Eccleſ. non alien.* Aloyſ. Rice *in praxi for. eccleſ. in 2. edit. reſol. 56. num. 10. & reſol. 59. n. 3.* 2. 3.

Pecunia tamen destinata ad emenda ſtabilia, cenſus, & mobilia pretioſa, conſiderando eam, quoad fructuoſam conſeruationem, numeratur inter immobilia, vel mobilia pretioſa. Alex. Iaſ. & Rip. *in d. § Quæſitum.* Viuian. *commun opin. tom. 2. lib. 7. tit. 1. num. 278.* Menoch. *de præſumpt. lib. 4 q. 138. num 3.* Rice. *in praxi rerum fori eccl. reſolut. 59. in fi. & in 2. edit. alias deciſ. 70. n. 5. in 1. edit.* Et propterea non poteſt abſque cauſa, & ſolennitatibus alienari. Quarant. *in Summa Bullar. verb. Alienatio rer. Eccleſ. num. 25.* Pecunia etiam, quæ ſeruatur pro aliqua futura neceſſitate, vel pro conſeruando magis patrimonio, cenſetur iure rerum immobilium, *l. Si Cams. §. 1. ff. de leg. st. 3.* Iaſ. *in d. §. Quæſitum num. 38.* Vel ſi deſeruiret pro locatione ad pompam, *l. 3. in fin cum ſeq. ff. Commodati.* Quarant. *d. verb. Alienatio rerum eccleſ. num. 25.* Pecuniam au- 4.

rem, quæ percipitur de redditibus Monasterij, & non est de ipsius proprietate; potest dupliciter Abbas alienare, scilicet, vel emendo ea, quæ Monasterio, ac eius Monachis necessaria, vel vtilia, siue conuenientia erunt; vel gratuitè donando, ad quod vtrunque Abbatis facultas extenditur. Et quoad vsum pecuniæ circa emptionem, dicimus, quòd Abbas facultatem habeat emendi quicquid ad diuinum cultum necessarium, ac decens prudenter æstimabitur, vt elicitur *ex cap. Nullam.* 18. *q.* 2. vbi Nauar. voluit comprehendi omnes sumptus fabricæ, & ecclesiastica ornamenta per ea verba *d. cap. Vel ad diuini cultus reuerentiam.* Habet etiam Abbas facultatem expendendi pecuniam in emptione eorum, quæ Monachorum necessariæ, & decenti sustentationi iuxta ipsorum statum fuerint opportuna; vt Monasterij ædificatio, eiúsque supellectilia, tam Communitati, quam singulis necessaria, iuxta Religionis statuta, & consuetudinem, necnon etiam expensæ, quæ erogari solent seruitoribus, & iumentis Familiæ religiosæ necessariis, & alia huiusmodi, quæ prudenti Abbatis arbitrio commissa sunt. Attamen, ipse ante oculos semper habere debet, vt proportionatè suis subditis Monasterij redditus distribuat: quia æqualitas Religionis in proportionali distributione consistit. Quoad vsum pecuniarum

6. per gratuitas donationes, latiùs vidimus *supra.* Circa alienationem aliorum bonorum, quæ vsu ipso consumuntur, eandem habet Abbas potestatem, quam super pecuniis habere diximus. Et horum alienatio dupliciter contingere potest, vel per puram talium bonorum absumptionem, vel per aliquam permutationem, vel venditionem, aut aliquo alio modo, ita vt per eorum alienationem Monasterium alia bona acquirat. Et vtroque modo eorum alienatio Abbatis voluntati est commissa, cum iisdem regulis, & moderationibus, quas in pecuniæ alienatione seruare debet.

7. Bona mobilia, quæ commodè seruari non possunt, vt sunt vestes, quæ quotidie magis veterascunt, item fructus, & similia, solus Abbas alienare potest, Gloss. & Abbas *in cap. Nulli de reb. Eccles. non alien.* illorum enim retentione damnificaretur Ecclesia. Idem Abb, *in cap. Tua. de his, quæ fiunt à Præl.* Gloss. *in cap. 2. de reb. Eccles. non alienan. in 6. verb. Immobilia,* Gloss. *in c. Is, cui. de elect. in 6. verb. Immobilia.* Host. *in cap. 1. de his, quæ fiunt à Præl. & in Extrauag. Ambitiosæ. de reb. Eccles. non alienan.* Bona autem, quæ seruando seruari non possunt, censentur res mobilès, quæ non durant triennio, vel vsu consumuntur, & non fructificant, *arg. legis. Lex quæ. §. vltimo, C. de administr. tut.* & *cap. Vestra. de locat.* tenent Nauarr. *tit. de alienat. rer. eccles. consil.* 4. Rebuff. *in Compend. alienat. num.* 25. Redoan. *de reb. Eccles. non alienan. quæst* 6 *num.* 29. Quarant. *vbi suprà, num.* 38. Ricc. *dicta resolut.* 59. Surd. *de aliment. tit. 8. priuil.* 45 *n. vltim.*

8. Alia bona mobilia in vsu diu permanentia, etsi tandem consumantur, eodem ferè modo sub ipsius Abbatis potestate posita sunt: quia aliquando talis alienatio vtilis, vel necessaria Monasterio esse potest: ergo opus est, vt aliquis illa alienare possit. Necessariò igitur non spectabit, nisi ad Abbatem, cui tota Monasterij bonorum administratio tradita est.

Aduertendum autem, quod ipse Abbas, non vt Dominus, sed vt administrator, & prouidus dispensator dicta bona, vel ad maiorem Dei cultum, & Ecclesiæ reuerentiam, vel ad sui Cœnobij vtilitatem alienare, & erogare potest, vt late Suar. *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 26. à num. 8. vsque ad* 18. Ratio horum omnium est: quia leges, & Canones in prohibitione alienationis rerum ecclesiasticarum videntur loqui de rebus immobilibus tantùm, non autem de mobilibus. Facit textus *in c. Nulli liceat de reb. Eccles. non alien.* vbi hæc formaliter dicuntur: *Nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, siue agrum.* vbi nihil habetur ordinatum, vel prohibitum super re mobili. Sed quod non reperitur prohibitum, regulariter intelligitur, & censetur permissum, *l. Nec non. §. Quod eis ff. Ex quib. caus. maior.* Ergo videntur res mobiles esse sub libera potestate Abbatis, qui de illis disponere possit, & in illis possit esse administrator, & arbiter, vt in rebus propriis, *l. In re mandata. C. mandat.* Host. *in c. 1. de his, quæ fiunt à Prælat.* quæ omnia procedere intelliguntur cum limitationibus supra dictis.

9. Nota, quòd res mobiles, pretiosæ, nullo modo, absque causa, & solennitatibus per Abbatem alienari possunt. Ratio est: quia res immobilis, & mobilis pretiosa æquiparantur, quoad difficultatem alienationis, *d. Lex, quæ. C. de administ. tut. l. Sancimus. C. de sacros. Eccles.* Gloss. *in cap. Tua. de his, quæ fiunt. à Præl.* Host. & Abb *in cap. Nulli num. 8. de reb. Eccles. non alien.* proptereà sine causa, & solennitatibus alienari non possunt. Abb. *in cap. Consensus de reb. Eccles. non alien.* Quarant. *d. verb. alien. rer. Eccles. num.* 24. Vbi dicit, nomine mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, intelligi vasa aurea, argentea, vestes pretiosas, quæ longè ab interitu distant, & commodè seruari possunt, gemmas, & alia huiusmodi. Sub hoc nomine mobilium pretiosorum veniunt etiam Reliquiæ Sanctorum, quæ in Ecclesiis seruantur. Ita vt non possit Abbas illas, absque Summi Pontificis assensu, concedere: Reliquiæ enim sunt res pretiosissimæ, per quas multa beneficia à Deo hominibus præstantur, vt ait Concil. Trid. *sess. 25. de inuocat. Sanctor.* Prætereà Sanctorum Reliquias furantes sacrilegi sunt, vt ait Turrecrem. *in can. Corpora. de consecrat. dist.* 1 Ita Aloys. Ricc. *in praxi fori Eccles. decis.* 63. 10.

11. Ex dictis infertur primò, bona Ecclesiæ mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, posse absque alia solennitate vendi, non solùm ab Episcopo, & ab Abbate, vt diximus; verùm etiam à quolibet alio bonorum ecclesiasticorum administrationem habente. Ita Molina *de iust. disp.* 468. *num.* 1. & Bonac. *de alien. quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 3. vbi citat etiam Panormitanum: & probat ibidem hac ratione: quia in iure prohibetur tantummodo alienatio bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt: ergo bona mobilia, & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, alienari poterunt ab Episcopo, & aliis Prælatis inferioribus, & à quolibet alio bonorum ecclesiasticorum administrationem habente. 11.

Secundò infertur, posse alienari, & vendi vinum, oleum, frumentum, oues, & alia animalia absque eo, quòd habeatur solennitas requisita in vera, & propria alienatione propter rationem supradictam: quia huiusmodi bona censentur pretiosa, quæ seruando seruari possint. Totus verò grex ouium, de quo percipiuntur redditus, & emolumenta, non potest vendi: quia videtur referri ad bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vt aduertunt Molina *loco cit disp* 468. Riccius *decis.* 63. & Lessius *loc. cit.* Sed de hac re, scilicet, de animalibus iterum redibit sermo *in 2 q.* vbi de mancipiis, iumentis, & similibus agitur. 13. 14.

Tertiò infertur, pecuniam Ecclesiæ aliis dari mutuò, aut alienari non posse ad alios effectus, præter eos, per quos pecunia fuit destinata. Exempli gratia, si pecunia seruata sit in ærario ad occurrentes necessitates Monasterij, non videtur posse alienari, & expendi, cùm sit bonum mobile valde pretiosum. Ita Redoanus *loco citato, quæst.* 16. Boëtius *loco citato, decis.* 269. 15.

Sed hoc non placet Bonacinæ *loco citato, num.* 5. *vers.*

vers. Sed hoc mihi. vbi ait, quòd vniuersaliter, & indefinitè loquendo, hoc non videtur probabile. Ratio est: quia licèt pecunia sit res pretiosa; nihilominùs non traditur, vt seruetur; sed vt impendatur: alioquin beneficiarius alienare non posset pecuniam, quàm ex redditibus sui beneficij recepit: tum, quia pecunia accepta in venditione rei mobilis pretiosæ, quæ seruando seruari poterat, aut pecunia rei immobilis accepta, non ad aliam similem rem emendam; sed ad vsus quotidianos, non appellatur res pretiosa iuxta modum loquendi communem: & sic pecunia, generaliter, & indefinitè loquendo, non venit nomine rei pretiosæ, quæ seruando seruari potest, alioquin omnis summa pecuniæ, & quotiescunque accipitur ex fructibus Monasteriorum magna quantitas eiusdem pecuniæ, & reponitur in ærario, vt conseruetur pro futuris necessitatibus Monasterij, non posset expendi.

16. Quartò infertur, pecuniam fructuosam positam in manibus, siue censibus, alienari non posse: quia est bonum immobile, & pro bono immobili habetur, sicut affirmant Iason, Ripa, & Alexander *in l. 1. §. Quæsitum. ff. ad Trebellianicam.*

17. Quintò infertur, pecuniam, quæ pro dote Monialis concedi solet, similiter non posse alienari, cùm reputetur inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt. Ita Bonacina *loc. cit. vers. Secundò. de dote.* vbi fatetur de communi: poterit tamen huiusmodi pecunia absque assensu apostolico insumi in emendis agris, aut in emenda, vel construenda domo necessaria. Ratio est: quia huiusmodi pecunia solùm seruari debet, donec ad vsum, ad quem fuit deputata, impendatur. Et ita obtinuit vsus iam ab omnibus receptus. Ita Bonacina *loco. cit. n. 5.*

PROHIBITIO ALIENANDI bona ecclesiastica, aut illa vltra triennium locandi.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

☞ Ambitiosæ cupiditati illorum precipuè, qui diuinis, & humanis affectatis, damnatione postposita, immobilia, & pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ Monasteria, & pia loca reguntur, illustrantúrque, & eorum Ministri sibi alimoniam vendicant, profanis vsibus applicare, aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumunt, occurrere cupientes; omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnéque pactum, per quòd ipsorum concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc cum Ecclesiarum euidenti vtilitate, ac de fructibus, & bonis, quæ seruando seruari non possunt pro instantis temporis exigentia, hac perpetuò valitura constitutione fieri prohibemus. Prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis super hoc editis, quæ tenore præsentium innouamus, in suo nihilominùs robore permansuris, si quis contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omninò sit roboris, vel momenti, & tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat: alienanti verò bona Ecclesiarum Monasteriorum, locorúmque piorum quorumlibet, inconsulto Romano Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus Ecclesiæ, vt penitùs interdictus, & si per sex menses immediatè sequentes sub interdicto huiusmodi, animo, quod absit, perseuerauerit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterij, cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores verò Prælati Commendatarij, & alij Ecclesiarum Rectores Beneficiati, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, præpositurις, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque ecclesiasticis cum cura, & sine, sæcularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienarunt duntaxat, ipso facto priuati existant, illáque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis, quæ propterea priuatæ fuerint,) liberè de iure conferri, nisi aliàs dispositioni apostolicæ Sedis sint specialiter, aut generaliter reseruata; & nihilominùs alienatæ res, & bona huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem huiusmodi pertinebant, liberè reuertantur. Nulli, &c.

Dat. Romæ apud S. Marcum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimoseptimo, Cal. Martij, Pontificatus nostri anno quarto.

Sequitur Constitutio Pauli Papæ IV. super eadem materia.

RESCISSIO ALIENATIONVM, & locationum quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum, in damnum Ecclesiarum, vel non seruatis iuris solemnitatibus, aut aliàs nulliter factarum.

PAVLVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iniunctum nobis desuper, meritis licèt imparibus, apostolicæ seruitutis officium mentem nostram continua pulsat instantia, vt bona ecclesiastica, quæ cæca hominum cupiditate occupata detinentur, nostræ operationis ministerio ad ius, & proprietatem eorum, quorum anteà erant, omninò reducantur. ☜ Cùm itaque (sicut nobis innotuit) licèt aliàs fel. rec. Symmachus Papa, prædecessor noster, prædium Ecclesiæ pro aliqua necessitate quouis modo alienari, aut iura Ecclesiæ in vsumfructum dari prohibuerit, & lege huiusmodi omnes custodes astringi, ac donatorem, ac censuatorem, & venditorem honorem perdere, & qui præmissis subscriberet, anathema esse cum eo, qui daret, siue reciperet, nisi restituerentur, & quaslibet ecclesiasticas personas contradicere, & cum fructibus alienata reposcere posse, hócque non solùm in Ecclesia Romana conseruari; verùm etiam in vniuersis

nersis per Prouincias Ecclesiis conuenire voluerit. Et piæ memoriæ Paulus Papa II. etiam prædecessor noster omnium rerum & bonorum ecclesiasticorum alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transferretur, ac concessionem, hypothecam, locationem,& conductionem, vltra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum,præterquam in casibus à iure permissis, ac de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, fieri prohibuerit. Et si quis contra huius posterioris prohibitionis seriem de bonis, & rebus eisdem quicquam alienare præsumeret, alienatio, & hypotheca, concessio, locatio, conductio,infeudatio huiusmodi nullius omnino essent roboris, vel momenti; & tam qui alienaret, quàm qui alienatas res,& bona reciperet, sententiam excommunicationis incurreret; & nihilominus res, & bona alienata huiusmodi, ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ antea pertinebant, liberè reuerterentur. Nihilominus à nonnullis annis citra diuersæ personæ, tam sæculares, quàm ecclesiasticæ complura castra, terras,oppida, ciuitates, & loca,tam Romanæ prædictæ, quàm diuersarum cathedralium,etiam metropolitanarum, & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Domorum, & aliorum regularium locorum, & Hospitalium, ac aliorum piorum locorum, prætextu diuersarum alienationum, eis de castris, terris,oppidis, ciuitatibus,& locis prædictis, in eiusdem damnum Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Hospitalium, & aliorum Regularium, & piorum locorum,seu aliàs non seruatis solennitatibus à iure requisitis factarum occupauerint, & occupata detinuerint, & detineant de præsenti,ac exinde factum sit, vt non solùm Ecclesiarum, Monasteriorum, & Domorum Prælati, ac Hospitalium, & aliorum regularium, piorum locorum huiusmodi Rectores,qui ex fructibus,redditibus, & prouentibus castrorum, terrarum,oppidorum,ciuitatum, & locorum huiusmodi Ecclesias, Monasteria, & Domos, Hospitalia,& alia loca prædicta gubernabant, & illustrabant, ac eorum Ministris alimoniam præbebant, notabiliter sint damnificati; verùm etiam Rom. Pont. qui antea egenis, & miserabilibus personis, præsertim nobilibus ad hanc Almam Vrbem pro tempore confugientibus alimenta aliunde subministrare consueuerat, vix se,& familiam suam sustentare, nedum aliis alimenta subministrare possit in diuinæ Maiestatis offensam, & ordinis clericalis opprobrium, ac plurimorum Christi fidelium scandalum. Nos præmissa conniuentibus oculis pertransire nequeuntes, quinimò cupientes eis, quantùm cum Deo possumus, opportunum remedium adhibere. Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine omnes & singulas alienationes, & in emphyteusim, seu censum perpetuum, aut tertiam, vel aliam generationem, seo hominis vitam, aut aliud tempus vltra triennium locationes, vel concessiones, seu permutationes, hypothecas, & obligationes, de quibusuis castris,terris, oppidis,ciuitatibus, & locis, aut aliis bonis immobilibus, seu rebus, & iuribus, tam spiritualibus, quàm temporalibus eiusdem Romanæ, & quarumcunque Cathedralium, etiam metropolitan. & aliarum Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, Domorum,& aliorum regularium locorum, & quorumuis beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, & sine cura sæcularium, & quorumuis Ordinum regularium, necnon Hospitalium,& aliorum piorum locorum quorumlibet, per quoscunque etiam Rom. Pont. prædecessores nostros,seu eorum authoritate, vel mandato Camerarios suos, & Clericos Cameræ apostolicæ Præsidentes, ac quosuis Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, Prælatos, beneficiatos,necnon Hospitalium, & aliorum Regularium,& piorum locorum Rectores,cuiuscunque dignitatis,status,gradus,ordinis, & conditionis existentes, etiamsi Cardinalatus honore polleant, in damnum Ecclesiæ, seu non seruatis solennitatibus à iure requisitis,aut aliàs nulliter hactenus factas,& contractus super inde sub quibusuis formis,& verborum expressionibus habitos,& celebratos, etiamsi iuramento vallati existant, & quantumuis longa temporis præscriptione robur sumpsisse dici possint, ac ipsius Romanæ Ecclesiæ fauorem, aut commodum concernant, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus pro expressis habentes, apostolica authoritate,tenore præsentium rescindimus, irritamus, cassamus,& annullamus,ac viribus omnino euacuamus, ac pro rescissis,irritis, cassis, & nullis, ac penitus infectis haberi volumus. Ipsósque detentores ad castra,terras, oppida, ciuitates, & loca occupata, ac bona, res, & iura prædicta Romanæ,& Cathedralibus etiam metropolitanis, ac aliis Ecclesiis, necnon Monasteriis, Domibus, Hospitalibus,& beneficiis, ac regularibus, & piis locis relaxandum,& de fructibus, tam hactenus perceptis,quàm in posterum percipiendis realiter satisfaciendum teneri, & ad id etiam sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis, ac etiam pecuniariis, omnibúsque aliis opportunis, iuris, & facti remediis cogi, & compelli posse. Sicque in præmissis omnibus, & singulis, per quoscunque Iudices, & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam causarum Palatij apostolici Auditores,& ipsius Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac eorum Collegium in quauis causa, & instantia sublata eis,& eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi authoritate,& facultate iudicari, & definiri debere,ac si secus super his à quoquam quauis authoritate, scienter,vel ignoranter contigerit attentari irritum,& inane decernimus.Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo,&c.Si quis,&c.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum anno Incarnationis Dominicæ 1555.Pridie Idus Iulij.

Pontificatus nostri anno primo.

QVÆSITVM II.

Vtrùm Abbas poßit bona immobilia ecclesiastica alienare.

SVMMARIVM.

1 *Abbati, & Ecclesiæ Prælato iure ciuili,canonico, & naturali diuino prohibita est alienatio bonorum ecclesiasticorum.*

2 *Bonorum immobilium nomine, quæ veniant.*

3 *Res se se mouentes an veniant sub nomine bonorum immobilium.*

4 *Animalia ad culturam bonorum Monasterij deputata non possunt absque solennitatibus alienari.*

5 *Serui fugitiui an possint absque solennitatibus alienari.*

6 *Abbates Commendatarij non possunt absque solennitatibus bona immobilia Monasterij absque Superioris authoritate alienare: & quid de Commendatariis Equitibus, n. 7.*

8 *Abbates, & Prælati an validè possint repudiare legatum, aut hæreditatem Monasterio, vel Ecclesiæ relictam.*

9 *Abbas, seu Prælatus, an possit res Monasterij oppignorari, aut hypothecari, absque hoc, quod dicatur alienare.*

10 *Abbas*

10 *Abbas an possit absque solennitatibus alienare annuum [illegible] um, vel annuos redditus.*

11 *Abbas, seu alius Prælatus, quomodo possit absque assensu apostolico rem pretiosam alteri ad beneplacitum concedere.*

12 *Abbas, seu Prælatus an possit cedere liti pro suo Monasterio absque licentia Episcopi, vel Summi Pontificis.*

13 *Abbas, seu etiam Episcopus absque Summi Pontificis consensu non possunt alienare particulas Reliquiarum insignium; & alienantes an incurrant excommunicationem latam in Extrauag. Paul. 2. num. 14.*

15 *Alienationis ad promissionem non requiritur assensus apostolicus.*

16 *Abbas an possit alienare lampades argenteas, & similia.*

17 *Assensus apostolici solennitas requiritur in retrouenditione rei empta ab Ecclesia, etiam cum pacto retrouendendi.*

18 *Bona acquisita Ecclesiæ de nouo, an possint absque assensu apostolico alienari.*

19 *Alienatio ab vna Ecclesia ad aliam an possit fieri absque dicta solennitate.*

20 *Alienatio bonorum, quorum dominium est ab Ecclesia acquisitum licet antea dicta bona essent alij obligata, an inualida sit.*

21 *Alienari an possint res steriles absque dicta solennitate.*

22 *Alienare an possit Prælatus sine solennitatibus res. & bona Ecclesiæ, quæ iniustè detinet.*

Circa hanc quæstionem non videtur satis immorandum, Abbates enim, & reliquos Ecclesiæ Prælatos bona immobilia suorum Cœnobiorum, & Ecclesiarum alienare non posse, certum est, non solùm de
1. Iure ciuili, vt *in Auth. de nō alien. aut permut. reb. Eccles.* Item *in Anth. de Eccles. rer. immob. alien.* & *in Anth. de alien. & emphyt.* & *C. de reb. Eccl. non alien.* & *in l. Iubemus.* & *in Auth. Ob ius porrectum. C. de sacros. Eccl.* Et licèt leges Principis sæcularis non ligent circa res ecclesiasticas; nihilominùs ligant simul, & obligant, quatenus recipiuntur ab Ecclesia, & confirmantur iure canonico. In iure autem canonico antiquo, & nouo prohibetur bona immobilia Ecclesiæ alienari, vt habetur ex constit. 1 Leonis. 1. quæ incipit: *Occasio* 11. Calend. Nouembris, 417. apud Laërt. Cherub. *tom. 1. Bull. pag.* 1. & ex constitut. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosa* Calend. Martij, 1467. habetur etiam ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 11.* & ex Bulla Pauli IV. quæ incipit: *Iniuncti nos*, prid. Idus Iulij, 1555. quas *in fine huius quæstio* ad exactam huius materiæ intelligentiam apponemus, cum nouissimo Decreto S. Congreg. Eminentiss. Card. Concil. Trid. Interpretum, iussu Sanctissimi D.N. Vrbani VIII. edito. Imò alienatio bonorum Ecclesiæ vetita est iure naturali diuino, annexo iuramento, si sermo esset de Summo Pontifice, & de Cardinalibus respectu bonorum Sedis apostolicæ, & de Episcopis, Abbatibus aliisque Prælatis inferioribus respectu bonorum suarum Ecclesiarum: iuramentum enim inducit obligationem iuris naturalis, & diuini & vniuersaliter omnibus prohibita est alienatio bonorum Ecclesiæ, vt habetur ex veteris Testamenti ordinatione *Leuit. cap.* 25. vbi Deus rerum suarum, & suæ Ecclesiæ alienationem fieri prohibet, ibi: *Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est.*

Ratio autem ea videtur esse: quia talia bona sunt, quasi fundamenta Monasterij, ex quibus subministrantur, quæ ad vsum, & conseruationem corporum pertinent, sine quibus non possent spiritualia subsistere, Vnde non possunt ita alienare, vt Monasterium illis omnino priuent, absque æquali, vel meliori compensatione, quæ sit ut eiusdem [illegible] ipsius vtilitatem: aliter enim Abbas non diceretur administrator, sed dissipator bonorum suæ Ecclesiæ. Sed, cum aliquando hanc alienationem fieri in ipsius Monasterij vtilitatem contingat, quomodo sit facienda, ad hoc, vt sit legitima, *in sequenti quæsito* videbimus.

Notandum quod nomine bonorum immobilium, non solùm comprehenduntur res corporeæ, fixæ, & immobiles, sed veniunt etiam iura, actiones, annui redditus, nomina debitorum, & huiusmodi, quæ non possunt alienari, absque solennitate, & causa legitima. 2.
Abb. *in cap. Nulli de reb. Eccl. non alien Clem. Exiui de Paradiso. § Cùmque annui redditus. de verb signif.* Rebuff. *in Compend de alien. rer. Eccles. c. 23. q. 16. & 51. n. 54* Tiraq *de retract. lignag. 4. gloss. 6. num.* 4. Menoch. *de recuperand possess. rem. 1. n. 45.* Aloys. Ricc. *in collect. decis. par. 3. collect. 668. & in praxi for. Eccles. decis. 44. in 1. edit.* & *resol. 41. n. 2. in 2. edit.* Garc. *de benefic. par. 2. c. 5. n. 95* Menoch. *cons. 300. n. 41.* & *de præsumpt. lib. 4. q. 142. a n. 16.* Quarant. *in Summa Bullar. verb. Alienatio, rer. Eccles. n. 26.* qui cum Ricccio *d. decis. 44 alias resol.* 40. resoluit, non posse alienari sine causa, & solennitatibus.

Res autem sese mouentes, vt sunt aliquæ oues, boues & similia, bene potest Abbas, absque causa, & solennitatibus alienare: nec veniunt comprehensa in prohibitione alienationis rerum Ecclesiæ, per Host. *in cap. 1. Ne Prælati vices suas*, &c. Sequitur Albet. *in Anth. Hoc ius C. de sacros. Eccles.* vbi dicit, quòd, quia talium alienatio non reperitur prohibita, censetur regulariter concessa, per tex. *in l. Necnon. §. Quod eu. ff. Ex quib. caus. maior. offic.* 3.

Integrum autem gregem ouium, aut similium rerū sese mouentium, quæ fructiferæ sunt, non posset Abbas, sine solennitatibus requisitis alienare: quia hæc censentur mobilia pretiosa, & immobilibus bonis cōmuni æstimatione æquiparantur. Ita Suar. *de Relig tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 27. n. 18.* Animalia ad opus, & culturam Monasterij deputata alienari non possunt absque solennitatibus: quia, licèt singula ex ipsis non sint mobilia pretiosa, tamen vt coniuncta prædio, & ad eius culturam deputata, veluti quid immobile dici possunt, & partes prædiorum, & consequenter intra bona immobilia computantur. *arg. vltim. C. de administr. tut* Bellam. *in c. Abbatibus 3. col. vers. Expone 12. q. 2.* Suar. *d. c. 27. num. 19.* Secus si non sint affixa prædiis, & tanquam illorum partes, sed libere ibi sint posita: hæc enim non censentur bona immobilia, neque mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, saltem in specie & hoc prædiorum necessitas exigit. Panorm. *in cap. Nulli de reb. eccl. alienand.* Sopran. *apud Fillius. tract. 44. c. 4. q. 2. n. 27.* Molin. *de iust. disp.* 461. Bonac. *tract. de alien. q. vnic. p. 2. n. 4. vers. Addo manuscripta.* Item copiosa bibliotheca Monasterio competens censetur mobile pretiosum; & ideo non potest sine solennitatibus alienari. Suar. *d. cap. 27. n. 18.* 4.

Serui fugitiui quando soliti sunt fugere, & reuocari non possunt, absque fugæ timore, retineri, alienari possunt, & vendi ab Abbate: quia ione vendendo prospicit meliuta: textus *in cap. Fugitiui. 12. q. 2.* prout declarat Archidiacon *in cap. Sine exceptione. 12. q. 2.* Reb. *in compend. alien. rer. eccles. vers. Sin [illegible]* Redoan. *de reb. Eccles. non alien. and. q. [illegible] o. per totam*, & Porcellus *in dubiis regul verbo, alienatio, in Addit. n. 3* 5.

Hæc omnia multò fortiùs procedunt in Abbatibus Commendatariis: ipsi enim nequeunt bona Monasteriorum sibi commendatorum, sine authoritate Superioris alienare in præiudicium successorum: præsertim, quia Summus Pontifex Monasteria commendando 6.

prohi-

prohibet Commendatariis bona Commẽdatum quomodolibet alienari, quæ prohibitio absque dubio excludit omnem facultatem Commẽdatarij alienantis, ita vt alienatio ab eo facta, saltem authoritate propria, omninò irrita, ac nulla censenda sit. Ita Ricc *decis.* 79. vbi adducit quandam Rotæ decisionem. Vide Panormit. *in c. Conti[illegible]ebatur. n.* 7. *de his, quæ fiunt à Prælatis.* Villalobos 2. *part. Sum. tract.* 25. *diff.* 3. *n.* 6.

7. Nec licet dictis Commendatariis, etiam Ordinum militarium, donare redditus suarum Commendarum concubinis. Et ita de facto iudicatũ fuisse refert Hier. Rodriq. *in compend. qq. reg. resol.* 7. *n.* 13. adeò vt talis donatio etiam iuramẽto firmata sit nulla, vt docet Palatius Rub. *in rubr. de donat. inter. virũ, & vxorẽ.* §. 39. *n.* 1. *& seqq.* Cou. *in cap. Quamuis pactum.* 2. *p.* §. 1. *n.* 4. *ad fin.* Ant. Gomez *in l.* 2. *Tauri, n.* 65. Gutier. *de iur. confirm.* 1. *part. c.* 1. *à n.* 13. Similiter Equites S. Ioannis Hierosolymitani non possunt alienare suas Cummẽdas absque assensu Sedis apostolicæ: quia censentur bona ecclesiastica, vt affirmant Cou. 2. *variar. c.* 16. *n.* 3. Bonac. *tract. de alien. q. vnica, p.* 2. *n.* 13 Ricc. *in dec.* 76 vbi alios Doctores pro hac re citat, & sequitur.

Ex dictis oriuntur aliquæ difficultates circa prædicta bona, & iura & pretiosa Monasteriorum, & Ecclesiarum non alienanda, quæ breuiter hic resoluendæ sunt.

8. Prima, an Abbates, & prælati possint repudiare validè legatum, siue hæreditatem, Monasterio, aut Ecclesiæ relictam. Lessius *lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 24. *dub.* 11. *num.* 65. dicit, valdè probabilem esse partem affirmatiuam, posse Prælatum repudiare hæreditatem absque debita solennitate: quia talis repudiatio, seu renunciatio non est alienatio rei Ecclesiæ: illa enim res non pertinet ad Ecclesiam ante Prælati acceptationem. Vnde, si Abbas non potest res Ecclesiæ alienare, absque dicta solennitate, & forma iuris, in tali tamen repudiatione non videtur talis forma obseruanda.

Opposita sententia affirmat, talem repudiationem non valere, quamuis Ecclesia nondum acquisierit dominium, nec habeat ius in re: acquisiuit tamen ius ad rem, cui iuri Abbas cedere non potest in Ecclesiæ dãnum, illam priuando tali iure. Panormit. *in cap. Tua. de his, quæ fiunt à Prælatis.* putat rem hãc satis dubiã, & ancipitem. Villalobos *in Sũma,* 2. *part. tract.* 25. *n.* 7. adhæret priori sententiæ, tanquam probabiliori; posteriorem tamen sententiam dicit esse satis probabilem, cui sententiæ subscribit Hieronymus Rodriq. *in Compend. qq. regul. resol.* 7 *n.* 21.

Post hæc scripta pro prima sententia inueni alios Doctores, scilicet, Sanch. *de matrimonio, lib.* 6. *disp.* 4. Syluestrum *verbo, Alienatio, q.* 19. Armillam *eod. verb. n* 17. Bonacinam *tract. de alienat. q. vnic. punct.* 2. *n* 33. *vers. Sed mihi probabilior.*

Pro secunda verò sententia reperi Molinam *de iust. q* 468 Lambertinum *de iurepatr. lib.* 3. *q.* 9. *art.* 1. *n.* 31. Quarant. *in Summ. Bull. verb. Alienatio, n* 23. Soprapnum *de alienat. c.* 4. *n.* 34. qui omnes constanter affirmant, Abbatem non posse repudiare legatum Ecclesiæ relictum absque prædicta solennitate: cui sententiæ, etsi probabilem primam censeam, nihilominus, vt probabiliori adhæreo, affirmando insuper Prælatum peccare contra iustitiam, repudiando, & non acquirendo; & agere contra proprium officium, quo tenetur vtilitatibus propriæ Ecclesiæ, & Monasterio consulere. Aduertendum tamen est, quòd in casu [illegible]equuto huius repudiationis adhuc Monasterium, & Ecclesia possunt implorare beneficium restitutionis in integrum, quòd illis conceditur, quando negligentia Prælati, vel nimia facilitate læduntur non solum damno accepto; sed etiam lucro amisso, ex Gloss. *in cap. Auditis. verb. restitutionis, de in integr. restit.* [illegible] etiam docet [illegible] Rodriq. *in Compend. qq. re[illegible] resol.* [illegible] *n.* 22 [illegible]

Dubitatur secundò, an ab Abbate, seu Prælato [illegible] superiori possint res Monasterij, & suæ Ecclesiæ [illegible]gnorari, seu hypothecari, ita vt tunc dicatur alienare iura suæ Ecclesiæ. Respondeo, non posse tales à Superiori oppignorari, neque hypothecari: atque ita elicitur ex Bulla Pauli II. vbi habetur, verbum illud *[illegible]theca:* & licèt nomine alienationis propriè significetur actus, quo dominium directum transfertur: nihilominùs venit etiam nomine alienationis actus, quo dominium vtile transfertur, & similiter actus, quo res traditur in pignus, vel hypothecam. Ita affirmãt Quaranta *in Summ Bullary. verbo, alienatio, n.* 16. Molina *de iust loc. cit. num.* 6 Rodriq. *qq. regul tom.* 1. *q.* 7. *art.* 1. Couar. 2. *variar. c.* 16, *n.* 7. licèt hoc non admittat ex generali hypotheca. Contra quam sententiam disputant Lessius *de iust. & iur. lib.* 2. *c.* 24. *dub.* 11. *num.* 61. & Portellus *in dub. regul. verbo, Alienatio, in addit.* [illegible] 4. Sed immeritò propter rationes adductas. 9.

Dubitatur tertiò, an Superior possit absque prædicta solennitate alienare annuum censum, annuos reditus, & similia. Respondeo, non posse: quia vel sunt bona mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, vel possunt reduci ad bona immobilia. Ita affirmant Vasquez, Panormitanus, & alij, quos refert, & sequitur Quaranta *loco. cit. num.* 26. Idem affirmat Riccius *decis.* 44. 10.

Dubitatur quartò, an Prælati possint absque assensu apostolico rem pretiosam alteri ad beneplacitum concedere. Respondeo distinguendo, si concedatur solus vsus ad breue tempus; ita tamen, vt nullum vtile dominium, vel directum transferatur in alterum, posse absque assensu apostolico alteri conced[illegible] si transferatur ius in re: quia tunc esset manifesta alienatio, vt fatetur Ricc. *decis.* 74. vbi asserit de co[illegible] 11.

Dubitatur quintò, an Prælati sine consensu Episcopi, vel Summi Pontificis possint cedere liti. Respondeo negatiuè: quia cedere liti est species alienationis, cùm sit cessio iuris. Ita affirmant Armilla *verbo, Alienatio, n* 16. & alij apud Quarantam *n.* 22. 12.

Dubitatur sextò, an possint Prælati, vel Episco[illegible] ne consensu Summi Pontificis alienare particul[illegible] Reliquiarum insignium, aut in muro clausarum. Respondent Aloysius Riccius *decis.* 63. *num* 6. & Bonac. *loco cit. num.* 31. negatiuè: quia sunt res mobiles pretiosæ, quæ seruando seruari possunt. Tum, quia talis est stylus Curiæ Romanæ, qui facit legem, vt ait Bonac. *loco cit.* Quo loco non mihi satisfacit in subsequentibus verbis post prædictam sententiam, dum ait, hoc intelligendum putare, modò non adsit alicubi consuetudo in contrarium, cùm & ego putem, non posse introduci talem consuetudinem in re tam[illegible] momenti, maximè cùm sermo sit de Reliquiis in[illegible]bus, aliàs fatendum esset, posse introduci con[illegible]tudinem alienandi prædia, & omnes alias res [illegible] ecclesiasticas. Hinc patet à fortiori, sine [illegible] su apostolico extrahi non posse Re[illegible], & al[illegible]di, quæ reperiuntur in perpetua ep[illegible], vel l[illegible]co decenti, vt nunquam ab illo extrahantur, sicut affi[illegible] Syluester *verb Reliquiæ,* & Armilla *verb. Re*[illegible] 10, quos citat, & sequitur R[illegible] 13.

Si dicas, [illegible] inconsulto Summo Pontifice prædictas R[illegible], an incurrant e[illegible] nem latam *in supradicta E[illegible]uagant. A[illegible]*, &c. Respondet Bonacina *loco [illegible], numero* [illegible] probabile esse, non puniri alienantes excom[illegible] ne lata *in d. Extrauagant.*, in qua [illegible] de bonis temporalibus, prædio [illegible] quibus reguntur, & [illegible]strantur Ecclesiæ, & loca p[illegible], & [illegible]bus Ministri aluntur. 14

Sed

Sed fallitur Bonacina: quia communi Doctorum consensu *in supradicta Extrauag. Ambitiosæ.* comminetur res pretiosæ ecclesiasticæ cuiuscunq. generis sint.

15. Dubitatur septimò, an ad promissionem alienationis, siue alienandi, requiratur cõsensus Summi Pontificis. Respondeo negatiuè: quia promissio alienandi non est alienatio ipsa, sed actus præuisus ad alienationem. Idem dico de consentiente in alienationem. Ratio est: quia censura lata contra facientes non ligat consentientes nisi exprimatur. Ita affirmant Ricc. *decis.* 65. & alij doctores, quos ipse refert, & sequitur.

16. Dubitatur octauò, an possint Abbates lampades argenteas, & alia similia alienare. Respondeo, non posse, seclusa consuetudine in contrarium, vt earum pretium conuertatur in fabricam necessariam Ecclesiæ, vel in alium vsum. Ratio est: quia, sicut est prohibitus contractus, per quem dominium directum, vel vtile transfertur, etiam inter Ecclesias: ita à fortiori erit inualida alienatio dictarum lampadarum, & similium: quia illarum dominium transfertur in extraneum. Sic docent Redoanus *loco cit. q.* 13. *n.* 8. Quaranta *verb. Alienatio, n.* 24. Idem dicendum est, cum Hieronymo Rodriq. *in compend. qq. regul. resol.* 7. *n.* 19. de vasis aureis, gemmis, ornamentis pretiosis Ecclesiarum, taperibus, & similibus ornamentis pretiosis, & aliis rebus, quæ triennio non corrumpuntur.

17. Dubitatur nonò, an requiratur prædicta solennitas in retrouenditione rei emptæ ab Ecclesia, cum pacto retrouendendi. Respondeo requiri: quia retrouenditio est quædam alienatio, cùm per ipsam transferatur dominium, vt dicunt Menochius *tom.* 1. *cons.* 13. *n.* 6. & Riccius *decis.* 52. & alij, quos refert, & sequitur: quamuis etiam contrarium non videatur improbabile, cùm retrouenditio non videatur contractus à primo distinctus; sed potiùs recissio superioris contractus. Ita Redoanus *loco cit. q.* 66. *num.* 9.

18. Dubitatur decimò, an bona acquisita Ecclesiæ, vel Monasterio de nouo possint absque assẽsu Sedis apostolicæ alienari de nouo à Prælato? Respondent Riccius *decis.* 101. & Bonacina *loco cit. num.* 17. & alij apud eundem, nisi Monasterium gaudeat aliquo priuilegio, quo possit acquisita de nouo alienare, qui Doctores, vt puto, non loquuntur de his, quæ sunt solita locari, vel mediante contractu emphyteutico, & consimili ad Monasterium redeunt: talia enim bona retinent suam naturam: vnde, si sint ab antiquo solita locari ad lineam, vel ad vnam, seu plures vitas, vt quotidie practicatur, absque noua alia solennitate possunt respectiuè alienari, modò ea, seu bona non sint Monasterio incorporata.

19. Dubitatur vndecimò, an possit fieri alienatio ab vna Ecclesia ad aliam absque dicta solennitate. Riccius *decis.* 38. existimat, non esse necessarium assensum apostolicum. Bonacina verò *loco cit. n.* 14 contrarium affirmat. Sententia Riccij mihi probabilior est, maximè si loquamur de Ecclesiis, sicut necessariò loqui debemus eidem Prælato subiectis, & maxime inter Regulares: quia, cùm omnes Religiones in Congregationem redactæ sint, non videtur translatum dominium, si res vnius Monasterij transferatur ad aliud Monasterium eiusdem Congregationis.

20. Dubitatur duodecimò, an inualida sit alienatio bonorum, quorum dominium est ab Ecclesia acquisitum, licèt dicta bona essent anteà aliis obligata. Respondeo affirmatiuè, si totaliter Ecclesiæ incorporentur. Ita Quaranta *loco cit. num.* 36. & Bonacina *loco cit. n.* 9. *vers. Præterea patet.*

1. Dubitatur terriodecimò, an possit fieri alienatio rei sterilis, ex qua plus damni, quam vtilitatis percipitur sine dicta solennitate. Respondent Quaranta *loco citato, num.* 37 & Sopranus *cap.* 4. *quæst.* 5. inualidam esse: nam alienatio rei immobilis est, quæ comprehenditur *in dicta Extrauaganti, Ambitiosæ. de reb. Eccl. non alienan.*

Dubitatur decimoquartò, an Prælatus possit sine solennitatibus alienare aliquas res, & bona Ecclesiæ, quæ iniustè detinet, & possidet. Respondeo posse: quia hæc nõ est alienatio, cùm Ecclesia nullum in ipsa bona ius habeat, ac per consequens nullum transfertur dominium. 22.

QVÆSITVM. III.

Vtrùm Abbates, & Prælati, tam Regulares, quam sæculares possint arbores Monasteriorum, & Ecclesiarum suarum, absque Conuentus, & Capituli consensu incidere.

SVMMARIVM.

1 *Arbores locorum suarum Ecclesiarum an, & quando possint Prælati incidere.*

2 *Arbores opacas, & nimis densas possunt Prælati incidere, ac alienare, absque solennitatibus, & quando.*

3 *Arbores infructiferas, & vmbratiles incidere possunt Prælati, ac earum locis fructiferas substituere.*

4 *Arbores fructiferas veteres, vt earum locis reponantur nouæ eiusdem, vel similis qualitatis, possunt Prælati incidere.*

5 *Arbores fructiferas, sed in parua qualitate, & paruæ æstimationis, an possint incidere Prælati.*

6 *Arbores fructuosas, seu etiam infrugiferas in magna quantitate nequeunt Prælati, absque solennitatibus incidere.*

7 *Arbores caduas possunt Prælati absque solennitatibus incidi facere, ac cæsas alienare.*

VT huius quæsiti materia clariùs elucescat, præmittendum est, pluribus modis posse Abbates, & prælatos, arbores locorum suarum Ecclesiarum incidere. Primò, cùm opacæ, & nimis densæ sunt, atque inter se vicinæ. Secundò, cùm infructuosæ sunt, & vmbratiles, & earum locis reponuntur arbores fructiferæ. Tertiò, cùm inciduntur arbores fructiferæ quidem, sed veteres, vt earum locis reponantur nouæ eiusdem, vel similis qualitatis. Quartò, cùm inciduntur arbores fructiferæ; sed respectu loci in parua quantitate, & paruæ æstimationis. Quintò, cùm inciduntur arbores fructiferæ, & infructiferæ in magna quantitate. Sextò, cùm inciduntur arbores nemoreæ, seu cæduæ, relictis radicibus, vt iterum crescant, & renouentur. 1.

Circa primum modum dicendum est, integrum esse prælatis, Capituli, seu Conuentus consensu minimè requisito, arbores locorum suorum Monasteriorum, vel Ecclesiarum incidi facere, quando vmbram summam efficiunt, ac nimia densitate nocent, atque impedimento sunt, ne aliæ arbores prædij vberiorem fructum reddant: & hoc casu Abbates, & Prælati huiusmodi non solùm non peccant; verùm etiam potiùs merentur. Atque sic docent Nauarrus *libro* 3. *consil. tit. de rebus Eccles. alienan. consil.* 6. *num.* 2. Rodericus *quæstione regular. tomo* 1. *quæst.* 27. *art.* 1. Quaranta *in Summo Bullar. verbo Alienatio, num.* 33. Aloysius Riccius *in praxi rerum fori eccles. decis.* 53. *num. vlt.* D. Martinus Bonacina *in tractatu de alien. bonor. Eccl. disp.* 2. *quæst. vnic. punct.* 2. *num.* 8. *casu primo*, Laurentius de Peirin. *tomo* 1. *priuileg. sui Ord. Minim. in annot.* 2.

ad Constit. 9. Iulij II. num. 18. Imo neque in hoc apostolicæ Sedis assensus requiri debet, vt docent Nauat. Roderic. Ricc. & alij *locis citatis.* Quòd si potest licitè huiusmodi arbores incidere; poterit etiam per consequens eas cæsas vendere absque prædictis consensu, & solemnitatibus: quia sunt res mobiles, & quæ seruando seruari non possunt. Ita docet Nauar. *d. consilio 6. in fine.*

3. Quoad secundum casum, si Prælatus id recta cum intentione agat, & nemus sit paruum, aut mediocre, & non seruerut ad amœnitatem, & fiant ea, quæ ad illud fructiferum reddendum secundùm agriculturæ leges sunt necessaria, posset tunc Capituli, seu Conuentus consensu minimè requisito, id facere: huiusmodi enim incisio ad vtilitatem, non ad detrimentum Ecclesiæ cederet: nam inde illius redditus augerentur; & sic eius conditio melior redderetur, vt patet. Ita Nauar. Rodriq. Laurent. de Peirin *locis citat.* & alij, licèt contrarium sentiat Filliuc. *moral. quæst. tom. 3. tract. 44 cap. 4. num.* 17.

4. Tertio casu idem dicendum est, quod in supradictis, videlicet, posse Prælatum huiusmodi arbores vetustas, ac corruptas incidi facere, atque earum locis alias nouas, & magis vtiles substituere, vtilem enim rem Ecclesiæ facit. Ita Angel. *in l. Si colonus. ff. arb. furt. cæs.* & alij apud Tiraquell. *de retract. conuent. § 3. gloss. 1. n. 25.* Bald. *in Auth. Qui rem. n. 15. C. de sacros. Eccles.* & *cons. 191. vol. 2.* Guilelm. Redoan. *in tract. de reb. Eccles. non alien. q. 78. cap. 7. num. 13.* Aloys Ricc. *d. decis. 53. n. 4.* Quarant. *loco cit.* Laurent. de Peirin. *loco cit. n. 20.* Martin. Bonac. *loco cit.* Rot. *in vna Melitensi beneficij,* 23. Maij, 1614 coram Andrea apud Farinac. *p. 2. decis. tom. 2. decis. 553. n. 2.*

5. Quarto casu, si Abbas, vel alius Prælatus vnam, vel duas arbores fructiferas incidi faceret in prædio, in quo plures aliæ huiusmodi arbores extarent: non exinde putandus esset incidisse in pœnas contra malè alienantes: materiæ etenim paruitate excusaretur: nam de minimis non curat Prætor. *l. Scia. ff. de in integr. restitut.* Verùm, si arbores illæ maximæ forent æstimationis, vel quia nullæ similes, vel non adeò grādes reperiantur, siue alia de causa: non posset vtique Prælatus eas incidere, vt probatur *in l. Æquissimum. C. de vsufruct.* Quia Prælatus non est dominus, sed potiùs vsufructuarius, seu custos bonorum suæ Ecclesiæ: at vsufructuarius de iure arbitrio boni viri vti tenetur, *l. 1. C. de vsufruct.* at arbitrio boni viri vti non dicitur Prælatus incidendo arbores etiam fructiferas, & non cæduas, vt tradunt Beroius *cons. 120. num. 34. & seq. vol. 1.* per text. *in d. l. Æquissimum.* & Cordub. *de caus. priuat. ob rei deteriorat. num. 11. & seq.* Laurent. de Peirin. *loco citato, num. 22.* Nauarr. *loco cit. cons. 7.*

6. Quoad quintum casum, nequiret Prælatus absque solemnitatibus arbores fructuosas prædiorum Monasterij, seu Ecclesiæ, vel etiam infructuosas in magna quantitate incidere, sine consensu Conuentus, seu Capituli, ac Sedis apostolicæ: & contrarium faciendo non euaderet pœnas malè alienantium bona ecclesiastica. Ratio est: quia arbores cedunt solo, & connumerantur inter bona, quæ seruando seruari possunt: tum etiam, quia incisio arborum est actus dominij, *l. Diuortio. §. Si fundum. ff. solut. matrimon. l. 1 ff de vsufruct. legat.* & *l. Sylua cædua, ff. de verb. significat.* Prælatus autem non est dominus bonorum suæ Ecclesiæ, vel Monasterij; sed procurator, seu custos. Ita Doctores citati communiter. Aduertendum autem, quòd ad hoc, vt Prælati, & beneficiarij ob huiusmodi incisionem priuari possint beneficiis, & dignitatibus, quæ ipsi obtinent, iuxta dispositionem *Extrauag. Ambitiosæ.* & Decreti Sacræ Congregationis Concilij super hoc specialiter editi necessarium est constare de notabili deterioratione, prout in emphyteuta, feudatario, vsufructuario, & similibus tradunt Bald. *in Auth. Qui rem n. 2. ver. Secundò nota. C. de sacros. Eccles.* Corbul. *vbi supra, num. 24.* Roland. *cons. 49. num. 20. lib. 2.* Valasc. *consil. 50. num. 6. lib. 1.* Menoch. *de arbitr. cas. 78. n. 6.* Ioseph. Ludouic. *decis. Perusin. 22. num. 21.* & *decis. Lucen. 8. num. 9.* & in terminis Rota *in d. Meliten. beneficij;* apud Farinac. *num.* 1

Sexto casu, quando scilicet, arbores prædij sunt cæduæ, vtique poterit Prælatus illas adueniente tempore cædi facere, vel integrè, vel in parte in vsum, in quem impendi consueuerunt: arbores autem cæduæ illæ dicuntur, quæ vtiles sunt tantum ad lignandum; nec fructus ex eis percipi potest, nisi incidendo, & alienando, vel vtendo pro laboreriis; & si incidantur, renascuntur, & hæ arbores spectant ad illum, ad quem spectare debet commodum fructuum ipsius prædij, & dicuntur esse in fructu vt *d. §. Si fundum,* & ibi not. & *in l. Item si fundi §. fin.* & *l. Si absentes. §. Syluam. ff. de vsufru.* [illegible] *l. Sylua cædua. ff. de verb. significat.* Atque ita pro emphyteutis, & colonis tradunt Bald. *in d. § si fundum* Alexand. *consil. 118. num 3. lib. 5.* Curt. Sen. *cons. 41. col. pen. vers. Condescendo ad quartum.* Et pro vsufructuariis Tiraquell. *d. gloss. 1. & vnic. num.* 24 & in terminis pro Prælatis, & beneficiariis tradunt Filliuc. Quar. Ricc. Laurent. de Peirin Bonacin. *locis cit.* 7.

QVÆSITVM IV.

Quomodo debeat procedere Abbas in alienatione bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum, ad hoc vt sit legitima.

SVMMARIVM.

1. *Alienari vt possint licitè, & valide bona ecclesiastica causæ enumerantur.*
2. *Alienatio valida est, si vna tantùm causa adsit.*
3. *Dictio, vel, regulariter sumitur, non copulatiuè sed alternatiuè, & disiunctiuè.*
4. *Tractatus ante consensum Conuentus in alienatione bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum interuenire debet.*
5. *Tractatus huiusmodi quomodo sit habendus.*
6. *Consensus Monasterij in alienatione bonorum ipsius post tractatum requiritur.*
7. *Consensus Monasterij sufficit, si singulariter præstetur, modò præcesserit tractatus.*
8. *Instrumentum post tractatum, & consensum confici debet, in quo explicentur nominatim omnes Monachi suffragium habentes.*
9. *Alienari bona ecclesiastica possunt absque consensu, & tractatu modo adsit Papæ authoritas.*
10. *Subscriptio Monachorum in contractibus alienationis, an requiratur, vel sufficiat subscriptio tantùm Notarij*
11. *Commissarius apostolicus quanam aduertere debeat circa Ecclesiæ vtilitatem.*
12. *Vtilitas euidens dicitur illa, quæ non est dubia; sed clara, & indubitata.*
13. *Vtilitas euidens an attendenda sit tempore contractus præcedentis assensum apostolicum, an tempore assensus, & interpositionis decreti.*
14. *Vtilitas euidens Ecclesiæ probari non potest, neque bona Ecclesiæ alienari, quando fructus adsunt pro satisfactione.*

Visum

Visum est, Abbates bona immobilia,& mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, per se solos alienare non posse; sed, quia aliquando expediens imo necessaria est ipsi Religioni, & Conuentui talium bonorum alienatio; oportet inspicere, quomodo fieri debeat, ad hoc, vt sit legitima. Vbi est aduertendum, requiri quasdam speciales solennitates, sine quibus Abbas dicta bona nequiret alienare; de quibus *in cap. sine exceptione.* 12. *quæst.* 2.

1. Prima est, vt adsit causa. Causæ autem propter quas fieri possunt huiusmodi alienationes, quatuor communiter à Doctoribus enumerantur. Prima causa est necessitas vrgens, vt si Ecclesia, vel Monasterium debitis ita grauatum sit, vt illa ex fructibus soluere nequeat; sed opus sit bona Monasterij alienare, *cap. Sicut.* 12. *quæst.* 2. & *cap. Hoc ius.* 10. *quæst.* 2. vel quando Ecclesia reparanda est, fundus instaurandus, vel suffulcienda domus, quæ alioquin laberetur; imò posse dari talem necessitatem, vt licita sit talis alienatio, etiam sine solemnitate, ex Rebuffo, & aliis testatur Redoanus *quæst.* 15. Molin. *disput.* 648. Quaranta *verbo alienatio, num.* 42. Sopranus *tract.* 44. *c.* 5. *q.* 11. *num.* 11. Bonac. *tract. de alien. quæst. vnic. punct.* 3. *num.* 1. *vers. Prima est* vbi citat Suarez. Secunda causa est vtilitatis, vt res melior habeatur, *vt d. cap. Sine exceptione. & cap. Tua nuper. de his, quæ fiunt à Præl.* Gloss. *in cap. Nulli liceat de reb. Eccles. non alienan. verb. alienare.* text. *in cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & *Clem.* 1. *eod. tit.* & *Extrauag. Ambitiosæ eod. tit.* ibi: *Et tunc Ecclesiarum euidenti vtilitate.* Tertia causa est pietatis, putà, pro redimendis captiuis, (excipe tamen malefactores, quibus iustè pœna infligenda est: cùm enim malefactores punire expediat, pietas non cogit ad eos redimendos, vt dicunt Couarr. *loco cit. num.* 9. Redoanus *loco cit. quæst.* 11.) pauperibus alendis, & humandis fidelium reliquiis, vt *l. Sancimus, C. de sacros. Eccles. cap. Aurum.* 12. *quæst.* 2. Idem colligitur *ex c. Sanctorum.* & *cap. Sicut.* 12. *q.* 3. Quarta causa iustæ alienationis est causa incommoditatis, aut minoris vtilitatis, quando, v.g. res Monasterij essent in loco incommodo, vel longè constitutæ, plus incommodi, quàm vtilitatis ipsi Monasterio afferentes, *cap. Terrulas.* & *cap. Non liceat Papæ.* & etiam *cap. Sine exceptione.* 12. *quæst.* 2.

2. Ex quibus causis satis est, quòd vna tantum adsit: non enim requiruntur copulatiuè, sed disiunctiuè. Ita Gloss. *in d. Clem.* 1. *in verb. Necessitas.* vbi Cardin. *vers. Sexto nota, de reb. Eccles. non alienan.* Facit, quia *in dicto cap.* 1. *eod. tit. in* 6. necessitas, & vti-

3. litas sunt prolata, adiecta dictione, *vel*, quæ importat, quòd vnum tantùm sufficiat adimpleri: dictio enim, *vel*, regulariter sumitur non copulatiuè, sed alternatiuè, & disiunctiuè, *l. Si ex toto* §. *primo ff. de leg.* 1. *l. Titio ff. de leg.* 2. *Clem.* 1. *vers. Quem etiam.* & *ibi Glos. de concess. præb.* vt notat Præposit. *in d. cap. Non liceat.*

4. Secunda solennitas requisita ad alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, ad hoc vt legitimè fiat, est tractatus, qui præcedere debet consensum, vt probatur ex text. *in d. cap Sine exceptione*, sumendo argumentum de ordine literæ, quod valet, *cap. Mandantes, de preben. in* 6. & in eo textu dicitur: *Et cum totius Cleri tractatu, & consensu.* Ita Rebuff. *in Comp. alien. rer. Eccles. num.* 85. *vers. Tertiò, requiritur.* Rota *in vna Placentina Aquarum.* 10. Februarij, 1597. coram Orano Ricc. *in praxi fori eccles. decis.* 51. *num.* 4.

5. Et in hoc tractatu debent interuenire omnes Monachi, ad quos circa huiusmodi alienationem suffragiũ ferre spectat, qui debent expressè conuocari ad sonum campanellæ, vel aliàs, vt moris est, ad tractandum, & deliberandum super alienatione: & cùm omnes simul conuenerint, debet Abbas causam proponere, videlicet, quod debitum aliquod Monasterij vrgeat, vel adsit alia necessitas, siue vtilitas, & petere ab vnoquoque suffragium, an talem alienationem fieri expediat, vel non; & quilibet debet suum votum explicare. Nec sufficit cum singulis negotium tractare: imò si eorum aliqui extra Monasterium reperientur, eorum consensus per literas postulatus, & præstitus non esset admittendus; ad quod facit textus *in cap. Tertio loco. de probat.* Et iste tractatus vnus tantùm, ac diligens, sufficit; nec plures requiruntur, vt colligitur *ex d. cap. primo, de reb. Eccl. non alienan. lib.* 6. vbi textus loquitur in numero singulari: dicit etenim: *Quia etiam tractatus solennis, & diligẽs, qui in talibus concessionibus perpetuis exigitur.* & ibi Gloss. *in verbo. Tractatus. in addit.* Item Abbas *in cap. Tua nuper.* 4. *not. de his quæ fiunt à Prælatis.* Rebuff. *d. compend. in verb. tractatus.* Couar. 1. *variar. cap.* 17. *num.* 1. Syluest. *verbo, alienatio, q.* 4. Riccius *decis.* 51. Bonacina *tract. de alien. q. vnica p.* 4. *num.* 1. vbi citat Vasquez, & Molinam, ac Sanchez *in precept. Decal. lib.* 7. *cap* 6. *n.* 8. & Hieron. Rodriq. *in comp. qq. regul. resol.* 7. *num.* 16. Quod est intelligendum dummodo per proprias singularum Congregationum & Religionum constitutiones aliter statutum non esset: quia apud Monachos nigros Sancti Benedicti, qui sunt Cassinenses, aliàs Congregationis Sanctæ Iustinæ, seruari debent eorum constitutiones disponentes, quòd alienationibus rerum Ecclesiæ, & Religionis faciendis, debeat præcedere tractatus duorum dierum interpolatorum, & in certo casu obtinere licentiam Papæ, vt habetur in dictis Constitutionibus *cap.* 9. *rubr. de mutuis, ac vend. syln. & concess. iur.* notat Ioan. Andr. *in addit. ad Specul. in tit. de locat.* §. *Sequitur. vers. Et nota* Rebuff. *loco citato, n.* 82. Redoan. *in tractat. de reb. Eccles. non alienan. rubr. de tract. num.* 29. Aloys. Ricc. *d. decis.* 51. *n.* 5. Quibus peractis, de huiusmodi tractatu habito super talium rerum Monasterij alienatione debet rogari publicum instrumentum ad hoc specialiter tendens; nec instrumentum alienationis asserens, quòd habito colloquio, & tractatu Abbas, & Conuentus vendiderunt, talem domum, &c. probaret: quia est necessarium, quod specialiter ad tractatum tenderet, per Alex. *cons.* 18. *col.* 2. *vol* 4. Federic. de Sen. *cons.* 143. *in fin.* Paul. de Castr. *cons.* 74. *col.* 2. *in prima parte.* Ias. *in l. Sciendum col.* 1. *ff. de verb. oblig.* Et hæc de tractatu.

Tertia conditio, & solennitas requisita ad alienationem, est consensus Capituli, siue Conuentus; postquàm enim tractatum fuit super alienatione facienda, an expediat, vel sit necessarium, illam fieri, & quæ bona magis expediat alienare, vel vendere; oportet, vt tali alienationi, vel venditioni faciendæ Conuentus, & Monachorum accedat assensus, qui debet adhiberi post tractatum, iuxta textum *in cap. Sine exceptione.* 12. *q.* 2. & *cap. Tua nuper. de his quæ fiunt à Præl.* Rebuff. *in Compend. alien. rer. Eccles. n.* 85. vbi dicit, non sufficere tractatum sine consensu, vt fraus remoueatur. Et hic consensus debet esse expressus, nec sufficit, quòd sit tacitus, nisi quando agitur de alienanda re propter aliquam necessitatem, vbi Monasterium minùs læditur, vt ait Rebuff. *loco cit. n.* 118. Et in instrumento alienationis exprimenda sunt nomina singulorum Monachorum, qui ad illam consensum præbuerunt, vt ait Bart. *in l.* 1. *ff. de alb. scrib* Barbat. *cons.* 12 *col. vlt. vol.* 2. Ioan. Andreas, & Imola, *in c. Qua. to. de his, quæ fiunt à Prelatis.* 6.

An autem huiusmodi consensus præstandus sit in communi à Monachis, vel à Canonicis, aliisque conuenientibus ad Capitulum, vel sufficiat, si præstetur singulariter, dubitari potest. Sed breuiter respondeo, sufficere singulariter præstari, modò præcesserit dictus tracta- 7.

tractatus: adhuc enim dicitur adesse consensus Capituli quanuis singulariter præstetur. Ita notat Syluester *verbo alienatio, num 5. in fine.* Vasq. in *Opusc. de redditib. cap. 2. §. 2. dub. 12. num. 42.* Bonac. *loco cit. num. 2.* licèt etiam contraria opinio valdè probabilis sit: quia consensus extra Capitulum dicitur potiùs consensus singulorum, quàm Capituli: & praxis hodierna, & cõtinua hanc secundam sententiam magis amplectatur.

Vbi est aduertendum, si maior pars Conuentus in vnam conuenerit sententiam, illa erit amplectenda, cùm omnia suffragia sint eiusdem valoris; & quod à maiori parte fit, censetur à toto fieri. Si verò saltem magna pars non consentiat, etiamsi plures cum Abbate conuenerint, nihil concludi potest: quia tunc nõ potest verificari, Capitulum consensisse: ac è conuerso, quanuis totum Capitulum, præter ipsum Abbatem assentiret, non valeret alienatio: nam requiritur consensus vtriusque simul, scilicet, Abbatis, & Capituli. Si verò vota Capituli essent inter se æqualia, ac pariter diuisa, præter ipsum Abbatem, accedente ad alteram partem ipsius Abbatis consensu, poterit talis alienatio fieri: sufficit enim ille Capituli consensus; quia Abbas est pars Capituli, & propterea absolutè dicitur tunc maior pars Capituli, ac per consequens ipsum Capitulum consentire. Ita Suar. *de Relig. tom. 4 tract. 8. lib. 2. cap. 27. n. 11.* An autem in huiusmodi alienationibus requiratur authoritas, & consensus Prouincialis, vel etiam Generalis, dicemus *q. 8.*

8. Quibus omnibus sic peractis, fieri debet instrumentum à publico Notario, in quo explicentur omnes Monachi suffragiorum habentes nominatim: in quo similiter apponatur, eos fuisse ad sonum campanellæ conuocatos, habita priùs super illa re diligenti discussione simulque ostendat Notarius, maiorem partem Monachorum vnà cum Abbate per sua suffragia statuisse, huiusmodi alienationem esse faciendam. Si autem enarratæ solennitates postponantur, talium alienationem contractus irriti erunt. Nec requiritur alia sententia declaratoria: quia per ipsum ius satis declaratur vt voluit Suar. *loc. citato n. 20.*

9. Quæ omnia limita, nisi interueniente Papæ authoritate: quia tunc neque consensus, neque tractatus, requiruntur: Papæ enim authoritas facit inferioris authoritatem cessare, nec tunc solennitates requiruntur Panormit. *in cap. 1. de confirmat. vtili, vel inutili, & cons. 41. n. 3. lib. 1.* Rebuff. *d. tract. n. 15.* Rota *in vna Segobien. syluæ*, 10. Decembris, 1586. coram Pineto. Ricc. *d. decis. 51. n. vltim.*

10. Aduertendum tandem est, quod in contractibus similium requiritur subscriptio Monachorum, & eorum, qui ad alienationem talem faciendam interueniunt, in casibus, in quibus ius præscribit subscriptionem, nimirum, in donatione venditione, & permutatione. Dicunt tamen Lessius *de iustitia, & iur. lib. 2. cap. 24. dub. 10.* Armilla *verb. alienatio, num. 6.* Quarant. *loco cit.* Bonac *similiter loco citato, num. 3.* in prædictis casibus sufficere subscriptionem Notarij, vt diximus, vbi talis consuetudo extiterit: consuetudo enim potest legem inducere, & abrogare.

11. Circa euidentem ecclesiæ vtilitatem aliqua aduertenda sunt à Commissariis apostolicis. Primò, quòd euidens vtilitas Ecclesiæ dicitur illa, quæ non est du-
12. bia; sed clara, & indubitata, *ex cap. Sine exceptione. 12. q. 2.* quod etiam fuit diffinitum *in vna Romana inualiditatis census.* 24. Maij, 1591. quæ quidem vtilitas euidens Ecclesiæ non probatur per alienantium assertionem, vt dixerunt Federicus de Senis *cons. 214.* & Rebuff. *de alien. n. 75. de reb. Eccl. in 6.* Sed probatur ex eo, quòd per se sit clara, & indubitata, vt diximus.

13. Secundò, vtilitas euidens consideranda est tempore contractus, vt habetur *in cap. Ad aures. de rebus Eccl.* vbi Ioannes Andreas, & alij, Parisius *cons. 24. volum. 4.* Et constat *ex vna Anconitana terrarum*, 13. Iunij, 1578. coram Seraphino, in qua etiam fuit resolutum, vtilitatem euidentem Ecclesiæ in contractu emphyteutico esse attendendam tempore factæ scripturæ alienationis, non verò tempore conclusionis contractus, cùm contractus emphyteuticus requirat scripturam, vt docet Iason *in l. 1. C. de iure emphyteutico.* perfectio enim contractus huiusmodi tunc datur, quando redigitur in instrumentum; & ideò sufficit verificare, quod eo tempore adfuerit euidens vtilitas: nam debet attendi tempus, quo perficitur actus, & secundùm illud tempus iudicari. Baldus *in l. Si quis eum. §. Si suo. ff. de vulg. & pupill. 3. not.*

Marcus Antonius Geniensis *in praxi Neapol. cap. 107. num. 3. vers. Sed aduerte.* tenet, quòd vtilitas attẽdenda est, tempore assensus apostolici, & interpositionis Decreti faciendæ à Commissario, & non tempore contractus præcedentis, cùm fuerit nullus sine apostolico cõsẽsu, vt *in Extrauaganti. Ambitios. &c.* & quando extremum, à quo deficit, vt non potuerit consistere contractus sine assensu, non habet locum fictio, & retrotractio, *l. Si is, qui pro emptore. ff. de vsucap.* vnde Innocent. & Panormit *in cap. Super eo. de condit. appos.* dicunt, quod si contrahatur matrimonium inter consanguineos sub conditione: *Si Papa dispensauerit.* secuto beneplacito Summi Pontificis, requiritur nouus consensus, & non fit retrotractio.

Nihilominus his non obstantibus, dico, quod est attendendum tempus contractus; non verò tempus assensus apostolici, quatenus contractus confirmatus fuerit in breui apostolico, ex certa scientia expresso tenore tractatus illius: nam huiusmodi confirmatio dat efficaciam, & magnum robur actui, vt dicunt Decius *in rubr. de confirm. vtil. vel inutil.* & Baldus *in cap. Ex parte. de constit. consim.* & Marcus Genuens. *loco cit.* vbi ait, quòd si in Breui nulla est facta mentio contractus iam celebrati; sed tantum expressum fuit Papæ, quòd partes contrahere intendunt, & assensum requirunt, sit attendenda vtilitas tempore interpositionis Decreti Commissarij; si verò fuerit expressus contractus, & Papa confirmauerit, debeat attendi vtilitas contractus.

Sed in alienatione est considerandum, quod supradicta vtilitas attendenda sit tempore contractus præcedentis; quando, scilicet, Ecclesia consecuta est in effectu vtilitatem; secùs si contractus nullum effectum habuit, & tunc non potest dici vtilitas Ecclesiæ: quia non entium nullæ sunt partes. Hac ratione Summus Pontifex in Breui ponit clausulam, si contractus cesserit, & cedat in vtilitatem Ecclesiæ.

Tertiò, euidens Ecclesiæ vtilitas probari non po- 14
test, neque bona Ecclesiæ alienari, quando fructus adsunt pro satisfactione: in quo casu Abbates, & Prælati non possunt fructus pro se retinere, cùm subsit necessitas alienandi, vt colligitur ex Gloss. *in cap. 1. de verb. defens. de reb. Eccl. non alien. in 6.* Et fuit resolutum *in vna Auximana bonorum*, Februarij 1580. & *in vna Placentina bonorum*, 1. Nouemb. 1580. coram Card. Seraphino.

QVÆSITVM V.

Vtrùm in alienatione bonorum Monasterij requiratur etiam Episcopi assensus: & quid de permutationibus faciendis à Rectoribus, Episcopis, & Prælatis subiectis.

SVMMARIVM.

1 *Bona Abbatiarum non exemptarum nequeunt, absque*

absque assensu Episcopi, alienari: secus de Abbatibus exemptis.

2 *Abbas habens iurisdictionem quasi episcopalem potest in alienatione bonorum Ecclesia sibi subiecta authoritatem interponere.*

3 *Permutare possunt bona ecclesiastica Rectores Ecclesiarum inter se se, sine beneplacito apostolico, modò adsit authoritas Episcopi, vel Abbatis, ad quorum iurisdictionem Ecclesiæ spectant.*

1. RAtio dubitationis in hoc quæsito est, nam *in cap. Abbatibus.12.q.2. & cap. In venditionibus.17.q.4.* dicitur, quòd in rebus Monasteriorum alienandis interuenire debeat consensus Episcopi, Abbatis, & omnium Fratrum; aliàs alienatio non tenet. Ita affirmat etiam Turrecrem. *ibi*, & Alberic. *in Auth. Hoc ius. C. de sacros. Eccles.* vbi dicit, quòd Abbas non potest alienare, nec in feudum dare sine licentia Episcopi: & quamuis *in c. Nullam 18. q. 2.* dicatur, quòd tota dispositio Monasterij, & rerum ipsius, spectet ad Abbatem, ac quòd per consequens videtur abrogata dispositio *dicti cap. Abbatibus & d.cap. in venditionibus.* tamen hoc non obstat: quia textus *d. cap. Nullam.* est intelligendus quoad Monachos, secundùm Gloss. *in d. cap. In venditionibus. in princip.* vel secundùm Host. *in cap. 1. de reb. Eccles.non alienan.* quòd *dictum cap. Nullam.* est intelligendum quoad Regulam, & Regulæ formam, & quoad ea, quæ ad illam spectant; non autem quoad alienationem. Verùm prædicta censenda sont habere locum in Abbatiis
2. ab Episcoporum iurisdictione non exemptis: Abbates etenim exempti à iurisdictione Ordinariorum, & habentes iurisdictionem episcopalem, seu quasi, possunt authoritatem suam interponere in alienatione bonorum Ecclesiæ sibi subiectæ, iuxta Gloss. *in Clem. prima, verb. proprij, de reb. Eccles.non alienan*, Bart. *in Auth. Hoc ius. C. de reb. Eccles. non alienan. vers. Venio ad quartam.* Ioann. Andr. *in Clem. Hac consultissima. eod tit.* Turrecrem. *12. q 2 in Summa*, vbi dicit, quòd in alienatione rerum Monasterij debet adesse consensus Episcopi, Abbatis, & omnium Fratrum, aliàs alienatio non tenet, *cap. Abbatibus. 12. q. 2. & cap. In venditionibus. 27. q. 4.* Sed tamen, quòd excipiantur Monasteria priuilegiata, quæ Episcopo non subsunt. Idem dicit Innoc. *in cap. Cùm & plantare. §. In Ecclesiis de priuileg.* Imol. *in c. Statuimus de transact.* Bald. *d. Auth Hoc ius. col. 4.* vbi dicit, quòd Rectores Ecclesiarum Abbati pleno iure subiectarum possunt, si velint, earum res alienare, cum consensu Abbatis in eis, habentis iurisdictionem quasi episcopalem: quia Abbas exemptus authoritatem in alienatione bonorum Ecclesiarum sibi subiectarum ipse interponit, quia ipse in eis obtinet iurisdictionem quasi episcopalem: in rebus autem proprij Monasterij dicit, opus esse, vt adhibeatur Papæ authoritas per supradictam Gloss. *in dicta Clem. 1.* quæ omnia intelligenda sunt de Abbatibus locorum Ordinariis, tam regularibus, quam secularibus: in sæcularibus autem, qui non habent territorium, & districtum separatum militat eadem ratio, quæ in cæteris beneficiariis, & Rectoribus sæcularibus qui si fuerint præpositi Ecclesiæ Collegiatæ Episcopo subiectæ, requiritur tractatus ipsorum cum eodem Collegio ac mutuus vtriusque consensus, cum authoritate, & assensu Episcopi, *iuxta cap. Placuit. 12. q. 2.* Videatur super materia huius quæsiti Nauarr. *in tract. de alienat. rer. Eccles. num. 7.*

3. Hinc quæri potest, an Episcopi authoritate tantùm, siue Abbatis, vel alterius Prælati habentis iurisdictionem episcopalem, & territorium possint Rectores Ecclesiarum inter se bona ecclesiastica permutare sine beneplacito Sedis apostolicæ. Respondeo affirmatiuè: quia inter Rectores Ecclesiarum, cùm non transferatur dominium ad profanos vsus, cessat causa prohibitionis, vt non permutentur, vt videtur loqui textus *in cap. Casellas. 10. q. 2. & cap. Sine exceptione. 12. q. 2.* qui Canones procedunt tantum in permutationibus fiendis cum sæcularibus, ne bona ecclesiastica applicentur profanis vsibus: & ita probat textus *in Extrauag. Ambitiosa. de reb Eccles. non alienand.* Et quòd talis permutatio sit permissa inter dictos rectores cum sola authoritate Ordinarij habetur *in cap. Hoc ius porrectum. §. Sibi inuicem. 10 q. 2. & cap 1. de reb. Eccl. non alienand.* & docent Barthol. *in princ. col. 5. & in Authent. Item, sibi inuicem,* iuncta Gloss. *C. de sacros. quib. non obstant. cap. Casel. 14.* Nihil enim refert, quòd bona sint vnius, vel alterius Ecclesiæ, sed tantum prohibentur permutationes cum sæcularibus, nisi fiant cum euidenti Ecclesiæ vtilitate, vt probat Franciscus Leo *in thes. Fori Eccl. part. 1. c. 15. num. 72.* ibi pluribus iuribus adductis.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm Abbates, & Prelati generales, stante aliquo priuilegio possint bona Monasteriorum sua Religionis, inconsulto Romano Pontifice, alienare.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio omnis bonorum ecclesiasticorum de iure, inconsulto Romano Pontifice, est prohibita.*

2 *Præpositus Generalis Societatis Iesu, ac ipsa Societas generaliter congregata poterant bona Domorum ipsius Societatis, inconsulto Summo Pontifice, alienare.*

3 *Cassinensis Congregatio habet priuilegium alienandi absque assensu apostolico, bona ad summã quinquaginta milium scutorum ascendentia.*

4 *S. Hieronymi Ordo habet priuilegium vendendi hæreditates, possessiones, iura testamenti, & similia, modo pretium in alia vtiliora commutetur, absque assensu apostolico.*

5 *S. Augustini Fratres, ac Moniales habent priuilegium absque assensu apostolico vendendi, alienãdi, permutandi, & in emphyteusim concedendi, modo emphyteusis non fiat vltra duas generationes: & adsit assensus Generalis.*

6 *S. Claræ Moniales, & Tertiariæ Ordinis Minorum subiectæ habent idem priuilegium, modo adsit duarum partium Conuentus consensus.*

7 *Bona Regularium hodie nequeunt inconsulto Romano Pontifice alienari.*

8 *Decretum S. Congregationis Concilij iussu Vrbani VIII. editum de rebus Regularium non alienandis.*

DE iure nouo, & ex dispositione Extrauag. Pauli II. quæ incip. *Ambitiosa. de reb. Eccles. non alienan.* est prohibita omnis alienatio rerum ecclesiasticarum, inconsulto Romano Pontifice, etiam in casibus à iure expressis, atque permissis, & seruatis solennitatibus, de quibus *supra*. Quòd si aliter fieret, dicta constitutio annullat contractus, & pœnas contrauenientibus imponit. Sed vigore concessionis factæ Societati 1.
Iesu à Paulo III. quæ habetur *in Compẽd. Priuil ipsius Societatis, tit. alien §. 1.* Generales Abbates, & Capitulum Generale possunt alienare bona Monasteriorum, absque Sedis apostolicæ licentia, vt in dicto priuilegio, vbi dicitur: *Quòd potest Præpositus Generalis So-* 2.

cietatis, pro tempore existens, vel ipsa Societas, dum erit generaliter congregata, per se, vel per alios informatione extraiudicialiter, & summario, ac simpliciter accepta, vel etiam ea omnino omissa, bona Domorum etiam Probationis, Collegiorum & aliorum locorum, eiusdem Societatis stabilia, & etiam mobilia pretiosa, præsentia, & futura, pro illorum vtilitate, seu necessitate, quibuscunque personis, tam ecclesiasticis, quàm sæcularibus, cuiuscunque gradus, ordinis, & dignitatis existentibus, etiam Collegijs, Communitatibus, & Vniuersitatibus ad eam rationem, qua facilius inueniri potest, pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteusim, seu libellum ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis, seu inuestitura acceptione, ac præsentata pecunia; sine tamen diminutione soliti illorum redditus, necnon generaliter, & specialiter obligare, & hypothecare, super illos census redimibiles quoscunque imponere, & vendere. Necnon de bonis eisdem compromittere, & quomodolibet super illis transigere, illisque simpliciter, vel lite desuper habita, & actionem etiam in non possessorem cedere, & renunciare, vtilitatémque, venditionem, & aliorum huiusmodi, vel etiam necessitatem, aut aliam causam, propter quam fiant, simpliciter, & absque figura iudicij cognoscere, iudicare, definire, & penitus determinare libere, licitéque. Et quod quicunque contractus super prædictis initi vsque ad huius concessionis tempus perpetuò valeant; partésque ipsa ad illorum obseruationem omnino obligentur; & tam ipsi hactenus initi contractus, quàm ineundi in futurum, quibus ipsius Generalis Præpositi pro tempore existentis, vel etiam congregata Societatis consensus, seu confirmatio accesserit, alius Sedis apostolica confirmatione, & approbatione non indigeant. Idem concessit Gregorius XIII. in sua constitutione incip. *Apostolica Sedis*, sub datum Rumæ apud Sanctum Petrum anno salutis 1576, die 18. Decembris, Pontificatus sui anno quinto, vbi indulsit prædictæ Societati, vt eiusdem bona possint arbitrio eius Præpositi Generalis, nulla super hoc ab apostolica Sede licentia petita, & absque quòd etiam Collegia ipsa capitulantes congregentur, alienari, vt habetur apud Rodetic. *in nou Collect. Priuil. bulla* 20. *d. Pontif. fol.* 462. Et sic Abbates generales, & Capitula generalia aliorum Ordinum, & Congregationum habentium communicationem priuilegiorum cum prædicta Societate poterant vti hac concessione, & poterant alienare bona Monasteriorum illis subditorum inconsulto Romano Pontifice, etiam sine consensu subditorum Monasteriorum, ad quæ prædictum ius pertinebat.

3. Pariter Congregatio Cassinensis obtinuerat priuilegium à Pio V. vt possit, absque assensu apostolico, alienare bona ad summam quinquaginta millia scutorum ascendentia, vt patet ex eius Bulla 141. incip. *Decet ex benigno*, sub dat. die 5. Octobris, 1571 & in alia eiusdem de anno 1570. incip. *Decet, & expedit.* quibus priuilegiis vti poterant Abbates cæterarum Congregationum per viam communicationis.

4. Habetur etiam priuilegium concessum Ordini S. Hieronymi *in Compend. priuil. eiusdem Ordinis, verbo, alienatio*, §. 4. in quo conceditur Priori, & suo Conuentui, vt possint vendere hæreditates, possessiones, & iura testamenti, & alia similia, dummodo pretium eorum in alia vtiliora bona commutetur: quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicantes, nisi in eis sit aliqua consuetudo, vel statutum in contrarium, sicut aduertit Hieronymus Rodriq. *in Summ.* 93. *regul. esol.* 7. *num.* 4.

5. Et Gregorius XIII concessit Fratribus, & Monialibus Eremitarum S. Augustini, vt possint vendere, alienare, & permutare, & in emphyteusim concedere, dummodo emphyteusis non fiat vltra duas generationes absque consensu apostolico, & loco illius de consensu Generalis Ordinis. Item, quòd locationes possint fieri in perpetuum, dummodo duæ partes Conuentus consentiant, & fiant in ipsius Conuentus vtilitatem, secus locationes dictæ irritæ sint, & contractus. Ita habetur ex Rodriq. *loco cit. num.* 6.

Aliud priuilegium simile concessum fuit à Leone X. Monialibus S. Claræ, & Tertiariis subiectis Ordini Minorum ad alienandum de consensu duarum partium Conuentus. Ita affirmat Hieronymus Rodriq. *loco citato.* 6

Verùm hodie de iure nouissimo ex decreto eminentissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum sanctissimi Domini Nostri Vrbani VIII. Pontificis Maximi iussu edito, hæc facultas sublata fuit à prædictis Generalibus, & Capitulis etiam generalibus, vel prouincialibus, vel Congregationibus, nec possunt ampliùs, absque ipsius sacræ Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, res, & bona immobilia, & mobilia pretiosa alienare, hypothecare, locare, & conducere vltra triennium, concedere, in feudum, vel emphyteusim, (nisi in casibus à iure permissis,) imponere, seu vendere census perpetuos, seu vitalitios: & prohibitum est omne pactum, per quod eorum dominium transfertur sub pœnis in eo contentis, quod decretum publicè circumfertur sub datum Romæ die 7. Septembris, 1624. impressum in Typographia Cameræ apostolicæ, cuius tenor talis est. 7

DECRETVM SACRÆ CONGREgationis Concilij Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum pro rebus Regularium non alienandis. 1

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum rerum experimento edocta, quantum Religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium detractionibus, quas crebrò faciunt Regulares apostolicis priuilegiis innixi, ac proinde operæpretium putans, illorum facilitatem aliqua ratione compescere: speciali Sanctissimi D. N. iussu Generalibus, & Prouincialibus Capitulis, vel Congregationibus, Abbatibus, Generalibus, & quibuscunque aliis Superioribus regularibus, cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, vel instituti intra fines Europæ existentibus omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omnéque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem, vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, prætcrquam in casibus a iure permissis, fieri perpetuò prohibet, atque interdicit, absque illius Congregationis Concilij expressa licentia in scriptis, & gratis concedenda, sub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, vocisque actiuæ, & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, quam ipso facto, absque alia declaratione incurrant; sublata etiam Generali & Protectori, illam moderandi, aut relaxandi facultate; pœnis nihilominus apostolicarum constit. & præsertim felicis record. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosæ*, in suo robore permansuris. Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, conductiones, & concessiones, quascunque contra huiusmodi prohibitionem faciendas, sanctitatis suæ authoritate, ipso iure nullas, atque irritas decernit. Non

obstantibus

obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis in fauorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, & priuilegiis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, innouatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorùmque totis tenoribus, ac formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, & aliqua alia exquisita forma seruanda esset; tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus, quoad ea, quæ præsenti decreto, ac prohibitioni aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter, & expressè Sanctitatis suæ authoritate derogat; cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ die 7. Septembris, 1624.

COSMVS, Card. de Torres.

Locus † sigilli.

PROSPER FAGNANVS, S. Congr. Secret.

QVÆSITVM VII.

Vtrùm Abbates, & Prælati regulares possint, absque assensu apostolico, pecunias ad cambium, vel mutuò accipere, cum solutione damni emergentis, & lucri cessantis: & quid de pecunia, quæ vertitur in Ecclesiæ vtilitatem, propter alienationem.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, ac regulares Prælati nequeunt pecunias ad cambium, vel mutuò accipere, cum solutione damni emergentis, & lucri cessantis.*

2 *Declaratio Decreti S. Congregationis Concilij, super rebus Regularium non alienandis.*

3 *Pecunia ex alienatione bonorum Ecclesiæ proueniens, conuertenda est in euidentem Ecclesiæ vtilitatem.*

4 *Abbatis, vel alterius solius Prælati confessio non probat euidentem Ecclesiæ vtilitatem.*

1. Ratio dubitandi est: quia, cùm in supradictis priuilegiis Societati Iesu à Iulio III. & Gregorio XIII. concessis, tradita sit facultas Generali Præposito eiusdem Societatis, & ipsi Societati generaliter congregatæ, & per viam communicationis dictorum priuilegiorum Generalibus aliarum Religionum, & Congregationum, & ipsis Religionibus, & Congregationibus generaliter congregatis, vt possint quemcunque contractum celebrare, per quem dominium bonorum, tam immobilium, quàm mobilium pretiosorum Monasteriorum, & Ecclesiarum illis subiectarum in alios transfertur; dummodo sit in euidentem ipsarum vtilitatem; & hoc inconsulto Romano Pontifice; potuissent pecuniam mutuò, & ad cambium accipere, etiam cum solutione damni emergentis, & lucri cessantis; nec videbatur hoc prohibitum per supradictum decretum sacræ Congregationis de rebus Regularium non alienandis: quia ibi non exprimitur acceptio pecuniæ ad cambium modo prædicto, sed interdicitur omnium rerum, & bonorum immobilium, & mobilium pretiosarum alienatio, & omne pactum, per quod ipsorum dominium transfertur. Prohibetur etiam fieri census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, prout ex eius lectura clarè patet.

Verùm hoc fuit specialiter declaratum ab eadem sacra Congregatione, non licere Regularibus, pecunias modo prædicto accipere; & si acceperint, in pœnas in dicto decreto contentas ipso facto incidant, vt fuit declaratum die 21. Martij, 1626. cuius declarationis tenor est, qui sequitur.

DECLARATIO DECRETI SACRÆ Congregationis Illustrissimorum Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum de rebus Regularium non alienandis Procuratoribus, Generalibus Ordinum singulorum, & Congregationum demandata anno 1626. die 21. Martij. 2.

CVm, post editum Decretum de rebus Regularium non alienandis, compertum sit, Regulares, qui eodem Decreto prohibentur, census imponere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, locò censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuò accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cúmque ex huiusmodi contractu eludatur mens sacræ Congregationis, cui in primis in votis fuit, consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum læduntur: S. D. N. approbante dictauit, & declarauit, huiusmodi contractum esse contra mentem Decreti, vt suprà editi; ideóque non licere Regularibus, pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ, die 21. Martij, 1626.

COSMVS, Card. de Torres.

Locus † sigilli.

P. FAGNANVS.

Quo verò ad pecuniam, quæ conuertitur in Ecclesiæ vtilitatem in ipsa alienatione, dicendum est, necessariò conuertendam esse in euidentem vtilitatem Ecclesiæ, aliàs alienatio esset inualida, & licentia à Summo Pontifice obtenta subreptitia, vt patet ex dictis. Tunc enim dicitur pecunia conuersa in euidentem vtilitatem, quando conuertitur in rem duraturam; putà in emptionem alicuius rei, seu ædificium, vel aliam rem similem, *l. 1. & 2. ff. de impens. in reb. dot. fact. cap. Quod quibusdam, de fideiussor.* & Rebuff. *de alienat. n.* 3. vbi dicit, conuerti in Ecclesiæ vtilitatem, etiam quando coluntur agri, & prædia, quæ quidem euidens vtilitas admittitur à Sede

 apostolica,

apostolica sæpè sæpiùs, & anno elapso libenter à Sacra Congregatione Concilij Tridentini, exhibitam fuisse alienationem cuiusdam domus ad excolenda prædia inculta, & derelicta, cum pacto, & conditione, vt pecunia domus conuerteretur in dictam prædiorum cultutam, Episcopo Vlisbonensi, tetulit mihi quidam Curialis die 22. Martij, 1654.

4. In hac tamen pecuniæ conuersione in euidentem vtilitatem cauendum est, solam confessionem Abbatis, vel alterius Prælati non probare, nullis concurrentibus adminiculis, vt dicunt Cardinal. *in Clem. 1. de rebus Eccles. quæst.* 30. & Bald. *in Authen. Hoc ius porrectum, C. de sacrosanctis Ecclesiis.* sed per testes cotam Iudice, vt consuetū est, ostendi debet.

Ex quibus sequitur, emptorem rei ecclesiasticæ, quæ alienatur, non teueri probare pecuniam versam in vtilitatem Ecclesiæ: nisi in casibus mutui, & depositi; & quando Ecclesia vendit, & alienat pro soluendis debitis. Ita probat Genuen. *in Praxi Archiepisc. Curiæ Neapol. cap.* 107. *n.* 6. & fatetur de communi sententia.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas localis possit bona Monasterij, absque Abbatis Generalis licentia, alienare.

SVMMARIVM.

1 *Abbates inferiores nequeunt, absque Abbatum Generalium assensu, bona suorum Cœnobiorum alienare.*
2 *Prælatus, qui potest acquirere sua Ecclesiæ, & non acquirit, ad interesse tenetur.*
3 *Priuilegiorum in communicatione quid attendendum.*
4 *Abbates, & Prælati locales, regulariter loquendo, non possunt absque licentia Generalis, vel Prouincialis; & hic sine Generali alienare bona Monasteriorum.*

1. ALexander IV. & Honorius IV. voluerunt, quòd quæcunque pacta, obligationes, conuentiones, & compotationes, quæ à Fratribus Minoribus, absque Generalis Ministri, & Capituli etiam Generalis, vel Minorum Prouincialium licentia, & assensu factæ fuissent, irritæ habeantur, & inanes, vt *in Monum. Ordin in 1. impress. fol.* 48. & *in 2. fol.* 26. *conc.* 29 & *in eodem lib. in 1. impress. fol.* 48 & 172 *fol.* 132. *conc.* 197. quæ Constitutiones, etsi fuerint reuocatæ per Bonifacium VIII. *in cap. Quia excommunic. de pact. lib.* 6. tamen per Motum proprium Sixti IV. fuerunt posteà reualidatæ, & confirmatæ, vt habetur *in eod. lib. Monum. Ord in 1. impress fol.* 59. & *in 2. fol* 142. *conc.* 333. & ita obseruari in Religione Fratrum Minorum refert Rodetic. *quæst. regul. tomo* 1. *q.* 27. *art.* 3. nempe, quòd nollos Guardianus, neque Abbatissa, etiam cum consensu suorum Conuentuum, absque expressa Prouincialium authoritate, & licentia aliquem contractum efficere possunt: quia aliàs irritaretur, & hoc idem seruatur in aliis Religionibus, quæ eadem priuilegia, & constitutiones per communicationem participant. Iulius III. etiam concessit aliud; priuilegium Societati Iesu, quòd Præpositus Generalis pro tempore existens, vel ipsa Societas generaliter cōgregata possint bona immobilia, & mobilia pretiosa locorum d. Societatis pro illorum vtilitate, seu necessitate alienare, permutare, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis, seu inuestituræ acceptione, ac præsentata pecunia; sine tamen diminutione soliti illorum redditus, & nonnulla alia dicto Generali, & Societati generaliter congregatæ concessit, vt habetur *in Compend. priuileg. ipsius Societ. tit. Alienatio*, §. 1. & refert idem Rodetic. *loco citato*, qui habet prædictum priuilegium de verbo ad verbum: vbi præsertim concessit, vt possint renunciare cuicunque actioni, & se concordare super qualibet lite habita super iuribus ad Monasteria, & loca ipsius Societatis spectantibus, etiamsi Monasteria, ad quæ prædictum ius pertinet, non consenserit; & eadem facultas intelligitur tradita Generalibus cæterarum Religionum, & ipsis Religionibus generaliter congregatis, quæ ipsius Societatis priuilegia per communicationem participant. Animaduertendum tamen, hoc absolute illis non licere; sed habita summaria ratione de necessitate, & vtilitate concordationis talium litium, vt colligitur ex eadem concessione, aliàs renunciatio, & concordia non valeret, nisi cum effectu esset in euidentem dictorum Conuentuum vtilitatem, quod maximè debent aduertere: quia præter inualiditatem talis renunciationis, ipsi erunt obligati in conscientia ad satisfaciendum Conuentibus & Collegiis læsis. Et ratio est: nam Prælati, qui potuerūt suæ Ecclesiæ, & Monasterio acquirete, & non acquisierunt, ad interesse tenentur. 2.
Ita tex. *in c. Quicunque. de reb. Eccles. alien. vel non*, & ibi Gloss. Rebuff. *de alienan. reb. Eccles. num.* 31. Abb. *in cap. Tua nuper. de his, quæ a Prel. sinnt.* vbi dicit, quòd quemadmodum tutor, qui potuit acquirere pupillo, & non acquisiuit, tenetur pupillo, *C. Quidquid. C. de arbur. tutel.* ita pari modo Prælatus Ecclesiæ suæ tenetur per textum cum Gloss. *in c.* 2. 12. *q.* 4.
Et quoad communicationem talium priuilegiorum notandum, quòd per communicationem non intendunt Pontifices immotare modum procedendi vniuscuiusque Religionis iuxta proprias Constitutiones; neque super hoc illis licentiam impartiri; sed communicatio est accommodanda ad singulas Religiones iuxta suum modum: quia intentio Summorum Pontificum non est, derogandi per communicationem Cōstitutionibus, & priuilegiis, ne priuare Religione, vel Religiosum iure, quod fortassis per suas Constitutiones habet. Et sic, vbi in aliqua Religione speciales super alienatione rerum Monasteriorum adessēt Constitutiones, illæ erunt seruandæ. 3.

Dicendum est ergo regulariter loquendo, Abbates, & Prælatos locales non posse sine consensu Prouincialis, seu Generalis, & Prouincialem sine consensu Generalis, alienare bona sui Monasterij post habitum consensum à Summo Pontifice: de qua re videatur Nauarrus *cons* 8 *de alien* Molina *tract. de iust. disp.* 468. *concl.* 3. & 4. Vasquez *in opusc. de reddit. c.* 2. §. 2. *dub.* 12. Quaranta *verb. Alienatio*, *n.* 5. Soptanus apud Filliucium *tract.* 44. *n* 12. & 13. Sed, quid specialiùs de hac re asserendum sit, attendendæ sunt singularum Religionum constitutiones, vt aduertunt omnes ferè Doctores. Et quid circa hoc disponatur in constitutionibus nostræ Vallumbrosanæ Congregationis, vide *supra, disput.* 1. *quæst.* 6 *sub. n.* 4. 4.

QVÆSITVM IX.

In quibus casibus possint Abbates, & Prælati bona suorum Cœnobiorum, & Ecclesiarum, inconsulto Romano Pontifice, alienare.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio qualibet, etiam in casu licito, & serua-*

tis iuris solennitatibus, hodie est Romano Pontifici reseruata.

2 *Res immobiles modici valoris, absque solennitatibus, & assensu apostolico, alienari possunt.*

3 *Res modici valoris, quæ dicantur.*

4 *Alienandi magna necessitate instante, ita vt non possit de facili Summus Pontifex adiri, potest fieri alienatio, ipso inconsulto.*

5 *Abbas potest repudiare legatum, vel hereditatem Monasterio præscriptam; nondum autem acquisitam.*

6 *Prælatus potest præiudicare Ecclesiæ in acquirendis, non in acquisitis.*

7 *Repudiatio non dicitur alienatio.*

8 *Abbas an possit bona Monasterij cum aliis bonis alterius Monasterij, vel Ecclesiæ, absque solennitatibus permutare.*

9 *Transigere potest Abbas absque solennitatibus, quando Monasterium non esset in possessione illius rei, super qua transactio fieret.*

10 *Caducitatem emphyteutæ sui Monasterij remittere potest Abbas absque solennitatibus.*

11 *Abbas Monasterij res restitutioni subiectas potest absque solennitatibus restituere.*

12 *Alienare potest Abbas bona Monasterij sine solennitatibus in remunerationem meritorum alicuius.*

13 *Donatio, quæ dicatur.*

14 *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

1. QVælibet alienatio, etiam in casu licito, & seruatis iuris solennitatibus, regulariter hodie est Romano Pontifici reseruata per Extrauag. Pauli II. *Ambitiosæ. de reb. Eccles. non alien.* Aliqui tamen in ea casus excipiuntur. Primus est locationis, & conductionis per triennium, de qua materia latius *infrà* sermonem instituemus. Secundus est in rebus, quæ seruando seruari non possunt: & de hoc itidem *suprà* fusè dictum est. Tertius casus est in emphyteusi habente tres conditiones, nempe, in casibus à iure permissis, & de bonis ab antiquo emphyteuticari consuetis, & cum euidenti Ecclesiæ vtilitate; de qua re etiam *infrà* specialis sermo est habendus. Et hi tres casus excipiútur *per d. Extrauag. Ambitiosæ.* in quibus permittitur alienatio bonorū ecclesiasticorum, absque eo quòd consulatur Sedes apostolica; vltra quos sunt & alij, in quibus eadem Extrauagàns locum non habet; & possunt Abbates bona Monasteriorum, inconsulto Summo Pontifice distrahere.

2. Quartus casus, qui est primus post prædictos in Extrauaganti contentos, & in quo non habet locum d. Extrauag. est in re immobili parua, quæ potest alienari ab Abbate, absque solennitatibus, & assensu apostolico, vt habetur *in cap. Terrulas.* 12. *quæst.* 2 in quo casu tria copulatiuè requiruntur; nempe, quòd res sit exigua, quòd non sit vtilis Ecclesiæ, & quòd alienatio fiat ex causa necessitatis. Rebuff. *in compend. alienat. rer. Eccles. n.* 6. *&* 122 Redoan. *de reb. Eccles. non alienan. quæst.* 13. *n.* 19. *& q.* 51. *cap.* 8. *&* 20. *n.* 6. Aloys. Ricc. *in praxi for. Eccles. decis.* 39. *in* 5. *edit. & resol.* 36. *in* 2. *edit.* Seraph. *decis.* 401. Vgolin. *de potest. Episcop. cap.* 14. §. 7. *num.* 4. Quarant. *in Summa Bull. verbo, Alienatio rerum ecclesiasticarum, n.* 41. vbi addit, Sacram Congregationem Concilij censuisse; nec Constitutionem Pauli II nec Concilium Tridentinum derogasse dispositioni *cap. Terrulas.* 12. *quæst.* 2. Et addit, iuramentum Abbatis, & Prælati de non alienando, &c. non extendi ad hanc rem exiguam, vt docet etiam Abbas *in cap. fin. de Eccl. ædif. in cap. Super. de reb. Eccle. & cap.* 2. *de feud.* Redoanus *d. q.* 13. *locis citatis.*

Minimum autem, & modicum attenta qualitate rei, Monasterij, Iudicis arbitrio esse relinquendum, ait Redoan. *d. tract. q.* 10. *n.* 14. Quaranta *d. n.* 41. Praxis Archiepiscop. Neapol. *cap.* 60. Riccius *dict. decis.* 39. *in* 1. *edit. ad fin.* Qui Iudex inspicere debet, an Monasterium sit pauper, & tenues redditus habens; vel diues, & satis abundans; ac etiam consuetudinem terræ, & temporum, locorúmque, & rerum qualitatem attendere debet, Panormit. *in cap.* 1. *num.* 8. *de in integr. restit.* Quaranta *in d. n.* 41. *in fin.* Riccius *d. decis.* 39. & *d. resol.* 36. *in fine*, qui *in decis.* 113. *n.* 5. *in* 1. *edit. & resolut.* 98. *n.* 5. *in* 2. *edit.* refert ex nonnullorum sententia, idem procedere in locatione exigui valoris, quæ fieri potest vltra triennium, Bonacina autem *de alien. punct.* 4. *n.* 1. §. *Ad cognoscendum.* dicit, quòd regulariter loquendo, terrula, quæ vix ascendit ad valorem decem aureorum, censetur esse modica. Ita etiam Genuensis *in prax. Neapolit.* Franciscus autem Leo *in thesaur. fori Eccl. part.* 1. *n.* 6. putat, quòd pro indicanda huiusmodi re minima, attendenda sint decreta prouincialia, & synodalia, cuiuscunque patriæ, in quibus attenditur loci consuetudo. Praxis autem Curiæ Romanæ circa rem modicam attendenda est ex decisione vltima posita *in fi. Operis.* 3.

Quintus casus, in quo, inconsulto Romano Pontifice, potest Abbas alienare, est, quando instaret summa necessitas alienandi, adeò vt non posset de facili adiri Summus Pontifex: quia esset periculum in mora. Abb. *in cap. fin num* 8. *de Eccles. ædific.* Rebuff. *d. Compend. num.* 35. Redoan. *quæst.* 13. *num.* 13. *cum seqq. & quæst.* 9. *num.* 51. *& quæst.* 35. *num.* 7. Vgol. *de potest. Episcop. cap.* 14. §. 7. *n.* 5. Quaranta *d. verbo, Alienatio rer. Eccles. num.* 42. 4.

Sextus casus est, in re mobili minùs pretiosa, vt per Redoan. *quæst.* 51. *cap.* 1. *num.* 4. Quarantam *ibid. vers. Octauo, limita*

Septimus casus, in quo non habet locum dispositio *d. Extrauag.* est in repudiatione, seu remissione legati, vel hæreditatis Monasterio præscriptæ; nondum autem acquisitæ, seu incorporatæ. In quo casu magna est Doctorum controuersia. Quidam enim sententiam negatiuam tuentur, nimirum, legatum Ecclesiæ relictum, quanuis nondum acquisitum, non posse per Abbates, siue Prælatos repudiari, absque solennitatibus: quia, etsi Ecclesia nondum acquisiuit dominium rei; acquisiuit tamen ius ad rem, quo iure non potest (vt ipsi aiunt) Prælatus eam ptioare. Ita Sylu. *verb. Alienatio, num.* 18. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 24. *dubit.* 10. *n.* 65, Molin. *de iust. tomo.* 1. *tract.* 2. *disput.* 468 *n.* 11. & alij. Aliis sententia affirmatiua verior videtur; nempe, quòd cùm hæreditas præscripta, nondum tamen Ecclesiæ, & Monasterio incorporata, dicatur ius acquirendum; idcircò licere Abbati, & aliis Prælatis eam, inconsulto Summo Pontifice, repudiare. Ita consuluit Federic. de Sen. *cons.* 24. tenet Ioan. Andr. *in cap. Cùm Apostolica. de his, quæ fiunt à Præl.* Lap. *alleg.* 16. Rota *in vna Auersana Sancti Benedicti*, 5. Nouembris, 1597. coram Lina, & *decis.* 30. *lib.* 2. *p* 3 *diuers* Put. *decis.* 16. *lib.* 2. Suar. *de Relig. tomo.* 4 *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 17. & alij apud Riccium *d. decis.* 96. *in princip.* quia Abbas siue Prælatus potest præiudicare Ecclesiæ in acquirendis. Ias. & Rip. *in l. Legatum. ff. de legat.* 1. Rebuff. *in Compend. alien. n.* 30. Præterea adest super hoc prædictum priuilegium Iulij III. concessum Societati Iesu, vt habetur *in Compend. priuileg. eiusdem Societ. tit. Alienatio*, §. 1. & aliud Gregorij VIII. § 2. qui concesserunt, quòd *Præpositus Generalis eiusdem Societatis pro tēpore existens, vel ipsa Societas generaliter congregata possint, actionem etiam in non possessorem*

5.

6.

rem cedere, & repudiare. Per quæ verba manifestè apparet, quòd Prælati Generales, & Capitulum generale ob communicationem prædictorum priuilegiorum possint, sine licentia Romani Pontificis, & consensu Monasteriorum, quibus tale legatum præscriptum esset, repudiare; nec dicta priuilegia, quoad hanc partem videntur derogata per decretum Sacræ Congregationis Concilij de rebus Regularium non alienandis Sanctissimi D. N. Vrbani Papæ VIII. iussu editum, quod suprà retulimus: ibi enim prohibetur alienatio,
7. sicuti & in dicta Extrauag. Pauli II. Sed repudiatio non dicitur alienatio, *l. Alienationis. ff. de verb. signif.* Ergo quoad hanc partem non videntur derogata prædicta priuilegia per illud decretum.

8. Septimus casus est in permutatione bonorum Ecclesiæ, vel Monasterij cum aliis Prælatis, vel Rectoribus Ecclesiarum, quæ licitè, absque solennitatibus fieri potest, *per cap. Hoc ius porrectum. §. Sibi inuicem. 10. q. 2. cap. 1. de reb. Eccles. non alienan. cap. Ad quæstionem. de rer. permut.* resoluit Riccius *in praxi decis. 74. n. 3. & 4. in 1. edit. & resolut. 60. in 2. edit.* vbi *in fin. & in resolut. 35. etiam in fine* inquit, in praxi contrariũ obseruari, nempe, quòd in permutatione quoque requiratur assensus Summi Pontificis. Ita etiam Barbos. *de offic. & potest. Episcop. parte 3. alleg. 95. n. 57. in fine.*

9. Octauus casus est, vt possit Abbas transigere absque solennitatibus, quando Ecclesia, vel Monasterium non essent in possessione illius rei, super qua fieret transactio; aliàs non valeret, vt aiunt Rebuff. *d. Compend. n. 21.* Quaran. *d. verb. n. 43. vers. Duodec. limita.*

10. Nonus casus est, vt possit solus Abbas remittere caducitatem emphyteutæ Ecclesiæ, vel Monasterij sibi subiecti. Ias. *in l. Legatum. num. 18 ff. de legat. 1.* idem Quarant. *vbi supra, num. 44.* & alij. Sed de hac latiùs *infrà.*

11. Decimus casus est, in restitutione rei restitutioni subiectæ, putà, si aliquis reliquit bona sua Monasterio; cum conditione tamen, vt post certum tempus alteri restituerentur, in quo casu potest Abbas post lapsum dicti temporis, absque aliis requisitis solennitatibus, bona ipsa restituere, adimpleta conditione, *arg. l. 1. & 3. C. quando decr. opus non est.* Quaranta *d. verb, Alienatio rer. Eccles. n. 45.*

12. Vndecimus casus est pro remuneratione meritorum, ad quam faciendam potest Abbas Monasterij bona alienare. Gloss. *in cap. Consensus. verb. de familia. de reb. Eccl. non alien.* Tiraq. *in l. Si vnquam. verb. Donatione largitus. num. 27. ff. de reuoc. donat.* nam donatio antidoralis, seu quæ fit causa remunerationis, non est vera donatio: quia est potius quædam permutatio, siue compensatio seruitij recepti: quod colligitur ex diffinitione donationis tradita *in l. 1. post. pr.*
13. *ff. de donat.* vbi dicitur, quòd illa est propria donatio, ad quam donator mouetur, nulla alia præcedente causa, nisi vt exerceat munificentiam, & liberalitatem quandam: sed obligatus ad antidora non donat solùm, vt exerceat liberalitatem, sed potiùs vt soluat debitum naturæ. Ita Barthol. *in prœm. digestorũ,* quẽ refert, & sequitur Panormit. *in rubr. de donat. num. 3. & cap. Per tuas. num. 6. eod. tit.* Quod est intelligendum, dummodo donarentur mobilia, & dummodo Prælatus donationis metas non excederet, vt ait Camill. Borrell. *in Summ. omn. decis. tit. 15. num. 12. 13. & 14.* quem refert, & sequitur Barbos. *de offic. & potest. Episc. parte 3. allegat. 95. num. 67.* In his casibus regulariter possunt Abbates bona immobilia, & mobilia pretiosa, sine licentia Sedis apostolicæ, alienare: & quia exceptio firmat regulam in contrarium, *l. Nam quod. §. fin. ff. de penu. legat. cap. Dominus. 32. q. 7.* in aliis casibus non poterant, absque licentia Sedis apostolicæ, & non seruatis aliis solennitatibus, alienare.

QVÆSITVM X.

An mortuo Abbate, possit interim Conuentus alienare.

SVMMARIVM.

1 *Conuentus, mortuo Abbate, nihil potest interim alienare, nisi quòd seruando seruari non potest.*

2 *Alienatio bonorum Ecclesiæ vacantis pro iusta causa, perpetuò facta, nulla est, nisi habeat defensorem legitimè constitutum.*

Conuentum, mortuo Abbate, interim nihil posse alienare, nisi quod seruando seruari non potest, 1.
habetur *in l. Lex, quæ. C. de administr. tut.* licet enim regulariter, mortuo Abbate, spiritualis, & temporalis administratio transferatur ad Conuentum, *c. Cum dilectus. de consuetud. c. 2. de integr. restitut. cap. vnico, de regular. in 6.* non tamen ad illum deuoluitur collatio beneficiorum, & alienatio bonorum, *c. 1. ne Sede vacante,* vbi Butr. distinguit, quòd aut constat, alienationem esse damnosam Monasterio; & sic Conuentus non potest eam facere: aut constat, esse vtilem; & tunc potest. Vel est dubium, an vtile, vel damnum afferat; & tunc eius validitas ex successoris approbatione pẽdet. Quod etiam videtur sequi Panormit. *ibid.*

Aduertendum tamen est, quòd alienatio bonorum 2.
Ecclesiæ vacantis, pro quantumuis iusta causa perpetuò facta nulla est, nisi Ecclesia habeat defensorem legitimè constitutum. Fabian. de Mont. *in tract. de empt. & vendit. q. 3. vers. 17.* Gloss. ordinaria *in c. Is, cui de elect. in 6.* In Monasteriis verò Regularium, cùm nunquam desit legitimus defensor; quippe quia mortuo Abbate, remanet Prior claustralis, habens omnem potestatem, quam habebat Abbas; necnon etiam Abbates, & Prælati Generales, & Superiores, qui non modò eadem, sed etiam maiori authoritate pollent; idcircò tales Ecclesiæ nunquam carent defensore legitimo, qui habet facultatem alienandi id, quod permissum erat defuncto Abbati.

QVÆSITVM XI.

An Prior existens sub Abbate exempto possit alienare.

SVMMARIVM.

1 *Prior Monasterij habentis bona distincta; subditus tamen alicui Abbati exempto, poterit cum Abbatis consensu, seruatis solennitatibus alienare.*

2 *Iuramentum Abbatis de non alienando, Romano Pontifice inconsulto non extenditur ad id quod non est de sua mensa.*

Respondeo distinguendo de Priore, qui vel erit 1.
claustralis, prout sunt Priores in vnoquoque Monasterio, & talibus nullo modo alienare permissum est. Vel erit Prior Monasterij habentis bona distincta, qui existens sub aliquo Abbate exempto, si velit alienare, debet in alienatione Abbatis consensum requirere; vt notat *in capite 1. de reb. Eccles. non alienan.*

Ratio huius est: quia, cùm res talis Prioratus non 2.
sint de mensa Abbatis, sed de mensa Prioris, iuramentum Abbatis de non alienando, Romano Pontifice inconsulto; non extenditur ad id, quod non est de

sue

ſua menſa, *cap. Vt ſuper. de reb. Eccleſ. non alien.* huiuſmodi autem alienatio intelligenda eſt, vt fiat ſeruatis ſolennitatibus, & conditionibus deſideratis de iure per Extrauagantem Pauli II. ſæpiùs repetitam, *Ambitioſæ. de reb. Eccleſ. non alien.* quas diximus ſeruandas eſſe in alienationibus per Abbatem faciendis.

QVÆSITVM XII.

Quas pœnas incurrant Abbates alienantes bona ſuorum Cœnobiorum, inconſulto Romano Pontifice, & contra formam Extrauagantis, Ambitioſæ.

SVMMARIVM.

1 *Abbates bona Monaſteriorum malè alienantes, quas pœnas incurrant per Extrauagantem,* Ambitioſæ.

2 *Abbates malè alienantes, & ſine expreſſa S. Congregationis Concilij licentia, incurrunt pœnam priuationis.*

3 *Abbates, qui abſque debita ſolennitate alienarunt, ſi ante realem traditionem reuocent contractum, an incurrant pœnas*

4 *Prælati inferiores, & Commendatarij, ac aliarum Eccleſiarum Rectores malè alienantes, quas pœnas incurrant,*

5 *Bona Eccleſiæ malè alienata liberè ad Eccleſiam reuertuntur.*

6 *Epiſcopi, & Abbates, quibus ſuarum Eccleſiarum expeditur particularis Bulla, malè alienantes incurrunt pœnam periurij.*

7 *Eccleſiaſtici, tam ſæculares, quam regulares, modò non ſint Epiſcopi, vel Abbates, qui malè alienant, excommunicationem incurrunt. Limita, vt n. 8. 9. 10. & 11.*

12 *Extrauagans,* Ambitioſæ. de rebus Eccleſiæ non alienandis, *an ſit recepta.*

1. IN prædicta Extrauaganti Summus Pontifex, poſtquam interdicit bonorum eccleſiaſticorum alienationem, addit pœnas alienantibus, & his, qui res alienatas recipiunt, vt habetur ex verbis ipſius Conſtitutionis *ſuprà q. 1. relata*, ex quibus conſtat, quòd Abbates alienantes bona Monaſteriorum incurrunt pœnam excommunicationis; & interdicitur eis ingreſſus Eccleſiæ, ipſo facto: quòd ſi in tali interdicto animo indurato per ſex menſes immediatè ſequentes perſeuerauerint, ſuſpenduntur eo ipſo à gubernatione Monaſteriorum, & Eccleſiarum, quibus præſunt: quas pœnas incurrent, tam ſi alienabunt contra tenorem dictæ Conſtitutionis, quam inconſulto Romano Pontifice: quia in dicta Conſtitutione dicitur, quòd alienans bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c. inconſulto Romano Pontifice, aut contra ipſius Conſtitutionis tenorem, incidat in pœnas ibi contentas. Et ſic ſufficit ad eas incurrendas, quòd alienatio fiat contra tenorem illius Conſtitutionis: vel, quòd fiat abſque licentia Sedis apoſtolicæ, quia ad veritatem alternatiuæ ſatis eſt, quòd altera pars verificetur, *per regul. In alternatiuis. de regul. iur. in 6* Nauar *tom. 1 conſ. tit. de alienatione rerum eccleſiaſt. conſ. 13.* Barboſ. *de offic. & poteſtate Epiſcop. part. 3. allegat. 95. n. 47.*

Hîc autem aduertendum, quòd hæc excommunicatio non reſeruata, vt notauit Angelus *verbo, Excommunicatio, 7 caſu 78.* Inſuper notãdum, quòd cùm in dicto textu dicatur: *Tam qui alienat, quam qui res alienatas, ſeu bona eccleſiaſtica receperit, ſententiam excommunicationis incurret.* illa excommunicatio ſolùm propter alienationem lata eſt: alienatio autem in eo textu vocatur omnis contractus, quo transfertur in alium vſusfructus, vel dominium vtile rei etiam temporale, vltra tempus præſcriptum. Et proptereà omnia pacta ibi numerata ſunt ſpecies quædam alienationis; ideóque excommunicationem ibi in alienantes latam incurrunt omnes pacta ibidem numerata facientes. Ita Suarez *de cenſur. diſp. 22. ſect. 6. n. 6.* Supradictas pœnas incurrent Abbates alienantes bona Monaſteriorum abſque ſolennitatibus, & contra formam dictæ Conſtitutionis, aut ſine facultate, & authoritate Summi Pontificis ex dicta Extrauaganti.

At per Decretum Sacræ Congregationis Concilij de rebus Regularium non alienandis, editum nouiſſimè anno 1624. iuſſu S.D.N. Vrbani VIII Pontificis Maximi, præter ſupradictas pœnas, ſi alienauerint, abſque ipſius Congregationis Concilij expreſſa licentia, in ſcriptis obtinenda, incurrent in pœnam priuationis omnium officiorum, tunc temporis ab eis obtentorum, ac priuationis etiã vocis actiuæ, & paſſiuæ, cum perpetua inhabilitatione ad ea in poſterum obtinenda: & hanc pœnam incurrent ipſo facto abſque alia declaratione, vt habetur *in dicto Decreto.* 2.

Si quæras, an qui alienauit abſque debita ſolennitate, ſed pœnitentia ductus alienationem reuocauit ante realem traditionem, liberetur à cenſuris comminatis in dicta Extrauag. *Ambitioſæ.* Reſpondeo, quòd ex vna parte videtur non eſſe excuſatum: quia adhuc dicitur alienaſſe ſine debita ſolennitate: quia iam conſenſus perfectus fuit in contractu, ratione cuius poteſt quis dominium, & ius in rem acquirere ante adeptam poſſeſſionem; probabilis tamen eſt oppoſita ſententia: quod firmiter, & conſtanter aſſeritur à Nauar. *conſ. 18 de rebus Eccleſiæ alien.* Couar. 2. *variarum, c. 16 n. 7.* Iaſone *in l. finali, n. 132. C. de iur. emphyteutico.* Filliucio *tract. 14. n. 119.* & Soprano apud Filliucium *tract. 44. c. 6. q. 5.* Sed de hac re iterum redibit ſermo. 3.

Inferiores etiam Prælati, Commendatarij, & aliarum Eccleſiarum Rectores beneficia, vel adminiſtrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præpoſituris, Præpoſitatibus, adminiſtrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliiſque beneficiis cum cura, & ſine cura tam regularibus, quàm ſæcularibus, ipſo facto priuati exiſtunt ex eadem Extrauaganti, vt etiam docent Redoanus *de rebus Eccleſiæ non alienandis, q. 76. n. 30.* & Rota *in nouiſſimis, deciſ. 896 par. 3. lib. 3.* & dictio illa, *ipſo facto,* eſt latæ ſententiæ, *l. fin. §. Sciuros. C. locat. cap. Cupientes, ff. Cæterum.* & ibi Gloſſ. *in verb. ſuſpenſos,* & Cardinalis *de elect.* Roman. *conſ. 127. num. 9.* Decius *conſ. 138.* Vnde eorum beneficia, quorum bona alienarunt, tanquam vacantia ab Ordinariis locorum poterunt conferri, dummodo ſpecialiter, vel generaliter non ſint Sedi apoſtolicæ reſeruata *ex eadem Extrauaganti,* & Rebuff. *loco cit. n. 11.* & Redoano *ſimiliter loco cit.* 4.

Imò bona, & res alienatæ ad Eccleſias, & Monaſteria, & loca pia, ad quæ ante locationem, vel alienationem pertinebant, liberè reuertuntur, & d. Conſtitutio corrigit ius antiquum, & remouet quæſtiones, & difficultates oriuendas, & præſertim à Redoano *in d. tract. de reb. Eccleſiæ non alienandis,* & à Rebuffo *in Compend. eod. tit.* vt docet Franciſcus Leo *in theſauro fori eccleſ. part. 1. c. 25. n. 56.* 5.

Inſuper Epiſcopi, & Abbates, quibus in prouiſionibus ſuarum Eccleſiarum expeditur particularis Bulla, in qua iurant, non alienare bona ſuarum Eccleſiarum, pœnam periurij incurrunt, vt docet Rebuffus *loc. cit. n. 113.* & omnes etiam beneficiarij iuſti in principio, non alienare, nec diminuere bona Eccleſiæ, per textum *in c. Prohibemus de cenſ.* ſicut etiam præſtant iuramentum 6.

ramentum omnes Priores, Præpositi, Archidiaconi, & alij in Collegiata, qui priorem post Pontificalem dignitatem habent, qui omnes eandem pœnam periurij incurrunt; & in odium alienantium, & pœnam, res alienatæ, nullo restituto pretio, redeunt ad Ecclesiam, *cap.*1. *de schism.* & emptor habere poterit regressum contra alienantem, vt ibi Abbas *in fine cap. Si quis Presbyterorum.* & *ibi* Gloss. final. Rebuff. *in eod. Compend. num.*115. Redoanus *loco cit. q.*76. *n.*30.

7. In easdem pœnas incidunt omnes Ecclesiastici malè alienantes, tam sæculares, quàm Regulares, qui excommunicationem incurrunt, modò non sint Episcopi, vel Abbates: quia, vt diximus, isti puniuntur interdicto, ab Ecclesiæ ingressu, & suspensione, vt constat ex verbis ipsius Extrauagantis, *Ambitiosæ.*

8. Limitatur tamen cum Zabatella *Clem.*1. *de rebus Eccles. non alien. q.*21. *n.*28. & Filliucio *tract.*44. *cap.*6. *q.*4. *n.*4. modò, qui aliquid alienat, administrationem habeat, quia *in d. Extrauag.* sermo est de Prælatis, beneficiariis, & aliis habentibus administrationem: vnde subditus, vel alius quicunque nullam habens administrationem, si tamen arbores, verbi gratia, incidat, domum destruat, aut aliquid Ecclesiæ demoliatur, siue alienet, non ligatur ista excommunicatione, & pœnis: ligabitur tamen excommunicatione Summo Pontifici reseruata in Concilio Trid. *sess.*12. *c.*11. Ita affirmat Franciscus Leo *in Thesauro fori eccles. part.*1. *c.*15. *n.*53. Et si beneficiatus sit, priuabitur ipso facto beneficiis absque alia declaratione *ex d. Extrauaganti cit.*

9. Secundò limitatur, dummodo alienantes scienter alienent, cùm dicatur in dicta Extrauaganti, *Ambitiosæ, &c. quicquam alienare præsumpserit*: præsumptio autem supponit dolum, & scientiam: vnde alienans ex ignorantia iuris, vel facti excusatur à censura, modò ignorantia non sit coniuncta cum temeritate. Ita Nauar. *consil.*19. *de reb. Eccles. non alienand.*

10. Tertiò limitatur, modo fuerit secuta alienatio: quia pœna imposita facienti non incurritur ob criminis attentationem.

11. Quartò limitatur, si alienatio fiat bona fide, & absque dolo. Ita Bonacina *tract. de alien. punct.* 1 *n.*6.

12. Dubitatur tamen, vtrùm prædicta Extrauagans continens huiusmodi pœnas, fuerit recepta. Bertachinus *in tract. de Episc. part.*4. *lib.*4. *q.*36. *num.*19. testatur, vbique esse receptam. Syuester *verbo, Alienatio, num.* 15. fatetur non esse moribus vtentium receptam. Nauarrus *in Manuali Confessorum, cap.*27. *num* 149. dicit, quod in paucis locis est recepta quoad pœnas extrinsecas, quamuis in multis sit recepta quoad dispositionem principalem, & pœnam intrinsecam nullitatis contractus. Caietanus *in Summa num.*75. *de excommunic. in fin.* dicit esse vbique receptam, & quod alicubi videtur recepta, non in totum, sed quoad aliquid; & ideò cautum debere esse Confessarium, vt sciat consuetudinem patriæ: & Nauarr. *loco cit. num.* 150. dicit, quòd in Lusitana non videtur recepta quoad locationem in solos tres annos: quia passim fiunt locationes per quatuor annos: & quòd Salmanticæ iam tulit sententiam, qua iudicauit, nullam fuisse quandam locationem factam in plures, quàm in tres annos. Clericum autem, qui eam fecit, non debuisse iudicari excommunicatum, *iuxta cap.* 1. *Ne Prælati vices suas.* vnde inquit se credere, in paucis locis esse receptam quoad pœnas; quamquam in multis sit recepta quoad dispositionem principalem, & pœnam intrinsecam nullitatis alienationis.

Bonacina dicit, quòd inspicienda est, & attendenda locorum consuetudo, illique standum est in hac re. Nam fieri potest, vt prædicta Extrauagans sit recepta quoad vnam partem; non vero quoad aliam: quoad obligationem; non verò quoad pœnas: quoad nullitatem locationis, vel alienationis factæ sine solennitate; non verò quoad pœnas. Mediolani tamen videtur recepta non solum quoad obligationem; verùm etiam quoad pœnam excommunicationis. Quo verò ad pœnam priuationis beneficij ante Iudicis sententiam, credit non esse receptam: & dicit, quod non obstat praxis, & casus Sacræ Pœnitentiariæ, in qua delinquentes absoluuntur, & ad beneficia rehabilitantur: quia, vt dicit ipse hoc fit ad pacandas conscientias: & addit, non esse receptam quoad assensum apostolicum in alienatione quorumlibet bonorum ecclesiasticorum, quia bona aliqua ecclesiastica vendi consueuerunt de licentia Episcopi, non petito assensu apostolico.

Verùm esse vsu receptam, & ita præsumi affirmant Riccius *in collect. decis. part.*5. *collect.*1673. *in principio.* Henriq. *in Summa, lib.*13. *cap.*56. § 3. *litt. l.* Baldus *decis.* 91. & Rota Roman. *in vna Brixiensi locationis,* 1594. coram Pegna in qua dictum fuit. Rotam non seruare decisionem Mobedan. dicentem probandum esse vsum dictæ Extrauagantis: quod etiam fuit dictum *in vna Melitensi Abbatiæ.* 24. Ianuarij, 1590. coram Gyptio. Vnde esse receptam, & obseruari in ciuitate, & diœcesi Neapolitana, affirmat Genuensis *in praxi Curiæ Archiepiscopi Neapolitani, cap.*60. *num.*1. & in Hispania affirmat Melchiphebos Lusitan. *decis.*82. *n.* 18. obseruari, licet Coarruuias affirmet, apud Hispanos dubium esse, an sit in vsu. Quicquid sit, non nisi ex Summi Pontificis conniuentia fieri certum est, cuius leges prætereiri non possunt. Et Barbosa *de officio, & potestate Episcopi, part.*3. *allegat.*95. *n.*49. dicit, quòd in Regno Lusitaniæ est recepta.

DISPVTATIO XIV.

De potestate Abbatum, & Prælatorum inferiorum, quoad bona suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum locanda, siue in emphyteusim, vel feudum concedenda.

VIII. Vtrùm

VIII. Vtrùm Abbas poſſit dare in emphyteuſim rem ſolitam emphyteuticari, cum conditione, ne emphyteuta incidat in commiſſum ob canonem non ſolutum; & quomodo intelligatur tertia, & quarta generatio.

IX. Vtrùm Abbas poſſit dare in feudum vel emphyteuſim, ſuis conſanguineis res Monaſterij ſolitas infeudari, vel emphyteuticari.

X. Vtrùm ſit validus contractus alienationis, locationis, & ſimilium, non obtento beneplacito apoſtolico, etiam cum clauſula: *Reſeruato beneplacito apoſtolico, nec aliter, nec alio modo.*

QVÆSITVM I.

Quomodo liceat Abbati bona ſui Monaſterij locare.

SVMMARIVM.

1 *Abbas poteſt ad modicum, & breue tempus, bona ſui Monaſterij locare.*
2 *Modicum, & breue tempus triennium intelligitur.*
3 *Mandatum ad locandum res Eccleſiæ, vltra triennium non poteſt alteri concedi.*
4 *Tempus triennij computandum eſt ex trina fructuum perceptione.*
5 *Locatio de rebus Monaſterij facta ab Abbate ad plures, quàm tres annos, inualida eſt etiam quoad triennium.*
6 *Locari poſſunt ad ſex annos res fructificantes ſolùm alternis annis.*
7 *Beneficiarius obligari poteſt, ſed perſonaliter, ad exhibendum ius percipiendi fructus ad multos annos, vel durante eius vita.*
8 *Promiſſio de re locanda non eſt locatio, nec alienatio.*

EX dictis in *ſuperiori diſputatione* viſum eſt, quomodo, & quæ bona Monaſterij liceat Abbati alienare. Videndum eſt in præſenti, quomodo poſſit illa locare. Dicimus autem ipſum poſſe res ſui Monaſterij ad modicum, & breue tempus locare, *Clem.* 1. 1.
de reb. Eccleſ. non alien. c. final. ne Præl. vic. ſuas. Quod modicum, & breue tempus ante Extrauag. *Ambitioſæ*, quoad Abbates, & Prælatos Regulares Iudicis arbitrio definiendum relinquebatur: iux. gloſ. *in dict. Clem.* 1. *verb. Modicum.* quam eſſe communiter receptam dixit Alexander *in l. Si filiofamilias §. vlt. col. penult. ff. ſolut. matrim.*

2. Verùm *poſt. d. Extrauag.* modicum, & breue tempus intelligitur triennium: quia per eam omninò prohibetur locatio rerum eccleſiaſticarum vltra trienniũ: quod etiam confirmant Couarr. *variar. reſol. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 4. Maſcard. *de probat. concluſ.* 603. *num.* 28. Henriq. *in Summ. lib.* 13. *cap.* 40. §. 1. Azor. *inſtit. moral. parte* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 3. Plures refert. Cened. *ad decretal.*
3. *collect.* 76. *n.* 1. quæ conſtitutio prohibens locationem rerum Eccleſiæ vltra triennium, ita eſt interpretanda, vt non ſolùm locatio vltra triennium facta inualida ſit, nec teneat; verùm nec etiam mandatum ad locandas res Eccleſiæ poſſit alteri concedi vltra triennium. Vnde, ſi daretur alicui mandatum ad locandas res Eccleſiæ, ad triennium tantùm intelligendum erit, quo tranſacto procurator non poterit, ſine noua commiſſione, etiam in aliud triennium res Eccleſiæ locare. Item ſi mandatum expreſsè tradatur ad locandas res Eccleſiæ, bis, ter & pluries ad triennium; tamen mandatum expirat, elapſo primo triennio: nam aliàs poſſet fieri fraus prohibitioni iuris canonici. Ita Decius, quem refert, & ſequitur Couar. *d. cap.* 16. *n.* 6. *verſ. Quartò eadem.*

Tempus autem triennij computandum eſt ex trina fructuum perceptione, vt ſi quolibet triennio vnus 4.
tantùm fructus percipiatur, triennium pro vno anno computabitur, & tunc poterit ad nouennium locare. Ita Couar. *d. num.* 6. *in princip.* Azor. *d. p.* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 8. *& lib.* 9. *cap.* 2. *q.* 2. Mantic. *de tacit. tomo* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *num.* 22. Nauar. *de alienat. rer. Eccl. num.* 21. Quarant. *in Summa Bullarum, verb. alienatio rer. Eccleſ. num.* 18. & fuit reſolutum *in Romana reſciſſionis contractus*, die 28. Nouembris, 1580. coram Clemente VIII. *& in Veliterna affictus*, 10. Decembris, 1593. coram Litta. Niſi tamen, cum terris, & arboribus dantibus fructum quolibet triennio, adeſſent bona admixta, ex quibus perciperentur fructus quolibet anno: tunc enim, ſi locatio eſſet facta pro vnico pretio, tanquam nulla in parte, eſſet nulla in totum, vt fuit deciſum *in Tiburtina locationis*, coram Card. Mellino, apud Marcheſ. *de Commiſ. parte* 1. *pag.* 106. *num.* 4.

Nec valet ad longum tempus locare: id enim expreſsè prohibetur *per d. cap. Nulli. de reb. Eccleſ. alienan. vel non. & per d. Clem.* 1. *eod. tit.* Nec poteſt locare bona Monaſterij ad decennium, vt aliqui volunt: quia locatio ad decem annos intelligitur ad longum tempus: quæ prohibetur; quia eſt alienatio, *l.* 1. *&* 2. *ff. Si ag. veſtig.* Dyn. Bart. & alij *in l.* 1. §. *Quod ait. ff. de ſuperfl.* Idē Bart. *in l. Codicillis.* §. *Inſtit ff. de leg.* 2. Federic. *conſ.* 123. Salycet. *in l. final. C. de re alien.* Paul. de Caſtro *in l. Manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur.* Alex. *in l. Filius.* §. *vltimo, ff. ſolut. matrim.* per Bald. *in cap.* 1. *in princip. col. penult. de his, qui feud. dar. poſſ.* Hodie autem non ſolùm ad decennium, ſed etiam vltra triennium ſemper intelligitur ad longum tempus per d. Extrauag. Pauli II. *Ambitioſæ.* ante quam poterant res Eccleſiæ locari ad nouennium, non ſeruata iuris ſolemnitate: tamen poſt illam non poſſunt, 5.
niſi ad triennium: & ſi ad plures annos fiat locatio, eſt irrita, vt patet per verba illius Extrauag. Et non ſolùm erit nulla quoad annos illos, qui triennium ſuperant; ſed abſolutè quoad omnes. Ita Couar *dict. cap.* 16. *num.* 5. Pinel. *in l.* 1. *p.* 3. *num.* 15. *in fin. C. de bon. matern.* Valaſc. *de iur. emphyt. quæſt.* 29. *num.* 15. Mantic. *de tacit. tomo* 1. *lib.* 5. *tit.* 5. *in princip.* Azor. *dict. part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 4. *& lib.* 9. *cap.* 2. *quæſt.* 4. Garc. *diſcept. forenſ. c.* 162. *n.* 22. Molin. *de contract. lib. q* 66 *&* 77. Tiraq. *de retract. lignager.* §. 23. *gloſſ.* 1. *n.* 12. Ricc. poſt alios *in praxi fori eccleſ. deciſ.* 117. *n* 6. *& deciſ.* 121. Atque ita deciſum fuit per Rotam *in vna Brixienſi locationis*, 5. Decembris, 1594. coram Penia, quæ eſt *deciſ.* 3c. *p.* 1. *recent.* vbi *num.* 3. aliæ deciſiones referuntur, *& in Comenſi locationis*, 20. Martij 1600. coram Pamphilio, impreſſa per Marcheſ. *de Commiſſ. part.* 1. *pag.* 107.

Aduertendum autem hîc eſt, res fructificantes ſo- 6.
lùm alternis annis locari poſſe ad ſex annos. Ita affirmant. Couar. 2. *variar. cap.* 16. Riccius *deciſ.* 105. Vaſquez *in opuſc. de reddit. c.* 16. Quaran. *in Summa Bullarij, verbo, Alienatio, n.* 18. Emmanuel Sà *verb. conductio, num.* 14. Hieronym. Sopranus apud Filliuccium *tract.* 44. *c.* 2. *q.* 3. Bonacina *tract. de alien. q. vnic. p.* 2. *num.* 24.

n.24.verſ. Aduertendum tamen. vbi citat Rebell. Azorium,& alios. Ratio eſt : quia,ſi cenſerentur tantummodo locatæ ad annos tres, cùm duo anni reſpondeãt vni anno , ſequeretur , quòd annus in locatione computaretur ex ſolo decurſu temporis ; non verò ex decurſu cum prouentu fructuum , vt dicunt Doctores
7. *in d. Extrauaganti , Ambitioſa.* &c. Imo addit ſupradictus Bonacina,poſſe beneficiarium obligare ſe obligatione perſonali ad exhibendam commoditatem , & ius percipiendi fructus ad multos annos , vel durante ipſius vita: quia in hoc caſu non dicitur alienare rem eccleſiaſticam , cum nullum ius rei transferat in alterum ; ſed ſolùm obligetur perſonaliter. Qua de cauſa aliqui Doctores excuſant beneficiarium , qui cedit alteri fructus beneficij ſui pro toto tempore ſuæ vitæ, ſi per ceſſionem huiuſmodi non transferat aliquod ius ad bona beneficij , ſed perſonaliter ſolùm obligetur ad dandum alteri , quod perceperit ex beneficio: quia hæc non eſt bonorum alienatio , ſed obligatio perſonalis. Sic affirmant Molina *de iuſtitia , diſp.366. n.5.* Sopranus *de alienat.c.2.§.3.q.3.num.29.* Nauarrus *de alien.n.1.* Quicquid dicant Azor.2.*tom.inſtit.moral. lib.7 cap.10 quæſt.6.* & Scortia *in ſelect. conſt.epitom. 43. theor.115.* qui affirmant, Clericum prohiberi locare bona beneficij cum publica ſcriptura ad triennium , ea conditione , vt , finito triennio , iterum eadem bona locet conductori ad aliud triennium, etiamſi fiat hoc duabus ſcripturis diſtinctis. Quæ quidem opinio non mihi videtur probabilis : quia promiſſio de re locanda non eſt locatio ; & hæc non eſt alienatio , ſed obligatio perſonalis alienandi; ideò opinio Azorij , & Scortiæ ſupracit. non videtur ſubſiſtere. Et idem eſt dicendum de illo , qui gratis cedit alteri diſtributiones per ſolam obligationem perſonalem,nulla facta obligatione reali,per quam transferatur ius in re , vel ad rem. Ita affirmant idem Bonacina *loco cit. verſ. Sed alierum* Sopranus *ſimiliter loco cit. c.4.q.2.* & Quaranta *loco cit.*

QVÆSITVM II.

Vtrùm Abbas poſſit locationem bonorum Monaſterij facere ad duo triennia,cum conditione,vt elapſo primo incipiat ſecundum.

SVMMARIVM.

1 *Locatio rerum Eccleſiæ ad duo triennia facta,cum conditione , vt elapſo primo incipiat ſecundum, omninò irrita eſt.*

2 *Prælatus ſi facta locatione bonorum Monaſterij ad biennium promittat conductori ore tenus , ſe in aliud triennium eadem bona iterum locaturum, locatio ad triennium facta valida eſt.*

3 *Locatio beneficij facta vltra triennium confirmata iuramento,an ſequi debeat.*

1. RЕſpondeo,quòd Bald *in cap.1.§. Si libellario.quib. mod.feud.amittatur.* & *in l. Voluntas.C. de fideicom.* tenuit, talem locationem valere, etiam quoad ſecundum , & tertium triennium. Contrarium autem nempe, talem locationem vltra triennium nullo modo tenere voluerunt *Lap. alleg.12.* Alex.*conſ.165.per tot.lib.2.*&*conſ.104.n.6.lib.3.* Ruin.*conſ.57.n.13.lib.1.* Valaſc. *de iur.emphyteut q.29 n 15.* vbi plures cumulat. Probatur hæc ſententia ex Authent. *de non alien. §.Quod autem prope finem,collat.2.* vbi,poſtquam prohibetur concedi res Eccleſiæ in emphyteuſim , niſi in vitam recipientis etiam duorum hæredum , & ſucceſſorum, dicitur irritam eſſe conditionem à quibuſdam apponi conſuetam , nempe, quòd finitis reliquis duabus generationibus, miniſtri Eccleſiæ tenerentur eandem rem ſequenti ſucceſſori concedere , ac illum reliquis præponere,per verba *d.text.* oſtenditur,dictã cõditionem eſſe machinamentum à iure reprobatũ: quia fit in fraudem legis. Ex quo etiam clare infertur , ob eandem rationem non valere pactũ initum vt elapſo primo triennio cenſeatur renouata locatio pro ſecundo,vt per Valaſc.& Doctores ſupracitatos. Couar. *variar.reſol.lib.2.cap.16.n.4.* Filliuc. *moral. quæſt.tom.2. tract.36.c.1.n.6.* Azor.*inſtit.moral.tom.2.c.10.q.3.* Cynus. Alberic. Petr.de Anchar. Card. Bart. Alex. Iaſ. Lapus,& alij,quos congeſſit Couar.*loc.cit.* Molin.*de iuſt. tract.2.diſp.466.col.fi.* Azor.*inſtit.moral.p.2. lib.9.c.2. q.3.* Barboſ.*de offic.& poteſtat.Epiſc.part.3.alleg.it.95. n.17.* Hoc autem eſt intelligendum,quãdo à principio fieret vnus cõtractus, & vna ſcriptura, nullius eſt momenti,cùm fiat fraus legi:& idem cenſeretur, ac ſi locatio fieret ad triennium. Similiter erit dicendum , ſi conficerentur duo contractus publici: quia parum refert,an locatio vno,vel duobus contractibus fiat, cùm vtroque modo ab initio bona reuerà vltra triennium ſint locata. Verùm, ſi locatio fit tantùm ad triennium, & de ea publicus contractus conficitur abſque vl-
la conditione de altera locatione ad ſecundum trien- 2.
nium , quamuis locans promittat conductori , finito triennio , ſe eandem rem locatam ad alterum triennium eidem locaturum , cùm de hoc ſcriptura publica non conficiatur , non intelligitur locatio vltra triennium facta ; ſed promiſſio locationis iterandæ. Quia per prædictam Extrauag. non videtur interdici , quin Abbates, & Rectores poſſint bona Monaſteriorum , & Eccleſiarum ad triennium tantummodò locata aliis vel ipſimet cõductori promittere,ad alterũ triennium ſe locaturos : quia , ſicut promiſſio futuri matrimonij non eſt matrimonium ; ita promiſſio futuræ locationis , nec etiam locatio erit cenſenda. Ita Azor *d cap.10.q.3.in fin.*

Hîc oritur dubitatio , vtrùm locatio beneficij fa- 3.
cta vltra triennium cum iuramento de non contrauueniendo , firmetur iuramento , ita vt ab ea recedere non liceat. Reſpondent aliqui DD. negatiuè : quia Extrauagans *Ambitioſa.* obligat ſub mortali, vt patet in verbis ipſius Bullæ , & ex pœna excommunicationis : vnde , cùm iuramentum ad peccatum non obliget,ſequitur , locationem illam non firmari iuramento,nec obligare. Ita affirm.Cordub. *qq. theolog.q.103.* Riccius *deciſ.122* Bonac *in tract.de alien.quæſt.vnic. punct.2.num.26.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm Abbas teneatur ſtare locationi factæ per ſuum prædeceſſorem.

SVMMARIVM.

1 *Abbatis ſucceſſor tenetur ſtare locationi prædeceſſoris,quando debita iuris ſolennitate facta ſit.*

2 *Locationes, quæ repræſentant pecuniã ; & ſolutionibus anticipatis , fiunt in præiudicium ſucceſſorum in beneficio,fieri prohibentur.*

3 *Cancellariæ epiſcopalis redditus locari non poſſunt.*

QVando Abbas bona ſui Monaſterij debita iuris ſolennitate ſeruata locauit, ſi interim,antequam locatio ab eo facta finiatur , ſuo muneri cedat ; eius ſucceſſor tenetur ſtare locationi à ſe factæ : quia Abbas

bas locator eſt Monaſterij bonorum legitimus adminiſtrator. Quatuor autem concurrere debent ad hoc, vt debita iuris ſolennitas obſeruetur. Primò, quòd locatio ſit facta nomine Monaſterij. Secundò, quòd ſit facta in vtilitatem ipſius Monaſterij. Tertiò, quòd pecunia in eiuſdem Monaſterij commodum ſit applicata. Quartò, quòd Superioris authoritas accedat, vt colligi poteſt ex Gloſſ. *in cap. vltimo, verb. Terminum. ne Prælat. vic. ſuas.* Couar. *variar. lib. 2. cap. 15. n. 6.* Molin. *de primog. lib. 1. cap. 21. à principio.* Barboſ. *de off. & poteſt. Epiſcop. part. 3. alleg. 94. n. 1.* vbi plures cumulat. Probatur autem hæc concluſio ex eo, quia Abbas in tali locatione ſe habet prout curator, & vt aliùs procurator legitimus in locatione bonorum, ad quam faciendam fuit legitimè conſtitutus. Vnde, quemadmodum, quorum nomine curator, ſiue procurator bona locauit, tenetur eius locationi ſtare, nec ab ea recedere poſſunt, *per l. Si tutela ff. de adminiſtr. tut.* ita Abbas ſuccedens in adminiſtratione, & regimine Monaſterij: tenetur obſeruare pacta locationum à ſuo prædeceſſore nomine ipſius Monaſterij legitimè confectarum. Ita Reginald. *in praxi fori pænit. lib. 25. num. 541.*

2. Locationes tamen, quæ repræſentata pecunia, & ſolutionibus anticipatis fiunt in præiudicium ſucceſſorum in beneficio, fieri prohibentur ex Decreto Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de reform. cap. 11.* quod etiam docent Piaſecius *in prax. Epiſc part. 2. cap. 4. num. 65.* Archiepiſc. Bononien. *part. 4. tit. de locat. rer. eccl. pag. 272.* Bellettus *diſquiſ. Cleric. part. 1. tit. de Cleric. debitore, §. 4.* Rebello *de oblig. iuſtit. part. 2. lib. 4. q. 5. num. 4.* Genuenſis *in practic. Eccleſ. quæſt. 166.* Barboſa *de iur. Eccleſ. lib. 3. cap. 3. n. 31.* vbi aduertit: quòd idem Concilium Trid. *d. cap. 11.* prohibet, iuriſdictiones eccleſiaſticas aliis locari, aut facultates nominandi, vel deputandi Vicarios in ſpiritualibus à conductoribus per ſe, vel per alios exerceri: quod docent Lancellott. *in inſtit. canon. tit. de ſimon §. Demum.* Beia *in reſponſ. caſ. conſc. part. 1. caſ. 37.* Suar. *de Relig. tom. 1. l. 4. de ſimon. c. 20 n. 5.* Sbrozzia *lib. 1. de off. Vicarij, q. 54.*

3. Redditus etiam Cancellariæ epiſcopalis, ſiue alterius Prælati ſimilis, etiam locari non poteſt; ſed debet exerceri dicta Cancellaria per Miniſtros ab Epiſcopo, & à Prælato deputando. Ita cenſuiſſe ſacram Congregationem Epiſcopis, & Regularibus præpoſitam 26. Auguſt. 1592. affirmant Barboſa *loc. cit. n. 34.* vbi etiam affirmat idem procedere de emolumentis tempore vacationis Sedis epiſcopalis ex iuriſdictione, & ſigillo, vel alio modo prouenientibus, quæ ad Vicarium, & Capitulum non ſpectant, cùm debeant futuro ſucceſſori reſeruari, ſi ad Epiſcopum Eccleſia non vacante peruenissent, ex Decreto ſacræ Congregationis, Concil. Trid. *in Agrigentina*, 17. Aprilis, 1627. apud eundem Barboſam *loco citato*: vbi ſimilem declarationem Sacræ Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ adducit ab eadem Sacra Congregatione habitum *in vna Cuſentina*, 14. Decemb. 1592. in quo decreto cenſetur quartam funeralem locari non poſſe.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbas poſſit bona ſui Monaſterij infeudare.

SVMMARIVM.

1 *Feudum quid ſit, & n. 7.*
2 *Vſus fructus quid ſit.*
3 *Infeudare prohibetur, cui prohibetur alienare.*
4 *Abbates, & omnes Prælati eccleſiaſtici bona ſuorum Monaſteriorum, & Eccleſiarum infeudare prohibentur.*
5 *Iure antiquo quid circa feudum facere poterant Epiſcopi, Abbates, & alij Prælati eccleſiaſtici.*
6 *Iure nouo, quid circa hoc ſtatuerit S. D. N. Vrbanus VIII.*

AD cognitionem huius materiæ de feudo plurimùm confert diffinitio ipſius, ne confundatur 1.
cum precariis, & vſufructu. Feudum igitur nil aliud eſt, quàm beneficium rei immobilis alicui ex beneuolentia, aut propter benemerita conceſſum, cuius proprietas apud dantem remanet; vſufructus verò, atque poſſeſſio ad recipientem, eiúſque legitimos ſucceſſores ſpectat. Precariæ verò, quæ emphyteuſis naturam ſequuntur, de rebus Eccleſiæ fieri non poſſunt, niſi ad vitam recipientis, *cap. Precaria. 10. q. 2.* & debent nihilominùs renouari de quinquennio in quinquennium, *c. 1. de precariis.*

Vſusfructus eſt præſtatio de rebus Eccleſiæ in re- 2.
compenſationem alicuius rei, quæ iure proprietatis datur Eccleſiæ; vnde poteſt pro ea re duplum aut triplum de rebus Eccleſiæ fructuario vſu concedi *ex d. cap. Precaria. 10. q. 2.* Si autem aliter contra formam præſcriptam fuerint factæ, non tenentur ſucceſſores promiſſa ſeruare. Ita Barboſa *de iur. eccleſiaſtico, lib. 3. cap. 30. num. 26. & 27.* Sed meliùs naturam feudi explicat Deciſio S. Rotæ Romanæ *in vna Mileuitana*, coram R.P.D. Merlino, Veneris 2. Martij, 1635. quæ cum plurimum conducat ad cognitionem feudi, & modum infeudandi; & alia neceſſaria, meritò in fine huius quæſiti eam apponere duxi.

Generaliter omnes dare poſſunt in feudum, qui li- 3.
beram ſuorum bonorum adminiſtrationem habent, nec ſunt à iure prohibiti. Is autem prohibetur infeudare, cui interdictum eſt alienare: quia datio in feudum cenſetur alienatio: nam nomine alienationis venit etiam translatio vel conceſſio dominij vtilis, quod quis habet in re aliqua, vt per Bald. *c. 1. in fin. per quos fiat inueſt.* Bart. *in l. final. C. de reb. alien. non alien.* vbi dicit, quòd, prohibita alienatione, videtur prohibitus omnis actus, per quem fit tranſlatio dominij directi, vel vtilis, vel alicuius iuris. Abb. *in c. Nulli. de reb. Eccleſ. non alien.* Bald *in cap. 1. §. Aut libellum. circa fin. quibus mod. feud. amitt.* & *conſ. 47.* refert, & ſequitur Decius *conſ. 142. 11. col. circa finem.* Et propterea Ab- 4.
bates, & omnes Prælati eccleſiaſtici regulariter bona ſuorum Monaſteriorum, & Eccleſiarum infeudare prohibentur, *vt Auth. de non alien. aut permut. reb. Eccleſ.* & *cap. Nulli. de reb. Eccleſ. non alien.* niſi ex certis cauſis, & ſolennitatibus iuris ſeruatis, *Extrauag. Ambitioſa. de reb. Eccl. non alien.* Et ſicut Epiſcopi, licèt bonorum ſuæ Eccleſiæ liberam adminiſtrationem habeant; tamen prohibentur illa in feudum concedere, *per c. Per tuas de donat.* multò magis id ipſum Abbatibus interdictum erit. Patet ergo, quòd abſolutè loquendo, Abbates bona ſui Monaſterij generaliter infeudare non poſſunt: infeudatio enim (vt dictum eſt) cenſetur alienatio. Sed hæc concluſio de iure anti- 5.
quo non ſemper procedebat. Nam poterat Prælatus, abſque ſolennitatibus infeudare ea bona ſuæ Eccleſiæ, quæ in feudum concedi ſolita erant, ſi ad eandem eccleſiam, ob lineam finitam canonem non ſolutum, delictum perpetratum, aut aliàs quomodolibet liberè reuerſa fuiſſent, vt *c. vlt de feud.* & *Extrauag. Ambitioſ. verſ. præterea, eod. tit.* & docent Panormit. *in c. Vt ſuper de reb. eccleſ. non alien.* Federic. de Sen. *conſ. 109.* Roman. *conſ. 70. dub. 1.* & alij, quos referemus *quæſt. 6.*

Hodie tamen per conſtitutionem Sanctiſſimi Do-

mini nostri Vrbani VIII. editam anno Domini 1625. Kalend. Nouembris, Pontific. sui anno 3. nequeunt Ecclesiastici Prælati vel superiores, quicunque illi sint, ciuitates, terras, castra, oppida, villas, arces, aut quæuis alia loca, vel bona iurisdictionalia, seu quouis modo habentia iurisdictionem temporalem, seu iurisdictionis partem etiam minimam, ad eorum Ecclesias, vel Monasteria, aut loca spectantia, tam quæ ad præsens pleno iure per easdem Ecclesias, Monasteria, vel loca possidentur, quàm quæ ad ea de iure, vel de facto reuersa, & deuoluta sunt, vel in futurum quomodolibet deuoluentur, concedere in feudum, vel emphyteusim aut vltra triennium locare; etiamsi ex immemorabili consuetudine, aut etiam priuilegio apostolico, quacunque ob causam concesso, & iteratis vicibus approbato, in feudum, vel emphyteusim concedi, vel vltra triennium locari, aut finita concessione, vel locatione, huiusmodi feuda, inuestituræ, vel aliæ concessiones renouari consueuerint; irritas, & inanes decernens omnes, & singulas concessiones, & inuestituras, vel locationes, aut illarum prorogationes, & renouationes contra d. Constitutionis tenorem quocunque modo, & quouis tempore factas, vel in futurum faciendas. Cum derogatione omnium, & singulorum priuilegiorum, & indultorum, ad quorumcunque fauorem concessorum, etiamsi necessariò, & in indiuiduo exprimenda essent. Quàm Constitutionem, ad hoc, vt præ manibus habeatur, & ne curiosus lector eam aliunde quærere cogatur, hic referre visum fuit.

DE BONIS IVRISDICTIONALIBVS ad Ecclesiam, & loca pia spectantibus in feudum, vel emphyteusim non dandis, neque vltra triennium locandis, aut concessiones huiusmodi renouandis, seu prorogandis.

VRBANVS EPISCOPVS, Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Hvmanæ salutis author Christus Dominus Romanam Ecclesiam amplissima temporalis ditionis prærogatiua decorauit, quam voluit inferioribus etiam Ecclesiis aliqua ex parte communicari, vt filiarum decor Matris augeret in Summis Pontificibus maiestatem, quibus cùm Ecclesiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad apostolicam earum prouidentiam necesse est pertinere. Olim equidem quamplurimi inferiorum Ecclesiarum Prælati, vt strenuos, ac præstantes virtute Viros haberent, qui debitum sibi, & Ecclesiis suis impenderent famulatum, temporales ditiones ad easdem Ecclesias pertinentes eximiorum Virorum fidei, atque administrationi commiserunt: tempore verò procedente, de labentibus in deterius bonis institutis, factum est, vt nonnulli Ecclesiarum Præsules humanis potiùs affectibus, quàm meritorum intuitu moti ditiones temporales huiusmodi variis personis, & Vniuersitatibus in feudum, vel emphyteusim dare, vel vltra triennium locare: & suis occurrente earum ditionum temporalium deuolutione ad nouam infeudationem, seu inuestituram, vel locationem vltra triennium sub specie, quod illæ in feudum, vel emphyteusim dari, vel vi præfertur, locari sint solitæ, seu alias causas prætexentes, deuenire consueuerunt, quod in non modicum ecclesiarum ipsarum damnum, & præiudicium tendere vsu compertum est. Nos itaque nostri numeris partes adimplendo, præmissis obuiam ire, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum piorum quorumcunque indemnitati, ac iuribus eis quomodolibet competentium conseruationi, quantùm nobis ex alto conceditur, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, etiam Generalibus, cæterisque Ecclesiarum, & locorum piorum vtriusque sexus Præsulibus, Prælatis Præsidentibus, Rectoribus, Præceptoribus, Commendatariis, & administratoribus cuiuscunque status, gradus, dignitatis, ac præeminentiæ existant, etiamsi Cardinalatus honore præfulgeant, necnon Capitulis, etiam Generalibus, & Prouincialibus, Conuentibus, Collegiis, Sodalitatibus, etiam laicorum, & quibuscunque aliis Superioribus cuiusuis Ordinis, Societatis, vel Instituti etiam de necessitate exprimendi, aut Militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani in vniuersa Italia, etiam in quorumvis Principum sæcularium quomodolibet qualificatorum, etiam ducali, regia, imperiali, vel quauis alia dignitate, honore, & excellentia præstantium ditione temporali existentibus, si pontificali, vel abbatiali emineant dignitate sub interdicti ingressus Ecclesiæ, ac si per sex menses immediatè subsequentes, sub interdicto huiusmodi perseuerauerint, lapsis mensibus eisdem, sub regiminis, & administrationis Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quibus præsident, in spiritualibus, & temporalibus suspensionis; Capitulis vero, Conuentibus, Collegiis, Sodalitatibus, & Vniuersitatibus prædictis sub interdicti à diuinis, eorumque singularibus personis, ac inferioribus Prælatis Commendatariis, & aliis præfatis sub excommunicationis latæ sententiæ, ac omnium dignitatum, beneficiorum officiorum ecclesiasticorum, de quorum rebus & bonis contra præsentis constitutionis tenorem eos disponere contigerit, vocisque actiuæ, & passiuæ priuationis, & perpetuæ inhabilitatis ad illa, seu qualibet alia in posterum obtinenda ipso facto, etiam absque Iudicis ministerio, vel sententia incurrendis pœnis, ne de cætero ciuitates, terras, castra, oppida, villas, arces, fortalitia, munitiones, territoria, districtus, iurisdictiones, aut quæuis alia loca, vel bona iurisdictionalia, seu quouis modo iurisdictionem temporalem, etiam cum alio, vel aliis coniunctim, seu diuisim, aut aliàs quomodolibet annexam habentia, aut eorum, seu iurisdictionis partem, etiam minimam, & patriarchales, primatiales, metropolitanas, episcopales, & alias Ecclesias, Monasteria, Collegia, vel alia loca pia supradicta, nunc, & pro tempore quouis modo spectantia, & pertinentia, tam quæ ad præsens per Ecclesias, Monasteria, & loca huiusmodi pleno iure possidentur, quam ea, quæ in feudum, vel emphyteusim concessa, vel citra triennium locata, per quoscunque quomodolibet, & sub quibusuis prætextibus occupata, seu vsurpata reperiuntur, aut ad Ecclesias, Monasteria, & loca prædicta iam de præsenti forsan de iure, vel de facto reuersa, seu deuoluta sunt, etiamsi Ecclesiis, Monasteriis, locisque piis huiusmodi adhuc incorporata, & de eorum mensa effecta non sint, aut quandocunque perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, canonem non solutum, delictum perpetratum, vel alio quocunque modo reuertentur, seu deuoluentur in futurum, etiamsi ex

antiqua

antiqua, seu immemorabili consuetudine, aut etiam priuilegia apostolica quancunque ob causam concessa, & iteratis vicibus approbata in feudum, vel emphyteusim concedi, vel vltra triennium locari, aut finita concessione, vel locatione huiusmodi feuda, inuestituræ, vel aliæ concessiones renouari consueuerint, quibusvis personis quauis ecclesiastica, seu mundana dignitate, vel excellentia fulgentibus, ac specialî nota dignis, Capitulis, Collegiis, Ecclesiis, Congregationibus, Monasteriis, Conuentibus, Hospitalibus, & quibusvis vniuersitatibus, tam sæcularibus, quàm ecclesiasticis, aut quibuscunque aliis quocunque nomine, ac titulo nuncupatis, & quomodolibet qualificatis in feudum, vel emphyteusim concedere, aut vltra triennium locare, aut concessiones, inuestituras & locationes huiusmodi post finitum illarum tempus, vel aliàs quandocunque renouare, protogare, vel de nouo facere, etiam ad fauorem descendentium hæredum, vel consanguineorum illorum, qui ciuitates, terras & bona iurisdictionalia prædicta obtinuerint, possederint, vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiamsi concessiones, & alia præmissa in euidentem, imò in euidentissimam vtilitatem Ecclesiæ, Monasterij, vel loci pij cedant, aut concessionibus, inuestituris, locationibus, vel illarum renouationibus, aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo, vel alio quouis modo, per quem dictæ ciuitates, terræ, & bona iurisdictionalia huiusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia prædicta, siue eorum Prælatos, Superiores, Rectores, seu administratores non reuertantur, etiamsi in prædictis concessionibus, inuestituris, renouationibus, protogationibus, & aliis præmissis, nostrum, & Sedis apostolicæ beneplacitum, etiam cum clausula, & non aliàs aliter, nec alio modo, reseruetur; & nisi illo in scriptis tantùm priùs obtento facere audeant, vel præsumant vltra alias pœnas per canonicas sanctiones desuper quomodolibet inflictas districtè interdicimus, & prohibemus. Et Insuper quascunque concessiones, inuestituras, locationes, vel illarum protogationes, & renouationes, quas contra tenorem præsentium quocunque modo, & quouis tempore fieri contigerit, protsus nullas, irritas, & effectu omnino carere debere, sicque in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatij apostolici Auditores, & eiusdem Cameræ apostolicæ Thesaurarium, & Clericos, necnon S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere, & quicquid secus super his à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, etiam in corpore iuris insertis, ac etiam in fauorem quarumcunque Ecclesiarum, Prouinciarum, ciuitatum, Vniuersitatum, Collegiorum, Capitulorum, & locorum piorum, omniúmque personarum atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam sancti Ioannis Hierosolymitani, necnon Congregationum, & Societatum, & cuiusuis alterius Instituti, etiam necessariò, vt præfertur, & indiuiduo exprimendi, eorúmque Monasteriorum, Conuentuum, & Domorum Regularium, necnon etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, indultis quoque, & priuilegiis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, etiam irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi de illis, eorúmque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda foret; tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, quoad ea, quæ iisdem præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, quòd de cætero Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, necnon Abbates, Præsules, Prælati, aliique præfati in aliis iuramentis ab iis præstandis de præsenti etiam constitutione seruanda, omnino iurare teneantur. Ipsáque constitutio in Quinterno Cancellariæ Apostolicæ describatur. Quódque præsentes ad valuas Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe Basilicarum, & dictæ Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ publicentur, & sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatæ forent. Earundémque transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Prælati, seu personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis in iudicio, & extra illud eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis Originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo sexcentesimo vigesimoquinto, Kalendis Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio.

DECISIO S. ROTÆ ROMANÆ.

Coram R.P.D. Merlino, in causa Mileuitana feudi, Veneris 2. Mart. 1635.

TErritorium de Garicxensi esse feudale, demonstrant repetita in pluribus instrumentis à Regibus Aragoniæ verba quibus feudum nuncupatur: mensque contrahentium, quæ radix est prima substantia verborum, vt ait Bald. *in c. Mandatum. de rescriptis*, idem euincit, dum de fidelitate, in qua feudi consistit essentia, & forma, toties facta fuit mentio; & fidelibus hoc dari solitum esse fuit assertum, necnon possessoribus istius territorij impertita fuit per Reges Siciliæ licentia alienandi, in feudorum alienatione duntaxat exacta: factáque est concessio de eo, tanquam ob lineam finitam inuestitorum ad Regiam Cameram deuoluto, cum annua recognitione, quam antiqui Vassalli præstare consueuerant, & pro certis personis, nempe, hæredibus inuestitorum ex eorum corpore legitimè descendentibus: fuitque hoc territorium tanquàm feudum subrogatum in locum alterius feudi nuncupati *l'Imbacebari*, & in casu euictionis istius feudi promissum alterum feudum,

ac demum relatum fuit in Codicem, in quo cætera feuda sunt descripta. Ex quibus omnibus & aliis vna cum assertione, & enunciatiuis, quòd sit feudum, feudalitas benè deducitur, provt latiùs comprobatum fuit in alia decisione sub die 27. Nouembris præteriti, coram me emanata, & præter Doctores in ea relatos conferunt tradita per D. Fachin. *cons.* 19. *n.* 12. *lib.* 5. qui vim facit super antiquis recognitionibus inuestiturum, & super descriptione in registro feudalium, provt etiam Valasch *de iur emphyt. q.* 51. *n.* 26. Sigismund. Neapolit. *inter cons. feudal. cons.* 11. *n.* 34 subrogationem ponderans Ioan. Borcholten. *de feud. cap* 9. *n.* 14. & Intrigliol. *cent.* 1. *q.* 37. *n* 31. *&* 34. animaduertentes licentiam alienandi esse signum proprij feudi; & quòd dominus teneatur in casu euictionis præstare aliud feudum æquiualens, vt fuit conuentum in casu præsenti. Rusenthal. *de feud, cap.* 12. *concl.* 14. *per tot.*

In qua resolutione propterea persistendum esse rursus Domini responderunt, cum fundamenta prædicta adhuc subsistere, & obiecta, quibus impugnabatur, minimè releuare, visum fuerit

Non obstat enim, quòd vt ex verbis resultet feudalitas, necesse sit, vt concessio fiat iure feudi, vel in feudum, nec sufficiant verba, *concedo feudum*, &c. Iuxta distinctionem Angel. Aretin. *in cons.* 73. *n.* 69. Menoch. *præsumpt.* 91. *n.* 11. *lib.* 3. *&* *cons.* 191. *n.* 29. Petr. Gregor. *de feud. part* 2. *q.* 1. *n.* 6. *&* *q* 2. *n.* 5. Quoniam, vbi ex verbis tantùm definienda est quæstio, locum obtinet doctrina Aretini; & vbi dictum fuit, *iure feudi*, fieri concessionem, tunc nulla potest cadere controuersia, quin feudalis sit concessiu, vt obseruat Rosenthal. *de feud cap.* 12. *concl.* 14. *num.* 33. *vers. Neme tam stupidus.*

Sed, quando multa alia feudalitatis substantialia signa concurrunt, & requisita feudi, de quibus per Glos. *in cap.* 1. *tit ex quibus caus. feud. amit.* Intrigliol. *de feud. cent.* 1. *q.* 9. *per tot.* tunc etiam verba quibus simpliciter concessum per Principem enunciatur feudum satis probant feudalitatem, ex deductis in alia, & præter hoc, quòd vbi effectus feudi per contraria pacta in totum non remouetur à feudo, sed conueniunt mentiu, & nomen feudi cum aliquibus effectibus, & & signis feudi, censeatur concessio feudalis post Dec. *cons.* 193 *sub. n.* 5. tradit Anton. Queta, *cons.* 8. *n.* 3. *vers. Nam huic respondet Dec.*

Minus obstant coniecturæ pro allodialitate ponderatæ, & ex quibus fundum excludi prætenditur, nempe, quòd territorium fuit concessum in recognitionem meritorũ, cum præstatione annuj census, pretio interueniente, nempe creditu vnciarum 100. anti; sine reseruatione seruitij personalis, & de bonis rusticis, & campestribus, ac modici valoris: quæ omnia inferre videntur gestum fuisse contractum censualem, vel emphyteuticum, vel emptionis; non autem feudalem, qui omnino gratuitus esse debet, *c. primo, de benef. fratr. c.* 1. *de feud. dat. in Viceleg.* Guido Pap *dec.* 55. *num.* 2.

Quoniam duabus responsionibus satis dilui obiectum visum fuit. Primo, quod huiusmodi coniecturæ à contrariis validioribus, & efficacioribus tolluntur coniecturis *iuxt. l. Diuus ff. de ingen. & manumiss.* cum aliis deductis *in prima decisione* coniecturæ pro allodialitate sunt remotæ; hæ autem pro feudalitate vrgentiores, & magis verisimiles Dominis visæ sunt, dúmque multo plura demonstrant naturam feudalem, quàm alterius contractus meritò à pluralitate argumentorum, censendus est magis contractus feudalis, quàm alius, vt per Socinum seniorem *consil,* 22. *num.* 5. *& sequentibus, lib.* 4 Antonius Queta *cons.* 13. *n.* 7.

Secundò, quòd licèt inuestituris; & concessionibus feudalibus adiiciantur pacta extranea, & contra naturam feudi, inde tamen non transfunditur in aliam speciem contractus: sed cum quascunque conuentiones admittat, degenerat quidem feudum à propria natura, atque alteratur in his, de quibus per pacta expressa fuit dispositum: at propterea non desinit esse feudum, & in aliis, in quibus non fuit alteratum, inconcussam retinet naturam suam, & remanet feudum, vt est text. *in t.* 1. *de feud. non habent. propr. nat. feud.* ibi: *Iure feudi censetur, licet propriam naturam non habeat.* scripserunt Cuman. *in prælud. feud cap. Si aliquem, num* 318. Baldus *in l Si plures num. -. C. de conditionis insertione.* Caldermus *cons.* 11. *de feud.* Curtius senior *cons.* 48. *num.* 42. *& cons.* 49. *n.* 40. Roman *cons.* 70. *num.* 2. Petr. Gregor. *de feud. par.* 5. *q.* 9. Zas. *eodem tract. part.* 12. *de feudis degener.* Schrader *de feud. part.* 2. *cap* 4. *n.* 73 Intrigliol. *eodem tract. cent.* 1. *q.* 10 *n.* 31. *& seqq.* & latiùs *q.* 38. *n* 65. *& seqq.* Ioan. Borcholten *de feud. c.* 4. *n.* 34. Anton. Queta *cons.* 8. *n.* 2. *& seqq. & cons.* 11. *n.* 8. *& seqq.* D. Fachin. *controuers forens. lib.* 7. *cap.* 20. *vers. Sed, vt libere.*

Et signanter, quòd feudum, pro quo præstatur annuus census non desinat ex huiusmodi præstatione esse feudum, consuluerunt Socin. sen. *cons.* 257. *sub n.* 1. *vers. Aliquando. lib.* 2. Albert. Brun *cons.* 41 *in p. dub.* Zas. *de feud. part.* 12. *n.* 32. vbi, quòd præstatio annua census loco seruitiorum conueniri solita est in feudis Lombardiæ: nec ea est contra substantiam feudi. Menoch. *præsump.* 95. *n* 9. *lib.* 3. vbi, quòd feuda fori Iulij talia sunt. Egregiè Anton. Queta *cons.* 8. *per tot.* & *cons.* 11. *n.* 8. vbi post Bart. *cons.* 16. ait, hoc censeri feudum habens pactum emphyteuticum. Intrigliol, *de feud cent.* 1. *q.* 38. *num.* 69 *&* 70. D. Fachin. *controuers forens. cap.* 35. *vers. Places hæc sententia. lib.* 7. asserens huiusmodi esse feuda, quæ regulariter retinentur per Clericos: & *cons.* 33. *n.* 24 *lib.* 1. & videmus etiam vassallos Sedis apostolicæ quotannis soluere censualem præstationem pro eorum feudis.

Atque etiam feudum emptitium, ac mediante pretio acquisitum, esse verum feudum, & regulare secundùm omnes leges, & consuetudines feudales, tradunt Bald. *in l.* 2. *C. de oper libert.* Clar. *in §. Feudum q.* 16. vbi ait, generaliter ita voluisse omnes feudistas Zas. *de feud. par.* 12. *n.* 20 *& seqq* differens non esse id contra substantiam feudi. Bero *cons.* 65. *n.* 45 *lib.* 1. Roland. *cons* 18. *n.* 19. *& seqq. lib* 3. Menoch. *præsumpt.* 95. *n* 4. *lib.* 3. Intrigliol. *de feud cent.* 5. *q.* 41. *n.* 14. *& seqq.* Plenè Ioan. Borcholten. *de feud. cap.* 1. *n.* 12. vbi communem, & citra controuersiam veram esse opinionem ostendit. & *cap.* 7. *n.* 65. asserens dici beneficium Principis, quãuis pecunia interueniat. Marta *de iurisd. par.* 4. *casu* 186. *n.* 7. Anton. Queta *cons.* 7. *n.* 43. D. Fachin. *cons.* 33. *n.* 24 *lib.* 1.

Provt dum concessio fit de bonis campestribus, & rusticis, modicique valoris, & nullum reseruatur personale seruitium, quod seruet adhuc naturam feudi, deducitur *ex c.* 1. *§. Si quis de mãso. tit si de inuest. feudi fuerit controu.* Bald. *in l. Si plures n.* 9. *C. de condit. insert.* Zas. *de feud. p.* 6. *n.* 49. vbi, quod huiusmodi feudum barbarè, *mansum*, nuncupatur, quod fundum, seu quemcunque agrum significat, qui duobus bobus singulis annis coli possit Aluarott. *in prælud. feud. quæst.* 7. Afflict. *ibidem, num.* 70. Cuman. *in. c. Si aliquem. n.* 93. Ioan. Borcholten. *de feud. cap.* 8. *n.* 83. vbi quòd feudum, pro quo non præstantur seruitia, dicitur francum; sed in omnibus aliis retinet naturam veri feudi, nec sine consensu Domini alienari potest. Intrigliol. *de feud. q.* 9. *n.* 158. & *quæst.* 41. *n.* 17. *ad* 21.

Meritorum autem mentio nedum non repugnat, sed omninò congruit concessioni feudali: quippe quòd

quòd feuda concedi solent in remunerationem laborum, quos vassallus in seruitio Principis, vel domini, sustinuerit, vt post Ilern. tradit Afflict. *in c. 1. num. 279. tit. Ex quibus caus. feud. amittatur.* Card. Mantic. *de tacit. lib. 23. tit. 5. num.* 37. Intrigliot. *de feud. cent. 2. art. 2. n. 230. & art. 27. n. 17.*

Quibus etiam tollitur repetitum Oldradi *cons.* 159. emanatum super concessione Principatus Achaiæ, facta per Carolum II. Principi Tarentino, in qua cùm adessent verba *donamus, & ex causa donationis pleno iure transferimus*, &c. censuit Oldradus, contractum feudi translatum fuisse in contractum simplicis donationis: quoniam ex prædictis non subsistit: per translationem enim directi, atque vtilis dominij, quæ resultat ex dictis verbis relatis ab Oldrado, licet feudum degeneret; non tamen feudum esse cessat: & ita dictum Oldradi *cons.* 159. præter allegatos *in alia decisione* reiicit Zas. *de feud part. 11. num.* 33. animaduertens, Regnum Siciliæ esse feudum similis naturæ. Fab. de Anan. *cons. 122. num. 29. & seqq. lib. 2.* atque ab eodem Oldrado dissentit Intrigliol. *de feud. cent. 1. quæst. 10. num. 31. iuncto num. 2 & seqq.* Ioan. Barcholten. *cap 4. num.* 27. vbi, quòd si proprietas quoque in vassallum transferatur, feudum propriam naturam feudi non habet; sed tamen est feudum. Quæ tamen difficultas hic cessat: quia in præsenti concessione, verba non sunt ita efficacia, & exuberantia, prove erant in casu Oldradi.

Prove etiam diluitur obiectum, quo potissimùm impugnabatur septima coniectura, quàm Domini in alia decisione, & etiam hodie magni faciebant, nempe, quòd non bene inferri videtur feudalitas ex eo, quòd territorium de Gariexeñ. concessum fuit in excambium alterius feudi *dell'Imbacchari*, cùm possit etiam dari allodium in excambium feudi: & inuestitus erit de rigore prouisus de æquiualenti excambio: æqualitas enim potest aliunde desumi, quàm ex feudalitate: quoniam vis coniecturæ non consistit solùm in eo, quòd territorium de Gariexeñ. fuerit subrogatum in locum, & excambium alterius fuerit *dell'Imbacchari*; sed ampliùs quòd in casum euictionis territorij prædicti fuit promissum alterum feudum. Vnde ex coniunctione duorum extremorum antecedentis excambij facti de feudo, & subsequentis excambij promissi de alio feudo, dicendum est, etiam medium, hoc est, Gariexeñ. esse feudum: ex conuenientia enim, & identitate extremorum, infertur etiam identitas medij, cui extrema coniunguntur *ad l. Si seruus plurium. § fin. ff. de leg.* 1. Surd. *cons. 151. num.* 29. Menochius *cons. 1101. num. 5. & 6.* Nec promissum fuit excambium æquiualens simpliciter, vt ab informantibus pro Hyacintho præsupponitur, sed excambium in bonis feudalibus, quod non erat opus exprimere, si reputabatur allodium posse sufficere pro excambio feudi; & sat fuisset dicere simpliciter, quòd daretur æquiualens, vel excambium, nulla facta mentione de bonis feudalibus, ex qua adiectione per illa verba, *in bonis feudalibus*, excluditur, quòd Territorium de Gariexeñ. debeat considerari vti allodium, tria præsertim coniungendo, nempe, quòd prima concessio cantat de feudo *dell'Imbacchari*; secunda concessio territorium de Gariexeñ. pluries appellat feudum; & tertio loco promittitur in casu euictionis æquiualens excambium in bonis feudalibus.

Et hodie ponderabatur vlteriùs ex hac sola promissione facta de æquiualente excambio in bonis feudalibus resultare aliam vigentem feudalitatis coniecturam, vel septimam illam multùm corroborari; quia est de natura feudi, vt dominus directus in casu euictionis teneatur prouidere vassallum de æquiualenti excambio, scilicet, alio feudo, prove ex Intrigliolo, & Ioan. Borcholten. *in principio decisionis* fuit deductum, & desumitur ex *c. 1. de inuestitur. rei alien. fact.* & ponderat Schrader. *de feud par. 5. cap. 6. n. 5. & 6.* subdens, quòd in hoc casu, & Dominus directus tenetur aliud æquiualens feudum concedere, & vassallus feudi nomine rem sibi traditam recognoscere. Rosenthal. *de feud. cap 9. concl* 63. vbi Adden. *sub littera A*, vnde ex hac necessitate desumitur argumentum, quòd territorium de Gariexeñ. sit feudale, dum subrogatur in locum feudi, & promittitur in casu euictionis æquiualens in bonis feudalibus.

Dominíque animaduertant in hac materia, & in aliis quæstionibus coniecturalibus, Iudicis prudentiam, & congruentias potissimùm dominari, neque coniecturas rigida iuris censura examinandas, nec ad incudem concludentis probationis discutiendas esse, sed suaui quadam directione rationis ad veritatem latentem eruendam benigna interpretatione iuuandas; coniecturæ enim rationabilia vestigia latentis veritatis dicuntur, quæ suiùm verisimilitudine fidem faciunt; nulla autem necessitate intellectum Iudicis adstringunt: & ideò conscientia legis non patens appellantur coniecturæ, *ad l. penult. C. de necessar hæred. instit.* Bald. *in l. Barbarius, num. 11. ff. de offic. Prator.* & *in l. Non ignorat. n. 4. C. qui accusar. non possunt.* Card. Mantic. *de coniect. vlt. vol. lib. 1. tit. 1. n. 9. & seqq.* Vnde nec singulæ acriter sunt ventilandæ, sed coniunctim, vt in alia decisione dictum fuit.

Cætera obiecta visum fuit Dominis, vel non respicere præsentem articulum, in quo strictè agitur de feudalitate istius territorij de Gariexeñ. vel fuisse sublata in prima decisione, atque hodie per informantes.

Et ita vtraque parte informante resolutum fuit, standum esse in decisis, &c.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm Abbas possit bona Monasterij in emphyteusim dare.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis quid sit.*
2 *Alienare, qui potest, potest etiam dare in emphyteusim, & è contra.*
3 *Abbas non potest bona sui Monasterij absque iusta causa, & solennitatibus emphyteuticare.*
4 *Contractus emphyteuticus validus est, quando vtriusque partis consensus accedit.*
5 *Res non solita in emphyteusim dari, vt validè dentur requiritur assensus apostolicus.*

CVm emphyteusis sit contractus, quo res immo-
bilis conceditur, quoad vtile dominium alteri, 1.
cum obligatione soluendi pensionem statutis tempo-
ribus domino proprietatis, ob eam causam tex. *in l. 1.*
ff. Si ager vectig. vel emphyt. pet. vt dicunt communi-
ter Doctores, videtur species quædam alienationis: ac
propterea generaliter, quibus permissum est alienare, 2.
iisdem licet etiam dare in emphyteusim: & è contrà,
quibus non licet alienare, nec etiam licet dare in em-
phyteusim.
Propterea cùm Abbati, (vt *suprà* latiùs dictum est) 3.
non liceat bona sui Monasterij alienare; ita pari ratio-
ne, nec etiam poterit dare in emphyteusim, nisi adsit
iusta causa, & debita solennitas, prove de alienatione
dictum est *per d. Extrauag. Ambitiosa de reb. Eccles.*
non alien. quod autem dare in emphyteusim, & em-
phyteuticare rẽ aliquam, sit illam alienare, & quod ve-

niat nomine alienationis habetur *in Auth. de non alien. & permut. reb. Eccles. §. Nos igitur, vers. Alienationis autem.* Est text. *in l. fin. C. de reb. Eccles. non alien.* vbi habetur, quòd, siue lex alienationem inhibuerit; siue testator, siue contrahens; nihilominus contrahere in emphyteusim censetur prohibitum ex text. *in cap. Nulli, de reb. Eccles. non alienan.* vbi dicitur, quòd sub verbo alienationis venit conductio, donatio, permutatio, & emphyteuticus perpetuus contractus. Specul. *de locat. §. Nunc aliqua, vers.* 125. vbi dicit, quòd emphyteuta non potest dare in emphyteusim: quia dare in emphyteusim est alienare: propterea, quæ bona sui Monasterij possit Abbas dare in emphyteusim, videbitur in sequenti quæsito.

4. Aduertendum tamen est, supradictum contractum emphyteuticum tunc validum esse, quando accedit vtriusque partis consensus, scilicet, Ecclesiæ dantis, & accipientis emphyteutæ. Nomine Ecclesiæ intelligitur Prælatus, Abbas, vel quilibet Superior Ecclesiæ, & Monasterij; seu beneficiarius, aut Rector: nomine autem rei intelliguntur res, quæ in emphyteusim consueuerunt dari; & huiusmodi res Abbas, Prælatus, Rector, vel alius Superior Ecclesiæ, cùm ad illam reuertuntur alteri, eodem modo, & non alio concedere potest; sed in maiorem vtilitatem Ecclesiæ. Si verò sit res, quæ in emphyteusim ante non dabatur, requiritur authoritas maioris Prælati, qui hodie est Summus Pontifex *ex d. Extrauag. Ambitiosa, de reb. Eccl. non alien.*

5. & solet Summus Pontifex in rebus modicis hoc Legatis apostolicis committere, & etiam Episcopis, declarando de rebus, quæ vltra quinque, vel decem ad summum aureos de annuis redditibus non soleant præstari: in quibus rebus concedendis seruanda est solennitas, quæ seruari solet in alienationibus, de qua *in antecedente quæsit.* Ita aduertit Barbosa *de iur. Eccl. lib. 3. cap. 3. n. 22.* vbi *n. 23.* aduertit, quòd olim constitutum fuit, vt in emphyteusim dari non possit res ecclesiastica, nisi pro ipso suscipiente, & filiis, & nepotibus eius: in perpetuum verò fieri omnino non poterat, *ex cap. Apostolicos, 12. q. 2.* Postmodum autem cautum fuit, vt extincta loca, & destructa, ex quibus non percipiuntur ampliùs fructus, nec meliorantur per Ecclesiam, possint in emphyteusim perpetuò locari, *Authent. de alien. & emphyt. §. Si vero quadam, & §. Licentiam, cap. Hoc ius porrectum, §. Perpetua, & §. Si quis vero, 10. quæst. 2.* in quo casu seruanda sunt ea omnia, quæ in alienatione obseruari solent: & à fortiori, si in perpetuum conceduntur modo supradicto, etiam concedi poterunt in tertiam, & quartam generationem, aut in aliud tempus. Quid autem intelligatur nomine tertiæ, & quartæ generationis, dicetur *in sequenti quæsito.*

QVÆSITVM VII.

Quæ bona Monasterij possit Abbas in emphyteusim absque solennitatibus requisitis à iure concedere.

SVMMARIVM.

1. *Abbas potest bona Monasterij emphyteuticari solita, absque solennitatibus requisitis in emphyteusim dare.*
2. *Res semel effecta alienabilis, semper durat alienabilis absque solennitate.*
3. *Bona emphyteuticari solita, quæ censeantur.*
4. *Bona Monasterij emphyteuticari solita, si cessauit prima causa concessionis, si reuertantur, iterum concedi non possunt.*

RESPONDEO, quòd potest dare in emphyteusim ea bona, quæ ab antiquo emphyteuticari solita erant, vt *per d. Extrauag. Ambitiosa.* Ratio est: quia res semel effecta alienabilis, semper durat alienabilis absque solennitate, *in l. Pater, §. Quindecim, ff. de leg. 3.* Alex. *cons. 189. col. 6. vol. 2.* Gonzal. *ad reg. 8. Cancell. glos. 6. n. 124.* Dec. *cons. 88. vol. 1.* Cæs. de Grass. *decis. 3. n. 14. de reb. Eccles. non alien.* Seraphin. *decis. 1490.* Riccius *in praxi rer. for. eccles. decis. 26 in vtraq. edit.* Insuper non intelligitur alienare, qui alienationem veterem inuenit, & eam confirmat, etiamsi in aliam transferat personam, vt *l. 1. §. Permittitur, ff. de aq. quotid. & æstiu.* Et quòd bona Ecclesiæ in emphyteusim concedi consueta possint denuò alienari, & excludantur à generali prohibitione *d. Extrauag. Ambitiosa*, tenent in terminis Decius *cons. 142. num. 2. col...* Menoch. *de arbitr. cas. 81. à n. 5. & cons. 66. n. 31. & cons. 79. n. 1. cum seqq. & cons. 90. n. 22.* Quaranta *in Sum. Bullar. verb. Alienatio rer. eccles. num. 39. & 40.* Aloys. Ricc. *in d. praxi rer. for. Eccles. decis. 125. in 1. edit. & resol. 110. in 2. edit.* Vgolin. *de pot. Episcop. cap. 14. §. 7. n. 5. vers. Quintò.* Gonzal. *ad regul. 8. Cancell. gloss. 6. n. 194.* Debet autem adesse euidens Ecclesiæ vtilitas tempore vltimæ concessionis; nec sufficit adfuisse in antiqua. Cæs. de Grass. *decis. 4. de locat.* Riccius *in d. praxi decis. 5. in vtraque edit.* fuit dictum per Rotam *in vna nullius castri*, 9. Martij, 1580. coram Brauo, & *in vna Romana domus*, 29 Nouembris, 1587. coram Blancheto. Nec debet excedi modus, quo prædicta bona solita sunt emphyteuticari, puta, si ad duas generationes, ne dentur ad tres: si ad consanguineos tantùm, ne dentur extraneis. Curt. iun. *de feud. p. 1. q. 6.* Dec. *in Auth. Qui rem, n. 22. & ibi* Cagnol. *n. 58. C. de sacros. Eccles.* Alex. *consil. 9. num. 2. lib. 3.* vbi de communi: *& consil. 15. n. 18. lib. 5.* Dec. *consil. 142. n. 5. vers. Et in terminis.* Clar. *in §. Emphyteusis, q. 6. vers. Scias tamen, & q. 28. vers. Aut verò. Et in §. Feudum, q. 13. vers. Scias tamen.* Rota *in vna Imolensi bonorum*, 21. Maij, 1593. coram Pamphilio, & *in Papien. bonorum*, 12. Maij, 1628. coram Illustrissimo D. Coccino Decano. 3. Solitum autem aliunde, quàm ex partium assertione probandum est. Rota *decis. 160. n. 4. part. 2. diuers.* Ad effectum autem, vt bona censeantur solita emphyteuticari, requiritur, quòd vel præcedat vna concessio solemnis, & valida, vel ea deficiente, duæ concessiones cum spatio 40 annorum. Alex. *consil. 9. num. 5. lib. 3.* Ias. *cons. 155. col. 2. lib. 2* Dec. *cons. 142. num 4.* Afflict. *decis. 405. n. 10.* Clar. *§ Feudum, q. 13. n. 4.* Ruin. *cons. 35. num. 30 lib. 1.* Rebuff. *de reb. Eccles. non alienan. num. 33.* Quaranta *d. verb. alienatio rer. Eccl. n. 40.* Azor. *tom. 3. lib. 10. c. 2. q. 8.* Fillioc. *quæst. moral. tom. 2. tract. 36. cap. 7. n. 124.* Put. *decis. 1. de reb. Eccles. non alienan.* Seraphin. *decis. 434.* vbi de communi: *& decis. 1451. n. 3. & decis. 1490.* Rut. *dec. 160. num. 5. p. 2. diuers.* vbi de communi. Et fuit resolutum *in Tiburtina locationis*, coram Card. Milleno apud Marches. *de commiss. p. 1. pag. 106.* vbi *n. 2.* aliæ decisiones referuntur, *& in Vlisbonensi præd. §. 24.* Ianuarij, 1603. coram Ortembergo, *& in Nucerina prædij*, 24. Maij 1624. coram R.P.D. Merlino.

Hoc autem intelligendum est, vt possint bona Monasterij de nouo in emphyteusim absque solennitate concedi; dummodo prima causa concessionis duraret: secus verò è contra, vtpote si res inculta fuit data in emphyteusim, ad hoc vt reducatur ad culturam, alias Ecclesia non concederet: per lapsum temporis, illa res optimè culta reuersa est, puta quia finitum est tempus, non poterit iterum absque solennitatibus desideratis concedi, & sine causa, cùm cesset causa primæ concessionis, vt tenet Abbas *in c. Vt super, col. 2. de reb. Eccles. non alien.* refert, & sequitur Redoan. *in tract. de reb. Eccles.* 4.

Eccles. non alien. q.12. n.87. & 88. Praxis non Episcop. *p.2.c.5.n.52. vers. Secundus ff. vbi autem.* Idem Filliuc. *loco cit.* Aduertendum est insuper, quòd fiat, antequam talium bonorum fructus Monasterio incorporentur, scilicet, ipsius vsibus ab Abbate applicentur. Ita Iul. Clar. *de emphyt. q.6. & de feud. q. 13.* qui testatur de communi: & Couar. *variar. resol. lib.2.c.17. n.4* quia, si post reuersionem quoad fructus, Monasterio fuissent incorporata, non possent de nouo dari in emphyteusim, vel aliàs alienari, nisi ex iusta causa, & seruatis solennitatibus, & conditionibus à iure præscriptis.

QVÆSITVM VIII.

Vtrùm Abbas possit dare in emphyteusim rem solitam emphyteuticari, cum conditione, ne emphyteuta incidat in commissum ob canonem non solutum Et quomodo intelligantur tertia, & quarta generatio.

SVMMARIVM.

1 *Sententia negatiua vera proponitur.*
2 *Emphyteusis si conceditur vsque in tertiam generationem, comprehenditur recipiens filius, & nepos: secus, si addatur ad eius generationem; comprehenditur enim tunc etiam pronepos, vt n.3.*

1. RESpondeo, quòd non, per ea, quæ dicit Bald. *in l. Si à te, C. de pact. int. empt. & vendit.* & Andr. Barb. *in c. Potuis, extr. locati.* tenet, quòd Prælati nullo modo per pacta in huiusmodi conuentionibus suæ Ecclesiæ præiudicare possunt, *l. iubemus nulli, C. de sacros. Eccles.* refert, & sequitur Redoan. *in tract. de reb. Eccles. non alienan. q.1.d.c.26.fol.37.n.40.*

Quoad secundam partem quæsiti, quomodo, scilicet, intelligantur huiusmodi generationes, an, scilicet, primus in cuius persona concessio ipsa fit, intelligatur prima generatio, an verò illius filius; sicut in materia graduum, primus gradus à patre filius intelligitur, cùm stipes non faciat gradum.

2. Respondeo, quòd vbi emphyteusis, siue feudum conceditur vsque in tertiam generationem vnaquæque persona vnam constituit generationem, ita vt solummodo veniant recipiens, filius, & nepos: secus verò, si addatur ad eius, vel ipsius generationem: & hoc secundo casu veniunt recipiens, filius, nepos, & pronepos, quæ distinctio tradita est à Bartholo, & relata per Baldum *in Authent. Si quas ruinas, num.4. C. de*
3. *sacros. Eccles.* quam amplectuntur, & sequuntur Simon de Prætis *consil.* 88. Hieronymus Pomponius *cons.* 86. Iason *in l.2. num.166. C. de iure emphyteut.* Alexand. *in l Quod dicitur,* 130. *num.23. circa finem, de verbor. oblig.* Menoch. *cons.115 n.28.* Matescottus *variar. resol. lib.2. cap.52. num.1.* Rota apud Verallum *decis.18. part.2. & in Farfensi Villa Caprola,* 20 Maij, 1592. coram Pegna, *& in Assiensi emphyteusis,* 27. Iunij, 1629. coram Merlino, *& in Bononiensi bonorum,* 18. Martij, 1611. coram Coccino, quæ est *decis.305. num.1. part.1. recent.* ex quibus decisionibus colligitur ratio differentiæ: quia, quando dicitur ad tertiam generationem simpliciter, directus dominus considerat generationes in abstracto, non respectiuè, & tanquam generationes alicuius certæ personæ; ideò tot terminos, & tot gradus in concessore constituit, quot sunt personæ: & sic in tertia persona terminatur concessio, veluti in tertia generatione: quoties nanque apponit dictionem, *eius*; vel *ipsius*; tunc in concreto, & respectiuè generationes considerat, tanquam à primo receptore prouenientes: & tunc intrat distinctio inter generationem, seu causam generationis, & ipsam generationem. Et hoc casu debent dari eius successioni successores prouenientes à receptore, & ab eo distincti, & per consequens ad tertiam generationem constituendam comprehenduntur pronepotes. Ita Hieronymus Pomponius *d. consil. 86. num.* 14. vbi hanc supradictam doctrinam recenset.

QVÆSITVM IX.

Vtrùm Abbas possit dare in feudum, vel emphyteusim suis consanguineis res Monasterij solitas infeudari, vel emphyteuticari.

SVMMARIVM.

1 *Abbas potest res Monasterij infeudari, vel emphyteuticari consuetas suis consanguineis in feudum, vel emphyteusim concedere.*

RESpondeo, quòd sic: quia benè potest Abbas infeudare, & dare in emphyteusim res Monasterij solitas huiusmodi alienari, dummodo sine fraude, & cum debito ordine. Ita Isern & Afflict. *in cap.1. qui success. ten.* & Bald. *in cap.1. de his, qui feud.* & tenet Gloss. *in cap.1. Si inter dom. & vassall.* Quia ratio prohibitionis cessat, stante, quòd Ecclesia non læditur: quia consanguineus recipit similibus conditionibus, quibus reciperet extraneus, vt tenet Iacob. de Beluis. *in vsib. feud. tit.2* Archidiacon. *in cap. Episcopus, 10. q.2.* Bald. tamen *in Auth. Quibuscunque, C. de sacrosanct. Eccles. vers. Extra Glos.* limitat, dummodo alia ratio non prohibeat; videlicet, quia consanguineus esset potentior, &c. 1.

QVÆSITVM X.

Vtrùm sit validus contractus alienationis, locationis, & similium, non obtento beneplacito apostolico cum clausula, reseruato beneplacito apostolico, nec aliter, nec alio modo.

SVMMARIVM.

1 *Assensus apostolicus est vna ex præcipuis solennitatibus, quæ requiruntur ad validam alienationem.*
2 *Assensus apostolicus requiritur, antequam tradatur possessio rei alienandæ.*
3 *Pœna contra alienantes sine assensu apostolico, an vbique sint in vsu.*
4 *Pœna contra malè alienantes, an incurrantur ipso facto post contractum alienationis.*
5 *Contractus alienationis celebratus sine assensu apostolico, est inualidus, etiamsi apponatur illa clausula,* reseruato beneplacito apostolico, nec aliter, nec alio modo.
6 *Assensus apostolicus debet præcedere contractum alienationis.*
7 *Contractus, qui cedunt in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, an possint fieri, reseruato beneplacito apostolico.*
8 *Pœnæ an incurrantur in stipulatione contractus, non obtento beneplacito apostolico, & n.12.*
9 *Contractus alienationis, locationis, conductionis,*

& similium perficitur ex mutuo contrahentium consensu.

10 *Fact. in tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile, validum est, saltem pro tempore habili.*

11 *Pœnas an post factum contractum sine assensu apostolico incurrant, si resipiscant, & reuocent alienationem, & n. 12.*

12 *Alienantes bona fide, ante traditionem realem rei alienandæ, an incurrant pœnas latas* in Extrauag. Ambitiosæ.

1\. INter præcipuas solennitates requisitas ad validam alienationem bonorum ecclesiasticorum vna est assensus apostolicus, vt docent communiter DD. & habetur expresse in Extrauaganti superiùs relata, *Ambitiosæ*, vbi apponuntur pœnæ contra alienantes, inconsulto Romano Pontifice.

2\. Et quidem requiri huiusmodi assensus, antequam tradatur possessio rei ecclesiasticæ, neque sufficere dicere: *Saluo assensu apostolico*, docent Nauar. *consi.1 de reb. Eccl. alien. in nonis.* Abbas *in cap 2. de feud.* Iason. *in l. fin. n. 142. C. de iur. emphyteut.* Decius *cons. 160.* Clarus *in §. Feudum, q. 31. & in §. Emphyteusis, q. 13.* Gram. *decis. 49* Vincent de Franchis *decis. 267.* Felin. *in cap Qua in Ecclesiarum, sub num. 84. de constit.* Curt. *de feud. part. q 20. num. 118.* Capicc. *in inuest. in verbo, feudorum alienationes, ampliat. 17. & limit. 12.* Frec. *de subfeud. lib. 1 authent. 1. n. 24.* Comitolus *in respons. moral. lib. 3 q 4. n 4. & 5.* Et alij communiter, qui constanter asserunt, tali modo alienantes incurrere pœnas *in prædicta Extrauaganti* impositas.

3\. Et licèt Nauarrus *in Sum. cap. 27 n. 150.* existimet, in paucis locis pœnas huiusmodi esse vsu receptas, à quo non dissentire videtur Caietanus *in Sum verbo, Excommunicatio, cap. 75.* Syluester etiam *verbo Alienatio, quæst 14.* non tamen ex hoc inferri potest, sicut nec inferunt prædicti Doctores, alienantes res Ecclesiæ in loco, vbi talis constitutio recepta est, non incurrere pœnas latas: imò post Constitutiones Pauli IV. & Pij V. qui Pauli II. Constitutionem renouarunt, vbique eam obseruari debere. & contrafacientes incurrere prædictas pœnas, asserit Comitolus *loco cit. q. 19 num. 6.* & ita communiter obseruatur *in praxi Curiæ Romanæ*, & alibi: & in huius rei confirmationem Genuensis *in praxi Curiæ Archiepiscopalis Neapol. cap 52* refert, quòd de anno 1599. dubitatum fuit in prædicta Curia, an quidam Rector Ecclesiæ esset excommunicatus, & pœnas alias in Extrauaganti, *Ambitiosæ*, contentas incurrisset: quippe qui Territorium quoddam Ecclesiæ alienauerat, Romano Pontifice inconsulto, licèt cum clausula, *reseruato assensu Papæ, nec aliter, nec alio modo:* & antequam impetratus fuisset assensus, tradiderat possessionem dicti territorij. Et licèt pro vtraque parte essent Doctores; re tamen ad S. D. N. Clementem VIII. delata, declarauit, prædictum Rectorem incurrisse pœnas *in d. Extrauaganti* contentas, ac proinde rescripsit Vicario Neapolitano, quòd reuocata alienatione, & reintegrata Ecclesia in suo pristino statu, ipsum Rectorem in vtroque foro à censuris absolueret. Quòd si ita exactè hæc præstare non posset prædictus Rector, faceret saltem pro posse, mouendo litem in iudicio, vel alia ad hunc effectum faciendo: & si prædicta facere non posset ante absolutionem, ad minus promitteret, & se obligaret, quam citiùs prædicta facere: & quòd dictus Vicarius cum dicto Rectore dispensaret etiam super fructibus malè perceptis, & reualidaret titulum beneficij: & ita fuit rescriptum die 17. Decembris, 1599.

Hoc idem expresse habetur ex nouissima Constitutione S. D. N. Vrbani VIII. quæ incipit: *Humanæ salutis Author.* Calend. Nouembris, 1625. quæ ponitur *in fine Quæsiti*, vbi circa hanc materiam statuit, neminem posse alienare, seu concedere bona ecclesiastica, licèt cederet in euidentem, imò euidentissimam Ecclesiæ vtilitatem; aut concessionibus, inuestituris, locationibus, vel illarum renouationibus, aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo, vel alio quouis modo, per quem dicta bona ad Ecclesias non reuertantur, etiamsi in prædictis concessionibus, inuestituris, renouationibus, prorogationibus, & aliis similibus, Sedis apostolicæ beneplacitum, etiam cum clausula: *Et non alias, aliter, nec alio modo*, reseruetur, & nisi illo in scriptis prius obtento, facere audeat, seu præsumat. Concluditur ergo, tanquam certissimum quoad hanc partem, alienantes bona ecclesiastica, ac eorum possessiones tradentes, sine beneplacito apostolico obtento, apposita quacunque reseruationis conditione, incurrere pœnas in Constitutionibus, & sacris Canonibus contra alienantes inflictas.

Quare tota difficultas est, an incurrantur pœnæ ipso facto post contractum alienationis, seu cuiuscunque alterius concessionis bonorum ecclesiasticorum prohibitæ, antequam tradatur realis, & pacifica possessio. 4

Sermo est de contractu stipulatiuo, per quem verè & realiter traditur ius ad rem; non autem de promissorio solùm, qui obligat tantum contrahentem ad stipulationem suo tempore faciendam, in quo possunt apponi conditiones, quibus non seruatis, non tenebitur promittens stare promissis. Quo posito. 5.

Dico primò, huiusmodi contractum alienationis bonorum Ecclesiæ celebratum sine præscripta solennitate, inualidum esse, & nullum, etiamsi in forma contractus adhibeatur illa clausula, *reseruato beneplacito apostolico; non aliter, alias, nec alio modo.* Ita expresse colligitur *ex d. Extrauaganti, Ambitiosæ*, in illis verbis: *Si quis contra huius nostræ prohibitionis seriem de bonis eisdem quicquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio huiusmodi nullius omnino sint roboris, & momenti*, & ex const. 51. S. D N. Vrbani VIII. *supra citata*, in qua §. 3. habetur: *Et insuper quascunque concessiones, inuestituras, locationes, vel illarum prorogationes, & renouationes, quas contra præsentium tenorem, quocunque modo, & quouis tempore fieri contigerit prorsus nullas, irritas, & effectu omnino carere debere.* Vbi superiùs *in fine §. 2.* dixerat Summus Pontifex non sufficere appositionem clausulæ reseruationis beneplaciti apostolici, nisi verè, & realiter priùs in scriptis obtineretur. Atque ita docent Sarmientus *de reddit. Eccl. part. 1 cap. 2. 3 & 4* Vincent. de Franch. *decis. 35.* Pinellus, & alij apud Vasquez *opusc. de reddit. cit. dub. 14. n. 49* & Bonacina *de alien. disp. 2. q. vnic. punct. 4. num. 14.* & Quaranta *loco cit. num. 11* vbi *in fine* dicit, quòd assensus debet præcedere contractum, 6.
cùm in Paulina constit. dicatur: *Inconsulto Summo Pontifice.* quæ verba denotant actum nullum, nisi præcedat assensus, vt notat Abbas *in cap. Vt super, de reb. Eccl. non alienandis.* Item idem Quaranta hoc dixerat *num. 5.* vbi super citata verba: *Inconsulto Romano Pontifice*, dixit: *Excipit, innouat, ac confirmat iura antiqua, annullat contractus, & imponit pœnas.* Et deinde subdit, hanc esse obseruantiam, stylum & praxim Romanæ Curiæ, atque congruere litteræ, & sensui prædictæ Constitutionis Et Comitolus *in Responsalibus lib. 3. quæst 19. num 6. in fine*, concludit, contractus contra tenorem prædictæ constitutionis initos sine vlla dubitatione esse nullos: & *num. 34. vers. Decimooctauo amplia*, dicit, hoc etiam esse verum, licèt contractus essent vtiles Ecclesiæ.

Rationem

Rationem autem huius nostræ sententiæ affert Bonacina *loco cit.* quia solennitas à iure præscripta in contractibus est forma substantialis ipsius contractus: ergo sine assensu apostolico contractus non subsistet. Tum, quia alienationes factæ per tales contractus reuocantur, signum est, quod contractus in se nulli erant.

7. Verum quidem est, quòd quando contractus cedunt in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, & in ipsis te- seruatur beneplacitum apostolicum, cum animo illud verè,& realiter obtinendi, res non est adeò certa. Nec desunt pro alia parte Doctores,qui asserant, tales contractus sustineri, & consequenter contrahentem non posse ad suum libitum recedere à contractu alienationis celebrato cum Ecclesia, absque consensu Sedis apostolicæ,vt docet Genuensis *in praxi Neapol.c.*106. *num.* 2. vbi refert ita dictum fuisse *in vna Romana Palatij*, die 15. Martij 1604. coram Emin. Cardin. Pamphilio, *& in vna Romana domus*, die 4. Decembris, *& in vna Segobiensi præstimony*, coram Cantuecio,24. Octobris: nam solennitas ista introducta fuit ad fauorem Ecclesiæ: ergo, si Ecclesia vult stare contractui, subsistet contractus, si adsit euidens vtilitas; aliàs non in fauorem, sed in damnum Ecclesiæ retorqueretur.

Sed hæc ratio valeret, nisi solennitas esset forma substantialis contractus, prout ponitur in constitutione citata, *Ambitiosæ*, vt docet Bonacina *loco citato*,Mantica, & alij apud eundem Bonacinam: & citatæ decisiones non asserunt, validum esse contractum; sed ratione promissionis factæ Ecclesiæ, quæ intendit alienare attento beneplacito apostolico, constringunt promissarium stare promissis.

8. Dico secundò, incurri pœnas in constitutione appositas in ipsa stipulatione contractus sine assensu apostolico realiter obtento facti, etiam ante realem traditionem bonorum ecclesiasticorum, & pacificam contrahentium possessionem. Ita docet Bonacina *loco cit. punct.* 4. *num.* 5. *& punct.* 5. *num.* 2. Ratio est: quia protestatio est contraria facto, & per talem contractum alienans, quantum est ex se, alienat iura Ecclesiæ, quæ alius contrahens acquireret vigore illius contractus, aliàs validi.

9. Tum, quia sic contrahens adhuc dicitur alienasse sine debita solennitate: contractus autem alienationis, locationis, conductionis, & similium, mutuo contrahentium consensu perficitur, & potest aliquis dominium, & ius in rem aliquam acquirere, etiam ante pacificam possessionem: ergo excommunicatio incurritur ante traditionem rei alienatæ, per talem contractum, in quo censetur completus, & consummatus effectus alienationis, quæ est sub censura prohibita.

Dices, factum tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile, validum est, saltem pro tempore habili, *l. In tempus, ff. de hered. instit.* ergo contractus, alienationis bonorum Ecclesiæ factus sub hac forma saluo Summi Pontificis assensu, videtur validus,quia videtur referri ad tempus habile, in quo fuerit obtentus assensus apostolicus. Respondeo, quòd factum tempore inhabili, & relatum ad tempus habile,validum est tempore habili, nisi irritetur. In hoc autem casu alienatio facta ante consensum Summi Pontificis requiritur, & consensus summi Pontificis requiritur, tanquam forma ad validitatem actus, vt habetur expressè in constitutionibus *in primo dicto* relatis.

Dices secundò, pœna, seu censura imposita contra facientem aliquid non incurritur, nisi sequuto effectu: ergo censura imposita contra alienantes non incurritur nondum sequuta reali, & pacifica traditione. Respondeo, quòd hoc verum esset, nisi effectus alienationis intelligeretur completus ante traditionem: sed, vt *supra* diximus, perfecta alienatio perficitur mutuo contrahentium consensu; quem præstitum fuisse in contractu ipso planè constat. 10.

Ex quo sequitur, non euadere excommunicationem, & alias pœnas is, qui post factum contractum alienationis sine assensu apostolico, resipiscit,& reuocat alienationem ante realem traditionem bonorum: nam ille talis adhuc dicitur alienasse,& effectum alienationis fuisse completum. 11.

Dices, *in cap. Si quis,de reb. Eccl.non alien.* decernitur, vt Clericus subscribens alienationi bonorum ecclesiasticorum excommunicetur, nisi alienans, & recipiens celeri restitutione sibi prospexerint: celeria autem restitutio dicitur, quæ fit, antequam Ecclesia ex tali alienatione non lædatur, ex Gloss. *ibid. in verbo,celeri*,ergo à fortiori excommunicationem euadit is,qui alienationem reuocat, antequam possessionem pacificam alter obtineat. Respondeo, disparem esse rationem: nam in casu nostro excommunicatio incurritur ipso facto per alienationem, quæ, vt dixi, mutuo contrahentium consensu perficitur; in casu autem *cap. Si quis*, est excommunicatio ferenda, & sub conditione, si restitutio celeriter non fiat: à disparatis autem, & diuersis non valet illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minorit.*

Ex quibus omnibus infero, quòd quando Doctores asserunt, eum, qui alienauit, ante realem traditionem, non incurrere excommunicationem, & alias pœnas, loqui de alienante bona fide: & expressè in fauorem huius semper iudicatur; maximè quia in contractu tali apposita clausula: *Attento beneplacito apostolico, non aliter,nec alio modo*,indicat in alienante non esse præsumptionem, quæ requiritur ad hoc, vt pœnæ contra alienantes illatæ incurrantur. 12.

DISPVTATIO XV.

De potestate Abbatum,& Prælatorum inferiorum,quoad beneficiorum, Ecclesiarum,vel Monasteriorum vniones, & disiunctiones faciendas.

QVÆS.I. Vtrùm Abbates beneficia, Abbatias,& Monasteria sibi subiecta vnire possint.
II. Ex quibus causis beneficiorum, Ecclesiarum, & Monasteriorum coniunctio ab Abbate fieri possit.
III. De forma,& solennitatibus requisitis in Ecclesiarum,& beneficiorum vnione ab Abbate facienda.
IV. Vtrùm vniones Monasteriorum, & locorum regularium comprehendantur sub apostolicis reuocationibus, desuper aliquo modo factis, vel faciendis.
V. An, si Abbatiæ vniatur aliqua Ecclesia, ipsa sortiatur omnia iura, & priuilegia Abbatiæ.

VI. Vtrùm

VI. . Vtrùm Abbas Generalis possit dismembrare bona ab vno Monasterio, & alteri vnire.

VII. Quis possit Ecclesias, & beneficia vnita disiungere, ex quibus causis, & quos vocare debeat in illorum disiunctione.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Abbates beneficia, Abbatias, & Monasteria sibi subiecta vnire possint.

SVMMARIVM.

1 *Vnio est species alienationis.*
2 *Abbates, & Prælati Episcopis inferiores possunt vnire ex priuilegio, vel consuetudine præscripta, aut præscriptione immemorabili, vel quadragenaria cum titulo.*
3 *Abbates habentes iurisdictionem quasi episcopalem in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis, possunt beneficia vnire.*
4 *Vnio est iurisdictionis.*
5 *Abbates Generales possunt duo Monasteria sibi subiecta ex iusta causa vnire modo adsint solemnitates requisitæ, vt num. 6.*
7 *Vnire Monasteria an possint Abbates Monasteriorũ, nulla facta mẽtione de patronis. Limita, vt n. 9.*
8 *Iuspatronatus quotupliciter acquiri possit.*
11 *Vnire non potest Episcopus Ecclesias Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus subiectas, sine ipsorum consensu.*

1. SVPPONENDVM est, sub nomine alienationis venire etiam vnionem, & propterea, cui prohibitum alienare rem ecclesiasticam, censetur etiam prohibitum vnire: quia vnio est species alienationis, *cap. primo, de reb. Eccles. non alien. in 6* Panormit. *in cap. Tua nuper. num 4. de his, quæ fiunt à Prælato sine consil. Capit.* Et in huiusmodi alienatione, siue vnione, requiruntur omnes solemnitates necessariæ in alienatione cuiuslibet rei ecclesiasticæ, vt per ipsum Panormit. *ibidem.*

2. At Abbates, & Prælati Episcopo inferiores nequeunt huiusmodi vnionem facere, nisi hoc ex priuilegio, vel consuetudine præscripta, aut præscriptione immemorabili, vel quadraginaria cum titulo illis competat. Ita habetur *in cap. Sicut vnire. de excess. Prælat. & Clem. 1. §. Ad hæc de stat. Monach.* vbi Gloss. *verb. Ordinarios.* Rebuff. *in praxi, tit. de vnion. benef. num. 32. & 33.* Azor. *instit moral. parte 2. lib. 6. cap. 28. q. 1* Garc. *de benef. p. 12. cap. 2. num. 71. cum seqq.* vbi *num. 73.* dicit posse etiam inferiores Episcopo facere vniones, stante consuetudine propriè sumpta præscripta; licèt non immemorabili, Idem affirmant Sanchez *in præcepta Decal. lib. 7. cap. 39. num. 160.* & Barbos. *de iure ecclesiastico, lib. 3. cap. 16. num. 59.* Ricc. *in prax. for. Eccles. decis. 492 in 1. edit. & resol. 383. num. 3. in 2. edit.* Barbos. *supra cit. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. n. 6.* Quia facultas vniendi, sicut etiam conferendi beneficia, est iu-
3. risdictionis, non autem Ordinis: at prælati Episcopo inferiores possunt præscribere ea, quæ sunt iurisdictionis episcopalis, *c. Audiuit. de præscriptionibus.* Ergo possunt præscribere facultatem vniendi beneficia Ecclesiarum ipsis subiectarum, vt aiunt Doctores citati. Hoc autem intelligi debet de Abbatibus non habentibus iurisdictionem episcopalem, seu quasi: quia Abbates, qui episcopali iurisdictione potiuntur, benè possunt Ecclesias, ac beneficia, necnon etiam Monasteria sibi subiecta ex iusta causa vnire: quia vnire est iurisdictionis. Panormit. *in d. cap. Sicut vnire. num. 3. de excess. Prælat.* Igitur Abbates Regulares, necnon etiam sæculares, possunt Monasteria, Abbatias, & ecclesias sibi pleno iure subiectas ex iusta causa revnire: nam, vbi Ecclesiæ sunt Abbatibus pleno iure subiectæ, Abbates dicuntur ibi habere iurisdictionem quasi episcopalem: tex. *in cap. Quoniam* vbi idem Panorm. *num. 3.* & alij Doct. *de priuileg. & in cap. vnico, de capell. Monac. in 6.* Quod expressè notauit idem Panorm. *d. cap. Sicut vnire. num. 3. in fine,* & Roderic. *quæst. reg. tom. 3. quæst. vlt. art. 1.* Idem patet ex declaratione sacræ Congregationis *super cap. 5. sess. 23.* Concil. Trident. *de reformat.* cuius verba sunt hæc: *Censuit Congregatio dignitati curatæ posse vnire aliam dignitatem ex causa paupertatis, iuxta hoc decretum.* Et sess. 24. cap. 14. *Eamque vnionem facere posse Abbatem, si sibi hanc facultatem vniendi legitimè præscripsit, aut ex priuilegio in Ecclesia sibi pleno iure subiecta iurisdictionem quasi episcopalem habet in omnibus, & per omnia: alioquin vnionem faciendam esse per Episcopum cum consensu ipsius Abbatis, & Capituli.* Ita refert. Riccius *in praxi, d. decis. 492. num. 1.* 4

Præterea, pro Abbatibus Regularibus adest super hoc priuilegium quoddam concessum à Pio II. Priori, & Conuentui Vallisoleti, vt habetur *in lib. priuil. d. Ord. impress. Vallisol. ann. 1594 priu.* Quòd possint duo, vel tria Monasteria, siue Domus d. Ordinis S. Benedicti, in quibus propter inopiam fructuum, redituum, & prouentuum tres, vel quatuor Monachi sustentari nequeant, cum expresso Abbatum Conuentuum dictorum Monasteriorum assensu, vnire, & incorporare, ac in aliquo ipsorum Monasteriorum, seu Domorum Monachos, vsque ad numerum duodecim constituere, & deputare, ac alia Monasteria in locis sterilibus, vel inaquosis existentia, si hoc secundùm Deum expedire viderint, de dictis ad alia loca, vel oppida transferre: necnon fructus redditus, & prouentus omnium prædictorum Monasteriorum ita vniendorum pro sustentatione Monachorum, vt magis accommodis Domibus commorantium deputare: dummodo in singulis sic vnitis, vel translatis Monasteriis, siue Domibus per vnum idoneum Capellanum, per Priorem, & Conuentum huiusmodi deputandum, cui de fructibus Monasteriorum huiusmodi necessaria congruè ministretur, deseruiatur laudabiliter in diuinis, & ipsorum tunc vnitorum Monasteriorum supportentur onera consueta, &c. prout fusius dictum priuilegium habetur apud Roder. *quæst. reg. tom. 3. q. 80. art. 1.* Ex quo patet, quod Prior supradictus, qui non habet iurisdictionem quasi episcopalem, possit etiam facere dictam vnionem Abbatum, & Conuentuum vniendorum, accedente consensu; dummodo interueniant solennitates in modo vniendi, & iustæ causæ, *d. c. Sicut vnire. de excess. Prælat. Clem. 1. de rebus Eccles. non alien c. Vniones. 10. q. 1.* Priuilegium autem prædictum suffragatur in hoc: nam Episcopus non potest beneficia vnire, nisi vocatis patronis, & suum consensum præstantibus, aliàs vnio irrita censeretur. Ita Roch. de Curt. *de iurepatr vers. Honorificum. n. 4.* & latè diximus *supra.* At per hanc concessionem tribuitur facultas dicto Priori, & Conuentui, vt cum assensu tantùm Abbatum Conuentuumque, & Monasteriorum vniendorum, possit duo, vel tria Cœnobia ipsius Congregationis vnire, nulla facta mentione de vocatione 5 6

vocatione, & conſenſu ipſorum patronorum, vt patet ex dicto priuilegio per ea verba: *Necnon fundatione, dotatione translatione, concessione, aut donatione alicuius ex dictis Monasteriis vniendis huiusmodi*, &c vbi conceditur facultas dicto Priori, vniendi Monasteria ius patronatus habentia.

8. Tripliciter enim poteſt ius patronatus acquiri, nempe aut ex conſtructione, aut ex fundatione, aut ex dotatione. Gloſſ. *in c. Pia mentis.16.quæſt.* 1. Ioan. Andr. & Abb. *in rub de iure patr.* Lambert. *de iurepatr.p.* 1. *lib.*1.*q.*2.*cum ſeqq.* Diximus latè cum de collatione beneficiorum tractauimus. Verum, quia Pontifex nunquam vult concedere priuilegium in alterius præiudicium, Abb. *in c. Quæ in Eccleſiarum.de cōſtitut.* quamuis ad talem vnionem conſenſum patronorum non requirat; tamen ſtatuit, quòd per Priorem, & Conuentum huiuſmodi idoneus Capellanus deputetur, qui ſingulorum Monaſteriorum ita vnitorum, vel tranſlatorum oneribus ſatisfaciat, & in ipſis in diuinis deſeruiat, cui de fructibus dictorum Monaſteriorum neceſſaria commodè ſubminiſtrentur. Aliam conceſſionem pro vnionibus Monaſteriorum, & Abbatiatum huiuſmodi fecit Ioannes XXIII. Pontif. Max. ſub datum Conſtantiæ ſeptimo Kal. Februarij, pontif. ſui anno 5. Abbati Ciſtercij, & Capitulo Generali, quibus conceſſit, *vt quæcunque Monasteria dicti Ordinis Cistercienſis, tam Monachorum, quam etiam Monialium, & quorum facultates, fructus, redditus, & prouentus non ſufficiunt ad ſuſtentationem tot Regularium, quot in eis pro augmento diuini cultus, ac ac Miſſis, & aliis diuinis Officiis celebrandis ſecundùm eiuſdem Ordinis inſtituta, & præmiſſorum, ac Regularium cæremoniarum obſeruantia requiruntur, aliis Monaſteriis Religionis, & Ordinis prædictorum pro commodiori ſuſtentatione degentium in eiſdem, & quando pro ſtatu, & quiete huiuſmodi perſonarum id noueritis expedire, ſuper quibus veſtras conſcientias oneramus, cum omnibus iuribus & pertinentiis ſuis, vnum, videlicet, alteri Monachorum, & aliud alteri Monialium Monaſteriis eiuſdem Ordinis Monaſteria cuiuſcunque taxæ, ſeu annui valoris fuerint, & quæ cum eorum iuribus, & pertinentiis ſuis vniuerſis, præſentibus haberi volumus pro expreſſis, authoritate apoſtolica annectere, & vnire; ita quod cedentibus, vel decedentibus huiuſmodi Monaſteriorum Abbatibus, vel Abbatiſſis, ſeu Prioribus, vel Prioriſſis, (ſi Monaſteria ipſa per Priores, aut Prioriſſas fuerint ſolita gubernari,) aut ea quomodolibet dimittentibus, liceat aliis Abbatibus, & Abbatiſſis, ac Prioriſſis, quorū Monaſteriis alia ſic vacantia venient vnienda, corporalem poſſeſſionem huiuſmodi vacantium Monaſteriorū, iuriūmque, & pertinētiarum prædictarū authoritate propria apprehēdere, & perpetuò retinere, ac fructus, redditus, & prouentus dictorū Monaſteriorum vniendorum in ſuos vſus, ac pro ſuſtentatione huiuſmodi perſonarum degentiū in eiſdē liberè conuertere, diœceſani loci, aut cuiuſcunque alterius ſuper hoc licentia minimè requiſita, liberè, & licitè valeant. Non obſtantibus quibuſcunque reſeruationib. generalibus, vel ſpecialibus de huiuſmodi, vel aliis Monaſteriis Ordinum quorumcunque per nos, aut Sedē apoſtolicam hactenus forſan factis, necnon Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, atque noſtris ac ſtabilimentis ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & ordinis prædictorum, etiam iuramento confirmatio e apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cæteriſque contrariis quibuſcunque.* Ita habetur *in lib. priuilegiorum dicti Ord. Bulla* 2. *d. Pontificis; fol.*68.

9. Aduertendum tamen eſt, quod ſeclusis priuilegiis, in vnione beneficiorum, ſeu Eccleſiarum, quæ ſunt iuriſpatronatus, requiritur vocatio, & conſenſus Patroni, ſiue Eccleſiaſtici, ſiue laici, ac inferioris collatoris, ex *Clem. vnic. §. ad hæc. de ſtatu Monach.* & ex Concil. Trid. *ſeſſ.*24. *de reform. cap.*... & Roch *de iurepatron. verb. benef. num.* 8. Boër. *deciſ.* 345. *num.* 4. *in fin.* Couarr. *pract. cap.* 46. *num.* 10. Flaminius *de reſign. benef. lib.*2. *quæſt.*4. *num.*11. Barboſ. *de iur eccleſ. lib.*3. *cap.*16. *num.* 49. vbi citat Sanchez, Azor. Garciam, & alios: & dictum fuit per Rotam *in Vercellen. vnionis.* 23. Aprilis, 1610. coram Cardinali Lancelloto iuniore.

Sicut nec etiam ſine conſenſu Abbatis, aut alterius Prælati inferioris poteſt Epiſcopus eidem Abbati, & Prælato ſubiectam vnire, vt docent Cardinal *in d. Clem. eit. num.* 1. *de ſtat. Monach.* & Barboſ. *loco cit. num.*48. vbi ait, exigi quoque conſenſum Clericorum conſtituentium Capitulum cum Prælato inferiore. 10.

QVÆSITVM II.

Ex quibus cauſis beneficiorum, Eccleſiarum, & Monaſteriorum coniunctio ab Abbate fieri poſſit.

SVMMARIVM.

1 *Vnio Eccleſiarum, Monaſteriorum, vel beneficiorum debet fieri ab Abbate ex euidenti ipſorum neceſſitate, vel vtilitate.*

2 *Vnio facta ſine cauſa, vel ex falſa cauſa, etiam ſeruata forma iuris, eſt ipſo iure nulla.*

3 *Pro actu Iudicis, in quo enunciantur ſolennitates, præſumitur, quòd omnia ſint ſolenniter acta, niſi contrarium probetur.*

DVabus potiſſimum de cauſis beneficiorum, ſiue Eccleſiarum coniunctiones fieri poſſunt. Primò. 1. propter euidentem Eccleſiæ neceſſitatem. Secundò, ob magnam ipſius vtilitatem, videlicet, quia ſunt duæ parochiales nimis proximæ, & ita tenues, vt duos Parochos non valeant commodè ſuſtentare, *cap. Poſtquam.*16.*quæſt.*1. Seraph. *deciſ.*1078. *num* 4. Item, ſi vtraque, aut altera fuerit bello, peſte, incendio, vel inundatione deſtructa, *c. Decimas. ead. cauſ. & q. cap. Expoſuiſti de preben.* Oldrad. *conſ.* 161. *& ſeq.* Rebuff. *d. tit. de vnion. num.* 38. Lancellot. *in inſtit. Canon. tit. de vnion.* §. 3. Garc. *de benef. p.*12. *cap.*2. *num.*108

Et vnio facta ſine cauſa, vel ex falſa cauſa etiam ſeruata forma iuris, eſt ipſo iure nulla. Burſat. *conſ.* 185. *num.* 13. *lib.* 2. Garc. *d. cap.* 2. *num.* 113. Quæ 2. cauſæ coniunctionis non præſumuntur eſſe veræ, etiamſi ab Ordinario in vnione inſerantur, cum aſſertione, quod ſint veræ; ſed aſſerens vnione illas eſſe dignas probare tenetur Capuraqu. *deciſ.*350. *num.*50. *parte* 3. & Garc. *d. cap.* 2. *num.* 120. qui *num.* 121. reſoluit, quòd ſi Ordinarius in vnione aſſerat, eam feciſſe cum cauſæ cognitione, & requiſitis ſolennitatibus, ac reperiſſe cauſas eſſe veras, videtur ſtandum ipſius aſſertioni. Et quoad contrarium probetur 3. pro vnione eſt præſumendum, etiamſi proceſſiſſet parte non vocata: quia forte tunc nullus adfuit, qui deberet vocari: quia pro decreto, vel actu iudicis, in quo enunciantur ſolennitates, præſumitur, quòd omnia ſint ſolenniter acta, niſi contrarium probetur, *l. Ab ea parte. ff. de probat. cap. In præſentia. de renunciat l. Etſi præſens. C. de prædiis minor.* Garc. *d. cap.*2. *num.*125. & ex ſupradictis cauſis omnia beneficia, & Eccleſiæ, ſiue cathedrales, ſiue collegiatæ, ſiue conuentuales, ſiue parochiales ſiue regulares, ſiue ſæculares, ſiue dignitates cuiuſcunque conditionis vniri poſ-

ri possunt; vt per Azor *inst. mor. parte 2. lib. 6. cap. 28. quæst. 4. & 5.*

QVÆSITVM III.

De forma & solennitatibus requisitis in Ecclesiarum, & beneficiorum vnione ab Abbate facienda.

SVMMARIVM.

1 *In vnione Ecclesiarum, & beneficiorum vocandi sunt omnes, quorum interesse poterit; alias non valet.*

2 *Conuentus, vel Capituli consensus debet in vnione interuenire. Limita, nisi adesset consuetudo in contrarium, num. 3.*

4 *Ecclesia, quæ vnitur, si est de iurepatronatus, requiritur patroni consensus.*

AD hoc, vt vniones beneficiorum, siue Ecclesiarum validè fiant, primò debent interuenire caosæ, quæ (vt *suprà* dictum est) ad duas præcipuè à Doctoribus reducuntur, nempe, ad euidentem necessitatem, vel vtilitatem, *cap. Exposuisti. de præbend.* quæ necesse est, vt in ipsa conionctione cognoscantur, & exprimantur. Insuper oportet etiam
1. eos vocari, quorum consensus debet accedere, videlicet quorum poterit interesse, vt constat *ex Clem. Si vna. de reb. Eccles. non alien. Clem. vnic. §. Ad hæc. de stat. Monach.* Concil. Trid. *sess. 7. de reformat. cap. 6.* Rebuff. *in praxi benefic. tit. de vnion. benef. numer. 43.* Garc. *de benef. parte 12. cap. 2. num. 203.* Aloys. Ricc. *in praxi fori eccles. decis. 486. in 1. edit.* & *resol. 371. num. 3. in 2. edit.* aliàs enim dictæ vniones ipso iure irritæ sunt, & inanes. Azor. *institutionum moralium parte 2. lib. 6. cap. 26 quæst. 14.*
2. Et vltra prædicta necessarius est etiam consensus Capituli, si Abbas erit Præfectus alicuius Collegiatæ, vel loci Ordinarius & si est Regularis, & beneficia, Ecclesias, vel Abbatias Regulares vnire velit, requiritur assensus conuentus; quamuis non requiratur tractatus, *cap. Pastoralis de donat. d. Clem. Si vna.* Rebuff. *d. prax. super reg. de vnion. gloss. 1. n. 2.* Azor, *d. cap. 28. q. 12.* Nicol. Garc. *d. cap. 2. num. 145.* vbi plures cumulat. Qui consensus potest etiam post vnionem interuenire. Azor. *d. q. 12.* Rebuff. *d. gloss. 2. n. 20.* Lambert. *de iurepatr. p. 1. l. 1. q. 2. art. 12.* Selu. *de benefic. p. 1. q. 6. à n. 2.* Stephan. Grat. *discept. forens. c. 278. n. 30.*
3. nisi extaret consuetudo in contrarium, quæ debet esse immemorabilis, aut quadragenaria, cum titulo, vt aiunt Petrus Greg. *de benefic. cap. 40. n. 6.* Garc. *d. cap. 2. n. 152.* qui *num. 153.* dicit esse intelligendum de consuetudine generali, quæ esset propriè consuetudo; non autem præscriptio, pro qua sufficeret tantùm tempus quadraginta annorum per not. *in cap. final. de cõsuetud.* Qui Capituli consensus requiritur in vnione Ecclesiarum, quamuis Concil. Trid. *sess. 21 de reform, cap. 5.* det Episcopis facultatem vniendi, etiam tanquàm apostolicæ Sedis delegatis, per illa verba ipsius Concilij: *Iuxta formam iuris*, & ita declaratum fuisse à Sacra congregatione Concilij refert Garc. *d. c. 2. n. 158. & seq.* Item, si Ecclesia, quæ vnitur, est iuris-
4. patronatus, requiritur consensus patroni, *c. Suggestum. de iurepatr. cap. Monasteriorum. 16. q. 1.* Vnio enim de beneficiis iurispatronatus facta absque patronorum consensu non valet, ex dispositione Concilii Trident. *sess. 24. de reform. cap. 15* & asserunt Roch. de Curt. *in tract. de iurepatr. verb. Honorificum, quæst. 3.* Lambert. *eod. tract. lib. 3. quæst. 6. art. 2.* Aloys. Riccius *d. prax. decis. 486. in 1. edit.* & *resol. 377. num. 1. & 3. in 2. edit.*

QVÆSITVM IV.

Vtrum vniones Monasteriorum, & locorum regularium comprehendantur sub apostolicis reuocationibus desuper aliquo modo factis, vel faciendis

SVMMARIVM.

1 *Vniones Monasteriorum, siue Abbatiarum, & locorum regularium, non comprehenduntur sub apostolicis reuocationibus, & annullationibus vnionum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum regularium, in genere, vel specie factis, & faciendis, quæ habentur in Regula 12. Cancellariæ.*

IN Regula 12. Cancellariæ reuocantur, cassantur, & irritantur, nulliúsque momenti esse mandantur omnes vniones, suppressiones, extinctiones, applicationes, & dismembrationes, etiam perpetuæ, Cathedralibus, necnon aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, &c. apostolica, vel alia quauis authoritate factę, quæ suum non sunt sortitæ effectum: reuocantur etiam, ac irritantur, & nullius firmitatis esse decernuntur quæcunque concessiones, & mandata, super vnionibus, incorporationibus, ac aliis præmissis taliter faciendis tradita. 1.

Dubitatur modò, an sub prædicta Regula comprehendantur vniones Abbatiarum, Monasteriorum, & aliorum locorum regularium ab Abbatibus, & Prælatis regularibus factæ, licèt suum effectum nondum sortitæ fuerint. Ad quod respondetur negatiuè, & hoc ex priuilegio Leonis X. qui concessit Congregationi Camadulensi, *Quod vniones quarumcunq. Monasteriorum, Prioratuum, locorúmq. regulariũ, seu aliorum beneficiorum ecclesiasticorum Religionibus monachalibus, & aliis eorũmque priuilegiis gaudentib. factæ, & facienda sub apostolicis reuocationibus, cassationibus, & annullationibus in genere, vel in specie factis, & faciendis non comprehendantur; nec præiudiciũ aliquod per illa eis inferatur; sed omnes illa etiã cassationes huiusmodi, nisi de verbo ad verbum eis insererentur, specialisque, & expressa seu indiuidua de ipsis Monasteriis, & Congregatione mentio fiat, in suo robore inconcussa permaneant; irritúmque est, & inane, quidquid secus contigerit attentari.* Ita habetur in *Compẽd. priuil. Ordinis Cisterc. verb. Vnio, §. 2.* & Eugenius IV. concessit Congregationi S. Iustinæ, *quod si in prædictis vnionib. annexionibus, incorporationibus, receptionibus, seu reformationibus, conuentiones, & pacta illicita, & quando apostolica confirmatione carerẽt, expressè prohibita inuenirentur, interuenirent; illas tamen ratas & firmas fore, & esse, ipsáque pacta, & conuentiones obseruare liberè ac licitè posse.* Ita habetur *in lib. priuileg. d. Ord priuil. 12. fol. 39.* Item Iulius II. concessit Congregationi Oliuetanæ, *Quod conuentiones, & pacta, modo huiusmodi facta, & faciẽda in forma publica redacta eo ipso apostolico robore munita esse intelligãtur.* vt habetur *in d. Compend. Ord. Cisterc. d. verb. Vnio*, & refertur à §. 2. & §. 3. & refertur à Roder. *quæst. reg. tom 1. quæst. 34. art. 1. & tom. 3. quæst. 80. art.* quibus priuilegiis gaudent omnes aliæ Congregationes communicantes cum prædictis Religionibus.

QVÆ

QVÆSITVM V.

An si Abbatiæ vniatur aliqua Ecclesia, ipsa sortiatur omnia iura, & priuilegia Abbatiæ.

SVMMARIVM.

1 *Vnio Ecclesiarum & beneficiorum fit tribus modis.*
2 *Ecclesia quando ita vniuntur, vt ex duabus vna fiat, iura, consuetudines, & priuilegia concessa vni competunt & alteri; & quando sunt plura, vel contraria, meliora, & fauorabilia conseruabuntur.*
3 *Ecclesiæ duæ quando æquè principaliter vniuntur, quælibet earum remanet in proprio statu, ac proprijs priuilegijs gaudet.*
4 *Abbatiæ si vniretur aliqua Ecclesia accessoriè, illa sortiretur naturam, iura, & priuilegia ipsius Abbatiæ.*
5 *Ecclesia exempta si accessoriè annecteretur Ecclesiæ non exemptæ, amitteret exemptionem, & è contra.*
6 *Vniri non potest magis dignum minùs digno, sed è conuerso; si tamen vnio fieret Sedis apostolicæ authoritate, valeret.*

1. SVpponendum est pro explicatione huius quæsiti, tribus potissimum modis vnionem Ecclesiarum, & beneficiorum fieri, vt tradit Gloss. *in cap. Et temporis, 16. q. 1. verbo, vnire*, & *in cap. 1. verb. vniendo, ne Sede vac.* Rebuffus *in praxi benef. tract. de vnion benef. à n. 11.* Azor. *inst. moral p. 2. lib. 6. c. 28. q. 2.* Garc. *de benef. p. 12. c. 2. n. 7.*

2. Primo modo fit vnio, ita vt ex duabus Ecclesiis vna fiat, *cap. Decimas, § Sicut enim, 16. q. 1.* & tunc iura, consuetudines, & priuilegia concessa vni, competunt & alteri; & quando sunt plura, vel contraria meliora, & fauorabiliora conseruabuntur, vt dicunt Gloss. Host. & Panorm. *super d. cap. 1.* Rebuff. *d. n. 11.* Gonzal. *ad reg. de mensib. gloss. 5. § 7. n. 28. & 55.* Garc. *dict. cap. 2. n. 10.*

3. Secundo modo fit vnio, quando duæ Ecclesiæ ita coniunguntur, vt vtraque remaneat, sicut priùs erat, quæ vnio dicitur æquè principaliter facta, & vtraque Ecclesia dicitur æquè principalis, ac quælibet in proprio statu, & honore remanet, ac suos redditus agnoscit, propriisque priuilegiis gaudet: at vnus tantùm erit vtriusque Rector. Gloss. *in d. cap. Et temporis.* & *in d. c. 1.* & Gloss. *in Clem. Per literas, de præbend.* Rebuff. *d. tit. de vnion. n. 15.* & *tit. de Vicar. perpet. n. 3.* & tunc nominatio debet fieri à digniori, *cap. Ex literis, de iurepatron.*

4. Tertio modo fit accessoriè, cùm vna Ecclesia alteri subiicitur: & tunc Ecclesia, cui fit vnio, erit superior, & principalis; vnita verò inferior, & subiecta: quæ vnio operatur, vt Ecclesia, quæ alteri incorporatur, remaneat suppressa, extinguatur ipsius titulus, ac fiat, & iudicetur prædium illius, cui incorporatur. Felin. *in cap. In nostra, de rescript. coroll. 33.* Selu. *de benefic. p. 3. q. 12. 14. qual n. 20.* Rebuff. *in prax. tit. de forma nouæ prouis. verb. cum annexis.* Rot. *in vna Compostellana, Prioratus*, 17. Martij, 1591. coram Litta. Plures refert Garc. *d. cap. 2. num. 12.* Itaque si hoc tertio modo Abbatiæ annecteretur aliqua Ecclesia, sortiretur naturam, iura, & priuilegia ipsius Abbatiæ: quia vnitum assumit naturam consuetudinis, & priuilegia principalis, cui est annexum, arg. text. *in l. Cùm principalis, ff. de iureiur.* Gloss. *in d. cap. Et temporis, & d. cap. 1.* Nauarr. *cons. 6. num. 2. de verb. signific.* & amittit propriam prærogatiuam, ita vt si Ecclesia exempta esset incorporata Ecclesiæ non exemptæ, amitteret exemptionem; & è contra. Nauarr. *cons. 10. num. 2. & 3 de maior. & obed.* Azor. *instit. moral p. 2. lib. 6. c. 28. q. 20.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. c. 34. n. 148.* Garc. *d. c. 2. n. 18.* 5.

Hîc est notandum, non posse magis dignum minùs digno vniri; sed è conuerso, *cap. Exposuisti, de præbendis, cap. Super, eod. tit. in 6.* Si tamen talis vnio fieret authoritate Sedis apostolicæ, valeret *per cap. 1. de præbend. in 6.* Rebuff. *d. tit. de vnion. n. 17.* 6.

QVÆSITVM VI.

Vtrùm Abbas generalis possit dismembrare bona ab vno Monasterio, & alteri vnire.

SVMMARIVM.

1 *Dismembratio quid sit.*
2 *Dismembratio venit nomine alienationis.*
3 *Causa iusta, & solemnitates in alienatione requisitæ, debent interuenire in dismembratione.*

DIsmembratio fit, cùm aliqui fructus, redditus, seu bona vnius Ecclesiæ, seu Monasterij, ab eo separantur, & alteri applicantur, quæ cùm veniat nomine alienationis, & dicatur verè alienatio, requiruntur in ea eædem causæ, & solennitates, quas diximus necessarias esse in alienatione rerum ecclesiasticarum, *c. 1. de reb. eccles. non alien. in 6. cap. 1. Ne Sede vacante.* & ibi Doctores. Gloss. *in Clem. Si vna, de reb. eccles. non alien. verb. Defensor.* Rebuff. *in compend. alien. rerum Eccles. num. 68.* Laur. de Rodulph. *in cap. Sine exceptione, in 3. q. 12. q. 2.* Rota *decis. vnic. de his quæ fiunt à Prelat. in nou. & decis. 574. p. 1. diuers.* eadem Rot. *in vna Marsicana dismembrationis fructuum*, 14. Februarij, & 28. Martij 1594. coram Pamphilio: & *in vna Toletana Parochialis de Madrid*, 27. Iunij, & 19. Nouembris 1601. & 1. Februarij 1602. coram Corduba, refert Garc. *de benefic. p. 12. cap. 3. à n. 3.* 1. 2.

Quapropter in huiusmodi dismembratione deberet interuenire iusta causa; putà quòd Monasterium, à quo essent bona dismembranda, nimis opulentum sit, ac diues: at è conuerso Monasterium, cui applicarentur, esset valdè inops, & solennitates in alienatione requisitæ, videlicet, tractatus & consensus Conuentus, à quo bona essent dismembranda, necnon etiam assensus Sedis Apostolicæ, aliàs irrita censeretur: quia hodie in quolibet modo alienationis bonorum Regularium opus est, vt Romani Pontificis authoritas accedat per decretum sacræ Congregationis Concilij, vt latiùs *in tract. de alienat.* dictum est. 3.

QVÆSITVM VII.

Quis possit Ecclesias & beneficia vnita disiungere; ex quibus causis, & quos vocare debeat in illorum disiunctione.

SVMMARIVM.

1 *Abbates habentes iurisdictionem quasi episcopalem in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis, possunt vniones Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum dissoluere.*
2 *Vnionem, qui potest facere, potest etiam dissoluere.*
3 *Causa, ob quas vniones beneficiorum, &c. dissolui possunt.*

4 *Vnionum in dissolutione vocare quos oporteat, ostenditur.*

RESpondeo, quòd Summus Pontifex, Legatus à latere, & Episcopi, sicut iure suo possunt Ecclesias vnire: sic etiam eodem iure possunt eas disvnire.
1. Cæteri verò Prælati Episcopo inferiores, etsi consuetudine, priuilegio, aut præscriptione Ecclesias, & beneficia vnire possint; nequeunt tamen coniunctas disiungere, nisi etiam reuocandæ vnionis facultatem præscripserit. Rebuff. *in praxi. tit. de vnion. reuocan. n.* 20. Nisi tamen haberent iurisdictionem quasi episco-
2. palem, sicut *superius* dictum fuit de vnione: nam ille potest disvnire, qui potuit annectere: sicut qui potest condemnare, potest absoluere, *l. 3. ff. de re iudic.* & is potest repudiare qui & adire, *l. Is potest. ff. de acq. her.*

Et quod ille possit vnionem dissoluere, qui potuit eam facere, docent Ioan. Baptista Caccialup. *in tract. vnion. art. 9.* Mandos. *super reg. 19. Cãcellar. de infirmis, q. 16. n. 5.* Rebuff. *loc. cit. n. 15.* Fuscus *de visitat. lib. 2. c. 26. n. 13.* nam vtrunque spectat ad potestatem iurisdictionis, non autem Ordinis. Igitur, sicut Abbates habẽtes Ecclesias sibi pleno iure subiectas, in quibus iurisdictionem quasi episcopalem exercent, habent authoritatem vniendi, possunt eadem ratione disiungere.
3. Causæ denique, propter quas ita disiunctio fieri potest, plures sunt; vt puta, si essent vnitæ Ecclesiæ, vel beneficia prædicta propter fructuum tenuitatem, cùm venerint ad augmentum poterunt disiungi, *cap. Cùm N. de constit. Clem. Ne in agro. §. Ad hæc. de stat. Monach.* Si vnio facta fuerit ob populi deficientiam, propter pestem, bellum, vel aëris intemperiem, aut terræ sterilitatem; si denique populus reuerteretur, poterit vnio dissolui, *c. Quid. de Relig. Domibus. c. vltimo de Paroch.* Si propter vnionem cœperit Ecclesia detrimentum percipere, vt si tollatur hospitalitas, aut si relaxetur Religio; poterit iure ipsa vnio reuocari, *c. 1. Ne Sed. vac. c. de Monach de præben.*

Quo vero ad tertiam partem quæriri, nempe, quos oporteat in tali disiunctione vocare. Respondeo, quòd cùm in vnione reuocanda requiratur causæ cognitio, sicut in facienda, *cap. 1. in fin. Ne Sed vacan.* Rebuff. *d. tit de reuoc. vnion. n. 25.* Hi sunt vocandi, quorum interesse potest, talem coniunctionem non dissolui, *c. vlt. de elect. in 6.* Quòd si beneficium ad duas spectet diœceses vtriusque Episcopos vocare necesse erit, *c. Sicut vnire. de excess. Prælat.* Item vocandus erit patronus, ad quem interest, vt iuspatronatus redeat, *c. Piæ mentis. & cap. Filiis. 16. q. 1.* Similiter is, qui Ecclesiam coniunctam possidet, ac eius Vicarius, qui in ea moratur: vtriusque enim interest, vt inquit Azor. *inst. moral. p. 2. lib. 6. cap. 29. in fine.* 4

DISPVTATIO XVI.

De spoliis Abbatum, & Prælatorum Episcopo inferiorum.

QVÆS I. Ad quem pertineant spolia Abbatum, & aliorum Prælatorum sæcularium.

II. An Abbates sæculares, & Commendatarij habentes à Sede apostolica facultatem testandi de fructibus à suis Ecclesiis sibi obuenientibus, possint de vasis, & ornamentis diuino cultui dicatis disponere.

III. Abbatis Regularis spolia ad quem spectent.

IV. An Religiosorum beneficiatorum spolia ad Abbatem, vel Monasterium pertineant.

V. An spolia Monachorum decedentium extra Monasterium spectent ad ipsum Monasterium, an verò ad Sedem apostolicam.

QVÆSITVM I.

Ad quem pertineant spolia Abbatum, & aliorum Prælatorum secularium.

SVMMARIVM.

1 *Abbas, & Prælatus sæcularis, quicquid acquirit ex fructibus beneficij, sua Ecclesia acquirit, secus de bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus.*

2 *Ecclesia hodie non succedit, sed R. Camera Apostolica in bonis acquisitis per Clericos ex fructibus beneficiorum.*

3 *Spolium non fit de bonis Curialium, & in vrbe degentium Limina, vt n. seq.*

1. CErtum est, Abbatiam connumerari inter alia beneficia ecclesiastica. Et Clericus Abbatia decoratus non solum potest dici beneficiatus; sed etiam ecclesiastica dignitate præditus, vt sæpè probauimus. Vnde distinguendum est, an talis Abbas, vel Prælatus sæcularis promotus ad dignitatem habuerit in bonis de patrimonio, vel nihil habuerit. Nam, si non habuerit in bonis tempore, quo fuit promotus ad dignitatem; & medio tempore suo nomine emerit agros, & vineas, & prædia quæcunque; puniri debet tanquàm inuasor rerum dominicarum, vt est tex. *in c. Placuit*, vbi Gloss. *12. quæst. 3.* & *c. Inuestigandum.* & ibi Glos. *de peculio Clericorũ.* Si verò talis Clericus habuerit in bonis, & de patrimoniu proprio, vel ex bonis quasi patrimonialibus, tunc illa, cui voluerit, dare poterit, vt est tex. *in c. Quicunque. §. Ecce.* vbi *Gloss. 12. q. 3.* quia spolia relicta per Prælatum defunctum, acquisita de fructibus, & emolumentis Ecclesiæ, sunt res Ecclesiæ, per tex. in terminis *in c. Relatum. el. 2. de testament.* item text. *in c. Quia sæpè de elect. in 6.* vbi disponitur, quòd tam bona dimissa per Prælatum, quàm tempore vacationis Prælaturæ, & tempore mortis Prælati obuenientia modo aliquo per Capitulum, Conuentum, Collegia, vel singulares eorundem personas non vsurpentur, sed reseruari debeant. Præterea facit tex. *in c. Præsenti de offic. Ordin. eod. lib. 6.* vbi bona Rectorum, vel Ministrorum Ecclesiæ, post eorum obitum inuenta, siue tempore vacationis Ecclesiarum obuenientia, in earundem Ecclesiarum vtilitatem expendi, vel successoribus in Ecclesia fideliter reseruari mandatur; inde fuerat statutum de iure antiquo per textum *in cap. Illud, & can. Non liceat. 12. q. 2.* cum suis gloss. vbi habetur, quòd bona Episcoporum, ac Prælatorum decedentium debeant sub custodia fideliter reseruari.

2. Verum in locum talis Ecclesiæ, aut successuris, hodie in huiusmodi bonis dimissis subrogata est, & succedit pleno iure Reuerenda Camera Apostolica, prout patet ex nonnullis Romanorum Pontificum Constitutionibus, & præcipuè ex Bulla Pauli III. edita super spoliis anno 1541. tertio Nonas Ianuarij, Pontificatus sui anno octauo, quæ incipit: *Romani Pontificis prouidentia circunspecta.* & aliorum Summorum Pontificum, vt per Rotam *decis.* 855. incip. *Cum Camera apostolica.* in antiquis *in rubr. de probat.* & Guillem. Redoan. *in tract. de spoliis Cleric. in fine.* Vnde deputatur à Summo Pontifice Generalis Collector horum spoliorum ad R. Cameram spectantium, qui est D. The-
3. saurarius eius d. Reuerendæ Cameræ. Curiales tamen, & degentes in Curia, & in vrbe possunt pro libito disponere, tam in vita ipsorum, quàm in mortis articulo, & etiam ab intestato relinquere de Palatiis, ædificiis, ac bonis immobilibus, & mobilibus quibuscunque, censibus, bonis emphyteuticis, & aliis quibuscunque iuribus, de officiorum, ac beneficiorum ecclesiasticorum fructibus acquisitis, & acquirendis, dummodo ad Ecclesiam non pertineant alia via, quàm ex fructibus, & quam vt ex fructibus acquisita; ex constitutionibus Sixti IV. & Alexandri VI. vt patet ex Bulla eiusdem Alexandri VI. sub datum Romæ, anno 1494. pridie Nonas Octobris, Pontificatus sui anno tertio. quam innouarunt, & confirmarunt Iulius II. anno 1507. Kalendis Ianuarij, Pontificatus sui anno quinto. Iulius III. anno 1549. Sexto Idus Martij, Pontificatus sui anno primo, quæ incip. *Cupientes, vt Alma vrbs nostra.* Et Pius IV. sub datum Romæ anno 1560. Nonis Februarij, Pontificatus sui anno secundo, quæ incipit: *Romanus Pontifex ex sua.*
4. Sed notandum, quòd priuilegium istud testandi, & disponendi de huiusmodi bonis, non habent degentes in Vrbe, si habuerint beneficia, & Prælaturas, quæ personalem residentiam requirunt, si extra residentiam decedunt, per constitutionem eiusdem Pij IV. contra non residentes editam anno 1564. 7. Kalend. Decembris in qua eorum bona, ex ecclesiasticis fructibus comparata applicat Cameræ apostolicæ, recissa, ac sublata generali licentia eisdem concessa, & speciali, si quàm obtinuerint, quam eis saluam manere vult, si residean; & latius prout in ea.

QVÆSITVM II.

An Abbates sæculares, & Commendatarij habentes à Sede apostolica facultatem testandi de fructibus à suis Ecclesiis sibi obuenientibus, possint de vasis, & ornamentis diuino cultui dicatis disponere.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ semel oblatum, Domini est, & ad ius pertinet Sacerdotum.*

2 *Prælati habentes priuilegium testandi, nequeunt de vasis, & ornamentis semel Ecclesiæ oblatis disponere: nec eadem sub nomine spoliorum veniunt.*

Dictum est, *in superiori quæsito,* quomodo liceat, huiusmodi Abbatibus per testamentum de suis bonis disponere: sed quia aliquando ipsi habent à Sede apostolica indultum testandi, & disponendi de rebus ecclesiasticis suæ Abbatiæ: ideò videndum est, vtrum possint testari de vasis, vel paramentis cultui diuino dicatis. Et iure sancitum est, quod quicquid
1. fuerit semel Ecclesiæ oblatum, Domini est, & ad ius pertinet Sacerdotum. Vnde quicunque illud vsurpare præsumpserit, sacrilegium committit; & si se non emendauerit, debet excommunicari: tex. est ad literam *in c. Nulli,* vbi *Gloss.* 12. q. 2. & vasa sacra non nisi pro redemptione captiuorum alienanda sunt, *c. Apostolicos. & c. Et sacrorum.* 12. q. 2.

Vnde Abbates, quamuis habeant à Sede apostolica priuilegium testandi; nullo modo de vasibus, & aliis 2.
ornamentis semel Ecclesiæ oblatis disponere possunt & vltra Canonum sacrorum dispositiones extat super hoc declaratio Pij V. applicationis fructuum omnium beneficiorum, per quam declarantur bona, quæ non veniunt sub nomine spoliorum, Romæ publicata die 28. Septembris, 1567. fol. 995. in Bullario, cuius verba sunt hæc: *Romani Pontificis prouidentia circunspecta ad ea sollicitudinis suæ partes potissimum conuertit, per quæ singulis Ecclesiis debita obsequia, & opportuna subuentionis auxilia minimè subtrahantur. Cum itaque sicut accepimus nonnulli Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, seu Cōmendatarij, ac alij beneficia ecclesiastica obtinētes, proprij honoris, & salutis immemores, etiā prætextu facultatū testandi eis per Sedem apostolicā concessarū, in eorū vltimis voluntatibus, res sacras, ac vasa, ornamenta, & paramenta ecclesiastica, atque, cultui diuino dicata, quandoque ex fructibus ecclesiasticis per eos acquisita, non Ecclesiis, & Monasteriis, ac beneficiis, quibus præfuerūt, seu à quibus prouentus ecclesiasticos, & stipedia acceperūt, prout rationi, & honestati consentaneum foret; sed aliis locis, etiam aliquando non piis, ac interdū eorum consanguineis, & affinib. relinquere, ac Cameræ apostolicæ Collectores, prætextu, quod illa sub appellatione spoliorū veniant, sámque eiusdē Cameræ spolia exigere, & percipere non erubescant in maximū Religionis dedecus, ac Ecclesiarū, Monasteriorū, & beneficiorum eorundem detrimentum & relinquentium animarum periculū, scandalúmque plurimorū. Nos abusibus, scandalisque huiusmodi prouidere, ac singularum Ecclesiarum, & Monasteriorū, ac beneficiorum indemnitati animarúmque quomodolibet saluti consulere volētes, Motu proprio, & ex certa sciētia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione statuimus, ordinamus, decernimus, & declaramus, quod de cætero omnia, & singula paramenta, ac vasa, necnon Missalia, & Gradualia, ac Cantus firmi, & Musica, aliique quomodolibet nuncupati libri, & aliæ res sacræ etiam auri, & argenti, ac quæcunque alia bona per quoscunque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscunque quæcunque, & quorumcunque Ordinum Regularia in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes, quocunque nomine, vel titulo censeantur.*

QVÆSITVM III.

Abbatis regularis spolia ad quem spectent.

SVMMARIVM.

1 *Abbas sæcularis aliquando potest disponere de bonis per ipsum acquisitis, dummodo non sint intuitu Abbatiæ acquisita.*

2 *Prælatus Regularis quicquid acquirit, suæ Ecclesiæ, & Monasterio acquirit.*

3 *Testamentum facere non possunt Abbates.*

4 *Abbatibus Regularibus nullo modo licet disponere de rebus Monasterij.*

Diximus suprà, quod Abbas sæcularis aliquando 1.
potest disponere de rebus, & bonis per ipsum acquisitis, dummodò non sint intuitu suæ Abbatiæ acquisita; nam illa pertinent ad Ecclesiam, à qua bene-

ficium habuit, vt *in c.1. de peculio Clericorum.* At Abb. Regularis, qui mundo renunciauit, proprium habere non potest. Facit ad hoc *c. Non dicatis.12.q.1.* vbi dicitur. *Non dicatis vos aliquid habere proprium; sed sint vobis omnia communia.* Et iuxta textum *in c. Dilectissimus. eod. loc.*

2. Vnde ipsi Abbates, quamuis aliquid acquirant, omnia Monasterio acquirunt, iuxta textum *in c. Nolo.12. q.1.* in illis verbis: *Nulli liceat in Societate nostra habere aliquid proprium: sed si fortè aliqui habet, nulli liceat, & qui habuerint, faciant, quod non licet.*

3. Vnde nec testamentum facere possunt, ex eodem textu *suprà* allegato per illa verba: *Quisquis inuentus fuerit habens proprium, non illi permitto, vt inde faciat testamentum, sed delebo eum.* Ex quib. verbis clarè colligitur, quod nullo modo licet Abbati Regulari disponere de rebus Monasterij. Et per tex. *in c. Quia. 19. q.111.* Sed, quia aliquando inuenti sunt, qui bona Abbatis morientis dissipabant, occupabãt, & dilapidabant, in graue damnum, & iacturam Conuentus, & Monasterij: vnde Summus Pontifex compulsus fuit super hoc facere constitutionem, per quam prouiderut indemnitatibus Monasteriorum: & hæc est Constitutio Bonifacij Papæ VIII. cuius verba sunt; *Quia sæpè contigit, quod Cathedralibus, & Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus Capitula, Conuentus, Collegia, & singulares eorundem personæ, bona à Prælatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reseruari occupant, inter se diuidant, surripiunt, dilapidant, dissipant, & consumunt in earum graue dispendium, & iacturam: Nos ipsorum ausus reprimere, ac Ecclesiarum indẽnitatem præcauere volentes; decernimus, vt hi, qui præmissa de cætero præsumpserint, eo ipso sint, & maneãt tam diu ab officio, & beneficiis quibuscunque suspensi, donec plenè restituerint, quicquid de bonis perceperint, supradictis non obstantibus quibuslibet priuilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, vel statutis, iuramento, confirmatione Sedis apostolicæ, aut alia quacunque firmitate vallatis: quæ omnia quoad hoc authoritate apostolica reuocamus, cassamus, & irritamus, ac nullius esse firmitatis deinceps volumus.* Habetur *in cap. Quia Sæpè. de elect. in 6.*

QVÆSITVM. IV.

An Religiosorum beneficiariorum spolia ad Abbatem, vel Monasterium pertineant.

SVMMARIVM.

1 *Religiosorum beneficiariorum nomine hìc quinam intelligantur.*
2 *Spolia Religiosorum beneficiariorum ad Conuentum pertinent.*
3 *Cluniacensis Abbas de spoliis Priorum, & beneficiariorum sibi subditorum habet palefredum, cappam, & Breuiarium.*

1. NOmine Religiosorum beneficiariorum hìc intelligimus illos tantùm, qui habent Prioratum, seu aliquam aliam dignitatem, aut beneficium manuale Regulare ab Abbate, & præsunt alicui Ecclesiæ, vel Monasterio ad subeundum aliquod munus,
2. seu officium. In horum igitur Monachorum beneficiariorum spoliis seruandum est illud, quod diximus de Abbate, nempe, quod eius spolium pertinet ad Monasterium, ita & Monachorum beneficiatorum. Et facit ad hoc tex. *in c. Perlatum. 19.q.3.* vbi probatur, quòd Monachus nec quidem tunicam, quam induitur, alteri dare potest; sed ea pertinet ad Monasterium, cuius est Monachus: ita *c. Si qua mulier. eadem causa, & quæst.* & vltra ius commune adest Constitutio Benedicti XII. *c.12. sua Benedictina*, in qua ita statutum est: *Cæterùm astantibus Ordinariis, Abbatibus, Prioribus, & aliis Prælatis Religionis eiusdem, (hoc est, Ordinis Sancti Benedicti,) qui bona mobilia Prioratuum, administrationũ, & beneficiorum quorulibet sibi subiectorum vacantium, in ipsis tẽpore huius vacationis inuẽta, seu illa durãte obuentia, seu alia ca[...] ra[...]abili ad se asserũt pertinere, districtius inhibemus, ne [...]sa, vestimenta, seu alia ornamenta quæcunq. diuino cultui deputata, animalia etiam, quæ pro agricultura quam aliis ipsorum locorum necessitatib. teneri ibi consueta, vasa insuper vinaria, & coquinæ, lectos, & alia supellectilia; seu vasa (nisi fortè aurea, vel argẽtea fuerint,) occupare, vel exinde asportare, &c.* Facit etiam alia Cõstitutio Nicolai IV. quæ incipit: *Regis pacifici.* pro prospero statu Monachorum Cluniacensium anno
Domini 1290. Pontificatus eius anno secundo, in 3
qua etiam de eisdem spoliis disponitur: *Circa ordinationem verò horum Prioratuum vacãtium præcipimus, vt in Prioratibus dicti Ordinis per mortem, aut per [...]tionem Priorum vacantibus, Abbas Cluniacensis pa[le]fredum, cappam, & Breuiarium Prioris præmortui secundum antiquam consuetudinem) habeat; & de [...] debitis, si quæ sint ante omnia, & solutis Mo[nach]is [...] ibidem commorantibus, & Priori futuro, at [...] pro se, & suis necessitatibus vsque ad fr[...] prius congrua sustentatione dimissa, relictis [...] ad excolendum possessiones necessariis.*

QVÆSITVM V.

An spolia Monachorum decedentium extra Monasterium spectent ad ipsum Monasterium, an verò ad Sedem apostolicam.

SVMMARIVM.

1 *Monachus, quidquid acquirit, suo Monasterio acquirit.*
2 *Monachus sine Monasterio est sicut piscis sine aqua.*
3 *Bona Religiosorum extra Monasterium degentium, siue Superiorum permissu, siue absque eorum licentia, an spoliorum nomine veniant.*

DIctum est suprà, quòd quicquid acquirit Mona- 1.
chus, acquirit Monasterio, vt *in cap. Non dicatis. 12.q.1.* Et quia aliquando reperiuntur aliqui Monachi vagabundi, qui aliquando extra Monasterium vagantur, contra tex. *in c. Placuit. 16. q.1.* vbi habetur, quòd nullus Monachorum, pro lucro terreno de Monasterio exire præsumat: quia, sicut piscis sine aqua
caret vita: ita sine Monasterio Monachus. Nec 2.
vertitur in dubium, ad quem pertineant bona talis vagabundi morientis extra Monasterium. Pro solutione dubij deueniendum est ad aliam quæstionem, an spoliorum nomine intelligantur quæcunque bona
Religiosorum extra Monasteria, siue suorum Supero- 3.
rum permissu, siue absque licentia illorum degentium, & morientium. Super quod dubium varias reperio emanasse Summorum Pontificum Constitutiones, inter quas extat Constitutio a Paulo IV. edita, quæ incipit: *Postquam diuina.* in qua disponitur, bona Religiosorum, qui sponte egrediuntur, vel eiiciuntur,

ciuntur, vel ad alium Ordinem transeunt, vel etiam suorum Superiorum consensu extra Cœnobia, & Clauſtra commorantur; vndecunque, vel quomodocunque acquiſita, ſiue ex teſtamento, ſiue ex beneficiis, ſiue induſtria, arte, mercatura, negotiatione, ſiue aliorum donatione ipſis Monaſteriis deberi, in quibus illi primò profeſſionem emiſerant. Extat alia tamen Conſtitutio Gregorij XIII. in qua definit dicta bona Religioſorum ad Cameram apoſtolicam pertinere: quæ cùm ſit valdè neceſſaria, ideò eam hic recenſere viſum fuit.

GREGORIVS XIII.
Seruus Seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

OFficij noſtri partes ſedulò præſtare tenemur, vt dubia, quæ ab aliquibus ſub falſo prætextu, vel nimis ſubtiliter excitata, in Cameræ noſtræ apoſtolicæ præiudicium tendunt, declaratione noſtra dilucidentur. Nuper accepimus, quòd, etſi fel. record. Pius Papa IV. prædeceſſor noſter, Conſtitutionem, & quæcunque in illa continentur, per piæ memoriæ Paulum Papam IV. etiam prædeceſſorem noſtrum contra Apoſtatas editam, per quam inter cætera decernit, bona quæcunque mobilia, & immobilia, ac cenſus, redditus, & prouentus, iura, & actiones per Regularem Ordinem profeſſos extra Clauſtra ſuorum Regularium locorum, etiam de licentia ſuorum Superiorum, degentes, tempore, quo extra Clauſtra huiuſmodi fuiſſent acquiſita, etiamſi acquiſitiones huiuſmodi ab ipſis profeſſis ex redditibus beneficiorum eccleſiaſticorum cum cura, vel ſine cura per eos obtentorum, ſeu detentorum, aut ex propria induſtria, ſeu artificio, mercatura, vel ex teſtamento, ſiue ſucceſſione ab inteſtato quorumuis conſanguineorum, affinium, vel amicorum ſuorum, aut quorumcunque aliorum factæ eſſent, non fiſco, aut Cameræ apoſtolicæ; ſed Religioni, aut Monaſteriis, in qua, ſeu quibus profeſſi fuiſſent, eo ipſo applicata eſſe, & cenſeri debere, ad iuris, & ſacrarum Conſtitutionum formam reduxerit. Necnon præfata bona Regularium extra Clauſtra, vt præfertur, degentium, ſiue Mendicantium, ſiue non Mendicantium, aut Militiarum Profeſſorum, etiamſi loca, & canonicales portiones, aut dignitates, in Cathedralibus, vel Collegiatis Eccleſiis cuiuſuis Ordinis Regularibus obtinuerint, ac Epiſcopali, Archiepiſcopali, Patriarchali, Primatiali, vel quauis alia præfulſerint dignitate, poſt eorum obitum ad eandem Cam. Apoſt. & iuxta conſtitutionem fel. record. Pauli Papæ III. ſuper ſpoliis ſub dat. videlicet, tertio Nonas Februarij, Pontificatus ſui anno tertio, promulgatum, legitimè ſpectent, & pertineant, idque per Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ac nos, dum Collector Generalis ad recuperandum ſpolia Regularium ſpecificè deputatus fuit, apertè demonſtratum extitit, ac in poſſeſſione illa exigendi, ac recuperandi eadem Camera meritò ſemper fuerit. Nihilominus nonnulli vano ſub dictæ Conſtitutionis Pauli IV. prædeceſſoris præfati prætextu contrarium aliquando aſſerere non dubitarint. Nos omnem circa prædicta dubitandi occaſionem dimouere, ſimulque æquitate, & iuſtitia ſuadentibus, eiuſdem Cameræ indemnitate, ne in dies moleſtiis, & incommodis afficiatur, conſulere volentes, præſentium authoritate, declaramus, res, & bona quæcunque per dictos Regulares extra Clauſtra Eccleſiarum, Monaſteriorũ, Domorum, & quorumcunque Regularium locorum degentes, quocunque iure, & actione, ſiue ex cauſa teſtati, ſiue inteſtati acquiſita, & in poſterum acquirenda, vel ad eos delata, in quibuſuis Prouinciis, dominiis, regnis, & locis conſiſtant, niſi iidem, ad quos illa ſpectauerint, ſufficienti fuerint teſtandi, aut de illis diſponendi facultate ſuffulti, eáque legitimè vſi fuerint, ad eandem Cameram pleno iure pertinuiſſe, & ſpectare; ac bona quæcunque eorundem ſub ſpoliorum nomine comprehenſa per ipſam Cameram, eiúſque nomine, à quibuſcunque occupantibus, & detinentibus recuperari, ac vindicari potuiſſe, & poſſe; ac iuxta Pauli III. & aliorum prædeceſſorum noſtrorum Literas eadem Camera Apoſtolica in huiuſmodi bonis ſpolia nuncupatis verè vniuerſaliter ſuccedente, quòd ipſa Camera, quæ cæteris hæredibus, & ſucceſſoribus ampliori eſt priuilegio munita, cuique meritò magis fauendum eſt, dum in eam rerum, & bonorum dominium, ac poſſeſſio, nulla traditione præcedente, tranſeat, in quacunque bonorum, & ſpoliorum, ſiue ad ſæculares, ſiue ad regulares, dum viuerent, ſpectantium ſucceſſione, quibuſcunque in rebus, ſiue in pecuniis illa conſiſtant, etiamſi nominatim, aut alia nota illa reſignanda eſſent, quæ ad eandem Cameram iure ſpoliorum pertinuerunt, & pertinebunt in poſterum, omni prorſus fictione penitùs ceſſante, ius, & nomen veri hæredis in eiſdem ſpoliis habere, illiúſue naturam ſortiri, ac veri hæredis priuilegiis, & iuribus in quibuſcunque bonis, pecuniis, iuribus, & actionibus, vt antehac potuiſſe, & nunc poſſe; idque eorundem prædeceſſorum, ac noſtræ etiam intentionis ſemper fuiſſe, & eſſe, authoritate præſentium declaramus. Sicque per quoſcunque Iudices, in quibuſuis cauſis etiam per appellationem, aut alias pendentibus, & futuris, ac in quacunque cauſa, vel inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere; necnon quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt, hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, irritum & inane decernimus. Mandantes, &c. Non obſtantibus, &c.

Hactenus Summus Pontifex: quæ Bulla ponitur per Quaranta *in Summa Bullarij, de ſpolijs Clericorum.*

DISPVTATIO XVII.

De Iudicibus Conſeruatoribus.

QVÆS. I. Vtrùm Prælati Regulares poſſint ſibi Conſeruatores eligere.
II. De quibus Regularium cauſis poſſint Iudices Conſeruatores ab eis deputati cognoſcere.
III. Vtrùm Iudices Conſeruatores poſſint vt ſuſpecti recuſari, & an ab eorum ſententiis appellari poſſit.

IV. Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores possint in Iudices Conseruatores eligi.

V. Abbates, & Prælati Regulares quæ officia, & quos actus in iudicio exercere possint.

VI Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares, vel Monachi, absque ipsorum licentia testamentorum, & aliarum vltimarum voluntatum executores esse possint.

QVÆSITVM I.

Vtrùm Prælati Regulares possint sibi Conseruatores eligere.

SVMMARIVM.

1 *Conseruator quid sit: & num. 3.*
2 *Conseruatorum tria genera.*
4 *Conseruatores de iure communi non ordinariam, sed delegatam iurisdictionem habere censentur.*
5 *Conseruatores ex priuilegiis Ordinarij Iudices censentur.*
6 *Conseruatores an possint alteri suas vices delegare.*
7 *Conseruatores Iudices concedere ad solum Papam spectat.*
8 *Conseruatores non fuerunt sublati à Concilio Tridentino.*
9 *Regulares possunt sibi Conseruatores eligere.*
10 *Canonici an possint à Regularibus in Conseruatores assumi; & quo iure.*
11 *Constitutio Gregorij XV. quid requirat in personis eligendis à Regularibus in conseruatores.*
12 *Synodales Iudices designati durare debent, saltem vsque ad futuram Synodum in officio.*
13 *Regulares tenentur instrumentum electionis Conseruatorum exhibere, & relinquere apud Notarium, Curiæ Ordinariorum.*
17 *Conseruatores semel electi, durante quinquennio absque iusta causa, amoueri non possunt à Regularibus.*

1. PRo huius quæsiti, & totius Disputationis intelligentia notandum primò, quòd Conseruator secundùm ius commune est Iudex datus ad tuendum aliquem, seu aliquos contra manifestas iniurias, conseruándósque illos indemnes in proprio statu, vt colligitur expresse *ex cap. Statuimus de offic. Iudic. deleg. in 6.* vbi Gloss. & communiter Doct. Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 5 cap. 34 q 1.* Moneta *de Conseruator c. 1. n. 8.* Mirand. *tom. 2. Manual. Prælat. q. 47. art. 1. concl, 1.* Hieron. à Sorbo *in annot. ad Compend priuileg. verbo Conseruator vers. Sunt autem.*

Et horum Conseruatorum tria sũt genera: nam in-
2. terdum dantur, vt aliquos defendant contra latrones, & prædones: aliquando dantur contra eos, qui aliquorum priuilegia infringunt: aliquando, vt ipsos manifestis molestiis & iniuriis tueantur: qui Conseruatores in nullo dictorum casuum cognoscere possunt de his, quę iudicialem requirunt indaginem, *d. c. Statuimus,* vbi Gloss *verb Indaginem,* ait per iudicialem indaginem intelligi eam causæ cognitionem, & examinationem, quæ à Iudicibus adhiberi solet in rebus dubiis. In
3. nostro autem casu Conseruator est Iudex datus ad tuendos Regulares ab iniuriis illis illatis: & isti Con-
4. seruatores de iure communi non ordinariam, sed delegatam iurisdictionem habere censentur, vt colligitur *ex d. cap. 1. & cap. fin. de offic. Iud. deleg lib. 6* notat. Azor. ex Archidiacono, Ioanne Andrea, & aliis *in* [illegible]
5. *cap. 34. q. 2.* Moneta *d. c. 1. n. 11.* Secùs est autem de iure priuilegiorum, secundùm quæ ordinarij Iudices censentur: nam ad vniuersitatem causarum deputati sunt & ideò magis ordinariis, quàm delegatis comparantur per ea, quæ docet Gloss, *in cap. Cùm causam. verb. Delegatus. de appellat.* Vuamas. *cons. 181. n. 4. tit. de appellat.* & ita definisse Sacrã Congregationẽ, refert Nauar. *cons 3. n. 2 tit. de offic.* Vant. *de nullit. sent. tit. Coram quo nullitas propon. n. 17.* Erasm. à Coch. *d. q. 39* [illegible] *28.* Et patet ex priuilegio à Gregorio XIII. Societati IESV concesso inferiùs recensendo: vbi concedit, vt possint Episcopos, & alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas, Canonicos, &c. in suos Conseruatores, & Iudices ordinarios assumere. Probat Laurent. de Peyrinis *tomo 2. priuileg. Ord. Minim. in annot. ad constit. Gregorij XV. num. 2.* ex quo sequitur non esse opus, quòd in citationibus inserant literas conseruatorias, sed sufficiet, si de eis in actis Notarij Curiæ ordinarij constet, vt requiritur ex Constitutione Gregorij XV. super hac re emanata, quam inferiùs referemus.

Secundò notandum est, quòd licèt Conseruator 6.
de iure communi alium subdelegare non possit, *cap. fin. §. Vices suas. de offic. deleg. in 6.* quia delegatus nequit vices suas alteri subdelegare; tamen nihilominùs cùm virtute priuilegiorum regularium Ordinarius Iudex censeatur, vt dictum est; vtique poterit alteri suam iurisdictionem demandare. Quod etiam probatur ex iisdem priuilegiis, vbi id specialiter conceditur. Probant Moneta *d. tract. cap. 7 q 2. n. 88.* Roderic. *quæst. regular. tom. 1. q. 65. art. 10* Mirand. *Man. Prælat. tom. 2 quæst 47. art. 3.* Hieron. à Sorb. *in Compend. tit. Conseruator. vers. Item Conseruator. 3.* Passarell. *in notab. priuileg. notab. 32.* Laurent. de Peyrin. *loco cit. n. 5* Verùm in subdelegato requiruntur omnes cõditiones, & qualitates ad Conseruatorem constituendum necessariæ, vt patet *ex cap. Statuimus. §. In nullo. in fin.* [illegible] *rescript. lib. 6.* vbi Gloss. *verb. Designatus.* & *d.* [illegible] *§ Vices quoque. de offic. deleg. eod. lib.* vbi Gloss. [illegible] *superius.*

Tertiò notandum, quòd nullus Summo Pontifice 7.
inferior, etiam Legatus à latere, potest Iudices Conseruatores concedere, vt probant Ioan. Andr. *in d.* [illegible] *Statuimus. de offic. deleg. in 6* Syluest. *verb. Conseruator, q. 1. n. 2.* Roderic. *d q. 65. art. 2.* Miranda *d. q 47* [illegible] *concl. 2.* Monet *de Conseruat. cap. 4* Quòd autem Summus Pontifex possit Regularibus Conseruatores Iudices concedere, quoad eorundem Regularium extra Conuentuum Claustra degentium personas, colligitur ex concil. Trident. *sess 7. de reformat cap. 14.* Quo verò ad ipsa Monasteria, vel Religiones, constat ex eodem Concilio *s*[illegible]*14 de reformat. cap. 5. ibi. Vniuersitates autem generales, &c.*

Nec sublati fuerunt à prædicto Concilio Conser- 8.
uatores quatenus *sess. 24. de reformat. cap. 20.* ait [illegible] *omnes causæ ad forum ecclesiasticũ quomodolibet pertinentes in prima* [illegible] *stantia coram Ordinariis locorum duntaxat cognoscantur* Ita enim Sacrã Congregationẽ Concilij censuisse, etiam quòd causæ graues sint, & plenariam cognitionem requirant, testatur Farinac. 2. *part. decis 636. n. 4* & de facto post d. Concilium à Summis Pontificibus Conseruatores Religionibus concessi sunt, vt *infrà* patebit.

Hi[s] ita notatis, dicendum est, Regularibus nonnul- 9.
la priuilegia à Summis Pontificibus concessa fuisse, quorum virtute possunt sibi Conseruatores Iudices eligere, qui eorum iura à molestiis, & iniuriis aliorum tueantur.

tueantur. Quod probatur ex nonnullis indultis, quæ referuntur *in Compend. priuil. Mendic. verb. Conseruatores*, & à Roderic. *d. q. 65. art. 3.* & Miranda *d. q. 47. art 4.* Eorum tamen quædam notabiliora, ac plenior a hic recensere libuit, vt faciliùs præ manibus habeantur, & ne curiosus Lector aliunde emendicare cogatur.

Sixtus IV. mandauit quibuslibet in dignitate Ecclesiastica constitutis, & metropolitanæ, vel alteriùs cathedralis Ecclesiæ Canonicis per vniuersum orbem, qui per Guardianos, & Fratres Ordinis Minorum, seu Syndicos Romanæ Ecclesiæ prædicto Ordini deputatos requisiti fuerint, quatenus per se, vel alium, seu alios, vbi, & quando opus fuerit, solenniter publicent eorum priuilegia, & eisdem, ac illorum Domibus, & Professoribus efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant eos pacifica possessione priuilegiorum, & concessionum huiusmodi gaudere; non permittentes per quoscunque indebitè molestari. Ita refertur *in Compend. loco cit. §. 1.* & Gregorius XIII. per suam Constitutionem, quæ incip. *Æquum reputamus*, concessit, vt Societas IESV, & singulæ eius personæ, & familiares Clerici, tam in causis ciuilibus, quam in criminalibus, & mixtis, siue actores sint, siue rei, omnes, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, necnon alias personas in dignitate ecclesiastica constitutas, Canonicos metropolitanarum Ecclesiarum, vel cathedralium, & Vicarios Archiepiscoporum, & Episcoporum in spiritualibus, eorúmque Officiales generales vbilibet constitutos contra quascunque Communitates, & Collegia huiusmodi in suos Conseruatores, & Iudices Ordinarios assumere possint. Ita refertur *in Bullar. nouo, tom. 2. bull. 1. Greg. 13. pag. 361.* & *in Compend. priuil. Societ. verb Conseruator §. 1.* & à Roderic. & Mirand. *locis cit.* quibus priuilegiis gaudent, & vti possunt cæteræ omnes Religiones per communicationem.

10. Circa quæ priuilegia notandum, quòd, licèt de iure communi Canonici cathedralium, vel collegiatarum Ecclesiarum non possint in Iudices Conseruatores eligi: quia *in cap. fin. de offic. deleg. in 6.* vbi de Conseruatoribus agitur, Canonici prædicti non nominantur: dicitur enim: *Conseruatores de cætero deputari non possint, nisi Episcopi, vel eorum Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis obtinentes.* Quod notat ibi Gloss. *in verb. Obtinentes*, dicens hanc esse vnam differentiam inter Conseruatorem, & delegatum; quòd Canonicus potest esse delegatus; non autem Conseruator; nisi Canonicatui dignitas, vel personatus annexa sint, vt notant Mandos. *de signat. gratia, verb. Conseruatoria. vers. Sed quod Canonicus.* Munet. *de Conseruat. cap. 5. q. 8. num. 117.* Tamen Canonici cathedralium Ecclesiarum possunt virtute narratorum priuilegiorum à Regularibus eorum Iudices Conseruatores assumi, vt patet ex dicta concessione Sixti IV. & ex alia Gregorij XIII.

11. Secundò notandum, quòd eorum priuilegiorum virtute possunt Episcopi, ac Superiores Prælati, necnon Abbates, & aliæ personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, ac Canonici Cathedralium Ecclesiarum, Vicarij Generales, seu Officiales Episcoporum in Iudices Conseruatores eligi, nulla alia conditione requisita. Verùm ex Constitutione Gregorij XV. *inferius* adducenda necessarium est insuper, quòd prædictæ personæ, ad hoc, vt idoneæ censeantur, sint electi Iudices synodales in aliqua prouinciali, vel diœcesana Synodo, iuxta decretum Tridentini Concilij *sess. 25. de reformat. c. 10.* vbi statuit, quòd in singulis Conciliis prouincialibus, aut diœcesanis designentur aliquot personæ, saltem quatuor, aut etiam plures in qualibet diœcesi, quæ qualitates habeant iuxta Constitutioné Bonifacij VIII. Incip. *Statutum. de præscript. in 6.* & alioquin ad id aptæ, vt præter Ordinarios locorum iis etiam post hæc causæ ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committantur: qui Iudices synodales ita desi- 12.
gnati vsq. ad futuram diœcesanam Synodum in eorũ officio durent, siue sint electi principaliter in Synodo, siue in locum mortui, vel absentis, subrogati sint: nam, si contingeret, aliquem horum interim mori, loci Ordinarius cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram Synodum substituere debet, vt patet *ex dict. cap. 10. Trident.* & ex dicta Constitutione Gregorij XV. Idem dicendum est, si Iudex synodalis, non moriatur; sed in alium locum extra diœcesim per diuturnum tempus secedat: nam diuturna absentia morti æquiparatur, vt absentia mortis vicaria dicitur: atque ita fertur Sacram Congregationem declarasse, teste Laurent. de Peyrin. *in annot. ad constit. 5. Gregorij XV. num. 27.*

Hi autẽ synodales Iudices principaliter ab Episcopo, seu alio Synodo præsidenti, necnon & ab aliis eidem Synodo interessentibus nominandi sunt, vt declarasse sacram Congregationem restatur idem Laurent. de Peyrin. *loco cit. num. 28.*

Constitutio Gregorij XV. de Conseruatoribus edita est, quæ sequitur.

S. D. N. GREGORII diuina Prouidentia Papæ XV.

Constitutio de Conseruatoribus.

SAnctissimus in Christo Pater, & Dominus Noster D. Gregorius diuina Prouidentia Papa XV. partim ex certis, & rationabilibus causis animum suum mouentibus, & de voto Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim fel. rec. Clementis Papæ VIII prædecessoris sui vestigiis inhærendo, reuocauit, ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quascunque Iudicum Conseruatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim Literarum conseruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ descriptam, quàm in vim quorumcunque priuilegiorum perpetuò, vel ad tempus nondum elapsum apostolica authoritate concessorum, seu aliàs quocunque iure, vel titulo hactenus factas pro quibuscunque Conuentibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalitibus, aut aliis quibusvis piis, tam sæcularibus, quàm cuiusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis regularibus locis, quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cuiusvis qualitatis, seu conditionis existant. In futurum verò Sanctitas Sua hac generali, & perpetuò valitura Constitutione statuit, & decreuit: vt Iudices Conseruatores huiusmodi, siue principales, siue subrogati, eligi, nominari, aut deputati non possint, nisi non solùm habeant qualitates requisitas, & descriptas in Constitutione similis rec. Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris sui, quæ incipit, *Statutum*; ita vt vel dignitate Ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant; sed etiam in Conciliis prouincialibus, aut diœcesanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, Iudices electi, seu designati sint.

Quódque

Quódque deinceps Literæ conseruatoriæ per Sedem apostolicam concedendæ supraſcriptis tantùm dirigantur, & ſi quæ Literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiuſmodi, omniáque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti. Et nihilominùs qui ſecùs, quàm iuxta formam ſuperiùs præſcriptam Conſeruatores huiuſmodi cum effectu eligere,
7. nominare, ſeu deputare, aut electis, nominatis, ſeu deputatis vti auſi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & paſſiua ſint ipſo iure priuati, adeò vt habilitationem à nemine, præterquàm à Romano Pontifice, conſequi valeant, reliqui verò aliis pœnis, arbitrio Sanctitatis Suæ, coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monaſteria, ac loca huiuſmodi, eorúmque perſonæ, ac bona careant Conſeruatore ad annum, ita vt illorum cauſæ intereà coram locorum Ordinariis duntaxat cognoſci, ac diffiniri debeant. Cæterùm vt latiùs pateat Conſeruatorum huiuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis prouincialibus, aut diœceſanis quamplures perſonas ex habentibus qualitates in prædicta Conſtitutione eiuſdem Bonifacij prædeceſſoris contentas: & alioquin ad id aptas, deſignati procurent; & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit,ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in eius locum, vſque ad futuram prouincialem, aut diœceſanam Synodum. Inſuper Sanctitas Sua, inhærendo hac in parte Decreto ſimilis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam prædeceſſoris ſui, ſtatuit, & ordinauit, vt regulares, ac perſonæ huiuſmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò infra ſex menſes à die publicationis in Vrbe præſentis Conſtitutionis inchoandos, debeant ſibi eligere, ſeu aſſumere Conſeruatores iuxta formam ſuperiùs propoſitam, eiúſque electionis, ſeu aſſumptionis documentum infra tempus huiuſmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur, alioquin eo termino elapſo, quandiu Conſeruatores ſecundùm formam præſentis Conſtitutionis non elegerint, coram eiſdem Ordinariis conueniantur;quódque Conſeruatores huiuſmodi ſemel legitimè deputati, niſi ex legitima cauſa à Sede apoſtolica, aut locorum Ordinariis, prout iiſdem Regularibus, & aliis ſupradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus poſſint, aut valeant. Ad hæc ſtatuit Sanctitas Sua, vt coram ipſis Conſeruatoribus regulares, ac perſonæ ſupraſcriptæ conueniri, aut trahi debeant; ſed alios conuenire, aut trahere non poſſint, ita vt memorati Conſeruatores in cauſis, in quibus regulares, & alij actores fuerint, nullam prorſus iuriſdictionem habeant; ſed in iis tantùm, in quibus rei extiterint; neque extra ciuitates, ſeu diœceſes, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere præſumant. Si qua verò inter iudices Conſeruatores huiuſmodi, & locorum Ordinarios controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in
1. forma iuris electos ſuper iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum. Quòd ſi qui Conſeruatores, ſiue in hac parte, ſiue alias quomodolibet, ſuos limites exceſſerint, per annum ab officio Conſeruationis huiuſmodi ſuſpenſi ſint; & pars, quæ hoc fieri procurauerit, ſententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Conſtitutionis eiuſdem Bonifacij Prædeceſſoris, quæ incipit *Hac Constitutione*, quam Sanctitas Sua in his omnibus, quæ præſenti Conſtitutioni non aduerſantur, innouauit, & innouat. Per hoc tamen non intendit Sanctitas Sua prohibere, quominùs regulares, & alij ſupradicti in cauſis à iure permiſſis petant Iudicem non ſuſpectum à Principibus, ſeu Magiſtratibus ſæcularibus; dummodo hæc tria copulatiuè concurrant, videlicet vt Regulares, & alij prædicti ſint actores,non autem rei, vtque agant contra laicum, non autem contra eccleſiaſticum, vel aliàs à iuriſdictione ſæculari exemptum, atque vt cauſa, in qua Iudex deputatur, fuerit profana, non autem eccleſiaſtica, & in ea iuxta ſacrorum Canonum diſpoſitionem laicus, vt præfertur, eligendus, Iudex competens exiſtat. Quæ omnia,& ſingula in præſenti Conſtitutione contenta Sanctitas Sua voluit inuiolabiliter obſeruari, decernens ſic in iis, ceteriſque omnibus præmiſſis per quoſcunque, &c. etiam Sacri Palatij apoſtolici Auditores, necnon S.R.E. Cardinales,ſublata, &c. iudicari, &c. Necnon irritum, & inane,&c. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, ac Literis conſeruatoriis, quas omnes ad formam præſentis Conſtitutionis reduxit, in fauorem quorumcunque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiuſuis alterius inſtituti, etiam neceſſario exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcunque, tam ſæcularium, quàm regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, etiam ex cauſa, & titulo oneroſo, indultis, & Literis apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis, vicibus approbatis, & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorúmque tenoribus, & formis,ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum; non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio,ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi ac ſi de verbo ad verbum nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat, ſpecialiter, & expreſsè derogauit, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Cæterùm, vt præſens Conſtitutio faciliùs omnibus innoteſcat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit vt non ſolùm in Cancellaria apoſtolica; ſed etiam ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiúſque exempla in iiſdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Conſtitutiones perpetuas deſcribatur, & annotetur.

Placet,publicetur,& deſcribatur A.

Lecta, & publicata fuit ſupradicta Conſtitutio in Cancellaria Apoſtolica ab altero ex R. P. D. Maioris Præſidentiæ Abbreuiatoribus, die vigeſima menſis Septembris, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimoprimo, Pontificatus verò prælibati S.D.N.Gregorij.PP.XV.anno primo.

Et poſtmodum die, & anno ſupradictis in Quinterno eiuſdem Cancellariæ inter alias Conſtitutiones Apoſtolicas deſcripta,& annotata fuit.

NICOLAVS VRSINVS Procuſtos.

In

In Dei nomine. Amen. Anno à Natiuitate D. N. IESV Christi 1621. Indictione quarta, die verò vigesima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. Pontificatus sui anno primo, retroscripta Constitutio apostolica affixa, ac publicata fuit in Valuis Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ per me Augustinum Braccherium Apostolicum Cursorem.

OCTAVIVS SPADA, *Mag. Cursorum.*

13. Ex qua Constitutione præter supradicta notandum, quòd Regulares tenentur instrumentum electionis Conseruatoris exhibere, & relinquere apud Scribam, seu Notarium Curiæ Ordinariorum, ad tollendas fraudes, quæ in hac re fieri possent. Prætereà
14. notandum, quòd Regulares non possunt Conseruatores semel legitimè electos, durante quinquennio à die electionis, amouere: quia statim ac electi sunt, censentur à Sede apostolica deputati; vnde ad libitum eligentium amoueri nequeunt; nisi interueniat legitima causa, putà negligentia, inimicitia, &c. quam Sedes apostolica, aut locorum Ordinarij pro eorundem Regularium, & aliorum prædictorum libito approbare debent.

QVÆSITVM II.

De quibus Regularium causis possint Iudices Conseruatores ab iis deputati cognoscere.

SVMMARIVM.

1 *Conseruatorũ iurisdictio de iure communi ad quæ extendatur.*
2 *Conseruatores suæ iurisdictionis limites excedentes incurrunt suspensionem ab officio per annum.*
3 *Conseruatores qui incitat ad excedendum prædictos limites, excommunicationem incurrit.*
4 *Suspensio, quam incurrunt Conseruatores prædicti, non est censura propriè dicta.*
5 *Conseruator vt incurrat prædictam suspensionem, quid requiratur.*
6 *Ignorantia crassa, & affectata scientiæ æquiparantur.*
7 *Excommunicationem vt incurrat pars incitans Conseruatorem ad excedendos limites iurisdictionis, quid requiratur: & n. 9.*
8 *Lex excommunicans aliquid facientem, non comprehendit regulariter consentientem, etiam mandando, consulendo, vel procurando.*
10 *Iniuria quid sit, & quibus modis inferatur.*
11 *Violentia quid, & quotuplex sit.*
12 *Manifestum quod dicatur.*
13 *Conseruatores possunt de manifestis, & notoriis iniuriis, & violentiis cognoscere, & in illarum cognitione iudicialem indaginem adhibere: secus de dubiis: vt n. 14.*
15 *Conseruator quid facere debeat, si dubitet, an iniuria sit notoria, vel ad suam iurisdictionem spectet.*
16 *Conseruatores in prædictis causis non solum contra Clericos; verùm etiam contra laicos procedere possunt.*
17 *Conseruator procedere potest contra reum, qui vocatus factum confitetur, sed negat illud notoriũ.*
18 *Conseruator an possit procedere contra reum, qui factum confitetur, sed negat delictum.*
19 *Conseruator an possit procedere per inquisitionem mixtam.*
20 *Conseruatores tueri possunt ab iniuriis, tam illatis, quam inferendis.*
21 *Conseruatores, neque criminaliter, neque mixtè; sed ciuiliter tantùm procedere possunt.*
22 *Conseruatores, ciuiliter procedendo, possunt vti censuris, & brachium sæculare inuocare.*
23 *Conseruatores quid possint virtute priuilegiorum Regularibus concessorum, Constitutionis Gregorij XV. & declarationis S. Congregationis Concilij Tridentini.*

DE iure communi Conseruatorum Iudicum iurisdictio solummodo extenditur ad cognoscendum 1. de notoriis tantùm, & manifestis iniuriis, & violentiis illatis, vel conferendis iis, à quibus assumuntur, *c. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* Nec possunt cognoscere de his, quæ iudicialem requirunt indaginem, id est, de rebus dubiis, vt exponit Gloss. *in d. cap. 1. verb. Indaginem*, Quòd si in aliis minimè notoriis causis iudi- 2. cialem indaginem postulantibus se intromittant incurrunt suspensionem ab officio per annum: & pars 3. eos scienter incitans ad ita procedendum, incidit eo ipso in excommunicationem, à qua absolui non potest, nisi priùs ei, quem indebitè defatigauit, integrè de expensis satisfaciat, *d. cap. fin. §. Vt autem. & §. seq.* Nauar. *in Manual. cap. 27. num. 125.* Armill. *verb. excommunicatio, vers. excommunicatio*, 85. Mandos. *in annalib. casib. num. 52. casu. 181.* Erasm. à Cochier. *de iurisd. Ordin. in exempt. part. 1. quæst. 39. num. 6.* & alij communiter.

Supradicta autem suspensio non censetur ecclesia- 4. stica censura, nec habet eius vim; sed intelligitur, vt sint tantùm suspensi ab Officio Conseruatorum, ac facultate illud exercendi per annum: quod licèt anteà in dubium reuocatum fuerit; hodie tamen est clarum ex Constitutione Gregorij XV. super hoc specialiter edita superiùs relata, in qua id expressè declaratur; nempe, quòd solùm suspensi sint per annum ab Officio Conseruatorum, potestatéque illud exercendi.

Porrò ad eam suspensionem incurrendam requiri- 5. tur, vt Iudex scienter suæ potestatis limites excedat, vt dicitur in eo textu: *Vt si Conseruatores de aliis, quam de manifestis iniuriis, & violentiis scienter se intromiserũt.* Idem esset, si ignorantia esset iuris, vel affectata, & crassa: nam scientia, & affectata, vel crassa ignoran- 6. tia æquiparantur, *cap. Cum inhibitio. extr. de clandest. desponsat. cap. Eos. de tempor. ordinat. in 6.* vbi Gloss. *verb. Affectata. ead. gloss. in d. cap. vlt. verb. Scienter.* Erasm à Coch. *d. q. 39. num. 6.*

Vt autem pars supradictam excommunicationem 7. incurrat, requiritur, quòd ipsamet sollicitet: non enim illam incurreret procurator, sicuti nec etiam ipsa pars, si Iudex ad vlteriora non processisset. Quia 8. lex excommunicans aliquid facientem, non comprehendit regulariter consentientem, etiam mandando, consulendo, vel procurando: nec incurritur pœna, 9. antequam id fiat: quia excommunicatio non debet extendi de vno casu ad alium. Gloss. *in Clem. 1. de sepultur.* & *in Clem. 1. de consanguin.* quam dixit communiter receptam Nauar. id pluribus probans *d. c. 77. n. 51.* Et in terminis *eod. cap. num. 125.* Cochier *d. q. 39. num. 6. in fin.* & *num. seq.* Suarez *de censur. disput. 23. sect. 4. num. 10.*

Hæc de pœnis, quas Conseruatores, suæ facultatis limites excedentes, ac pars id procurans incurrunt. Explicandum nunc pleniùs videtur, ad quæ prædictorum Conseruatorum potestas se extendat: quod vt clariùs elucescat, præmitto primò, quòd iniuria di- 10. citur,

citur, quicquid non iure fit, *instit. de iniur. in princ. l. 1. & l. Lex Cornelia. ff. de iniuriis.* Ioan. Andr *in d. c. in princ. verb. de Iniuriis, de offic. deleg. in 6.* Archidiac. *ibidem, num. 2. verb. Iniuriis.* Franc. *num.* 2. Et violatio priuilegiorum iniuria dicitur: nam iniuriam alteri infert, qui eius priuilegia violat. Idem Ioan. Andr *in cap. num. 3. eod. tit. & lib.* Iniuria etiam dicitur contumelia, atque iniquitas, & iniustitia: nam aliquem contumellis afficiens, vel iniquitatem, seu iniustitiam (quod idem est) faciens, propriè iniuriam inferre dicitur. Farinac. *3. par. prax. crimin. lib. 3. q. 105. num.* 1.

Quibus autem modis iniuria inferatur, docet idem Farin. ibid. *n.* 2. ad quem remitto curiosum Lectorem.

11. Violentia est iniuria quædam cum vi & impetu personis, vel rebus facta, & est quintuplex secundùm Menoch. *in prælud. de recuperanda possess. à n. 18.* Prima dicitur ablatiua, quando per vim aliquid aufertur. Secunda est expulsiua, quando per vim quis de possessione eiicitur. Tertia est compulsiua, quando per metum compellitur quis facere aliquid, quod sponte alias facturus non erat. Quarta dicitur turbatiua, cùm possessor in sua possessione turbatur. Quinta inquietatiua, cùm quis non sinit alium vti re sua quietè, quæ parum à quarta differt.

12. Manifestum dicitur, quod per facti euidentiam ita notorium est, vt examinatione non indigeat: vel, si indigeat; potest nihilominùs probari clare, & certitudinaliter per multos testes, & ita, quòd negari non possit. Ita Cardinal. Tusch. *practicar. conclus. iur. verb. Manifestum, conclus. 71. num. 7.* manifestæ autem iniuriæ in præsenti casu illæ intelliguntur, quæ ita notoriæ sunt, vt nulla probabili tergiuersatione celari queant, *cap. Ex parte. de verb. significat.* His positis.

13. Dico primò: Conseruatores possunt de manifestis, & notoriis iniuriis, & violentiis cognoscere, & in illarum cognitione iudicialem indaginem adhibere: quia in notoriis habent iudicialem indaginem. Ita Innocent *dict. cap.* 1. quòd incipit: *Statuimus* cuius ipse Author fuit, *n. 1. & 4. de offic. deleg. in 6.* vbi etiam Archidiac. *num. 3. in princ.* Franc. *num. 3. vers. Vltimò, nota.* Dominic *ibid.* Moneta *de Conseruator. cap. 2 q. 3. num. 90.* Erasm. Coch. *d. q. 39. num. 6.* Azor. *instit. moral. parte 2. lib. 5. cap 34. q. 8.* Probatur: quia in notoriis, & manifestis iniuriis, & violentiis committitur iurisdictio Conseruatoribus: ergo & omnia illa, sine quibus ipsa explicari non potest, *l. 2. ff. de orig. iur.* Non potest autem Iudex venire ad puniendum aliquos de notoriis malefactis, nisi eos citet, secundùm Innocent. *in cap. Tua. de cohabit. Cleric. & mul. in 6.*

14. Ideò eis non est integrum, de iniuriis dubiis cognoscere, illæ enim sine indagine iudicari non possunt.

15. Quòd si in principio dubitet Conseruator, an iniuria notoria sit, an ad suam iurisdictionem, & forum spectet; tunc poterit Conseruator de ea causa cognoscere, an ad suam iurisdictionem pertineat: quod quilibet Iudex facere potest, *l. 3. ff. de iudic.* aliàs enim inutile esset eius officium, *c. Super literis. de rescript.* Quòd si factum notorium inuenerit, procedat in causa; sin minùs, desistat: quia non habet ius defendendi simpliciter iniuriam; sed notoriam duntaxat.

16. Ità Azor *d. q. 8.* Potest autem Conseruator in prædictis causis, non solùm contra Clericos, verùm etiam contra laïcos procedere. Roderic. *d. q. 65. art. 11. conclus. 2.* Mirand. *d. art. 7. concl. 8.* Laurent. de Peyrin. *loco cit. num.* 42.

17. Item, si reus vocatus factum quidem confiteatur, sed neget illud notorium, Conseruator contra illum procedere poterit, nam, licèt id non sit notorium facti euidentia; est tamen notorium per confessionem partis, *cap. Vestra. de cohabit. Cleric. & mulier.* Innocent. *d. c. 1. num. 6 post med* Gloss *ibid. verb. Conseruatores.* Facit textus *in cap. Cum persona.* cum Glo. *in verb. Ordinarius. de priuileg. eod. lib.* Panormitanus *consil. 62. num. 6 part. 2.* Erasm. à Cochier *d. quæst. 39.* 18. *num. 10. & num. 24.* Azor. *loco citato.* Item, si reus confiteatur factum; neget tamen delictum, vtpotè, quia dicat, se fecisse ad suam defensionem, vel animo recuperandi suam possessionem, tunc Conseruator poterit ad suam instructionem testes, & probationes admittere ad cognoscendum, an sit iniuria notoria, etiam parte absente. Innocent. *d. cap. 1. num. 6. & 7.* vbi Ioan. Archid. & Franc. Andr. Panormit. *consil. 100, num 3 part. 1.* Azor. *loco citato vers. Quæres.* 19. Erasm. à Coch. *d. quæst. 39. num. 11.* Insuper, quando notorium est delictum, aut author illius ignoratur, procedere poterit per inquisitionem mixtam, specialem, nempe, quoad delictum; generalem autem quoad personam, iuxta modũ procedendi in causis criminalibus, quem *alibi* tradidimus. Ioan. And. *in addit. ad Spec. tit. de Iudic. delegat. n. 25.* Azor. *d. cap. 34 q. 8. circa med.* Erasm. à Coch, *loco cit. num.* 24 Debet tamen Conseruator vlteriùs procedendo pronunciare priùs, factum, & delictum esse notorium, aliàs non valet sententia, nec processus suus, qui debet fundari super notorio, cùm deficiat qualitas, super qua fundatur eius iurisdictio ad notata per Innocent. *in cap. Præterea. de dilat.* & *in cap. Tua de cohabit. Cler. & mulier.* Ita Panormit. *d. consil. 100. num. 3 post med.* Conseruatorum igitur iurisdictio non se extendit ad dubia, & obscura, in quibus verificandis specialis omninò indago requiritur, ac iudiciarius ordo obseruandus est, per tex. *in c. Ad nostram. el. 3. de iureiur.*

Dico secundò, Conseruatores possunt illos assumentes tueri, non solùm ab iniuriis illatis; verùm & ab iis, quæ probabiliter creduntur inferendæ: vt, si qui parati sint ad violentiam inferendam iis, qui ipsos in Conseruatores elegerunt, poterunt prohibere, excommunicare, & punire, *cap. Sacro ext. de sent. excom. cap. Romana. §. Caneant. de offic. deleg. in 5.* Et si iniuria iam fuerit illata, possunt per censuras compellere reos ad idoneam satisfactionem exhibendam, etiam sæcularis brachij auxilium inuocando. Ita Gloss. *in d. cap. 1. verb Defendere,* & ibi Ioan. Andr. *in princ.* Ioan. Monach. *num. 5.* Molin. *de iust. tomo 6 q. 29. num. 2.* Azor. *d. cap. 34. quæst. 7. vers. Si iterum quæras* Erasm. à Cochier *d. quæst. 39 num. 13.* Laurent. de Peyrin. *loco cit. num. 41.* 1

Dico tertiò, Conseruatores in prædictis causis, neque criminaliter, neque mixtè; sed ciuiliter tantum procedere possunt. Ita Monet. *d. cap. 7. quæst. 2. n. 233.* Laurent. de Peyrin. *loco etiam cit. num. 44.* Isto prædictis verò causis etiam ciuiliter procedendo poterunt censuris ecclesiasticis vti, & brachij sæcularis auxilium inuocare: quia, cùm mandatur alicui negotium, mandatur etiam id, sine quo illud explicari non potest, *l. 2 ff de iurisd. omn. iudic. cap. Pastoralis. cap. Præterea. de offic. delegati.* Et frustrà datur iurisdictio nisi cum ea coniuncta sit vis coactiua. Ita docet Gloss. *d. cap 1. verb. Conseruatores. in fine,* & *verb. Defendere,* & *ibi* etiam Franc. *num. 6.* & Doct. communiter Azor *d. cap. 34 quæst. 10.* Monet. *d cap 7. num. 279.* Laurent. de Peyrin. *loco cit. num. 45.* Hæc prædicta omnia procedunt de iure communi; nunc videamus, quid possint Conseruatores virtute priuilegiorum, & ex constitutione Gregorij XV.

Dico quarto: Virtute priuilegiorum Regularibus concessorum, Conseruatores ab ipsis electi maiorem, & ampliorem habent iurisdictionem, quàm de iure communi eis competat. Patet primò: quia possunt cognoscere de omnibus causis, tam notoriis, quam 23.

quàm dubiis, & quæ iudicialem requirunt indaginem, vt constat ex priuilegio Clementis VII. Fratribus Ordinis Minimorum concesso, quod refert Laurent. de Peytin. *tom. 1. priuileg. d. Ord. const. 1. d. Pontificis, fol. 733.* vbi traditur, *Conseruatoribus eiusdem Ordinis facultas cognoscendi de quibuslibet molestijs, iniurijs, atque damnis eis illatis, vel inferendis in illis, videlicet, quæ iudicialem requirunt indaginem, summariè, simpliciter, & de plano*, &c. *contradictores quoslibet compescendo.* Per quas clausulas concedi potestatem procedendi iudicialiter in non manifestis probat Farinac. 2. *part. decis. 616. n. 3. & 4.* Secundò possunt cognoscere de omnibus Regularium causis, ciuilibus, criminalibus, & mixtis, vt patet ex eodem priuilegio Clementis VII. & ex alio priuilegio Gregorij XIII. Societati IESV concesso, quod retuli suprà *in 1. huius disputationis quæsito.* Tertiò possunt articulum ab aliis inchoatum prosequi, vt patet *ex d. priuileg. Clem. VII.* vnde, hodie post d. Constitutionem Gregorij XV. si elapso quinquennio Regulares vellent Conseruatorem mutare, vel quia prior electus defunctus esset, vel in longinquam regionem diu moraturus recederet; & ideò alterum Conseruatorem eligerent, posset hic nouiter electus articulum ab alio inchoatum prosequi. Quartò, citare possunt per edictum, vbi tutus non est accessus ad personaliter citandum, vt patet ex narratis priuilegiis. Quintò, possunt Conseruatores eligere, etiamsi non sint in ciuitatibus, in quibus Conseruatores deputati sunt. Sextò, possunt etiam trahere ad suum iudicium personas existentes extra ciuitates, & diœceses, in quibus Conseruatores deputati sunt, vt patet ex dictis priuilegiis; licèt contrarium sit ex dispositione textus *in d. cap. vlt. §. Conseruatores autem, de offic. deleg. in 6.* Septimò, possunt etiam ad suum iudicium trahere personas existentes extra ciuitates, & diœceses, in quibus Conseruatores deputati sunt, infra tres diætas, licèt de iure communi non possint vltra vnam diætam, *ex d. cap. fin. cit.*

Octauò, virtute præfatorum priuilegiorum possunt Conseruatores cognoscere de omnibus Regularium causis, criminalibus, ciuilibus, & mixtis, siue Regulares sint actores, siue rei, vt patet ex d. priuilegio Gregorij XIII. cùm tamen contrarium sit de iure communi, secundùm quod actor forum rei sequi debet, *cap. Si Clericus*, & *cap. Cum sit generale, extr. de foro compet.* cum concordant *ibi* allegatis. Verùm hoc reuocatum fuit à Gregorio XV. in narrata sua Constitutione, in qua voluit, vt Regulares coram suis Conseruatoribus solùm tanquam rei conueniri possint; alios autem tanquam actores coram eisdem conuenire nequeant, nisi agatur de manifestis iniuriis, & violentiis Regularibus, siue eorum bonis illatis, siue inferendis. Quo casu possunt Conseruatores cognoscere, etiamsi Regulares actores sint, seruata forma iuris communis, *in cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* vt pluribus probat Laurent. de Peytin. *loco cit. à num. 52. vsque ad 57. exclusiuè.* & declarauit sacra Congregatio Concilij in hæc verba:

IN Constitutione de Conseruatoribus edita à sanct. mem. Gregorio XV. ex sententia sacræ Congregationis Concilij Inter cætera statutum est, vt coram Conseruatoribus Regulares conueniri quidem, aut trahi debeant; sed alios conuenire, aut trahere non possint, ita vt memorati conseruatores in causis, in quibus Regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant; sed in iis tantùm, in quibus rei extiterint.

Dubitatur nunc, an per hæc verba sublata sit facultas, quam habet Conseruatores defendendi Regulares, & alios à manifestis iniuriis, & violentiis, quæ illis de facto inferuntur, dum à suis possessionibus deiiciuntur, & propriis bonis vti, ac frui impediuntur.

SAcra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit, eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniuriis, ac violentiis; dummodo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. relatis *in cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6.*

C. Card. de Torres.

Locus ✝ sigilli.

PROSPER FAGNANVS, *S. Congr. Secr.*

QVÆSITVM III.

Vtrùm iudices Conseruatores possint, vt suspecti recusari; & vtrùm ab eorum sententijs appellari possit?

SVMMARIVM.

1 *Conseruatores cognoscentes de manifestis iniurijs, & exequentes pœnam à iure impositam, nequeunt vt suspecti recusari.*

2 *Conseruatores vt suspecti recusari possunt, quando pœna est arbitraria, & quando volunt cognoscere de causis, vbi non agitur de vindicandis manifestis iniurijs Regularium, vt num. 3.*

4 *Appellatio non datur à sententijs Conseruatorum cognoscentium de notorijs iniurijs, secus quando controuertitur, an factum sit notorium, vt num. 5. vel quando cognoscunt de causis dubijs, vt n. 6.*

1. QVoad primam *quæsiti huius* partem respondeo, quòd Conseruatores cognoscentes de manifestis iniuriis secundùm formam, *cap. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* exequentes pœnam à iure impositam, nequeunt vt suspecti recusari: quia tunc se habent vt meri executores. Ita docent Azor. *instit. moral. part. 2. lib. 5. cap. 34. q. 11.* Caualcan. *decis. 33. num. 15. part. 2.* Erasm. à Coch. alios citans *de iurisd. Ordin. in exempt. p. 1. q. 39. n. 33.* Faciunt, quæ docet Innocent. *in cap. Ex parte il 1. de verb. sign.* dicens, Iudicem posse vindicare iniuriam propriam sibi notoriè illatam, cùm hoc casu potiùs sit executor, quàm Iudex: quia exequitur pœnam à iure impositam: & ideò non potest vt suspectus recusari.

2. Si verò pœna, quam exequuntur, non sit à iure imposita, sed arbitraria, tunc recusari poterût, etiamsi iniuria sit manifesta, iuxta doctrinam Panorm. *in cap. Si quis contra Clericum, n. 11. de foro compet.* Farinac. *in praxi crim. p. 1. q. 21. n. 130.* quia in quantum arbitrantur, essent veri Iudices, & possent in arbitrando modum excedere. Vnde à Iudice pœnam arbitrante appellari potest. Gloss. *in cap. Super his, verb. Arbitrium, extr. de accus.* Licèt à pœna in iure expressa appellari non possit, *cap. Quia nos, de appell.*

3. Hinc certum est, quòd Conseruatores cognoscentes de aliis Regularium causis, vbi non agitur de vindicando eos à manifestis iniuriis, & violentiis sibi illatis, vel inferendis, & in quibus Regulares rei sunt, vtique suspecti allegari, & vt tales recusari possunt, per text. *in d. cap. Si quis contra Clericum, de foro compet.* & *cap. Secundo, requiris, §. 3. de appell.* Et tunc eligendi sunt arbitri, qui de causis suspicionis cognoscant, prout obseruandum est, quando Iudex suspectus allegatur. Et hæc quoad primam quæsiti partem.

4. Idem ferè dicendum est quoad appellationem ab eorum sententiis. Nam, si cognoscant de notoriis, & manifestis iniuriis Religiosis illata, non potest ab eorum sententiis appellari, quia in facto vero notorio appellatio non admittitur a iure, *cap. Cum sit Romana, de appellat.* Pluribus probat Farinac. *d.q.21.n.117.* nisi tamen excederent modum in infligenda pœna. *cap. Reprehensibilis de appellat.* Panormit. *in cap. Ad nostram.n.7.eod.tit.*

5. Item quando controuertitur, an factum sit notorium, de quo etiam Conseruatores cognoscere posse diximus *in superiori quæsito*, si declarent illud notorium, ab eorum declaratione appellari potest, cùm possent iniustè declarasse, sicut in simili dicit Gloss. *in cap. Cupientes.§. Quod si per viginti. verb. priuatos. de elect. lib.6.* Quod licèt à sententia iuris non appelletur, *cap. Quia verò de apellat.* tamen à sententia Iudicis declaratoris, quem in pœnam legis incurrisse, benè appellari potest. Ita docet Panormit. *consil.* 100.*n.*3. *post med. part.* 1. Item In sententiis Conseruatorum latis in aliis causis non manifestis, & notoriis, sed dubiis, de quibus iuxta priuilegia Regularium, ac iuxta Constitutionem Gregorij XV. editam. *De Conseruatoribus.* cognoscere possunt, appellatio admittitur: quia in notoriis tantum non admittitur appellatio, in aliis autem sic. Appellandum est autem ad Summum Pontificem, à quo, & non ab alio inferiori, etiam Legato de latere, concedi possunt, vt in superioribus probauimus, & à delegato regulariter appellatur ad delegantem; non autem ad inferiorem. Ita Petr. de Ancharan. *consil.72.num.1.vol* 1. Card. Tusc. *pract. conclus. iur. verb. Conseruatores conclus.*760. *n.* 6. Laurent. de Peytin. *tomo 2. priuileg. Ord. Minim. in annot. ad const. 5. Gregor. XV num.*61.

QVÆSITVM IV.

Vtrùm Abbates, & Prælati Episcopo inferiores possint in Iudices Conseruatores eligi.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, & Prælati omnes Episcopo inferiores, qui dignitatem, vel personatum in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinent, possunt in Iudices Conseruatores de iure communi assumi.*

2 *Priores sæculares Collegiatarum Ecclesiarum assumi possunt in iudices Conseruatores.*

3 *Archidiaconi, Archipresbyteri, Primicerij, Præpositi, Decani, Cantores & Thesaurarij possunt in Conseruatores eligi: item omnes ij, qui in particularibus Ecclesiis munus obtinent, quod secundum communem existimationem dignitas reputatur, num.*4.

5 *Priuilegiorum vigore quinam possint à Regularibus in Conseruatores assumi.*

6 *Abbates, & Prælati omnes, etiam Regulares Episcopo inferiores, quomodo iuxta Constitutionem Greg. XV recipi possint in Conseruatores.*

7 *Priores Claustrales, & Vicarij Prælatorum an possint in Conseruatores eligi.*

8 *Prelati Regulares, ad hoc, vt Conseruatoris munus obire valeant, an sit necessaria licentia, & quomodo.*

9 *Monasterij vtilitas an requiratur ad hoc, vt Regulares Prælati in Conseruatores eligi possint.*

1. DE iure communi Abbates, & Prælati omnes Episcopo inferiores, qui dignitatem, vel personatum in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinent, possunt in Iudices Conseruatores assu[...] textum *in cap. fin. in principio, de offic. deleg. l[...]* Bonifacius VIII. sic ait: *Hac Constitutione perp[...] lutura sancimus, vt Conseruatores, qui aliquibus, [...] manifestis iniuriis, & violentiis tueantur eosdem, [...] quæ a Sede apostolica conceduntur, de cætero deputari non possint nisi Episcopi, vel eorū Superiores, aut Abbates, seu dignitates, vel personatus in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes.* Ex quibus patet, quòd Abbates, tam sæcularium, quàm regularium Ecclesiarum, & Monasteriorum Præfecti possunt in Iudic[...] Conseruatores assumi: quia in hoc textu indistinctè Abbates nominantur: & ideò indistinctè de omnibus id intelligendum est. Quod affirmat Moneta *de Conseruatorib. c.5.q.8.n.79.* & 80.

Idem dicendum est de Prioribus sæcularibus Collegiatarum Ecclesiarum: quia hi dignitatem h[...] dicuntur, vt docet Nauar. *lib. 1. consil. tit. de maior. obed. consil.* 4. *n.*3. & nos alibi latè probauimus: & ita docent Monet. *d. cap. 5. quæst. 7. num.* 94. Laurent. de Peytin. *tomo 1. priuileg. Ord. Minim. in annot. ad Const. 5. Gregor. XV. num.*15. 2.

Idem dicendum est de Archidiacono, Archypresbytero, Primicerio, Præposito, Decano, Cantore, Thesaurario quia hi ecclesiasticam dignitatem obtinent quod etiam affirmant Monet. *d. cap. 5. q 7. num. 8[...] & plurib. seqq.* Confect. *in Sum. priuileg. cap.5.* Laurent. de Peytin. *in annot. ad const. 5. Gregorij XV num.*15. 3.

Idem asserendum est de reliquis omnibus, qui in quibusdam particularibus Ecclesiis habeant munus aliquod secundùm communem existimationem dignitatem, vel personatum retinens: hi enim etiam Conseruatores eligi poterunt. Laurent. de Peytin. *loco cit. num.*16. 4.

Prædicta omnia latiùs patent ex priuilegiis Summorum Pontificum Regularibus concessis, quorum virtute possunt in Conseruatores eligi personæ quæcunque in ecclesiastica dignitate constitutæ, necnon Vicarij, & Officiales generales Episcoporum, Cathedraliúmque Ecclesiarum Canonici, vt *in superiori quæsito* dictum est.

Ideò etiam hodie post Constitutionem Greg[...] XV. de Conseruatoribus editam, possunt Abbates ac Prælati Episcopo inferiores (prout ad rem nostram facit) in Iudices Conseruatores assumi, si in prouincialibus, vel diœcesanis Synodis ab Archiepiscopo, v[...] Episcopo, aut alio Prælato Synodo præsidenti, n[...] non ab aliis eidem Synodo interessentibus eligantur, iuxta decretum Trident. Concilij *sess.25. de reformat. cap.10 de eligendis Iudicibus synodalibus*, quibus, præter Ordinarios, causæ delegari possint: ac iuxta d. constitutionem Prælati etiam Regulares possunt Iudi[...] Conseruatores eligi: quia verè sunt in ecclesiastica dignitate constituti, vt constat *ex cap. Nisi essent. de præbend.* ibi: *Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata*, & probant Ioan. And. *ibi n.*4. Antor. de Butr. *num.*14. Cardin. *num.*2. *not.*3. Panormit & a[...] quos adduximus *in 1. tomo, disput. 1. q. 3. & 5.* A[...] prædictis priuilegiis, ac etiam in prædicta Const[...]tione Gregorij XV. requiritur, quòd personæ in Co[...]seruatores eligendæ, sint in dignitate ecclesiasti[...] constitutæ: ergo. Et hoc intelligitur de omnibus iis, q[...] nullum in Monasterio Superiorem habent: quia, si alium Superiorem in eodem Monasterio haberent, vt sunt Vicarij Prælatorum Conuentualium, & Priores Claustrales, non possent huiusmodi officio fungi: quia non dicuntur esse in dignitate constituti, vt constat *ex Clem. 2. de rescript.* vbi deciditur, P[...]iorem Claustralem non posse esse delegatum ad Literas Pontificias, vel eius Legati exequendas. Cuius decre[...]

ea est

ea est ratio, quòd huiusmodi delegatio ... ea dignitate ... *princ. de ...* lib.6. Atque ... Rodetic. *quæst. regular. tom.* ... *Manual. I ... tomo* 3. ... *notab. privileg. notab.* 3. ... *q.* 2. *num.* 24. ... de ... 5. Gr ... num. 1.

8. Ad uertere autem, ad hoc, vt Regulares Prælati tale munus Confessariorum ... non esse Superiorum licentiam ... non debeat esse acceptare ... absque ... licentia, & Monasterij vtilitate, de qua ... *Monach.* ... *de postuland.* vbi prohibetur, ne Monachi ... acceptare, & executores, absque licentia Abbatis, & ... te Monasterij nomine ... & executores ... Doctores aiunt ... Ioan. Andr. *in d. cap.* 2. *num.* ... Panormit. *num.* 3. Anton *num.* 8. ... *quæst.* 2. And ... *num.* 1. At ... est ... tamen hoc ... Superiorum ... cum enim non est necessaria ... sicut in simili de officio executorum testamentariorum docent Sylvest. *verb. Testamentum,* 2. *quæst.* 2. *dict.* 1. Molin. *de iust. tomo* ... 247. *col. penult.* & alij apud Sanchez *in Decal.* ... 6. *cap.* 11. *num.* 5. Et de officio Aduocati, & Procuratoris docent Gloss. *in can. De præsentium. verb. De* ... 61. *q.* 1. & *in Clem. Religiosus, verb. Religiosus. de* ... *curator.* vbi Panormit. *num.* 4. & ... Idem Panormit. *in c.* ... *num.* ... *exer. de procurat.* ... & c. ... *Sanchez d. cap.* 13. *num.* 58. ... statutum ... vt ...

9. ... an ... Prælati Regulares ... licentia ... debeant ... requiratur tamen ... *in d.* ... & d. ... Superioris ... ad hoc, vt ... Monasterij ... rem ... ex susceptione tal ... officij Confessariorum ... Regulares Prælati Iudices Conser... Monasteriis ... tetur, cùm ... Conseruatores ... Regulares ... Monasterio ... clesiæ Cathedralis ... Conseruatores ... Monasteriorum, & ipsi ... tetur; ideò Regulares ... Clericos ... gendo ... ipsos, vel proprios ... tes asserentes, posse ... obire, nullam de Mon ... ciunt; quasi supponentes ... riorum ... nium ... presse S ... 13. ... in ... cantur,

... *Tom. III.*

... tes ... dignitates, ab ... pro ... & ... Conservato-...

QVÆSITVM V.

Abbates, & Prælati Regulares, quæ ... & quos actus in iudicio exercere possint.

SVMMARIVM.

1. *Abbates, Prælati Regulares an possint Aduocatorum, & Procuratorum munus in iudicio obire.*
2. *Monasterij vtilitatem ... ad id ... requiri.*
3. *Prælati ... *
4. *... Regulares ... Monasterio ... Summi Pontificis ... ad tempus, ... ad Superiorum ...*
5. ...
6. *Abbates ... Prælati ... possint esse Iudices.*
7. *Abbates ... Regulares necnon Religiosi de ... Episcoporum.*

Dubitari potest, ... Prælati Regulares, etiam ... munus Aduo- ... obire, ... verùm etiam procuratorum ... statuta cautum ... licentiam ... *Monach.* ... *de* ... *de Præsentium* ... Clem. ... communiter ... Panormit. ... *In ... finem* ... Felin. ... *Azor.* ... *moral. parte* 1. ... *quæst.* ... *Decalog.* ... 6. ... 13. *num.* 18. Hoc autem ... Monasterij ... munus exercere ... Abbatis licentia, & Monasterij ... sufficit ... Monachi ... executor ... *Abbate fuit nihilo minus* ... *cap.* ... Sa... *electo.* ... autem Monasterij ... quando ... vel ... pro ... Monasterijs ... confitendis ... ipsos ... Monasterio ... Quo ... Præ ... & Religiosus de ... licentia ... Prælati ... causis ... ei debita ... Monasterij ... auaritia ... Panormit. ... *num.* ... Monasterij S. ... Clem. ... *num.* ... Sayr. ... *Clauis regia lib.* ... *cap.* ... 22. *num.* 5.

1.

2.

Gonzal. *ad Regul. 8. Cancellar. gloss. 2. num.* 13 Angel. *verb. Aduocatus num.* 9 Tabien. & alij, quo refert, & sequitur Sanch *d. cap.* 13 *num.* 17 contra Ioan. Andr. Franc. Cardin. Imol. & alios apud eundem *ibid. numero* 16.

3. De secundò: Abbates, & Prælati regulares possunt arbitri esse, si Monasterij vtilitas interueniat. neque ad id vlla Superioris licentia indigent, ptout *suprà* de Aduocati, & Procuratoris officio dictum est. Ita docent Gloss. *in c. De præsentium verb. Desc* [illegible] *or.* 16. *q.* 1. Panormit. *in d. cap.* 2. *num* 4. *de postula.* [illegible] *d.* & alij apud Sanchez *loco cit. num* 58. Arbitratores autem esse possunt, etiam Monasterij vtilitate non interueniente: quia simplices Religiosi hoc munus de Superioris tantùm licentia, absque Monasterij vtilitate obire possunt: nam ad concernentia pietatem absque iudicij figura, vel strepitu quale est iodicium arbitiatoris, Superioris tantum liceotia sufficit. Ita Panotmit. *in c. ip. Quintauallis, sub. n.* 13. *de iureiur.* Rosella *verb arbi*[illegible] *num.* 2. Syluest. *eod. verb. quæst.* 16. *n.* 14. & alij plures apud Sanch. *d. cap.* 13. *num* 61.

4. Dico tertio: Abbates, & Prælati regulares, [illegible] iam conuentuales, qui in Monasterio nullum Superiorem habent, possunt esse delegati Summi Pontificis, vel eius Legati Literas exequendas: sunt enim in dignitate constituti, quod de Abbatibus [illegible] clarum est per ea, quæ adduximus *in* 1. [illegible] *disp.* 1. *quæst.* 2. De alijs item Prælatis Conuentualibus patet: quia habent præeminentiam cum administratione, & iurisdictionem in vtroque foro in suo Monasterio vt *ead. disp.* 5. *q. vlt.* probauimus. Sed qui sunt in dignitate constituti, possunt esse Sedis apostolicæ delegati, *ap. Statutum. de rescript. in* 6. ergo. Et hoc expresse probatur *in d. c. Cum olim de maiorit. & obedie. t.* vbi Summus Pontifex Priori Fratrum Prædicatorum causam *in d. cap.* contentam delegat. Habetur idem *ex clem.* 2. *de rescript.* vbi decisum est, priorem Conuentualem esse huius delegationis capacem. Et ita docent ibi Gloss. *in verb. Per electi* [illegible] *em*, & Pano mit. *num.* 6. Id[illegible] *d. cap. Cum o*[illegible] *num.* 2. vbi [illegible] *num.* [illegible] Franc. *cap. Statutum num.* 4. *& cap. Nullus num.* [illegible] *de* [illegible] *in* 6. Syluest. & alij, quos retulimus *d. quæst.* [illegible] *num.* 1. & alij apud Sanch *d cap.* 13. *n.* [illegible] 8.

5. Nec refert, quòd Abbates, & Prælati non sint perpetui, sed ad tempus, atque ad Superiorum nutum amouibiles, vt docent Doctores citati communiter, & diximus *d. disp.* [illegible] *q.* 2. *ar fi e.*

6. Dico quartò: Abbates, & Prælati regulares [illegible] sunt esse Iudicum assessores. quia [illegible] Religiosis sibi subditis concedere possunt, [illegible] Lambertin. *de iurepatronat. lib.* 2 *part* 1. *q.* 4 *art.* [illegible] 1. Sanchez *d. c.* 1[illegible] *num.* 85. Ad quod etiam d[illegible], necessariam esse Monasterij vtilitatem: quia [illegible] ius ad sententiam iudicialem pertinet [illegible] R[illegible] nera iudicialia subeunt, la Monasterij vtilitas [illegible] ria est, *d.* [illegible] *an. Monachi. el* 2. 16 *q.* 1. & *d.* [illegible] *p.* 3 [illegible] *e postul* [illegible] *d.*

7. Dico quintò: Possunt Abbates, & Prælati [illegible] lates, sicut & Religiosi, de [illegible] corporum Vicarij: quia nulli [illegible] in [illegible] id [illegible] ch[illegible] itur. Ita Panormit. *in* [illegible] *num.* [illegible] *de Cleri* [illegible] Rebul. *in pr* [illegible] *vt bene* [illegible] *it. de* [illegible] *cap.* [illegible] Nauar. *com* [illegible] *t.* 2. [illegible] *R* [illegible] *m.* 6 [illegible] *A*[illegible] *decimoqu*[illegible] *o*, & *comm* [illegible] 4 [illegible] Azot. [illegible] *stit. mor.* [illegible] *m.* 2. [illegible] 43. *que,* 1 [illegible] *d* [illegible] *E*[illegible] *pi lib* 1. *que* [illegible] *um.* 4 San[illegible] *D*[illegible] *ap.* 13. *num.* 88. [illegible] *lib.* 3. [illegible] 2 [illegible] *um.* 4. [illegible] *p par.* 3 [illegible] 4 [illegible] & [illegible] d [illegible] *ez locis citatis.* Debet tamen habere vnum So-

cium de Conuentu secum: quia in [illegible] non [illegible] solus, vt docent Gloss. Az[illegible] & [illegible] Campanil. *in diuersor. iur. canonici, rubr.* 11 [illegible] *ap* 13. *num.* 118.

QVÆSITVM VI.

Vtrum Abbates regulares, & Monac [illegible] *ipsorum licentia, testament*[illegible] *rum,* [illegible] *aliarum vltimarum voluntatum executores esse possint.*

SVMMARIVM.

1 *Abbates etiam conuentuales, testament*[illegible] *vltimas voluntates exequendi facultatem absque Gener*[illegible] *aut alterius Sup*[illegible] *ia.*

2 *Reli*[illegible] *iosus non potest munus executoris te*[illegible] *rij suscipere, n*[illegible] *petita prius,* [illegible] *obte*[illegible] *ta* [illegible] *suo Superiore.*

3 *A*[illegible] *bas, etiam re non inte*[illegible] *nacho facultatem, quam* [illegible] *v*[illegible] *tima voluntatis executor e*[illegible] *t.*

4 *Abbates, & Religiosi, qui mu*[illegible] *pre*[illegible] *piunt, possunt ab Episcopo compell*[illegible] *ad* [illegible] *rationem gesta executionis. Limita tamen,* [illegible] *num.* 5.

6 *Minores Fratres & eorum Prælati nequeunt testamentorum, & vltimarum voluntatum ex*[illegible] *tores. benè tamen omnes alij Religiosi, et*[illegible] *Mendicantes, vt num.* 7.

Dico primò, Abbates etiam conuentual[illegible] [illegible] enta, vel [illegible] as vltimas testatorum v[illegible] [illegible] endi facu tatem habent: neque a[illegible] [illegible] Superioris licentia [illegible] nt, nisi a [illegible] per [illegible] constitutiones in R[illegible] one obseruandum [illegible] vel [illegible] Superior ad i[illegible] ad [illegible]. Cùm [illegible] ipsi Abbates dare possunt licen[illegible] Monachis ad [illegible] munus exequendum vt [illegible] bus de[illegible] et S[illegible] *Deal*[illegible] *g. lib* 6 *cap.* [illegible] r[illegible] nt etiam id per se ipsos præstare: q[illegible] A[illegible] [illegible] f[illegible] ntibus, & dispensationibus, qua po[illegible] [illegible] te pos[illegible] un etiam secum v[illegible], [illegible] R[illegible] ontrarium [illegible] stantium no[illegible] Atque [illegible] st *erb.* [illegible] *stamentum.* 2. [illegible] 1. [illegible] *E*[illegible] *ecut*[illegible] *r. q.* 1. *num* [illegible] M[illegible] *iure,* [illegible] *no* 1. [illegible] 4 [illegible] *ers. Reli*[illegible] *iosus tam*[illegible] R[illegible] de [illegible] *n.* [illegible] *quæst.* [illegible] *art.* 1. [illegible] 1. *p* [illegible] 2. *quæst.* 24. *n.* 22. & al[illegible] [illegible] *p.* 11. *num.* [illegible] Barbosa *de offic.* [illegible] *pot* [illegible] [illegible] 52. *n.* 3[illegible].

Dico secundò: Religiosus, licèt ab aliq[illegible] stamenti executor constitutus sit; non [illegible] 2.
te munus [illegible], non petita priù[illegible], & [illegible] a suo Abbate, vt habetur *in c. Reli*[illegible] *de te*[illegible] *ament lib.* 6. *C*[illegible] *e. 1.* [illegible] Q[illegible] d [illegible] tenta huiusmodi [illegible] toris munus [illegible] executio per eum facta, nulla erit: quia *in d. cap* 2. [illegible] citur: *Re*[illegible] *non potest.* quæ [illegible] actum in contrari[illegible] G[illegible] *in Re*[illegible] 1. *de re*[illegible] [illegible] anch *in d.* [illegible] *ap.* 2. [illegible] 2. C[illegible] uar. *in* [illegible] *ap. Iu*[illegible] *bis num.* 1. [illegible] 2. *extr. eod. tit.* [illegible] uel[illegible] *ci at.* M[illegible] n. *loco et* [illegible] *tato.* Roderi[illegible] [illegible] 1. Ceua l. [illegible] *quæst* 88 [illegible] pl[illegible] *c.* 25. *n.* 2. & [illegible] C mpa[illegible] [illegible] 3. [illegible] Gloss. *de* [illegible] 1. *li* [illegible] *ca*[illegible] 1. [illegible] *num.* 2.

Limita, vt Religiosi, qui non sunt claustrales, vt qui præsunt beneficiis perpetuis, extra Claustra possint acceptare munus executoris, & illud exequi, sine Abbatis licentia: quia isti Religiosi sub Abbatis obedientia non sunt, ac habent velle, & nolle secundùm Gloss. *in cap. De Monachis*, 16. *q.* 1. & *in Clem. Religiosis, in princ. de procur.* & possunt esse in iudicio sine Abbatis licentia, *cap. Cùm deputati, de iudic.* Quare in his cessat ratio, *d. cap.* 2. *de testam. in* 6. Ita docet Glos. *ibi, verb. Religiosus.* Franch. *ibid. num.* 5. *vers. In eadem Gloss.* ibi: *De claustrali.* Panorm. *d. Clem.* 1. *num.* 3. *de testam.* & alij apud Sanch. *d. cap.* 11. *n* 4.

3. Et potest Abbas, etiam re non integra, reuocare Monacho facultatem, quam illi tradidit, vt alicuius vltimæ voluntatis executor esset, ad effectum, vt Monachus vlteriùs in executione progredi non valeat; malè tamen faceret. Ita Gloss. *d. Clem. unic. verb. Obtenta.* Syluest. & Molin. *loco cit.* & alij apud Sanchez *d. cap.* 11. *num.* 12.

4. Notandum autem, quòd tam Abbates, quàm Religiosi, qui hoc munus suscipiunt, licèt sint exempti, possunt ab Episcopis compelli ad reddendam coram se gestæ executionis rationem. Et si Episcopi eos malè dictam executionem gessisse compererint, illos punire possunt, *d. Clem. unic. de testam.* notant Angel. *in Summa, verb. Executor, num.* 20. Coch *de iurisd. Ordin. in exemp. part.* 4. *quæst* 49. Syluest. *verb. Testamentum,* 2 *quæst.* 2. *dicto q.* Molin. *dict. disput.* 247. *vers. Si Religiosi.* Roderic. *dict. quæst.* 70. *art. vltim.* Campanil. *dict. num.* 130. Riccius *in collect. decis. collect.* 503. *vers. Et primò.* & alij apud Sanchez *d. cap.* 11. *num.* 22. & apud Barbos. *d. alleg.* 82. *num.* 34. subdens, hanc potestatem compellendi Religiosos vltimarum voluntatum executores ad reddendas rationes, transire ad Capitulum, Sede vacante. Ita etiam Azor. *institutionum moralium part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 39. *quæst.* 6. Limita, vt 5.
Religiosi claustrales præpositi alicui sæculari Ecclesiæ ab Episcopi iurisdictione exemptæ, si vltimarum voluntatum executores fuerint, non Episcopo; sed Summo Pontifici, siue eius Legato, vel alteri legitimo eorum Superiori rationem reddere teneantur. Ita Panorm. *in d. Clem. unica, num.* 5. Sanchez *d. cap.* 11. *num. vltim.*

6. Dico tertiò: Fratres Minores, atque etiam eorum Prælati testamentorum, & vltimarum voluntatum executores esse nequeunt: quia id eis expressè prohibitum est, *Clem. Exiui*, §. *Proinde cùm vir sanctus, vers. Verum etiam, de verb signific.* Videatur super hac re Sanchez *d. cap.* 11. *a num.* 24. Cæteri autem Mendicantes de suorum Prælatorum licentia, possunt illud munus obire, sicut reliqui Religiosi: quia *in d. cap.* 2. *de testam. in* 6. & *Clem. unic. eod tit.* Regularibus solùm interdicitur officium illud, absque Superioris licentia, nec in eo, vel alio iure aliqua Religiosorum exceptio traditur, nisi *in cit. Clem. Exiui*, in qua Minoribus tantùm id prohibetur. Atque ita asserunt Gloss. *in d. c.* 2. *verb. Religiosus, cum addit.* Ioan. Andr. *ad eam.* Sanchez alijs relatis *d. cap.* 11. *n.* 25. 7.

DECISIONES
S. Rotæ Romanæ,

QVÆ PER EXTENSVM positæ, ad vniuersum in toto hoc Opere examinatum ius Prælatorum comprobandum, præstò sunt.

INDEX ALPHABETICO
ORDINE DIGESTVS,
DECISIONVM S. ROTÆ ROMANÆ,

Quæ per extensum positæ, ad vniuersum in toto hoc Opere examinatum ius Prælatorum comprobandum, præstò sunt.

Hispa

H

Hispalen. praeminentiarum, *Veneris*, 13. *Mart.* 1609. *decis.* 1. Penia

In eadem, coram eodem, Lunae, 15. *Februarij*, 1710. *decis.* 2.

In eadem, coram eodem, *Mercur.* 9. *Iun.* 1610. *decisio* 3.

In eadem, coram eodem, Veneris, 3. *Decembris*, 1610 *decisio* 4.

In eadem, coram eodem, *Veneris*, 1. *Iun.* 1611. *decisio*.5.

In eadem, coram eodem, Lunae, 24. *Octobris*, 1611. *decisio* 6.

In eadem. coram eodem, Lunae, 4. *Iun.* 1612. *decis.* 7.

Hispalen. nuncupationis Abbatis Maioris Veneris, 27. *Nou.* 1615 *dec.* 8. Pamphilio.

Hispalen. Canonicatus, Lunae, 13. *Februar. decisio* 18. Buratto.

Hispalen. exemptionis, Veneris, 5. *Decembris*, 1614. *decis.* 36. Pamphilio.

Hispalen. decimarum, Lunae, 4. *Decembris*, 1618 *decis.* 100. Verospio.

I

Iannensis reintegrationis, *Veneris*, 26. *Februarij*. 1621. *decis.* 121. Buratto.

Iannensis Iuris honorifici, *Veneris*, 17. *Maij*, 1630. *decisio* 29. Pirouano.

L

Leodien. Abbatissatus, Mercur. 9. *Mart.* 1594 *decisio* 17. & *Vallisoletana praeeminentiarum. sub eadem, coram eodem.* Pamphilio.

Lauretana iurisdictionis, Lunae, 20. *Iun.* 1616. *decisio* 64. Sacrato.

Licien. quartae funeralium, Lunae, 15. *Ianuar.* 1618. *decis.* 84. Coccino.

Leodien. Collectarum, Lunae, 19. *Aprilis*, 1619. *decis.* 105. Buratto.

M

Meten. Monasterij, Lunae, 5. *Iulij*, 1621. *decisio* 22. Coccino.

Matricen. iurisdictionis, *Lunae*, 16. *Ianuar.* 1617. *decis.* 73. Buratto.

In eadem, coram eodem, Lunae, 29. *Nouembris*, 1621. *decis.* 74.

Mileuitana feudi, Veneris, 2. *Martij*, 1635. *decis. in* 3. *tom. disputat.* 14. *quaest.* 4. Merlino.

N

Nullius Canonicatuum de Roncesualles, *Lunae*, 22. *Maij*, 1628. *decis.* 19. Dunozetto.

Nouarien. Praepositurae, Lunae. 28. *Iun.* 1632. *decisio* 25. Verospio.

Neapolitana alimentorum, *Mercur.* 31. *Maij* 1606. *decisio* 26. Manzanedo.

Neapolitana alimentorum. Lunae, 11. *Ianuar* 1616. *decis.* 27. Pirouano.

Nullius, seu Squillacen. iurisdictionis, Veneris, 4. *Martij*, 1616. *decis.* 69. Martino Andreà.

Nullius, seu Aprutinae iurisdictionis, Lunae, 10. *Martij*, 1624 *decis.* 71. Dunozetto.

Nullius, seu Vrbinaten. iurisdictionis, *Lunae*, 7. *Maij*, 1618 *decis.* 72. Buratto.

Nouarien. decimarum, Mercur. 26. *Februar.* 1553 *decis.* 101. Pirouano.

P

Portugallen. Vnionis, *Veneris*, 23. *Iun* 1595 *decis.* 11. Pamphilio.

Palentina Abbatiae de Be[illegible], *Veneris* 14. *April.* 1617. *decis.* 15 Coccino.

In eadem coram eodem, Veneris, 14. *Decembris*, 1618. *decis.* 16.

Pisana beneficij, Mercur. 27. *Iun.* 1629. *decis.* 21. Merl.

Placentina decimarum, *Mercurij*, 10. *Maij* [illegible] *decis* 98. Coccino.

In eadem, Veneris, 11. *Ianuar* 1636. *decis.* 99. Merl.

Pamphilonen. praeminentiarum, *Lunae*, 1. *Iun.* [illegible] *decis.* 108. Pamphilio.

R

Rauennaten. Emphyteusis, *Veneris*, 28. *Maij* 163[illegible] *decis.* 106. Merl.

Romana legati pij, Veneris, 4. *Febr.* 1628. *decis.* 1[illegible]7. Coccin.

Romana computorum, Mercur. 10. *Aprilis*, 1630. *decis.* 17 3. *tom. disp.* 11. *quaest.* 1. Merl.

S

Salmantina iurisdictionis, Veneris, 1. *Iun.* 1565 *decisio* 39. Aldobr.

Sipontina iurisdictionis, Veneris, 24. *Maij*, 1613 *decis.* 63. Sacr.

Seguntina iuris sepeliendi, *Mercurij*, 5. *Iun.* 1613 *decis.* 86. Manzanedo.

Salernitana praeminentiae, Lunae, 14. *Mart.* 1622 *decis.* 109. Cauál.

Sanctae Agathae Gothorum praecedentiae, *Veneris*, [illegible] *Maij*, 1622 *decis.* 110. Cauál.

In eadem, 24. *Maij*, 1624. *decis.* 111. [illegible]

In eadem, Lunae, 24. *Ianuar.* 1629. *decis.* 112. Mon[illegible] 110.

Salman. iurisdictionis, 9 *Maij*, 1594. *dec.* 117. Seraph.

T

Theatina iurisdictionis, *Lun.* 17. *Decemb.* 1[illegible] *decis.* 56. [illegible]

Theatina iurisdictionis, de Athessa. Lunae. 17. *Decemb.* 1612. *decis.* 57. [illegible]

Theatina iurisdictionis S. Ioannis in Venere *Veneris* 14. *Martij*, 1614. *decis.* 58. Coccino.

Theatina, seu nullius iurisdictionis de Bulgaria, *Lunae* 23. *Iunij*, 1614. *decis.* 59. Coccin.

Theatina iurisdictionis de Athessa, *Veneris*. 5. *Decembris*, 1614. *decis.* 60. Coccino.

Theatina iurisdictionis, *Lunae*, 5. *Iulij*. 1621. *decis.* 62. Coccino.

Toletana decimarum, Lunae, 26. *Nouembris*, 1[illegible]5 *decis.* 90. [illegible]

Toletana exemptionis, *Mercur.* 14 *Maij*, 1614 *decis.* 53. Pamphilio.

Toletana, seu nullius iurisdictionis, *Lunae*, 26. *Maij*, 1612. *decis.* 67. Pirouano.

In eadē, corā eodē, Mercurij. 4. *Decemb.* 161[illegible] *decis.* [illegible]

Toletana iurisdictionis, Lunae, 11. *Ianuar.* 1616. *decis.* 118. Buratto.

Tudertina parochialis, *seu* [illegible] *Febr.* [illegible] *decis.* 10. Penia

Treueren. Abbatiae S. Maximini, V[illegible] 24 [illegible] 1625. *decis.* 23. Coccino.

Tullen. Monasterij, 17 *Maij*, 1597. *decis.* 24. Penia

V

Vlterranen seu nullius iurisdictionis, Veneris, [illegible] *April.* 158[illegible]. *decis.* 4[illegible]. [illegible]

Vlysbonen. Monasterij, *Lunae*, 2. *Iun.* 1625. *decis.* 8[illegible] Remboldo.

In eadem, Mercur. 19. *Nouemb.* 1625. *decis.* 8[illegible] Coccino.

Vallisoletana funeralis, *Veneris*, 19. *Aprilis*, 1[illegible] *decis.* 83. [illegible]

Veronen. [illegible] parochialium, *Veneris*, 25 [illegible] 1628. *decis.* 87. [illegible]

In eadem, [illegible] Lunae, 25. *Iun.* [illegible]

Valentina decimarum, *Veneris*, 28. *Aprilis*, 1[illegible] *decis* 89. [illegible]

Vrbinaten. decimarum, Lunae, 15. *Iun.* [illegible] Pamphilio.

Vrgellina iuris sedendi, *Veneris*, 1[illegible] *Decemb.* [illegible] *decis.* 116. Merl.

DECI

DECISIONES S. ROTÆ ROMANÆ,

Quæ per extensum positæ, ad vniuersum in toto hoc Opere examinatum ius Prælatorum comprobandum, prestò sunt.

R. P. D. PENIA.

Hispalen. præeminentiarum, Veneris, 13. Martij, 1609.

ARGVMENTVM.

Crux alicuius Ecclesiæ, in processionibus, & aliis actibus: quando dicatur deferri in loco digniori.

SVMMARIVM.

1 *Dignior locus dicitur in processionibus, qui est proximior Cruci Ecclesia Cathedralis, & post alios.*
2 *Dextera honoratior est, & dignior, quàm sinistra.*
3 *Præcedentiæ ad effectum consuetudo inspicitur.*
4 *Possessio acquiritur per vnicum actum sufficientem ad effectum manutentionis.*
5 *Collegiata est dignior Parochiali.*

DECISIO I.

REPORTATA remissoria de partibus, quam Rota concesserat Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris: dubitaui, an probaretur delatio Crucis dictæ Ecclesiæ Sancti Saluatoris in digniori loco. Rota probari censuit, per plures testes super septimo articulo expresse affirmantes, quòd immediatè ante Crucem Ecclesiæ Cathedralis à manu dextera deferetur Crux Collegiatæ, & quòd ante Crucem Collegiatæ deferuntur Cruces Ecclesiarum parochialium.

Hinc enim patebat, Crucem Collegiatæ deferri in digniori loco, tum, quia est proximior Cruci Ecclesiæ Cathedralis: tum etiam, quia ante illam deferuntur Cruces Ecclesiarum parochialium. Gloss. *in §. Altiare verò in verb. Altiore. Instit. de bonor. possess. l. vnic. C. de præpos. labor. lib. 12.* Felin. *in rubr. de maiorit. & obed num. 12 vers. Ille dicitur maior.* Chassan. *in Catal. glor. mund. part. 1. consider. 16.* Bald. *in l. Obseruare. §. Antequam verò n. 3 ff. de offic. Proconsul.* Grammat. *decis. 64* incip. *Orta lite. n. 21. & 23.*

Rursus, quia testes deponebant, Crucem Ecclesiæ S. Saluatoris incedere ad manum dexteram prope Crucem Ecclesiæ Cathedralis: Crucem verò Ecclesiæ S. Annæ incedere ad manum sinistram. Honoratior enim 1, & dignior est dextera, quam sinistra. Bald. *in l. Decernimus. num. 2. vers. Et quòd dignior. C. de sacros. Eccles.* Chassan. *in Catal. glor. mund part. 1. considerat. 11. vers. Secundo dicitur* Maior, Felin. *in dict. rubr de maiorit. & obed. num. 12.* Grammat. *d. decis. 64.*
Et censuit Rota *in vna Oriolen. iuris sedendi*, die 24.
Octobris, 1588. coram Cardinali Blanchetto tunc Ro- 3.
tæ Auditore. Ad effectum autem præcedentiæ consi-
deratur consuetudo. Bald. *in d. l. Obseruaro. §. An-
tequàm vero. num. 13. ff. de offic. Proconsul.* Natt.
consil. 193. incip. *Obstante consuetudine. num 3. lib. 1.*
Corn. *cons. 193.* incip. *Pro decisione primi dubij. nu-
mero 14. vers. Et ideò, qui est consuetus. lib. 2.* Et fuit
dictum *in dict. causa Oriolen. iuris sedendi:* Et posses-
sio acquiritur per vnicum actum sufficientem, ad ef- 4
fectum manutentionis. Decian. *consil. 84.* incip......
num. 26. & sequen. lib. 5. In casu autem proposito te-
stes de pluribus actibus de vi super 30. & 40. annos,
& vltrà testificabantur, & de auditu à maioribus:
quod sufficit ad effectum præcedentiæ; præsertim, in 5.
Ecclesia Collegiata, quæ est dignior parochialibus.
Panormit. *in rubr. de vit. & honest. Cleric. num. 12.*
Chassan. *in Catal. glor. mund p. 4. considerat. 32. prope
fin. vers. Octauò, facit. & considerat. 88* Et fuit sæpè re-
solutum, & signanter *in causa Calagurritana præ-
eminentiarum*, coram bon. mem. Cardinale Seraphi-
no, tunc Rotæ Auditore, die 9. Iunij, 1567. & iterum
in causa Calagurritana præeminentiarum, die 6. No-
uembris, 1600. coram D. Iusto.

Nec refert, quòd ista Crux non deferatur, tanquàm Crux Abbatis; sed tanquam Parochialis, cuius Abbas est beneficiatus. Quia satis est nunc præcisè respondere ad dubium, Crucem Collegiatæ deferri in digniori loco, quàm Crucem aliarum Ecclesiarum. Quid autem inde consequatur, suo loco videbitur. Nec informantes pro collegiata prædendunt, istum Abbatem habere dignitatem Abbatiæ perpetuam cum sua dote, cùm probè sciant, hunc assertum Abbatem vocari. Vnde pro parte Collegiatæ fuit allegatum, Crucem Collegiatæ habere digniorem locum Cruce Ecclesiæ, vbi hic Abbas est beneficiatus. Itaque informantes pro Collegiata libenter acceptabant, quod asserebant informantes pro Abbate, & beneficiatis Parochialium, quòd iste Abbas, tanquàm talis, nec habet, nec defert Crucem, cùm solùm deferat Crucem Parochialis, vbi est beneficiatus

CORAM EODEM.

In eadem, Lunæ, 15. Februarij, 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summariis colligitur.

SVMMARIVM.

1 *Collegiatæ præferuntur Rectoribus, & beneficiatis Parochialium.*
2 *Dignior locus ducitur altior.*

DECISIO II.

COncordato in hac causa dubio cum procuratoribus Prioris, & Canonicorum Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris, & Abbatis, & beneficiatorum ciuitatis Hispalen. an ex testibus remissoriæ Collegiatæ Sancti Saluatoris probaretur, duos Canonicos habuisse sedem in Choro Cathedralis; non autem Abbatem, & beneficiatos; & casu, quo probaretur, eos habuisse sedem, an eam habuerint in loco digniori, quàm Abbas, & beneficiati parochialium Hispalen. eóque vtraque parte informante proposito, Rota censuit, probari, duos Canonicos Sancti Saluatoris habuisse sedem in Choro digniorem sedili Abbatis, & beneficiatorum: quia ex dictis testium patebat, duos Canonicos prædictæ Ecclesiæ Collegiatæ habuisse sedem in Choro Cathedralis, videlicet, vltimam in quolibet Choro, post vltimos dimidios portionarios; sic enim testificabatur tertius, & octauus, & nonus testes; addentes prætereà, se nunquam vidisse Abbatem sedere in dicto Choro, sed potius ipsum, & beneficiatos sedere in quodam alio sedili, seu banco inferiori, in quo
1. sedent alij Clerici, & Capellani. Quod videtur iuri consonum: quia Collegiatæ præferuntur Rectoribus, & Beneficiatis Parochialium. Boër. *tract. de authorit. magn. Concil. num.* 83. Chassan. *in Catal. glor. mund. p.* 4 *considerat.* 38.

Rursus, cùm ex eisdem testibus pateret, duos Canonicos sedere solitos in Choro post vltimos dimidios Portionarios, qui sedent in loco altiori, quàm Clerici,
2. & Capellani, consequenter dicebantur tenere locum digniorem, & honoratiorem. Alberic. *consil.* 556, *n.* 6.

CORAM EODEM.

In eadem, Mercurij, 9. Iunij, 1610.

ARGVMENTVM.

Ex Summariis colligitur.

SVMMARIVM.

1 *Testes duo de visu sufficiunt ad probandum.*
2 *Sententia inter alios, si sit lata existente legitimo contradictore, magnum præstat adminiculum.*
3 *Negatiua probatur per testes deponentes, quod aliter esse non potuisset, quin ipsi sciuissent.*

DECISIO III.

VTraque parte informante, Rota censuit, probari Canonicos S. Saluatoris consueuisse deferre cappas nigras in Choro: secus verò Abbatem, & beneficiatos Parochialium Ecclesiarum. Nam [illegible] Canonicorum, quòd tempore Aduen[illegible] [illegible]
1. gesimæ deferrent cappas nigras, affir[illegible] testes de visu à 20. 30. & 40. annis & [illegible] tamen duo sufficerent, *l. Vbi numerus. ff. de testib.*

T[illegible]bus ac[illegible]debat [illegible] R[illegible]'s super huiusmodi delatione, iam sup[illegible] 3[illegible]nnos lata, quæ, licèt non esset pronunciata in cau[illegible]a cum [illegible]bate, cùm tamen esset Rotalis, & lata exist[illegible]timo contra- 2.
dictore ipsa videlicet, Ecclesia Cathedr[illegible], magnum præstabat adminiculum prædictis testibus, & veritati.

Respectu Abbatis, & beneficiatorum Ecclesiarum parochialium, quod non consueuerint deferre huiusmodi cappas nigras, testificabatur etiam plures testes, ex quibus aliqui addebant, quod aliter esse non potuis-
set, quin ipsi sciuissent: hinc enim remanebat probata 3.
negatiua. Paris. *consil.* 19. incip. *Consideratis conietturis. num.* 21. & 23. *lib.* 3. Ruin. *consil.* 145. incip. *Absque multiloquio. n.* 2. *lib.* 5. Et licèt Beneficiati deferre consueuerint cappas in processionibus, non præiudicat Canonicis: quia testes declarabant modum, & qualitatem, affirmantes, beneficiatos necessarios pro delatione baculorum baldachini, sub quo Reliquiæ deferuntur, incedere cum cappis sericis........ & planetis ad exhibendum seruitium requisitum. Ideò, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 3. Decembris, 1610.

ARGVMENTVM.

Abbas, vt dicatur habere dignitatem, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Dignitas, ex quibus indiciis dignoscatur.*
2 *Abbatis nomen præsefert dignitatem.*
3 *Dignitatem ad constituendam non sufficit solum nomen, nisi etiam prærogatiua concurrant.*

DECISIO IV.

INter alias contentiones beneficiatorum Ecclesiarum parochialium ciuitatis Hispalen. contra Canonicos Collegiatæ S. Saluatoris eiusdem ciuitatis, hæc etiam deducebatur; quod beneficiatus, quem Clerici pro capite Vniuersitatis sibi eligunt: & vulgò nuncupatur Abbas, ratione prædictæ dignitatis abbatialis esset præferendus Canonicis Collegiatæ in processionibus, & actibus, quos simul inire contingit. Et cùm pro parte Collegiatæ id negaretur, dubitatum, an constaret, beneficiatum ita electum in Abbatem, non habere ecclesiasticam dignitatem abbatialem ad prædictum effectum. Et Rota (informante solùm Col-
giata Sancti Saluatoris) non esse dignitatem censuit: 1.
quia non concurrebant in eo tria signa requisita ad dignitatem constituendam.

Primò, quod haberet administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione sibi perpetuò assignatam. Alterum, quòd haberet nomen dignitatis, & prærogatiuas in Ecclesia tam in Choro, quam in Capitulo, licet non haberet veram administrationem, vel iurisdictionem. Tertium, quòd ex Ecclesiæ cõsuetudine haberetur pro dignitate. Archidiaconus *in c.* 1. *n.* 2. *de consuet. lib* 6. quē ibi refert, & sequitur Geminian. *n* 7. Silu. *in tract. de benef. p.* 1. *q.* 2 *r.* 42. Aret. *con.* 13. incipit *In præsenti consultatione n.* 1. & *multis seqq.* Papaz. *in addit. ad. decis.* 9. Rota *de preb. in nou. super verbo, Dignitas.* In casu proposito, testes deponebant, quod nullam habebat iurisdictionē, aut præeminentiam, nisi inter eosdem beneficiatos ad ordinandum, quid esset faciendum inter eos, & consequenter non erat dignitas: & maximè cùm pro non dignitate reputaretur.

Nec

2. Nec refert, quod Abbatis nomẽ præ ſeferat dignita-
tem, & Abbatia dicatur dignitas. Fel. *in c.2. in princi-
pio, de iudiciis.* Dec. *in repet. c. Decernimus. n.10.* & 12.
de Iudiciis, vbi Rip *n.30.* & *ſeq* teſtatur de commu-
3. ni: quia id non prouenit à ſula nominatione; ſed ab ef-
fectu, id eſt, à prædictis requiſitis concurrentibus ad
veram dignitatem. Neque enim ſufficit ſolum nomen,
niſi vlteriùs prærogatiua concurrat. Hoſtien. *in c. De
multa. n.11. verſ. Sed nec eſt. de præb.* Anchar. *in Clem.
ſi dignitatẽ. n.1. verſ. A nomine autem. eod. tit.* Iaſ. *conſ.*
192. incipit: *In præsẽti conſultatione. n.25 verſ. Ex om-
ni ergo lib.2.* latè Decian. *conſ.19.* incip. *Quoad primum
dico. n.119.* & 120. *lib.3.* & maximè quia in multis lo-
cis, ſimplices, & Clerici vocantur Abbates; & tamen
notum eſt, nullam eos habere dignitatem. Idcò, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 1. Iulij, 1611.

Abbas vt dicatur habere dignitatem, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Dignitas ex quibus dignoſcatur.*
2 *Dignitatem an & quando habere dicatur deputatus pro capite perſonarum eccleſiaſticarum.*
3 *Collegium non conſtituitur ex ſolis Clericis, niſi adſint alia requiſita, de quibus remiſſiuè.*
4 *Abbatis nomen ſonat in dignitatem, & Abbatia dicitur dignitas.*
5 *Dignitas non prouenit à ſola nominatione; ſed ab effectu, qui colligitur ex exercitiis.*
6 *Dignitatem ad dignoſcendam, non ſolùm nomen; ſed ſubſtantia inſpicienda eſt.*
7 *Abbas non habens adminiſtrationem perpetuam cũ iuriſdictione, non dicitur habere dignitatem.*
8 *Abbates de iure communi præcedunt Canonicos Cathedralis Eccleſia.*
9 *Dignitatem habere non dicitur habens nudum nomen abſque præeminentia inter alios in Choro, & Capitulo.*
10 *Dignitas illa cenſetur, quæ communiter reputatur pro dignitate in loco, & Eccleſia: quamuis de iure communi pro tali non haberetur, & è contra.*
11 *Dignitatem non habet, qui non eligitur a Collegio; ſed ab aliis perſonis adminiſtratione, & iuriſdictione carentibus.*

DECISIO V.

DIe 3. Decembris, 1610. Collegiata S. Saluatoris
ſolùm informante, fuit in hac cauſa deciſum, be-
neficiatum, quem Clerici pro capite Vniuerſitatis ſibi
eligunt, qui vulgò dicitur Abbas, nec eſſe, nec habere
dignitatem. Cæterùm, quia pro parte beneficiatorum
prætendebatur, recedendum eſſe à deciſis: vtraque
parte informante iterum cauſa propoſita, Rota in de-
ciſis manſit ex eiſdem rationibus, & potiſſimùm ex eo,
quòd non concurrebant tria requiſita ad conſtituendã
1. dignitatem, videlicet, quòd haberet adminiſtrationem
cum iuriſdictione; quod haberet nomen dignitatis; &
prærogatiuas, tã in Choro, quàm in Capitulo; & quòd
ex Eccleſiæ conſuetudine haberetur pro dignitate.
2. Nec obſtabat, quòd concurreret requiſitum admi-
niſtrationis, cùm Abbas iſte deputetur pro Capite be-
neficiatorum. Gloſſ. *in cap. Cùm ab Eccleſiar. in verb.
Eccleſiaſtica. in fine, verſ Et illum dico Prælatum. de
offic. Ordin.* Quia fuit reſponſum, quòd cùm iſte Ab-
bas deputetur pro Præſide, & velut Capite beneficia-
torum non facientium Collegium, prout ſequitur
Gloſſ. *in d. cap. Cùm ab Eccleſiarum.* de conſtituto ab
Epiſcopo, Abbas ab eis deputatus non conſequitur
dignitatem: nam non ſufficit, quod adſint Clerici in 3.
Eccleſia, vt faciant Collegium, niſi concurrant re-
quiſita ad conſtituendum Collegium, de quibus
fuit latè dictum *in Verulana Abbatia*, die 11. Martij,
1602. coram me.
Et licèt nomen Abbatis ſonet in dignitatem, & 4.
Abbatia dicatur dignitas. Felin. *in cap. 2. in pri. c. de
iudic.* Dec. *in cap. Decernimus. n.10.* & 12 vbi Rip. de
communi *num.30.* & *ſeq eod. tit.* tamen hoc non pro- 5.
uenit à ſola nominatione, ſed ab effectu, qui colligitur
ex exercitiis. Anchar. *in Clem. Si dignitatem n.1 verſ.
A nomine autem de præbend.* Silu. *in tract. de benefic.
p.1. q.2. n.37. verſ. A nomine autem.* Quia ad digno- 6.
ſcendum, an ſit dignitas, non ſolùm nomen, ſed
ſubſtantia inſpicienda eſt. Hoſtien. *in cap. de multa.
n.11. verſ. Sed nec. eſt de præbend.*
Quòd autem hic non ſit verus Abbas, & cum effe- 7.
ctu, patet: quia non habet adminiſtrationem perpe-
tuam cum iuriſdictione. Aretin. *conſil.* 23. incip. *In
præſenti conſultatione. num.5.* & 6. Anchar. *in d. Clem.
Si dignitatẽ. n.1. verſ. A nomine autem. de præbend.* Su-
pradictis accedebant teſtium depoſitiones, affirman-
tium, Canonicos Cathedralis Eccleſiæ in deambulan-
do illum præcedere: & tamen veri Abbates de iure 8.
communi præcedunt Canonicos Cathedralis Eccle-
ſiæ. Bald *in cap. Paſtoralis. n.3. verſ. Extra quæro.* &
ibi Felin. *n.9. de offic. delegat.* Dec. *conſil.61.* incip. *Pro
D. Præpoſito. n.1.*
Addebant prætereà teſtes, hunc Abbatem, nec ha- 9.
bere præeminentiam inter alios in Choro, & Capitu-
lo; & propterea non poterat dici dignitas. Boër *deciſ.*
286. incip. *Præſuppono, quod in Eccleſia Cathedrali.
n.9.* Nec in Eccleſia reputari pro dignitate: quod ma-
gni momenti erat contra prætenſionem iſtius Abbatis,
& beneficiatorum, quia, ſicut illa cenſetur dignitas, 10.
quæ communiter reputatur pro dignitate in loco, &
Eccleſia, quamuis de iure communi pro tali non ha-
beretur. Ionoc. *in cap. De multa. n.6. de præbend* vbi
communiter Hoſtien. Ioan. Andr. & alij. Rot. *deciſ.9.*
incip. *De theſauraria. prope fin. de præb.* & *deciſ.4.* in-
cip. *Fuit dubitatum. n.2.* & *ſeq. de elect. in. non.* Sylu *in
tract. de benef. d. q.2. n.36. verſ. Item, ſecundum eũ Ab-
batem.* Ita è conuerſo, illa cenſeri debet non dignitas,
quæ pro non dignitate reputatur, licèt habeat nomen
quod de iure cõmuni videatur ſonare in dignitatem.
Et eò minùs iſte Abbas cenſeri debet habere dignita- 11.
tem: quia non eligitur à Collegio, ſed à beneficiatis
adminiſtratione, & iuriſdictione carentibus. Gemin.
*in cap.1. num.9. verſ. Si non ſunt. & verſ. Item, non eſt
ſignum. de conſuetud. lib.6.*

CORAM EODEM.

In eadem, Lunæ, 24 Octobris, 1611.

ARGVMENTVM.

Habens nomen Abbatis, abſque dignitate non præfertur Canonicis Collegiatæ, ſed illis cedit.

SVMMARIVM.

1 *Abbas non habens aliquod ex tribus ſignis ad dignitatem conſtituendam requiſitis, non eſt propriè & verè Abbas; ſed abuſiuè, & impropriè*

Abbas vocatur, ac quandam ventosam dignitatem repræsentat.

2 *Canonicus Ecclesiæ Cathedralis debetur maior honor, & præeminentia, quam Canonicis Collegiatæ.*

3 *Abbas Canonicis præfertur, & quando.*

DECISIO VI.

POst multa alia dubia in hac causa proposita, & decisa, dubitaui, an de iure communi competeret præcedentia Canonico Collegiatæ, vel potiùs Abbati, de quo agebatur: & Rota, Collegiata solùm informante, Canonico competere præcedentiam censuit, Nam, omissa disputatione, quibus magis de iure præcedentia debeatur, Canonicis, an Abbatibus, (ista enim inspectio non pertinebat ad hoc institutum strictè, & præcisè loquendo, respectu huius Abbatis, & Canonici Collegiatæ,) dubitatio fuit visa leuis ex deductis in decisionibus huius causæ, & signanter in

1. vltima. Nam, cùm iste Beneficiatorum Abbas non haberet dignitatem Abbatialem; ex quo non reperiebantur in eo tria signa ad dignitatem constituendam requisita, videlicet, administratio rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione; nomen dignitatis, & prærogatiua, tam in Choro, quam in Capitulo: & quòd de consuetudine Ecclesiæ haberetur pro dignitate; consequenter non erat propriè, & verè Abbas licèt impropriè, & abusiuè Abbas vocaretur, ex quo quandam ventosam dignitatem repræsentabat. Nec obstabat, quòd contenderetur de præcedentia cum Canonico Ecclesiæ Collegiatæ, non cum Canonico Eccle-

2. siæ Cathedralis, inter quos est magna differentia: cùm maior præeminentia, & honor debeatur Canonicis Cathedralis quam Collegiatæ, Felin. *in cap. Postulasti, num. 4. vers. Fallit tertiò. de rescript.* Chassan. *in Catal. glor. mund. part. 4. consider. 32.* quasi quòd propterea huiusmodi Abbas Canonico simpliciter Collegiatæ

3. præferri debuisset: quia fuit dictum, quòd Doctores affirmantes, Abbatem Canonico præferri debere, intelligendi sunt de vero, & formali Abbate habente tria prædicta signa; non autem de Abbate ventoso, seu nomen Abbatis impositum habente, qui cùm in hoc casu concurreret cum vero Canonico Ecclesiæ Collegiatæ, ei cedere oportebat.

CORAM EODEM.

In eadem, Lunæ, 4. Iunij, 1612.

ARGVMENTO non indiget.

SVMMARIVM.

1 *Abbatis nomen habens, absque dignitate, non præfertur Canonicis Collegiatæ, sed eis cedit.*

DECISIO VII.

IN hac propositione causa proponebatur super dubio deciso contra Abbatem beneficiatorum sub die 24. Octobris, 1611. in quo quærebatur, an de iure communi competeret præcedentia Abbati, vel Canonico Collegiatæ: tunc enim omissa disputatione, cui magis de iure communi præcedentia debeatur, nam ista inspectio non pertinebat ad hoc institutum; strictè respectu huius Abbatis, & Canonici Collegiatæ, sola Collegiata informante, fuit resolutum pro Canonico. Vnde, quæ in hac propositione deducebantur ad persuadendum, quod de iure communi præcedentia competeret potiùs Abbati, erant extra dubium; & ideò Domini permanserunt in decisis, quòd huic Canonico, & non isti Abbati deberetur præcedentia. Et nunc addebatur, Abbatem istum nullam habere dignitatem, sed esse tantùm quendam Beneficiatum Abbatis nomine intitulatum, electum à Clericis istius Vniuersitatis, quibus præest in Capitulo, & Congregationibus, quæ ab ipsis fiunt; & in anniuersariis, pro quibus celebrandis conueniunt in diuersis Ecclesiis ciuitatis Hispalensis; vbi, licèt silentium indicat, & aliquam leuem mulctam imponat his, qui vel serò veniunt, vel silentium non seruant, aut alia similia committunt; cùm tamen aliam superioritatem, vel iu- 1.
risdictionem, administrationem, vel prærogatiuam de iure non habeat; non potest verè dici habere dignitatem Abbatialem, quamuis habeat nomen dignitatem præseferens: & consequenter potiùs videbatur similis Prioribus Confraternitatum, quorum nomen licèt dignitatem sonare videatur; non tamen est dignitas. Et ex his Domini manserunt in decisis. Cæterùm, quia ex deductis nunc pro isto Abbate, & ex sententia Ordinarij, quæ edebatur in hac propositione, in qua isti Abbati dabatur prima sedes in Choro ad manum dexteram, & sic præcedentia respectu istorum Canonicorum in Capitulo, & Choro. Ideò vt veritas inueniatur, & ius suum vnicuique tribuatur, de istis erit particulariter videndum; scilicet, an ex nunc deductis iste sit, & dici possit verus Abbas, & an sibi præcedentia debeatur indistinctè in omnibus actibus, vel solùm in istis tantùm locis, videlicet, in Capitulo, & Choro; non autem in aliis actibus specialiter non spectantibus ad ministerium Clericorum illius Vniuersitatis.

EMIN. D. CARD. PAMPHILIO Iuniore.

Hispalen. nuncupationis Abbatis maioris, Veneris, 27. Nouembris, 1615.

ARGVMENTVM.

Abbas intitulari an quis possit, non habens requisita ad dignitatem abbatialem.

SVMMARIVM.

1 *Lite pendente quis turbari non debet in eius quasi possessione; sed manutenendus est in statu, in quo reperitur de tempore motæ litis.*

2 *Quasi possessionem iurium incorporalium ad acquirendam, requiritur scientia eorum, quibus præiudicari potest.*

3 *Abbatis nomen in iure diuersimodè accipitur.*

4 *Manutentionis in iudicio sufficit sola possessio, seu quasi, de tempore motæ litis.*

5 *Iure proprio, non autem facultatiuo, quando aliquid fieri censeatur.*

6 *Episcopus potest corrigere excessus subditorum, & improba prohibere.*

DECISIO VIII.

FVit resolutum, Abbatem esse manutenendum, vt ipse possit intitulari à semetipso, & ab aliis Abbas maior: quia testes pro eius parte examinati benè deponunt,

ponunt, quod in Ciuitate Hispalensi adest vniuersitas beneficiatorum, per quos ab immemorabili tempore simul congregatos in eorum Superiorem eligi consueuerit vnus ex ipsorum gremio, qui fuit semper nuncupatus Abbas maior; & quòd ita electus, & nuncupatus fuit Abbas modernus à beneficiatis prædictis, & ab aliis communiter, qui propterea, litè
1. pendente, in eius quasi possessione turbari non debet; sed manuteneri in eo statu, in quo reperitur de tempore motæ litis, *cap. Cum Ecclesia* & *ibi* Doct. *de caus. possess. & propriet.* Couar. *pract. q. c. 17. sub n. 5. in fin. & n. seq.* cum aliis adductis per Rot. coram Seraph. *decis.* 1437. *n.* 1.

Quod eo facilius visum fuit admittendum: quia in pluribus antiquissimis priuilegiis Regum Hispaniarum reperitur nuncupatus Abbas beneficiatorum, provt & dictus Abbas modernus nuncupatus fuit Abbas maior per Vicarios generales, & alios Officiales Archiepiscopi, necnon per Nuncium apostolicum, cum iuribus pro eius parte datis: ex quibus iunctis saltem cum supradictis testibus de diuturna, & communi denominatione deponentibus, satis visum fuit constare de scientia Archiepiscopi. Aretin. *cons.* 11. *n.* 5. *vers. Ex his infertur.* Capic. *decis.* 69. *num.* 18. cum aliis adductis per Rot. *in causa Hostien. littoris maris,* relata inter impressas *decis.* 28. *num.* 7. *part.* 1. *diuers.* ac
2. etiam de scientia aliorum, quibus dicta nominatio præiudicare potuisset provt in iuribus incorporalibus ad acquirendam quasi possessionem requiritur. Rip. *in d. cap. Cùm Ecclesia, n.* 64. *de caus. possess. & propriet.* cum aliis allegatis.

Nec obstat quòd iste non sit propriè Abbas, ex quo non habet dignitatem abbatialem, ex deductis coram
3. bon. mem. Penia, sub die 24. Octobris, 1611. Quia vltra quòd istud nomen, *Abbas,* in iure diuersimodè accipitur, ita vt etiam electus à beneficiatis pro eorum superiore dici possit Abbas, ex traditis per Alciat. *in l. 1. sub n. 2. C. de in ius vocan.* & *in l. Collegiorum. n.* 4. *ff. de verb. significat.* Card. *in Clem. Attendentes. §. Statuimus. sub n. 2. vers. Quintò quæro de stat. Monach.* Placuit etiam responsio, quod cùm ex *supra* deductis satis constet de nominatione prædecessorum, ac etiam de quasi possessione Abbatis moderni, is est in
4 ea manutenendus, non obstante huiusmodi exceptione, de qua agendum erit in petitorio; non autem in hoc iudicio summariissimo, in quo sufficit sola possessio, vel quasi, de tempore motæ litis, §. *Retinendæ. Instit. de interdict.* Couar *pract. q. d. cap. 17. n. 5.* & sic sæpiùs fuit decisum.

Minùs obstat, quòd fuit in facultate Archiepiscopi, huiusmodi denominationem vti improbam prohibere, & propterea non possit contra eum quoad hoc considerari status quasi possessionis. Quia fuit responsum, quòd cum iste vti electus à beneficiatis pro seorum Superiore fuerit semper nuncupatus à semetipso, & ab aliis Abbas maior, provt denominati fuerunt eius prædecessores; id per eum censeri debet factum iure proprio; non autem iure facultatiuo, ad tradita per Rip. *in d. cap. Cùm Ecclesia num.* 52. *&* 55. *de caus. possess & propriet.* Et licèt Archiepiscopus possit semper corrigere excessus subditorum & improba prohibere, *iuxta decis.* 306. Caputaq. *par.* 1. ista tamen denominatio, nondum constat, quòd sit talis; imo satis de contrario apparere visum fuit ex electione, & cõmuni denominatione, cum aliis supra deductis. Et ita decisum quoad seipsum, & alios volentes ita cum nuncupare. An autem possit alios cogere, ad eum ita nominandum, D D. voluerunt, quod particulariter videatur.

EMIN. D. CARD. LANCELlotto seniore.

Aquen. Monasterij, 31. Maij, 1568.

ARGVMENTVM.

Abbatia, an, & quando dicatur dignitas, ad effectum, vt minori 25. annorum conferri possit.

SVMMARIVM.

1 *Dignitatis nomen nulla ecclesiastica officia, præter Episcopatum, & superiores dignitates, importat.*
2 *Archidiaconatus, & Archipresbyteratus in Cathedrali, quamuis careant cura & iurisdictione, dicuntur dignitates.*
3 *Abbatia si careat cura, & conuentu, non potest propriè dici dignitas.*
4 *Præpositura habet eandem dignitatem, sicut Abbatia.*
5 *Præpositura si careat cura, & conuentu, non vocatur dignitas.*
6 *Prioratus est dignitas, sicut Abbatia.*
7 *Prioratus, si caret cura, & conuentu, non dicitur dignitas; & conferri potest minori quatuordecim annorum.*
8 *Abbatia, inspecta eius origine, est potius nomen sollicitudinis, quam honoris.*
9 *Dignitas an dari possit sine cura.*

DECISIO IX.

Conclusum fuit, Abbatiam, quæ caret cura, & conuentu, non requirere ætatem maiorem vigintiquinque annorum; quia de iure communi nulla 1.
nomina officiorum ecclesiasticorum præter nomen episcopatus, & superiorum dignitatum, sonant in nomen dignitatis nisi Archidiaconatus, & Archypresbyteratus existentes in Ecclesia cathedrali, quæ sola duo officia, licèt careant cura, & iurisdictione, dicuntur di- 2.
gnitates, vt per Rot. *decis. 9. de præbend. in nou.* Pro regula notat Imol. *in cap. De multa num. 40. de præbend.* Aret. *cons. 23. col. 2. vers. Secundo præmitto.* Boër. *decis.* 286. *num.* 3.

Abbatia autem, si careat cura, & Conuentu, non 3.
potest propriè dici dignitas: quia in ea saltem sufficit præeminentia, ob quam vocatur dignitas. Imol. *in Clem. 1. n. 5. de rescript.* & ibi Cardinal. *num.* 3 Staphil. *de liter grat fol. 57. col. 2. in princ. secundùm antiquam impressionem.* Bald. *in cap. Pastoralis. in princ. n. 7. de offic. delegat.*

Propterea Præpositura, quæ habet eandem digni- 4.
tatem, sicut Abbas, vt notat Abb. *in cap. Cùm illorum. col. 3. num. 13. vers. in Gloss in verb. Abbatem. de sent. excommun.* Syl. *de benefic. q. 2. num.* 38. Dec. *cons.* 161. *col. 1. vers. Quarto, facit.* & *in cap. Decernimus, col. 3. vers. Et quod dictum, de iudic.* Chassan. *de glor. mund. part. 4. consider.* 36. si caret cura & conuentu, non vocatur dignitas Federic. *consil.* 135.

Sicut etiam videmus in Prioratu, qui, licèt aliàs sit 5.
dignitas, sicut Abbatia, Doct. *in cap. Nullus num. 6. vers. in fine* Gloss. *de elect. in 6* Felin. *in cap. 1. super. in 2. notab. de maiorit. & obed.* Rip. *in cap. 2. num. 30. de iudic.* Silua. *in d. quæst. n.* 39. Chassan. *in d. consider.* 36. Archidiac. *in cap. 2. col. 2. in princ. vers. Scias. de præbend. in 6.* & *ibi* Ioan. Andr. *col. 2. vers. Sed hoc.* Gem. *ibid. col. 2. num. 10. vers. Super secundo.* Card. *in Clem. q. 7. de rescript.*

7. Si tamen caret cura, & Conuentu, non dicitur dignitas, vt post Hostien. notat Abb. *in cap. Nisi essent. n.6. in fin. de praebend.* Imol. *in Clem. Etsi principalis. num. 21. de rescript.* & *ibi* Vitalin. *n.14.* & potest conferri minori quatuordecim annorum. Vitalin. *in Clement. 1. §. Caeterum. n.4 cum seqq. de stat. regular.* Federic. *consil. 49. n. 132.*

8. Hinc dicitur, quod Abbaria, inspecta eius origine, est potius nomen sollicitudinis quam honoris, vt dicit Gloss. *in cap. Tuam. verb. Non ascendat.* vbi Innoc. *in fin.* & Abb. *num. 3. ver. In eo. de aetat. & qualit.* &

9. Gloss. *in c. Accedens. verb. Abbatem. 50 distinct.* Et ex his respondetur ad id, quod in contrarium adducebatur, scilicet, quod possit dari dignitas, licèt careat cura, vt per Aret *d. cons. 23* Boër. *d. quaest. 286. num. 5.* Card. *cons. 30. col. 2. vers. Item est dare.* Capel. Tolos. *decis. 13.* Nam praedictae authoritates expressè praesupponunt, illam dignitatem habere praeeminentiam in Choro, quae praeeminentia cessat in hac Abbatia, quae caret, nedum cura, sed Conuentu: & ita etiam praesupponit Rip. *in d. cap. Decernimus. num. 3.* & ita etiam procedit *cap. 1. de aetat. & qualit. in 6.* quia intelligitur de Abbatia habente Conuentum propter quem vocatur dignitas. Et *cap. 1. extr. eod.* vbi etiam loquitur de Praepositis, & Decanis: quia semper intelligitur, existente Conuentu, per supradicta, ex quo generaliter loquitur, & ne contrarietur naturae, & substantiae dignitatis Abbatialis. Referuarunt tamen Domini consuetudinem, vel communem reputationem, si quae forsan adesset, quae hanc Abbatiam carentem cura, & Connentu efficeret dignitatem.

R. P. D. PENIA.

Tudertina Parochialis, seu prioratus, 7. Februarij, 1597.

ARGVMENTVM.

Prioratus an, & quando censeatur dignitas.

SVMMARIVM.

1 *Prioratus habens Conuentum censetur dignitas actu & habitu.*

2 *Prioratus saecularizatus carens Conuentu, & Clericis saecularibus, Commendatus, non censetur dignitas actu, sed habitu; potest tamen facilè in actum transire.*

DECISIO X.

Proposito dubio, an beneficium, seu Prioratus, de quo agebatur, esset dignitas, ad effectum, vt quando vacat, concursus fieri, vel non fieri debeat coram Ordinario Tridentino: Rota, vtraque parte informante, duo tempora distinguenda putauit, à primaeua illius erectione vsque ad annum 1523. quo tempore constabat, hunc Prioratum S. Nicolai de Griptis, ciuitatis Tudertinae, fuisse Regularem Ordinis S. Benedicti, habuisseque Priorem, & Conuentum constituentem Capitulum, qui & Nouitios ad habitum Religionis suscipiebat, & negotia ad Conuentum spectantia capitulariter expediebat: & toto isto tempore cen-
1. suit, fuisse dignitatem actu, & habitu, *Clem. Ne in agro de stat. regular.* Abb. post alios *in cap. Nisi essent. num. 6* & *in cap. de multa. num. 23. de praebend.* Gloss. *in Clem. Etsi principalis. in verb. Conuentual.* & ibi Bonif. Vitalin, *n. 5. & 14. de rescript.* Rebuff. *super cancord. §. In Monasterijs. in verb. Prioratibus. vers. Nota, quod si v.*

Alterum tempus erat ab anno 1523. vsque ad praesens, quo primùm Clemens Papa VII. illum coeperat Clericis saecularibus in commendam conferre, ac paulatim desierunt in eo habitare Monachi, qui Conuentum, & Capitulum constituerent; & respectu huius temporis Rota pronunciauit, eundem Prioratum de-
fiisse quidem esse dignitatem actu: quoniam nec Prior regularis, nec Conuentus Monachalis aderat ampliùs, in quibus potissimum in hac materia consistit ratio dignitatis, vt patet ex praedictis; remansisse tamen dignitatem habitu, qui facilè posset in actum transire, quando Prior, & Monachi in eandem Ecclesiam reuerterentur, & Conuentum, & Capitulum constituerent, *iuxta cons. Ias. 77. incip. In praesenti consultatione, lib. 1.* 2.

An autem ad praedictum effectum concursus faciendi, vel non faciendi coram Ordinario, satis esset, Prioratum fuisse tantùm dignitatem habitu, non actu; placuit Rotae, vt consuleretur Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum.

EMIN. D. CARD. HIERONYMO Pamphilio.

Portugallen. Vnionis, Veneris, 23. Iunij, 1595.

ARGVMENTVM.

Agitur de iustificatione Breuis, per quod Abbatia Commendata restituitur, & vnitur Congregationi, & Abbas triennalis ei praeficitur; ac bona ad mensam Abbatialem spectantia alteri Ecclesiae applicantur.

SVMMARIVM.

1 *Sententia appellatione non suspensa transit in iudicatum.*

3 *Vnitum transit cum omnibus bonis in id, cui vnitur & n. 10.*

4 *Verba vniuersalia comprehendunt omnia, & suam retinent significationem, etiam in materia stricta, & odiosa.*

5 *Monasterij appellatione veniunt domus, cum horto, & caetera, quae intra septa eiusdem Monasterij consistunt.*

6 *Habitare simul non decet duos diuersi Ordinis.*

7 *Visitatoris pro relatione multum praesumitur.*

8 *Abbas triennalis videtur suffectus loco Prioris claustralis.*

9 *Abbates titulares perpetui, & commendatarij habent Praelaturam, & dignitatem.*

11 *Metum allegans tenetur probare.*

12 *Reus, & possessor potest excludere actorem ex non iure ipsius.*

DECISIO XI.

Henricus clar. mem. Cardinalis Legatus, & Rex Portugalliae, in executione Litterarum Gregorij XIII. fel. recor. per suam sententiam restituit Monasterium S. Saluatoris de Paxo de Sousa, Ordinis S. Benedicti Portugallensis dioecesis, aduersus suppressiones de illo, & eius Conuentu, & mensa conuentuali factas; remanente tamen valida suppressione quoad Abba-

Abbatiam perpetuam, & illius mensam commendari solitam Clericis sæcularibus, & Monasterium cum omnibus, & singulis dictæ mensæ Conuentualis fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, & obuentionibus vniuit, & incorporauit Congregationi reformatæ eiusdem Ordinis S. Benedicti, regendi de cætero per Abbatem triennalem, iuxta eiusdem Congregationis regularia Instituta, fructus verò, redditus, prouentus, prædia possessiones, decimas, bona, iura, patronatus, iurisdictiones, & emolumenta quæcunque mensæ Abbatialis, & ad eam in solidum quomodolibet spectantia, & pertinentia, applicauit Collegio S. Spiritus ciuitatis Elborensis, exceptis Patronatibus Vicariæ Ecclesiæ dicti Monasterij, & Ecclesiæ de Padorido, illi annexæ, cum quibusdam aliis bonis, quæ à mensa Abbatiali separauit, & dictæ Mensæ Conuentuali pro vsu, & manutentione fabricæ dicti Monasterij, cæterisque aliis oneribus supportandis, applicauit cum decreto, quod bona Collegio applicata sint libera, & exempta ab omni superioritate, & iurisdictione Abbatis, & Congregationis præfatæ iuxta formam litterarum in forma breuis sub datum 17. Maij. 1578. desuper expeditarum.

Quæ sententia, sumpta priùs de omnibus per medium Doctoris Ioannis Paëz ad hoc deputati super loco ipso, diligenti informatione, ac testibus ibidem interrogatis præsentibus partibus, & instantibus, quòd procedatur ad executionem Breuis, lata fuit, & executioni demandata, ac pacificè per partes obseruata per annos septem circiter; donec vixit præfatus Henricus Cardinalis: quo mortuo, & inde ad nonnullos annos Abbas, & Monachi prædicti Monasterij prætendentes, litteras præfatas non fuisse plenariè executioni demandatas, habuerunt recursum ad Sanctissimũ, qui post multa remisit illos ad Congregationem Illustrissimorum Dominorum Cardinalium super consultationibus Episcoporum, & Regularium, à qua negotium huiusmodi videndum, & referendum, demandatum fuit Illustrissimo D. meo Cardinali Cusano, qui voluit super aliquibus dubiis Rotam consulere.

Vnde dato dubio, an stantibus hinc inde deductis, Litteræ Gregorij XIII. sint in aliquo hodie exequendæ, & in quo, & dicta quantitas pro nunc restricta per informantes ad domum abbatialẽ cum pomario, iuxta illam existente, & ad personatus Ecclesiarum, & iurisdictionem confirmandi Iudicem pro causis ciuilibus incolarum dicti loci: Domini resoluerunt Litteras fuisse, quoad prædicta bene executas, nec esse in aliquo exequendas.

Nam quantum ad domum cum pomario, non probatur quod Monachi in ea de tempore dismembrationis, haberent aliquod ius, nec quod essent de mensa conuentuali, prout Monachi tenentur probare, cùm Collegium habeat suam intentionem fundatam in
1. processu & sententia Cardinalis, quæ nulla appellatione suspensa in rem transiuit iudicatam. *l. Res iudicata. ff. de reg. iur.* Butr. & alij *in c. Quoniam contra. de probat.* cum aliis per Gabriel. *conclus. 4. & 6. de sent.*
2. præsertim concurrente possessione Collegij, & taciturnitate Monachorum per septennium, & vltrà Alex. *cons. 30. n. 7 lib. 5.*

Et tanto magis, quod ex informationibus sumptis per Doctorem Paëz, & testibus per ipsum examinatis satis constat, mensam abbatialem habuisse ædes abbatiales cum suo pomario, & area. & consequenter
3. per vnionem factam Collegio transisse cum omnibus aliis bonis in ipsum Collegium, ad not. Oldrad *cons. 257. sub n. 16.* Sarn. *in regul. de triennal. q. 8.* maximè, cùm Litteræ Gregorij loquantur de bonis, iuribus, &
4. emolumentis quibuscunque: quæ verba, cum sint vniuersalia comprehendunt domum, & omnia bona ad mensam abbatialem pertinentia. Bart. *in l. Generali. §. Vxori. ff. de vsufruct. leg.* & suam retinent significationem, etiamsi essemus in materia stricta, & odiosa, *l. Cùm de lege.* vbi Aretin. *ff. de probat.* Decian. *in cap. Sedes. sub. num. 4. de rescript.* Crescen. *decis. 1. de priuilegiis.*

Non obstat, quòd Gregorius applicando Congregationi Monasterium, sub quo comprehenditur domus cum horto, & cæteris, quæ intra septa eiusdem Monasterij consistunt. Gloss. *in c. 1. in verb. Exemptio. de priuileg. in 6.* Bart. *in l. Quis sit fugitiuus §. Apud Ecclesiam ff. d. ædil. edict.* videatur voluisse, istam domũ etiam abbatialẽ, remanere pro Monachis. eorúmque Abbate triennali in locum perpetui suffecto, ne aliàs dicamus voluisse duos diuersi Ordinis simul inhabitare contra text. *in c. fin. § Præcipimus.* vbi Gloss. *in verbo Sæculares. de stat. Monach. c. Cùm causam de elect. c. In noua. q. 7.* Quia pro parte Monachorum non probatur, domos de quib. agitur, fuisse intra septa Monasterij & potiùs contrariũ suadetur, ex visitatione facta per deputatum à Cardinale, & illius relatione, pro qua multùm præsumitur. *c. Proposuisti. de probat.* cùm in ea dicatur, quò d domus sunt abbatiales, & Abbas habet vsus transitus cuiusdam ostij, quo itur ab area ædium abbatialium per interiora Conuentus ad Claustra, & templum eiusdem Monasterij, vt latiùs dicunt testes examinati: quod ostendit, domus fuisse separatas à Claustro, & ab ipso Monasterio cum pariete, & ostio intermedio. 5. 6. 7.

Non obstat, quòd idem Gregorius erigendo in Monasterium Abbatem triennalem, videatur voluisse, quòd succedat in omnibus, quæ ad Abbatem perpetuum, cuius titulum extinxerat, pertinebant, tanquam in illius locum suffectum: quia hoc repugnat expressis verbis ipsius applicationis, quæ volunt, vt omnia, quæ erant Abbatis perpetui, sint Collegij; non autem Abbatis triennalis, qui propter 8.
difformitatem, quam habet in pluribus cum titulari, videtur potius suffectus loco Prioris claustralis, quàm ipsius Abbatis, cùm sit præpositus curæ Conuentus pro regendis Monachis, iuxta eorũ regularia Instituta ad triennium: quod propriè conuenit Priori claustrali, *c. 2 in fin. & c. Cum ad Monasterium. de stat. Monach.* maximè cùm sit ad electionem Capituli, & Conuentus, absque eo, quod prælaturam, seu dignitatem, 9.
aut titulum habeat; prout habent Abbates titulares perpetui, & commendatarij, qui ad præsentationem Regis per Sedem Apostolicã soliti sunt prouideri: ad. notata *in Clem. Etsi principales.* vbi Card. *sub num. 2.* Vitalin. *num. 22. & seq. de rescript.* & *in Clem. 1.* & *ibi* Card. *in princ. num. 5.* & *in §. Præmissa num. 5. de supplend. negligen. Prælat.*

Quantum verò ad personatus Ecclesiarum, qui per sententiam Cardinalis tanquàm pertinentes ad mensam abbatialem fuerunt applicati Conuentui pro certis oneribus in illum translatis supportandis; similiter fuit dictum, non probari, quòd Conuentus, & Monachi in eis habuerint aliquod ius; imò potiùs ex Informatione sumpta per præfatum Doctorem Paëz constare, quod pertinebant in solidum ad mensam abbatialem, & consequenter censeantur translati in Collegium, cui fuerunt vnita quæcunque bona, &
iura ad Abbatem in solidum spectantia. Dec. qui testatur de communi *in cons. 127. sub n. 2.* Put. *decis. 351. lib. 2.* cum allegatis. Quod etiam ipsos Monachos non inficiasse videtur, acceptando & recipiendo præfatos personatus, & eorum bona, tanquam ad Abbatem, & illius mensam pertinentia, pro supportandis certis oneribus, absque eo, quod assignationi huiusmodi contradixerint, neque de illa vnquam 10.

conquesti fuerint à die sententiæ de anno 1579. vsque
ad annum 1586. quo cœperuot conqueri de execu-
tione Breuis Literarum, asserentes se tacuisse ob me-
11. tum, & reuerentiam Cardinalis, qui tamen nnn pro-
batur. Veral. *d*.221.*p*.2.

Quantùm verò ad tertium caput de iurisdictione confirmandi Iudices in causis ciuilibus incolarum loci Monasterij, quæ & ipsa, tanquàm de pertinentibus in solidum ad ipsam mensam abbatialem, fuit per sententiam Cardinalis translata in Collegium, cui in Literis Gregorij in specie applicatæ fuit iurisdictioni spectanti in solidum ad mensam abbatialem; pariter fuit responsum, non probari contrarium per Monachos, quòd spectet ad Connentum, vel ad Abbatem, simul cum Conuentu, prout tenentur, & quidem concludenter, cum agant contra Collegium reum, &
12. possessorem, quod potest excludere Monachos non
ex non iure ipsorum, *l. fin. C. de rei vend* Rota *decis*. 4. *de re iudicata. in nou.* maximè cùm nitatur sententia Cardinalis in rem iudicatam transacta, & per plures annos obseruata, pro qua præsumitur, quòd rectè, & ritè lata sit, donec contrarium probetur, ex allegatis.

REVEREND. D. DVRANO.

Gerunden. Præpositura, Veneris, 21. Maij, 1632.

ARGVMENTVM.

Præpositur æ Ecclesiæ Gerundensis sunt administrationes merè temporales, nihil spiritualitatis habentes: & ideò non cadunt sub reseruatione.

SVMMARIVM.

1 *Arbitrium intelligitur prout de iure.*
2 *Breue executioni non demandatur, non constito clarè, & indubitatè de reseruatione.*
3 *Reseruatio turbida sufficit ad retardandam Breuis executionem.*
4 *Administrationes temporales, nihil spiritualitatis habentes, non cadunt sub reseruatione.*
5 *Præpositura de iure communi sunt beneficia ecclesiastica.*
6 *Administratores, qui alieno nomine regunt, Præpositi nuncupantur.*
7 *Præpositus, & Oeconomus idem significant, sicut Primas, & Patriarcha.*
8 *Præpositi Gerundenses sunt merè administratores.*
9 *Statum nouum ad inducendum quæ requirantur.*
10 *Status vltimus non attenditur, quando clarè constat de contrario statu anteriori.*
11 *Sententia super statu facit ius quoad omnes.*
12 *Officia ecclesiastica, quæ non dantur in titulum, sed in administrationem, non cadunt sub reseruatione.*
13 *Officia, quæ conferuntur in titulum perpetui beneficij, sunt reuera beneficia ecclesiastica, & cadunt sub reseruatione.*

DECISIO XII.

VAcante de mense Octobris, 1625. in Ecclesia Gerunden. Præpositura, de qua agitur, per obitum Antonij Adroët, fuit de ea, vti reseruata, ratione mensis anthoritate Apostolica prouisus D. Franciscus Sanz, qui expedim Breuj de capienda possessione, nomine Cameræ, eòque producto coram A. C. sententiam fauorabilem super executione, & im-
missione reportauit, à qua Capitulum Gerenden. ab-
pellauit, & addita signatura obtinuit rescribi cum
clausula parito Breui arbitrio Rotæ. Vnde dubitaui
hodie super dicto arbitrio. Et fuit resolutum, illud 1.
intrare ad effectum retardandi exequutionem: quia
arbitrium intelligitur, prout de iure. Rot *decis*. 450.
n. 1. *part* 2. *recent*. Gregor. *decis*. 189. *num*. 3. Et fuit di-
ctum *in Barchinonen. fructuum*, 16. Iunij, 1625. co-
ram me, & alibi sæpiùs. De iure autem est, vt Bre-
ue, de quo *suprà* exequutioni non demandetur, nisi 2.
clarè, & indubitatè constito de reseruatione, quia
illa est fundamentum Breuis. Garz. *de benef. par*. 6.
cap. 3. *n*. 10. *& seq*. Rot. *decis*. 423. *num*. 1 *part*. 2. *recens*.
Gregor. *decis*. 53. *in fin*. & *ibi* Add. Card. Caual. *de-*
cis. 597. In casu autem præsenti reseruatio nedum 3.
est turbida, (quæ turbiditas sola sufficeret ad retar-
dandum Breuis exequutionem, ex latè traditis per
Gonz. *super reg*. 8. *in annot. cont. nullit. num*. 287.
& seq. & per Rot. *dict. decis*. 423. *part*. 2. *recem*.) sed
etiam videtur penitus excludi, cum ex pluribus de-
cisionibus factis *in causa Gerunden. vini*, & præser-
tim ex ea, quæ emanauit coram Eminentissimo
Card. Pamphilio, sub die 4. Maij, 1616. & ex sen- 4.
tentiis desuper latis clarè constet, Præposituras dictæ
Ecclesiæ non esse beneficia ecclesiastica, sed simplices
administrationes temporales, nihil spiritualitatis ha-
bentes: vnde non cadunt sub reseruatione. Æneas *de*
Falc. de reser. quæst. 1. *princip. num*. 2. Rebuff. *de nomin*.
quæst. 21. *num*. 59. Gonz. *super d. regul*. 8 *glos*. 5. §. 11
num. 25. & propterea cessante reseruatione cessare de-
bet exequutio Breuis, quod in ea fundatur, Garz.
Greg. & Caual. *vbi supra*.
Nec refert, si dicatur Præposituras de iure com- 5.
muni esse beneficia ecclesiastica. *Extrauag. Ad Ro-*
man. de præbend. in communi. ibi: *Omnia & singula*
beneficia ecclesiastica sæcularia & cuiusuis ordinis re-
gularia, etiamsi Præpositatus, Canonicatus, Præposi-
tura, & Præbendæ, Dignitates, Personatus, Admi-
nistrationes, &c Oldrad. *cons*. 136 *per tot*. Gonz *d*.
glos. 5. §. 11. *num*. 2. Et ideò sub reseruatione regul.
8. comprehendi *iuxta dispositionem dictæ Extraua-*
gantis tradit Gonzales *vbi supra*. Quia respondetur,
Præposituras esse in duplici differentia: quædam,
scilicet, quæ sunt erectæ in titulum beneficij, &
habent omnia requisita beneficij, & præsertim spi-
ritualitatem annexam, quæ regulariter solent esse
Dignitates in Ecclesia, vt *in dict. Extrauaganti*:
Oldrad. & Gonz. *ibidem*. Aliæ verò, quæ non sunt
erectæ in titulum beneficij; sed solùm sunt institu-
tæ pro temporali administratione bonorum Eccle-
siæ: quæ administratio, sicut dicitur Præpositura, 6.
pariter Administratores, qui eam alieno nomine re-
gunt, Præpositi nuncupantur. §. *Sed si ex testamento*.
ibi: *Præponatur ei, & ipse solus administret. Instit*.
de satisd. tut. & text *in cap. Quamuis. in principio, de*
verborum significatione, ibi: *Quamuis omnes, qui præ-*
sunt, Præpositi ritè vocentur. Et ad rem nostram est
text. optimus *in cap. Saluator*. 1. *quæst*. 3. ibi: *Nomi-*
ne vero Procuratoris intelligit præfata Synodus quẽli-
bet ecclesiasticarum rerum Administratorem, vt, verbi
gratia, *Præpositum, Oeconomum, Vicedominum, De-*
fensoris nomine Aduocatum, siue Castaldum, & Iudi-
cem. vbi Gloss. *in verbo, Præpositum*, quòd licèt nomi-
na, *Præpositus*, & *Oeconomus* diuersa sint, idem ta- 7.
men significant, sicut Primas, & Patriarcha. Idem
dicit Spec. *in tit. de his, qui alien. nom. in vid. s iterx*.
num. 5. *vers. Item Præpositus, & Oeconomus*. quam
distinctionem præposituram facit Turrecremat. *in*
dict. cap. Saluator. num. 7. *in vers. Præpositum*. vbi, quòd
Præpositus in quibusdam Ecclesiis administrat tem-
poralia Canonicorum duntaxat, in quibusdam etiam
spiri

spiritualia ; Præpositura autem, de qua agitur, provt
aliæ eiusdem Ecclesiæ, non sunt primæ speciei, sed
secundæ, vt plenè in supradictis Rotæ decisionibus
coram Cardin. Pamphilio, & apud Gregor. *decis*.29.
vbi, quòd Præpositi Gerundenses sunt merè admini-
stratores : & idem pleniùs resolnit Rot. *in decis*.12.
n.3.cum seq.p.2.recent. vbi, quòd dominium, & pro-
8. prietas, ac libera dispositio harum præpositurarum
remansit semper apud Capitulum, & quòd Præpositi
sunt administratores.

Nec quicquam refragatur, quod de ordine fel.rec.
Pauli V. fuerit dd. Præpositaris assignata congrua,
quam Franciscus prætendit successisse loco dotis, ita
vt eo ipso dictæ Præpositurae, tanquam dotatæ, sint
vera beneficia, vel saltem ad instar beneficiorum de-
beant regulari : quia in decisione sub die 7. Aprilis,
1617. coram eodem Cardinali Pamphilio, fuit ex-
pressè resolutum, congruam prædictam non fuisse
assignatam, nec deberi istis Præposituris vti beneficiis
ecclesiasticis, cùm talia non sint, sed solùm deberi ra-
tione administrationis, & ad instar certi salarij, & pro
modo laboris cuiusque Præpositi. Vnde de dicta assi-
gnatione congruæ nulla est habenda ratio ad effe-
ctum, de quo agitur.

Non obstat etiam, quòd huiusmodi Præpositurae
fuerint effectæ collatiuæ, ex quo pluries collatæ fue-
runt, tam à Papa, quàm ab Ordinario : quia ex hoc
non sequitur, quòd primæuam naturam merè tempo-
poralem amiserint, & veram qualitatem beneficiorum
ecclesiasticorũ assumpserint, Ita vt primus status fuerit
9. mutatus, & nouus inductus : quia ad nouum statum
inducendum in præiudicium tertij, & sic Capituli, vl-
tra collationes plura alia requiruntur, quæ hîc non
probantur, nempe, quadragenaria potestas, & volun-
tas Superioris, bona fides impetrantium, ac demum
scientia, & patientia Capituli, vt latè examinant Add.
ad Gregor. *decis*.434.*num*.20. & Modern. *de re benefic.
lib.1.quæst.34.num* 45. *& seq.* vbi etiam *num*.28.*cum*
10. *seq.* ex multis probatur, quòd vltimus status non at-
tenditur, quando clarè constat de contrario statu an-
teriori : & dixerunt Felin. *in cap. In nostra, num* 44. *de
rescript.* Rot. *decis*.2. *de præbend. in nou.* & fuit resolu-
tum *in causa Ferrarien. Prioratus*, 25. *May* 1604. co-
ram bon. mem. Pegna, *quæ est decisio* 184. *num*.2. *p. r.
recent.* Hic autem notoriè apparet de anteriori statu
meræ temporalitatis huius, & aliarum Præpositura-
11. rum dictæ Ecclesiæ ex supradictis decisionibus, &
sententiis, quæ transitum fecerunt in rem iudicatam,
& faciunt ius quoad omnes, ad text. *l. Ingenuum.* vbi
Gloss. Bart. & DD. *ff. de stat. hom.* Rot. *decis*.533.*num*.3.
part.4 *diu.* & in puncto, quòd ex collationibus non
fuerit mutatus prior status merè temporalis istarum
præpositurarum Gerundensium ex Gloss. *in cap. Cum
olim, in verbo, Præiudicium, de consuetud.* Corn. *consil.*
225. *num*.5. *vers. Non etiam aufertur*, *lib*.1. & Dec.
cons.407.*num*.20. resoluit Rot. *in d. decis*.29. *Greg. XV.*
Et cessat difficultas : quia nullibi constat, collationes
supradictas fuisse simpliciter factas de beneficiis ec-
clesiasticis ; sed potius de officiis, vt *in Summ. Fran-
cisci num*. 5. vnde non probatur status collationis be-
neficiorum, sed officiorum, qui non releuat ad effe-
ctum, vt dictæ Præpositurae sub reseruatione com-
prehendantur.

Nec releuat, si dicatur, quòd, licèt non sint be-
neficia, satis esse, quòd sint officia ecclesiastica,
cùm etiam illa cadant sub reseruatione : quia dato
etiam, quòd talia essent, respondetur, non omnia
officia ecclesiastica sub reseruatione comprehendi,
12. provt est officium Custodis, officium Cellerarij, &
alia huiusmodi, quæ non dantur in titulum, sed in
administrationem, de quibus per Sar. *in reg. de in-
fer. quæst*.22. Mandos. *ad reg*.21.*quæst*.7. *& ad reg*. 32.
quæst.1. Sed solùm illa cadunt sub reseruatione, quæ 13.
conferuntur in titulum perpetui beneficij, & reue-
rà sunt beneficia ecclesiastica, provt sunt Sacristia,
Archipresbyteratus, Præpositurae habentes spiritua-
litatem, & erectæ in titulum beneficij, & similia,
quæ in nihilo distant à beneficiis ecclesiasticis. Man-
dus. *vbi suprà* Benè Gonzal. *d. gloss*.5. §.11.*num*. 2. 5.
& 25. Erasm. à Cochier. *sub ead. reg. gloss*.1. *in fin.* Vn-
de, cùm non constet dictas Præposituras consueuisse
conferri in titulum perpetui beneficij, nec reuerà
esse beneficia ecclesiastica, sed imò totum contra-
rium, necessariò sequitur, non cadere sub reseruatio-
ne; & ideò esse locum arbitrio ad effectum retardan-
di exequutionem Breuis.

Et ita resolutum, vtraque parte informante.

CORAM EODEM.

In eadem, Mercurij, 27. Aprilis, 1633.

ARGVMENTVM.

Præpositurae Gerundenses sunt administra-
tiones merè temporales, nihil spiritua-
litatis habentes ; & ideò non ca-
dunt sub reseruatione.

SVMMARIVM.

1 *Actore non probante, reus absoluitur.*

2 *Præpositura, quæ sunt simplices administrationes temporales, nihil spiritualitatis habentes, non sunt beneficia ecclesiastica.*

3 *Præpositura, quæ non sunt beneficia, nec officia ecclesiastica in titulum perpetuum conferri solita, non cadunt sub reseruatione.*

4 *Præpositura Gerundenses sunt merè administrationes temporales, nihil spiritualitatis habentes, & per Capitulum administratoribus temporalibus concedi solita.*

5 *Beneficiorum collatio debet esse pura, libera, & absque alio onere.*

6 *Beneficia ecclesiastica debent in perpetuum conferri.*

7 *Statum nouum ad inducendum, quæ requirantur.*

DECISIO XIII.

IN decisione in hac causa facta die 21. Maij, anni
præteriti, fuit resolutum ad fauorem Capituli Ge-
runden. intrare arbitrium pro retardanda execu-
tione breuis de capienda possessione nomine Ca-
meræ expediti pro parte D. Francisci Sanz, prouisi
Apostolici de hac præpositura, tanquam reseruata
ratione mensis. Hodie autem proposui causam super
negotio principali, nimirum, an Capitulo sit danda
absolutoria, & fuit affirmatiuè resolutum. Ratio re-
solutionis fuit : quia Franciscus actor non probat re-
seruationem, cui innititur eius prouisio, vnde intrat
trita regula : *Actore non probante*, &c. de qua *in l.* 1.
Ei, qui dicit ff. de probat. & *in l. Actor. C. eodem.* Rot.
decis.3. *de re iud. in nou.* & *alibi* sæpiùs.

Quòd autem dicta præpositura, & aliæ in dicta
Ecclesia existentes eiusdem qualitatis, non sint reser- 2.
uatæ, visum fuit esse clarum, ex quo sunt simplices
administrationes temporales nihil spiritualitatis ha-
bentes, quæ ideò longè distant à beneficiis ecclesiasti-
cis. Abb. *cons*.47.*num*.1.*lib*.1. Sarn. *in reg. de ann. q*.20.
Rut. *decis*.254.*n*.3.*p*.2.*recent.* Si igitur non sunt bene- 3.
ficia ecclesiastica, nec etiam officia ecclesiastica in

titulum perpetuum conferri solita ; vt fuit latè comprobatum in dicta decisione, 21. Maij, coram me, non cadunt sub reseruatione. Gonz. *super reg. 8. glos. 5. §. 11. n. 25.* cum aliis in dicta decis. coram me allegata.

4. Quod deinde dictæ præpositurae sint merè administrationes temporales nihil spiritualitatis habentes, & per Capitulum administratoribus temporalibus concedi solitæ, pluties resoluit Rot. & signanter *decis. 12. n. 3. & seqq.* & *decis. 25. n. 6. decis. 34. n. 6.* & *decis. 43. n. 2. part. 2 recent.* & *in Gerunden. Vini*, 18. Iunij, 1601. coram bon. mem. Damasceno, & 4. Maij, 1616. & 7. Aprilis, 1617. & 15. Ianuarij, 1620. coram Eminentissimo Cardinale Pamphilio.

In quibus fuit etiam firmatum, quòd Præpositi iuxta antiqua Statuta Ecclesiæ Gerunden. tenentur singulis annis assecurare eorum præpositutas cum idoneis fideiussoribus de subeundis illarum oneribus, & quòd singulis annis sunt obligati ad reddendam rationem administrationis, & facere arrendamenta cum consensu Capituli, portionésque Canonicales anticipatè soluere; quòd de expensis faciendis teneantur Capitulum certiorare: & demum constitit, quòd si quandoque dictæ præpositurae, fuerunt per Capitulū, aut Episcopū collatæ collatio facta fuit iuxta dicta Statuta, & sic cum supradictis conditionibus,
5. pactis, & oneribus, quæ non compatiuntur cum natura beneficiorum, quorum collatio debet esse pura, libera, & absque aliquo onere. Bellam. *in cap. In nostra. n. 10.* & *ibi* Felin. *n. 9 de rescript.* Sylu. *de benef. p. 1. q. 1. n. 2.* Rebuff. *de pacif. poss. num. 344.* Rota *d. decis. 254. n. 4. vers. Et Abbates. par. 2. recent.*

Prætereà, cessat difficultas: quia insuper præfata Statuta expressè disponunt, vt negligentibus Præpositis onera supradicta adimplere, præpositurae vacent eo ipso, ita vt liceat Capitulo, vti domino, de Præposituris disponere, de illisque prouidere aliis. Vnde, cùm earum collatio non sit in perpetuum, neces-
6. sariò sequitur, non esse beneficia ecclesiastica, de quorum essentia est, vt in perpetuum conferantur. Bellam. *in cap. Super. num. 17. vers. Hoc enim est proprium. de renunciat.* Anchar. *in cap. Beneficium num. 4. vers. Itē, quia. de reg. iur. lib. 6.* Abb. *d. cons. 47. vers. Item, quia in perpetuum. lib. 2.* cum aliis relatis per Rotam *in dict. decis. 25. num. 6. part. 2. recent.*

Neque obstant duo, quæ pro parte eiusdem Francisci fuerunt deducta in memoriali per eum dato pro obtinenda noua audientia contra decisionem dicta die 21. Maij coram me factam. Non primum, videlicet, quòd in decisionibus factis in dicta causa Gerunden. Vini, suprà allegatis, non fuerit firmatus status dictarum Præpositurarum; sed omnia fuisse restricta ad validitatem prædictorum Statutorum: quia contrarium apertè dignoscitur ex earum lectura, & præsertim *ex dictis decisionibus 4. May, 1616. & 7. Aprilis, 1617. & 15 Ianuary, 1620.* coram Eminentiss. Cardinale Pamphilio; in quibus claris verbis fuit firmatum, statum harum præpositurarum esse merè temporalem.

Non etiam obstat secundum obiectum, nempe quòd dictæ præpositutæ fuerint effectæ collatiuæ, ea quo pluries collatæ fuerunt tam à Papa, quàm ab Ordinario; & ideò quòd attento vltimo statu sint beneficia, seu officia ecclesiastica in titulum perpetui beneficij conferri solita; quia fuit plenè responsum in dicta decisione coram me, ex hoc non sequi earum statum temporalem fuisse mutatum, &
7. nouum inductum, cùm ad inducendum nouum statum in præiudicium tertij, & sic Capituli, requirantur quadragenaria possessio, potestas, & voluntas Superioris, bona fides impetrantium, ac demum scientia, & patientia Capituli, quæ requisita prorsus deficiunt in casu nostro: & vlterius [illegible] ctum, vltimū statum non attendi, vt hic clare [illegible] contrario statu anteriori ex allegatis *in dicta decisio.* coram me *in vers. Non obstat etiam.* quæ nō est, cur repetātur.

Et ita decisum, &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Gerunden. personatus, & causa pia, Veneris, 17. Maij, 1630.

ARGVMENTVM.

Personatus ad tempus an sit beneficium ecclesiasticum: Nominatio nulla operatur, vt ius nominandi deuoluatur ad successorem.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium ex quibus distinguatur ab officio ecclesiastico, vel alia pia dispositione.*
2 *Collatio facta ab Ordinario sufficit, vt Capellania, etiam manualis, & amouibilis, iudicari debeat beneficium ecclesiasticum.*
3 *Beneficium de iure debet esse perpetuum.*
4 *Beneficia ex speciali iure, & priuilegio, possunt non esse perpetua.*
5 *Personatus in Prouincia Tarraconensi, sunt beneficia ecclesiastica.*
6 *Beneficia diuidi non debent.*
7 *Nominatio nulla, & inualida habetur, ac si facta non fuisset.*
8 *Nominatio tanquam indiuidua non potest ex parte valere, & ex parte non.*
9 *Nominatio à principio nulla, tractu temporis non conualescit.*
10 *Nominatio de duobus æqualiter facta, ratione incertitudinis non valet, ac si in solidum facta fuisset.*
11 *Quod potui, nolui; quod volui, adimplere nequiui.*

DECISIO XIV.

EX pacto, & lege fundationis in hoc personatu, de quo hodie quæritur, poterat beneficiatus vsq. ad tertiam nominationem successorem sibi nominare, post quam nominationem succedere debebat causa pia iuxta synodalem Constitutionem Prouinciæ Tarraconensis, quæ similium beneficiorum erectionem ex consuetudine immemorabili introductam confirmauerat. Cùm autem idem personatus de persona Iacobi Rossel fundatoris, ex causa permutationis transierit ad Petrum Margarau, qui successorem sibi nominauit Michaëlem Clos; & quo casu ille, vel accēptare nollet, vel esset ad hoc beneficium inhabilis, Monserratum Picò, & Iacobum Darder æquis portionibus: Dubitaui, an esset factus locus successioni causæ piæ, vel consisteret nominatio Monserrati qui recusante Michaële solus fuerat institutus. Et Domini ad fauorem causæ piæ responderunt, vt [illegible] fundatet intentionem in successione huius personatus.

Neque enim dubitarunt, quin personatus huiusmodi esset beneficium ecclesiasticum, licèt perpetuò durare non deberet; sed ad vitam eorum, qui iuxta formam fundationis nominari debebant; cùm habeat omnia requisita beneficij ecclesiastici, dum fuit erectum sub nomine beneficij cum authoritate, & Decreto Ordinarij, sit permutabile cum alio beneficio

1. ecclesiastico, vacet per ingressum Religionis, committatur in eo simonia,& demum obtineri non possit,
nisi a persona ecclesiastica, quæ omnia distinguunt
beneficium ab officio ecclesiastico, vel alia pia dispositione. Felin *in c. In nostra. num. 9. de rescript.* Selua
de benefic. quæst. 2. parte 1. num 75. Garz. *de benefic. parte 1. cap. 2. n. 61.* Et eadem latè examinat sublatis
contrariis argumentis Nauarrus *cons 8. de iurepatronatus.*

2. Comprobat hoc idem collatio, quæ de hoc personatu semel atque iterum facta fuit per Ordinarium,
quæ sola satis esse potest, vt Capellania etiam manualis, & amouibilis reputari, & iudicari debeat ecclesiasticum beneficium, vt defendit Garz. *de benefic. part. 1. cap. 1 §. 1. num. 113. & seq.* Rebuff. *de pacific. possessorib. num. 349.* Guido Pap. *quæst. 187. num. 1.*
Neque obesse potest sola temporalitas ad excluden-
3. dum statum, & qualitatem beneficij: quia, licèt
perpetuitas de iure sit de essentia beneficij, *cap. Sanctissimarum. 70. distinct. c. penult. de Cleric. ægrot.* Achill.
4. *decis. 1. num. 4. de officio Vicarij:* non tamen repugnat,
vt speciali iure, & priuilegio aliqua beneficia possint
non esse perpetua, *c. Si gratiosè. & ibi* Gloss *de rescript. lib. 6.* Lap. *allegat 9.* Cassad. *decis. 12. num. 9. de præbend.*
5. Garz. *de benefic. parte. 1. cap. 2. num. 75.* Cuius priuilegij vim habet immemorabilis consuetudo, ex qua
in Prouincia Tarraconen. hi personatus inducti sunt,
vt etiam defendit idem Nauar. *cons. 8. de iurepatron. num. 17.*

His ita costitutis negari non poterat, quin factus esset locus successioni causæ piæ, dum illa vocabatur,
deficientibus nominationibus, quas permiserat fundatio, ita vt deberet eo casu extingui personatus,
& dos fauore eiusdem causæ piæ applicari. Defectus enim nominationum controuerti non poterat, cum
nec valeret nominatio Michaëlis, tanquam inhabilis; & quæ effectum sortita non fuit ex renunciatione ab eo facta, neque sustineretur secunda nominatio in defectum primæ, tanquam facta de duobus
6. diuiso inter eos æqualiter beneficio contra expressam
iuris dispositionem, de qua *in capite, Maioribus:* vbi
Gloss. *in verb. Diuisionem. c. Tua fraternitatis. & cap. Dilecto. de præbend.* Lambert. *de iurepatron. libro 2. parte 3. quæst. 5. art. 21.* Atque ita cessante nomina-
7. tione (cùm perinde haberi debeat nominatio nulla,
& inualida, ac si facta non fuisset, *c. Quæ contra ius. de regul. iur. libro 6. l. Non dubium. C. de legib.*) deuoluta fuit successio ad piam causam ex pacto expresso fundationis.

Quòd verò testator voluerit durare personatum ad quatuor vitas, vel quòd hæc sit consuetudo illarum partium, vt non antequam post successionem quatuor personarum terminetur, negarunt Domini obesse: quia consuetudo induxit quidem erectionem horum personatuum ad tres, siue quatuor nominationes; verùm indeterminatè, & secundùm dispositionem fundatorum, quorum voluntati legem non imposuit; fundatoris autem voluntas non fuit in hoc casu præcisè determinata, vt personatus finiri non deberet, nisi post quatuor nominationes; sed id voluit esse in facultate eorum, qui succedere debebant, quibus non aliter quam sub conditione facultatiua permisit, vt successorem sibi nominare possent,

Non etiam dici poterat, vt posterior nominatio, quam Petrus fecerat de duobus, sustineretur, saltem ab effectu; & quia dum eorum alter non acceptauit, haberi deberet, ac si nominatus non fuisset, & sustineretur nominatio de persona alterius: & quia idem Petrus, qui nominauit, mandauerat, vt vno deficiente, alteri eius portio accresceret, *argumento l. vn.*
8. *§. vbi autem Legatarij. vers. Si verò non omnes. C. de cad. tollen.* Cùm enim hæc causa nominationis, tanquam indiuidua, non possit ex parte valere, *l. 1. §. Item quæritur. ff. de aqua quotid. æstiua. l. Gregem. §. Illud, & ibi* Barthol. *numero 3. & 4. ff. de fideiussor.*
Rot. *decis. 135. num. 9. decis. 551. n. 10. p. 1. & decis. 631. num. 7. par. 2. rec.* data nullitate nominationis à princi- 9.
pio, non potuit ab euentu fieri valida, *l. 1. ff. de his, quæ pro non scriptis habentur. l. vn. § in p ff. de caduc. tollen.*
Imò ratione incertitudinis, neque nominatio de duo- 10.
bus æqualiter facta sustineri posset, ac si in solidum facta fuisset, *l. Si ita. ff. de reb. dub. l. Cum ex plurib. ff. de manumiss. testam.* Gloss. *in c. Quoniam Abbas. in verb. substitutum. de off. deleg.*

Et ita, licèt per nominationem nullam non consumeretur facultas nominandi,& potuisset Petrus etiam
tertiò nominare eundem Monseratum: quia tamen 11.
id non fecit,& nominationem, quam expressit, facere non potuit, successit regula textus: *Quod potuit, noluit,* de qua *in l. Multùm interest. C. Si quis alteri, vel sibi c. Cum super. 23. in fin. de Offic. deleg.* & mortuo Petro vltimo possessore fuit extincta hæc facultas nominandi,& successit deuolotio fauore piæ causæ, sicut Domini responderunt. Vtraque parte informante.

REVEREN. D. COCCINO Decano.

Palentina Abbatia de Beneuiuere, Veneris, 14. Aprilis, 1617.

ARGVMENTVM.

Monasterium esse consistoriale, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria consistorialia in Castella, Legionis, Aragonum, & Valentiæ, necnõ Cathalaniæ, cæterisque Hispaniarum Regnis, & dominiis consistentia, quocunque modo, præterquam apud Sedem vacantia, prouidentur ad regiam præsentationem.*
2 *Indultum habet locum, vbi ipsius dispositionis verba conueniunt.*
3 *Præseruatio intelligitur de aliis, quam de expressis.*
4 *Consistorialitas probatur ex eo, quod constat, beneficium taxatum esse in libris Cameræ, vel quòd de eo fuit consistorialiter dispositum.*
5 *Monasteria consistorialia possunt prouideri per Papam sine Consistorio.*
6 *Taxa, quæ fit in libris Cameræ, in tertia parte veri valoris, de Monasteriis consistorialibus, probat consistorialitatem, etiamsi ter ducta non constituat summam ducentorum florenorum, & quare.*
7 *Regula secunda Cancellariæ habet tantùm locum in Monasteriis commendari solitis. Contrarium, num seq.*
9 *Papa in reseruationibus non intelligit comprehendere manualia.*
10 *Monasterium vt censeatur consistoriale, sufficit, quòd sit solitum conferri in titulum perpetui beneficij, aliis concurrentibus, etiamsi non sit solitum commendari.*
11 *Liber Cancellariæ, seu Cameræ, est antiquissimus; & à quo fuerit editus.*

DECISIO XV.

SAnctissimus D. N. ad relationem bon. mem. Cardinalis Arigonij,& Illustrissimi D. Cardinalis Millini,

llni,concessit Breue, in quo declarauit Monasterium,
de quo agitur, esse consistoriale : vnde de consensu
partium, præsupposito dicto Breui, dubitaui, an hu-
iusmodi Monasterium sit comprehensum in priuile-
giis Catholicæ Maiestatis. Et Domini affirmatiuè re-
1. sponderunt. Nam Adrianus V I. octauo Idus Se-
ptembris,ann.1523. inter alia concessit Regi Carolo,
& Reginæ Ioannæ, Regibusque suis successoribus in
Regnis Castellæ.Legionis, & Aragonum, ius patro-
natus, & ius præsentandi personas idoneas ad Mona-
steria quæcunque consistorialia in Castellæ,& Legio-
nis,& Aragonum, & Valentiæ, necnon Cathaloniæ,
cæterisque Hispaniarum Regnis, & dominiis consi-
stentia, quocunque modo, præterquam apud Sedem
vacantia,vt patet ex Indulto eiusdem Adriani,de quo
etiam meminit Michaël Serrerius *lib.obseruantiarum*
2. *Senatus Cathal.par.3.c.1.per totum.*Quæ cùm omnia
concurrant, de quibus in prædicto indulto, sequitur,
quòd istud Monasterium in prædicto Indulto com-
prehendatur,*l 4.§.Totus.*& ibi Doctor Alex *in §.Præ-
tor ait,n.25 ff.de dam.infect.*

Neque obstat præseruatiua in eodem Breui, per
quam Sanctissimus D.N. declarauit, non intendere
se præiudicare iuribus Catholicæ Maiestatis, aut
Conuentui,aut Comiti, qui prætendit iuspatronatus,
minúsque liti, & causæ in Rota pendenti, sed voluit,
3. quòd eorum iura salua, & illæsa remanerent : nam
ista præseruatio est censenda de aliis; non autem de
ipsa Consistorialitate Bart.*in l.vlt.§.Idē quæsitum est,
ff.de condict.indeb.*Paris. *cons.70.num.12.lib.1.* vbi de
communi : vltra quod consistorialitas videtur clara:
4. nam,vt dicit Verall.*decis.*18.incipiēte:*Probatur benef.
lib.1.in manuscr.* beneficium esse consistoriale proba-
tur ex eo, quòd constat, taxatum esse in libris Came-
ræ; vel quòd de eo fuit consistorialiter dispositum.
Sarnen.*in reg.de valor.in proœm.num.6.& q.3 num.5.*
Vestr. *in prax. lib.1.c.1. n.2.* Paris. *de resig.lib.2.q.2.
num.*10. quod etiam sensit Gloss. antiquus *in reg. 2.
post princ.vers.Sed sine Consistorio.*vbi,quòd licèt Papa
soleat prouidere consistorialiter Monasteria vltonim
excedentia valorem 200. florenorum, communi
5. æstimatione, vt habetur *in d.reg. 2.* Attamen,si sine
Consistorio prouideat, valet prouisio. Et idem sensit
Put.*decis 490. in nou.lib.2.*vbi,quòd regula de annali
habet locum in Monasterio consistoriali, si de eo non
fuerit consistorialiter prouisum : & idem *de reg. de
infirmis,* dicit Sarnensis *ibidem quæst.14. num.6. vers.
Ista tamen.* & habetur decretum Sacræ Congregatio-
nis rerum consistorialium sub die 9. Iunij, 1591. vbi,
quòd Monasteria habentur pro consistorialibus,
etiamsi extra Consistorium per signaturam manu Pa-
pæ aliquando expediantur. Vnde parum refert, quòd
non constet vnquam de hoc Monasterio fuisse con-
sistorialiter prouisum, cùm sufficiat, quòd sit descri-
ptum in libris Cameræ, vltra quod non docetur de
contrario; & prouisio, quæ datur facta per Adria-
num, non releuat; tum, quia non est in actis; tum
etiam, quia non ostenditur effectuata; tum denique,
quia non tollit consistorialitatem, quæ prouenit ex
descriptione in libris Cameræ : nam,etsi in dicta pro-
uisione non reperiatur derogatum consistorialitati,
non releuat, quia talis derogatio non est necessaria,
nisi ad maiorem cautelam, quia nulla constitutione
cauetur,quòd prouisio debeat fieri consistorialiter, vt
considerat Gloss. antiqua *in d.reg.2. post princ. vers.
Quòd si sine Consistorio.*ibi:*Maximè,quia nulla Cōsti-
tutione cauetur.*& sentit Iamens.*in reg.De subrogand.
q.15.n.4.vers. Non datur etiam.*

6. Minùs etiam obstat, quòd huiusmodi Monaste-
rium reperiatur taxatum in libris Cameræ ad florenos
63. & duas tertias : & tamen propter regulam 2.
quæ reseruat Monasteria florenos 200. excedentia,
deberet esse taxatum ad summam florenorum 63. &
duarum tertiarū; ad effectum, quòd esset cōsistoriale,
quæ summa ter ducta florenos 200. constituit : nam
olim commune seruitium, quod soluitur pro consi-
storialibus,fuit taxatum ad maiorem summam, quod
per Ioannem X X I I. fuit redactum ad tertiam par-
tem veri valoris : & sic dicta taxatio ad florenos 66.
& duas tertias, probat, Monasteria excedere valo-
rem florenorum 200. Galles. *de annat.num 3.& 4.*Et
ad hunc effectum fuit editus prædictus liber. Sarnen.
in reg.de valore in præfat.num.9.ante fin.& q.3.num.5.
& sic, nisi adsit dicta taxa, non potest habere locum
d reg.2. quæ reseruat Monasteria excedentia valorem
florenorum 200. Nam fuit responsum, quòd prædicta
Congregatio rerum consistorialium præcitata die 9.
Iunij, 1591. resoluit, quòd Monasteria sint consisto-
rialia, etiam quòd sint taxata ad minorem summam
florenorum 66.& duarū tertiarū.Et meritò:quia inter
alias rationes potest considerari, quòd si Monasteria
excedunt valorem 200.florenorum, etiam quòd in li-
bris Cameræ non sint descripta ad tantam summam,
hoc sufficit: quia regula vtitur verbis illis : 200.*flore-
norum auri de Camera communi æstimatione exceden-
tium,* vt considerat Glossatur antiquus *in d. reg. circa
medium,vers.Sed ponamus,quòd Monasterium,* Vnde
sufficit,quòd Monasterium tanti valeat communi æ-
stimatione, etiam quòd in tanta summa non sit taxa-
tum.Et pro intelligentia fuit additum,quòd ipsa regu-
la generaliter loquitur de omnibus Monasteriis,etiam
quòd non sint taxata in libris Cameræ: quia cùm Vr-
banus I V. ediderit regulam de valore, non est am-
pliùs opus dicta taxatione. Sarn. *in proœm. regul.De
valore.n.9 in fin.*

Neque obstat, quòd reg 2. habeat solùm locum in 7.
Monasteriis solitis commendari. Mandos. *super.reg.2.
quæst.3 num.3.*Seraph.*decis.1305.n.6.*& *dec.1498.n.2.*
nam fuit responsum, quòd,licèt verum sit, quòd Mo- 8.
nasteria excedentia reditus 200. florenorum, quæ
sunt solita commendari, consistorialia sint: attamen
non est simpliciter verum, quòd Monasteria,quæ ha-
bent alias qualitates,aut quòd sint taxata in libris Ca-
meræ, etiam quòd non commendentur, non sunt cō-
sistorialia,cùm verba regulæ sint generalia, & obser-
uantia sit in contrarium. Sed veritas est, quòd si ex
Indulto apostolico talia Monasteria sint manualia,
quòd Summus Pontifex non solet de illis prouidere:
quia cùm collatio debeat de sui natura censeri per-
petua, Papa in reseruationibus non intelligit compre-
hendere manualia, ad euitandum absurdum, quòd 9.
prouisus ab illo possit ab inferiori amoueri. Calder.
*cons.26 de præben.*Felin.*in c. Per tuas.n 4.circa fi.vers.
Et adde, de maior.& obed.*Æneas de Falcon *de reser-
uat.in 3.reg n.25.*Achil *dec.9.de præben.*Mandos.*super
reg.3 q 11.n.3 & q. 12. per totam.* Et fuit dictum *in
causa Celsonen.præceptoriæ,*12 Iunij.1606. coram me.
Et propterea sufficit, quòd hoc Monasterium sit soli- 10.
tum conferri in titulum perpetui beneficij, ad effe-
ctum, quòd aliis concurrentibus consistoriale dica-
tur. Et sic non obstant decisiones prædictæ Seraphi-
ni : quia allegant Sarnen.qui hoc non dicit : & Man-
dos.qui pariter in illis allegatur, mouetur præcipuè ex
communi stylo : & in hoc decipitur;quia stylus est in
contrarium,& etiam ratio vt patet ex prædictis.

Non obstat, quòd non probetur, istud Monaste-
rium fuisse consistoriale de tempore Adriani VI.quia
contrarium est verius,cùm liber Cancellariæ. seu Ca-
meræ, sit antiquissimus, & longè excedat tempora 11.
Adriani VI cùm fuerit editus,vel per Bonifacium IX.
vel per Ioannem XXII.vt dicit Sarnen. *in proœm.reg.
de valor.n.6 & 7.*Galles.*de annat.n.3.& 4.*& post Vr-
banum

banum IV. authorem regulæ de valore, non fuit opus alia taxatione in libris Cameræ, vt per Sarnen. *vbi suprà n.9.in fine*. Et patet etiam ex quamplurimis annotationibus in eodem libro longè excedentibus tempora Adriani VI. nam, cùm fuerint factæ diuersæ vniones ante tempora Adriani Monasteriis in d. libro Cameræ taxatis, augentur etiam taxæ, prout est de iure, vt dicit Calder. *in cons.6. circa fin. de offic. legat.*

CORAM EODEM.

In eadem Veneris, 14. Decembris, 1618.

ARGVMENTVM.

Monasterium esse consistoriale, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Consistorialitas non præsumitur, nisi probetur.*
2 *Monasteria de iure communi sunt electiua; & confirmatio spectat ad Superiorem.*
3 *Monasterium esse consistoriale, probatur ex eo, quod est taxatum in libris Cameræ: & contrarium asserenti incumbit onus probandi, n.5.*
4 *Decis.584. lib.3.p.3. diuers. declaratur.*
6 *Consistorialitas probatur ex taxa in libris Cameræ, etiamsi huiusmodi taxa ter ducta non constituat summam 200. florenorum, si Monasterium cum effectu talem summam excedat.*
7 *Monasterium dicitur consistoriale, etiam quòd Papa de eo aliquando extra Consistorium prouiderit.*
8 *Liber Cameræ fuit confectus de tempore Eugenij IV. & instauratus tempore Pauli II.*
9 *Priuilegium concessum super certo subiecto, non extenditur ad subiecta de futuro omnino separata à subiectis de præterito.*
10 *Annata soluitur pro Monasterijs non consistorialibus, & pro consistorialibus, necnon pro Episcopatibus soluuntur minuta seruitia.*
11 *Papæ assertioni de facto proprio, vel secum gesto, statur; non autem ipsius enunciatiuis, quæ emanarunt ad suggestionem partis.*
12 *Enunciatiuæ vt probent, debent esse plures; antiquæ excedentes tempus 100. annorum, & quæ emanauerint à personis non suspectis.*

DECISIO XVI.

COntra decisionem in hac causa factam die 14. Aprilis, 1617. in qua fuit firmatum, Monasterium, de quo agitur, comprehendi in priuilegio Regis, plura opponebantur: & primò, quòd consistorialitas non præsumitur, nisi probetur, cùm de iure communi Monasteria sint electiua: & confirmatio spectat ad Superiorem, *c.2.§. Priore*, vbi Abb *n.10. ne sfat. Reg.* Et fuit dictum coram Paleotto *in causa Nolana Regalis Vallis*, 11. Martij, 1560. quæ habetur *lib.3. part.3. sub num.584.* vbi quòd non reperitur vnquam tantum de iure, vt de his prouidendum sit per Consistorium.

Hoc motiuum non placuit Dominis: quia satis probatur, Monasterium esse consistoriale, cùm sit taxatum in libris Cameræ: & hoc sufficit ex Sarnense, & aliis allegan *1. decis.* & præsertim Verallo *in dec.18. lib.1. in manuscript.* quibus addita fuit decisio Paleotti, quæ est eadem cum decisione prædicta Veralli *in causa Nolana Regalis Vallis*, 2. Iunij, 1559. quæ habetur *sub num.540. num.4. lib 3. part.3.* Neque contrarium dicit alia decisio Paleotti 584. loquitur enim ad 4.
alium effectum: quia, vt patet *ex decis.540. eod. lib.3. part.3.* fuerat concessus regressus cum narratiua, quòd Monasterium non consueuerat consistorialiter concedi. Et *in d. decis.540. n. 6.* fuit firmatum, eo ipso probari solitum esse de Monasterio consistorialiter prouideri, quo probatur esse descriptum in libris Ca- 5.
meræ, cùm alterum ab altero pendeat, ita vt dicenti non deberi consistorialiter prouideri, incumbat onus probandi, vt benè declarat Verall. *in ead. causa, dec.17. lib.1. in manuscript.* & postmodum productis quibusdam prouisionibus extra Consistorium factis, de illis nulla fuit habita ratio, cùm non ostenderentur effectuatæ, vt *in decis.577. eod. lib.3. part.3.* Et tandem fuit dubitatum, an de iure, vel de stylo Monasteria excedentia summam floren. 200. dicantur consistorialia: quod dubium fuit disputatum cum effectu, videlicet, ita vt dici possit de eis consistorialiter consueuisse prouideri, vt patet *in eadem decis. num.7.* dum in ea agitur de stylo: dicitur enim: *Quoad stylum autem, cùm sit quid facti, dixerunt Domini, eum esse probandum: nam, licèt inter Curiales satis tritum videatur istud; tamen, quoniam, (vt aliqui aiunt) conceduntur hæc Monasteria quandoque extra Consistorium; ideò probandus est hic stylus magis explicitè, quomodo se habeat.* Hæc decisio.

Ex quibus patet, quòd decisio non disputat, an Monasteria excedentia valorem 200. ducatorum, vel descripta in libris Cameræ, debeant consistorialiter concedi, vel sint Monasteria consistorialia; sed, an ex hoc probetur, quòd consueuerit consistorialiter prouideri. Et decisio respondet, quòd de iure communi non, neque de stylo, ex rationibus *suprà* deductis: & sic decisio respondet quoad factum probandum; scilicet, quòd ex descriptione non probetur factum, quod consueuerit prouideri, qui non est casus noster, cùm disputetur ius; an, scilicet, probetur, Monasterium esse consistoriale, nun factum: an consueuerit de hoc Monasterio consistorialiter prouideri: & ista decisio Paleotti in hac parte videtur recedere ab alia decis.540.

Secundò, principaliter dicebatur, non sufficere, 6.
quòd Monasterium sit taxatum in libris Cameræ, nisi sit taxatum ad flor.66. & duas tertias, quia taxa fuit facta propter commune seruitium, quod est tertia pars veri valoris: & sic taxatio ad flor.66 & duas tertias, probat Monasteria excedere flor.200. vt per Galles. *de annat. n.3. & 4.* Et hanc veritatem agnouit regia audientia, vt in puncto huius priuilegij refert Michaël Ferrer *in lib. obseruantiarum Senatus Cathaloniæ, p.3. c.1. per tot. & c.2.* Hoc autem Monasterium est taxatum solum in florenis 63. & duabus tertiis.

Sed neque hoc motiuum placuit DD. quia non propterea excluditur, quòd si sit taxatum in minori summa, & verè excedat valorem flor. 200. non sit consistoriale, vt ponderando verba regulæ fuit ostensum in alia decis. & comprobatur ex sententia Sacr. Congr. rerum consistorialium, & Alphonsi Soti antiqui Glossatoris.

Tertiò principaliter dicebatur, non probari, quòd 7.
de hoc Monasterio fuerit aliquando consistorialiter prouisum: & tamen ex Concil. Lateran. *sess.9. in Bulla Leonis X.* huiusmodi Monasteria debent consistorialiter concedi. Sed neque huiusmodi motiuum placuit: quia, vt latè fuit dictum *in alia decisione*, ad hoc, vt Monasterium sit consistoriale, sufficit, quòd sit taxatum in libris Cameræ, vel quòd de eo consueuerit consistorialiter prouideri. Verall. *d. decis.18. lib.1. in Manuscript.* Et censuit prædicta Sacra Congregatio, dum inquit, Monasterium censeri consistoriale, etiam

quòd

quòd Papa aliquando extra Consistorium prouiderit. Et benè Glossator antiquus *super reg. 2. vers. Sed si sine consistorio, post principium*, ait, quòd si sine Consistorio Papa prouideret huiusmodi Monasteria, prouisio valeret. Et subdit: *Maximè, quia nulla Constitutione cauetur, quod debeat prouisio fieri consistorialiter.* Et benè dicit: quia, licèt Concilium Lateranense X. aliquid dicat, supponit potiùs, quàm inducit aliquam necessitatem; ita vt si Papa faciat prouisioné extra Consistorium; illa dicatur corruere ex defectu intentionis.

Quartò principaliter deducebatur, (& ex hoc solo capite Rota recessit à decisis,) non probari, quòd de tempore Adriani, quo fuit concessum priuilegium, Monasterium istud esset consistoriale, nec ratione valoris, nec ex quo sit descriptum in libris Cameræ: imò si attendatur liber, qui adseruatur penes RR.
8. DD. Clericos Cameræ, qui fuit confectus de tempore Eugenij IV. vt patet ex eius insignibus in principio libri positis, & instauratus tempore Pauli II. vt patet ex techis argenteis, quibus liber est ornatus, apparet, tunc temporis Monasterium non fuisse descriptum *in dicto libro*. Nec suffragari potest, quòd hodie
9. probetur esse consistoriale: quia, cùm priuilegium sit concessum super certo subiecto, non debet extendi ad subiecta de futuro omnino separata à subiectis de præterito, quidquid dicendum esset de accessoriis, iuxta veram distinctionem, de qua *in c. Cum Capella*, vbi Gloss. *in verbo, In quantum, de priuileg. c. Tua, il 1. §. 1. c. Cùm in tua, de decimis, cap. fin. de rescript. Clement. Literas, eod. tit.* Gemin. *cons. 106. num. 5. vers. Quia priuilegium.*

Non obstat, quòd de anno 1522. & sic ante Indultum, Adrianus VI. prouidit de hoc Monasterio: quia litteræ Adriani continent mandatum de prouidendo ad fauorem cuiusdam Alphonsi de Herrera, vti electi, ac nominati per Conuentum: & quod plus est, in dicto mandato expresè legitur, quòd de hoc Monasterio non consueuit consistorialiter prouideri. Et quamuis de anno 1524. idem Alphonsus pro Bartholomæo
10. Garcia eius antecessore soluerit commune seruitium, & minuta seruitia, quæ soluuntur pro Episcopatibus, necnon Monasteriis consistorialibus: (pro aliis enim Monasteriis non consistorialibus soluitur annata,) vt per Galles. *de annatis, num. 3. & 4.* tamen ista solutio facta per successorem in beneficio redditur multum suspecta, eóque magis, quia dictus Bartholomæus fuit prouisus ad electionem Conuentus.

Minùs etiam obstant enunciatiuæ de annis 1534 & 1554. quòd de hoc Monasterio consistorialiter consueuerit prouideri. Nam secunda non est Papæ, sed partis. Prima verò, licèt sit enunciatiua Papæ nihil re-
11. leuat. Nam, licèt verum sit, quòd statur assertioni Papæ de facto proprio, vel secum gesto, *Clem. vnic. & ibi* Imol. *num. 9 de probat.* secus tamen est in enunciatiuis, prout est ista, quæ emanauit ad suggestionem partis, & sic à persona suspecta. Aretin. *in c. Cùm causam, il 3.*
12. *num. 21. vers. Et tamen aduerte, de probat.* Et ad effectum, vt enunciatiuæ probarent, deberent esse plures antiquæ excedentes tempus 100. annorum, quæ etiam emanassent à personis non suspectis, aliàs non probantibus, *l. Non nudis, l. Non epistolis*, cum ibi notatis, *C. de probat.* Felin. *in cap. Cùm causam, num. 4. de probat.*

Denique non obstat, quòd hoc dubium disputetur cum præsupposit. Breuis S. D. N. qui ad relationem Illustrissimi Cardinalis Millini, & bon. mem. Cardinalis Arigonij declarauit, hoc Monasterium esse consistoriale: quia omissis aliis responsionibus, & restrictionibus prædicti Breuis, non declarat, quòd esset consistoriale de tempore concessionis indulti, in quo stat punctus difficultatis.

Et sic ex hoc vltimo fundamento solùm, quòd non probatur Monasterium fuisse consistoriale de tempore Indulti, fuit recessum à resolutis.

EMIN. D. CARD. PAMPHILIO Seniore.

Leodien. Abbatissatus, Mercurij, 9. Martij, 1594.

ARGVMENTVM.

Agitur de electione Abbatissæ.

SVMMARIVM.

1. *Scrutatores assumendi sunt de Collegio, etiam in electione Abbatissæ.*
2. *Abbatissa debet esse ætatis 30. annorum, non obstante quacunque consuetudine.*
3. *Postulatio fieri debet ante electionem, & à Papa, non ab Ordinario.*
4. *Heretici filius repellitur à dignitatibus ecclesiasticis.*
5. *Abbatissa est eligenda à duabus partibus Collegij.*
6. *Pars maior Collegij attenditur in electione Abbatissæ, non habita collatione zeli ad zelum, nec meriti ad meritum: etiam quando electio est facienda à mulieribus simul cum masculis, num. seq. & quare, num. 9.*
8. *Constitutio exorbitans disponens de re simplici extenditur ad actum mixtum, quantum ad illas qualitates, quæ concernunt personas facientes actum simplicem, prout illæ qualitates interueniunt in actu mixto.*

DECISIO XVII.

IN concursu duarum electionum factarum de Magdalena Elsia, & Magdalena à Boulandra, in Abbatissatu Monasterij Sancti Amoris, in Monsterblisien. dubitaui, quæ electio esset attendenda. Et DD. dixerunt, neutram sustineri: quia in illis fuit processum per modum scrutinij, assumptis scrutatoribus extra Collegium contra formam *c. Quia propter, de elect.* quod pro substantiali electionis requirit scrutatores assumendos de Collegio, tanquam fidelius negotium ipsum electionis tractaturos, vt ibi trad. Innoc. Ioan. Andr. Butr. *num. 6. & num. 22. vers. Dicitur septimo.* & Abb. *n. 1.* Roman. qui testatur de communi *cons. 352. n. 11. cum sequen.* cum aliis per Petr. Baiz *in suo decreto elect. cap. 24. p. 3.* Et procedit etiam in electione Abbatissæ, vt post Butr. *in d. cap. Quia propter, sub n. 2.* not. Abb. *n. 8.* Paul. de Castr. *in cons. 346 in princ. lib. 1.* Et in electione facta secundùm terminos *cap. Indemnitatibus, de elect. lib. 6.* tradit *ibi* Gemin. *in §. Sanè, in princ.* & Franc. *in 3. notab.*

Et tantò magis, quòd iuxta resolutionem aliàs per Illustrissimos Dominos Sacri Collegij Interpretes in hac causa factam, quantum ad electionem Elsiæ, illa non potest sustineri; cùm tam ex ipsomet instrumento electionis, quàm etiam ex eius propria confessione in commissione causæ constat, illam non fuisse ætatis legitimæ 30. annorum, quæ ex dispositione *d. cap. Indemnitatibus*, & Conc. Trid. *sess. 25. cap. 7. de reg.* non obstante quacunque consuetudine est necessaria in Abbatissa, etiam quòd aliàs non potuisset postulari: quia ista postulatio debuit fieri ante electionem, vt *in tot. tit. de postul. Prelat.* & à Papa, non autem ab Ordinario, vt dicit Gloss. *in d. c. Indemnitatibus, in verb. Eligatur.*

Eligatur.quam sequuntur Ioan.Andr. Anchar.*num*. 2.
& Gemin.*circa fin*. maximè quia, vt dicitur ex prædicta resolutione Illustrissimorum DD.Sacri Concilij Interpretum, nedum non adeiat aliqua ratio publicæ vtilitatis, cur postulatio debuisset confirmari: quinimò adest maxima pro reiectione ob hæresim maternam, *cap*.2.§. *Heretici*, & *cap.Statutum*.*il* 2. *de hæresic.in* 6.

Quantùm verò ad electionem factam de Boulandra, illa similiter corruit: quia non est facta duabus
5. partibus Collegij, vt requiritur secundùm terminos
d.cap.Indemnitatibus.§.*Sanè*.ibi:*Qua à duabus parti-*
6. *bus*: & non habet maiorem numerum Collegij, qui
solus attenditur in electione Abbatissæ, non habita
collatione zeli ad zelum, nec meriti ad meritum, *d.*
cap.Indemnitatibus.§.*Sanè,in fin*.&*ibi* Ioan.Monach.
sub n.20.Archid.Ioan.Andr. Anchar. Franc. *sub n*. 8.
Gemin.*sub n*.6.*&* *in* §.*Si qua verò*.§. *Vt autem*.Card.
in Clem.*Quod circa*. *q*.11.& Vital.*sub num*.3.*eod.tit*.
Petr.de Baiz *in suo direct*. *in* 3 *par.in cap*. 38. *n*.6. qui
omnes dicunt, ob inhabilitatem electæ à maiori numero, non deuolui facultatem eligendi ad maiorem
partem in electione Abbatissæ,& Monialium,licèt secùs sit in electione virorum,*cap*. *Dudum c*. *Humana*.
& *cap.Congregato*.*de elect*. cum *ibi* not. per Doctor.

7. Quod procedit etiam in electione Abbatissæ, quæ
facienda est à mulieribus,simul cum masculis,vt trad.
Ioan.Andr.*in d.cap.Indemnitatibus*,*sub n*.3. *vers*. *Canonic*.& Gemin.*in* §.*Supradicta n*.4.qui dicunt,prædictũ textum habere locum, etiam quando Canonici
8. sæculares adsunt,simul cum mulieribus. Et bene facit,
quod constitutio etiam exorbitans, disponens de re
simplici, extenditur ad actum mixtum, quantùm ad
illas qualitates, quæ concernunt personas facientes
actum simplicem, provt illæ qualitates interueniont
in actu mixto: quicquid dicendum sit quantùm ad
qualitates,quæ respiciunt alias personas, quæ faciunt
actum mixtum,vt post Glos.*in d*.§.*Sanè*.*in verb*. *Non
obstare*.*circa fin*.declarat Gemin.*sub num*.7.*vers*.*Nota
optimam Gloss*. Et hoc maximè quoad computanda
9. vota mulierum, in quibus ratione quadam speciali
constitutum est,vt attendatur solus numerus, non autem zelus, nec meritum; ne vt dicit Ioan. Andr.*in d*.
cap.Indemnitatibus,*n*.3..quem ibi sequuntur Anchar.
in vers.18.notat Gemin. *in* §.*Si qua in vers*. *Vt autem
ad inuicem*.sibi inferant opprobria, & conuitia,reuelando ipsarum secreta. Quæ ratio quoad ipsas fœminas eligentes,militat etiam in electione Abbatissæ, si vna cum eis masculi interueniant; præsertim in hoc casu, vbi longè maior est numerus mulierum, quam virorum, *vulg*.*l*.*Quaeritur ff*.*de stat.hom*,cum aliis allegatis.

R. P. D. PAMPHILIO.

Vallisoletana praeminentiarum, Lunæ, 29.Martij, 1604.

Agitur similiter de electione: ideò hæc decisio ponitur sine Argumento, & Summariis; & non seorsim separata;sed sub antecedenti decimaseptima.

DVbitaui circa modum eligendi Generalem Cõgregationis Sancti Benedicti, de quo in Constitutione fel.record.Pij V. & Domini vnanimiter resoluerunt,non fuisse Canonicum, nec esse attendendum. Quia vult, quòd in vno triennio Conuentus

Sancti Benedicti ex vniuerso Congregationis gremio duos, quos ad id munus præstare iudicauerit, liberè eligat, ex quibus sic electis Congregatio alterum,qui sibi magis idoneus videbitur,assumat, & iste sit Generalis totius Congregationis, & Abbas Conuentus Sancti Benedicti: altero verò triennio Congregatio duos nominet, quorum alter simili modo à Conuentu eligatur, qui sit Generalis Congregationis & Abbas particularis eiusdem Conuentus. Et cùm ex iure communi, & ex Regula Sancti Benedicti electio generalis liberè spectet ad totam Congregationem, vt fuit latè deductum in priori decisione huius Causæ, sub die 24. Nouembris anni præteriti, status, de quo in hac Constitutione restringens hanc eligendi libertatem, non est attendendus.Nec dicitur Canonicus,cùm non sit conformis Regulæ Sancti Benedicti, neque iuri canonico,*cap* 1.*de Constit*.*c*.*Causam*.*in fin*. vbi Gloss.vlt *de reseruat*. cum similibus.

Præsertim, quòd hic status à Monachis Vallisoletanis malè intellectus,ac minùs synceré acceptus aperuit viam ambitioni,periuriis,& acceptationibus personarum ad fauorem Conuentus, habendo, scilicet, per indirectum in quolibet triennio alternato vnum Monachum sui Monasterij in Abbatem Generalem: cùm enim in vno triennio possint eligere duos Monachos,ex vniuersa Congregatione, quorum alter esset Generalis,poterat,sicut semper fecit, eligere duos Professos in suo Conuentu, qui etiam sunt ex gremio Congregationis; & sic de facto habere electionem Generalis passiuam in vno triennio, & actiuam in vtroque.Et hoc etiam sequi poterat, quòd plerunque omissis dignioribus, minùs digni eligerentur, contra proprium iuramentum de eligendo digniorem; & contra expressum motum Pij V. Regulam Sancti Benedicti, & Sacrorum Canonum dispositionem: & consequenter iste status, tanquam præbens occasionem delinquendi: & causam dissensionibus, non est habendus in consideratione *c*.*Erit autem*.*ex* 4.*dist*.*c*. *Ex parte*.*de consuetud*. Maximè quòd experientia docuit exinde optatæ pacis exitum rem fuisse consequutam, vt Sanctissimus D. N. in suis Litteris declarauit.

Non obstat, quòd iste status fuerit confirmatus,& approbatus per Pium V. quia eius confirmatio subreptitiè fuit extorta, & nullum ius tribuit confirmato, *c*.2. & *c*.*penult*. *de confirm*. *vel inutil*. etiamsi fuisset facta ex certa scientia, quæ non supplet defectum subreptionis.Abb. *in cap*.1. *n*.8. & ibi Beros. *num*.32. *eod.tit*.Dec *in d c*.4.*sub num*.7.*in prima limit*.Rot.*decis*.2.*eod.tit*.*in nou*. Subreptio autem est clara: quia in hac constitutione nulla fit mentio, quòd Paulus IV. plenè informatus de his, quæ Congregationi expediebant, à duobus Monachis Casinensibus ad hunc effectum in Hispaniam transmissis, & ex scriptis diuersorum Abbatum, & Monachorum Congregationis, ad relationem Cardinalium, quibus huiusmodi negotium demandauerat, adhibita matura causæ cognitione statuerat, electionem Generalis liberè ad Congregationem iuxta iuris communis dispositionem pertinere, sublatis omnibus modis eligendi Generalem tunc vsque obseruatis, quibus electionis libertas lædebatur, cum clausulis amplissimis,provt latius in suis Literis continetur, quæ de anno 1560. fuerunt renouatæ, & approbatæ per Pium IV.qui detestando inobedientiam Vallisoletanorum in non parendo Literis Pauli IV. damnauit, quæ contra dictas Litteras facta fuerant,& declarauit,illa processisse à dictis Monachis de facto in animarum suarum perniciem, pessimum quoque exemplum, & scandalum plurimorum,incurrendo excommunicationem,& alias pœnas in dictis Litteris contentas.

Accedit etiam quòd Pio V. fuit insinuatum, duodecim Monachos nominatos in vim Litterarum Pij IV. qui modum eligendi alternatum renouarunt, habuisse facultatem circa modum eligendi Generalem quod est falsum, cùm facultas eis data sit expresè restricta ad diuini Officij celebrandi, & morum reformationem, iuxta illius Ordinis regularia instituta, & antiquas Patrum sanctiones; & non capit electionem Generalis, circa quam Pius IV. in eodem Breui firmauerat modum, quem voluit in futurum seruari sub censuris, & pœnis grauissimis, & cum prohibitione, quòd nullo vnquam tempore posset immutari. Et certè non est dubitandum, quòd Pius V. qui ex narratis credidit Ordinationes duodecim Monachorum Madritti fuisse iuxta formam Litterarum Pij IV. & benè, & prudenter editas, vt ipse asserit, illas non confirmasset, si sciuisset, fuisse contrarias Litteris Pij IV. & nullas ex defectu potestatis circa modum eligendi alternatum, à iure communi, & suis prædecessoribus toties damnatum, nec eorum Litteras cum magna causæ cognitione concessas reuocasset, *cap. Super his*, cum *ibi* not. *de rescript.* Roman. *cons.* 327. *n.* 4. Dec. *cons.* 165. *num.* 3. Mohed. *decis.* 8. *de preben.*

Non obstat, quòd Congregatio videatur consensisse Ordinationibus factis per illos duodecim Monachos, & illatum confirmationi: quia de consensu Congregationis saltem voluntario, non constat. Nam asserta acceptatio confirmationis, & eorum, quæ à duodecim Monachis Madritti statuta fuerunt, non fuit voluntaria propter censuras comminatas, & præceptum Regis, quæ præcesserant, & consensum excludunt: fuerat enim etiam Regi suggestum, duodecim Monachos authoritate apostolica à Pio IV. tributa fecisse Ordinationes circa electionem Generalis, & ab eodem Pontifice habuisse quoque facultatem illas exequendi, ac omnino obseruari faciendi sub grauissimis pœnis, & censuris ecclesiasticis, inuocato etiam ad hoc, si opus esset, auxilio brachij sæcularis, & sub hac falsa assertione inductus Rex, qui enixè cupiebat tranquillitatem, & pacem Monachorum, putans Ordinationes fuisse factas iuxta mentem Pij IV. & vt eiusdem Pontificis Litteræ suum sortirentur effectum, dedit quibusdam Monachis, pro exequutione Ordinationum deputatis, prouisionem regiam pro compellendis aliis Monachis ad acceptandum Ordinationes præfatas, & illas obseruandum.

Quod etiam fuit factum in Capitulis Generalibus subsequutis, in quibus illis, qui ad præsidendum in dictis Capitulis nomine regio mittebantur Rex expressè mandabat, vt facerent inuiolabiliter obseruari Constitutiones Madritti factas; neque vnquam illas aliquo modo immutari permitterent, vt appatet ex precibus per Monachos Vallisoletanos Regi porrectis, in quibus inter cætera de Congregatione conquerunrur, quòd de anno 1598. in Capitulo Generali ausa fuerat, absque licentia, & ordinatione Regis acceptare Litteras à Gregorio XIII. de anno 1571. obtentas contra dictas Ordinationes Madritti authoritate apostolica statutas, & à Pio V. ad Regis instantiam confirmatas: quod repugnabat intentioni Regis, qui semper habuit tantam voluntatem, vt dictæ leges Madritti ordinatæ existant in integra obseruantia, quod in cedulis regiis, quas secum afferebant Præsidentes, qui suo nomine veniebant ad præsidendum in Capitulis Generalibus, expressè illis mandabat, vt animaduerterent, ne consentirent illas aliquo modo immutari: subdentes, quòd Congregatio tanto tempore litteras Gregorij occultauerat propter timorem, quem de dictis Præsidentibus habebat, & quòd de anno 1598. ausa fuit illas palam acceptare: quia in illo Capitulo nullus adfuit, qui nomine Regis præsideret.

Ex his apparet, Congregationem nullo vnquam tempore dictis Ordinationibus, & illarum confirmationi voluntariè, & liberè consensisse: sed metu censurarum, & violentiarum sibi illatarum, & quòd quandocunque potuit, semper ab illis reclamauit: quod excludit consensum, qui aliàs ex ipsa acceptatione elici potuisset; præsertim stantibus protestationibus aliquorum Monasteriorum, quòd timebant dictos exequutores facilè posse per violentiam cogere Monachos, & Conuentus Congregationis ad acceptandum dictas Ordinationes Madritti. Et cùm, neque hoc recusare, neque resistere dictis exequutoribus possent, coram aliis Iudicibus protestati sunt, quòd si contingat dictis Ordinationibus ab eis præstari aliquem consensum expressum, vel tacitum, censeri deberet præstitus per timorem, & metum censurarum, carcerationum, oppressionum, & aliarum pœnarum, quæ sibi inferri timebant, si non consensissent. Et istæ protestationes, cùm sint factæ ex iusta causa, multum operantur ad excludendum consensum in futurum, etiam quòd à parte sint ignoratæ, *c.* 1. cum *ibi* not. *quod metus causa*, Abb. *in cap. Cum M. Ferrarien. num.* 19. *vers. Aut ille non consensit*, & *ibi* Felin. *num* 79 *in* 5 *fallen. vers. Et probat cap. de constitut.*

Non obstat, quòd libertas eligendi possit restringi ad certum genus personarum, vel ex consuetudine, iuxta not. *in cap. Constitutus, n.* 2. Præposit. *num.* 11. & Alex. de Neuo *num* 19. *de appell.* quia hic neque adest consuetudo, neque consensus Congregationis, vt dictum est. Vltra quod nota, quòd in dictis iuribus non ita indistinctè procedunt, præsertim in electione actiua competente Congregationi, quæ pro vna persona reputatur, quicquid dicendum sit in electione, quæ pluribus competat, vt per Lap. *in Clem. Plures, num.* 4. *in fin.* & Card. *in* §. *Quibus, num.* 30. *de iurepatr.*

Et ita etiam cessant ea, quæ dicuntur de conuentione inter patronos super alternatiua præsentatione *ex Clem. Plures*, §. *Et vt facilius*, vbi Gloss. *in verb. alternis*, cum aliis allegatis: quia, vt dixi, hîc nullus adest cõsensus Congregationis, & dispositio, d. §. *Et vt facilius*, procedit, quando conuentio fit inter diuersas personas; quia iuspatronatus competit in solidum, vel inter duas Vniuersitates, seu Collegia: secùs verò quando competit vni Collegio, seu Vniuersitati, quæ habetur loco vnius, cùm non attendatur præsentatio vniuscuiusque de Collegio; sed, quæ fit à maiori parte. Et hoc casu cessat dispositio *d.* §. *Et vt facilius*. Quia non esset diuidere præsentationem alternis vicibus; sed vnam, & eandem personam in partes scindere, quod fieri non potest, vt benè declarat Lap. *in d. Clement. Plures, num.* 4. *in fin. & seq.* Card. *in* §. *Quibus, num.* 3. *quæst.* Lambert. *de iurepatron. lib.* 2. *part.* 2. *quæst.* 5. *art.* 6. *in fin.*

Non obstat, quòd status Constitutionis Pij V. fuerit obseruatus per decem annos, & vltrà: quia necessarius est status præscriptus per quadraginta annos, vt libera facultas eligendi Generalem, quæ ex iure communi, & Regula Sancti Benedicti, & ex Constitutionibus Pauli IV. & Pij V. spectabat ad solam Congregationem, restringatur in alternato triennio ad Monachos professos Monasterij, seu Conuentus Vallisoletani, iuxta Ordinationes factas Madritti, *ad c. Cum de beneficio*, vbi Gloss. *in verb. Legitima.* Archid. *num.* 1. Monoch. *num.* 1. Gemin. *n.* 8. & Franc *num.* 5. *de preben. in* 6. Et ita etiam loquuntur decisiones allegatæ *in non.* 2. *de preben. & in antiq.* 22. *de probat.*

& sæpiùs in diuersis causis fuit
ita decisum, &c.

R. P. D.

R. P. D. DVRATTO.

Hispalen. Canonicatus, Luna, 3. February, 1617.

ARGVMENTVM.

Papa quando dicatur præuenire voluisse in collatione beneficij. Contemptus an augeat numerum, si postea electioni consentiat. Et alia, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

1 *Papa dicitur præuenisse in gratia, quando fuit narrata vacatio in mense ordinario, & quòd adhuc ille non contulerat.*

2 *Maiorem vocum partem habere non dicitur, qui non habet vltra medietatem.*

3 *Contemptus dicitur, qui fuit vocatus, & non admissus.*

4 *Vota data extra Capitulum non suffragantur: debent enim dari, vt ab vniuersis, non vt à singulis.*

5 *Contemptus si postea consensit, non auget numerum.*

6 *Contradictor legitimus non est non possidens, nec docens incontinenti de iure suo.*

7 *Contradictor legitimus non est, qui non habet parem titulum.*

8 *Collatio facta de præbenda, quæ est simultaneæ collationis, si fiat ab vno tantùm, nulla est.*

DECISIO XVIII.

PRo debita executione secundæ gratiæ apostolicæ
dixerunt DD. Ioannem, quo illa nititur, immitten-
dum esse in possessionem Canonicatus, & præbendæ,
de quibus agitur. Quia est benè iustificata, quoad
omnia narrata; videlicet, quoad Clericatum, & fami-
liaritatem Ioannis cum Illustrissimo D. Cardinali Za-
pata, vacationem dictorum Canonicatus, & præben-
dæ per obitum Gasparis vltimi possessoris de mense
Septembris valotem eorum, & pensionem super illis
reseruatam, ac etiam valorem obtentorum, ex datis
in summario eiusdem Ioannis, ac etiam quoad alia, in
quibus tota vis ex aduerso fiebat, siue gratia sit præ-
uentiua, provt dici potest; quia, cùm narratum fuerit,
vacationem contigisse mense ordinario, & de tem-
pore dictæ gratiæ nullam fuisse factam collationem,
cui posset præiudicari; & ad effectum, vt de hoc con-
1. staret, fuerit narrata discordia inter Archiepiscopum,
& Capitulum, & Papa contulerit; vtique in necessa-
rium antecedens arguitur, quòd voluerit præuenire
in euentum, quòd alia prouisio anterior facta non
esset, vt per text. *in cap. Dudum*, & *cap. Quamuis, il 2. de præben. in 6.* & Rot. *decis. 17. eod. tit. in nou.* Fuit in
terminis ad sustinendam gratiam consideratum in alia
Hispalen. portionis, 14. Aprilis, 1595. coram bon.
mem. Cardinali Blancherto, & tradit Gonzal. *ad reg. 8.*
§. 4. *proœm. n. 70. cum pluribus seqq.* & Card. Seraph.
decis. 1144. num. 2. Siue fuerit fundata super dicta dis-
cordia inter Archiepiscopum, & Capitulum, simul-
taneos Collatores in ea narrata. Illa enim est plenè
probata ex actibus capitularibus; & quidquid sit de
primo 23. Decembris, 1615. ex vltimis duobus 8. &
21. Ianuarij, 1616. in quibus Capitulum, & Canonici
pro maiori parte discordarunt à nominatione Archie-
piscopi, & de communi consensu remiserunt colla-
tionem ad Sanctissimum, tanquam discordatam, vt
in dicto Summario Ioannis, *num. 7.* & 8. huiusmodi
enim acta capitularia concludenter probant, vt notis-
simum est.

Non obstat, quòd constet de concordia: quia An-
tonius fuit nominatus ab Archiepiscopo, & in d. scru-
tinio 23. Decembris, 1615. habuit duodecim vota ex
vigintiquatuor. Quoniam certum est, quòd quis non 2.
dicitur habere maiorem partem, nisi excedat medie-
tatem. Gloss. *in cap. vnic. in verb. Assensu, vers. Scire
debes, ne Sed. vacan. lib. 6.* Abb. *in cap. Postulastis,
num. 14. in fin. vers. Ex quo infertur, de concess. præ-
bend.* & post eum Syluest. *de Benef. part. 2. quæst. 17.
num. 11.* Minùs obstat, quòd tria vota extra Capitu-
lum data augeant numerum ad eius fauorem, & con-
sequenter, quòd habeat maiorem partem; præsertim,
quia illi qui dederunt prædicta vota, fuerant eiecti,
vel impediti votare in Capitulo; & ideò debent ha-
beri pro præsentibus. Non enim subsistit in facto,
quòd fuerint eiecti, vel impediti; imò ipsi in exhibi-
tione vototum, de qua in Summario Antonij *num. 7.* 3.
dicunt, se non fuisse vocatos: & nihilominus, siue
non fuerint vocati, siue non admissi, (quod idem
videtur, ad not. per Card. *in cap. In Genesi, num. 3.
not. 17. & columna 4. in 6. oppos. vers. Vnde etiam, de
elect.*) vota data extra Capitulum non suffragantur, 4.
ex quo debent dari vti ab vniuersis, non vti a singulis.
Innoc. *in d. cap. In Genesi, num 7. ad fin. vers. Hoc
non placet*, & Butr. *num. 28. vers. Dum tamen*, & alij.
Imò etiamsi admittendi fuissent, licèt intra legitimum
tempus dare potuissent de ipsorum contemptu, & de
nullitate electionis; non tamen id facere potuerunt,
nec vota augere ad fauorem Antonij, postquam vo- 5.
tando extra Capitulum videntur prædictæ electioni
consensisse. Glusſ. *in cap. Ecclesia vestra, il 2. verb.
Adyecero, circa med. vers. Non credo, & verb. Vale-
bat, in fin. de elect.* post Innoc. Host. Ioan. Andr. &
Bald. *ibidem.* Butr. *num. 23.* Card. *col. 2. in 5. opposit.
& col. 4. quæst. 4.* Imol. *num. 8. prope fin.* Abb. *num. 10.*
vbi de communi, & Anan. *num. 2. vers. Nota, quòd
vox.* Idem Host. & cæteri omnes *in d. cap. In Genesi.*
& Petr. de Baiz *in direct. elect. part. 3. cap. 7. num. 3.
& seq.* Ex præmissis autem infertur, non posse dubita-
ri de prouisione apostolica, & sic de titulo Ioannis,
& consequenter Antonium non esse legitimum con- 6.
tradictorem, nedum quia non possidet, nec docet in-
continenti de iure suo, vt fuit tentum *in Seguntina
Canonicatus*, 26. Nouembris præteriti coram R. P. D.
meo Mazanedo. Et quia non solùm non habet parem 7.
titulum, provt requiritur ad hoc, vt quis esse possit
legitimus contradictor, vt ex nouissimè cumulatis
per Angel. *in tract. de legit. contradict. quæst. 15. art. 6.
num. 202.* sed etiam, quia non habet aliquem titu-
lum: propterea enim eius collatio est nulla: tum,
quia est facta per solum Prouisorem Archiepiscopi, 8.
& tamen dicti Canonicatus, & præbenda sunt simul-
taneæ collationes. Ioan. Andr. *in cap. A collatione,
num. 3.* & *ibi* Franch. *num. 1. vers. Eo tamen casu, de
appellat. in 6.* Feder. de Sen. *cons. 1. num 10. vers. Solu-
tio.* Syluest. *de benef. part. 3 quæst. 71.* & latè Rebuff.
cons. 60. num. 12. cum pluribus seqq. Tum etiam, quia
est contra formam mandati D. Archiepiscopi dati 24.
Septembris, 1615. in dicto Summario Antonij *num 1,*
ad concurrendum simultaneè cum Capitulo, & fa-
ciendum institutionem dictorum Canonicatus, &
præbendæ, in personam dicti Antonij, obseruando il-
la, quæ de iure, & consuetudine debent seruari.

Et ex his fuit, vt suprà, vtraque parte informante
resolutum.

R.P.D. DVNOZETTO.

Nullius Canonicatuum de Roncesualles, Luna, 22. Maij, 1628.

ARGVMENTVM.

Plura in materia electionis, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

1 *Electio, in qua vota sunt paria, non valet.*
2 *Scrutinio publicato, variare non licet.*
3 *Eligentes debent esse professi: & si opponatur professionis defectus, de ea doceri debet.*
4 *Professio tacita resultans ex delatione habitus non suffragatur, si non constat, fuisse factum annum probationis.*
5 *Professio non probatur ex professione Prioratus, qui potest conferri etiam non professis.*

DECISIO XIX.

DOmini dixerunt, electionem Aquaretæ, & litis
consortibus esse cassandam: quia publicato scru-
tinio, & facta collatione numeri ad numerum, com-
1. pertum fuit, vota fuisse paria: & sic non obtinuerunt
maiorem partem suffragiorum, ex qua resultare po-
tuit canonica electio, iuxta text. *in cap. In Genesi*, &
cap. Ecclesia vestra, el 2. & ibi *Gloss. in verb. 2. Non
consenserit, vers. Sed si omnia, de elect.* Abb. *n. 13. vers.
Si autem omnia sint hinc inde pari 1.* Zabatell. *in fin.
vers. Si autem paritas, de elect.* Gloss. *in cap. Obeun-
tibus, in verbis: Nunc ergo, circa fin. 63. dist.* quam
probant *ibidem* Archid. Præpos. & Gemin. *in fin.*

Non obstat, quòd Prior, qui poterat gaudere du-
plici voto, declarauerit, se votasse pro Aquareta, & li-
tis consortibus: nam, cùm fuerit processum per vota
secreta, quæ fuerunt paria, non potuit Prior, publicato
scrutinio, deuenire ad hanc declarationem, aliàs enim
aperiretur via fraudibus; & possent electores votare
pro vno, & deinde declarare se votasse pro alio: & sic
variare: quod non licet, publicato scrutinio, *cap. Pu-
2. blicato, de elect.* functi enim iam sunt eo officio. Pa-
norm. *d. cap. Publicato, n. 4 de elect.* & in simili cen-
suit Rota *in Carthaginensi, Canonicatus, 6. Febr.* 1604.
coram bon. mem. Cardinali Lancellotto.

Præterea visum etiam fuit Dominis, Priorem nul-
3. lam habuisse vocem: in ipso enim limine electionis
dubitatum fuit de eius professione, cùm tamen ad va-
liditatem electionis regularis, nedum requiratur pro-
fessio in eligente, *cap. Ex eod. de elect. in 6.* sed etiam
de ea doceri debeat, si professionis defectus fuerit op-
positus. Dec. *cons. 522. num. 15. & 16.*

4. Nec suffragatur professio tacita ex delatione habi-
tus: quia vitra quod in Priore ob illius dignitatis
prærogatiuam in dicta Ecclesia semper est idem habi-
tus, cùm non constet d Priorem fecisse annum pro-
bationis; & ideò obstet Conc. Trid. *sess. 25. cap. 15. de
Regul.* cuius dispositio procedit in professione expres-
sa, multò magis habebit locum in tacita, in qua sunt
necessaria eadem requisita. Nauar. *cons. 18. 19. & 32.
de Regular.*

5. Non obstat, quòd fuerit in possessione Prioratus
multo tempore: quia, cùm Prioratus potuerit con-
ferri, sicut reuera ipsimet collatus fuit ante professio-
nem; ex possessione Prioratus non infertur ad emis-
sionem voti professionis, *cap. In præsentia, de prob.*
Neque concurrunt alij actus positiui: vnde inferri
possit ad quasi possessionem status professionis, aut
iuris eligendi, & sic cessant deducta *ex cons.* Cal-
det. 23. *de Prabend.*

Et ita resolutum, vtraque, &c.

REVER. D. COCCINO Decano.

Ferrarien. seu Comaclen. bonorum de Nasellis, Luna, 7. Iunij, 1627.

ARGVMENTVM.

Dominium, & identitas ad effectum deuolutionis, ex quibus probentur. Et quænam præscriptio currat contra Ecclesias, quæ sunt de proprio patrimonio Romanæ Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Inuestitura non probant concludenter dominium ad effectum rei vendicationis, nisi concurrant adminicula: & num. seq.*
3 *Locatio, licèt sola, non probat dominium concludenter: probat tamen cum alijs adminiculis.*
4 *Dismembratio præsupponit dominium, & possessionem ex antecedenti, extitisse penes locum, a quo facta fuit dismembratio.*
5 *Dominium plenè acquiritur ex concessione Supremi Principis.*
6 *Dominium probatur ex instrumento continente donationem Principis ex certa scientia factam.*
7 *Dominium ex concessione Principis transfertur etiam sine traditione.*
8 *Dominium an ex contractu transferatur absque traditione.*
9 *Dominium acquiritur Ecclesia ex contractu, absque traditione.*
10 *Castro per Imperatorem Ecclesia donato, venit etiam merum imperium; secus in donatione facta priuato.*
11 *Papa potest tollere bona vni Ecclesia, & illa alteri assignare.*
12 *Dominium bonorum ecclesiasticorum est penes Papam.*
13 *Papa in bonis ecclesiasticis habet plenissimam potestatem, & dispositionem.*
14 *Enunciatiua antiquissima, & vltra centum annos, plenè probant dominium ad quemcunque effectũ.*
15 *Dominium in antiquis probatur per indicia, & coniecturas.*
16 *Dominium in antiquis probatur per testes deponentes de auditu a maioribus.*
17 *Inuestiturarum pluralitas probat dominium.*
18 *Identitas probatur ex duabus demonstrationibus: etiamsi vna sit generalis, & alia particularis.*
19 *Demonstrationes duæ sufficiunt ad probadam identitatem, etiamsi adsint alia, quæ non conueniant.*
20 *Identitas probatur ex conformi denominatione, si alia eiusdem nominis bona in eadem regione non probentur extare.*
21 *Identitas probatur ex sola aliqua qualitate, quæ rei conuenit singulariter.*
22 *Identitas in antiquis probatur argumentis, præsumptionibus, & coniecturis.*
23 Iuxta; *dictio designat tantummodo vicinitatem.*
24 Iosta, *dictio, vtrunque extremum complectitur.*
25 *Flumen solet mutare cursum.*
26 *Situs non probatur per testes deponẽtes, bona extare*

ad

ad dexteram, vel ad sinistram, si non addant aliquam specificationem situationis, habito respectu ad Orientem, vel Occidentem, sine ad alia.

17 *Priuilegium Ecclesiæ concessum à Principe laico, est validum.*

18 *Priuilegium concessum Monasterio, suffragatur etiam illius membris posteà erectis.*

19 *Priuilegia fauore Ecclesiæ trahuntur etiam ad futura.*

30 *Priuilegia concessa Monasteriis hactenus ædificatis, intelliguntur etiā de Monasteriis ædificandis.*

31 Hactenus, *dictio est intelligenda semper, quando casus euenerit, ita vt non excludat illum casum.*

32 *Ecclesiæ Marchiæ, & Ferrariæ, sunt de proprio patrimonio Romanæ Ecclesiæ, & de horto eiusdem.*

33 *Præscriptio centenaria requiritur contra Ecclesias de patrimonio Romanæ Ecclesiæ.*

34 *Præscriptio nō currit, nisi elapso tēpore inuestituræ.*

35 *Sententia per lapsū fatalium transit in iudicatū.*

DECISIO XX.

Claræ memoriæ Alexander Cardinalis Estensis, Præpositus Ecclesiæ S. Mariæ de Pomposia, de anno 1602. intentauit Ferrariæ iudicium rei vendicationis pro recuperatione quorundam bonorum; & in specie cuiusdam prædij, siue possessionis, vulgò nuncupatæ, *la possessione del Tempesta*, tanquàm pleno iure pertinentis ad dictam præposituram, aduersùs DD. de Nasellis, & D. Marcum Follegatum, qui respectiuè dictum prædium, siue possessionem occupabant. Vnde cùm ad fauorem Abbatiæ duas sententias conformes obtinuisset, quæ vigore dispositionis statuti Ferrarien. non admittentis à duabus conformibus appellationem, erant exequendæ, fuit pro parte dictorum de Nasellis, & Follegati habitus recursus ad signaturam, quæ mihi causam commisit, cùm clausula; *constito de duabus conformibus, seu quod aliàs, &c. exequatur*, &c. Ideóque cùm pro parte Illustrissimi, & Reuerendissimi D. mei Cardinalis Barberini, moderni Præpositi instaretur pro exequutione dictarum sententiarum: quia Rota nunquam exequitur sententias aliorum Tribunalium, nisi degustata priùs iustitia, hodie dubitatum, an dictæ sententiæ sint iustæ, & exequendæ in casu, &c. Et domini, negotio maturè discusso, responderunt constare de illarum iustitia ad effectum exequutionis.

Tota enim difficultas ad tres inspectiones reducitur. Prima est, vt videatur, an constet de dominio Præpositurae in istis bonis, & specialiter in dicta possessione del Tempesta. Secunda, an constet de eorumdem bonorum indentitate. Tertia, an obstet præscriptio.

Quoad primam inspectionem, visum fuit DD. non posse controuerti, dominium Abbatiæ, & in consequentiam Præpositutæ, quæ huiusmodi bona habuit ab Abbatia, vt inferius dicetur. Quia constat, primò quòd de anno 1642. die 11. Iunij, Raynaldus Maria Estensis commendatarius Abbatiæ Pomposianæ, de dicta possessione, siue prædio reinuestiuit ad alios 29. annos Nicolaum Tempestam, qui de illis fuerat inuestitus 29. annis antè, nempe, de anno 1433. prout enūciatur in instrumento reuocationis dictæ inuestituræ. Secundò, quòd de anno 1490. die 6. Augusti, Ioannes Lucas de Pontremolo, Procurator Hippolyti Estensis, tunc Cōmendatarij dictæ Abbatiæ, de eodem prædio seu possessione inuestiuit Raynaldum Estensem, ad 29. annos similiter, vt latiùs in eadem inuestitura, in qua non modò enunciatur præcedens inuestitura, facta Nicolao Tempestæ; verum etiam eadem confinia iisdem formalibus verbis exprimuntur, qui-bus fuerant designata in dicta præcedenti. Ex quibus solis inuestituris licèt non resultet concludens probatio dominij ad effectum rei vendicationis, ad text. *in c. Inter dilectos. prope finem. in vers. Per instrumēta verò.* vbi DD. & Glos. *in verb. locatio. de fid. instr.* & *in l. Solēnibus*, *C. de rei vendic.* Bald. *in l. fin. ff. de adim. legat.* & Alex. *cons. 10. n. 3. vol. 4.* Afflict. *dec. 14. n. 8.* Rot. *in antiq. dec. 87.* quam refert Gabr. *tit. de locat. concl. 4. in princ.* Tamen secus est, quando concurrunt adminicula per doctrin. Bart. *in l. Ad probationem. 23. C. locat.* vbi, quod, quamuis locatio non probet dominium sola; secus tamen est cum aliis, & dicit, id esse perpetuò menti tenendum. Bald. *in l. Cum. aliquis. n. 4. C. de iur. deliber.* Angel. *in l. Officium. n. 2. ver. Sed benè. ff. de rei vendic.* Ias. *in l. Quoties. n. 5. in fin. C. eod. tit.* Rip. *in l. Si rem aliquam. n. 39. ff. de acquir. poss.* Dec. *cons. 146. n. 14. vers. Et licèt per instrumenta.* Socin. Sen. *cons. 89. n. 11. vers. tamen. quando. vol. 1. & cons. 187. n. 2. vol. 2.* Paris. *cons. 104. n. 82. & seqq. vol. 1.* Gabriel. *tit. de locat. dicta concl. 4. n. 6.* latè Menoch. *cons. 409. num. 11. vol. 5.* & in terminis huius præpositurae, Marcambtun. *cons. 52. num. 10.* Et hanc opinionem passim sequuta est Rota *in Ciuitatis Castelli bonorum*, 8. Nouembris, 1589. & 12. Febr. 1590. coram bon. mem. Card. Pamphilio, *in Papien. bonorum*, 28. Aprilis. 1595. corā Illustriss. Card. Millino, *in Placentina deuolutionis terrarum*, 21. Aprilis, 1600. coram Corduba, *in Sublacen. bonorum*, 21. Maij, 1604. corā Litta, *in Ferrarien. Prædij*, 3. *Decembris*. 610. coram me, *in Leodien. dominij de Hollonia*, 5. Maij, 1625. coram R. P. D. M. Merlino, & *in Romana deuolutionis*, 28. Maij eiusdem anni. 1625. coram R. P. D. M. Pirouano, & *dec. 290. n. 1. p. 1.* & *dec. 139. n. 1. par. 2. recent.* & apud Seraph *dec. 1453. n. 3.* 1. 2. 3.

Hic autem concurrunt plura adminicula, & quidem vrgentia. Primò enim concurrit dismembratio bonorum, de quibus agitur, motu proprio facta per Innocentium VIII. à mensa conuentuali Monasterij Congregationis S. Iustinæ, & eorundem applicatio pro dote huius Præpositurae: ex qua dismembratione, atque applicatione confirmata etiam per Alexandrum VI. in eiusdem Præpositurae erectione, resultat euidens probatio dominij, non solùm mensæ abbatialis, siue conuentualis, à qua dicta bona fuerunt dismembrata; quia dismembratio præsupponit dominium, & possessionem ex antecedenti extitisse penes Abbatiam, vt in puncto Caputaq. *dec. 344. num. 3. parte 3.* & dixit Rota *in Bononien. dismembrationis.* 5. Iunij, 1606. coram Reuerendissimo D. M. Patriarcha Antiocheno, *quæ est dec. 119. n. 4. par. 1. in recent.* Sed etiam dominij Præpositurae, cui dicta bona fuerunt in dotem assignata: quia ex illa supremi Principis concessione dominium fuit sibi plenè acquisitum. Angel *in d. l. Officium. num. 3 ff. de rei vendicat.* vbi, quod, licèt instrumentum non plenè probet dominium: secùs tamen est, si sit instrumentum continens donationem Principis, ex certa scientia factam: quia habet potentiam transferendi dominium, ad libitum voluntatis, prout etiam dixit Bald. *in prælud. feud. num. 29.* benè Alex. *in l. 3. num. 17. ff. de acqu. poss. & in cons. 3. num. 6. & seqq. vol. 5.* Dec. *cons. 186. num. 4. vers. Et ista opinio.* Ruin. *cons. 32. n. 4. lib. 1.* Couar. *lib. 2. var. cap. 19. num. 3.* Socin. iun. *cons. 65 num. 6. vol. 1.* vbi, quòd concessio principis transfert dominium, etiam sine traditione quicquid sit in contractibus, de quo disputant DD. *in l. Traditionibus. C. de pactis*, Paris. *cons. 11. num. 58. lib. 1.* Gabriel. *tit. de empt. & vendit. concl. 2. num. 39.* quos sequitur, & refert Rot. *dec. 664. num. 18. part. 2. recent.* Et multò magis ad fauorem Ecclesiæ, cui competit hoc priuilegium, vt sine traditione dominium acquirat, vt per text. *in l. fin. C. de sacros. Eccles.* & Bald. *cons. 337. num. 5. lib. 1.* & alios tenuit Rot. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Rot.*dec.673.part.2.in recent.* prout in aliis etiam hu-
iusmodi Ecclesia reperitur priuilegiata, vt benè per
Ioan. Andr.*in addit.ad Specul. incip.Vidistis duas opi-*
10. *niones.de iurisd.omn.Iudic.* vbi, quòd, si donatio fiat Ec-
clesiæ per Imperatorem de terris, vel castris, venit
etiam merum imperium; licèt secùs sit in donatio-
11. ne facta priuato. Quæ omnia tantò magis habent
locum in caso nostro: quia Papa potest tollere bo-
na vni Ecclesiæ, & illa assignare alteri, *arg. Clem. Si*
vna de reb.Eccles.non alien.& cap. Consultationib. &
12. *c.Pastoralis. de donat.* Dominium enim bonorum ec-
clesiasticorum est penes ipsum Papam, qui ideo eo-
rum dominus dicitur. Abb.*in c. Constitutus. num.15.*
de relig.domib. Æneas de Falconib. *de reseruat.prel.2.*
13. *num.2.* Paris *de resignatione,lib.2.quæst.4.num.34* Ha-
bétque in illis plenissimam potestatem, & dispositio-
nem, *c.2.in princ.de prab.in 6.c.Propos.eod.tit.Clem.1.*
in fin.vt lit.pend.

Secundò, concurrunt tractatus, & capitulationes
factæ de anno 1491. inter agentes Hippolyti Esten-
sis Commendarij, & Procuratores Præsidentis
Congregationis S. Iustinæ, super erectione dictæ
Præpositurae, in quibus inter cætera conuentum
fuit, vt dicta Possessio, olim tenta per Tempestam,
& tunc possessa per Raynaldum Estensem, applica-
retur, & assignaretur Præpositurae, prout in eiusdem
erectione fuit postmodum assignata, vt patet ex lit-
teris Alexandri IV. in quibus specificè assignantur
in dotem Præpositurae, Prædia, siue possessio per Ni-
colaüm Tempestam, aliàs Testam; tunc verò per
Raynaldum Estensem possessa, &c. quæ enuntiatiuæ,
14. cùm sint antiquissimæ, & vltra 100. annos, plenè
probant dominium ad quemcunque effectum, Felin.
in cap.Cum causam.13. num.4.versic. Tamen.instrum.
de prob. & ante illum Bald. *in l. Cum aliquis. num.4.*
& *ibi* Ias.*pariter n.4 C.de iur.delib.* Aretio.*cons.164.*
num.3.versic. Si tamen isti nobiles. Alex. *cons.75. n.3.*
*lib.4.*Dec.*cons.146.num.14.*Socin. *d.cons.187. num 5.*
& *cons. 65. num 7. lib.1.* benè Menoch. *d. cons. 409.*
num 9.& seqq vol.5. Cassad.*dec.3.n.3.de Procur.*Put.
*dec.209.lib.2.*Rot.*in recent dec.91.n.2.p.1.*& *dec.223.*
*num 4 p.2 diu.& in dicta Papien.bonorum,*28.Aprilis,
15. 1595. coram Illustrissimo Cardinale Millino. In anti-
quis enim, in quibus proculdubiò nos sumus, domi-
nium per indicia, & coniecturas probatur, vt per Bald.
in l.Indicia num 50. C. de rei vendic. Socin.*cons.205.*
num.3.lib.2. Dec.*dict. cons.146. num.12.*Paris.*d.cons.*
*104 num 101.lib.1.*Riminald.iun.*cons.23.n.279.lib.1.*
Cassad. *decis.2. n.2. & 3. de prob.*Verall.*decis.238.&*
275.l.2 in manuscript.& Rot.*dec.12.n.2. & dec.193.*
num.2.p.2.recent.

Tertiò, concurrit instrumentum Concordiæ initæ
de anno 1550. inter Cardinalem Ferrarien. Præposi-
tum, & Monasterium Pomposianum, occasione di-
uersarum differentiarum tunc inter eos vertentium,
in quo inter cætera conuentum fuit, vt possessio, quæ
sita est in Vaccolini territorio, infra Padum curren-
tem, & quæ vulgò appellatur, *la possessione del Tempe-*
sta, tunc possessa ab illis de Nasellis, remaneret Præ-
positurae.

Quartò: concurrunt depositiones quinque te-
stium, examinatorum pro parte Præpositi, qui
dicunt, se audiuisse à maioribus, quòd possessio,
quam nunc detinent Naselli, & Follegatus, erat
de iuribus Abbatiæ, siue Præpositurae; & quòd sem-
per fuit appellata, *la possessione del Tempesta.* Vnde
16. non parum conferunt ad probationem dominij,
maximè in antiquis, vt in nostris terminis conside-
rat Bursat. *cons.27. num 7. vers. Tertio testes.* & pon-
derauit Rota *in dict.Sublacen.bonorum,*21.Maij,1604.
coram Litta.

Quinto, & vltimò concurrit pluralitas inuestitu- 17.
rarum, quam in puncto, de hac Præpositura aduertit
Marcambrun. *d cons.52. num.10.*& ex Socin. *in dict.*
cons.187.num.16.lib.2. considerauit Rota *in dicta Pa-*
pien.bonorum, coram Illustrissimo Millino, & *in dec.*
193.num.2 p.2.rec.

Quo verò ad secundam inspectionem visum fuit
DD. identitatem bonorum, de quibus agitur, videli-
cet, possessionis del Tempesta, satis esse iustificatam,
& sufficienter constare, quòd dictum prædium, seu
possessio, quæ per ministros Abbatiæ Pomposæ fuit
concessa in emphyteusim ad 29 annos, primò de an-
no 1433. & secundò de anno 1462. Nicolao Tem-
pestæ, & postmodum de anno 1490. Raynaldo Esten-
si, & quæ, præuio tractatu, siue capitulationibus factis
inter Agentes Hippolyti Estensis, Commendatarij &
Procuratoris Præsidentis Congregationis S. Iustinæ;
fuit, priùs per Innocentium VIII. & posteà per
Alexandrum VI. pro dote Præpositurae in ipsius ere-
ctione applicata; & denique eidem Præpositurae, vi-
gore concordiæ anni 1550. initæ inter Cardinalem
Ferrarien. Præpositum, & Monasterium Pomposia-
num assignata, esse illam eandem, quæ nunc detinetur
à Nasellis, & Follegato respectiuè.

Vulgatissima enim est regula, quòd ad probandam 18.
identitatem bonorum, duæ demonstrationes suffi-
ciunt, secundùm doctrinam Bart. *in l. Demonstratio*
falsa.17.n.14.ff.de condit.& demonstr. & *in l.1.in fin.*
ff.de dot.praleg. per illum textum, & *per l.Hac.consul-*
*tissim.1.*cum ibi not.*C.qui test.fac poss.* not. Alex.post
Ang & Castren. quos refert *in cons. 33. num 5. lib.5.*
Socin.sen.*cons.89.num.2.vol.1.*Roland. *cons.6.num.4.*
vol.2. Aym. *cons. 198. num. 1. & 2.* Decian. *cons. 17.*
num.80.& seq vol.3 Ruin.*cons.115 num.10.lib.5.*Me-
noch.*d.cons.409. num.84.vol.5.*Rot.*dec.277.num.4* &
decis.313.num.2.& *decis.457.num.1 par.1.*& *dec 119.*
num.2.& *dec.180.num.2.*& *dec.106. num.4 part.2.re-*
cent. & apud sanct.mem.Gregorium, *decis.172.num 2.*
& 575.num.4 & 5.& *in dict.Romana deuolutionis,*28.
Maij, & 14.Nouembris,1625. coram R.P.D.M.Piro-
uano, vbi Rota fuit contenta vnica generali, & altera
particulari demonstratione. Et hæc regula procedit, 19.
etiamsi adsint aliæ, quæ non conueniant, vt benè
Ruin.*cons.50.num.17.* Alb.*cons.10.num.5.*Rol *d.cons.*
*67.num.17.lib.2.*Peregr.*de fideicomm. art.44.num 50.*
*vers. Amplia denique.*Decian. *d. cons.17. n.20.* & latè
Modern.*discept forens cap.833.num.10.*& Rota *in di-*
cta Romana deuolutionis.

Hic autem non solùm duæ, sed plures concurrunt
demonstrationes: nam in inuestituris Nicolai Tem-
pestæ, & Raynaldi Estensis habetur, quòd ista posses-
sio erat posita in Insula Pomposiana, in Villa Vacco-
lini, & Diœcesi Comaclen. iuxta Padum currentem,
& tam in dictis capitulationibus, quàm literis erectio-
nis, & concordiæ, semper appellatur, *la possessione del*
Tempesta Quæ omnia benè verificantur in bonis de
quibus agitur; quia sunt posita in eadem Villa, & in-
sula, & pro confinibus habent ab vno latere Padum
veterem, & ab alio aggerem Padi veteris, & sub ea-
dem Diœcesi continentur.

Et præsertim ponderarunt Domini notabilem il-
lam denominationem, *del.Tempesta*, quæ in hanc vs-
que diem viget, ex qua potissimùm identitas deduci 20.
solet, vt ex Aretino tradit Peregrin.*de fideic d art.44.*
num.48. ex conformi enim denominatione identitas
probatur, si alia eiusdem nominis bona in eadem re-
gione non probentur extare, vt firmant Doct. *in l. Si*
quis in fundi vocabulo.ff.de leg.1.& *in l.Si nomine. C.*
*de testam.*benè Paris.*cons.58.num.1.& seqq.vol.3.*Cra-
uett.*cons.400. num.33.lib.3.* Corn. *cons.146.n.4.lib.2.*
& in simili de nuncupatione S. Proculi fuit dictum

in

in Romana de Victorijs, 9. Decembris 1626. coram
R.P.D. Merlino.
21. Accedit insuper instrumentum præfatæ concor-
diæ anni 1550. in quo Præposituræ assignatur pos-
sessio, sita in Vaccolini territorio, insta Padum cur-
rentem, & locum, vbi antiquitus esse solebat alueus
Padi; appellata, *la possessione del Tempesta*, quæ spe-
cificè enunciatur possessa à Nasellis. Vnde tantò mi-
nùs videtur esse dubitandum, quòd non sit illa eadem,
quæ nunc etiam possidetùr à Nasellis, vt in simili
ponderat Menoch. *dict. consil.* 409. *num.* 85. *& seqq.*
volum. 5.

Concurrunt denique supradicti testes, qui explici-
tè deponunt, quòd dicta possessio, quæ nunc detine-
tur à Nasellis, & Follegato respectiuè, retinet etiam
veterem denominationem, & quòd à maioribus au-
diuerunt, sic illam nuncupari, & quòd est eadem, quæ
quondam fuit possessa per dictum Tempestam, vt be-
nè 3. & 4. testes. Quæ omnia tantò magis visa sunt
vrgere, cùm, vt pluries ponderatum fuit, versemur
22. in antiquis, in quibus, ad probandam identitatem,
sufficiunt argumenta, præsumptiones, & coniecturæ
d. cap. Cum causam, in fin. vbi Bald. *in princ.* Felin.
num. 1. & alij *de prob.* Dec. *cons.* 146. *num.* 14. Rimi-
nald. *cons.* 254. *n.* 11. Rot. *apud s.m. Greg. d. dec.* 172. *n.* 5.
& *ibi* latè addentes.

Nec obstat, quòd bona, de quibus fuit inuestitus
Tempesta, & successiuè Raynaldus Estensis, dicantur
fuisse posita ad manum dexteram Padi, illa verò, quæ
nunc per Nasellos, & Follegatum detinentur, sint sita
ad sinistram; idcóque identitas omnino excludatur.
Quia fuit responsum, primò, quòd in inuestitura tam
Tempestæ, quàm Raynaldi, assignatur pro confine
23. Padus per verba, *iuxta Padum*. Nec dicitur citra, vel
vltra; sed, *iuxta*, quæ dictio designat tantummodo vi-
cinitatem. Beros. *cons.* 144. *n.* 16. *vol.* 3. Surd. *cons.* 429.
n. 77. *vol.* 4. cum aliis per Vulpell. *in d. dictione*. Et in
concordia anni 1550 dicta possessio ponitur insra Pa-
24. dum currentem, quæ dictio, *infra*, vtrunque extre-
mum complectitur, *l.* 1. §. *r.* vbi Bart. & alij *ff. de offic.*
Præfect. vrb. Imò in inuestitura Raynaldi dicitur, *inter*
currentem Padum, quod demonstrat, Padum tenuisse
cursum suum inter dicta bona, non autem ad dexte-
ram, vt asseritur.

Secundò fuit consideratum, quòd potest esse, quòd
de tempore primæ, & secundæ inuestituræ Tem-
pestæ, dicta possessio esset ad dexteram Padi, qui
postea mutauerit cursum, intersecando dicta bona,
25. vt in dies euenit ad text. *in l. Adeò*, §. *Quòd si vno ff.*
de acquir. rer. domin. Quod multum verisimile red-
ditur ea verbis, tam inuestituræ Raynaldi, ibi: *In-*
ter aquam mortuam Padi olim currentis, & ipsum Pa-
dum munitum, quàm concordiæ anni 1550. ibi, *in-*
fra Padum currentem, & locum, vbi antiquitus esse so-
lebat alueus Padi. Quæ omnia clarè nobis demon-
strant, Padum mutauisse cursum, & alueum: & sic
non esse alienum à veritate, quòd dicta possessio,
quæ olim erat ad dexteram Padi, ex mutatione
ipsius aluei remanserit ad sinistram: quam verita-
tem agnoscunt etiam testes examinati pro Nasellis,
qui non sunt ausi negare, quin dicta possessio, quan-
uis posita ad manum sinistram, non possit esse ea-
26. dem, quæ fuit olim possessa per Tempestam. Quòd
si vltra illam non datur aliqua specificatio situa-
tionis, habito respectu ad Orientem, vel Occiden-
tem, siue ad alia, obiectum non officit; quia eadem
res, quæ, habito respectu ad Orientem, sita est ad
dexteram; habito respectu ad Occidentem, erit ad
sinistram.

Quo verò ad tertiam, & vltimam inspectionem,
visum fuit Dominis, non constare de aliqua præscri-
ptione, quæ obstet; quia Præposituræ, de qua agitur,
competit priuilegium centenariæ, ad effectum præ-
scriptionis, primò ex concessione Henrici IV. Im- 27.
peratoris, cuius concessionis validitas ad fauorem
Ecclesiæ controuerti non potest, ex traditis per Fe-
lin *in cap. Ad audientiam*, *num.* 28. *vers. Demum,*
de præscript. Et quamuis huiusmodi priuilegium fue- 28.
rit concessum Monasterio Pomposiano, ante ere-
ctionem huius Præposituræ; nihilominus suffraga-
tur etiam eidem Præposituræ, tanquam membro
eiusdem Monasterij; cùm lex semper loquatur. *l. Ar-*
riani, C. de Hæretic. Castren. *cons.* 235. *sub num.* 1. *post*
medium, *vers. Restat respondere*, *lib.* 1. vbi, quòd lex
Florentiæ, mandans, quòd omnes ciuitates subiectæ
soluant certum quid, habet etiam locum in ciuitate
Pisarum, effecta subdita post legem: quia lex sem-
per loquitur, & fuit resolutum *in causa Comen. Ca-*
pella, 7. Februarij, 1620. coram bon. mem. Rem-
boldo. Et hæc conclusio procedit etiam in priuilegiis 29.
concessis fauore Ecclesiæ, vt per Alex. *cons.* 178. *n.* 13.
lib. 2. Natt. *cons.* 160. *num.* 26. & Modernum *de ex-*
tensione legum, tit. de extensione priuilegiorum, n. 113.
fol. mihi 148. resoluit Rota *in causa Cracouien. iuris*
legendi, 19. Iunij, *&* 18. Decembris, 1626. coram
me. Imò, quòd in fortioribus terminis text. *in cap.*
vnic. de excess. Prælat. in 6. qui loquitur de priuile- 30.
giis concessis Monasteriis hactenus ædificatis, sit in-
telligendus etiam de Monasteriis ædificandis: quia,
cùm lex semper loquatur, dictio, *hactenus*, est intel- 31.
ligenda semper, quando casus euenerit, ita vt non
excludat illum casum. Contra Lap. dicunt Gem. *in*
dict. cap. vnic. num. 8. & Franc. *num.* 1. quod etiam
considerauit Rota coram me *in dicta Cracouien.* 19.
Iunij, 1626.

Secundò, idem priuilegium dictæ Præposituræ
competit: quia Ipsa est de proprio patrimonio Ro- 32.
manæ Ecclesiæ, & de horto eiusdem, prout sunt
omnes Ecclesiæ Marchiæ, & Ferrariæ, vt probatur
in Auth. Vt Ecclesia Rom. post princ. per glos. notab.
ibi, *in verbo*, *Petri.* Ideóque cùm sit quoad hoc pri- 33.
uilegiata, requirebatur tempus centum annorum, vt
latè Felin. *in d. cap. Ad audientiam*, *num.* 22. *vers.*
Amplia quartò, de præscript. Quod tempus 100. ann.
non effluxit, siue attendamus initium occupationis
factæ à Nasellis, iuxta titulum ab iisdem iudicia-
liter allegatum, hoc est, acquisitionem à Ducibus
Ferrariæ de anno 1539. à quo tempore vsque ad mo-
tam litem de anno 1602. non intercessit nisi tem-
pus 63. annorum, siue attendamus vltimam inuesti-
turam Raynaldi Estensis factam de anno 1490. &
cùm illa esset ad 29. annos sequentes, non potuit 34.
currere aliqua præscriptio, nisi post dictos 29. annos,
& sic nisi post annum 1519. ad textum *in l.* 1. *C. de*
annal. præscript à quo tempore vsque ad annum 1602.
minùs effluxit dictum spatium 100. annorum, prout
requirebatur.

Et ex his Domini resoluerunt, sententias esse iu-
stas, & exequendas, nedum ex eo, quòd dispositio
statuti, & sententiarum conformitas est patens; sed
etiam, quia vltima, quæ fuit lata de anno 1621.
propter lapsum fatalium, transiuit in iudicatum, 35.
ad text. *in cap. Cum sit Romana*, *de appellat. cum*
vulgar.

Et ita, &c.

R. P. D. MERLINO.

Pisana beneficij, Mercurij, 27. Iunij, 1629.

ARGVMENTVM.

Beneficium de iurepatronatus an, & quando dicatur litigiosum, ad effectum vt intret subrogatio.

SVMMARIVM.

1 *Subrogato datur immissio, docto de Clericatu, lite, & obitu illius, in cuius locum fuit subrogatus.*

2 *Executor merus potest extraiudicialiter procedere, & spernere alterius oppositionem.*

3 *Executor extraiudicialiter procedens habet præsumptionem pro se.*

4 *Beneficium vt dicatur litigiosum, lis debet esse super titulo, quando agitur de simplici prouisione beneficij.*

5 *Præsentatio regulatur secundùm terminos electionis.*

6 *Beneficium electiuum, vel de iurepatronatus, vt dicatur litigiosum, sufficit, litem esse super ipsa electione, vel præsentatione.*

7 *Clausula*, cum incidentibus, *facit, litem esse super titulo beneficij: nec est opus, illam deducere ad speciem; sed sufficit, quòd adsit materia præexistens.*

8 *Subrogatus debet immitti in illam talem qualem possessionem, quam habebat defunctus, in cuius locum fuit subrogatus.*

DECISIO XXI.

CVm ad beneficium, de quo agitur, fuissent à personis præsentati D. Franciscus Rossarminus, & Petrus Roncionus, qui apostolicam prouisionem obtinuit cum derogatione iurispatronatus pro medietate, & fuit per executores in possessioné immissus; idémque Roncionus cùm posteà decessisset; per eius obitum D. Bandinus Ceulus subrogationem gratiosam, quoad illius ius, & possessionem obtinuit: & deinde in vim decreti, & mandati executorum in Litteris datorum; fuit in realem, & actualem possessionem immissus. Vnde interposita appellatione pro parte D. Francisci, & causa mihi commissa, dubitaui, an decretum dd executorum, cum omnibus inde secutis, esset reuocandum. Et Domini negatiuè responderunt: quo-
1. niam, cum D. Bandinus subrogationem gratiosam, vt
suprà, obtinuerit, & doceat de Clericatu, lite, & obitu
dicti Petri collitigantis; meritò fuit illi concessa immissio. Mohed, *decis. 9. & 10. vt lit. pend.* Put. *decis.* 214. *lib.* 1. & *decis.* 152. *n.* 6. *par.* 2. Et fuit dictum *in Miranden. Parochialis*, 17. Iunij, 1600. coram Penia.

Neque obstat, quòd non constat, prædicta fuisse probata coram executoribus: quoniam, cùm Franciscus non esset legitimus contradictur, ex quo nec parem titulum, nec possessionem habebat, & litteræ
non facerent executores mixtos; potuerunt illi extra-
2. iudicialiter procedere, & spernere etiã ipsius Francisci
comparationem, Rot. *dec.* 221, *n.* 2. & 3. & *seqq.* coram
3. Greg. XV. Pro executore autem extraiudicialiter pro-
cedente præsumitur. Put. *decis.* 140. *lib.* 2 *in correct.* & fuit firmatum *in Elboren. pensionis*, 1. Iulij, 1616. corã Pirouano.

Non obstat, quòd lis non esset super titulo bene-
4. ficij: quia dupliciter fuit responsum. Primò, quatenus
hoc esset verum, non officere: quia hîc non agitur de simplici prouisione beneficij: quo casu certum est requiri, quòd lis sit super titulo: quod fuit originale dictum Innoc. *in c. Cum M. Ferrariensis. num.* 9. *in fin. vers. Et generaliter dicimus. de const.* & exornat Bald. *in Auth. Litigiosa. num.* 1. *vers. Dicit. Innoc. C. de*
litigios. Et sæpè dixit Rota Sed agitur de præsentatio- 5.
ne, quæ regulatur secundùm terminos electionis. Cald. *cons.* 1. *vt lit. pend.* Sarnen. *in regul. de subrogan.*
quæst. 13. Quo casu sufficit, quòd lis sit super ipsa ele- 6.
ctione, & sic super præsentatione, etiam quòd non præcesserit alia collatio, vt *in cap.* 1. *vt lit. pend. in* 6. quod est diuersum à *cap.* 2. *eod. tit.* In casu enim *cap.* 1. non fuerat secuta collatio: secùs in casu *cap.* 2. Gloss. *in d. cap.* 2. *in verbo, Possident.* quæ dicit, quòd in casu *cap.* 1. electus non esset adeptus beneficium: in casu verò *cap.* 2. erat adeptus. Et Archidiac. *in eodem. cap.* 1. *in princ. in verb. Litigantibus.* dicit, quòd in casu *cap.* 1. nullus ex litigantibus erat adeptus possessionem: secùs autem in casu *cap.* 2. quia vnus erat adeptus. Et licèt Innoc. *in illo c. Cum Ferrarien. num.* 9. *in fine. vers. Et generaliter.* teneat contrarium: tamen hoc dictum Innocentij fuit in causa, vt conderetur illud *cap.* 1. vt aduertit Gloss. *ibidem, in verb. Dispendiis.* Bald *in d. Authent. Litigiosa. n.* 7. vbi, quòd hoc sit necesse scire in Palatio apostolico. Archid. *in d. cap.* 1. *sub verbo, Litigantib.* Ioan. Andr. *in d. cap. Cum M. Ferrariens. num.* 23. Et nuper hoc latè firmatum fuit *in Florentina Parochialis, de Vecchiettis*, 29. Ianuarij præteriti, coram R.P.D. meo Vitale.

Secundò, principaliter fuit responsum ex abundan- 7.
ti, non posse dubitari, quin lis esset super titulo beneficij, ex quo in Commissione adest clausula, *cum incidentibus*, &c. Nec fuit opus deducere istam clausulam, *ad speciem*, prout dicitur de clausula, *quam, & quasi*, &c. Verall. *decis.* 125. *par.* 3. Sed sufficit, quod præcesserit institutio, & sic quòd adsit materia præexistens, vt fuit consideratum *in causa Illerden. præceptoriæ*, 5. Martij, 1627. cor. Manzanedo: quia tunc negari non potest, quin negotium simile sit de incidẽtibus emergentibus, annexis, & connexis causæ commissæ: & sic quòd specialiter sit commissum, absque aliqua specificatione: & hoc est, quod dicit Bellam. *decis.* 619 Cassad *decis.* 9 *num.* 13. *de caus. poss. & propr.* Mandos *super. reg. de subrog. quæst.* 14 *n.* 7. Et fuit dictum *in causa Perusina hæreditatis*, 26. Octobris, 1601. coram Cardinali Pamphilio.

Denique non visum fuit obstare, quòd pro parte Francisci prætendebatur, possessionem dicti Petri defuncti fuisse nullam, & attentatam, ac minimè manutenibilem. Nam responsum fuit, cessare obiectum ex facto: quia, licèt causa ex seipsa videretur appellabilis; tamen D. Rossarminus acceptauit rescriptum cum clausula sibi præiudiciali, nempe, sine præiudicio vlterioris executionis Litterarum apostolicarum D. Roncioni, & *in Summario, num.* 8. qui propterea potuit in vim dictæ clausulæ prosequi ad vlteriora in executione suarum litterarum absque vitio attentatorum:
vltra quod Bandinus subrogatus debuit interim im- 8.
mitti in illam specialem possessionem, seu detentionem, quam habebat defunctus, in cuius locum fuit subrogatus, vt in puncto fuit resolutum coram Cardinali Mantic. *decis.* 252. *num.* 5. & coram Cardinali Saccato *in Bracheren. beneficij*, 27. Iunij, 1605. & *in Auconitana Capellania*. 14. Martij, 1607. coram bon. mem. Vbaldo, *in Pampilonen. parochialis de Arnoz*, 6. Iunij, 1611. & coram R. D. meo Decano *in Gerunden. beneficij*, 9 Martij, 1622.

Et ita decisum, vtraque, &c.

R. D. COCCINO
Decano.

Meten. Monasterij, Luna, 5. Iulij, 1621.

ARGVMENTVM.

In electione Abbatis, & aliorum Prælatorum Collegiatarum, ac etiam Regularium seruanda est forma *cap. Quia propter. de elect.* Et plura traduntur in hac decisione circa validitatem electionis per viam scrutinij, necnon per viam inspirationis. Et an forma tradita *in d. cap. Quia propter.* consuetudine tolli possit. Et aliqua de electione mixta ex compromisso, & scrutinio.

SVMMARIVM.

1 *In electione per viam scrutinij seruanda est forma* cap. Quia propter, de elect.

2 *Scrutatores tres de Collegio assumi debent in electione per viam scrutinij; nec possunt assumi Notarij extra Collegium; aliàs electio est nulla.*

3 *Tex.* in cap. Quia propter. *habet decretum irritans, & electiones aliter factas annullat ipso iure, absque aliqua sententia.*

4 *Electio canonizatur ex duobus, scilicet, ex substãtia consensus, & ex substantia forma, à quibus recedere non possumus: ita vt si recedatur, electio sit ipso iure nulla.*

5 *Abbatis in electione seruanda est forma* cap. Quia propter. de elect.

6 *Electiones Prælatorum Ecclesiarum Collegiatarum, ac etiam Prælatorum Regularium sunt facienda iuxta formam traditam* in cap. Quia propter de elect.

7 *Electio quando dicatur facta per viam scrutinij.*

8 *Electio quando fit per viam Spiritus Sancti, non est opus seruare formam* cap.. Quia propter de elect.

9 *Electio per viam Spiritus Sancti quotuplex, & qua.*

10 *Electio per viam Spiritus Sancti facta non dicitur, quando vnus tantùm dissentit.*

11 *Capituli pars maior, & sanior intelligitur comparatiuè ad minorem partem omnium Congregatorum pro electione.*

12 *Electio per viam inspirationis authore Deo immediatè, peccatis nostris ita exigentibus, raro occurrit.*

13 *Capituli pars maior, si in vna instrumenti parte electioni consensisse dicatur, & in altera omnes, an sit intelligendum, quòd verò omnes consenserint, ex quo pars inest in toto.*

14 *Scrutinio publicato, & facta collatione, debet sequi communis electio per vnum nomine Capituli per verba singularis numeri.*

15 *Electorum omnium consensus post publicationem scrutinij non operatur, quod electio antea facta à maiori, & saniori parte censeatur quasi per inspirationem.*

16 *Electio per scrutinium non irritatur, etiam quòd duo scrutatores tantùm, & non tres, & non de Collegio interuenerint. Contrarium, n. seq.*

18 *Vitiis per vnitile non vitiatur.*

19 *Electionis forma tradita* in cap. Quia propter. de elect. *consuetudine tolli potest. Contrarium, n. seq.*

21 *Tex.* in c. Quia propter. de elect. *habet decretum irritans.*

22 *Decretum irritans inficit titulum, & possessionem, & habet oculos retrò, & operatur nullitatem ab initio.*

23 *Consuetudo contra intellectum alicuius textus ita communiter à Doctoribus interpretatum, non dicitur contra communem Doctorum opinionem, sed contra text. ipsum.*

24 *Doctorum communis opinio, licèt per se non inducat obligationem; tamen quado conuenit in interpretatione alicuius legis, facit certitudinem humanam, & inducit obligationem seruandi legem, & vtendi illa in praxi.*

25 *Legis in interpretatione semper attendenda est verborum proprietas.*

26 *Electio mixta ex scrutinio, & compromisso qua dicatur.*

27 *Electio communis post collationem votorum fieri potest per vnum sine mandato Capituli: & si omnes consentiant, potest fieri etiam per extraneum. n. seq.*

29 *Electio communis facienda per vnum est pars electionis per scrutinium.*

30 *Electio mixta scrutinio, & compromisso dari potest.*

31 *Electio per compromissum scrutinio mixtum, qua dicatur.*

32 *Electio per compromissum scrutinio mixtum, vt sit valida, adhibenda sunt in ea omnia, quæ in electione per scrutinium seruanda sunt.*

33 *Electiones Regularium, licèt fieri debeãt per vota secreta, ex dispositione Concil. Trident. non tamen censetur ab eo sublata forma* cap. Quia propter. de elect.

DECISIO XXII.

DVbitaui de ordine Sanctissimi Domini Nostri,
An electio, de qua agitur, sit valida; & Domini
negatiuè resoluerunt. Ratio resolutionis fuit: quia, 1.
cùm fuerit processum ad electionem Abbatis per viam
scrutinij, in qua de necessitate seruanda erat forma
cap. Quia propter. de elect. debebant, iuxta dispositio- 2.
nem illius text. eligi tres scrutatores de Collegio, ibi:
Assumãtur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & singillatim vota cunctorũ diligenter exquirant, &c. Quod
cùm non fuerit factum, sed electi fuerint duo Notarij extra Collegium, electio non sustinetur, vt habetur
in eod. tex. ibi: *Aliter electio facta non valeat,* quæ ver- 3.
ba habent vim decreti irritantis. Roman. *cons.* 322. *n.*
12. & important annullationem ipso iure absque aliqua sententia Glos. *in d. cap. Quia propter. in ver. Vice
omnium.* & ibi Compostell. *num. 20. vers. Nunquid de
ista.* & clarè Ioan. Andr. *num. 37. in ver. Non valeat.* per
tex. *in cap. In Genesi. eod. tit. de elect.* Guillem. Mandagot. *de elect. cap.* 22. & *ibi* Nicol. Boër. *in littera B,* vbi
dicit hanc opinionem veriorem, & omnes Doctores,
excepto Hostiensi; ita tenere: & est bona Gloss. *in
Clem. 1. in ver. inhibentes, de in repar.* vbi, si detur certa
forma habenti facultatem eligendi, cum decreto irritanti, si non seruetur illa forma, electio ipso iure est
nulla: duo enim sunt, quæ canonizant electionem, 4
substantia consensus, & substantia formæ; à quibus
recedere non possumus. Bald. *in cap. Quia propter. n.
20. & seq. elect.* Boer. *decis. 1. n. 70.* ita vt si recedatur.
electio ipso iure sit nulla. Idem Bald. *in cons. 318. Ponitur, quod electio Recteris, n. 2. vers. Sed iste, lib. 3.*

Quòd

5. Quòd autem in electione huius Abbatis sit seruanda forma *cap. Quia propter*. videtur clarum. Nam, etsi Rofred. *de libellis tom. 2. super iure Pontificio, par. 3. tit. Quid sonet hoc nomen Abb.* &c. *n. 8. littera G, fol. mihi.* 633. dicat, de mandato Papæ iudicatum fuisse, formam *d. cap. Quia propter*. non esse seruandam in electione Abbatis, quia hoc est nomen sollicitudinis, non tamen est Potes; attamen contrarium probat Ioan. And. *in d. cap. Quia propter n. 59.* Et subdit, omnes tenere, quod in electione Abbatis seruanda sit forma *cap. Quia propter.* & ita seruari prout etiam ita seruari dicit Bellam. *ibidem in princ. n. 3.* & de communi dicit etiam Imol. *n. 3.* Abb. *n. 7. in fine, & n. 8.* Sutt. *num. 20.* Gloss. *in cap. Sicut.* ante figurationé casus, *de elect. in 6.* Franc. Marcus *dec. 992. n. 1. lib. 1.* Petrus de Biaxio *in Director. elect. par. 3. cap. 39. num. 1.* Greg. Lopez, *partit. 1. tit. 5. l. 19. glos. Obispo*, Rot. *decis. 5. in princ. iuncto n. 2. de elect. in nou.* Seraph. *dec. 647.*
6. *num. 4.* Et quod forma *cap. Quia propter.* habeat locum, nedum in electionibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesiarum Collegiatarum, qui habent iurisdictionem generalem in dictis Ecclesiis Collegiatis: sed etiam in electione Regularium Prælatorum, dicit Gloss. 1 *in d. cap. Quia propter.* vbi Abb. *n. 7. ver. Circa istam partem primam.* vbi ait, quòd iste text. intendit prouidere solùm Ecclesiis viduatis, per illa verba: *Ecclesia viduata, &c. & vers. Et in hanc partem.* vbi testatur de communi: & *n. 8. vers. Et placet.* Gloss. *in cap. Sicut. vers. formam, de elect. in 6.* Franc. Marcus *d. decis. 992. per tot.* & benè Rot. *d. decis. in prin. de elect. in nou.*

7. Quod verò fuerit processum ad electionem per scrutinium satis patet; quia eadem die obitus Abbatis, monachi se congregarunt, & duo Notarij, qui de instrumento fuerunt rogati, ita loquuntur: *Omni meliori modo, via, iure & forma, quib. meliùs validiùs, & efficaciùs potuerunt, & debuerunt, tam via Spiritus Sancti quam scrutinij, ad nouā electionem Abbatis procedentes, &c. vnus, & eorum quilibet super altari maiori, in prædictorum Notariorum præsentia sua vota, atque suffragia sono (vt moris est) campanæ scripsit, & subsignauit super nouo Abbate eligendo: quib. a nobis diligēter, & fideliter collectis, dictorum suffragiorū pars maior, & numero potior Fratris Desiderio, Gerardo, &c. obuenit, &c.* & postea dicti duo Notarij publicarunt electionem, quam ratam habuerunt omnes Religiosi cantantes de more Hymnum, *Te Deum laudamus, &c.* Quare negari non potest, quin Monachi procedere voluerint ad electionem per scrutinium, licèt non seruando benè formā *cap. Quia propter.* vt colligitur ex eodem text. vbi disponitur, quòd post legitimam congregationem Capituli eligantur tres de eodem Capitulo fide digni, qui singillatim, & secretè vota omnium eligentium exquirant, & in scriptis redigant: quo facto incontinenti, antequàm ad alia diuertant, vota illa publicent in communi, vt is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars Capituli consenserit vt benè Henric. Canisius *in Compendio iuris Canon. in tit. de elect. §. Hic igitur ordo scrutinij.*

8. Neque ex eo potest dici electionem fuisse per inspirationem, vel quasi, ex quo in dicto instrumento dicatur, *tam via Spiritus Sancti, quàm scrutinij*: & si electio fuit facta per viam Spiritus Sancti, non fuit opus seruare formam *cap. Quia propter.* vt notat Innoc. *ibid. n. 7.* Host. *n. 50.* Abb. *ibid. in §. nisi num. 1. in*
9. *fin.* Syluest. *in Summ. verb. electio, 2. n. 17.* Nam pro resolutione huius articuli fuit animaduersum quòd duplex est electio per viam Spiritus Sancti. Altera per inspirationem, & est quando, nullo inter eligentes ordine seruato, ipsi quasi inebriati, & super se quasi facti eligunt. Altera per quasi inspirationem, quando subitò, & repentè vnus post alium, sine aliquo interuallo, eundem eligunt. Host. *in d. cap. Quia propter. num. 50.* Oldrad. *cons. 115. num. 1. & 2.* Abb. *in d. cap. Quia propter. num. 3* Greg. Lopez. *part. 1. tit. 5. l. 2. Gloss. Alguno*, & *ibidem* Alphonsus Diaz de Montaluo *in gloss. vnic.* & propter verba textus, *ab omnibus*, dicunt DD. sufficere, quòd vnus dissentiat ad effe- 10.
ctū, quod electio non dicatur per viam Spiritus Sancti. Ioan. Andr. *in d. cap. Quia propter. num. 29.* Bellam. *ibid. in §. Nisi fortè num. 1. & 3.* Compostell. *num. 21.* Vitalin. *in clem. Ne Romani n. 22. de elect.* In proposito autem, vt patet ex lectura instrumenti) manifestissimè apparet, quod electio non fuit facta, neque per viam inspirationis, nec quasi, cùm non concurrant prædicta: imò in eodem instrumento dicitur, quòd pars maior, & numero potior Fratri Desiderio obuenit; & sic apparet, quòd nedum non interuenerunt prædicta; sed quòd neque ab omnibus fuit electus, prout requiritur, sed à maiori, & saniori 11.
parte comparatiuè ad minorem partem omnium congregatorum pro electione, prout intelligi debent illa verba, vt *cap. Ecclesia vestra. in primo.* vbi Abb. *n. 4. de elect.* Idem, Abb. *cons. 25. num. 4. lib. 2 & in d. cap. Quia propter num. 5. vers. Quod ego.* Franc. Marcus *decis.* 294. Didacus Perez *gloss. 2. post. princ. in l. 3.* 12.
tit. 3. lib. 2. ordin. Vltra quod certum est, electionem per viam inspirationis auctore Deo immediatè, peccatis nostris exigentibus, raro occurrere, vt notat Ioan. Andr. *in cap. Quia propter. num. 40.* Petrus de Baif. *in director elect. par. 3. cap. 16 num. 21*

Neque opitulatur, quòd in instrumento dicatur, 13.
quòd omnes consenserint electioni, & propterea verba illa, *maior, & sanior pars*, &c. reducenda sunt ad concordiam: ita vt sensus sit, quòd maior, & sanior pars consensit, ex quo omnes consenserunt, cùm in toto pars insit, *l. Si quis cùm totum. ff. de except.* Surd. *decis. 188. n. 3.* Nam fuit responsum, quòd vltra quòd non interuenerunt alia requisita, vt electio possit dici per inspirationem, vel quasi, de quibus *suprà*; ideò fuerunt posita verba illa in instrumento: quia in electione iuxta terminos *cap. Quia propter.* requi- 14.
ritur, quod publicato scrutinio, & facta collatione sequatur electio, scilicet, quòd fiat per vnum nomine Capituli per verba singularis numeri, *cap. Sicut. de elect. in 6. cap. Cùm ab vno de re iudic. in 6.* Abb. *in d cap. Quia propter. ante num. 11. vers. Electio autem si est per vnum.* Franc. Marcus *q. 922. n. 2. lib. 1* In hoc autem casu publicato scrutinio, & facta collatione, ex qua apparuit, (vt refertur in instrumento) quòd maior, & sanior pars fecerit electionem, fuit publicatum scrutinium, ibi: *Quibus*, scilicet, votis, *a nobis diligenter, & fideliter collectis, dictorum votorum, ac suffragiorum pars maior, & numero potior Fratri Desiderio Gerardo, &c. obuenit.* posteà fuit publicatum scrutinium, & ab omnibus approbata electio, dum in eodem instrumento subditur: *Quòd nos nostra omnibus, & capitulariter alta, & intelligibili voce pronunciantes, prædictum Fratrem Desiderium pro legitimè, atque canonicè electo prædicti omnes Religiosi habuerunt, atque vnanimiter tenuerunt.* qui consensus omnium post publicationem scrutinij non operatur, 15.
quòd electio per antea facta à maiori, & saniori parte censeatur, quasi per inspirationem, Host. *in Summ tit. de elect. §. Qualiter, vers. Tertia forma. in princ.* Petrus de Baif. *in director. elect. par. 3. cap. 16. num. 4* & expressè sentit Abb. *antiq in dicto cap. Quia propter. num. 17. in fine, verb. consensit.*

Neque est verum, quòd electio per scrutinium non 16.
irritatur, etiam quòd duo scrutatores tantùm, & non tres, & non de collegio interuenerint. Gloss. *in d. cap.*

Quia

Quia propter. in verb. Sanior, in fin. de elect. & ista
fuit opinio Vincentij,& Tancredi. Abb.antiq. ibidem,
num.17. vbi, quòd hoc est præter formam illius tex.
Mandagot. de elect. cap. 23. vbi quòd licèt debeant
eligi tres scrutatores de Collegio; tamen si secùs fiat,
electio non irritatur: ex cuius sententia in eodem
capite dicit Card. in dicto cap. Quia propter. quæst. 12.
quòd Abbas Tullen. electus cum sex scrutatoribus,
tribus de Collegio, & tribus extra Collegium, fuit
per Sedem apostolicam confirmatus: quod dicit etiam
Boët ibid. ad Mandagot. litera S. Menoch cons. 63.
17. num. 37. Nam huic motiuo fuit responsum, contra-
riam opinionem esse communiorem, & secundùm
literam textus ibi: Assumantur tres de Collegio. quam
tenet Goffred in Sum. tit. de elect. num. 7. & in cap.
Quia propter. Hostien. num. 17. & seq. & num. 25. Butr.
n. 2. & 22. vers. Dicitur sexto. & vers. Dicitur septimò.
Bald. num. 31. Ioan. Andr. num. 10. & 11. & sentit In-
noc. num. 3. & 4. & tutius esse, quòd interueniant
tres scrutatores de Capitulo, dicunt Anchar. num. 1.
vers. Secundum substantiale. Compostel. num. 5. Abb.
antiq. num. 7. vers. tres. Card. q. 11. & 12. & 45. &
quòd sit communis opinio, quòd debeant interue-
nire tres scrutatores de Collegio, dicit Abb. in dicto
cap. Quia propter. n. 13. Imol. n. 7. & 8. Roman. cons.
322. n. 6. & 11. & 12. dicit, quòd electio aliter facta
corruit, Franc. Mar. dec. 1201. Petrus Bais. in Director.
elect. par. 3. cap. 24. num 1. & sequentibus. Rebuffus
super Concord. titul. de Regia ad Prælaturam nomin.
§. Per præmissa. verb. Possint, vers. 3. Quod tres scru-
tatores. Rodriquez in Sum. par. 1. cap. 102. num. 3. vers.
Dize mas la ordenacion. Sylu. in Sum. verb. electio. 2.
num. 12. Angel. eod. verb. num. 26. Tabiena pariter
eod. verb. 1. num. 20. & vlteriùs hanc etiam tenent
Boër. ad Mandagot. de elect. cap. 22. litera C. & cap.
23. litera Q. vbi, quòd istud est tenendum. Pisa-
nella in verb. electio, 1. col. 5. vers. Quando proceditur
per formam scrutiny. Ioan. Bapt. de Salis. in Summ. eo-
dem. ver. col. 5. vers. Quot sunt formæ electionis. Azor.
Instit moral. tom. 2. lib. 6. cap. 14. col. 7. q. 11. vers. Per
scrutinium. Neque est curandum, quòd aliàs fuerit
confirmata electio, in qua sex interuenerunt scruta-
tores, tres de Collegio, & tres extra Collegium, vt
referunt Cardin. & Boër. locis prædictis: quia hoc po-
18. tuit fieri, vel ex gratia, vel quia, cùm interuenerint
tres scrutatores de Collegio, vtilis forma per inutile
non debuit vitiari, l. 3. ff. de testam. milit. & not. Bald.
in dicto cap. Quia propter. num. 2. de elect.
19. Neque obstat, quòd ex consuetudine possit tolli
forma tradita in d. cap. Quia propter. maximè circa
scrutatores. Bald. in cons. 318 num. 1. circa fin. par. 3.
Rot. decis. 65. num. 11. par. 1. in recent. Bertachin. de
Episc. in 1. par. lib. 3. q. 1. num. 1. quem refert, & se-
quitur Boër. ad Mandagot. de elect. cap. 23. litera R.
vers. Adde quando. Fuit enim responsum, quòd nulla
20. consuetudo probatur. Nec Doctores prædicti dicunt,
quòd induci possit: Bald. enim loquitur in terminis
electionis scholarium, in qua non erat seruanda for-
ma cap. Quia propter. Rota verò loquitur de pertinè-
tia collationis ex consuetudine. Bertachinus autem, &
Boër. solùm dicunt, quòd tres possunt eligi extra Col-
legium, qui tamen de consuetudine possunt electio-
ni interesse; qui non est casus noster, quod priùs di-
xit Speculator. de elect. § 1. num. 12. & subdit, meliùs
esse, quòd eligantur ex Collegio, non ex illis, qui
ex consuetudine interueniunt electioni; & priùs etiam
dixit Cardin. in d. cap. Quia propter. q. 12. & in ter-
minis, quòd forma, de qua in cap. Quia propter. tol-
lat consuetudinem in contrarium, dicit Boër. decis. 1.
n. 49. & 50. Et probatur euidenti ratione; quia, (vt
supra dictum est,) electio, non seruata forma illius

tex. ipso iure est nulla. quia verba illa: Electio aliter 21.
facta non valeat. habent vim decreti irritantis, Roman.
dicto cons. 320. n. 12. Et certum est, quòd decretum
irritans inficit titulum, & possessionem, cap. Si eo 22.
tempore. de elect. in 6. Cassad decis. 1. sub n. 7. de resti-
tut. spoliat. Sarn. in reg. de trienn. q. 49. num. 3. Put.
decis. 48. n. 3. & vlt. & decis. 386. lib. 1. in nou. Gabr.
de claus. concl. 3. n. 2. par. 2. & habet oculos retrò, &
operatur nullitatem ab initio. Cassad decis. 12. num. 5.
super reg. Sarn. in reg. de annal. q. 5. num. 1. & 4. Rot.
dicta decis. 24. n. 5. & decis. 149. n. 2 par 2.
Neque dicatur, quòd hic non agatur de consue-
tudine inducenda contra ius, sed contra communem 23.
opinionem Doctorum: quia, cùm scrutatores debeant
esse tres, & de Collegio, ex text. in cap Quia propter.
quem ita communiter interpretantur Doctores: non
agitur de inducenda consuetudine contra commu-
nem sententiam Doctorum; sed contra dispositionem
ipsius text, qui ita communiter intelligitur à Docto-
ribus: nam leges humanæ admittunt doctrinalem in- 24.
terpretationem, quæ, licèt per se non inducat obliga-
tionem, quia non habet potestatem inducendi legem,
Suar. de legib. lib. 6. cap. 1. n. 5. tamen secùs est, quando
communis opinio conuenit in interpretatione: quia
tunc facit humanam certitudinem, & inducit obliga-
tionem seruandi legem, & vtendi illa in praxi, iuxta
communem interpretationem Suarez d. loco, vers. De
hac igitur interpretatione. Et quàuis ab ista communi
interpretatione aliqui Doctores dissentiant; non est
relinquenda communis, quia est conformis literæ
textus, ibi, assumantur tres de Collegio, vt aduertunt
omnes Doctores, qui hanc communem tenent: nam
in interpretatione legis semper est attendenda verbo- 25.
rum proprietas, id est verborum significatio, l. 1. §.
Si is, qui nauem. ff. de exercit. act. l. Prospexit. ff. Qui, &
à quibus. cap. 2. §. Sed neque. de translat. Episcop. Ele-
ganter Soar. loco pracit. vbi exornat.
Neque sustinetur, quòd hîc in omnem euentum 26.
agitur de electione mixta ex scrutinio, & compromis-
so, ex Speculat. in tit. de elect. §. 1. num. 1. vers. Si autem.
vbi Ioan. Andr. in verb. Pro consensu. Compostell. in
d. cap. Quia propter. num. 14. vers. Sed etsi Capitulum. 27.
Nam fuit responsum, quòd isti Doctores solùm di-
cunt, quòd post collationem sufficit, quòd fiat com-
munis electio per vnum sine mandato Capituli: quia
Capitulum tacendo videtur hoc habere gratum, quod
etiam dicit Gloss. in c. Sicut in ver. Per vnum de elect.
in 6. Abb. in d. cap. Quia propter. ante num 11. Franc. 28.
Marcus decis. 922. num. 1. lib. 1. Etsi omnes tacitè con-
sentiant, ista communis electio potest etiam fieri per
extraneum, vt voluit Petrus de Bais. in direct. elect.
par. 3. cap. 33. num. 4. & seq. Sed ista non est electio per
compromissum mixtum, sed per scrutinium: quia 29.
communis electio facienda per vnum, est pars ele-
ctionis per scrutinium, vt habetur in d. cap. Quia pro-
pter. publicato nanque scrutinio, & facta collatione,
debet fieri per vnum communis electio nomine Ca-
pituli, vt suprà dictum est.
Et quamuis verum sit, posse dari electionem mix- 30.
tam scrutinio, & compromisso, vt dicit Henric. Ca-
nisius in Compendio Decretalium, tit. de elect. §. Ac in
primis. ante finem; tamen hoc in isto casu non fuit fa-
ctum: quia (vt dicit idem Canisius ibidem in §. Inter-
dum,) tum compromissum concurrit cum scruti- 31.
nio, si ita compromissum sit, vt compromissarij, si-
ue vnus, siue plures, secretò, & singillatim vota
singulorum exquirant, illúmque eligant, in quem
maior, & sanior pars Capituli consenserit, cap. [illegible] um
expedit. 29. de elect. in 6. iuncto cap. Cum dilect. 32. de
elect. Vnde, quæ in electione per scrutinium seruanda
sunt, eadem in hac specie adhibenda erunt. cap. Si 32.
cui. 22.

cui.23.de elect.in 6.& in hac electione nihil minùs fuit actum, quam facere electiooem per compromissum mixtum cum scrutinio, vt patet ex lectura instrumenti etectionis suprà relata.

53. Deoique non obstat, quod videatur sufficere, quòd vota fuerint secreta absque alia forma, ex dispositione Concilij Tridentini *sess.25.cap.6.de Regul.* quia, licèt ibi disponatur, quòd omnes electiones Regulariũ debeant fieri per vota secreta; non tamen censetur sublata forma *cap. Quia propter. de electione.* vt prudẽter aduertit Emmanuel Rodriquez *in Summa casuũ, par.1.tit.de election.cap.102.num.2.* Sed adhuc in soo robore perseuerat. Zerola *in praxi episcopal. in ver. Abbatissa. vers. Ad sextum.* & Azor. *institut moral. lib.13.cap.10.quæst.2.*

Et ita conclusum, electionem esse nullam, ita vt non debeat confirmari.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Treueren. Abbatia S. Maximini, Veneris, 24. Ianuarij, 1625.

ARGVMENTVM.

In hac magistrali decisione plura deducuntur circa validitatem electionis Abbatis per viam scrutinij: & an forma electionis tradita *in cap. Quia propter. de elect.* consuetudine tolli possit. Et quando electio dicatur canonica, adeò quòd sit confirmanda, etiam virtute Concordatorum Germaniæ, & Concilij Basileensis. Et quæ requirantur, vt sit valida electio per compromissum cum scrutinio mixtum.

SVMMARIVM.

1 *Electio per viam scrutinij facta, non seruata forma tradita* in cap. Quia propter de elect. *est nulla.*
2 *Electio nulla non est confirmanda.*
3 *Tex* io cap. Quanquam. de elect. in 6. *habet locum etiam in beneficiis Sedi apostolica immediatè subiectis.*
4 *Gesta contra intellectum alicuius textus, communiter a Doctoribus traditum, dicuntur gesta contra textum ipsum, non contra communem Doctorum opinionem.*
5 Excipere, *verbum non significat recipere in scriptis, nisi exprimatur.*
6 *Notarij, & scriptores vocantur* exceptores *in iure.*
7 *Scrutatores assumpti extra Collegium an possint soli eligentium vota exquirere, præsentibus, & videntibus iis de Collegio.*
8 *Decretum irritans appositum* in cap. Quia propter. de elect. *refertur nedum ad formulas electionum in eo appositarum; sed etiam ad solennitates circa scrutinium dispositas.*
9 *Lex abrogatur per contrariam consuetudinem, etiam quod habeat decretum irritans.*
10 *Consuetudo requirit actus vniformes.*
11 *Consuetudo quando est varia non receditur à iure communi.*
12 *Suffragia eligentium possunt per Notarios scribi.*
13 *Scrutinij viam eligentes censentur viam ordinariam elegisse.*
14 *Consuetudo ex certa scientia, non ex errore induci debet.*
15 *Consuetudo contra Canones non inducitur absque scientia, & expresso consensu Papæ, & animo consuetudinem inducendi. n. 17. etiam quantocunque temporis spatio illa fuerit seruata. n. 19.*
16 *Consuetudo contra leges ciuiles inducitur absque scientia, & consensu Principis.*
18 *Multa per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio, exigente iustitia, toleranda non essent.*
20 *Consuetudo contra canonem habentem decretum irritans, non inducitur per quantumcunque temporis spatium.*
21 *Lex Papæ abrogari non potest, saltem absque illius scientia.*
22 *Electio nulla non conualescit per confirmationem Papæ, quæ non sit ex certa scientia.*
23 *Confirmatio Superioris non purgat vitium electionis nisi princeps confirmet ex certa scientia.*
24 *Confirmatio si fiat à Papa, etiam ex certa scientia, electionis tanquam canonicæ, quæ verò non sit talis, si in confirmatione non sit insertus tenor electionis, Papa præsumitur circumuentus ab eis, quibus electionem examinandam mandauit.*
25 *Electio dicitur canonica, quando interuenit consensus de iure naturali requisitus.*
26 *Electio canonica debet confirmari.*
27 *Electio triplici modo dicitur canonica, largè, strictè, & strictiùs: & exponuntur hi termini.*
28 *Electio canonica in iure intelligitur de valida, & de canonica, strictiori modo.*
29 *Verborum à significatione propria recedendum non est.*
30 *Electio canonica dicitur illa solùm, quæ fit secundùm canones, nec potest dici canonica, quæ iure facta non sit.*
31 *Electio iuxta Concordata Germaniæ, vt sit valida, debet esse canonica, & iuxta formam* cap. Quia propter de elect.
32 *Concilium Basileense licèt à principio fuerit œcumenicum; posteà sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuatum, iniustoque Pontifice prorogatum, non tantum œcumenicum, verùm etiam legitimum esse desiit.*
33 *Consilium Basileense, schismaticum, seditiosum & nullius prorsus authoritatis appellatur in Concilio Lateranensi.*
34 *Consilij Basileensis decreta non fuerunt confirmata à Nicolao V. sed tantum pro bono pacis electiones factas in obedientia Concilij Basileensis confirmauit.*
35 *Eligendi forma per compromissum cum scrutinio mistum, est canonica, & qualiter facienda, & n. seqq.*
36 *Compromissum aut fit expressè, aut tacitè ex verbis inducitur.*
37 *Compromissum expressum qualiter fiat.*
38 *Compromissum tacitum cum scrutinio mixtum qualiter fiat.*
39 *Compromissariis debet dari facultas singulorum vota diligenter exquirendi, & illum eligendi, in quem maior, & sanior Capituli pars consenserit.*
40 *Electio facta à Capitulo est pronuncianda, & publicanda.*
41 *Compromissariis vbi est data facultas nominandi, censetur etiam data facultas eligendi.*
42 *Electio quando fit per viam compromissi, Capitulum censetur eligere, quem arbitri nominabunt.*
43 *Electio censetur facta per scrutinium, quando fuit proclamata, & publicata per vnum nomine Capituli.*

44 *Ele*

44 *Electio communis potest fieri etiam per extraneũ, dũmodo electores tacitè, vel expressè consentiãt.*
45 *Forma electionis communis per viam compromissi.*
46 *Electionis forma per compromissum cum scrutinio mixtum dicitur melior, & expeditior.*
47 *Electio facta per compromissum cũ scrutinio mixtũ est nulla, si omittantur substantialia scrutinij.*
48 *In electione per compromissum cum scrutinio mixtum est necessaria tantùm collatio numeri ad numerum, non autem meriti ad meritum, nec zeli ad zelum.*
49 *Forma data est seruanda, & illius verba debent potius restringi, quàm ampliari.*
50 *Forma data est stricti iuris, & in ea solùm veniunt illa, de quibus specialiter dictum est.*

Decisio XXIII.

Contra decisionem in hac causa factam, in qua fuit resolutum electionem non sustineri, tria opponebantur. Primum, quod non omnes nullitates oppositæ subsisterent. Secundum, quod electores possunt iuuari consuetudine hoc modo eligendi. Tertium, quòd in omnem euentum ista erat electio per compromissum cum scrutinio mixtum, & ideò poterat sustineri. His tamen non obstantibus, & causa maturè bis discussa DD. vnanimi voto perstiterunt in resolutis. Nullitates enim in decisione firmatæ subsistunt: nam, cùm fuerit actum per viam scrutinij, in pluribus non fuit seruata forma tradita *in cap. Quia propter. de elect.* Primò quia fuerunt electi tres scrutatores extra Collegium, & tres de Collegio; & tamen numerus non potest augeri, nec sumi extra Collegium. Secundò, quia scrutatores extra Collegium scrutati sunt votum fratris Antonij primi scrutatoris; & deinde præsente dicto Antonio votum Matthæi secundi scrutatoris; & demum præsentibus Antonio, & Matthæo, votum Valentini tertij scrutatoris: vnde vota Antonij, & Matthæi corruunt. Tertiò, quia exquisitio suffragiorum fuit facta à scrutatoribus solùm extra Collegium, assidentibus tantùm tribus scrutatoribus de Collegio. Quartò, quia suffragia non fuerunt in scriptis redacta. Quintò, quia non fuerunt publicata vota; sed tantùm electio, quæ ideò corruit, vt *in cap. Quia propter. de elect.* & latè in alia decisione fuit dictum: ille enim textus habet decretum irritans, vt *in ead. decis.* fuit
1. deductum, & probat tex. *in cap. Si eis. de elect in 6.* ibi.... *decernens, si aliter fierent, non valere,* & Gloss.
2. *ibidem* dicit non valere ipso iure. Quare cum electio non fuerit canonica, S. D. N. illam confirmare non tenetur, tam ex dispositione iuris communis,
3. vt *in cap. Quanquam. de elect. in 6.* quod licèt procedat in Electione Episcopatuum; habet tamen locum etiam in aliis beneficiis Sedi apostolicæ immediatè subiectis. Roman. *cons. 332. n. 11.* Gloss *in d. cap. Quanquam. in figurat. cas.* quàm etiam vigore Concordatorum ibi.... *& lapso dicto tempore*, de quo, scilicet, *in cap. Cupientes. 16. de elect. in 6. si non præsentata, vel si minùs canonicè præsentata fuerint electiones, prouidebimus.*

Neque est insistendum in eo, quòd plerique DD. circa prædictas nullitates varient. Quia (vt fuit in prædicta decisione firmatum) omnes nullitates deducuntur, ex quo, secundùm communem DD. opi-
4. nionem, sunt contra substantialia formæ *c. Quia propter. de elect.* quæ cõmunis opinio operatur, vt ita debeat intelligi tex. & si aliquid contrarium fiat, non sit contra communem sententiam DD. sed contra ipsum textum, quem communis schola ita interpretatur. Suarez *de legib. lib. 6. cap. 14. n. 5. vers. De hac* *igitur interpretatione.* Nec ex verbo, *exceperunt*, de- 5.
duci potest, quòd vota in scriptis fuerint recepta, cùm non fuerit additum, *in scriptis*, prout loquitur Suet. Tranq. de Tito Principe Romano ibi... *e pluribus comperi, notis quoque excipere velocissimè solitũ,*
&c. Et licèt scriptores, & Notarij vocentur excepto- 6.
res *in §. Deinde.* vbi Gloss. *in verb. Exceptorem. Auth. de defens. Ciuit. & in l. Exceptores.* vbi Gloss. 1. *C. de numer. actuar. lib. 12.* id tamen non concludit, quòd dicendo, *exceperunt*, in scriptis excepisse intelligendum sit: quid enim hoc verbum de per se positum importet, ipsi Grammatici benè discutiunt. Ad id
verò, quod in decis. dicitur nempe, scrutatores tan- 7.
tùm extra Collegium vota exquisiuisse, assistentibus iis de Collegio, quod est contra formam *cap. Quia propter* dum respondebatur, quod sufficiat præsentia, & consensus ex Innoc. *in cap. in Genesi. n. 5. de elect.* & ex Gloss. *in cap. Sicut. in verb. Per vnum. de elect. in 6.* fuit replicatum quòd Gloss. Innoc. & alij alleg. non loquantur in his terminis. Quidquid autem dicendum esset, an vnus ex scrutatoribus possit tantùm scribere, cedulásque recipere, illud certum est, quod omnes scrutatores debent exquirere: hic verò tres tantùm scrutatores extra Collegium exquisiuerunt, scrutatoribus de Collegio as-
sidentibus. Nec debuit allegari, quòd decretum irri- 8.
tans *in d. cap. Quia propter.* appositum referatur solummodò ad formulas electionum, ita vt prohibeat omnem aliam formam, quam scrutinij compromissi, & quasi per inspirationem; non autem referatur ad solemnitates circa scrutinium dispositas. Quia iste intellectus nedum est valde subtilis, & nouus; sed contra tex. expressum *in cap. Ecclesia vestra. 57. §. Denique. de elect.* Roman. *cons. 332. num. 12.* & contra alium tex. *in cap. Si cui eod. tit. in 6.* ibi: *Talis electio cum præter formas, quas generale Concil. seruari statuit, in electionibus celebrandis decernens, si aliter fierent, non valere.*

Quantùm attinet ad secundum caput, quòd scilicet in hac electione fuerit seruata forma consuetudinis huius Ecclesiæ, & ideò non fuerit opus serua-
ri formam *cap. Quia propter.* cùm lex contrariam 9.
consuetudinem etiam quod habeat decretum irritans, abrogetur. Suarez *de legib. 7. cap. 19. num. 14.* tres fuerunt datæ responsiones. Prima, illam consuetudinem non probari. Secunda, non suffragari, cùm non adsit expressus Papæ consensus. Tertia, eò magis non suffragari, quia nec adest scientia Papæ. Quod non probetur consuetudo, satis patet:
quia illa non inducitur, si vario modo fuit seruatum: 10.
quia requirit actus vniformes Bart. *in l. 2. in fin. princ. ff. sol. matr.* Dec. *cons. 214. num. 2. vers. 2. Hoc idem. & per tot. & cons. 129. col. 2.* Alex. *cons. 5. lib. 5.* & *cons. 573 per tot lib. 6.* Roland. *cons. 2. n. 118 & seq. lib. 1.* & *cons. 87. n. 53 lib 2.* & *cons. 13 n 18.* & *n. 20.* vbi, quod nullus discrepat *lib. 4* Aym. *cons. 96. n. 5.* Rimin. iun.
cons. 264. n. 28. & 29. lib. 3. & cons. 265. n. 25. Et quan- 11.
do consuetudo est varia, quod non recedatur à iure communi, Natt. *cons. 232. in fin. & cons. 309 n. 9.* Roland. *d. cons. 87. n 53 lib. 2.* Curt. iun. *cons. 260. n 20 lib. 3.* In proposito autem electiones, in quibus sit fundamentum, vniformes maximè sunt. in illa enim de anno 1502. sub Alex. VI. vota fuerunt redacta in scriptis, & tam scrutatores de Collegio, quàm extra suffragia exquisiuerunt. In alia facta de anno 1514. sub Leone X. fuerunt electi tres scrutatores de Collegio, & vota in scriptis redacta. In alia de anno 1525. sub Clem. VII. tres tantùm de Collegio scrutatores fuerunt electi, & suffragia pariter redacta in scriptis. Sub Pio V. de anno 1565. tres etiam scrutatores de Collegio tantùm fuerunt adhibiti. Sub

Greg. XIII. de anno 1583. suffragia fuerunt per No-
tarios scripta, quod est de iure permissum. Gloss. in
12. dict. cap. Quia propter. in verbo, redacta. sola enim
quæstio est, An laicus Notarius possit scribere, vt
per Doctores ibidem. Vltima verò sub sanctæ mem.
Greg. XV. de anno 1521. satis annuit, vota fuisse in
scriptis redacta, cùm in ea dicatur, quòd in præsen-
tia Notarij vota scrutata fuerunt.

Fuit præterea ex abundanti consideratum, quòd
tempore Clem. VII. fuit electus Ioannes de Cellis, &
non datur alia electio vsque ad tempus Pij V. & ta-
men electiones intermedias affuisse, non est ambigen-
dum cum sub Pio V. non fuerit facta electio per obi-
tum dicti Ioannis, sed cuiusdam Petri, prout fuerunt
etiam electiones intermediæ inter Gregor. XIII. &
sanct. mem. Greg. XV. tempore enim illius fuit electus
quidam Bernetus, & sub vltimo Greg. fuit facta ele-
ctio per obitum Nicolai, & sic non rectè deducitur
status electionum. Fuit insuper ponderatum, quòd
in electione sub Alex. VI. fuit facta mentio electio-
num, de quibus in cap. Quia propter. sub Pio V.
dixerunt electores, quòd volebant procedere per
viam scrutinij. Sub Greg. XIII. expressè etiam fuit di-
ctum, quòd ex tribus modis eligendi, nimirum, per
scrutinium, per compromissum, & quasi per inspi-
rationem, viam scrutinij elegerunt. Et in postrema
sub sanct. mem. Greg. XV. dicitur, quòd viduatæ
Ecclesiæ per viam scrutinij intendebant prouidere.
13. Ex quo igitur viam scrutinij censuerunt eligendam,
censendum est, viam ordinariam elegisse, scilicet,
iuxta terminos c. Quia propter. Specul. in rubr. de
elect. n. 12. Si verò dictam formam seruare nescientes
errarunt, non potest dici, aliquam consuetudinem
14. induxisse, quæ ex certa scientia, non ex errore de-
bet induci. Gloss. in cap. fin in verb. legitimè, vers.
Item, quòd ex certa scientia. & ibi etiam Abbas n. 14.
de consuet. Syluest. in verb. consuetudo. q. 4. Tabien. no-
tab. 7. n. 8. Medic. de leg par. 2. q. 14. n. 5.

15. Secundò fuit principaliter responsum, quòd ad in-
ducendam consuetudinem contra Canones, requiri-
tur scientia, & expressus consensus Papæ: aliàs nun-
quam per contrariam consuetudinem lex abrogatur,
Quia Summus Pontifex non habet potestatem à po-
pulo, sed immediatè à Deo; & ideò non est populus,
qui inducit consuetudinem contra Canones, sed au-
thoritas Papæ permittentis. Abb. in cap. fin. n. 8. in
16. fin de consuet. Salas de legib. q. 97. tract. 14 disp. 19. sect.
6. n. 59. vers. Hac sententia. Quod in lege ciuili secùs
est: nam lex ciuilis tendit ad bonum publicum, & in
vtilitatem priuatorum: vnde, si populus vult sibi præ-
iudicium inferre, Principes ab eodem populo potesta-
tem habentes non curant, l. De quibus. vers. Nam,
cum ipse. ff. de leg. S. Thom 1. 2. q 47. art. 3. in resp. ad
3. Abb. in c. fin. n. 9. de consuet. Driedon. de liber. Christ.
c. 11. ante fin. Ius autem canonicum principaliter in-
tendit hominem in Deum dirigere, & venit ad bo-
num publicum ecclesiasticum; & cùm sit institutum
à potestate spirituali, illa non potest in laicos cadere.
Abb. & Driedon. locis præcitatis. Hinc ergo, cùm
consensus Papæ operetur ad istam consuetudinem in-
17. ducendam, requiritur illius certa scientia, ita vt non
sufficiat error, vt dictum est, & insimul requiritur ani-
mus inducendi consuetudinem, Gloss. in d. c. fin. in
verbo, legitimè, vbi Abb. n. 17. & facit tex. in lege 1. C.
Quæ sit long. consuet. Quare si consensus Papæ est ille,
qui consuetudinem inducit, & etiam ad hunc effe-
ctum requiritur certa scientia, & voluntas inducendi
18. consuetudinem, non potest deduci voluntas, nisi ex-
pressus consensus adsit; multa enim per patientiam
tolerantur, quæ deducta in iudicio, exigente iustitia,
toleranda non essent, vt dicit tex in cap. Cum iandu-
dum. 18. in fin. de præb. quem in puncto allegat Gloss in
§. leges. in verb. Abrogata. distinct. 4. & ex istis rationib.
conuincitur Vasq. q. 2. artic 97. disp. 177. c. 12. dum di-
cit, nihil referre, quòd Papa recipiat potestatem à
Deo, & non à populo, vt consensus eius tacitus non
possit operari ad derogandum suæ legi: vt enim ex
prædictis apparet, multùm refert, quod Papa imme-
diatè potestatem habeat à Deo. In hoc autem casu ne-
dum non adest expressus consensus Summorum Pon-
tificum; sed nec etiam scientia, vt in tertia responsio-
ne ostendemus.

Et quòd requiratur nedum scientia, sed etiam ex- 19.
pressus Papæ consensus ad inducendam consuetudi-
nem contra canones, etiam quantocunque temporis
spatio illa fuerit seruata, tenent Gloss. in d. §. Leges. in
verbo, Abrogat. distinct. 4. Archid. in c. Cum de benefic.
n. 2 circa med. vers. Nam. & ibi notat de præb. in 6. vbi
optimè dicit, casum esse expressum in cap Consequens.
& in c. Nolite. 11. distinct. c. Facta. 9. q. 3. & c. Illud. &
c. Ridiculum. 12. distinct. Ioan. Andr. in d. cap Cum de
beneficio. post princ. Gemin. n. 6. Franch. n. 3. & 4 S. An-
tonin. in Summ. part. 1. tit. 16. c. vnic. §. 2. ante fin. vers.
Dicit autē Ioannes. Ioan. de Salas de legib q. 97. tract.
14. disput. 19. n. 62. in fin. quam sententiā secuta fuit
Rota in Romana obseruationis contractus, 23. Octobris,
1551. coram Chissanen. relata apud Verall. decis. 204.
n 3. part. 3. & in Romana concordia S. Petri, 12. Febr.
1610. coram Reuerendiss. D. meo Caualerio, nunc S.
D. N. Datario, quæ eò magis de plano procedunt, cùm 20.
cap. Quia propter. habeat decretum irritās, vt conside-
rant Archid. Ioan. Andr. Gemin. & Franch. locis prædi-
ctis, cui sententiæ consonat etiam dictum Goffr. & in-
noc. in cap. Ad nostram. in princ. de probat. vbi lex, quæ
est contra ius commune, non debet seruari, cùm non
sit inducta de certa scientia eius, cuius est condere, &
mutare legem, l. de quibus ff. de legib.

Tertiò principaliter etiam fuit responsum, quòd
communis, & indubitata conclusio est, legem Papæ 21.
non posse abrogari, saltem absque illius scientia, vt
egregiè probat Driedon. de libert. Christ. d. lib. 1. cap. 2.
in fin. Vasquez ad S. Thom. 1. 2 q. 97. Et hanc opinio-
nem ab omnib. teneri, affirmat Petrus de Lorca ad 1. 2.
S. Thom. in tit. de legib. disp. 29. in princ. & late fuit
deductum in d. causa Romana concordia S. Petri. Quæ
scientia, ex qua arguitur consensus, hic non adest, sed
error, qui non sufficit ad inducēdum consuetudinem,
vt suprà est dictum. Scientia enim Summorum Ponti-
ficum, quæ deducitur ex confirmationibus; non adest, 22.
cùm electiones nullas confirmauerit absque certa sciē-
tia. Bar. in l. Si constet. 12. num. 2. ff de appellat. vbi quod
per confirmationem non confirmatur electio inuali-
da, ni fieret ex certa sciētia. Bald. in l. Nominationes, 27
num. 2. vers. Indic. C. de appellat. vbi quòd confirmatio
superioris non purgat vitium electionis, nisi Princeps 23.
cōfirmet ex plenitudine potestatis. Et loquitur in ter-
minis electionis, in qua non fuit seruata forma cap.
Quia propter. Franc. Marc. dec. 227. n. 5. & 6 par. 1. In-
noc. in cap. Cum dilecti. 32. n. 1. de elect. Alex. cons. 58.
n. 8 lib. 1. vbi, quòd nec certa scientia præsumitur, nisi
probetur. In proposito autem, siue dicamus verba con-
firmationum de per se importare, quòd Papa ex certa
scientia confirmauerit, siue non; nihilominus, vtcun-
que sit, veritas est, quòd cùm Summi Pontifices con- 24.
firmauerint electiones, tanquam canonicas, & verè
non sint tales, cùm in illis non fuerit insertus tenor;
præsumuntur circumuenti ab iis, quibus electiones
examinandas mandarunt, Felin. in c. Cum à nobis. n. 3.
de test. Ruin. cons. 41. n. 15. vers. Secundò, respondendum.
lib. 1. Gabr. concl. 1. n. 42. & seqq. de probat.

Neque facit, quòd, quando interuenit consensus de 25.
iure naturali requisitus, electio dicatur canonica.
In-

... c. *Cum sicut n. 7.* Compost. *col. 6. in princ. n. 17 ... vers. Item, quaero. de elect.* Archid. *in cap. Nullus n.* ... Franc. Marc *decis. 1322. n. 1. in fin. part. 1.* & in
6. ... electionibus interuenerit consensus de iure naturæ requisitus, & propterea tanquam canonicæ potuerint confirmari, Innoc. *in d. cap. Quod sicut n. 23. ... Circa primum.* Ioan Anan. *n. 7.* Bellam. *n. 50.* Quia ... ponsum, electionem triplici modo dici canonicam, largè, strictè & strictiùs vt per Gemin. *in cons. 88. num. 4.* Strictiùs dicitur canonica electio, quando omnia interueniunt quæ sunt de substantia, & solennitate, quæ si omittantur, electio est nulla, vt *in d. cap. Quia propter.* Strictè dicitur, quando seruantur illa, quæ sunt de substantia: omissis tamen his, quæ pertinent ad solennitatem, vt putà vocatio absentium, &c. Isto casu electio non est nulla, sed venit annulanda, vt *in cap. Quod sicut. 28 de elect.* Largè dicitur canonica, quando non sunt seruata substantialia, nec alia solennia requisita à iure positiuo: sed habet tantùm validitatem iuris naturalis, vt, quia, scilicet, habet consensum eligentium, & ista de iure non est valida, vt *in d. cap. Quia propter, & in cap. Sicut de elect.*

Vbi autem Papa appellat electiones canonicas, censendum est, intellexisse de electionibus canonicis strictiori modo, cùm iura tales approbent, & illud est proprium significatum, quod communiter iura recipiunt: dum enim dicunt canonicam, intelligunt ... valida, vt patet *in cap. Postulasti in princ. de Cler. excomm. ministr.* & a propria verborum significatione recedendum non est, *l. Non aliter ff. de legat. 3. cap. In nostra de iureiur. & in cap. Propterea. de verb. significat.* Ita egregiè Gemin. *d. cons. 88. n. 4.* & benè Rebuff. *in prax. tit. Canonica instit. quæ dicatur.* vbi, quòd illud illa dicitur canonica, quæ fit secundùm canones, *cap. Cum aliter de dolo. cap. Grauis, de ... cap. vnic. de ætat. & qualit. in 6.* Nec potest dici canonica, quæ iure facta non sit, *cap. 1. de elect.* Et si ... rem ... s, Summos Pontifices non ita sensisse electiones canonicas; confirmationes, tanquàm non ... ex certa scientia, corruerent, vt *supra* ostensum ...

Neque debuit allegari, quòd in Concordatis habetur, Papam confirmaturum electiones canonicas, & concordata debeant intelligi iuxta terminationem Concil. Basileen. *sess. 38. de elect.* in quo fuit statutum ... d electiones factæ ab omnibus, vel à maiori parte, etiamsi reliqua electionis formam concernentia omissa fuerint, confirmari deberent. Nam, vt ... satisfiat huic prætensæ vanitati, & minùs di... a Catholicis allegetur, Concordata conti... *Placet nobis, quòd in Metropolitanis, & Ca... bus, &c. Monasteriis immediatè subiectis Sedi ... fiant electiones canonicæ, quæ ad dictam Se... ferantur, quas etiam ad tempus constitutum in ... Nicolai PP. III. quæ incipit: Cupien... abimus, ... lapso dicto tempore, si non præ... a, vel si minus canonicè præsentata fuerint, proui... mus, & si canonica fuerint, eas confirmabimus, nisi ... ls, & euidenti causa, &c. de digniori, & ... persona duxerimus prouidendum, &c.* Huius... Concordata, quod sint intelligenda de electio... strictiori modo acceptis, hoc est, iuxta for... *p. Quia propter* dicit Henr. Canis. *in annotat. Concordata.* & probatur ex verbis illis, si præ... minùs canonicè fuerint: quæ verba sunt ... ta ex tex. *in cap. Quamquam. de elect. in 6.* ... us canonicas appellat illas electiones, quæ ... tra formam Concil. Generalis, quæ est for... *propter.* vt notat Gloss. *ibidem.* Et hæc satis ... omnia superiùs deducta ad interpretationem ..., *canonicas*, positi in confirmationibus. Et

Æneas Sil. *in eius epist. 338.* Martino Mayer Archiepiscopi Moguntini Cancellario, nulla dat. Romæ 12. Kal. Octobris. 1457. & sic statim post Concordata videtur illa intelligere de elect. canonicis, prout de iure communi: inquit enim: *Nulla electio reiecta est quam constet fuisse canonicam; Pontificalis Ecclesia in Alemania nulla reseruata est specialiter D. N. contra Concordata vestra, &c.*

Et hoc posito, inanis etiam est prætensio, quòd Concordata sint intelligenda iuxta determinationem Concilij Basileensis: quia, licèt illud in principio fuerit œcumenicum, eò quòd authoritate Summi Pontificis fuerit indictum sub præsidio Iuliani Card. Cæsarini: & prosequutum, donec illicita potestate vsurpata, & in Pontificem Romanum omni iudicio, & subiectioni coactiuæ iure diuino exemptum iudicium suum ipsi conuerterent, & Pontifex Legatum suum, omnésque alios Episcopos auocaret. Quando verò post horum discessum Synodus sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, inuitóque Pontifice prorogata est, non tantùm Oecumenica, verùm etiam legitima Synodus esse desiit. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronunciare ausum est, omnésque præcipui Episcopi discesserant, & Cardinalis Arelatensis præsidendi sibi munus assumpserat, quia Episcopi paucissimi erant, introduxerunt in Synodum ingentem Presbyterorũ multitudinem, vt contra omnem formam Conciliorum, non Episcoporum, sed Presbyterorum Synodus esset; & Deus Opt. Max. sententiam suam dicere volens, tam horribili peste Basileam affligebat, vt maior pars eorum, qui remanserant in Conciliabulo, vel extincti, vel secedere coacti fuerint, vt refert Æn. Silu. *in hist. Concil. Basil.* cui ipse interfuit, quod Concilium in Concil. Lateranen. vltimo sub Iulio II. *sess. 4.* sub Leone X. *sess. 11,* appellatur schismaticum, seditiosum, & nullius prorsus authoritatis, & san. mem. Eug. IV. ad orationem habitam per Ioannem Bachenstein, & petitionem factam nomine Concilij Basileensis, inter alia cùm peterent obseruatio decreti de electionibus, præmissa responsione, quòd semper eius intentionis fuit, inuigilare in his, quæ honorem Dei, salutem animarum, ac bonum totius Ecclesiæ, & Reip. Christianæ concernerent, signanter ad extirpationem hæresum, reformationem morum, ac pacem populi Christiani, ad specialiter petita sic respondit: *Quantum autem ad negotium indulgentiarum, electionum, annatarum, causarum, ... vacationum scriptorum, & abbreuiatorum Romanæ Curiæ; quia materia grandes sunt, & discussione, & declaratione indigent, se vna cum Fratribus suis S.R.E. Cardinalibus decreuisse respondere per suos Concilio quod quamprimum facere intendit, sperans responsiones suas tales esse debere, quæ iustitia, & honestati conueniant, ipsiq; Concilio, & omnibus piè sentientibus ad Dei honorem, charitatem, & pacem, ac bonum vniuersalis Ecclesiæ grata, & accepta merito sint futura.* Ita habetur *tom. 4. par. 1. Concilior. Colon. impr. in append. fol. 177. & seqq.* & *fol. 179.* habetur prædicta responsio. 32. 33.

Neque dici potest, Concordata esse intelligenda iuxta Concil. Basileen. ex quo Nicolaus V. qui Concordata fecit, & decreta Concilij Basileensis confirmauerit, vt patet *in eius Bulla*, & refert Æneas Sil. & Gobilin. *locis citatis*: & ideo Concordata debent intelligi iuxta statuta Concil. Basileensis per eundem Pontificem confirmata: quia hoc est mentum figmentum, cum Concordata habeant dat. Kal. Aprilis, 1447. bulla autem habet datum sub 14 Kal. Iul. 1449. & sic de tempore Concordat. Bulla non erat in rerum natura. Veritas tamen est, quod Nicolaüs V. non confirmauit decreta Concilij; sed pro bono pacis

electiones factas in obedientia Concil. Basileen. vt patet in prædicta Bulla, quæ habetur *in d. tomo 4. par. 1 fol. 96.* cuius hæc sunt verba formalia: *Nicolaus, & quascunque promotiones, electiones, confirmationes, postulationum admissiones, translationes, commendas, administrationes, prouisiones, reseruationes, vniones, incorporationes, reuocationes, pallij donationes, consecrationes, personarum benedictiones, de Ordine ad Ordinē translationes, subfeudationes absolutiones, liberationes, quietationes super quibuscunq; debitis ratione decimarum, indulgentiarum, annatarum; dispensationes, tam super ætatis, quàm natalium, & aliarum inhabilitatum defectus, &c. ac omnia, & singula, tam iustitiam, quam gratiam concernentia, siue in foro conscientiæ, vel contentioso, in personis, & locis, qua tempore concessionis, & aliorum præmissorum obedierunt prædicto Venerab. chariss. fratri nostro Amedeo, Cardinali Felici V. nominato, ac congregationi Concil. Basil. aut alterius eorum auctoritate, etiam de latere Legatos, seu delegatos ab eis potestatem habentes coniunctim vel diuisim, qualitercunque facta, gesta, concessa, indulta, data, disposita, & ordinata, etiamsi maiora, aut grauiora, aut alterius cuiuscunque natura à præmissis existant, & specialem requirentia expressionem cum omnibus, & singulis inde sequutis, ac etiam omnia, & singula per Ordinarios in dictis locis facta pro bono pacis, & vnionis Ecclesiæ, motu proprio, & ex certa scientia, & apostolica potestatis plenitudine, de consensu Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium, præsentium serie approbamus, ratificamus, & confirmamus, rataque, & firma fieri volumus,* &c. Et quamuis prædicta clarissima sint; potest tamen addi, quòd si gesta Concil. Basil. fuissent confirmata, frustrà in Concil. Lateranen. sub Iulio II. & Leone X. *sess. 4. & 11. vt supra* relatum est, illud fuisset appellatum schismaticum, seditiosum; & nullius prorsus authoritatis; & in cassum, dum in eodem Concilio Lateranen. improbantur acta Basileen. fuissent facta Concordata, cum Rege Franciæ.

Et Æneas Silu. *epist.* 369. *sub dat. Roma* 8. *Augusti,* 1457. scribens d. Martino Mayer, Cancellario Archiepiscopi Moguntini, non dicit, decreta Concilij fuisse confirmata, imò totum oppositum; sique aliter diceret falsum esset. Audiatur ipsemet loquens ibi: *Sed, vt ad querelas tuas veniamus, dicimus, tibi dignum esse, vt compactata cum vestra natione seruentur,* &c. *Verum cum dicis, decreta Concil. Basil. non custodiri, idque putas iniuriosum esse nationi, indignam dicimus esse querelam tuam; propter decreta enim Basileensis Concilij inter Sedem apostol. & nationem vestram dissidium cœpit: cùm vos illa primùm tenenda diceretis: Apostolica verò Sedes omnia reijceret. Itaque fuit denique compositio facta, s. Concordata, in qua nos Imperatorio nomine interfuimus: eam certamlegem dedit deinde inuiolabiliter obseruandam, per quam aliqua ex decretis Concil. prædicti recepta videntur, aliqua reiecta:* hoc est, fuerunt facta Concordata, per quæ aliquid fuit concessum nationi; non autem simpliciter dicit, quòd per Concordata gesta in Concilio Basileensi fuerunt confirmata: & subditur: *Itaque non satis agis, si per omnia seruanda esse decreta contendis.* Et sequitur ibidem. *Sed venio ad electiones, quas passim contemni refers. Hoc non inuenimus, ita esse, vt asseris: nam, postquam ex Alemannia huc venimus, plures Ecclesiæ Cathedrales eiusdem nationis vacauerunt, in quibus, vel postulationes factæ, vel electiones fuere. De postulationibus nihil est, quod obiici possit: nam illæ ex gratia pendent etiam vetustiorum, liberúmque est Pontifici Maximo, eas admittere, vel reijcere: electiones autem, si ca*nonica fuerint, compactatorum vigore [illegible] mirentur, nec repelli possunt, nisi de vi[illegible] Romanus Pontifex de Consilio Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium duxerit prouidendum, [illegible] est aliquid, quod reprehendi [illegible] Et sic apparet, quòd refert tenorem Concordatorum, & intelligit de electionibus canonicis, prout de iure communi; non autem iuxta disposita in prædicto Conciliabulo, & subsequitur idem Æneas, *[illegible] tempore diximus, quo Romanam Curiam [illegible] Neque enim [illegible] iam biennium tantum est, [illegible] vlla electio huc allata est, qua ritè [illegible] reperta sit: nam Traiectensis electio, de qua [illegible] rumores habiti sunt [illegible] etiam ex omnibus [illegible] derat: alia verò [illegible] habuere,* & concludendo dicit: *Itaque [illegible], non esse, cur vestra natio circa electiones iustam querelam habeat,* &c.

Et non aduersatur idem Æn. Sylu. sed fauet *in Apologia ad eundem Martinum Mayer.* [illegible] 672. secundum patuam impressionem: ibi enim recenset obitum Eugenij IV. & creationem Nicolai V. quòd ipse [illegible] sit Legatum in Germaniam Ioannem Cardinalem [illegible] Angeli: *Coram quo, inquit, disceptatum est, quenam [illegible] ecto Pontifici Nicolao parendum esset, erant, qui [illegible] Basileen. Concilij omnia sub [illegible] pede contenderent [illegible] saluis, Papa obediendum. Contrà Legatus apost[illegible] eius Conc. legib. quod Romana Sedes [illegible] nullam inesse vim aiebat. Alij, quib. media sententia placeb[illegible] verum Basilea Concilium aliquando [illegible] quæ temporis constitutiones haudquaquam re[illegible] se putabant. Postremo eo modo concordia lo[illegible] sententia quorunda decretorum Basileen. Co[illegible] peteretur: reliqua verò eius statuta reiecta [illegible].* Hæc verba non sunt intelligenda quòd decreta Concilij fuerint approbata; sed quòd in Concordatis aliquid fuerit conuentum, prout [illegible] fuerat in Concil Basileen. & quoad formam electionum, quòd Concordata non sequantur disposita in Conc. Basileen. literis rotundis, idem Æn. asserit ibi. *Sed pergis vlterius & concordiæ formulam a[illegible] decretum super electionibus in Basilea promul[illegible] tanquam receptum in conuentionibus videatur [illegible] gis, reiectique contendis, inexcusabilem esse Romanum Pontificem arbitraris, & prorsus iniustum, qui electionibus aduersetur, nec tolerabile [illegible] esse existimas, nec tibi responderi posse in hac p[illegible] fidis.* Sed [illegible] sequitur prædictæ obiectioni [illegible] sponsio: *Falleris haud mediocre nostro iudicio, quemadmodum clariùs tibi ostendemus; nam form[illegible] dia, quæ respicit electiones, hunc sensum [illegible] lat enim in Ecclesiis Cathedralibus, [illegible] sterijs expectari iubet per tempora, quæ sunt [illegible] statuta, easque, si canonicæ fuerint, [illegible] Romanus Pontifex de persona, quæ [illegible] electio, vacantis Ecclesiæ de consilio Fratrum [illegible] S. R. E. Cardinalium prouidendum du[illegible]* verbis, quibus nihil potest obijci, dicit [illegible] data circa electiones non esse intelligenda, [illegible] eet, electiones subsistant, si iuxta [illegible] Concil. Basileen. fiant sed solùm quòd [illegible] si secundùm Canones factæ fuerint; & tamen [illegible] set plures electiones, quas Summi Pontifices [illegible] quam canonicas confirmarunt, alias [illegible] minùs canonicas reiecerunt. Denique [illegible] *in comm. Pij II.* qui fuit idem Æneas [illegible] in minoribus appellatus, *f.* 12. [illegible] *impress.* & *fol.* 20. *secundum patuam* [illegible] *Interea* [illegible] refert, quòd Legati Romam missi [illegible] nium doctissimè respondisse [illegible] quod Æn. Sylu. [illegible] notulas composuit, quæ Eugenio [illegible] rè posteà Romam missæ fuerunt: sed hoc non tangit

git negotij veritatem, quæ clarè elucescit ex *suprà deductis.*

35. Quantum attinet ad tertium principale caput oppositum, nempe, quòd ista non fuerit electio simpliciter per scrutinium; sed per compromissum cum scrutinio mixtum, quæ forma eligendi est canonica... purà, si ita compromissum sit, vt compromissarij ipsi exquirant vota singulorum, illúmque eligant, in quem maior, & sanior pars consenserit, vt est constitutio Innocentij III. de qua in *cap. Cum dilectus.* 32. *de elect.* quæ non fuit reuocata per Constitutionem Alex. III. in Concil. generali de anno 1215. de quo *in dicto cap. Quia propter.* vt declarat Bonif. VIII. *in cap. Cum expediat.* 29. *de elect. in* 6. *cap. Si cui.* 27. *eod. tit.* Canis. *in Compend. iur. canon. in tit. de elect. cap. de concurs. comprom. cum scrutin* Bais. *de elect. par.* 3. *cap.* 17. *num.* 4. *vers. Aliquando autem.* Cæterùm, quòd ista forma sit canonica, non negatur; sed factum negatur; non enim fuit processum per viam

36. compromissi cum scrutinio mixti: quia compromissum, aut fit expressè, aut tacitè ex verbis inducitur, vt sentit Petr. de Bais. *ead. par.* 3. *cap.* 17. *num.* 1. *in fin. de elect.* & Specul. *in rubr. eiusdem tituli, num.* 13.

37. In hoc autem casu neutrum adest. Non expressum: quia congregato Capitulo, is, qui habet in Capitulo primam vocem, vel alius de mandato Capituli, seu quiuis etiam sine mandato, Capitulo tamen non contradicente, requirit primò singulos singillatim, an placeat procedere hac forma compromissi: & omnibus consentientibus, ita vt nullus omninò discrepet, debet requirere eos iterum, quibusnam personis, & per quem modum velint eis committere vices suas: & omnibus de personis concordantibus, & de modo; tunc omnes simul, vel vnus nomine omnium in personas huiusmodi eligendas transferat potestatem; si verò Capitulum nolit in compromissarios conuenire, possunt eo casu, vt citiùs ad concordiam deueniatur, vni, vel pluribus, qui vice omnium eligant compromissarios, committere vices suas. Ita Mandag. *de elect. par.* 1. *cap.* 39. Compostell. *in c. Quia propter. num.* 26. *vers. Quæro modò,* & ibi Bellam. *in §. Vel saltem. n.* 7. *eod. tit.* & de hoc debet confici publicum instrumẽtum. Specul. *in tit. de elect.* §. 2. *in princ.* Bertach. *de Episc. par.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 49. *n.* 93. Idem Specul. *in cap. De via compromiss. num.* 4. Et hoc quæstio est, vt per Bart *in l. Institutio. num.* 3. *ff. de cond. instit.* an duo sint conficienda instrumenta, vt, scilicet, vnum contineat: *Nos eligimus, quem tales compromissarij nominabunt.* & alterum: *Eligimus illum, quando tales compromissarij nominabunt.* Tamen idem Bart. concludit, quòd licèt de iure duo essent conficienda, de consuetudine contrarium seruatur. Hanc autem formam hic non fuisse seruatam, certum est, cùm nihil tale legatur in instrumento S. D. N. transmisso.

38. Reliquum est, vt videatur, an adsit compromissum cum scrutinio mixtum, saltem tacitè. Abbas Richardotus fuit electus Præsidens Capituli, & ea, quæ vti talis, gessit, gessit in præsentia Abbatis Treueren. & S. Matthiæ; fuerunt etiam electi tres scrutatores de Collegio, quibus, & antè nominatis Abbatibus fuit data, & concessa omnis authoritas, & potestas, secretò, & singillatim vota omnium, & singulorum scrutandi: quapropter hi fuerunt electi scrutatores, non compromissarij, vt, scilicet, eligerent per compromissum cum scrutinio mixtum; vt enim superiùs

39. firmatum est debet dari facultas, vt compromissarij vota singulorum exquirant, illúmque eligant, in quem maior, & sanior pars consenserit, *dicto cap. Cum dilectus.* 32. *de elect.* quem ita explicat Gloss. *in cap. Cum expediat.* quæ est prima, & incipit: *Pro intellectu. de elect.* Et quamuis in dicto instrumento subdatur: *Et facta collatione numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum, fuit data potestas, illum in Abbatem nominandi, & publicandi, in quem omnes, vel maior pars Capituli inueniretur consensisse.* hæc tamen verba sunt intelligenda, vt scilicet scrutatores possint nominare, hoc est, verbo pronunciare, seu proclamare, & publicare electionem factam à Capitulo; non autem, quòd ipsi tanquam compromissarij possint eligere: quia post electionem 40.
factam à Capitulo electio pronunciatur, & publicatur, vt benè Rebuff. *super Concord. rubr. de reg. ad Prælat. nomin.* §. *vlt. in verb. forma, n.* 13. 15. & 16. *requis. fol.* 230. & 231. & tunc demum data facultate nominandi, censeretur data etiam facultas eligendi, si 41.
constat, arbitros fuisse electos. Et in istis terminis procedit text *in cap. Cum in iure peritus.* 33. *de elect.* vbi Hostien. *n.* 13. *vers. Sed quidquid dicat.* Ioan. Andr. *n.* 8. Rebuff. *in pract. de nomin. quæst.* 1. *n.* 24. Hic autem non fuerunt electi arbitri, sed scrutatores, vt dictum est: & ideò illa facultas nominandi debet quoad publicationem censeri, vel ad summum data ad electionem nomine Capituli faciendam; cùm de substantia sit, vt vnus nomine Capituli eligat, vt *in c. Quia propter.* & ibi DD. quod clariùs ex modo procedendi, de quo statim dicam, colligi potest.

Cessat denique omnis difficultas: quia in instrumẽto, quo petitur confirmatio, Capitulum his verbis loquitur: *Atque pro publicatione noui electi Abbatis, & Pastoris instantes per sæpedictum D. Præsidentem expressè rogati, num actam per nos electionem ratam, firmamq. haberemus.* Ex qua serie apparet, quòd Abbas nõ vocatur compromissarius, sed præsidens, & non agitur de electione facta à compromissariis, sed ab ipsomet Capitulo. Et quamuis in compromissis Capitulum 42.
censeatur eligere, quem arbitri nominabunt, Compost. *in cap. Licèt. n.* 7. *de elect.* Host. *n.* 14 *vers. vtique, quia ex compromissis.* hîc tamen Capitulũ non loquitur de electione ipsius nomine facta à compromissariis; sed de electione ab ipsomet Capitulo facta; quod euidentius demonstratur: quia Capitulum proclamari, & publicari fecit electionem per ipsum Præsidentem Richardotum: quod propriè conuenit electioni per scrutinium: facta enim collatione, debet sequi cõ- 43.
munis electio per vnum nomine Capituli per verba singularis numeri. & *in cap. Cùm ab vno. de re iudic. in* 6. *cap. Sicut. de elect. in* 6. Franc. Marc *decis.* 922. *n.* 2. *lib.* 1. & ista communis electio potest etiam fieri per 44.
extraneum, dummodo electores tacitè, vel expressè consentiant. Bais. *in direct. elect. par.* 3. *c.* 33. *n.* 4. & *seq.* Si igitur fuisset processum per viam compromissi, 45.
vnus compromissarius omnium compromissariorum vice eligere debuisset, vt putà dicendo: *Ego N. compromissarius de consensu, & voluntate compromissariorum meorum eligo.* &c. hanc formam ponit Mirand. *in Ant. nu. Prælat. regul. par.* 2. *quæst.* 35. *art.* 38. *concl.* 2. & benè adaptatur, quandò pronunciatio fit sine scriptis. Mandagor. *de elect. quæst.* 59. *form.* 9. ponit aliam, quæ idem in substantia continet; & subiicit, opus esse, vt vnus vice omnium eligat, aliàs electio est nulla. Oldrad. *cons.* 184. *in princ.* Roman. *cons.* 216. *num* 4. *vers* 4. *eiusdem nullitas.* In proposito autem neque expressè, neque per æquipollens verba possunt importare, quòd Præsidens, tanquam Compromissarius, nomine aliorum compromissariorum elegerit.

Datò tamen, absque eo, quòd veritati præiudicetur, quòd electio fuerit per compromissum cum scrutinio mixtum, nec etiam sustinetur; licèt enim ista dicatur melior, & expeditior forma, cùm non 46.
omnes formam scrutinij benè sciant, vt ait Gloss. *in cap. Cum expediat. in verb. inquisitus. de elect. in* 6.

Mandag. *de elect. cap.41. in littera E.* Nihilominus
isto casu non possunt omitti substantialia scrutinij,
cap. Si cui, de elect. in 6. vbi, si fuerit actum, quòd
electio facta per compromissum cum scrutinio mix-
tum, vt, scilicet, eligatur ille, in quem maior pars
respectu numeri, non autem respectu totius Ca-
pituli consenserit, valeat; non tenet. Et Gloss. *ibi-
dem*, exemplificat in verbo, *secretè*, si fuerit actum,
quòd vota non sint secreta: quia semper habet lo-
cum ratio finalis illius text. & meritò hoc dicit: ex
ea enim ratione text. dicit, electionem factam vigo-
re compromissi non tenere, si actum fuit, vt eli-
gatur nominatus à maiori parte respectu minoris,
cùm hoc sit præter formam, quam generale Concil.
seruari statuit in electionibus celebrandis, decernens,
eas, si aliter fierent, non valere, & Gloss. *ibidem* ex-
plicat, ipso iure: & sic ista ratio militat, quotiescun-
que omittitur aliquod substantiale, de quo *in cap.
Quia propter*, vt benè Abb. *in d. cap. Quia propter,
§. Vel saltem, num.2. vers. Non tamen, de elect.* vbi
dicit, quòd, etsi prædicta Gloss. *in cap. Cum expe-
diat.* hanc formam vtiliorem nominet, non tamen
intelligas, quòd compromittentes possint in aliquo
tollere huius Capituli substantialia, (scilicet *cap.
Quia propter,*) Butr. *in d. cap. Si cui, num 5. in fin.
de elect. in 6.* Lap. Abb. *num.2.* Canis. *in sum.iur.ca-
non. tit. de elect. cap. de concurs. scrut. cum compr.*
Et expressè sentiunt DD. mox allegandi, dum firmant,
quòd in electione per compromissum cum scrutinio
mixtum, non requiratur collatio plena, sed aliqua-
lis; cùm forma compromissi non requirat illam de
se, quam requirit forma scrutinij: illa enim arctior,
ista liberior; nec tenetur compromissarius ad aliud,
48. quàm ad id, quod in compromisso expressum est:
quia non est necessaria collatio meriti ad meritum,
zeli ad zelum; sed numeri tantùm ad numerum, vt,
nimirum, videatur, an adsit maior pars totius Capi-
tuli. Monach. *in cap. Cùm expediat.29. num.9. ad fin.
vers. Item quæro, & num.10. de elect. in 6.* Ioan Andr.
in princ. Gemin. *num.3. vers. Quæro, an ista forma.*
Compostell. *in cap. In Genesi, 59. col.3. vers. In for-
ma verò compromissi.* vbi Abb. *num.2. in 4. notab. de
elect.* & in hoc ista forma compromissi cum scrutinio
mixti potest secundùm dictam Gloss. vtilior appella-
ri. In nostro autem casu omnes defectus considerati
in forma meri scrutinij, in hac etiam electione mili-
tarent; excepto tamen, quòd non dicerentur adhi-
biti sex scrutatores: quia tres primi extra Collegium
compromissariorum nomine venirent; & alia nulli-
tas posset addi, quòd vnus ex compromissariis nomi-
ne aliorum compromissariorum electionem minimè
publicauerit. Et ex forma ipsius compromissi corrue-
ret etiam electio: quia scrutatores de Collegio non
exquisiuerunt suffragia; & illa non fuerunt redacta
in scriptis, prout fuerat ordinatum in instrumento
compromissi: quæ omissio formæ vitiat compromis-
sum, cùm forma data sit seruanda, & illius verba
49. debeant potiùs restringi, quàm ampliari, vt per DD.
in illo cap. Cum expediat. loco citato, & benè Bald.
*cons.101. Nobiles viri, num.8. vers. Videtur conclu-
dendum, in fin. & cons. 103. lib.3. in princ.* Soc. *con-
sil.20. in princ. lib.1.* vbi quòd est stricti iuris, & in
ea veniunt solùm ea, de quibus specialiter est dictum.
Dyn. *cons.45.* quod incip. *Quæst. quæ vertitur.*

Et ita conclusum.

REVEREND. D. PENIA.

Tullen. Monasterij, 17 Maij, 1597.

ARGVMENTVM.

Abbas an, & quando beneficio priuetur ob non promotionem ad sacros Ordines; & an ipso iure, an verò præcedente monitione.

SVMMARIVM.

1 *Clerici beneficiati priuantur beneficio, si non faciunt se promoueri ad sacros Ordines.*
2 *Abbas non priuatur beneficio ipso iure ob non promotionem ad sacros Ordines, sed est necessaria præcedens monitio, & num. seqq.*
Cap. 1. de ætat. & qualit. *intellectus, ibid.*
3 Cap. Cùm in cunctis, §. Inferiora, de elect. *intellectus.*
4 Cap. Licèt canon. de elect. in 6. *intellectus.*
5 Clement. Ne in agro, § Cæterùm, de statu Monach. *intellectus.*
6 *Disponens, si aliquid voluisset, expressisset. non expressum; ergo noluit.*
7 *Pœnalia non sunt extendenda de persona vnius qualitatis ad personam diuersæ qualitatis.*
8 *Pœna priuationis non habet locum, nisi in casibus à iure expressis.*
9 *Abbas, qui actu exercet curam Monachorum priuatur Abbatia ob non promotionem ad sacros Ordines: secùs, si talem curam non habet.*
10 *Dispositio pœnalis qualificata non habet locum, deficiente qualitate.*
11 *Parochialitas non concluditur ex perceptione decimarum, tanquam signo æquiuoco.*
12 *Clericus non priuatur beneficio ob non promotionem ad sacros Ordines, quando fuit monitus, lite pendente, quo tempore ad illos suscipiendos cogi non poterat.*

DECISIO XXIV.

POst dubium die 27. Ianuarij præteriti disputatum
super concubinatu Abbati Nicolao opposito, &
ad illius fauorem negatiuè deciso, consequenter in
hac propositione, quæsiui super alio articulo a Rota
etiam præscripto, an idem Abbas, ob non promotio-
nem ad sacros Ordines esset ipso iure Abbatia priua-
tus, aut saltem per sententiam veniret priuandus.

Et Domini vtraque parte informante, neque ipso
iure fuisse priuatum, nec venire priuandum censue- 1.
runt. Nam ex iuribus, quibus id suaderi posse videba-
tur; nempe, *cap. 1. de ætat. & qualit. cap. Cum in cun-
ctis, §. Inferiora, de elect. cap. Licet canon. eodem tit.
lib.6. Clem. Ne in agro, §. Cæterum, de statu Monach.*
non poterat id legitimè concludi.

Quoniam *c. 1. de ætat. & qualit.* non inducit priua- 2.
tionem ipso iure; sed procedit iuxta terminos *c. Cùm
in cunctis, §. Inferiora, de elect.* nempe, in priuatione
per sententiam; monitione tamen præcedente, Gloss.
*in d. c. 1. in verbo, Fiant, & in §. Inferiora, in verbo,
canonibus*, vbi Ant. de Butrio *n.6.* Rota *decis.3 de pœn.
in antiq.* Gemin. *cons.131. num.1. & seq.* & Feder. de
Sen. *cons.28.* quod incip. *Casus.*

Cap. Cum in cunctis, §. Inferiora, licèt comprehen- 3.
dat Abbates, vt notauit Panorm. *in d. §. Inferiora, n. 3.*
non tamen operatur priuationem ipso iure, nec per
sententiam siue præuia Episcopi monitione, *d. §. Infe-
riora.*

riora. Rebuff. *in praxi benef. tit. de non promot. infra an.num* 25.

4 *Cap. Licèt canon.* strictè procedit in Ecclesiis parochialibus, & earum Curatis, seu Rectoribus actu curam administrantibus, de quibus loquitur *in d. §. Inferiora.* Glos. *in d.c. Licèt canon. in verbo, Parochialibus.* Gemin. *d.cons.*131.*n.*1.*& seq.* Rota *d. decis.* 3. *de pœn in ant.* Ioan. Andr. *in c. Statutum n.*2. *circa med. de elect. lib.*6. Latè Rebuff. *in prax. d. tit. de non promotis infra annum, n.*21.27.*&* 60.

Rursus *c. Licet canon.* non habere locum in Prælatis Collegiatarum declarare. *Statutum eodem tit. de elect. lib.*6. neque in illis, qui non exercent curam per seipsos docent *ibidem* communiter Canonistæ, & Vital *in Clem.*1. *n.*27. *de offic. Vicary,* & *in Clem. Ne in agro §. Cæterum, n.*37.

5. Omnis ergo difficultas versabatur circa intellectũ *d. Clem. Ne in agro. §. Cæterùm.* quam ideò huic Abbati Nicolao non obstare pronunciatum: quia illius dispositionem locum habere solùm in Priori conuentuali, habente curam animarum, & personarum, tam in foro pœnitentiali, quàm iudiciali; non autem in Abbate, præsertim commendatario, cuius persona remanet sub dispositione *d. §. Inferiora.* censuerunt Fed de Sen. *cons* 25.*n.* .... Rebuff *pracit. loco n.*21.*&* 22.

Cui intellectui suffragabatur series verborum d. Clementinæ, quæ multis in locis, tam ante, quàm post *d. §. Cæterum, quando* voluit comprehendere
6. Abbates, illos explicitè nominauit, vt *in §. Rursus.* & *§. seq.* & *in §. Si quis.* & *in §. Ad ampliationem.* at *in §. Cæterùm* omissa mentione de Abbate Priorem tantùm expressit: ergo ibi de Abbate disponere noluit: quia, si voluisset, simpliciter expressisset.
7. Alex. *cons.* 38.*n.*8.*lib.* 6. Gabr. *cons.*79.*n.* 28. *lib.* 1. & cum agatur de pœnalibus, non est facienda extensio de persona vnius qualitatis, ad aliam habentem diuersam qualitatem: nec est imponenda pœna priuationis, nisi in casibus à iure expressis. Glos. communi-
8. ter recepta *in c. fin.* vbi Abb. *de iurepatronat.* latè Tiraq. *in l. Si vnquam. in verbo Reuertatur n.*248.*& seq. C. de reuoc. donat.* Alex. *cons.*103.*n.*15 *lib.*2.

9. Prætereà aliqui ex Dominis dicebant, quòd quãuis dispositio *d. §. Cæterùm* haberet etiã locum in Abbate; [illegible] ipsi locũ habere opinabãtur intelligenda tamen erat de illo Abbate, qui actu exercet curã Monachorum. Rebuff. *d. tit. de non prom. infr. ann. n.*6. *Si tamen.*

Vnde, cùm Abbas Nicolaüs nõ haberet curã Conuentus, nec Monachorũ, quæ non residet penes Commendatarium Clericum sæcularem non habitantẽ intra Claustra Conuẽtus; sed extra in propriis domibus: [illegible] rota est penes Priorem conuentualem, qui habet curam Conuentus, & Monachorum, & exercitium [illegible]ius curæ, cuius ratione requiritur actualis promotio ad Ordines sacros: ideò deficiente in persona Domini
10. Nicolaï ista qualitate à Clementina requisita, necessariò etiam deficiebat dispositio pœnalis, qua veniret plectendus, si illa qualitas sibi competiisset.

Rursus non poterat prætendi necessaria promotio ratione curæ animarum ipsarum Parochianorum: quia, licèt Abbas præsentaret Rectoriam sæcularem ad Altare S. Petri habentem curam animarum; non tamen inde inferebatur, curam spectare ad Abbatem: nam ex serie facti petebat istam curam sæculatẽ olim fuisse in Ecclesia S. Petri, quæ fuerat diruta, & trãslata ad Ecclesiam S. Mansueti ad altare S. Petri, quod in titulum Presbyteru sæculari conferri cõsueuit, qui cùm nomine proprio, non Abbatis, curam exerceat; ille, nõ Abbas ex decreto Canonum promoueri tenebitur.

Postremò, omnes Domini vno consensu censuerunt, istam Abbatiam non videri talem, vt necessariò requireret promotionem: cùm anno 1542. authoritatẽ apostolica ex certa scientia fuisset commendata huic Nicolao in duodecimo suæ ætatis anno constituto per resignatiunẽ Diaconi Cardinalis Ioannis à Lotharingia, tunc non Presbyteri, vt apparebat ex serie prouisionis; & tamen de nullius dispensatione constabat.

Nec obstabat, quòd Abbas perciperet decimas: quia ex perceptione decimarum, tanquàm ex signo æquiuoco non concluditur parochialitas Ancharan. *cons.* 11.
162.*n.*4. *vers. Non obstante allegata.* Ant. de Butr. *in c. Quia nonnulli. n.*10. vbi communiter Canonistæ *de Cler. non resid.* sed neque alia signa parochialitatis, die 20 Maij, 1577. cor. bon. mem. Cantuccio.

Cùm itaque ex prædictis constaret, Abbatem non teneri ad susceptionem sacrorum Ordinum, non erat locus iuribus ipsis iure inducentibus priuationem.

Sed neque veniebat priuandus: quia non fuerat munitus, nisi pendente lite, quo tempore ad Ordines suscipiendos cogi non poterat, *c. Commissa. de elect. lib.*6. Bellam *d.*89.*n.*1. Rebuff. *d. tit. de non promotis infra annum, n.*41.

R. P. D. VEROSPIO.

Nouarien. Præpositura, Lunæ, 28. Iunij, 1631.

ARGVMENTVM.

Vacatio an, & quando dicatur consumpta.

SVMMARIVM.

1 *Collatio beneficiorum reseruatorum facta ab Ordinario inferiori à Papa, est nulla.*
2 *Vacatio consumitur per collationem acceptatam.*
3 *Collatio acceptata, aut ratificata tribuit per se ius in re.*
4 *Vacatio vt dicatur consumpta, non sufficit ius ad rem; sed requiritur ius in re.*
5 *Ius in re vt acquisiuisse dicatur prouisus de beneficio non est opus apprehensione, aut assecutione possessionis.*
6 *Gratia substantia consistit in sola collatione: quia scriptura, immissio in possessionem, & alia, quæ sunt præter ipsam gratiam, solùm requiruntur, vel in ipsius testimonium, vel propter commoditatem prouisi.*
7 *Electio non dat nisi ius ad rem, aut ipsam electionem prosequendam.*
8 *Beneficium non dicitur vacare in Curia, per obitũ electi in Curia, qui, adhuc cõfirmatus non fuerit.*
9 *Eligendi, & confirmandi potestatem habens, eligẽdo censetur confirmare, & confirmando eligere.*
10 *Beneficia minora, si de consuetudine sint electiua, indigent confirmatione, ita vt ex sola electione ius non acquiratur electo.*
11 *Electio superioris authoritatem, & confirmationem expectat; collatio verò sola sui authoritate nititur.*
12 *Electus ab habente facultatem confirmandi, censetur eo ipso confirmatus; etiamsi electio ab eo fieret iure deuoluto.*
13 *Electio, aut alius actus tribuens solùm ius ad rem, quare non tribuat etiam ius in re*
14 *Præsentatio tribuit ius in re præsentato, qui necessariò est instituendus, eò quòd propter ipsum nemo alius præsentatus fuerit.*
15 *Præsentatio tribuit ius in re præsentato, qui solus inter cæteros habet conditiones requisitas in fundatione.*
16 Prouidere, *verbum, continet absolutam, & perfectam collationem.*

17 Prouidere, *verbum verificatur etiam in electione, aut præsentatione, quæ fiant in ordine ad institutionem, aut confirmationem.*

18 *Examen requisitum in decreto Concil. Trid.* sess. 7. de reformat. cap. 13. *in quibus beneficijs sit necessarium.*

19 *Vacatio vt dicatur consumpta, idem est, quòd alicui sit collatum certum beneficium, vel quòd illi debeatur.*

20 *Confessio tacita, cùm præsens actui non contradicit, idem operatur, ac expressa.*

21 *Præsens si non potest sua contradictione actum impedire, tacitè consentiendo non sibi præiudicat, & potest quandocunque actum impugnare.*

22 *Consentiens actui potest impugnare actum, si consensus proueniat ex diuerso iure ab eo, quo illum impugnat.*

23 *Collatio beneficij facta præsente, & non contradicente illo, qui in eadem collatione ius habebat, ei non præiudicat, maximè si ius illud ignorabat, num. seq.*

25 *Confessio partis non potest dare ius in beneficio.*

26 *Confessio partis suffragatur ad defendendum possessorem in sua possessione.*

27 *Confessio non præiudicat in his, quæ non dependent a libera voluntate confitentis.*

Decisio XXV.

IN Cathedrali Ecclesia Nouarien. ex antiqua illius Ecclesiæ consuetudine, collatio beneficiorum quorum vacatio contingat in mensibus non reseruatis, ad eiusdem Ecclesiæ Capitulum spectat, vt de hoc Capituli iure constat ex Text. in c. *Dilectus filius*, 27. *de præb.* Contingit autem, quòd cùm per obitum Gregorij Tornielli, in mense Septembris, vacasset Præpositura in eadem Ecclesia, de ea ab ipso Capitulo prouisus fuerit Augustinus Cataneus: & secuta eiusdem Augustini morte in mense Nouembris, eandem Præposituram à Sede apostolica impetrauerit Gabriel Torniellus, qui expedito Breui de capienda possessione nomine Cameræ, ab A. C. executore Litterarum apostolicarum obtinuit sententiam immissionis. Quia verò hanc ipsam Præposituram sibi ab eodem Capitulo conferri obtinuerat Ianus à Porta, quasi adhuc vacantem per obitum Gregorij (cùm Augustin. Cataneus, qui ex causa obitus eiusdem Gregorij de ea primùm prouisus fuerat, decessisset, nondum assecutus illius possessionem. Interposita pro parte Iani appellatione à sententia immissionis concessæ ab A. C. Gabrieli prouiso apostolico, causáque mihi commissa, dedi dubium, an eidem Iano suffragaretur ea prouisio Capituli: cuius dubij resolutio ex eo potissimum pendebat, an propter collationem factam Cataneo extincta fuerit vacatio contingens ex persona Gregorij: quia, si ex persona eiusdem Catanei desumi debebat hæc vacatio, cùm mensis Nouembris, in quo illa successit, sit semper fixus, & reseruatus collationi Sedis apostolicæ, non pote-
1. rat sustineri collatio facta à Capitulo in persona Iani
propter Decretum irritans positum in regula reseruatoria. Cassad. *decis.* 1. *de restit. spoliat.* Bellarm. *decis.* 136. *eod. tit.* Put. *decis.* 196. *num.* 3. *lib.* 3. Cardin. Seraph. *decis.* 367. *num.* 1.

Et non suffragari Iano prouisionem Capituli, Do-
2. mini responderunt ex hac ipsa ratione, quòd per
collationem factam Cataneo, quæque ab ipso fuit acceptata, consumpta fuerit gratia, & prima vacatio, quæ successit propter obitum Gregorij, *iux. dec.* Rot. 24. *de præb. in antiq.* quam secuti fuerunt Put. *dec.* 42. *l.* 2. Card. Simonett. *de reseru. c.* 56. & alij plures, quos referunt Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 15. *§.* 2. *n.* 31.
Garz. *de benef. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 2. cùm hic effectus 3.
eidem collationi communiter tribuatur, vt postquam illa acceptata fuit, aut ratificata, ipsa per se ius in re tribuat, vt not. Dec. *in c. Si tibi absenti, de præb. l.* 6. Gloss. *in cap. Quondam, in verb. Collatio, eod. tit.* [illegible] & probat text. *in* [illegible] *vlt. in §. Sane, de concess. Præb.* cuius authoritate motus fuit Rom. *cons.* 350. *num.* 15. [illegible] 17. Couarr. *variar. resol. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 1. Rot. *decis.* 24. *de præb.* & *decis.* 87. *de reseruat. in antiq.* Neque enim, vt hoc ius assecutus dicatur in beneficio is cui de eodem
beneficio prouisum fuit, (ex quo solùm intercedit [illegible]tur vacatio, cùm non satis sit ius ad rem, sed tantum hoc possit ius in re, vt ex cap. *Si electio, de elect. lib* 6. 4.
concludit Rot. *decis.* 427. *part.* 1. *diuers.* & *decis.* 498.
part. 2. *recent.*) opus esse potest apprehensione, aut asse- 5.
cutione possessionis, dum ipsa possessio, tanquam quid facti, non potest hoc ius dare in incorporalibus, & præsertim in spiritualibus, vt in proposito considerauit Rot. *d. decis.* 87. *de reseruat.* & *dec.* 24. *de præb.*
in antiq. & apud Mohed. *decis.* 9. *vt lit. pend.* & è con- 6.
tra vis, ac substantia ipsius gratiæ consistit in sola collatione, cùm scriptura, immissio in possessionem, & alia, quæ sunt præter ipsam gratiam, solùm requirantur, vel in ipsius testimonium, vel propter commoditatem prouisi, iuxta opinionem Rot. de qua Cassad. *decis.* 4. *num.* 4. *de caus. possess.* & *propriet. decis.* 1. *de renunciat.* & *decis.* 2. *de pension. n.* 10. *super reg.* Verall. *decis.* 88. *num.* 3. *part.* 3. Rot. *decis. vlt. num.* 3. & 4. *de reseruat. in antiq.* & *decis.* 336. *n.* 11. & 12. & *decis.* 585. *num* 2. *part.* 1. *recent.* Card. Simonett. *de reseruat. c.* 5[illegible] & 56. qui in tantum hæc vera esse dicit, vt iura, in quibus præter collationem videtur hæc possessio requiri, vt *in cap. Commissa, de elect. lib.* 6. & *in cap. De multa, de præb.* intelligenda sint respectu pœnæ, quæ in dd. Capitulis possessori irrogatur, cùm non absolutè id negent, vt etiam hoc ius ex sola collatione quæsitum intelligatur, & fuit etiam consideratum *in d. decis.* 24 *de præben. in antiq.*

Neque poterat hoc casu constitui differentia inter collationem, & electionem, vt, sicut ex collatione potuit constitui ius in re, & quòd inde sequebatur, extingui, tam vocatio, quàm reseruatio, ita per electionem 7.
non fuerit datum, nisi ius ad rem, aut ipsum electionem prosequendam, vt *in c. Si eo tempore*, 45. *de* [illegible]. *c. Vt quis duas, de elect. lib.* 6 Rot. *decis.* 6 *eod. tit.* [illegible]
quæ ideò dicit per obitum electi in Curia, qui adhuc 8.
confirmatus non fuerit, non censeri, quòd beneficium in Curia vacauerit, *c. pe. vlt. de præb. lib.* [illegible] & ibi Gloss. *in verb.* Co[illegible]*atio.* Gonzal. *ad reg.* 8. *gloss.* 15 § 2 *num.* 2. Garz. *de benef. p.* 4 *c.* 3. *n.* 9. Hæc enim differentia non poterat recipi hoc casu, quo penes Capitulum, à quo
electus fuit Cataneus, certum est, quòd erat [illegible] atque 9.
potestas eligendi, & confirmandi, cùm non expectaret aliam Superioris confirmationem, ita vt, cùm ab eadem confirmatione non dependere deberet validitas electionis, vtrunque vnico actu præstare potuerit idem Capitulum: quia & eligendo censebatur confirmare, & confirmando eligere, vt dicit Gloss. *in cap. vnic. in verb. collationem, de rerum permutat lib.* 6 *in Clem. Quia contingit, §. Vt autem, in verb. ele*[illegible]*onem, de relig. domib.* Felin. *in cap. Eam te, num.* 3. & *in cap. In nostra, num.* 25. *coroll.* 31. *de Rescript.* Rot. *deci*[illegible] .1. *de elect. in antiq.* & *decis.* [illegible] *num* 2. *eod. tit.* [illegible]

Et quamuis hanc ipsam differentiam inter hos duos actus ostendere conarentur Informantes pro Iano, ium
ex consuetudine eiusdem Capituli: (cuius consuetu- 10.
dinis rationem habendam esse voluit Cardin. *in cons.* 103. *num.* 7. vbi proponens exemplum in beneficiis minoribus dixit, quamuis illa prouideri per electionem non soleant; si tamen id ferat consuetudo, vt sint electiua,

ctiua, confirmatione tunc indigere, ita vt ex sola ele-
ctione ius non acquiratur electo) tum, quia hæc
etiam differentia videbatur indicta ex dispositione
Sac. Concil. Trid. quatenus *sess. 7 de reformat. cap. 13.*
prohibebatur, ne nominati, præsentati, aut electi ad
quæcunque beneficia possent in eisdem beneficiis in-
stitui, confirmari, aut admitti, antequam ab Ordinariis
locorum examinati, & idonei reperti fuerint; vt pro-
pterea ex hoc etiam capite dici posset, quòd plenum
ius non fuisset assecutus Augustinus ex ea prouisione,
cùm obüsset, antequam per examen repertus idoneus
potuisset eam confirmationem suæ electionis obtine-
re, quam ante idem examen dari non permittebat au-
thoritas sac. Concilij.

Quantum enim ad eam Capituli consuetudinem,
quamuis illa probata dici posset; non inde tamen
sequebatur, vt ex primo actu non potuerit perfici gra-
tia ab eo facta Augustino, siue via electionis proces-
11. sum fuerit, quæ propriè Superioris auctoritatem &
confirmationem expectat, siue via collationis, quæ so-
la sui auctoritate nititur, vt dicit Bald. *in l. Barbarius,*
de Offic. Prætor. num. 1. cùm, sicut dicebam, hæc sit vis
electionis factæ ab eo, qui etiam confirmandi potesta-
tem habet, vt idem valeant hæc nomina, quod præ-
ter auctoritates adductas probari potest exemplo ele-
12. ctionis factæ à Superiore, ad quem solum pertineat
ius confirmandi, qui si etiam eligat, hoc ipso cense-
tur à se electum confirmasse, secundum Gloss. *in c. Vt*
circa, in verb. Electiones, de elect. l. 6. Felin. *in c. Eam*
te, n. 3. de rescript. Abbas *in c. Post electionem, num. 3.*
de concess. præb. quamuis iure deuoluto ab eo fieri con-
tigerit eadem electio, vt per eundem Abbatem *in*
cap. Dilectus filius, 1x. n. 3. de concess. præb. & Gloss. *in*
13. *c. 1 in verb. Prouisionem, de elect. lib. 6.* Et potest etiam
ratione comprobari: cùm enim non alia sit ratio, cur
in electione, aut altero eorum actuum, quibus non
nisi ad rem ius quæritur, non tribuatur etiam ius in
re, præter eam: quia, scilicet, ius illud ante secutam
confirmationem, aut approbationem Superioris sit
incertum, vt pluribus ostendit, & multorum autho-
ritate firmat, *dec. 6. de elect. in nou.* cessante ea incer-
titudine, cessare etiam debet ratio, propter quam non
idem potest esse effectus eorundem actuum cum iis,
14. quibus illi certi reddi debent: vt de præsentatione,
quæ propriè etiam fit per inferiorem Superiori, & in
qua præsentatus necessariò debeat institui, eò quòd
præter ipsum nemò alius præsentatus fuerit, tradit
15. *Garz. de benef. part. 4. cap. 3. num. 8.* & in casu, quo
idem præsentatus solus inter cæteros haberet con-
ditiones requisitas ex fundatione dictum fuit *in Vi-*
cen. beneficij de Cornellas, 26. Maij præteriti coram me,
& antea in decisione facta in eadem causa 22. *Iunij,*
1629. coram R. P. D. meo Vbaldo. Data autem hac
potestate Capituli, non poterat de illius voluntate
dubitari, an in collatione, quam fecit Augustino,
vtrunque actum cumulare intellexerit: quia ex ipso
electionis instrumento, quod datum fuit, constabat,
16. quòd præter actum eligendi declarauit, se illi tunc
etiam de eadem Præpositura prouidere: (quibus ver-
bis, cùm facultas non deficeret, continebatur absolu-
ta, & perfecta collatio secundùm Gloss. *in c. 1. in verb.*
Prouisionem, de elect. lib. 6. & *in Clem. causam, in verb.*
prouisiones, eodem tit. c. Vt circa, in verb. Electiones de
elect. lib. Bald. *in d. l. Barbarius ff. de off. Præt. n. 42.*
Felin. qui hanc doctrinam Baldi sequitur, *in cap. Eam*
17. *te, num. 3. de rescript.*) quamuis cæteroqui varia sit
notio, siue vsus, & vis huius verbi, cum verifice-
tur etiam in electione, aut præsentatione, quæ fiant
in ordine ad institutionem, & confirmationem. *Clem.*
1. & ibi Gloss. *in verb. prouisiones, de elect.* Cardin. *in*
Clem. causam, num. 5. & *in Clem. 1. plerisque, n. 16.*

eodem tit. Rot. *decis. 41. num. 2.* & *decis. 791. num. 9.*
part. 1. diuers.

Hoc modo poterat etiam responderi ad difficulta-
tem, quæ proponebatur propter dispositionem sacri 18.
Concilij: quia extat declaratio sacræ Congregationis,
quam refert Garzias *de beneficijs part. 9. c. n. 19.* vt
examen in eo Decreto requisitum solum necessarium
sit in iis beneficiis, in quibus requiratur confirmatio
Superioris: non autem vbi eadem beneficia ad solam
collationem inferioris pertineant, cùm sermo sit in
eodem Decreto de præsentatis, electis, & nominatis
non instituendis, aut admittendis ante examen, quod
supponit institutionem, & admissionem ab alio fa-
ciendam, quàm ab eo, qui præsentauit, aut nomina-
uit, vt dixit Rot. *decis. 27. de Præb. in nou.* & in his ter-
minis consideratum fuit *in Mediolanen. Beneficij,*
26. Iunij, 1596. coram Litta, in qua refertur declaratio
eiusdem sacræ Congregationis, præterquam & ipsum
examen, quod ibi requirit Concilium, solum suspen-
dere potuisset executionem, non autem impedire ac-
quisitionem tituli, & iuris in re, cum ad hunc effe- 19.
ctum vacationis, idem sit, quòd alicui sit collatum
certum beneficium, vel quòd illi debeatur, vt fuit di-
ctum *in vna Burgen. Canonicatus, 28. Aprilis, 1597.*
coram Card. Pamphilio, & tradit Garz. *de Benef. p. 1.*
cap. 1. num. 144.

Demum non poterat aliqua vis fieri super confes-
sione ipsiusmet Gabrielis prouisi apostolici, quate-
nus ipse etiam interfuit in ipso actu capitulari, in quo
concessa fuit institutio Iano, & in quo narratum fuit,
vacasse hanc Præposituram in mense Septembris, pro-
pter obitum Gregorij Tornielli. Etenim, licèt idem
sit effectus tacitæ & expressæ confessionis, cùm præ- 20.
sens actui non contradicit, vt *in l. Qui patitur. ff. man-*
dat. & pluribus exemplis declarat Dyn. post Glos. *in*
reg. Qui tacet. de reg. iur. lib. 6. non tamen id semper,
& indistinctè verum est, & in specie vbicunque is,
qui præsens fuit, non poterat sua contradictione,
& dissensu huiusmodi actum impedire, cum tunc 21.
tacitè consentiendo nunquam sibi præiudicet, &
possit quandocunque eundem actum impugnare, vt
fuit doctrina Castr. *in l. Caius Seius. 39. ff. de pigno-*
rat. act. & probat tex. *in l. confessionibus. ff. de inter-*
rogat. action. Imò neque dici poterat hoc casu, vt 22.
Gabriel eidem actui in sui præiudicium consense-
rit, dum consensus, qui ex ea acquiescentia dedu-
citur, ex solo facto negatiuo non contradicendi,
considerari potest, tanquam proueniens ex diuerso
iure ab eo, quo nunc eundem consensum impu-
gnat: cùm enim tanquam vnus ex capitularibus in-
terfuerit tunc ei electioni factæ de persona Iani;
nunc verò eandem electionem impugnet ex iure,
quod habet à prouisione apostolica, & tacitam il-
lam suam confessionem, cùm primùm sciuit idem ius
sibi competere, expressè etiam reuocauerit; benè
distingui potest vterque hic actus, ne alter alteri
censeatur præiudicium facere, vt not. Doct. *in l.*
quædam, C. de administr. tut. Bart. *in l. sicut, §. non*
videtur, ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solm Cephal.
cons. 148. num. 23. Menoch. *cons. 8. num. 4.* Surd. *de-*
cis. 153. num. 17. & *cons. 365. num. 21.* Et declarant plu-
ribus exemplis: In iudice, qui sententiam tulit, vt ea-
dem sententia ei non noceat ratione proprij, & pe-
culiaris interesse, quod habebat in causa, in qua pro-
nunciauit: in eo, qui se tanquam testis alicui instru-
mento subscripserit, in quo de iure suo agebatur. in
tutore, & curatore, qui præstiterint suum consensum,
aut authoritatem interposuerint alienationi sibi
hypothecatæ: & in specie, atque in his terminis de
eo, qui tanquam Canonicus, interfuerit collationi al- 23.
teri factæ, cùm ipse in eadem collatione ius haberet,
tradit

tradit Abbas *in cap. Post electionem, num. 7. de concess. preb.* & fuit dictum *in alia Nouarien. beneficij*, 5. Nouembris, 1586. coram Card. Pamphilio. Et videri poterant hæc eò magis hoc casu admittenda, quò hoc ius suum scire non poterat Gabriel, quando visus est suo consensu approbasse electionem Iani; cùm gratia
14. apostolica sibi facta de hac Præpositura fuerit posterior eo consensu, & approbatione à se data, tanquam vno ex Canonicis. *l. Non fatetur, ff. de confessis, l. Error. ff. de iur. & facti ignor.* Gloss. *in cap. Quia diuersitatem, de concess. preben.* Sicut etiam, quia tacitus hic eiusdem Gabrielis consensus, fuit super re beneficiali, cuius materia cùm pendere non possit à voluntate partium, ad hunc præsertim effectum, vt ex ea confes-
15. sione ius in beneficio constituatur, vt ex Ægid. *decis.* 183. & aliis, dicit Samen. *ad regul. de triennal. q.* 36. *num.* 3. quidquid esset, vbi propter eandem confes-
16. sionem solùm defendi deberet possessor in possessione, vt etiam distinxit Rot. *decis. 44. de testib. in antiq.* & apud Bisignett. *decis. 2. num. 4. de lit. contestat.* non solùm ex sua confessione, aut tacito consensu non potuit idem Gabriel auferre ius Sedis apostolicæ conferendi in mense reseruato, vt neque potuerit id facere totum ipsum Capitulum. Bart. *in l. Si forte. n. 4. ff. de castr. pecul. & in l. Si donatione, 12. num. 3. C. de collation.* Bald. *in l. Alia, num. 4. C. de his, quibus vt indi*[illegible] *1.* Paris. *cons. 62. num. 7. lib. 1.* & fuit dictum in his terminis *in dicta Nouarien. beneficij*, 5. Nouembris, 1586. coram Cardinali Pamphilio.

Et ita, &c.

REV. PATRIARCHA Manzanedo.

Neapolitana alimentorum, Mercury, 31. Maij, 1606.

ARGVMENTVM.

Patrono an, & quando ab Ecclesia alimenta debeantur.

SVMMARIVM.

1 *Patrono ad inopiam vergenti Ecclesia succurrere tenetur.*
2 *Patrono vt ab Ecclesia alimenta sint ministranda, requiritur, quod patronus ad egestatem peruenerit, & quod Ecclesia supersit.*
3 *Patronus quando dicatur ita egenus, vt ab Ecclesia alimenta consequi debeat.*
4 *Patronus non est ab Ecclesia alendus, si aliàs habeat, à quo ali debeat.*
5 *Frater tenetur fratrem egestate constituto alimenta ministrare.*
6 *Equites Hierosolymitani emittunt tria vota substantialia, & per consequens dicuntur veri Religiosi.*
7 *Monasterium tenetur alere Monachum, quem ad Religionem admisit.*

DECISIO XXVI.

Monasterium Montis Oliueti Neapolitan. non teneri ad alimenta præstanda D. Equiti Ianuario Orilæ, Domini tesulnerum; quia quamuis Gutellus Orilia fundauerit hoc Monasterium de anno 1415.
1. & Ecclesia teneatur patronis ad inopiam vergentibus succurrere, per text. *in c. Quicunque, 16. q. 7. & in cap. Nobis, de iurepatr.* nihilominus D. Eques Ianuarius non probat descendentiam à dicto Fundatore, & licèt illam probasset, non constat de requisitis à iure, ad hoc vt à Monasterio alimenta sint illi ministranda:
requiritur namque, quòd Patronus ad egestatem peruenerit, & quòd Ecclesiæ supersit, nempe, quòd primò Ministri Ecclesiæ alantur, & necessaria ad seruitium Ecclesiæ suppeditentur: quibus ministratis, si bona Ecclesiæ supersint, ab illa Patronus erit alendus, iuxta Gloss. fin. *in d. c. Quicunque*, & Abb. *in d. c. Nobis, n. 6.* & ibi Butr. *n. 12.* Lambertin. *de iur. patr. lib. 3. art. 2. tertiæ quæstionis principalis, n. 2.* Paul. de Cittadin. *eod. tract. 6. part. art. 4. n. 3. & 5. cum seq.* Roch. *eod. tract. in verb. Et vtil, num. 1. & 2.* Rolan. *cons.* [illegible] *n. 33. lib. 3.* Cassador. *decis.* [illegible] *3. n. 2. de iurepatron.* at Surd. *de aliment. tit. 7. q. 32. num. 1. & 2. cum seq.* Sed sic est, quòd de dicta egestate D. Ianuarij non constat, cùm aut habeat annuos ducatos 360. sibi à fratre Carolo assignatos, aut habeat bona sibi ab eodem Carolo
retrocessa. Vtcunque sit, non potest dici ita egenus, vt prædicta alimenta à Monasterio habere debeat, ad tradita in d. Gloss. fin. *in d. c. Quicunque*, quam sequitur Bald. *in l. fin. in fin. C. de reuoc. don.* & ad tradita à Lambertin. *d. lib. 3. art. 3. tertiæ quæstionis principalis, num. 2. cum seq.* & à Cittadin. *vbi supra*, [illegible] & à Surd. *vbi sup. tit. 1. q. 54. n. 15.* Tum etiam quia detractis impensis necessariis pro alimentis 24. Monachorum, & familiæ eidem Monasterio seruientium, & pro cultu diuino, & reparatione Ecclesiæ necessariis non constat superesse bona, ex quibus Monasterium possit D. Ianuarium alere.

Tum etiam, quia Ecclesia non tenetur patronum 4.
alere, si ipse aliàs habeat à quo ali debeat. Surd. *d. tit. quæst. 54. num. 16.* Dominus autem Ianuarius, quamuis 5.
esset Patronus, habet dictum fratrem, qui fratri Ianuario, in egestate constituto, teneretur alimenta ministrare. Gloss. fin. *in l. Qui filium, ff. vbi pupil. educ. deb.* Cyn. *in l. 2. n. 2. C. de alen. liber.* & ibi Alberic. istam dicens communem *n. 1*, latè Surd. *vbi sup. tit. 1. q. 25. in princ.* Vlteriùs, cùm D. Eques Ianuarius sit Eques 6.
Religionis S. Ioannis Ierosolymitani, quam ingredientes tria vota substantialia emittunt, & per consequens dicuntur viri Religiosi ex Mohed. *decis. 10. de caus. poss. & propr.* & Rota *decis. 436. n. 2. part. 3. diuers.* Vnde Religio, quæ illum admisit, tenetur ad alimenta ei præstanda, cùm Monasterium teneatur alere Monachum, quem ad Religionem admisit, Castr. *cons. 76. n. 1. lib. 1.* qui mouetur duabus rationi- 7.
bus, quas refert, & sequitur Surd. *vbi sup. tit. 1. q. 5. num. 1. & tit. 9. quæst. 27. num. 10.*

REVER. P. D. PIROVANO.

In eadem, Lunæ, 11. Ianuarij, 1616.

ARGVMENTVM.

Patrono alimenta ab Ecclesia an, & quando debeantur.

SVMMARIVM.

1 *Monachi Oliuetani Neapolis tenentur, quolibet anno in die Purificationis dare vnam candelam ceream Patrono pro tempore existenti.*
2 *Quasi possessio releuat ab onere probandi descendentiam.*
3 *Paupertas quanam requiratur in patrono ad effectum consequendi alimenta ab Ecclesia.*
4 *Possessio redditiuum acquiritur per exactionem, & vsum.*
5 *Quasi possessio acquiritur ex vnica exactione.*

6 Pauperem

6 *Pauperem quem esse probatur ex discussione bonorum Iudicis mandato facta.*

7 *Pauper non dicitur patronus, vt pro alimentis sit subueniẽdus, si possideat annuos redditus in summa ducat. 360.*

8 *Scriptura magis creditur quàm testibus, in concursu probationum.*

9 *Patronus non dicitur in egestate constitutus ad effectum consequendi alimenta ab Ecclesia, quando alij supersunt, à quibus est alendus.*

10 *Testis singularis non probat.*

11 *Patronus ad consequendum alimenta ab Ecclesia, qualiter teneatur probare superabundantiam reddituum illius.*

Decisio XXVII.

CVm præsens dubium fuisset propositum, & resolutum coram bon. mem. Iusto vsque de anno 1607. 5. Martij, & causa per mortem illius Auditoris non extensa decisione ad me deuoluta fuerit, causam iterum super eisdem de ordine DD. proposui in qua

Censuerunt standum esse in decisis coram R.P.D. Manzanedo, 31. Maij, 1606. vbi firmatum fuit, Monasterium montis Oliueti Neapolitan. non teneri ad alimenta præstanda D. Eq. Ianuario Orilıæ.

In hac enim disputatione pro fundamento intentionis D. Equitis tria erant probanda; iuspatronatus; paupertas ex parte petentis alimenta; & quòd Religioni superabundent redditus dempta condecenti 24 Monachorum sustentatione, ac aliis necessariis pro reparatione & seruitiis Ecclesiæ.

Primum non controuertebatur: sed tantummodo, quòd D. Eques non probat descendentiã à primo fundatore Gurello; quam tamen Domini existimabant non esse necessariam, cùm hodie appareat, fundatorem
1. iniunxisse Monachis, vt quolibet anno in die Purificationis darent vnam candelam cereã Patrono pro tempore existenti: & iuxta fundationis tenorem, D. Equitem candelam in eo die recepisse; quod probant testes dati: cum quibus concurrit fides nobilium, & resolutio facta in consilio Neapolitano super eisdem præeminentiis inter impressas per Vinc. de Franc. 85. *par.* 1. per quam D. Carolus frater Equitis, obtinuit à Num-
2. cio manutentionem in perceptione candelæ: quod sufficere visum fuit in hac materia, vt Eques releuetur ab onere probandi, *c. Consultationib. de iurepatr.* & sæpè fuit resolutum, vt *in Firmana iurispatronatus*, 15. Maij, 1615. coram illustrissimo Cardinali Lancelloto; *in Placentina Capellania*, 14 Maij. 1614. coram Reuerendissimo D. Decano.

3. Paupertas autem non videbatur sufficienter probata: nam, etsi summa egestas non sit attendenda in hac specie probationum, sed inopia respectiuè ad conditionem nobilitatis personæ, vt per Couar, *lib.* 2. *var. resol. c.* 6. *n.* 8. & Menoch. *de arbitr. cas.* 65. *n.* 9. quod etiam firmauit Rota *in causa Regien. Prioratus*, 1. Iulij 1506. & 19. Iunij, 1598. coram bon. mem. Penia: tamen visũ est, inopiæ satis succursum ex certa quantitate annuorum redituum in summa ducatorum 360. eidem Equiti in renunciatione bonorum facta Carolo eius fratri assignata, & cessa pro parte super gabellis ciuitatis Neapolis, & super vniuersitate Nardo, & eorumdem redituum, vt ex fide Officialium Ciuitatis Nea-
4. polis sub die 15. Martij, 1607. quæ datur, adeptus est possessionem per exactionem. & vsum, *c. Querelam. de elect.* Anchar. *in c. Sine possessione. n.* 8. *de reg. iur in* 6.
5. Et sufficit vnica receptio, & exactio ad constituendum aliquem in quasi possessione. Rip. *in c. Cùm Eccles. Sutrina. n.* 53. *de caus. poss. & propr.* Alex. *cons.* 74. *n.* 16. *lib.* 4. Roman. *cons.* 311. *in fin.* Ideò, cùm Eques nõ pro-
bauerit quòd huiusmodi reddítu priuatus fuerit, vel 6.
vrgentiam suorum creditorum, saltem per discussionem bonorum, mandato Iudicis, factam, prout nisus est probare in Carolo eius fratre: quem modum probandi paupertatem inter cæteros meliorem existimauerunt, Angel. *in l. Si verò. Si qui pro rei. ff. Qui satisdar. cog.* Rom *cons.* 163. *n.* 4. sequitur dicendum, quòd
adhuc possidens annuos redditus in summa duc. 360. 7.
non videatur in tali egestate constitutus, vt pro alimentis sit subueniendus, iuxta dispositionem *c. Nobis de iurepatr.* requirentem modestam subuentionem.

Non obstant fides nobilium, & testes dati in Summario affirmantes, Eq. Ianuarium effectum esse paupertimum, dum scuta 5000. quæ ex patrimonio & hæreditate matris illi obuenerant, in expeditione Belli pro Catholica Maiestate expendit.

Quia fuit responsum, illorum testimonium non concludere in dicto, cùm non excludant, quin redditus prædicti duc. 360. adhuc in bonis Equitis esse possint.

Ideò in concursu probationum magis stetur fidei 8.
scripturæ, quàm testium. *l. Census. ff. de probat.* Gloss. *in c. Tertio loco. in vers. Testium. circa med. eodem tit. de probat.* Roman. *cons.* 319. *n.* 1. neque excludunt, quin maior portio bonorum ex prædictis hæredibus in parte Equitis obuenire deberet, cui non potuit Eques renunciare in præiudicium Ecclesiæ, vt ab ea exinde perciperet alimenta. Præterea, non etiam excludunt Carolum fratrem, & Mileuitanam Religionem, quin etiam possint, & debeant præstare huius-
modi alimenta: quo casu Ecclesia conueniri non po- 9.
test, cùm de egestate non constet, quando alij non supersunt, ad quos simile onus pertinet, Bart. *in l. Si quis à liberis §. Item rescriptum ff. de lib. agnosc.* Surd. in his terminis, *de alim. tit.* 1. *q.* 54. *num.* 16. *vers. Ego tamen.*

Tertium pariter, quod redditus superabundent, non probatur: quia datur vnicus testis in Summario *num.* 11. deponens de publica voce, & fama, quòd Monasterium habet redditus scut. 28. mill. ex quibus
absque incommodo cultus diuini poterunt alimenta 10.
subministrare, cuius dictum nedum attenta singularitate non releuat, *l. Vbi numerus ff. de testib.* sed etiam, quia ratio scientiæ deducta ex publica voce, & fama non, sufficit ad probandum superabundantiam redditus: sed necesse est concludenter probare,
corpora bonorum, in quibus consistunt redditus, vt 11.
inde sciri possit, an augmenta prouenerint ex prima dotatione, vel aliunde, & si ex prima, an deductis impensis Ecclesiæ necessariis aliquid superexistat: & si aliunde, an nihilominùs Ecclesia teneatur vltrà quam ferant redditus rei in dotem datæ. Surd. *de alimen. tit.* 1. *q.* 14. *n.* 10.

EMINEN. CARD. VIRILE

Calaguritana iurispatronatus, Veneris, 16. Februarij, 1629.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus honorificum ex quibus acquiratur.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus ad acquirendum, an requirantur copulatiuè, fundus, constructio, & dos, siue ab vno, siue a diuersis: an verò sufficiat sola constructio. vel dotatio, n.* 2.

3 *Iuspatro-*

4 *Iuspatronatus honorificum in Ecclesia conuentuali acquiritur ex sola constructione absque dote.*

5 *Iuspatronatus honorificum acquiritur ex sola constructione absque reseruatione, nisi expressè remittatur: & quare, n. 6.*

Decisio XXVIII.

Firmarunt Domini, constare de iurepatronatu honorifico. Nam, licèt non desint, qui velint, ad acquirendum iuspatronatus tria copulatiuè requiri, scilicet, fundum, constructionem, & dotem, siue ab vno, siue à diuersis.
1. Roch. de Curt. *de iurepatronat. in 1. n. 3. ante finem*, & *n. 4.* & *in verb. Eccles. fundauit. n. 2. q. 2.* & *verb. Contraxit. n. 3. q. 3.* & *verb. dotauit. n. 1.* Abbas *cons. 106. n. 2 col. 1. in fine versic. Quod etiam d. par. 1.* & *in cap. Ad audientiam. n. 4 de Eccles. ædific.* Ioan. de Anan. *cons. 24. n. 4. versic. Illud probo.* Greg. Lopez *p. 1. tit. 15 leg. 1. glos. 3.* Dicatus Perez *tomo 1. ord fol. 136. versic. Fundatione igitur.* & *fol. 137. versic. Sexto quæritur.* Moneta *tract. de commut. vltim. volunt. cap. 10. n. 202 versic. Ego verò has. de beneficiis. par. 5. c. 9. n. 44.* Castad. *decis. 6 n. 10. de iurepatr.*

2. Et pro contraria opinione, quòd ex sola constructione, vel dotatione acquiratur iuspatronatus, cùm iura alternatiuè loquantur, & propterea vnum concurrere sufficiat, videtur textus *in cap. Nobis.* & *ibi* Glos. *in verb. Construxerit. cap. Quoniam.* & *ibi* Glos. *in verbo. Fundatores. de iure patronat. cap. Filius. cap. Decernimus. c. Monasterium. 16. quæst. 7. c. Significauit. de testibus.* Glos. magna *in cap. Pia mentis. 16. quæst. 7.* Abb. *in c. Audientiam. n. 10. & 11. de Eccles. ædifican.* & *in c. Propositum. n. 1. de fil. Presbyt.* & *ibi* additio Abb. *in cap. Nobis. n. 2.* Cardin. *n. 3.* Ioan. Andr. *n. 6. & 7.* Butr. *n. 1.* Boïc. *n. 1.* Anchar. *in princ. & n. 6.* Hostiens. *n. 1. de iurepatron.* Berof. *in cap Quoniam. n. 95. eod. tit.* Hostien. *in summa, de iurepatron. n. 2.* Abb. *consil. 54. num. 1. par. 1.* & *consil. 59. num. 1. & 3. par. 2.* Cardinal. *consil. 112. n. 2. versic. Ad quos respondeo.* Ioannes de Anan. *cons. 24. versic. Istud probo.* & *ibi* Bologn. *n. 6.* Meñochius *cons. 241. n. 1. & 4. & lib. 3. præsumpt. 90. num. 4. & 5.* Lambert. *de iurepatr. lib 1 part. 1. quæst. 1. art. 1. n. 18. versic. Venio igitur ad primum.* Et probo argumentum, vbi reprobat Roch. Et *quæst. 3. art. 1. n. 1. & 2.* & *quæst. 2. art. 4. n. 11.* Spin. *in specul. test. glos. 4. principali, n. 28. & 29.* Paulus de Cittadinis *de iurepatr. p 3. n. 1.* Vgol. *de offic. & potest. Episcopi, cap. 51. in princip. n. 6.* & Franciscus Leo *in thesauro fori eccles. p. 2. quæst. 6.* Borell. *in Summa, decis. 1. tit. 32. n. 23.* Verall. *decis. 133. p. 2.* Rot. *diuers. part. 1. decis. 598. n. 1.* & *part. 4. decis. 565. n. 2* Rot *decis. 5. de iurepatron. in antiquis.* Riccius *decis. 72. num. 5 & seq. p. 1.* & Concil. Triden. *sess. 25. cap. 9.* & *sess. 24. c. 12.* vbi loquitur alternatiue, & dicit cit. titulus iurispatronatus ex fundatione, vel dotatione.

Tamen nunc omissa ista disputatione, quam Domini suo tempore, quando casus postulabit, declarabunt, & opiniones conciliabunt, in præsenti casu ex duabus rationibus dixerunt, fuisse acquisitum iuspatronatus honorificum. Prima est, quòd, cùm non
3. agatur ad effectum acquirendi ius præsentandi; sed acquirendi iuspatronatus honorificum, sufficit sola constructio *d. cap. Nobis.* & ibi Glos. Abb *n. 5.* Ioann. Anch. *num. 15. de iurepatr.* Lambert. *de iurepatr. lib. 1. part. 2 q. 11. art. 7. n. 5.* & *in aliis locis supracitatis* Ioan. de Anan *consil. 24. n. 4. versic. Istud probo.* & *ibidem.* Bologninus *n. 6.* Franciscus Leo *in thesauro fori eccles. p. 2. artic. 16. n. 72.* Mantic. *decis. 244. n. 1.*

4. Altera est, quòd cùm simus in Ecclesia conuentuali regulari Mendicantium vtique absque dote, ex sola constructione, acquiritur iuspatronatus honorificum, *dict. cap. Nobis.* Lambert. *part. 1. quæst. 11. art. 7. num. 5.* & *lib. 3. quæst. 1. principali, num. 3. cum plurib. seqq.*

Atque huiusmodi iuspatronatus acquiritur ex sola constructione, absque reseruatione, nisi expressè remittatur. Lambert. *de iurepatr. lib. 1 part. 1. quæst. 2. art. 4. n. 12.* Rot. *decis. 5. de iurepatron. in antiq.* & fuit dictum. *in Iacon. portionis*, 10. Nouembris, 1591. coram bon. mem. Card. Pamphilio. 5.

Ratio autem, quare ex constructione acquiratur iuspatronatus honorificum, illa est: quia Ecclesia deducitur de non esse, ad esse: & cùm constructor faciat expensas considerabiles, æquum est, vt in illa Ecclesia honoretur, & inuitentur Christi fideles ad similia peragenda. Quòd autem Ottonus, & Matthæus, filius de Anquitta, construxerint Ecclesiam suis sumptibus, probatur ex inscriptione, ex armis, ex testibus, & expensis, quæ præsumontur factæ de pecuniis propriis; & verba Ottuni, quòd cupiebat, vt apponerentur arma Caroli V. fuerunt prolata in venerationem tanti Principis. 6.

Firmata acquisitione iuris patronatus honorifici, an alimenta in casu inopiæ debeantur, & an requiratur consensus Patroni in electione Abbatissæ, particulariter videndum erit.

Et ita, vtraque parte, &c.

REVER. P. D. PIROVANO.

Ianuens Iuris honorifici, Veneris, 17. Maij 1630.

ARGVMENTVM.

Iuspatronatus honorificum in Ecclesia regulari acquiritur sola constructione, absque alia reseruatione.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus honorificum obtineri potest in Ecclesia regulari.*

2 *Iuspatronatus honorificum sola constructione acquiritur, absque alia expressa reseruatione, modò expressè non remittatur.*

3 *Ius honorificum olim debebatur construenti intuitu munificentia, & in præmium operis conspicui.*

4 *Probationes leuiores, & demonstrationes sufficiunt in materia antiqua, & difficilis probationis.*

Decisio XXIX.

Quærebatur de pertinentia iurispatronatus, seu de præeminentiis illius in Choro, & Capella maiori Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ Monachorum Sancti Benedicti Ciuitatis Ianuen. sed Dominis placuit priùs videre de fundamento eiusdem, & hodie hac parte examinata dictum fuit constare de patronato honorifico reseruando quæstionem de pertinentia ad aliam diem.

Est enim certum, quòd iuspatronatus honorificum potest obtineri in Ecclesia regulari, *c. Nobis. de iurepatronatus.* Lamb. *eodem tit. lib. 1 par. 1. quæst. 11. art. 7. num 5.* & *lib. 3. quæst. 1. num. 3.* Rocchus *in verbo, honorificum, num 99.* & latissimè fuit firmatum *in Calagurritana Iurispatronatus*, 16. Februarij, 1629. coram Eminentissimo Cardinale Virile; & similiter sola constructione acquiritur, *d. c. Nobis. de iurepatr.* Castad. *eadem tit. decis. 6. n. 2.* Lamber. *de iurepatr. lib. 1. par. 1. q. 11. art. 7. num. 5.* Ioan. de Anan. *cons. 24. num. 4.* Franciscus 1.

citus Leo *Thesaur. for eccles. part.2. art.16.num.72.* Nec requiritur expressa reseruatio, modò expressè non remittatur, ex quo à canone conceditur reseruatio, *d.c. Nobis, de iurepatronatus*, Rot. *decis.5.eodem tit. in antiquis*, Lambert. *lib.1. part.1. quæst 2. art 5. num.12.* & idem fuit firmatum *in Iacen. portionis*, 10. Decembris, 1591. coram bon. mem. Card. Pamphilio seniori, *& in Florent. Subdecanatus*, 22. Maij, 1628 coram D. meo Durano: & non immeritò, quia olim huiusmodi præeminentiæ de iure debebantur intuitu
3. munificentiæ, & in præmium operis conspicui construenti. *l. Qui liberalitate. ff. de oper. pub. l. Legatum, in fine. ff. de administr. rer. ad Ciuit. pertin.* Bald. *in l.1. C. vt nemin. liceat sign. impon.* In præsenti autem sufficientes visum fuit constare de constructione Chori, & Capellæ maioris, quæ in ipso Choro continetur: quia dantur Codicilli Vincentij Sauli, in quibus legando multa pro ornatu Chori, & Capellæ prædictis, dixit, quem Chorum & Capellam ipse codicillans se fabricare fecisse suis propriis impensis, quæ enunciatiua, etsi sola non sufficeret, quanuis antiqua nempe, &c. anno 1555. Attamen, iunctis aliis, scilicet, legato pro ornando choro, & Capella, ac reparatione eorundem, & pro victu Monachorum, constructione Sepulturæ, appositione insignium inter Capellæ, & Chori ambitum, & demum concurrente effectuatione legati, quoad omnia onera in codicillis contenta probata per successiuas Monachorum exactiones ex locis
4. montium assignatis in Codicillis, inde resultat probatio veritatis enunciatiuæ prædictæ in materia antiqua & difficilis probationis, quæ contentatur lenioribus probationibus & demonstrationibus, Seraph. *decis.1141. & 230. num.1.* impressis coram D. meo Decano. Felin. *in cap. Sicut, num.35. de re iud.* Rot. *decis.697. num.2. p.1. recent.*

Et ita, &c.

R. P. D. GHISLERIO.

Argentina Coadiutoriæ, Veneris, 21. Febr. 1631.

ARGVMENTVM.

Gratia coadiutoriæ Monasterij ex quibus censeatur iustificata.

SVMMARIVM.

1 *Papæ attestanti de actu coram se gesto creditur.*
2 *Consensus habet vim resignationis.*
3 *Consensus non probatur ex verbis conditionalibus.*
4 *Consensus interuenisse præsumitur, vbi literæ sunt expedita.*
5 *Consensus omnium requiritur, nec sufficit maior pars, quando agitur de præiudicio Ecclesiæ, & de actu voluntario.*
6 *Consensum fuisse capitulariter præstitum, probatur ex attestatione Notarij instrumento mandati.*
7 *Capituli pars maior, & sanior constituitur ex duabus ipsius partibus.*
8 *Consensus maioris partis Capituli sufficit in rebus, quæ concernunt vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ.*
9 *Capituli integra potestas residet penes totam Vniuersitatem, seu maiorem eius partem.*
10 *Coadiutoria datur pro necessitate Ecclesiæ, & non personæ, cui conceditur.*
11 *Correspectiuæ dicuntur omnia, quæ in eadem supplicatione fiunt.*
12 *Supplicatio præsumitur porrecta ab eo, qui dedit mandatum ad supplicandum.*
13 *Rescriptum, in quo vtraque pars est supplicans, iustificatione non indiget.*
14 *Iustificationis in materia sufficit semiplena probatio.*
15 *Clericatus probatur ex literis patentibus Ordinarij.*
16 *Literæ plenè probant contra scribentem.*
17 *Valor taxatus in libris Cameræ, non est iustificandus; sed sufficit fides extracta ex dictis libris, num. seq.*
18 *Libris Cameræ fides adhibetur.*
19 *Valor obuentorum iustificatur ex qualibet leui probatione.*
20 *Citatio per affixionem non suffragatur, quando adest procurator in loco.*
21 *Testes examinati, parte non legitimè citata, non probant.*
22 *Recusatio vt valida sit, fieri debet coram Notario, & testibus; & cum iuramento, & appellatione ab vlteriori processu, & num. seq.*
24 *Appellatio interponi debet coram Iudice.*
25 *Iudex recusatus potest ad vlteriora procedere, quando fuit recusatus à procuratore minus legitimè constituto.*
26 *Citatio generalis ad omnes actus, & ad constituendum procuratorem, licèt nimis vaga, supplet defectum citationis aliàs particulariter in quolibet actu requisitæ.*
27 *Citatio per contradictas sufficit, quando prima citatio fuit personalis.*
28 *Procurator post comparitionem debet citari ad singulos actus.*
29 *Citatio non requiritur contra procuratorem non habentem mandatum ad defendendum; sed cantum constitutum ad insinuandum cedulam recusationis.*

DECISIO XXX.

EMinentissimus Dominus Cardinalis à Lothatingia, à sanct. mem. Gregorio XV. obtinuit, se deputari Coadiutorem perpetuum cum futura successione, Abbati Mauri Monasterij Argentin. Diœc. sed cùm Abbas, & Monachi se opposuerint executioni Litterarum apostolicarum, super illarum iustificatione contigit dubitari. Et à me proposito dubio, an gratia coadiutoriæ sit iustificata, Domini eam censuerunt iustificatam, tam ex consensu Abbatis, & Monachorum, quàm ex depositionibus testium, quæ coadiuuant probationem.

Consensus Abbatis, & Monachorum benè probatur, tam ex supplicatione, quam ex mandato procuræ ad consentiendum coadiutoriæ: nam respectu supplicationis Cardinalis coadiutor, Abbas coadiutus, & Monasterium sunt Oratores in eadem supplicatione. De hoc attestatur Papa, cui creditur, cùm attestetur 1.
de actu coram se gesto. *Clem.1. de probat.* vbi Gloss. *in verb. Fecisse narramus.* Felin. *in cap. Cum à nobis, de testib* Gabr. *conclus.2. n.7. de probat.* Et in litteris coadiutoriæ leguntur infrascripta verba: *Expresso eiusdem Federici Abbatis, & dilectorum filiorum Conuentus, & Monachorum dicti Monasterij, ad hoc accedente consensu, apostolica authoritate, tenore præsentium constituimus, & deputamus*, &c. Ex quibus constat de consensu habente vim resignationis. Gloss. *in verb. Assen-* 2.
sus, cap. Beneficium, de regular. lib 6. Put. *decis.429. lib.1. & decis.18. lib.3. in correct.* Caputaq. *decis.120. part.1.* bon. mem. Card. Caualer. *decis.561. n.4. & seqq.* Nec potest replicari, quòd supradicta verba stent 3.
conditionaliter, quatenus, scilicet, accedat consensus; ideóque non probent consensum, *l. Pecuniam, quam. ff.*

si cert.pet.cap.Si prote. de rescript.in 6. Put.*decis.*269.
& 28: *lib.*3. Quia stant causatiuè, ex quo accessit con-
4. sensus, aliàs litteræ non fuissent expeditæ. Caputaq.
*dict.decis.*120.*&* 203.*par.*1.Put.*dict.decis.*429.*num* 6.
*lib.*1.*in correct.* & ideò intelliguntur de consensu iam
præ[illegible]to, & de conditione adimpleta.

Respectu mandati constat quoque de consensu
Abbatis, & Monasterij, ad consentiendum coadiuto-
riæ; & in mandato explicitè narrantur omnia, quæ in
litteris coadiutoriæ continentur, & ex instrumento,
quod datur in Summario, appatet de consensu præsti-
to per procuratorem specialiter constitutum. Nec re-
leuat, quòd duo Monachi non interuenerint in Capi-
5. tulo; cùm tamen requiratur consensus omnium, nec
sufficiat maior pars, cùm agatur de præiudicio Eccle-
siæ, & de actu voluntario. Paris.*cons.*90.*num.*15. *vol.*4.
Rota *in Burgen.concordiæ*, 14. *Ianuary*, 1611. coram
Reuerendiss. D. meo Decano. Quia de contrario ap-
6. paret ex instrumento mandati, quod datur in Summa-
rio, in quo Notarius attestatur, illud fuisse capitulari-
ter concessum, cui creditur de isto actu ex traditis à
Gabr.*conclus.*1.*de fid.instrum.* Neque probatur, quòd
Monachi, qui modò contradicunt, tunc temporis es-
sent de Capitulo, & Conuentu: nec in litteris narra-
tur, quòd omnium consensus interuenerit; sed quòd
Conuentus consensit: & cùm per coadiutoriam pro-
uideatur indemnitati Ecclesiæ, stante infirmitate Præ-
lati & aliis causis in ea narratis, quæ concernunt illius
vtilitatem, & necessitatem: sufficit pro illa consensus
7. duarum partium ex tribus ipsius Capituli, quæ duæ
partes constituunt maiorem, & saniorem partem, ad
text. *in cap.vnico, de Cler.ægrot.in* 6. vbi Gloss.*in verb.*
8. *Duæ partes* Et sufficit, quòd datum fuerit à maiori
parte Capituli, *c.*1.*cap.fin.de his, quæ fiunt à maior.par.*
Cap. Ioannes Andr. *in c. Quod omnes.n.*8. *& seqq. de*
reg.iur. Mantic.*decis* 86.*num.*4. Rota *in Pampbilonen.*
9. *de Sangalo*, 20. *February*, 1576. coram Corduba.
Illius enim integra potestas residet pe[illegible]s totam Vni-
uersitatem, seu eius maiorem partem. Butr.*in cap.*3.
*num.*11.*de instpatr.* Abb *cons.*57.*num* 1.*lib.*2. Rot.*in*
Firmana altaris, 10. *Iuny*, 1614 coram bon. mem.
10. Vbaldo. Et hæc tanto magis procedunt in actu neces-
sariò ob timorem dilapidationis bonorum Ecclesiæ;
& coadiutoria datur pro necessitate Ecclesiæ, & non
personæ, cui conceditur coadiutoria. Rota *in recent.*
*decis.*570.*num.*4. *par.*1. & propterea cùm non verse-
mur in actu voluntario, sed necessario, sufficit man-
datum ad consentiendum fuisse datum à maiori parte
Capituli, *d.c.*1.& *c.fin.de his, quæ fiunt à maiori parte*
Cap cum aliis *supra* allegatis.

Quare, cùm in supplicatione, tam D. Cardinalis,
quàm Abbas sint nominati pro Oratore, & vterque
supplicauerit, gratia dicitur iustificata ex propria
11. Ipsius Abbatis confessione, etiam quoad narrata per
D. Cardinalem, cùm omnia videantur correspectiuè
facta ad not. per Felin. *in cap. Pastoralis de rescript.*
Put. *decis.* 511. *in fin.lib.* 2. *in correct.* Et fuit resolu-
tum *in Romana pensionis*, 25. Iannarij, 1627. coram
Eminentissimo Cardinali Virili. Et licèt consensus
non probetur ex eo tantùm, quòd quis pro Oratore
nominetur in gratia; attamen cessat obiectum ex at-
testatione Papæ, ex verbis *suprà* relatis, & ex man-
12. dato Abbatis, & Conuentus ad supplicandum: &
propterea, supplicatio præsumitur ab eis porrecta,
provt tenuit Rota *in recentior. decis.* 529. *par.* 1. vbi
latissimè. Et talis confessio comprobatur ex supradi-
13. cto mandato. Vnde stantibus geminatis confessioni-
bus non indiget verificatione rescriptum, in quo
vtraque pars est supplicans. Mohedan. *decis.* 331.
Guidoboo. *decis.* 141. Seraphin. *decis.* 709. *num.* 2.
& 1017. *num.*3. Rota *in Salamantina pensionis*, 26.

Maij, 1593. apud Garziam *de benefic. par.*1. *capite* 1.
*num.*424.

Præterea vltra dictum consensum datur etiam iu-
stificatio gratiæ ex testib. examinatis à Domino Car-
dinali super eisdem causis, quæ fuerunt narratæ in
gratia pro impetranda hac coadiutoria, cùm tamen
in materia iustificationis sufficeret semiplena proba- 14.
tio. Ægid. *decis.* 112. 114. *&* 675. Bisignett. *decis.*6.
de probat.

Clericatus probatur ex Litteris patentibus Ordi- 15.
narij. Summ. *num.*3. Seraphin. *decis.*741. bon. mem.
Cardinalis Caualerius *decis* 483. *num* 6.*&* *decis.*572.
*num.*4. ætas 13. annorum ex testibus super octauo ar-
ticulo Summ. *vbi supra.* Qualitas, & descendentia D.
Cardinalis, etsi notoria; iustificatur tamen ex supradi-
ctis testibus, & litteris missiuis Abbatis, de quibus *in* 16.
Summario num. 6. quæ plenè probat contra scriben-
tem, *l. Publica.§. fin ff. deposit. l. Si aliquid per episto-*
lam, C.de donat. Bursat. *cons.*253. *num.*39. Boër. *decis.*
282.*num.*6. & 333. *num.*9. Quòd Federicus, de quo
fit mentio in litteris, tunc temporis esset Abbas Mo-
nasterij controuersi vltra attestationem, de qua in
mandatis procuræ, & litis sustentationem, probatur
ex testibus *super primo articulo Summ. num.* 4. provt
ætas ingrauescens 60. annorum, infirmitas, & impo-
tentia Abbatis ex iisdem testibus *super* 2.3.*&* 4. *Sum.*
*num.*5. & ex litteris Abbatis *Summario dicto, n.*5. Va-
lor Monasterij cùm sit taxatus in libris Cameræ, non 17.
eget alia iustificatione. Cassador. *decis.* 19. *super regu-*
la, & fides extracta ex dictis libris sufficit. Rota *decis.*
611 *n.*2. *par.*4. *diuers.* Provt etiam valor aliorum be-
neficiorum, quæ ipse D. Cardinalis obtinebat, con-
cludenter probatur, tam per testes, quàm ex taxa in
eisdem libris Cameræ: & sufficit expressio valoris per
taxam propter fidem, quæ adhibetur libro sanct. mem.
Greg. X V. *decis.*89. *num.*6. *&* 490. *num.*2. Expecta-
tiua pro Ecclesia Tullen. pensionis, & reseruatio fru-
ctuum Abbatiæ nuncupatæ de Belloeampo, probatur
ex litteris apostolicis prouisionum, de quibus *in Sum-*
mario, *num.*9. & testibus 1. 2. 3. & 12. super 10.11.
12 13.& 14. *art. Summ. d.num.*9 qui probant publi-
cam vocem, & famam, licèt in hoc sufficiat quælibet 19.
leuis probatio. Ægid.*decis.*684. sanct mem. Gregorius
XV.*decis* 78.*num.*4.

Non obstat nullitas examinis allegata pro Abbate
ex eo, quòd Iudex fuerit recusatus, vt suspectus, tan-
quàm vasallus Domini Cardinalis, & elegerit locum,
in quo residet Curia Serenissimi Ducis Lotharingiæ,
fratris eiusdem D. Cardinalis; denegauerit copiam
articulorum ad effectum conficiendi interrogatoria,
& testes fuerint examinati sine citatione procuratoris, 20.
ac demum non potuerit suffragari citatio per affixio-
nem, cùm adesset procurator in loco. Caputaq.*decis.*
35.*par.*3. Rota *in recent. decis.*179. *n.*1. *par.*1.*&* 486.
num. 2. *par.*2. & propterea supradictos testes nullum
facere gradum probationis *c.*2. *de testib.l. Si quando.* 21.
C.eodem. Rota *in recent.decis.*443.*num.*3.*par.*2.

Nam recusatio Iudicis remissorialis cessat: quia,
cùm etiam fuerit recusatus Auditor Rotæ, vt friuola,
& calumniosa fuit reiecta, eáque non fuit facta corã
Iudice remissoriali sed tantùm coram Notario, & te- 22.
stibus, & sine iuramento, quod omninò est necessa-
rium ad validitatem recusationis. Glos. Bald. Angel. &
alij *in l. Acutissimi.C.de indic.* Lanfranc, *in cap. Quo-*
*niam contra.in verb. Recusationes. num.*8. *de appellat.*
Rota *decis.*2.*num.*5.*par.*2.*diuers.* Nec post prætensam
recusationem fuit appellatum ab vlteriori processu. In- 23.
nocent. *in cap Cum speciali. num.*6. *de appellat.* Achill.
decis.de except. Caputaq *decis.*390.*par.*2. Rota *in re-*
*cent decis.*284. *num.*4 & coram bonæ memoriæ Car-
dinale Caualerio, *decis.*348.*num.*4.

Nec

Nec facit, quòd recusatio fuerit eidem Iudici in-
timata per procuratorem constitutum ad insinuan-
dum, quia insinuatio huiusmodi non habet vim ap-
pellationis coram Iudice interponendæ: nam sem-
per subsistit, quod non appellatur: sed appellatio
14. antea interposita insinuatur; & tamen debet inter-
poni coram Iudice. *l. Omnem honorem, C. Quand. prouoc. non est necesse, cap. Vt debita, de appellat.* Nec
subsistit, quòd Iudex remissorialis sit conterraneus,
cùm sit incola ciuitatis Metensis extra dominium
Ducatus Lotharingiæ, & sit persona ecclesiastica,
ex quo in litteris remissorialibus fuit deputatus Præ-
positus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Saluatoris Meten-
sis, nec quòd pro examine testium elegerit locum re-
sidentiæ Serenissimi Ducis Fratris D. Cardinalis: quia
fuit deputatus pro loco examinis locus de Vico diœc.
Metensis, & pro loco loci Conuentus Sancti Francisci
Minorum de Obseruantia, vt *in Summario addi-
tionali, num. 1.* Prout non obstat, quòd processerit ad
examen, absque eo, quòd dederit copiam articulo-
rum, & dilationem pro confectione interrogatorio-
rum: quia, cùm is, qui comparuit coram eo, & pe-
tiit copiam articulorum, & terminum, haberet tan-
tùm mandatum procuræ restrictum ad insinuandam
recusationem cum clausula, *& non aliàs*, quæ opera
tur, vt facultas eiusdem procuratoris præcisè fuerit
15. restricta ad actum insinuationis, nec quidquam am-
pliùs facere posset, benè potuit Iudex ad vlteriora
procedere, *cap. Eum, qui, de dol. & contum. in 6.* Cas-
sador. *decis. 6. num. 4. vt lit. pend.* & cùm Abbas, &
Monachi fuerint legitimè citati citatione generali ad
omnes actos, & ad constituendum procuratorem, etsi
videatur nimis generalis & vaga; supplet tamen de-
fectum citationis aliàs particulariter in quolibet actu
16. requisitæ, *l. Si Prætor. ff. de iudic.* Rota *decis. 8. de dol. & contum. in nou.* & reliquæ citationes per affi-
xionem fuerunt ex vrbanitate. Nam citatio per con-
tradictas sufficit, cùm à principio fuerint personaliter
17. citati. Ægid. *decis. 310.* Put. *decis. 381. in fin. lib. 1.*
Cassador. *decis. 6. num. 1. vt lit. pend.* sanct. memor. Gre-
gor. XV. *decis. 430. num. 1.* vbi Adden. *num. 5.* Nec fa-
cit, quòd post dictam citationem comparuerit Pro-
curator, qui post comparitionem huiusmodi debuit
18. citari ad singulos actus. Bart. *in Extrauag. Ad repri-
men. verb. super dicto crimine, num. 2.* Quia non com-
paruit, vt citaretur, neque cum mandato ad defenden-
dum; sed ad insinuandum cedulam recusationis: quo
casu non requiritur alia citatio. *d. cap. Eum qui, de*
29. *dol. & contum.* tenuit Rota *in Seguntina, præceden-
tiæ, 1. Iulij, 1615.* coram bon. mem. Patriarcha Man-
zanedo.

Vnde & ex consensu Abbatis, & Monachorum, & ex depositione testium, Domini gratiam coadiutoriæ esse iustificatam resoluerunt, vtraque parte, &c.

R. P. D. CHISLERIO.

Argentina coadiutoriæ, Veneris, 2. May, 1631.

ARGVMENTVM.

Gratia coadiutoriæ Monasterij an sit iustificata, iterum examinatur.

SVMMARIVM.

1 *Contemptus vnius electionem vitiat.*
2 *Pars maior & sanior Capituli constituitur ex duabus partibus.*
3 *Vocati si non veniant, tota potentia Capituli remanet in illis, qui venerunt, & gesta per illos valent, tanquam gesta à Capitulo.*
4 *Locus quilibet, vbi Capitulum est congregatum, dicitur Capitularis, dummodo sit honestus.*
5 *Locus certus non est de substantia electionis.*
6 *Capitulum congregari potest in quolibet loco, quando ob aliquod impedimentum congregari non potest in loco solito.*
7 *Capitulariter aliquid fieri aliud est, & aliud, fieri in loco Capituli.*
8 *Actus probatur capitulariter gestus ex attestatione Notarij, Monachorum nomina recensendo.*
9 *Citatio non potest decerni extra territorium.*
10 *Citationes emanantes in principio iudicij, non requirunt causæ cognitionem, & possunt fieri etiam ab illo, qui non haberet iurisdictionem.*
11 *Citationes, quæ fiunt in principio iudicij, possunt decerni etiam extra territorium.*
12 *Citationis locus vbi sit decretus, non attenditur; sed locus, pro quo sit ad comparendum.*

DECISIO XXXI.

PRoposui iterum causam super resolutis sub die Veneris, 21. Februarij proximè præteriti, an gratia coadiutoriæ Eminentissimi D. Cardinalis à Lotharingia, esset iustificata. Domini steterunt in decisis, nisi tamen obstent concordia Germaniæ, per quæ impediuntur coadiutoriæ: quoniam de eis erit particulariter videndum.

Quantum ad consensum, qui est vnus ex mo-
dis, quibus gratia iustificatur, de eo constare fuit re-
solutum: nam consensus Abbatis, & Monachorum
præstitus in partibus probatur ex mandato ab eis
facto. Consensus autem præstitus per procuratorem,
pariter probatur ex instrumento; ita quòd difficul-
tas respectu consensus reducitur ad defectum duo-
rum Monachorum, qui non interuenerunt ad præ-
standum consensum in electione coadiutoris, ideó-
que electio nulla, cùm vnius solius contemptus ele- 1.
ctionem vitiet, *cap. Cùm inter, cap. Bona, il primo, & cap. Quod sicut*, vbi Doct. communiter *de elect.*
& ad locum, in quo fuit factum Capitulum: quia non
erat locus capitularis.

Primus non obstat: quia, vt fuit dictum in deci-
sione, quæ reuidetur, cùm per coadiutoriam proui-
deatur indemnitati Ecclesiæ, stante infirmitate Præ-
lati, & ex aliis causis in ea narratis, quæ concernunt
illius vtilitatem, & necessitatem, sufficit pro illa
consensus duarum partium ex tribus ipsius Capitu-
li, quæ duæ partes constituunt maiorem, & sanio- 2.
rem partem, ad text. *in cap. vnic. de Cleric. ægrot. in 6.*
vbi Gloss. *in verb. Duæ partes*, & not. Franch. *§. Si
verò, circa med. super Gloss. in dicto verb. Duæ partes.*
Quinimò, cùm ex testibus probetur, eos fuisse vo-
catos ad illum actum, si non venerunt, tota poten- 3.
tia capitularis remanet in illis, q[illegible] venerunt, & gesta
per illos valent tanquam gesta à Capitulo. Abb. *in
cap. Cùm omnes, col. fin. vers.* [illegible] *diuersi-
tatem, de constit.* & ibi [illegible] *283. lib. 3.*
Nec contumacia duorum p[illegible], &
acta capitularia Mon[illegible]
tandum, cùm non ve[illegible]
sicut, verb. Vocatis [illegible]

Nec allegatus [illegible]
constat, in quo [illegible]
nes Monachos fuiss[illegible]

ad eum locum omnes specialiter vocatos; & omnis locus, vbi Capitulum est congregatum, dicitur capitularis, dummodo sit honestus, *c. Quod sicut.* vbi Abb. *num.2. c.Cum terra. de elect.* vbi Gloss. *in verb. In quo* inquit in Capitulo secundùm consuetudinem loci aliàs vbi meliùs se obtulerit facultas, & sic certus locus non est de substantia: cùm enim non potuerit fieri in loco solito propter bellum, & impetum
6. Hæreticorum non propter eà minus potuit conuocari Capitulũ in alio loco, *c. In nomine Domini.§.Quod si prauorum.23.distinct.* Innoc.*in c. Cum ex iniuncto. num.2.vers.Et quamuis. de nou. oper. nunc.* Bald.*in l. Nulli. n.2. vers. Secundo requiritur. ff. quod cuiusque vniuers.nomin.*Nec ex eo, quod consensus non fuerit præstitus in loco Capituli,minùs dicitur capitulariter
7. præstitus:quia aliud est aliquid fieri capitulariter,aliud fieri in loco Capituli. Seraphin. *decis.*1247. & ex lectura instrumenti bene comprobatur, mandatum fuisse conuentualiter,& collegialiter concessum:quoniam Notarius attestatur, Monachos fuisse capitula-
8. riter congregatos, Gabr. *de fid.instrument. concl.2.* Monachorum nomina recensendo, *iuxta decis. 9. & 29. de procur.in antiq.*

Quantùm autem ad testes, qui est alter modus, quo gratia iustificatur; Domini eos ritè, ac validè examinatos fuisse dixerunt; & omissis multis, quæ informantes pro Abbate iterum inculcant, etsi sublata in decisione; obiectionem nouiter deductam
9. non obstare, fuit per eos conclusum: quia non subsistit, quòd citatio non potuerit decerni in oppido Nanceij, vbi Iudici remissoriali nulla competebat iurisdictio cum ex forma litterarum remissorialium esset restricta ad opidum de Vico Meten. Diœcesis in loco Monasterij Sancti Francisci: ex traditis per Oldrad. *cons.*88. *num.2. vers. Primò dico, quòd est considerandus locus.* vbi firmat, citationem non posse fieri extra territorium, cùm sit de processu, qui extra territorium factus non valet. Ita tenuit Federic.de Sen. *cons.16. num.13. vers. Item non obstat.* Et ideò, cum citatio Abbatis, & Monasterij fuerit decreta extra territorium, ad comparendum in loco de Vico, in Monasterio Sancti Francisci, secundùm prædicta videtur nulla, & per consequens examen
10. nullum. Attamen tollitur, cùm in talibus citationibus emanantibus in principio iudicij non requiratur causæ cognitio, & possint fieri etiam ab illo, qui non haberet iurisdictionem vt notat Innoc.*in c. Cùm contingat de rescript.c. Prudentiam. de offic.deleg.c. Licèt. de accusat.*Si ergo non requiritur causæ cognitio, nec, quòd Iudex suadeat, vt dicit Innoc. poterunt
11. ergo fieri extra territorium, argumento eorum, quæ notat. Dominicus de Sancto Gemin. *in c. Nouit. de off.leg.* Ita concludit ex supradictis Calder. *cons.2. in fin. de elect. vers. Item in talibus.* Benè faciunt not. per Bart. *in. l.1. §. Nunciatio. num. 30.de nou. oper. nunc.* idem *cons.* 164. *lib.1.* Rota *decis.1. de feriis, in nou.*Cassad.*decis.5. de dol.& contum.* Cùm ergo citatio, de qua agitur, fuerit facta in principio iudicij ad comparendum in loco Vici, & in Monasterio Sancti Francisci, sustinetur etiam, quòd fuerit decreta extra territorium, cùm non attendatur locus, vbi est decreta; sed locus, pro quo fit ad comparendum, ex traditis per Vant.*de nullit.ex defectu citat.num.39. & 61.*

Et ita resolutum, vtraque parte,&c.

R. P. D. PIROVANO.

Aquilana nullitatis erectionis, Luna, 24. Maij, 1610.

ARGVMENTVM.

Dismembratio partis curæ animarum Ecclesiæ Parochialis,& erectio nouæ parochiæ,vt sit valida, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Dismembratio est species alienationis: & ideò est nulla, si in ea non interueniat solennitas,& iusta causa.*

2 *Dismembratio partis curæ animarum Ecclesiæ parochialis, vt sit valida, debet constare, quod propter difficilem accessum ad antiquam parochialem,vel aliud impedimentum, aliquis ex parochianis defecerit absque Sacramentis, vel periculum sit patens.*

3 *Parochia noua erigi non potest ab Ordinario ex sola numerositate populi aucti.*

4 *Ecclesia noua ædificanda est, stante populi incremento.*

5 *Parochia noua vt erigi possit,non sufficit populi incrementum, nisi accedat loci distantia, & difficultas parochianorum accedendi ad percipienda Sacramenta.*

6 *Dismembratio partis curæ animarum fieri non potest,ex quo Ecclesia Parochialis nõ sit capax totius populi,& sit difformis:quia potest erigi noua Capella, quæ sit in proprietate parochialis antiquæ.*

7 *Beneficiorum diuisio prohibetur à iure.*

8 *Solẽnitas requisita in alienatione Ecclesiæ,est necessaria in dismembratione partis curæ animarũ.*

9 *Consensus Capituli est necessarius in dismembratione Ecclesiæ parochialis,quæ ad ipsum spectat; nec suffragatur consensus Vicarij,num.10.*

11 *In dismembratione Ecclesiæ is est citandus, ad quem illius defensio spectat.*

12 *Iuspatronatus Ecclesiæ nouiter erectæ ex parte curæ animarum dismembrata ab Ecclesia parochiali,spectat ad Rectorem.*

DECISIO XXXII.

Placuit Dominis per deducta per Informantes pro Archipresbytero, & Capitulo de Paganica, quòd erectio Ecclesiæ sub inuocatione Beatæ Mariæ ad Præsepe, intra fines Ecclesiæ antiquæ parochialis, & Baptismalis & dismembratio partis curæ animarum eiusdem nulla sit:quia in ea non interuenit solennitas, & iusta causa, quæ sunt necessaria in huiusmodi dis- 1.
membrationibus, cùm sapiant alienationem. Lap.*alleg.66.n.3 & 5.*& fuit sæpissimè resolutum,& præsertim *in vna Eleboren. dismembrationis.* coram R. P. bon.mem.Iusto,17. Nouembris, 1600.& *in Toletana parochialis de Madrid,* coram R.P.Corduba,19.Nouemb.1601. & signanter notat Abb.*in c. Ad audientiam.il 1.in 1.not.de Eccl.ædific.*

Deficit enim iusta causa: quia non constat, quòd 2.
propter difficilem accessum ad antiquam parochialem aliquis ex parochianis defecerit absque Sacramentis, vel propter impedimentum, periculum sit patens, vt in casu Lap.*alleg.66.*& prout requiritur ad hunc effectum, vt fuit consideratum in allegatis decisionibus.

Causæ

Causæ autem enumeratæ in ipsa erectione non videntur sufficientes: nam sola numerositas populi aucti non tribuit authoritatem Ordinariis erigendi nouas parochias, cùm huic obiecto satisfaciat Conc. Trident. *sess 21. de refor. c. 4.* dum cogendi sunt Rectores, vel alij, ad quos spectat cura animarum, vt sibi tot Sacerdotes adiungant, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum diuinum celebrandum. Et
4 quamuis inter causas ædificandi nouas Ecclesias recenseatur etiam incrementum populi, *c. Præcipimus.* 16. *q.* 1. tamen Conc. Trident. desiderauit maiorem necessitatem, scilicet, distantiam loci, & difficultatem
5 parochianorum accedendi ad percipienda Sacramenta, prout Sacra Congregatio Concilij declarauit, & eam sequitur Rota *in alleg. dec. Elboren. dismembrationis*, & quæ in præsenti casu non iustificantur: sed potiùs contrarium apparet ex depositione testium, qui dantur *in Summario, n. 2.* dum affirmant, nouam Ecclesiam non longè ab antiqua matrice distare.

6 Postrema causa non etiam ad dismembrationem suffragari videtur: quia scilicèt, Ecclesia non sit capax totius populi, & sit difformis; tum, quia in Concil. Triden. non consideratur, nec *in c. Ad audientiam. de Eccl. ædific.* & satis prouideri potest per erectionem nouæ Capellæ, quæ sit in proprietate parochialis antiquæ, iuxta eiusdem Sacræ Congregationis declarationem, quæ datur in Summario: quod maximè suadetur, ne ad beneficiorum diuisionem de facili deueniatur, quæ regulariter prohibetur. *c. Maioribus. c. vacante. de præben. c. 1.* vbi Glos. *de reb. Eccles. non alien.* & fuit decisum *in d. Elboren. suprà alleg.*

Solennitas non etiam fuit adhibita, quæ requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ. Rot. *dec. 1. de reb. Eccl. non alien. in non.* Francus *in c. 1. col. 1. eod. tit.* & fuit dictum *in Marsicana*, coram Illustrissimo Pamphilio, 14. Februarij, 1594. in hac enim dismembratione deficit consensus Capituli, ad quod pertinet antiqua Ecclesia parochialis, & illius redditus, *c. 1. de reb. Eccl. nō alien. in 6. & c. Ad audientiam. de Eccl. ædific.* Gabr. *de titul. concl. 1. n. 216. ampliat. 57.*

10 Nec suffragatur consensus Vicarij: quia cura non est penes ipsum; sed tantùm exercitium: nec percipit fructus parochialis, sed percipit suum congruum de
11 manu Capituli: & ideò defensio Ecclesiæ non spectat ad Vicarium, sed ad Capitulum, cuius citatio propterea omittenda non erat. Abb. *in c. Extirpanda. §. Qui verò. in repetit. num. 15. post princ. de præben.* Et eò magis videbatur annullāda etiam dismembratio prædicta: quia Episcopus reseruauerat iuspatronatus super Ecclesia erecta ad fauorem suorum consanguineorum, quod propriè spectabat ad Capitulum, *c. Ad audientiam. il 1. de Eccl. ædific.* & ex his ita resolutum fuit, vna tantùm parte informante.

CORAM EODEM.

In eadem, Lunæ, 20. Decembris, 1610.

ARGVMENTVM.

Oblationes prouenientes intra Parochiam spectant ad Ecclesiam parochialem.

SVMMARIVM.

1 *Oblationes sunt de iure parochiali.*

2 *Ecclesia parochialis habet intentionem fundatam de iure communi, super omnibus prouenientibus intra parochiam.*

DECISIO XXXIII.

CVm Dominis placuisset die 24. Maij, 1610. capere resolutionem Ecclesiæ sub inuocatione Beatæ Mariæ ad Præsepe, intra fines Ecclesiæ antiquæ, & baptismalis loci de Paganica; ac dismembrationem partis curæ animarum eiusdem esse nullas; suborta est exinde alia non leuis dubitatio, ad quem spectarent Ecclesia erecta, & oblationes illius. Et omissa disputatione de Ecclesia, dubium proposui strictè quoad oblationes.

Et dictum fuit, illas spectare ad Ecclesiam parochialem loci prædicti de Paganica: quia oblationes sunt de iure parochiali, *cap. Quia Sacerdotes. & cap. Sanctorum. 10. q. 1.* & Ecclesia parochialis fundat intentum suum de iure communi super omnibus prouenientibus intra Parochiam, *cap. Pastoralis. de his, quæ fiunt à Prælat. c. Ad audientiam. il. 1. de Eccl. ædific.* Abb. Barb. & Imol. *in d. cap. Pastoralis.* idem Abb. *in c. Dilectus. n. 4. vers. Dubitatur tamen. hodie. de offic. Ordin. & ibid.* Felin. *num. 3.* Innoc. Hostien. Anton. de Butr. & Abb. *in rub. de Paroch.* Ferret. *cons. 143. num. 4.* Capell. Tolos. *quæst. 583.* Calder. *cons. 5. de relig. Domib.* & quamuis Marian. Socin. *in suo tractat. de oblat. l. 18.* visus sit distinguere sex casus, & dubitare primò, an oblationes spectent ad Dominos, qui fabricauerunt Ecclesiam: secundò, an ad locum ipsum: tertiò, an ad Ecclesiam illius nominis; quartò, an ad Ecclesiam Cathedralem: quintò, an ad Episcopum: sextò, an ad Ecclesiam parochialem; tamen, omnibus examinatis, conclusit spectare ad parochialem, & communis opinio scribentium affirmauit, cum qua Rota transit, solo Capitulo de Paganica informante. 1. 2.

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 10. Maij, 1613.

ARGVMENTVM.

Parochiæ dismembratio, & nouæ erectio, vt sit valida, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Dismembratio parochialis, & noua Parochia erectio fieri non potest ex incremento populi: & qualiter huic incommodo prouideri possit.*

2 *Parochia noua erigi potest ab Ordinario, etiam inuito Rectore, stante loci distantia, & magna populi incommoditate ad recipienda Sacramenta, & diuina audienda.*

3 *Dismembratio parochialis, & noua Parochia erectio, vt valeat, non sufficit quælibet distantia, sed ea duntaxat, quæ præbet difficultatem Parochianis accedendi cum magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina audienda.*

4 *Dismembrationis Parochiæ iusta causa an sit difformitas, & angustia Ecclesiæ; & incommoditas ob distantiam, & periculum inundationis.*

5 *Dismembrationis Parochiæ causa iusta est necessitas, quæ excluditur, quoties aliunde prouideri potest.*

6 *Dismembratio Parochiæ fieri potest, si contingat, aliquos parochianos obire sine Sacramentis, dummodo constet, id euenisse propter difficultatem accedendi ad infirmos ex distantia, vel alio incommodo: secus, si ex eo, quòd solus Curatus eodem tempore pluribus infirmis prouidere non poterat.*

7 *Capituli consensus in his, quæ respiciunt Capitulum in vniuersum, non autem Canonicos vti singulos, debet capitulariter adhiberi.*

8 *Læsio præbet causam restitutioni.*

Decisio XXXIV.

HÆc causa fuit aliàs resoluta pro Archipresbytero & Canonicis terræ Paganicæ; scilicet, constare de nullitate erectionis Ecclesiæ Beatæ Mariæ ad Præsepe, in Parochialem, & iuxta Rotæ resolutionem pronunciaui. Nunc verò in gradu restitutionis in integrũ causa iterum mihi commissa, dubitaui, an constet de causis? & Domini responderunt negatiuè.

Retentis nanque terminis primæ resolutionis dicebant.

1. Primò, non obstare numerositatem populi, quanuis aucta probaretur ad numerum quinque millium; quia non est insta causa dismembrandi, & erigendi nouas parochiales, cum huic incommodo possit prouideri absque dismembratione secundùm modum per Sacrum Concilium descriptum, adiungendo sibi Rectores alios Sacerdotes qui sufficiant ad exhibenda
2. Sacramenta, & cultum diuinum celebrandum. Et quamuis distantia locorum, & magna incommoditas populi ad recipienda Sacramenta, & audienda diuina, videantur præbere iustam causam erigendi nouas parochiales, & vtrumque causatum dicatur propter populi numerositatem, cùm omnes parochiali Ecclesiæ adhærentes esse non possint, vt ideò idemmet Sacr. Conc. *d. cap. 4. sess. 21. vers. In iis vero*, &c. prædictis concurrentibus declarauerit, licere Ordinariis locorum, etiam inuitis Rectoribus, nouas Parochias erigere: quod etiam priùs fuerat dispositum, *in c.*
3. *Ad Audientiam. de Eccl. ædific.* Tamen non quælibet distantia suffragatur dismembrationis; sed ea duntaxat, quæ præbet difficultatem Parochianis accedendi cum magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & diuina Officia audienda, qualis non est hæc, quæ deducitur in terra Paganicæ, cum omnes habitatores non distent ab eodem oppido, nec impetu currentis, & perennis fluminis, aut torrentis illis impediatur aditus ad ipsam Ecclesiam provt contigerat *in casu decisionis Lucana dismembrationis*, 9. Maij, 1611. coram Reuerendiss. Antecessore.

4. Secundò, non obstare, quæ pertinebant ad angustiam, & difformitatem Ecclesiæ antiquæ, & ad incommoditatem, vti positam in pede ipsius terræ; non autem in medio, quæ propterea inundationibus sæpissimè subiiciebatur. Hæc enim visa sunt Dominis non posse deseruire pro iusta causa dismembrationis, cùm illis incommoditatibus satis possit prouideri, nempe, angustiæ, & difformitati per ampliationem, vel nouam Ecclesiæ ædificationem; distantiæ, & inundationi ex noua situatione intra idem Castrum, in loco eminentiori, à periculo aquarum remoto; vltra quod inundatio prædicta non videbatur concludenter probata, & ex qualitate riuuli potiùs, quàm fluminis, aut torrentis contrarium apparebat; & vbicunque potest aliunde prouideri, deficit necessitas, quæ est causa dis-
5. membrationis. & alienationis partis beneficij. *c. 1. de reb. Eccl. non alien.* & fuit dictum *in Elboren dismembrationis*. 17. Nouembris, 1600. corã bon. mem. Iusto.

6. Quòd autem aliquando contigerit, aliquos parochianos obiisse sine sacramentis, provt testes videntur deponere; multùm mouisset Dominos, si eorum testimonium ad effectum, de quo quæritur, fuisset concludens: sed dixerunt, hoc non probari euenisse propter difficultatem accedendi ad infirmos ex distãtia, vel aquarum inundatione; sed potiùs, quia solus Curatus eodem tempore pluribus infirmis prouidere non poterat: quod non ennuenit causa diuidendi Parochiam; sed adhibendi Ministros coadiutores iuxta dispositionem sacri Conc. Trid *in d. c. 4. in princip.*

Postremò, non obstare, quòd quoad solennitatem concurrat consensus Capituli, dum Archipresbyter, & Canonici interfuerunt proiectioni primi lapidis huius nouæ Ecclesiæ, illámque laudarunt; & alter Canonicus declarauerit, & protestatus fuerit, quòd hæc vocatur Ecclesia noua parochialis: nam, quidquid sit quoad denominationem, & particularem aliquorum Canonicorum consensum; ad præiudicium tamen dismembrationis ille consensus non capitulariter conclusus, & firmatus, sufficiens non est in hac parte, quæ respicit Capitulum in vniuersum; non autem Canonicos vti singulos. Felin. *in c. Cùm omnes. num 24. & 28 de constit.* Rota *in Calagurritana Canonicatus*, 28. Iunij, 1605. coram Cardinali Lancellotto: & ita sustinente iustitia primæ sententiæ, de causis restitutionis in integrum non constare fuit resolutum, vtraque parte informante: quia cessat læsio præbens causam restitutioni. Rot. *decis. 1. in nouis. & deci. 5. in antiquis. de restit. in integr.* 7.
8.

Placebat tamen Dominis, quòd ista moderna Ecclesia remaneret in adiutorium Matricis iuxta declarationem sacræ Congregationis, cùm negari non possit, quin ex testibus datis pro parte Vniuersitatis appareat, quòd cura animarum vsque ad ædificationem d. nouæ Ecclesiæ passa fuerit aliquod detrimentum, propter angustiam antiquæ Ecclesiæ, & populi numerositatem.

R. P. D. VEROSPIO.

Gerunden. exemptionis, Veneris 11. *May*. 1631

ARGVMENTVM.

Exemptio à iurisdictione Ordinarij conceditur subdito, stante lite graui, nec temerè suscepta.

SVMMARIVM.

1 *Exemptionis materia est Papa arbitraria.*

2 *Lite pendente, negotium deuoluitur ad iudicem suspensa Superioris iurisdictione super causa, de qua dubitatur.*

3 *Exemptio concedi solet, tam à signatura, quàm à Sacra Congregatione, durante lite graui, nec temerè suscepta.*

4 *Nec requiritur probatio malæ tractationis. aut vehementis suspicionis futuræ sæuitiæ; sed satis est vt de ea ex præsumptionibus dubitari possit, n. 4.*

5 *Subditi subducuntur à iurisdictione Superioris, cùm asperiores ipsius mores aut prauum iurisdictionis vsum.*

6 *Exemptio conceditur ob solam litẽ super re graui.*

7 *Lis non dicitur temerè instituta, nec per calumniã prosequuta, quando ab antecessore cœpta fuerat.*

8 *Exemptio propter litem conceditur subdito ad tempus contradicente Ordinario.*

Decisio XXXV.

PLacuit Sacræ Congregationi super Episcopis, & Regularibus de exemptione personali, durante lite concedenda Francisco Aunio. Priori Bisulduni, Rotam consulere, cùm causa super eiusdem Prioris exemptione à iurisdictione Ordinarij Gerunden. coram me penderet. Et cùm super hoc Domini arbitrium ipsius concedendi maximum esse cogno[illegible]

rint ex Abb. *in c. Litteras. num. 7. de restitut. spoliat.*
Roman. *cons* 37. Paris. *cons.* 54 *num.* 36. *vol.* 4. Respon-
derunt posse, si videbitur per Sacram Congrega-
tionem concedi Francisco exemptionem, quam pe-
tit & propter litem, quæ grauis apparet, & calum-
niosa visa non fuit, eius personam in tempus à iu-
1. risdictione Ordinarij eximi: cùm enim id sit de iure,
vt pendente lite negotium deuoluatur ad Iudicem,
suspensa Superioris iurisdictione super eadem causa,
de qua dubitatur, *c. Cùm dilectus. c. Olim* vbi Gloss. *in*
verb. post incept. negot. de accusat. Ripa *in c. Cùm M.*
Ferrarien. n. 196. *&* 199. *de constitut.* Cassad. *decis.* 6.
de priuileg. in princ. solet tam signatura, quàm hæc
Sacra Congregatio, vbi ipsam litem grauem, nec te-
3. merè susceptam cognouerit, hanc exemptionem, ea
durante, concedere, vt post Cassad *d. decis.* 6. *de priui-*
leg. testantur Lancellot. *de attentat. lit. pend p* 2. *cap.* 4.
declarat. 4. *n.* 41 Conzal. *ad regul.* 8. *Cancell. gloss.* 46.
n. 18. Marches. *de commissione aduocationis causarum,*
p. 2. §. 1. *n* 76. Paris. *de resignat. lib.* 3. *q.* 11 *n.* 7. Ex cuius
4. quidem litis causa, quæ, vt dixi, leuis non sit, cùm
possit probabiliter subditus Superiorem suum sibi in-
festum timere; non etiam dixerunt Domini, proptet
litem requiri aliquam probationem malæ tractationis,
aut vehementis suspicionis futuræ sæuitiæ; sed satis
esse, vt de ea ex præsumptionibus dubitari possit.
Specular. *de denunciat.* §. *Quis denunciare possit. n.* 13.
Mandos. *de inhibition. quæst.* 104. *num.* 5. Ægid. *decis.*
45. Rota *decis.* 3. *de rescript. in nouis.* Et si ex mo-
ribus Principis, siue cuiusque Superioris asperiori-
bus, aut prauo iurisdictionis vsu subducuntur sub-
diti ab eius iurisdictione, *cap. Olim & cap. Ex part.*
de accusat. Ioannes Faber *in* §. *fin. Instit. de his, qui*
sunt sui, vel alieni iur. Bursat. *cons.* 170. *n.* 27. Guido
Pap. *quæst.* 62 *n.* 1. Achil. *decis.* 362. Ita & sola lis visa
6. fuit sufficere, dum super re graui iustum timorem, vt
dictum est, inferre potest. Staph. *de litteris Iust tit. de*
Rescript. in forma Breuis. §. *Indultum, num.* 10. Paris.
vbi supra, de resignatione, lib. 7. *quæst.* 11. *num.* 7. Gabr.
de indic. concl. 4. *num.* 31. Verall. *decis.* 62. *numer.* 4.
par. 2.

Maximè autem mouit Dominos, vt exemptio hu-
iusmodi videretur posse concedi, quòd cùm litem
7. tandiu ab antecessore motam non argui posset nouus
Prior, vt vel temerè instituerit, vel per calumniam
prosequeretur, *l. Quædam. ff. de reb. dub. l. Aut fa-*
cta. §. *Exitus. ff. de pœnis.* Aym. *cons.* 335. *num.* 3.
Crescent. *decis.* 19. *de probat.* cessabat ea suspicio,
quam in proposito DD. considerant, ne quis sub
prætextu litis affectatæ, aut ex ingenio confictæ à
Superioris sui obedientia subducatur: sicut, ne cau-
sam Prior diutiùs protraheret, eandem exemptio-
nem, quæ solet alioqui simpliciter concedi, in
tempus restrinxerunt, sequuti stylum, quem, con-
tradicente Ordinario, prout hic etiam se oppo-
suit, seruare signaturam testatur Lancellot. *d. pag.* 2.
de attentat. cap. 4. *declarat.* 4. *numer.* 41. & notauit
ex Cassador. *eadem decis.* 6. *de priuileg. in fin.* Quod
tempus, & propter loci distantiam, & ferias, quæ
instabant; atque etiam, quia dabat Prior fumum ali-
quem boni iuris, ex arbitrio, quod super hoc dixi,
maximum Iudicis esse; visum fuit Dominis ad an-
num extendi posse; ita tamen, vt & Sacra Congre-
gatio, vel propter diligentias, quas in expedienda
causa Priorem adhibuisse constabit, vel, si quæ ab
Episcopo impedimenta inferrentur, possit eidem vl-
teriùs, vel ne, prorogare.

Et ita vtraque, &c.

EMIN. D. CARD. IOANNE
Baptista Pamphilio.

Hispalen exemptionis, Veneris, 5. Decem-
bris, 1614.

ARGVMENTVM.

Exemptio à iurisdictione Ordinarij an con-
cedatur subdito propter litem inter
eos vertentem.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio omnimoda à iurisdictione Ordinarij,*
non conceditur propter solam litem inter subdi-
tum, & ipsum Ordinarium

2 *Exemptionem subdito concedere solet signatu-*
ra aliquando, propter solam litem cum Ordi-
nario.

3 *Signatura aliquando in materia exemptionis re-*
scribit, cum facultate inhibendi causa cognita;
quo casu non conceditur inhibitio, nisi constito de
sæuitia.

4 *Exemptio propter litem non est indistinctè conce-*
denda, ne aliàs subditi facilè procurent lites con-
tra Superiores, & eas diutiùs protrahant.

5 *Actus gesti per Ordinarium contra subditum, pen-*
dente inter eos lite, non præsumuntur facti pro-
pter litem, & in illius odium, nisi probentur.

DECISIO XXXVI.

COntra informantem, nempe, non esse inhiben- 1.
dum: quia causæ ciuiles, quæ inter beneficia-
tos, & D Archiepiscopum in Rota commissæ repe-
riuntur, de iure non sufficiunt ad effectum, vt bene-
ficiatis sit concedenda omnimoda exemptio ab illius
iurisdictione, Glos. *in cap Olim verb. Post inceptum.*
& *ibi* Abb. *num.* 6. *de accusat* cum aliis adductis per
Cassad *decis* 6. *num.* 1 *&* 2. *de priuileg.* Et licèt signa-
tura soleat illam aliquando concedere, vt tradit ibi- 2.
Cassad. *num.* 3. cum aliis allegatis; in hoc tamen casu
noluit simpliciter rescribere; sed cum facultate inhi- 3.
bendi causa cognita: quo casu visum fuit Dominis,
inhibitionem non esse concedendam, nisi constet de
sæuitia, per quam inferiores eximi solent à iurisdictio-
ne Superioris Ioan. Fab. *in* §. *Sed hoc tempore. num* 7.
instit. de his, qui sunt sui, vel alien. iur. Bald. *in l.* 2.
num. 2 *ff eod. tit.* Roman. *cons.* 37. *num.* 1. & ita aliàs
obseruatum fuisse apparet *ex decis.* Achil. 16. *de pri-*
uileg. in qua exemptio fuerat commissa cum clausula,
constito de sæuitia Et placuit, quòd huiusmodi exem-
ptio non sit indistinctè concedenda, ne aliàs subditi 4.
facilè procurent lites contra Superiores; & eas diutiùs
protrahant, vt exemptionem obtineant: & sic præ-
stetur eis occasio delinquendi, vt tradit Cassad. *d. de-*
cis. 6. *n.* 5. *de priuileg*

De sæuitia autem non constat: quia, licèt dicatur 5.
Abbatem, & Alphonsum, deputatos à beneficiatis
ad defensionem causarum huiusmodi, fuisse carcera-
tos de ordine Archiepiscopi; non tamen probatur,
ex qua causa carceratio emanauerit: & minus constat
de ipsa carceratione, nisi per fidem, quæ non pro-
bat: & consequenter huiusmodi asserta carceratio
non suffragatur, cùm illa non probetur, nec præsu-
matur emanasse propter lites, *ex d. decis.* Achil. 16. *de*
priuileg.

Et ita decisum, &c.

R.D. DVNOZETTO.

Calaguritana iuris pulsandi campanas, Lunæ, 11. Martij, 1619.

ARGVMENTVM.

Ecclesiæ parochiales nequeunt pulsare campanas in die Sabbathi Sancti, nisi audito signo campanarum Cathedralis: & an possint se iuuare consuetudine.

SVMMARIVM.

1 *Cæremoniale Romanum, sicut & Pontificale, in cæremoniis ecclesiasticis habetur vti lex scripta, & ius commune, inuiolabiliter seruandum.*

2 *Campanæ pulsari non possunt in die Sabbathi S. quando cantatur,* Gloria in excelsis. *ab aliis Ecclesiis, nisi audito signo campanarum Cathedralis, vel Matricis.*

3 *Cæremoniale Romanum in vniuersali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, vel spectabit, obseruandum est: nec ei in totum, vel in partem addi, vel minui potest.*

4 *Immemorabilis non censetur sublata per constitutiones ei expressè non derogantes.*

5 *Immemorabilis quomodo sit probanda.*

6 *Campanas in die Sabbathi sancti ante Cathedralem pulsandi præscriptio non probatur per testes deponentes, quòd Ecclesiæ inferiores non expectauerint pulsum campanarum Ecclesiæ cathedralis: & quare.*

7 *Consuetudo non inducitur, non data possessione præcisa.*

8 *Immemorabilis consuetudo pulsandi campanas ante Cathedralem, est improbabilis.*

9 *Scripturis magis creditur, quàm testibus.*

10 *Constitutio habens clausulas derogatorias amplissimas, tollit consuetudinem quamlibet contrariam, sola immemorabili excepta.*

DECISIO XXXVII.

Domini sine vlla difficultate dixerunt, sententiam extra Rotam, vti nullam, esse reuocandam: manifesta enim ex eo dicitur iniustitia, quòd Iudex declarauit, licitum esse Abbatibus, & beneficiatis parochialium Ecclesiarum Sanctorum Iacobi, & Andreæ, in ciuitate Calaguritana, pulsare ad libitum campanas in die solenni Sabbati Sancti; nec teneri expectare pulsum campanarum Ecclesiæ cathedralis contra verba directa, & expressa Cæremonialis Romani, authoritate fel. record. Clem. VIII. publicati: quod, sicut & Pontificale, in Cæremoniis
1. ecclesiasticis habetur vt lex scripta, & ius commune inuiolabiliter seruandum: Mohed. *decis. 5. de fid. instrum.* Rot. *in Elboren. exemptionis*, 3. Martij, 1600. coram Reuerendiss. D. meo Damasceno.

In Cæremoniali *lib. 2. cap. 27. de Sabbatho Sancto*, hæc verba leguntur; *Cantatur*, Gloria in Excelsis.
2. *pulsanturque campanæ, & organum: debéntque moneri Ecclesiæ ciuitatis, ne pulsēt campanas, nisi audito signo campanarum Ecclesiæ cathedralis.* Et in Bulla confirmatoria Cæremonialis idem Pontifex illud in vniuer-
3. sali Ecclesia ab omnibus, & singulis personis, ad quas spectat, & in futurum spectabit, perpetuò obseruari mandat: & quòd in totum, vel in partem non possit addi, vel diminui, cum clausulis derogatoriis, *non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus apostolicis, prouincialibus, & synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus, necnon quarumuis Ecclesiarum, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.*

Et quamuis sola dispositio Cæremonialis, aut 4.
Constitutio Clementis VIII. non abstulerit immemorabilem consuetudinem. Bald. *in l. Omnes, num. 10.* & *ibi* Ang. *in fin. C. de præscript. 30. annorum.* Felin. *in rubr. 2. de præscript. numero* 18. Afflict. *decis. 254. numero* 5. Couar. *var. lib. 3. cap. 13. numero 5.* vt etiam id declarauit Sacra Congregatio Rituum; nihilominùs dictæ Parochiales non possunt ius prætensum tueri: quia non sufficienter probarunt dictam immemorabilem cum requisitis à iure, de quibus per Gloss. *in cap. 1. de præscript. in 6.* quam Rota inuiolabiliter seruat, & millies fuit 5.
decisum.

Quod autem non adsunt requisita Gloss. patet ex lectura depositionum testium, quæ dantur in summario pro parte dictarum parochialium. Primus enim testis non deponit de auditu à maioribus, neque de publica voce, & fama. Tertius non deponit de publica voce, & fama. Quartus patitur eosdem defectus, quos primus testis. Plura etiam congeruntur contra dictum secundi testis ab informantibus in facto pro Capitulo Ecclesiæ cathedralis, quòd non deponat de quadragenaria de visu, sufficitque, quòd sit vnicus ex regula, quòd *Vox vnius, vox nullius.*

Deinde, nec etiam testes concludunt intentionem 6.
Ecclesiarum parochialium, cùm non sufficiat, quòd non expectauerint pulsum campanarum cathedralis Ecclesiæ; sed deberent probare, quòd priùs parochiales pulsauerint, cùm possit esse, quòd non expectauerint: & tamen non priùs; sed posteà pulsauerint: & quòd ita semper seruatum; aliàs non posset induci 7.
consuetudo in contrarium, non data possessione præcisa, *l. 2. C. de seru. & aqu.* Seraph. *decis. 1463. num. 8.*

Quinimò vnus ex Dominis existimabat, probari 8.
nullo modo posse consuetudinem immemorabilem: quia constat de initio prohibitionis ex Constitutione Leonis X. de anno 1516. edita vltra 100. annos, cum decreto irritante conformi dicto Cæremoniali: non possunt enim deponere testes, nihil fuisse dictum, & conditum in contrarium; quia constat de contrario per scripturas, quibus magis fides est adhibenda, quàm testibus, *l. Census. ff. de probat.* cum si- 9.
mil.

Nec placuit Dominis, quod dicebatur, huiusmodi consuetudinem esse rationabilem, & laudabilem, stante legitima excusatione Parochialium probata per testes, quòd sonum campanarum, flante Aquilone, non possunt audire: quia visum fuit per 10.
clausulas derogatorias amplissimas derogatum fuisse per Constitutionem Clementis VIII. omnibus contrariis consuetudinibus, sola immemorabili excepta. Couar. *var. lib. 3. cap. 17. num. 5.* cum aliis per Modern. *in reg. 8. gloss. 33. num. 8. & 9. & seq.* vltra quod hæc ratio visa fuit nimis friuola ad effectum eximendi Ecclesias parochiales ab obsequio debito Cathedralibus, cùm facile possit adhiberi remedium in conuenienti prætenso, cuius allegatio non soluit argumentum.

Et ita decisum, vtraque parte informante.

R.P.D.

R. P. D. MERLINO.

In eadem, Lunæ, 29. Aprilis, 1624.

ARGVMENTVM.

Campanæ pulsari possunt ab Ecclesiis inferioribus in Missa Sabbati Sancti, non expectato sonitu campanarum Cathedralis, stante immemorabili ita pulsandi, quæ suffragatur. Et quando huiusmodi immemorabilis censeatur legitimè probata.

ARGVMENTVM.

1 *Immemorabilis quando censeatur sufficienter probata.*

2 *Campanas in die Sabbathi Sancti ante Cathedralem pulsandi consuetudo immemorabilis probari potest per testes infirmos, & carcere detentos.*

3 *Immemorabilis probatur per testes deponentes de visu per quadraginta annos.*

4 *Testes deponentes super sonitu campanarum, non probant, si deponant, se vidisse. Contrarium, num. 7. & seq.*

5 *Campanarum sonitus non cadit sub sensu oculorum; sed sub sensu aurium.*

6 *Testium, præsertim idiotarum, dicta humaniter, non autem rigidè accipienda sunt.*

7 *Sensus oculorum, cùm sit quasi communis cæteris omnibus, non incongruè etiam ad singulos alios sensus adaptari potest.*

8 *Testes deponentes de visu circa rem, quæ ab alio sensu, quàm oculorum, percipitur, benè probant.*

9 *Verba Euangelij Ioan.* 20. Infer digitum tuum huc, & vide, *&*: Quia vidisti me, credidisti, *quomodo exponantur.*

10 *Testes habentes interesse, vti vniuersi, non vti singuli, non repelluntur.*

11 *Immemorabilis consuetudo pulsandi campanas in Missa Sabbathi Sancti, non expectato sonitu Ecclesiæ cathedralis, non est sublata per Cæremoniale Romanum, neque per Constitutionem Leonis X.*

DECISIO XXXVIII.

Rota innixa decretis Romani Ritualis, authoritate fel. rec. Clem. VIII. editis, pronunciauit, Capitulum, & beneficiatos Ecclesiarum parochialium Sanctorum Iacobi, & Andreæ, non posse pulsare campanas in celebratione Missæ Sabbathi Sancti, nisi priùs expectato sonitu campanarum Ecclesiæ cathedralis. Verùm ab huiusmodi sententia, interposita appellatione per Capitulum, & beneficiatos, fuerunt dati articuli ad probandum immemorabilem consuetudinem, quòd semper, & continuò dictæ Parochiales consueuerint ad libitum in dicto Sabbatho Sancto pulsare campanas, nulla habita ratione, quòd priùs fuerit pulsata in Ecclesia cathedrali. Et hanc immemorabilem non esse sublatam à constitutione Leonis X. nec à dicto Cæremoniali Clementis VIII. & sic reuelantem esse censuit Rota, nedum coram R. P. D. Verospio sub die 2. Febr. 1620. sed etiam priùs coram Reuerendissimo Domino meo Seleucien. 11. Martij, 1619. licèt tunc fuerit dictum, hactenus concludenter huiusmodi immemorabilem non fuisse probatam. Vnde his moniti prædicti beneficiati nixi sunt, dictam immemorabilem per plures testes iustificare, & demum dictorum testium depositionibus in Rota exhibitis, dubitaui, an sententia esset confirmanda, vel reuocanda.

Et reuocandam ex nouiter deductis responderunt DD. quoniam visum fuit concludenter probari, quòd dictæ Ecclesiæ Sanctorum Iacobi, & Andreæ, ab immemorabili consueuerunt pulsare campanas hora sibi benè visa, die Sabbathi Sancti; nec expectare, quòd campanæ cathedralis priùs pulsatæ fuissent. Ita primus testis qui est nobilis, ætatis annorum 69. & deponit à quinquaginta annis, vel citra, beneficiatos S. Andreæ solitos esse pulsare campanas in Sabbatho Sancto, hora sibi ipsis magis visa; & post egressum populi à dicta Ecclesia, & ibi absolutis sacrosanctis ministeriis, audiuisse campanas pulsari in Cathedrali: & quòd idem audiuerat à suis maioribus, illis etiam testantibus audiuisse ab aliis maioribus: & quòd nihil videretur, aut audiretur in contrarium.

Idem testatur secundus testis, pariter nobilis, ætatis annorum 68. qui deponit à quinquaginta annis in dictis Ecclesiis Sanctorum Andreæ, & Iacobi, pulsari campanas, absque eo, quòd priùs Cathedralis pulsaret.

Quartus testis idem deponit à quadraginta quatuor annis: & est ætatis 66. Quintus pariter testis ætatis annorum 70. & deponit à quadraginta sex annis, & citra, cum aliis *supra* relatis post alios testes.

Quibus concordant sextus, septimus, & nonus testes, idem ad vnguem testantes. Vnde cùm ij testes habeant qualitates necessarias, singuli enim excedunt ætatem 54. annorum: deponunt à 40. annis, & vltra, de proprio auditu, & de auditu à suis maioribus, qui ab aliis audiuerint, & quòd nec ipsi, nec maiores sui vnquam viderint, neque audiuerint contrarium, & de publica voce, & forma per verbum, *fuit*, & *est*, satis su- 1.
pérque dicta immemorabilis probata visa fuit, iuxta Gloss. *in cap.* 1. *in verb. Memoria, de præscr. in* 6. Gabr. *concl.* 1. *num.* 81. *eod. tit.* Rota apud Card. Seraph. *decis.* 1102. *n.* 2. *& decis.* 1450. *n.* 2. & apud sanctæ memoriæ Gregorium XV. *dec.* 196. *n.* 1. *& in recent. decis.* 248. *num.* 2. *& decis.* 272. *num.* 4. *part.* 1.

Nec obstat, quòd prædictus testis per tres annos 2.
fuerit absens, & vno anno ægrotauerit in die Sabbathi Sancti, pro vt etiam ægrotauit secundus testis: & sic hisce vicibus non potuerint audire sonitum campanarum: quoniam, licèt fuerint infirmi, & sacris mysteriis ea die non interfuerint; non inde tamen infertur, quin etiam in lecto iacentes potuerint audire cãpanarum sonitus. Et eadem etiam responsione tollitur, quod dicitur, quartum testem in Sabbatho Sancto carcere fuisse detentum: quia & ibi pulsationem campanarum auribus potuit percipere. Absentia verò dicti primi testis, & aliorum, cùm fuerit modica, & non continuis illis tribus annis, sed interpolatim, non obstat, quominùs probari non dicatur dicta immemorabilis, vt in simili fuit resolutum *in Signina pœnarum*, 21. Maij, 1612. coram Reuerendissimo D. meo Patriarcha Manzanedo. Et fieri potest, quòd hæc absentia contigerit in aliquibus ex dictis quatuor annis, de quibus deponit supra quadraginta annos; & sic etiam tribus annis detractis; adhuc tamen remaneret integer cursus continuus 40. annorum, qui sufficeret ad 3.
firmandam dictam immemorabilem, iuxta Gloss. *in d. c.* 1. Et proinde non applicatur *decis.* 254. *n.* 2. *p.* 1. *recent.* quia ibi agebatur de absentia 25. annorum, quibus demptis, non superant 40. anni de visu, de quibus

deponere

deponere debent testes ad probandam immemorabilem.

4. Minùs etiam obstat, quòd dicti testes deponentes
5. de sonitu campanarum dicant, se vidisse, & sic non
probent, cùm sonitus non cadat sub sensu oculorum;
sed sub sensu aurium, vt similiter in his terminis
testes de sonitus visu deponentes reprobat Bald. *in c.*
6. *Cum causa n.35. tit. de testibus*: quoniam vltra quòd
dicta testium, præsertim idiotarum, humaniter, non
autem rigidè accipienda sunt; sensus oculorum, cùm
7. sit quasi communis cæteris omnibus sensibus, non incongruè etiam ad singulos alios sensus adaptari potest, vt ex nostratibus docuit idem Bald. *in addit. ad*
8. *Specul. tit. de testib. col. 2. vers. Secundò, visus omnes.* & in terminis, quòd testes deponentes de visu circa rem, quæ ab alio sensu percipitur, quàm oculorum, vt putà tactus, auditus, vel quocunque alio sensu corporis, benè probent, tradiderunt Bartholus *in §. Hinc nobis. n.10. vers. Sed non obstat. Auth. de hered. & Falcid.* Guid. Pap. *sing. 642. & 895.* & Mascard. *de prob. concl.*
9. *263. n.4. & seqq.* quemadmodum verba illa Ioannis 20. *Infer digitum tuum huc, & vide.* & : *Quia vidisti me, credidisti.* ob prædictam rationem à D. Augustino *tract. 121. in fine*, explicantur, *Infer, & vide*: id est, *tango. Vidisti*, id est, *tetigisti*: quia tactus, & alii sensus comprehenduntur sub sensu oculorum, vt *ibi* per D. Augustinum. Neque etiam refragatur, quod nonnulli ex dictis testibus sint consanguinei beneficiatorum, & alij sit parochiani dictarum Ecclesiarum Sanctorum Iacobi, & Andreæ: quoniam & multi sunt, qui nec consanguinei sunt nec parochiani; imò quintus testis est parochianus Ecclesiæ cathedralis. Et demum huiusmodi interesse est valdè remotum: & parochiani imò ipsi beneficiati, si quod interesse habent, illud
10. totum habent vti vniuersi, non autem vti singuli: & propterea non sunt repellendi. *c. Insuper. extra de testib.* & ibi Felin. & passim sequitur Rota, vt coram Reuerendissimo D. meo Decano *dec. 140. in eius impressis*, vbi aliæ cumulantur decisiones.

11. Non obstat constitutio Leonis X. quæ prohibuit, ne Ecclesiæ inferiores pulsarent ante sonitum campanarum Cathedralis, in die Sabbathi Sancti: quia nec Rituale Romanum editum auctoritate Clementis VIII. nec dicta Constitutio Leonis X. sustulit immemorialem, vt iam fuit resolutum *in decis.* coram Reuerendissimo D. meo Seleucien. & coram R. P. D. meo Verospio, & dicta immemorabilis potuit esse indulta ante ipsam Constitutionem Leonis. Et demum, quicquid sit, aliud est esse in possessione immemoriali, hoc, vel aliud faciendi; aliud hoc per constitutionem positiuam esse prohibitum, ne fiat.

Nec obstat, quòd saltem non probabitur illud requisitum, de quo *in dicta Gloss. in c. 1. de præscr.* & Gabr. *concl. 1. n. 31. & seq.* nempe, quòd nihil fuerit visum, vel auditum in contrarium: quoniam stant simul, quòd Constitutio Leonis X & Rituale Romanum prohibuerit id fieri; & tamen nihil factum fuerit, vel dictum de facto in contrarium: & quòd prædictis Constitutione, & Rituali non obstantibus, iuxta antiquissimam consuetudinem adhuc dictæ Ecclesiæ Sanctor. Iacobi, & Andreæ continuauerint pulsare campanas in Sabbatho Sancto, hora sibi bene visa; non spectato, quòd priùs essent pulsatæ in Ecclesia cathedrali. Et Rota, non obstantibus ex dicta Constitutione Leonis, & Rituali Rom. iam censuit immemorialem, quatenus probaretur, esse releuantem, & suffragari prædictis Ecclesiis inferioribus.

Ad alia verò placuerunt responsiones datæ per informantes.

Et ita vtraque parte informante, ex nouiter deductis dixerunt DD. sententiam esse reuocandam.

EMIN. D. CARD. IOANN. Aldobrandino.

Salamantina Iurisdictionis, Veneris, 1. Iunij 1565.

ARGVMENTVM.

Abbas, vel alius Prælatus inferior sæcularis habens territorium separatum cum iurisdictione quasi episcopali, potest cognoscere de causis matrimonialibus, & criminalibus, nec comprehenditur sub decreto Concil. Trident. *sess. 24 cap. 20 §. Ad hæc.* maximè si iuuetur immemorabili.

SVMMARIVM.

Est idem cum argumento.

DECISIO XXXIX.

CONcurrentibus omnibus, quæ in hoc casu concurrunt, videlicet, quòd Abbatia ista non est dignitas in Ecclesia cathedrali; sed extra Ecclesiam, & habet iura episcopalia, & proprium territorium, quod etiam dicitur esse collatum ex diuersis diœcesibus, & concurrente immemorabili consuetudine, & fumo, quòd à fundatione competiuit sibi hæc iurisdictio. His omnibus concurrentibus, Domini tenuerunt, quòd non comprehenditur in decreto Concilij, de quo in puncto nempe, *sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc.* Rationes probatissimæ duæ fuerunt. Prima, quia decretum videtur loqui de inferioribus in Ecclesia cathedrali: quia species expressè declarant genus subsequens. & informantibus de dignitatibus, & personis eiusdem Ecclesiæ cathedralis apparere videtur maior ratio decreti propter præsumptam forsan vsurpationem: quæ enim naturaliter de iure communi eis iurisdictio competit, vt Vicario Episcopi competit *c. 1. de offic. Præsid.* vbi Doct. & ad illa verba: *Sed Episcopi tantum iurisdictionis relinquatur.* dixerunt, eam taxationem esse appositam respectu eorum inferiorum, de quibus proximè expressis. Secunda ratio fuit propter immemorabilem quasi possessionem, propter quam potest allegari fundatio, cui non videtur derogatum per ea, quæ dicta fuerunt *in causa Palentina iurisdictionis*, & quæ fundationis derogatione latè tradit Felin. *in tract. quand. liter. Apostolic. præs.* vt per Lambert. *de iurepat. fol. 8. Crescent. 141.* &c.

R. P. D. ORANO.

Valteranen. seu Nullius iurisdictionis, Veneris 13. Aprilis, 1584.

ARGVMENTVM.

Prælatus inferior potest præscribere territorium separatum, & propriam diœcesim: & ex quibus probetur huiusmodi præscriptio.

SVMMARIVM.

1 *Prælati inferiores possunt præscribere iurisdictionem episcopalem, & exercitium dignitatis.*

2 *Terri*

2 *Territorium separatum potest præscribi.*

3 *Territorij separati præscriptio probatur ex enunciatiuis antiquis, concurrentibus alijs coniecturis, & Scripturis continentibus actus positiuos iurisdictionis.*

4 *Prælato inferiori prætendenti iura episcopalia intra limites diœcesis Episcopi, resistit ius commune.*

5 *Præscriptio contra expressam prohibitionem iuris communis, differt à præscriptione contra quandam præsumptionem iuris, id explicitè non vetantis.*

6 *Seruitutis præscriptio in alterius fundo non est contra ius; sed tantùm contra quandam præsumptionem naturalis libertatis.*

7 *Prædia omnia præsumuntur libera.*

Decisio XL.

DVbium fuit, an Archiepresbyter Collen. & instrumentis, & dictis testium probauerit, Archiepresbyteratum esse in statu Nullius, seu ita exercendi iura episcopalia per eum in dicto Episcopatu, vt inde diceretur habere territorium separatum. Cui affirmatiuè responderunt Domini, moti, quia quemadmodum in inferioribus Prælatis datur iurisdictionis episcopalis, vel exercitij dignitatis præscriptio. Hostien. *in cap. Dilecto, de offic.* Archid. Abb. *in cap. Auditis, n. 4.* vbi Felin. *num. 2. de præscript.* Calderin. *cons. . eod. tit.* ita &
2 territorij, à quo etiam Episcopus potest remoueri. Abb. *in cap. cùm contingat, n. 11. de competent.* Bald. *de præscript. part. 13. part. principalis, quæst. 10.* Archi-
3 presbyter autem huiusmodi præscriptionem iurisdictionis, aut territorij, probat, primùm ex enunciatiuis antiquis, quarum vna est in Bulla pœnitentiæ sub anno 1484. altera Innocentij VIII. sub anno 1485. accedentibus maximè aliis coniecturis, & scripturis continentibus actus positiuos, sententias, & duos actus iurisdictionis *iuxta decis.* Put. 209. *lib. 2.* Ruin. *cons. 92. num. 10. lib. 4.* Secundò, testibus, ex quorum dictis apertissimè constat, archipresbyteratum habere distinctum, & limitatum territorium, cum exercitio iurisdictionis quasi ordinariæ, per quod manifestum erat ipsum esse in statu Nullius.

4 Ad adducta in contrarium fuit dictum non obstare: nam, quòd inferiori prætendenti iura episcopalia intra limites diœcesis Episcopi resistat ius commune, *cap. Omnes Basilicæ. 16. q. 7.* fuit dictum, quòd aliud
5 est, quòd ius præscribitur contra prohibitionem expressam iuris; aliud autem, quòd aduersùs quandam iuris præsumptionem explicitè id non vetantis. Co-
6 uar. *lib. 1. var. cap. 17. n. 7. in fin.* non secùs atque dicitur de præscribente seruitutem: cum enim ius præsumat omnia prædia libera. *l. Altius. l. Si tibi. C. de seruit. & aqu.* tamen contra ius non est, si alterius fundo seruitutem quis præscribat; sed tantummodo contra quandam præsumptionem naturalis libertatis. Coras. *in l. Seruientes. n. 35. de seruis.* Menoch. *de retinen. remed. 5. n. 48.*

R. P. D. ORANO.

Bergen. iurisdictionis, Veneris, 16. Decembris, 1594.

ARGVMENTVM.

COgnitio causarum criminalium, & matrimonialium an spectet ad Abbatem habẽtem iura episcopalia; an verò ad ipsum Episcopum, iuxta decretum Sacri Conc. Trid. *sess. 24. c. 10. de refor.* & hinc benè deducitur, Abbatem episcopalia iura habentem non esse inferiorẽ Episcopo, nec ratione dignitatis, nec ratione potestatis.

SVMMARIVM.

1 *Abbas habens iura episcopalia, & proprium territorium, habet cognitionem causarum matrimonialium criminalium; nec comprehenditur in decreto Concilij Tridentini* sess. 24. c. 20. de reform.

2 *Abbas habens iura episcopalia non dicitur esse de inferioribus Prælatis Episcopo.*

3 *Abbas in locis pleno iure sibi subiectis habet iurisdictionem episcopalem, vel quasi, locáque sibi subdita dicuntur extra iurisdictionem Episcopi, & faciunt territorium separatum, & n. 4.*

5 *Prælati sæculares dicuntur Decanus, & Archidiaconus.*

6 *Prælati inferiores subsunt Episcopo, & illis cum Episcopo cumulatiuè competit iurisdictio.*

7 *Abbas habens iura episcopalia, habet cognitionem causarum criminalium, & matrimonialium, etiam quoad seculares.*

Decisio XLI.

FVit resolutum, cognitionem causarum matrimonialium, & criminalium pertinere ad Abbatem Sancti Ioannis immediatè cum suis subditis Sedi apostolicæ subiectum. Quia, (vt aliàs *in vna Salmantina iurisdictionis*, coram bon. mem. D. Cardinali Aldobrandino, fuit dictum,) quando Abbas habet iura epis- 1.
copalia, & proprium territorium, nec est dignitas in Cathedrali Ecclesia, non comprehenditur in decreto Concilij Tridentini *sess. 24. c. 20. de reformat.* quod loquitur de Decanis, Archidiaconis, & aliis Prælatis sæcularibus.

Neque enim potest dari inter eos aliqua similitu- 2.
do, non quidem respectu dignitatis, cùm Abbas non dicatur esse de inferioribus, vt est text. *in cap. Si quis deinceps. 16 q. 7.* Lap. *alleg. 84. n. 11.* Franc. *in c. 2. sub n. 5. de præbend. lib. 6.* & *ibi* Prob. *ad Monach. num. 48.* Sarnen. *ad reg. de annal. q. 11. n. 4.*

Nec etiam respectu facultatis: quia Abbas in locis 3.
pleno iure sibi subiectis habet iurisdictionem episcopalem, vel quasi, *cap. in singulis de stat. Monach. c. Abbates, ante finem, de priuileg. lib. 6.* Gloss. *in Clement. 1. in verbo proprie, de reb. Eccles. non alienan.* Ant. de Butr. *c. Cùm & plantare. §. In Ecclesiis. de priuileg.* Aretin. *consil. 63. n. 4.* Dec. *in cap. Cùm te. 1. not. versic. Et concludo. de rescript.* locáque sibi subdita dicun- 4.
tur extra iurisdictionem Episcopi, & faciunt territorium separatum. Gemin. *in c. Cùm Episcopus n. 4. eod. lib. 6. & in c. 2. n. 19. de const. eod. lib.*

Neque etiam ratione alicuius qualitatis, cùm de- 5.
cretum loquatur de Prælatis sæcularibus, vt sunt Decanus, & Archidiaconus, *cap. 1. & tot. tit. de offic. Archid.* Felin *in cap. ex parte Decani de rescript.* Rot. *dec. 17. de concess. præben. nou.* & alij inferiores, qui regu- 6.
lariter subsunt Episcopo. Franc. *in cap. Romanam. §. ab Archidiacono in 1. not. de appell. lib. 6.* Et quibus cum eo cumulatiuè competit iurisdictio. Abb. *in cap. Cum ab Ecclesiarum. n. 9. de Offi. ordin.* Felin *in cap. Auditis colum. 5. de præscript.* Item Abb. *in c. Pastoralis. n. 6.* & *ibi* Felin. *colum. 1. de offic. Ordin.*

Ex quibus cessat id, quod pro parte Archiepiscopi 7.
fuit deductum, quòd, scilicet, cognitio causarum competens Abbati, restringi debeat ad causas suorum subditorum

ditorum regularium, non autem sæcularium; cùm istud non posset quadrare causis matrimonialibus, quæ inter Regulares non excitantur, vltra quod intentio Concilij Abbati, & aliis exceptis Regularibus præiudicium inferret: sed hoc omne relinquere dispositioni iuris communis deberet.

R. P. D. ORANO.

Burgen. iurisdictionis Sancti Ioannis, Veneris, 28. Aprilis, 1595.

ARGVMENTVM.

Iurisdictionis criminalis quasi possessio ex quibus actibus iustificetur, & probetur. Declaratúrque illa regula, quòd Episcopus præsumatur habere iurisdictionem in sua diœcesi, quomodo, & quando procedat, & quando non.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus de iure communi habet iurisdictionem in sua diœcesi, vbi hoc declaratur, quomodo procedat.*

2 *Abbas habens iura episcopalia, exercet iurisdictionem pro suo territorio, etiam posito intra limites diœcesis episcopalis.*

3 *Abbas habens territorium proprium, vel pleno iure sibi subiectum, potest in dicto territorio iurisdictionem exercere.*

4 *Delinquens in loco diœcesis exempto a iurisdictione Episcopi, non potest puniri secundum statuta Episcopi illius Diœcesis.*

5 *Statuta Episcopi non ligant delinquentem extra territorium, & diœcesim.*

6 *Diœcesis loca habentia dominium separatum non dicuntur esse de diœcesi.*

7 *Exemptionis priuilegia quænam fuerunt reuocata à Concilio Trident.*

8 *Iurisdictionis quasi possessio non acquiritur, effectu non sequuto.*

9 *Iurisdictio non probatur per actus, qui vel sint clandestini, & sine scientia eius, de cuius præiudicio agitur, facti, vel quando fuit ab illis appellatum, & protestatum.*

10 *Iurisdictio non probatur ex actibus factis per litem motam.*

11 *Testes examinati sine citatione partis dicuntur nulliter examinati.*

DECISIO XLII.

Domini pro maiori parte tenuerunt D. Abbati S. Ioannis dandum esse mandatum de manutenendo, respectu cognitionis causarum criminalium, visitationis Ecclesiæ, & illi subditorum, & redditionis computorum fabricæ inter ecclesiasticas personas, & subditos Ecclesiæ S. Ioannis cum sitis adiacentibus, & pendentibus: nam fundatam habet intentionem, primo in donatione Imperatoris facta R. Andelimo tunc Abbati S. Ioannis & confirmata ab Episcopo Burg. continente verba priuatiua iurisdictionis ad omnes alios. Secundò, in Priuilegio Sixti IV. quod eidem concedit facultatem quoscunque Clericos, etiam d. Ecclesiæ filios patrimoniales, si eorum demerita exegerint, suspendendi, excommunicandi, priuandi, aut alia pœna temporali, seu perpetua puniendi. Tertiò in laudo ad sui fauorem publicato, & à Papa Paulo III. confirmato, in qua pariter eidem adiudicatur d. Ecclesia pleno iure cum declaratione, quòd correctio, & visitatio, ac subiectio beneficiatorum ad ipsum pertineat, de cuius quidem obseruantia satis liquet, cùm ex visitationibus, tum ex regulis & Constitutionibus Abbatum, ad quarum normam Clerici simpliter vixerunt. Quartò, in sententiis & litteris executorialibus Reginæ Ioannæ, & audientiæ Vallisolen, in quibus habetur. Ecclesiam S. Ioannis pleno iure ad Monasterium pertinere, & collationem beneficiorum, ac punitionem Clericorum ad Priorem dicti Monasterij spectare. Quintò, in decreto Officialium Bur[illegible]ensium, de ordine tunc Episcopi facto, per quod f[illegible] facta reuocatio, & annullatio omnium process[illegible]um censurarum, & actuum fulminatorum contra Abba[illegible]em, Monachos, beneficiatos, & parochianos dict[illegible] Ecclesiæ. Vltimò, in testibus de omnibus concludenter deponentibus, & in sententia de anno 1570 contra Lucam de Arze beneficiatum lata, in qua suspensus legitur ab exercitio Ordinum per tempus decem annorum, & reclusus in Monasterium, cum impositione aliarum pœnarum, quæ etiam executioni fuit demandata: ex quibus absque tergiuersatione constat de ipsius quasi possessione iuris communis assistentiam habente, c. 1. *In singulis. de stat. Monach.* Dec *in cap. Eam te 1. not. de rescript.*

Nihilque ad rem pertinet, quòd Archiepiscopus in 1.
iure communi fundat iurisdictionem in sua Diœce- 2.
si: quia stantibus præmissis, non potest dici sua Diœ-
cesis, sed propria Abbatis; etiam quòd admitteretur,
suam esse intra limites suæ Diœcesis, Gemin *in cap.*
Cum Episcopus. n. 4. de offic. Ord. lib. 6. quod quidem 3.
procedit, siue vt fuit resolutum) sustineatur, Abba-
tem habere territorium proprium, vel pleno iure sibi
subiectum: à pari enim procedunt, Gloss. Clem. 1.
in verb. Aut earum partis. de for. compet. Cald. 1. *cons.*
13. de iud. Vnde Ioan. And. Gemin. Franch. & alij *in*
cap. Vt animarum §. Statuto. de constit. lib. 6. conclu- 4.
serunt committentem delictum in loco diœcesis exem-
pto, non posse puniri secundùm statutum Episcopi
illius diœcesis, cum locus exemptus, sit extra suam
iurisdictionem, *cap. 1.* & ibi Gloss. *de priuil. lib. 6.* & 5.
non secùs ac statutum Episcopi non ligat aliquem
extra territorium: ita nec delinquentem in Diœcesi,
loco tamen exempto. Ioan. And. post Hostien. *in cap.*
Nimis. de iur. iur. quia, vt ibi inquit Abb. loca, quæ 6.
sunt de Diœcesi habentia dominium separatum, non
dicuntur esse de Diœcesi. Sequitur Card. *in Clem. 1.*
§. 1. q. 4. de priuil.

Nec dicatur, priuilegia exemptionis fuisse reuo- 7.
cata per Concilium: quia ista non sunt simplicia
priuilegia; sed confirmationes separationis territo-
rij factæ per imperatorem ex confirmatione Episco-
pi, quæ non sunt reuocatæ per Concilium, dum lo-
quitur de Ordinariis, quibus subsunt inferiores. Dec.
d. c. Ad nostram, n. 14. de appell.

Minùs habenda est ratio prætensi actus post [illegible]o-
tis facti ab Archiepiscopo per Monitorium emana- 8.
tum de anno 1572 super exhibitione libri compu-
torum: quia cùm non appareat habuisse effectum,
etiam in corporalibus sine effectu non datur acqui-
sitio quasi possessionis. Cald. *cons. 12. de [illegible]rep. et.*
Rip. *in cap. Cum Ecclesia. num. 5 de caus. p[illegible]op.*
Multò autem minùs isto casu, quo Abbas [illegible]mauit,
& protestatus fuit. Rom. *cons. 369. sub [illegible]. 9.* [illegible]
vulgare est, ad acquirendum statum quasi possessio-
nis requiri scientiam, & patientiam eius, de cuius 9
præiudicio agitur; ita quòd actus iste causam dedit
liti: quia ab eo fuit appellatum, & causa in Rota
commissa. Cæteri verò actus possessoria facilè re- 10.
mouentur

mouentur, cùm vel percutiant tempus post litem motam, vel saltem sint clandestini absque scientia Abbatis facti. Bald. *in l. Post sententiam, num. 7. C. de sent. interloc. omn. iud.*

11. Non obstant testes inducti ad probandum quasi possessionem Archiepiscopi: quia deponunt de actibus post litem motam factis: & nulliter fuerunt examinati absque partis citatione. Minùs releuat, quod dicitur, quasi possessionem Abbatis fuisse acquisitam tempore litis motæ, ex quo illa per beneficiatos fuit de anno 1518. & per parochianos de anno 1524. contra Abbatem introducta: quoniam istæ lites non fuerunt cum Archiepiscopo; & certum est per laudum confirmatum, ac sententiam ad fauorem Abbatis latam fuisse extinctas, vt benè hîc per informantes, qui omnibus extremo adductis accuratè respondent.

R. P. D. ORANO.

Burgen. iurisdictionis S. Ioannis, Mercurij, 6. Nouembris, 1596.

ARGVMENTVM.

Abbates regulares in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis possunt cognoscere de causis matrimonialibus, & criminalibus; nec comprehenduntur in Decreto Concil. Trid. *sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc.*

SVMMARIVM.

1 *Territorium non est de substantia iurisdictionis.*
2 *Iurisdictio in personas haberi potest absque territorio.*
Ordinarij dicuntur Decanus, & Archidiaconus, aliique Prælati inferiores, habentes proprium territorium, in materia sibi adaptabili.
4 *Abbatis territorium dicuntur Ecclesiæ sibi pleno iure subiecta.*
5 *Abbates Regulares habentes, vel non habentes territorium, non comprehenduntur in decreto Concil.* sess. 24. cap. 20. §. Ad hæc.
6 *Abbates Regulares habent primam dignitatem post Pontificalem: & dicuntur in primo gradu dignitatis constituti: & quomodo intelligatur, num. 15.*
7 *Abbates regulares ratione facultatis dignitatis, aut Ordinis, non possunt dici de inferioribus subordinatis Episcopo.*
8 *Dictio*, aliorum, *est similium implicatiua, & infert omnimodam similitudinem ad expressa. Contrarium num. 16.*
9 *Species expressa declarant genus subsequens.*
10 *Abbas nullam habet similitudinem cum Decano, & Archidiacono; sed absque dubio illis est maior.*
11 *Iurisdictio concessa cum taxatiua,* tantùm, *censetur concessa exclusiuè ad alias personas; non tamen similem rationem habentes, num. 17.*
12 *Criminalium causarum appellatione quæ veniant.*
13 *Degradatio, & traditio Curiæ sæculari à solo Episcopo fieri potest.*
14 *Episcopus habet intentionem de iure communi exercendi iurisdictionem in omnes Clericos sæculares suæ diœcesis.*
15 *Abbates respectu Episcopi dicuntur inferiores dignitates.*
16 *Dictio*, aliorum, *includit similia; diuersa tamen ab expressis, & satis est, quòd similitudo adsit in aliqua parte.*
18 *Abbates præferuntur Vicario Episcopi, qui alias cum eo facit vnum Tribunal.*

DECISIO XLIII.

IN *causa Burgen. Iurisdictionis S. Ioannis,* Domini
vnanimiter concluserunt, quòd ad effectum dispo-
sitionis Concilij Trid. *cap. 20. §. Ad hæc, sess. 24.* non
releuet distinctio, quæ fit inter Abbates habentes,
vel non habentes territorium, & consequenter, quòd
nihil intersit, an Abbas S. Ioannis, habeat territo-
rium, vel non, vt possit vti priuilegio Sixti IV.
quo concessa sibi fuit facultas exercendi iurisdictio-
nem immemorabilem contra Clericos sæculares: 1.
quia de substantia iurisdictionis non est habere ter- 2.
ritorium, cùm sine eo possit quis habere iurisdictio-
nem in personas. Bart. *in l. 1. num. 15.* & post eum
Paul. de Castr. Alexand. Ias. Curt. *ff. de iurisd. omn.
Iud* Bald. *in l. 1 § in initio, num. 3. ff. de offic. Præfect.
Vrb.* Abb post alios *in cap. Cùm contingat, sub n. 33.*
& *ibi* Bellamer. *num. 32. de for. compet.* Felin. *in cap.
Rodulphus, num. 15. de rescript.* & exemplis illustrat
Iacob. *de cons. lib. 5. art. 8. num. 45.* Boër. *decis. 227.
num. 2.* Couar. *in regul. possessor. part. 2. num. 1.* Et
aliàs inanis fuisset distinctio facta per Illustrissimos
Dominos Sacri Concilij Interpretes inter dignitates
regulares, & Decanum, Archidiaconum, & alios 3.
inferiores, cùm nec in istis procedat dispositio Con-
cilij, quando habent proprium territorium: quia re-
spectu illius in materia sibi adaptabili dicuntur Or-
dinarij, sicut Episcopus, *cap. Ordinarij,* & *ibi* post
Gloss. Gemin. *num. 5. de offic. Ordin. lib. 6.* Felin. *in
cap. Post cessionem, num. 1. de probat.* Et latè fuit de-
ductum *in vna Salamantina iurisdictionis,* coram
R. P. D. Decano; cessatque tunc assistentia iuris com-
munis, quam habet Episcopus in omnibus locis suæ
diœcesis. Proinde, quamuis *in causa Salamantina
iurisdictionis,* coram bonæ mem. Cardin. Aldo-
brandino, resolutio facta fuerit ad fauorem Abba-
tiæ, sub eo prætextu, quòd haberet territorium;
non tamen ideò Domini dicebant, explosam fuis-
se conclusionem præmissam admittentem citra ter-
ritorium in Abbatibus, & aliis regularibus haben-
tibus exercitium iurisdictionis: nam illa iuxta con-
tingentiam successerat, & maior in ea aderat dubi-
tatio, cùm ageretur de Abbate sæculari: quod secus
est in casu, in quo Abbas est Ordinis S. Benedicti,
qui prætendit iurisdictionem tantummodo quoad
Clericos sæculares suæ Ecclesiæ; quæ etiam, quo-
do probaretur pleno iure ei subiecta, proculdubio
diceretur de Abbatis territorio, cùm septa Mona- 4.
sterij appellentur, & sint eius territorium. Vitalin.
in Clem Rursus, num. 10. de stat. Monachorum, ac
propterea militarent ea omnia, quæ dici possunt de
Abbate habente territorium quoad personas sui ter-
ritorij.

Verùm, quia emanauerat declaratio Sacræ Con- 5.
gregationis Concilij, in qua dictum fuit, indiffe-
renter Abbates regulares habentes, vel non haben-
tes territorium, *dict. §. Ad hæc, cap. 20. sess. 24.* non
comprehendi, visum fuit Dominis expediens veri-
tatem illius examinare, in cuius discussione licèt
non leuis inter Dominos suborta fuerit controuer-
sia; tamen tres ipsorum vti veram, & iuri conso-
nam sustinuerunt, reliquis quidem duobus contra-
dicentibus.

Illorum potissimæ fuerunt rationes, quòd cùm in decreto Concilij exprimantur Decanus, Archidiaconus; & postea subiiciatur, *aut aliorum inferiorum iudicio,* hoc intelligendum non sit de aliis

dignitatibus Regularibus non subordinatis Episco-
po: quia non eadem ratione sunt inferiores Episco-
6. po, sicut Decanus, & Archidiaconus, cùm habeant
primam dignitatem post Pontificalem, & dicantur
in primo gradu dignitatis constituti, *cap. Deinceps, 16. quæst. 7.* Nec etiam ratione facultatis dignitatis,
aut ordinis possint dici de inferioribus subordina-
7. tis Episcopo. Lap. *alleg. 84. num. 11.* Bald. *in cap Pastoralis*, in Gloss. *in verb. Superiores*, & *ibi* Felin. *colum. 4. de offic. deleg.* Franch. *in cap. 2. num. 5. de præbend. lib. 6.*

8. Secundò, quia dictio, *aliorum*, est similium im-
plicatiua, & infert omnimodam similitudinem ad
expressa, Gloss. & Doct. *in cap. Ex testam. C. de collat.* Bald. *in l. Fugitiuus col. fin. C. de seru. fugitiu.* Paris. *cons. 26. num. 54. lib. 3.* Beros. *cons. 24. num. 14. vol. 3.*
præsertim, cùm decretum loquatur de inferioribus
in Ecclesia Cathedrali: nam species expressæ decla-
9. rant genus subsequens, vt benè etiam fuit conside-
ratum *in illa Salamantina iurisdictionis*, coram bon.
mem. Aldobrandino, vt intelligatur respectu simi-
lium specierum; quæ tamen non sint maiores, &
superiores expressis, *cap. Sedes*, vbi Butr. *num. 101. de rescript.* Beros. *in cap 1. num. 205. de iudic.* Facit
text. *in Clem. Non potest, de procurat. & l. fin. §. Dulcia, ff. de act. & oblig.* Ideóque dicebant, nullam ra-
10. tionem admittere, vt existimandum ducerent, Con-
cilium loqui de Abbate, qui nullam habet similitu-
dinem cum Decano, & Archidiacono; sed absque
dubio illis est maior; maximè cùm ratio forsan præ-
sumpta vsurpationis iurisdictionis, vel etiam fauor
correctionis, ex quo apud inferiores facilè delicta
impunita remanebant, quæ militat in Decano, &
Archidiacono, & aliis inferioribus dignitatibus sub-
ordinatis Episcopo, & quæ mouerunt Patres ad ita
statuendum; non possit adaptari Abbati Regulari ha-
benti dignitatem non subordinatam Episcopo, cùm
de eo etiam magis Concilium confidat, vt videmus
factum in aliis decretis Concilij.

Reclamantibus verò præcipuum, & primum fun-
damentum fuit in verbis Concilij, ibi: *Sed Episcopi tantùm examini, & iurisdictioni relinquantur*, ponde-
11. rando verbum, *tantum*, quod exclusiuum est alia-
rum personarum, & attributiuum iurisdictionis Epi-
scopo, *l. 1.* vbi Bart. *ff. Si quis ius dicent. non obtemper.* Rip. *in l. fin. num. 136. C. de reuocand. donat.* Paris. *cons. 85. num. 47. lib. 2.* Alterum, quia Patres,
qui in Concilia conuenerunt, videntur habuisse ra-
tionem qualitatum causarum, nempe, matrimonia-
12. lium, & criminalium, sub quibus veniunt causæ hæ-
resis, simoniæ, raptus, adulterij, incestus, & simi-
les, quæ frequenter accidunt, vt pœnæ imponendæ
13. veniant priuationis, degradationis & traditionis Cu-
riæ sæculari, qui actus a solis Episcopis possunt exer-
ceri, *cap. Degradatio, de pœn. lib. 6. cap. 1. de hæret. lib. 6.* Anton. de Butrio *cons. 19. num. 18.* Roman. *consil. 375. in cap. In proposita quæstione, num. 1.* Beros. *in cap. 1. num. 26. vers. Propterea exempti. de reb. Eccles. non alien.* Ideóque absurdum eos iudicasse, cau-
sas matrimoniales, & criminales ab iis cognosci de-
bere, qui pœnas condignas delictis statuere non po-
terant, & in consequentiam ipsis suam iurisdictio-
nem restituere deliberasse, reducendo omnia ad ter-
minos iuris communis, iuxta quod fundatam habent
14. intentionem in omnes Clericos sæculares suæ diœce-
sis, *cap. Cùm persona, de priuileg. lib 6. cap. Cùm contingat. de for. compet.* & nos omnes, *in cap. Cùm Episcopus, de off. ord. lib 6.*

Neque eos mouebant rationes pro affirmatiua ad-
ductæ: quia, quòd Abbatiæ sint in primo dignitatis
15. gradu, id intelligitur respectu inferiorum dignitatum
regularium, & claustralium; non autem Episcopa-
lis, respectu cuius semper sunt inferiores, ad Ioan-
nem Andream *in cap. Maioribus, in principio*: & *ibi* 16.
Abbas *num. 2. de præbendis.* Et ad verbum, *aliorum*,
respondebat, quòd, licèt similia includat; tamen di-
uersa ab expressis, *l. Quod Nerua, ff. deposit.* Paris. *cons. 92. num. 5. lib. 1.* Et quòd satis sit, quòd similitu-
do adsit respectu iurisdictionis, Abbas *in cap. translato.* & *ibi* Felin. *num. 10. de constit.*

Verùm à proposito absolutionem approbante,
præmissa non abstraxerunt: nam, vt satisfacerent
argumentis contrarium sustinentibus, dicebant, di-
ctionem taxatiuam, *tantùm*, appositam fuisse re- 17.
spectu eorum inferiorum, de quibus proximè Con-
cilium expressit, & sic non ad exclusionem Abbatis,
& aliarum dignitatum regularium, de quibus in de-
creto nullum verbum: quia, vt dicit Baldus *in l. 1. C. de bon. possess. contra tab.* si constitutio dicat: *Solus Episcopus faciat*, non excluditur alius similem ratio-
nem habens. Et in terminis huius decreti Concilij
fuit resolutum *in dicta causa Salamantina*, coram
prædicto bon. mem. Card. Aldobrandino.

Neque verò admittebant, Patrum fuisse intentio-
nem, Episcopis iurisdictionem suam restituere, ne de-
licta impunita remaneant, ex defectu inferiorum non
habentium facultatem degradandi: quia, si ea ratio-
ne moti fuissent, hac via potuissent Episcopis iurisdi-
ctionem restituere in totum; atque ita iurisdictionem
ciuilem, & in criminalibus, ac matrimonialibus tolle-
re immemorabilem. Præterea iurisdictionem crimi-
nalem Prælato inferiori extra Cathedralem; quam
tamen à Concilio illæsam ei fuisse relictam, Domini
dixerunt, quòd sunt dignitates regulares dissimiles
Decano, & Archidiacono qualitate, & non dignitate
Cathedralis esse iis superiores, & tanquam tales cum
Episcopis in tali gradu dignitatis existere, vt osten-
sum est; atque ideò obseruari, vti maiores, & di-
gniores, aliis dignitatibus, in Synodo prælationem
habere post Episcopum, & præferri Vicario Episcopi, 18.
qui aliàs cum eo facit vnum Tribunal. Henric. Boic. *de Synod. part. 3. num. 15.* Ad alia quoque per Ad-
uersarios Episcopi deducta patere suas responsiones
à scribentibus pro D. Abbate data. Ex quibus con-
cluserunt, absque vlteriori tergiuersatione decisioni
Illustrissimorum Dominorum Cardinalium sacri Con-
cilij Interpretum morem esse gerendum, & acquie-
scendum, &c.

ILLVSTR. D. CARDIN. Hieronymo Pamphilio.

Burgen. iurisdictionis Sancti Ioannis in Venere, Veneris, 6. Martij, 1598.

ARGVMENTVM.

Abbas Regularis potest in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis cognoscere de causis matrimonialibus, & criminalibus.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio in Ecclesiis exemptis spectat ad Sedem apostolicam; non autem ad Episcopum.*
2 Alius, *dictio est similium explicatiua.*
3 *Abbates regulares habentes iurisdictionem in Clericos, etiam sæculares, dicuntur in primo post Pontificalē dignitatem gradu constituti; non autē de inferioribus subordinatis Episcopo, & n. 4.*
5 *Abbas quoad Clericos Ecclesiæ sibi pleno iure subiectæ*

subiecta comparatur Abbati habenti territorium, quoad personas sui territorij.

6 *Abbas habens territorium separatum, potest cognoscere de causis matrimonialibus, & criminalibus personarum sui territory, nec comprehenditur sub dispositione Concil. Trid. sess.* 14. c. 20. §. Ad hæc, & num. 8.

7 *Iurisdictio in persona consistit, etiam sine territorio.*

9 *Abbas habens iurisdictionem episcopalem, potest imponere pœnam degradationis, licèt actus degradationis sit postea ab Episcopo faciendus.*

10 *Archidiaconus, & Decanus habentes territorium separatum, & immemorabilem, possunt cognoscere de causis matrimonialibus, & criminalibus.*

11 *Archidiaconus, & Decanus non possunt degradare.*

Decisio XLIV.

Placuit omnibus Dominis declaratio Illustrissimorum DD. Sacri Concilij Interpretum, quòd Abbates regulares habentes iurisdictionem criminalem in Clericos, etiam sæculares, non comprehendantur sub decreto *cap.* 20. §. *Ad hæc, sess.* 24. ex rationibus pro hac parte deductis sub die 6. Nouembris, 1596. coram D. meo Orano.

Intentio enim Concilij fuit restituere Episcopis iurisdictionem criminalem exclusiuè ad Decanum, Archidiaconum, & alios inferiores subordinatos ipsi Episcopo, in quibus militat ratio præsumptæ vsurpationis; non autem illam auferre ab Abbate regulari exempto à iurisdictione Episcopi, & immediatè subiecto S. A. in quo cessat præsumptio vsurpationis, præsertim quoad personas Ecclesiæ sibi pleno iure subiectæ, in quibus aliàs iurisdictio esset ipsius S. A. & non
1. Episcopi. Gloss. *in cap. Authoritate, de priuileg. in* 6. & alij omnes.

Et hoc etiam colligitur ex verbis ipsius §. *Ad hæc*, dum loquitur de Decano, Archidiacono, & aliis inferioribus: quod intelligitur de similibus præfatis De-
2. cano, Archidiacono, & sic de sæcularibus subordinatis Episcopo iuxta naturam dictionis, *alius*, quæ est similium explicatiua. Gloss. fin. *in l. Si fugitiui*, & *ibi* Bald. *C. de seru. fugit. c. Sedes.* vbi Felin. *in fin. de rescript.* non
3. autem de Abbatibus regularibus habentibus iurisdictionem in Clericos etiam sæculares, qui dicuntur in primo post pontificalem dignitatis gradu constituti, *c. Deinceps*, 16. q. 7. Archid. *in c. a sub* 2. *de prebend. in* 6.
4. Et nec ratione facultatis, nec dignitatis, nec Ordinis dicuntur de inferioribus subordinatis Episcopo. Lap. *alleg* 84 Bald. *in c. Pastoralis.* in Gloss. *in verb Superiores*, & *ibi* Felin. *col.* 4. *de off. deleg.* & nullam habent similitudinem cum Decano, & Archidiacono, ita vt ex eorum expressione inferatur ad Abbates, qui & minores sunt, etiam de quibus Concilium magis confidit, quòd delicta impunita non relinquat, & specificam mentionem facere consueuit, quando voluit illos comprehendere.

5. Maximè quando (prout hoc casu) agitur de iurisdictione Abbatis, quoad Clericos Ecclesiæ sibi pleno iure subiectæ, in quibus militant omnia, quæ dici possunt de Abbate habente territorium quoad personas sui territorij. Vitalin. *in Clem. Rursus n.* 10. *de stat. Mo-*
6. *nachor.* Quo casu cessat dispositio, §. *Ad hæc*, etiam quoad dignitates sæculares, vt fuit resolutum *in causa Salamantina iurisdictionis*, coram bon. mem. Aldobrandino, sub die 1. Iulij, 1565. Quod tamen dictum fuit, per Dominos, ex abundanti, cùm ad hunc effectum
7. non requiratur territorium, cùm etiam sine eo consistat iurisdictio in personis. Bart. *in l.* 1. *ff. de iurisdictione omn. iudic.* Butr. & alij *in cap. Cùm contingat, de for. compet.* Roch. *decis.* 217. & ex vnanimi Dominorum sententia fuit in hac causa decisum sub d. die 6. Nouembris, 1596. coram Domino meo Orano.

Nec prædictis visum fuit obstare, quod dicitur de dictione taxatiua, *tantùm*: quia illa intelligitur respectu Decani, Archidiaconi, & aliorum inferiorum sæcularium similium; non autem respectu Abbatis, in hac Ecclesia pleno iure sibi subiecta habentis similem iurisdictionem cum Episcopo, ad notata per Bald. *in l.* 1. *n.* 4. *C. de bon poss. contra tabul.* Curt. sen. *cons.* 75. *n.* 14. Cephal. *cons.* 257. *n.* 24. *lib.* 2. 8.

Nec etiam obstat, quòd in cognitione causarum criminalium veniat aliquando imponenda pœna degradationis: quia non ideo Abbas redditur incapax huius iurisdictionis, qui prout alij Iudices criminales potest imponere pœnam degradationis, licèt actus ipsius degradationis sit postea faciendus ab Episcopo. Gloss. *in c. Cum & plantare, in verb. pleno iure*, & *ibi* Host. Butr. *num.* 27. & alij *de priuileg.* Vltra quod hæc ratio militat quoque in Decano, & Archidiacono habente proprium territorium, & immemorabilem, quos sub hoc decreto non comprehendi sæpiùs resolutum fuit, tam per illustriss. DD. Sacri Concilij Interpretes, quàm etiam in Rota, in quampluribus causis. Et tamen indubitatum est, non posse degradare, *cap. Degradatio, de pœn. in* 6. *c.* 1. *de Heret. eod. lib.* Berof. *in cap.* 1. *sub n.* 26. *de reb. Eccles. non alienan.* &c. 9. 10. 11.

R. P. D. PENIA.

Calaguritana iurisdictionis, Veneris, 4. *Iuly*, 1604.

ARGVMENTVM.

Monasterium esse in aliqua diœcesi, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, qui non sunt Nullius, non possunt approbare Confessarios ad sæcularium Confessiones audiendas, nec dare licentiam regularibus concionandi in alijs, quàm suorum Ordinum Ecclesijs: sed hæc spectant ad Episcopum, intra cuius diœcesis fines existunt.*

2 *Monasterium esse in diœcesi, ex quibus probetur.*

3 *Fines probantur præsumptionibus, & coniecturis.*

Decisio XLV.

Cvm Abbates Monasteriorum Sanctæ Mariæ de Nogera, & S. Æmiliani darent licentiam suis Monachis Sacerdotibus, & etiam Presbyteris sæcularibus oppidorum de Nagera, & S. Æmiliani audiendi confessiones sacramentales, & prædicandi verbum Dei; & d. Episcopus Calaguritanus, vt ab eo desisterent, monuisset Abbates, quoniam vigore Concilij Trident. *sess.* 1. *cap.* 2. & *sess.* 23. *cap.* 15. & *sess.* 24. *cap.* 4. iurisdictio ad illos non pertinebat; & Abbates non desisterent; Episcopus Sacram Congregationem Concilij Tridentini consuluit, quæ consulta respondit: Si huiusmodi Abbates non sunt nullius diœcesis, ius approbandi Sacerdotes ad confessiones personarum sæcularium audiendas, atque licentiam concedendi Regularibus, qui in aliis, quàm suorum Ordinum Ecclesiis sacras conciones sunt habituri, ad ipsos nullo modo pertinere; sed tantùm ad Episcopum, intra cuius diœcesis fines existunt. 1.

Quare dato dubio, an Monasteria Sanctæ Mariæ de Nagera, & S. Æmiliani essent intra limites diœcesis Calaguritanæ, atque Episcopo tantùm informante proposito, Rota censuit, infra limites existere.

Primò, ex assertione testium ita affirmantium. Secundò, ex confessione Monachorum contenta in commissione, vbi Abbas Monasterij Sanctæ Mariæ de Nagera, semel & iterum nominatur Calaguritanæ diœcesis. Tertiò ex pluribus decisionibus Rotalibus. Verall. *dec. 57. par. 1 & in princ.* vbi agitur de eadem Capellania S. Crucis contenta in prædicta commissione de Monasterio Sanctæ Mariæ de Nagera: licèt ibi sit mendum *in decis.* Verall. nam pro *Nagera*, impressum est *Mayera*. Item, ex alia coram D. meo Patriarcha, die 3. Iunij, 1591. Item, ex alia in causa Calaguritana beneficij de Nagera, die 7. Maij, 1590. coram bon. mem. Orano: ex quibus sine controuersia patebat receptum, quòd ista Monasteria sunt de diœcesi Calaguritana. Et ad istum effectum istas pro-
1. bationes censuit Rota sufficientes, cùm sufficiant præsumptiones & coniecturæ. *c. Cum causam. il. 3. de probat.* Felin. *num.* 14. Dec. *num.* 3. Idem Dec *cons.* 42. *num.* 10. & *cons.* 109. *n.* 20. Guido Pap. *decis.* 193. Paris. *cons.* 104. *num.* 24. *lib.* 1.

R. P. D. ORTEMBERGO.

Calaguritana iurisdictionis, Luna, 26. Iuny, 1604.

ARGVMENTVM.

Abbates, qui non sunt Nullius, non possunt approbare Confessarios ad sæcularium confessiones audiendas, nec dare licentiam Regularibus concionandi in aliis, quàm suorum Ordinum Ecclesiis; sed hæc spectant ad Episcopum, intra cuius diœcesis fines existunt. Et quando Abbates dicantur Nullius, vel esse in diœcesi.

SVMMARIVM.

1. *Confessarios ad sæcularium confessiones audiendas approbandi ius, ac etiam concedendi licentiam Regularibus, qui in aliis, quam suorum Ordinum Ecclesiis conciones sunt habituri, non spectat ad Abbates, qui non sunt nullius diœcesis; sed ad Episcopum, intra cuius diœcesis fines existunt.*
2. *Testes numero plures, magis concludentes in dicto, ac habentes pro se iuris præsumptionem, præualent aliis.*
3. *Monasteria omnia de iure præsumuntur esse in aliqua diœcesi.*
4. *Abbatia, vt non dicatur esse in aliqua diœcesi, sed Nullius; quæ requirantur.*
5. *Prælatus Ecclesiæ Collegiatæ, licèt subsit Episcopo; est tamen Ordinarius in plebe sua.*
6. *Territorium separatum, & propriam diœcesim solus Papa concedere potest ex priuilegio.*
7. *Locus exemptus, licet non sit de iurisdictione Episcopi; est tamen de diœcesi.*

DECISIO XLVI.

IN præsenti causa fuerunt factæ duæ decisiones coram R. P. D. Decano, contra Abbates, & Monasteria Sanctæ Mariæ de Nagera, & Sancti Æmiliani, Ordinis S. Benedicti, in fauorem D. Episcopi Calaguritani, fundatæ potissimùm in decretis Sacri Concilij Tridentini *sess. 5. cap. 2. sess. 23. cap. 15. & sess. 24. cap. 4. de reformat.* necnon in declaratione S. Congregationis eiusdem Sacri Concilij, quæ con-
sulta respondit: Si Abbates non sunt nullius diœce- 1.
sis, ius approbandi Sacerdotes ad confessiones personarum sæcularium audiendas atque licentiam concedendi Regularibus, qui in aliis quàm suorum Ordinum Ecclesiis sacras conciones sunt habituri, ad ipsos nullo modo pertinere; sed tantùm ad Episcopum, intra cuius diœcesis fines existunt. Et quamuis prædictis decisionibus ex multis fundamentis ostensum fuerit huiusmodi Abbatiam esse intra limites diœcesis Calaguritanæ; ad eam tamen oppugnandam, exhibiti fuerunt testes, tam pro Monasterio Sancti Æmiliani, quàm pro Episcopo examinati, qui, enumeratis omnibus limitibus Monasterij, deponunt illos distinguere Abbatem, eiusque districtum, & iurisdictionem ab Episcopatu Calaguritano. Summario Abbatis *num.* 1. Similiter duo testes ex parte Episcopi, ac alij pro parte Abbatis examinati deponunt, Abbatem in locis sui territorij exercere iurisdictionem spiritualem priuatiuè quoad Episcopum. Quibus non obstantibus, Domini firmiter persisterunt in decisis: testes enim pro Episcopo examinati præualent numero, & magis conclu-
dunt in dicto; tum etiam, quia habent pro se iuris 2.
præsumptionem, quòd Monasteria sint in aliqua 3.
Diœcesi, *cap. Omnes Basilicæ.* 16. *q.* 7. & accedunt plura adminicula, & probationes, quæ in decisionibus D. mei decani copiosè deductæ, breuitatis causa omittuntur.

Nec obstaret, si probaretur, Abbatem habere 4.
certos limites: quia inde non sequeretur, illum non esse in diœcesi Calaguritana, cùm ad hunc effectum non sufficiat, habere aliquem districtum separatum, vbi possit exercere iurisdictionem: illud
enim generaliter traditur quòd quilibet Prælatus 5.
collegiatæ Ecclesiæ, licèt subsit Episcopo; est tamen Iudex ordinarius in plebe sua. *cap. Cum ab Ecclesiarum & ibi Gloss.* 1. *de off. Iud. ordin.* Sed necesse est, vt tanquam territorium proprium ad eum spectet; ita vt faciat terminum separatum à prouincia, in qua est. Abb. *in cap. Nimis. num.* 1. *vers. Hæc
vera de iur. iuran.* & quòd habeat omnia iura episco- 6.
palia ex priuilegio Papæ, qui solus potest hoc concedere. Abb. *in c. Cum contingat. num.* 18 *de for. comp.* post Ioan. And. *in c. Cum Episcopus. de off. Ord. in* 6. Quod in proposito non fuit probatum: nullus enim ex testibus Abbatum de hoc vel vnum dicit verbum, nec profertur aliquod instrumentum, aut
dispensatio apostolica, quæ hoc dicat. Et sic habet 7.
locum, quod tradit Felin. post alios *in c.* 17. *Graue. num.* 20. *vers. Sed Dominicus non aduertit. de off. Ord.* quòd, licèt locus non sit de iurisdictione Episcopi, tamen est de territorio, & diœcesi. Et cessat difficultas quoad effectus, de quibus agitur: non enim est dubium, quin Concilium Tridentinum legitimè congregatum, & confirmatum à Sede apostolica habeat iurisdictionem: quare illius dispositiones, & decreta, quæ annuunt, diœceses afficiunt, vt videmus; siquidem Papa imponit decimas, vel alia onera in diœcesi Calaguritana, quæ subsidiaria vocantur, & includuntur etiam hi Abbates. Et hæc distinctio inter exemptos, & Nullius constituitur ab eod. Conc. *sess.* 24. *cap.* 9. cum ibi loci exempta per Episcopum, de cuius diœcesi sunt; quæ verò Nullius diœcesis esse dicuntur, per viciniorem, vt apostolicæ Sedis delegatum, permittit

visitare,

visitare, vt fuit dictum *in Volaterranen.iurisdictionis*, cotam bón. mem. Brauo, quæ est *diuers. decis.* 207. *num.*2.*&* 3.*parte* 2.

R. P. D. ORTEMBERGO.

Calaguritana, seu Nullius iurisdictionis. Veneris, 16. Iuny, 1606.

ARGVMENTVM.

Locus quando dicatur exemptus, & Nullius diœcesis: & quando dicatur esse in diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria omnia præsumuntur esse de aliqua diœcesi.*

2 *Locus in dubio censetur esse de iurisdictione illius ciuitatis, vel diœcesis, cuius finibus magis adiacet, præcipuè quando non apparet de iure alterius.*

4 *Episcopus habet intentionem fundatam, quod territorium sit in sua diœcesi, vbi ostendit exercitia multorum actuum, & iurium episcopalium in eodem territorio.*

5 *Exemptio denotat, locũ exemptum esse in diœcesi.*

6 *Exemptio liberat à iurisdictione, non autem à situatione.*

7 *Ennunciatiua antiqua non modicam faciunt probationem in materia confinium, & situs locorum.*

8 *Ennunciatiua non probant etiam inter easdem partes quando principaliter agitur de veritate ennunciati.*

9 *Confines probantur etiam per indicia, & leuiores probationes.*

10 *Confines probantur ennunciatiuis.*

11 *Fama publica resultat ex ennunciatiuis in publicis instrumentis celebratis diuersis temporibus, inter diuersas personas, & à diuersis Notarijs, & idem attestantibus.*

12 *Fama publica sufficit in antiquis ad probationem perfectam, saltem concurrentibus adminiculis.*

13 *Assertioni Papæ narrantis factum proprium, vel alienum secum gestum, creditur.*

14 *Episcopus, quoad Monasteria sita intra suam diœcesim, habet intentionem fundatam de iure communi exercendi iura episcopalia; & onus probandi contrarium spectat ad Monasteria.*

15 *Prælatus inferior prætendens habere iurisdictionem in loco, tantum obtinet, quantum probat se exercuisse.*

16 *Libertatem propriam nemo præscribere potest; sed alius, cuius nomine ipsam allegat.*

17 *Abbas Monasterij exempti aliquando habet sub se aliqua membra, Ecclesias, vel capellas non exemptas.*

18 *Exempti à Papa, vbi exemptio est plena, non tenentur ad ius reuerentiale Episcopi.*

19 *Populus vbi non est pleno iure exemptus, Religiosi habent institutionem collatoriam quoad titulum; sed institutio authorizabilis quoad curam populi pertinet ad Episcopum.*

20 *Papa solus concedere potest, vt Abbates in nulla diœcesi existentes pleno iure episcopalem iurisdictionem exerceant, & suas diœceses habeant.*

21 *Abbas non potest quærere territorium separatum ab Episcopo, ita vt faciat caput in eadem diœcesi sed benè potest quærere sub Episcopo, vt Episcopus habeat vniuersalem iurisdictionem, saltem habitu, & Prælatus inferior habeat quasi sub eo, licèt exercitio excludatur Episcopus.*

DECISIO XLVII.

PRoposui dubium reseruatum 19. Ianuarij, 1605. an Monasterium habeat confines cum diœcesi Burgensi, non vt pars, & membrum diœcesis Calaguritanæ; sed vt prouincia, & diœcesis propria, & territorium separatum, cuius effectus erat inquirere, an Abbas, vel potiùs Episcopus in territorio illius Monasterij licentiam prædicandi, & audiendi confessiones personarum sæcularium, tam regularibus, quàm aliis Sacerdotibus concedere debeat, iuxta decreta Concilij Tridentini *sess.*5. *cap.*2. *sess.*23. *cap.*15. & *sess.* 24 *cap.*4. *de reform.* & *sess* 25.*c.*11. *de regul.* atque declarationem Congregationis eiusdem Concilij. Et Domini resoluerunt, illud esse in diœcesi Calaguritana, non autem in nulla: nam omnia Monasteria præsumuntur 1. esse de aliqua diœcesi, *cap. Omnes Basilicæ.* 16.*q.*7. *cap. Cùm persona. de priuil. in* 6. Felin. *in cap. Grauı. n.*2. *vers. Quod non sit dare locum de offic. Iud. ordin.* & fuit dictum *in hac causa*, 26. Iunij, 1604.

Non obstat, quòd secundùm hanc præsumptionem, non minùs possit dici esse in diœcesi Burgensi, quàm Calaguritana, cùm iam decisum fuerit habere fines, cum diœcesi Burgensi, ab vna parte: quia pro resolutione succedit altera iuris præsumptio, quòd in dubio locus censetur esse de iurisdictione illius ciuitatis, 2. vel diœcesis, cuius finibus magis adiacet. §. *Insulæ, il* 1. *instit. de rerum diuis. l. Adeò.* §. *Insula. ff. de acquir. rer. domin.* Abb. *in cap. Super eo. n.*5. *de Parochis*, Bald *in. cap Cum olim. n.*1. *de præscript.* Alex. *in addit. ad Barthol. in l. Si conuenerint. la* 2. §. *Si nuda. ff. de pign. act.* Hier. de Mont *in tract. de fin. cap.* 30. *n.*9. *&* 10. & *cap.* 83. *num.* 2. quæ præsumptio faciliùs procedit, quando non apparet de iure alterius, argum. 3. text. *in cap.*1. *de relig. Dom.* Crauet. *cons.*78. *num.* 4. & in proposito Archiepiscopus Burgensis nunquam contendit, Monasterium Sancti Æmiliani esse in sua diœcesi; sed tantum Episcopus Calaguritanus, 4. qui cùm ostendat exercitia multorum actuum, & iurium episcopalium, habet fundatam intentionem, quòd territorium sit in sua diœcesi, *dicto cap.* 1. *de relig. Dom.* vbi Panorm post Innoc. *num.* 3. & *cons.*62. *n.*13. *lib.*2.

Item Abbates Sancti Æmiliani solent vocari ad Synodum diœcesanam, Calaguritanam: & quamuis in diœcesi Calaguritana bon. mem. Oradinus 4. Iulij, 1572. respondetit illum potuisse interuenire, vt exemptum, tamen hoc sufficit ad effectum, de quo agitur: quia exemptio denotat esse in diœcesi, *cap. fin.* & *ibi* 5. Franch *num.*10. *& seqq.* Gemin. *num.*17 *de constit. in* 6. *cap. Episcopus. de offic. Ordin. eodem. lib.* 6. ibique Franc. *in* 2. *not.* & Gemin *num.*3. Gloss. *in verb. Primo anno, in Clem. Frequens. de excessib. Prælat.* & *ibi* Vital. *num.* 127. & idem *in Clem.*2. *num.*4 *& seq. de priuil.* Abb. *in cap. Apostolicæ. n.* 3. *de donat.* & fuit dictum *in Volaterrana iurisdictionis*, 14. Ianuarij, 1581. coram bon. mem. Brauo, quæ est *diuers.* 207 *par.* 2. Idémque ea ratione probatur: quia, si non est in diœcesi, frustrà impetraretur priuilegium exemptionis. Gemin. *in d. cap. Cum Episcopus. de offic. Ordin. art.* 6. Tale autem priuilegium solùm eximit à iurisdictione; 6. non autem à situatione, & denominatione, Vital. *d. Clem.*2. Franc. *d. cap.*2. §. *Statuto. vers. Sed aduerte. de constitut.*

Deinde adducebantur pro Episcopo quamplures
enunciatiuæ antiquæ diuersorum instrumentorum,
quorum pleraque fuerunt compulsata ex Archiuio
Monasterij,& partim emanarunt ab ipsius Abbatibus,
& Monachis in mandatis, commissionibus & rescri-
ptis apostolicis, partim etiam inter ipsas partes fue-
runt prolatæ in compromissis, & causis inter ipsas
agitatis. Huiusmodi autem enunciatiuæ antiquæ
7. non modicam faciunt probationem, præsertim in
materia confinium,& situs locorum, cap. Cum cau-
sam.de probat.vbi Abb.in 2 notab Felin.num 1. Gloss.
in cap.Cùm olim in verb. Instrumentum. de censibus,
cap. Illud. de præsumpt. Gloss.in cap. Scrìcs. in verb o,
Instrumentorum,de testib. not.in l.Nuda ff.de donat.
Abb.d conf 62. num.11. lib.2. Aret.conf.42. numer.2.
& 3.
8. Non obstat, quòd enunciatiuæ non probant etiam
inter easdem partes, cùm principaliter agitur de ve-
ritate enunciati. Alex. conf.136. num.11.lib.1.Decian.
conf.348 in fin. Paris.conf.84.num.19.lib.1.Put decis.
361.num.3. lib.1.& fuit dictum 4.Maij, 1598.in Lu-
cana,seu nullius iurisdictionis. coram illustrissimo Se-
9. raphino: quia speciale est in confinibus, quod pro-
bentur etiam per indicia, & leuiores probationes,
10. dict.cap.Cum causam. de probat. & ideò sufficit pro-
batio, quæ resultat per verba enunciatiua. Gloss.
in cap. Si Papa in verb. Probata. de priuil in 6. Bart.
in l. Cùm aliquis numer. 2. C. de iure delib. Paris.
conf.104.num er. 24. lib. 1. præsertim cùm si iura in-
11. structa diuersis temporibus inter diuersas personas,
& à diuersis Notariis facta, & idem attestantia,
ex quibus resultat publica fama, Caputaquen. de-
cis.344. numer.2. part.3. Decian. conf.40. numer. 31.
12. vol. 4. quæ sufficit in antiquis ad probationem per-
fectam saltem concurrentibus adminiculis, l.Proprie-
tatis. Cod. de probat. Gloss. in l. Antiquæ naturæ. §.
Cum in rem absente. in verb. Constat. ff. de negot.
gest.

Denique pro Episcopo allegabatur Bulla Alexan-
dri IV. de anno 1256. impressa in libro Priuilegio-
rum Religionis Sancti Benedicti, in qua, etsi Pon-
tifex recepit Monasterium Sancti Æmiliani sub pro-
tectione Sancti Petri, & Pauli, & sua;tamen in ea ex-
pressè dicitur, quòd existit in diœcesi Calaguritana
cùm clausula, salua diœcesana Episcopi canonica iu-
13. stitia. &c. Huiusmodi autem assertioni Papæ est cre-
dendum,cùm narret factum proprium,vel saltem alie-
num secum gestum. Clem.vnica.& ibi Imol.ad fin. de
probat cap.Cum à nobis.vbi Bart.num.3.Abb.& Felin.
num.1.de testibus. Paris.conf.15.num.19 lib.1. Fuit di-
ctum in Salamantina iurisdictionis.17.Maij,1577.co-
ram Illustrissimo Seraphino, & in Legionensi iurisdi-
ctionis de Saldaria,23.Iunij,1589 coram Illustrissimo
14. Nitro, ex quibus cùm probetur,Monasterium Sancti
Æmiliani existere in diœcesi Calaguritana, intentio
Episcopi remanet fundata de iure cómuni,c. Cùm Ve-
nerabilis.de relig. Domib. Anchar. conf.310.n.5.Paris.
conf.95.lib.4.& onus probandi contrarium transfertur
in Monasterium: & quidem per fortiores probatio-
nes cum in contrarium vrgeant tot præsumptiones iu-
ris,& probationes.Crauet conf.198.n.3.& fuit dictum
in dicta Volaterrana iurisdictionis,in fine.

Non obstant argumenta pro Monasterio adducta:
& primum sententia anni 1246. quæ adiudicat Mo-
nasterio Ecclesias quasdam parochiales, absque vlla
controuersia, in diœcesi Calaguritana,satis quoad iu-
ra institutionis, destitutionis, subiectionis, correctio-
nis, & reformationis: qua sententia stante Sacra
Congregatio Concilij Tridentini Interpretum decla-
rasse dicitur Ecclesias parochiales, etiam existentes in
diœcesi Calaguritana, ad Monasterium Sancti Æmi-
liani spectantes, esse nullius: responsum enim fuit de
bis Ecclesiis nunc non agi; & si ageretur, declaratio-
nem fundari in falsis præsuppositis, quasi Episcopo
Calaguritano ius reuerentiale in totum esset ablatum,
& abdicatum,de quo, neque in sententia, neque in
confirmatione fit mentio, vltrà quòd in illis Eccle-
siis extra territorium Sancti Æmiliani sitis, non po-
test fieri illatio ad ipsum Monasterium, & Eccle-
sias in eius territorio constructas: quia Prælatus in- 15.
ferior prætendens habere iurisdictionem in loco,tan-
tùm obtinet, quantùm probat se exercuisse, cap. Au-
ditis. & cap. Cum.olim. de præscript. Gloss. & Bald in 16.
l.1.§.Si quis,ff.de itin.aut priuat. Et nemo potest præ-
scribere suam propriam libertatem; sed alius, cuius
nomine ipsam allegat. Gloss.in cap.Auditis.in verbo,
Ius, de præscript. Et è conuerso Abbas Monasterij 17.
exempti aliquando habet sub se aliqua membra. Ec-
clesias, vel capellas non exemptas, cap. Cùm capel-
la. cap. Cùm. ex ore.de priuil.Soc.iun in c.Recepimus. 18.
num.6.vers. Secundò fallit. eodem tit. Nec facit, quòd
exempti non teneantur ad ius reuerentiale Episco-
pi, vbi sunt exempti à Papa, & exemptio est plena.
Put.decis.115.lib 3. quia, etsi Ecclesia est pleno iure
exempta; tamen si populus non est pariter exemptus, 19.
tunc Religiosi habent institutionem collatoriam; &
sic, quoad titulum: sed authorizabilis institutio,
quoad curam populi pertinet ad Episcopum,cap. vni-
co.de capel.Monach.in.6.cap.Cùm & plantare.de pri-
uil.& ibi Abb.num.6. vers. Vltimo casu & Soc. n.23.
Et fuit dictum in Pampilonen.de stella,14.Decembris,
1598.coram Illustrissimo Card. Seraphino, & in ea-
dem,28.Februarij, 1600. coram Illustrissimo Pamphi-
lio. Propterea Concilium Tridentinum. sess. 25. c.11.
de Regular.solùm excipit Monasteria, seu Domos, in
quibus Abbates habent iurisdictionem episcopalem,
& temporalem, & non solùm spectat modò Eccle-
siæ reipsa in diœcesi sint, etiamsi quouis modo exem-
ptæ dicerentur; & vt expressiùs loquitur cap. 10.
sess.23. & cap. 9. sess. 24. etiamsi nullius diœcesis esse
dicantur, indemnificare potest per æquiparationem,
& fictè,non verè. Franc.in d. cap.2.§. Statuto. de con-
stit.in 6. Etsi aliter dicendum foret,si Abbates in nul- 20.
la diœcesi existentes pleno iure episcopalem iurisdi-
ctionem exercerent, & suas quoque diœceses habe-
rent: quo casu Concilium dicta sess.25.cap.2. conce-
dit Metropolitano, vt sicut supplet negligentias suo-
rum Suffraganeorum in prouincia sua; sic etiam pos-
sit visitare Ecclesias talium Abbatum: hoc autem so-
lus Papa potest concedere ex priuilegio speciali, Ho-
stien. in cap. Cùm contingat. de for.compet. num.1. &
Panormitan.ibidem,num.18.vbi distinguunt,quòd aut 21.
Abbas vult quærere territorium,vt separatum ab Epi-
scopo, ita vt faciat caput in eadem diœcesi,& non est
possibile;aut vult quærere sub Episcopo,vt episcopus
habeat vniuersalem iurisdictionem, saltem habitu; &
Prælatus inferior habeat quasi sub eo, licèt exercitio
excludatur Episcopus, & hoc fieri posse admit-
tunt, cum quibus consensit Calder. conf. 2. de præ-
script.

Non obstat, quòd vt asseritur, &c. quia de iure
communi omnia Monasteria sunt alienius diœcesis,
& nominatim Monasteria Sancti Benedicti
ex sui primæua constitutione sunt
subiecta Ordi-
nariis.

R. P. D.

P. P. D. ORTEMBERGO.

Calaguritana, seu Nullius iurisdictionis, Mercurij, 7. Februarij, 1608.

ARGVMENTVM.

Remissoria conceditur, ad probandum, Abbati competeri iurisdictionem quasi episcopalem cum territorio, etiam ex consuetudine immemorabili: & sufficit fumus resultans ex Historiis, & Chronicis antiquis; necnon ex testibus ad perpetuam rei memoriam examinatis.

SVMMARIVM.

1 *Causa profana censetur qualibet, qua non sit beneficialis ad effectum concedendi remissoriam.*

2 *Remissoria conceditur sine fumo, in causa profana, vbi articuli sunt releuantes. Et satis est, si vnus tantùm sit releuans; maximè in secunda instantia, oppositione remota.*

3 *Monasteria omnia regulariter censentur esse alicuius diœcesis.*

4 *Remissoria non conceditur absque fumo, etiam in causa profana, vbi ius resistit.*

5 *Fumus sufficiens pro remissoria resultat ex Historiis, & Chronicis antiquis, quibus multùm deferri solet.*

6 *Testes examinati ad perpetuam rei memoriam, dant fumum per remissoria.*

7 *Abbatia habens territorium distinctum, vnà cum iurisdictione quasi episcopali, est verè, & realiter Nullius, etiamsi territorium illius sit circundatum limitibus Episcopatus.*

8 *Articulus, quod ex consuetudine immemorabili competat Abbati iurisdictio quasi episcopalis cum territorio, est releuans pro remissoria.*

DECISIO XLVIII.

1. DOmini resoluerunt, dandam esse remissoriam:
versamur enim in materia profana, qualis ad
hunc effectum censetur quæcunque, quæ non est be-
neficialis. Vetall. *decis.* 44 *part.* 1. Quo casu nec fumus
requireretur, dummodo articuli sint releuantes. Ve-
2. rall. *decis.* 68. *par.* 3. Chisan. *decis.* 164. Imò etiamsi vnus
tantùm esset releuans, Cassad. *decis.* 5. *num.* 2. *& vlt. de
sequestrat poss. & fruct.* Cæs. de Grass. *decis.* 1 *num.* 9. *&
seq. de dilat.* quæ omnia eò magis procedunt, quia su-
mus in secunda instantia appellatione remota. Quate-
3. nus autem dicebatur, omnia Monasteria regulariter
esse alicuius diœcesis, *cap. Omnes Basilica.* 16. *quæst.* 7.
ac propterea stante iuris resistentia requiri fumum, li-
4. cèt causa sit profana, Cæs. de Grass. *decis.* 1. *de dilat.*
num. 10. Chisan. *dicta decis.* 164. Thom. de Thanis
decis. 86. Respondebatur, sufficientem dari fumum ex
5. Historiis, & Chronicis, quibus propter antiquitatem
multùm deferri solet, iuxta not. *in cap. Inter dilectos.
de fid. instrumentorum*: & ibi Gloss. *in verb. Magis.*
& Felin. *num.* 12. Idem Felin. *in cap.* 2. *num.* 49. *&
seq. de rescript.* Bart. *in l.* 1. *num.* 21. *ff. si cert. pet.* Goz-
6. zad. *cons.* 8. *num.* 4. Natt. *cons.* 656 Accedunt deposi-
tiones testium ad perpetuam rei memoriam exami-
natorum. Cassad. *decis.* 3. *n.* 2. *de dilat.*

Inter articulos autem, duo potissimùm visi fue-
runt releuantes, vnus, quod Ecclesia Nagerensis fuit
Cathedralis: & postquàm facta est monasterialis, reti-
nuit territorium distinctum vnà cum iurisdictione 7.
quasi episcopali: qua probatione stante, sequereretur
quòd esset iure, & realiter Nullius, etiamsi territorium
illius sit circundatum limitibus Episcopatus Caligu-
ritani. *Clem.* 1. *§. Volumus. in verb. Diœcesanis* vbi Pa-
normit. *n.* 15. Card. *n.* 2. *vers. Quartò, quæro.* Vitalin.
num. 4. *de fer. compet.* Franch. *in cap.* 2. *§. statuto,
n.* 10. *in fin. de constit. in* 6. Rol. à Valle *cons.* 33. *per tot.
lib.* 3. Et fuit dictum *in Volaterana iurisd.* 14. Ianua-
rij, 1581. coram bon. mem. Brauo, quæ est *diuers.* 207.
part. 2.

Alter articulus releuans videbatur de consuetudi- 8.
ne immemorabili exercendi iurisdictionem diœcesa-
nam priuatiuè ad Episcopum Calaguritanum, vt fuit
consideratum *in hac eadem causa*, 3. Iulij prædicti, co-
ram me. Non obstat sententia lata de anno 1566. &
concordia inita de anno 1414. inter Episcopum Cala-
guritanum & Abbatem: quia de iuribus vtriusque, &
aliis, negotium principale concernentibus, suo tem-
pore videbitur.

R. P. D. ORTEMBERGO.

Calaguritana iurisdictionis de Nagera, Lunæ, 6. Iunij, 1611.

ARGVMENTVM.

Confessarij ad sæcularium Confessiones audiendas, ab alio, quam Episcopo approbari non possunt. Et an sufficiat approbatio Abbatis habentis territorium separatum.

SVMMARIVM.

1 *Confessiones sæcularium nemo audire potest, nisi approbatus ab Episcopo, non obstante consuetudine immemorabili, n.* 3.

2 *Manutentio datur ex sola iuris assistentia, absque alia probatione possessionis.*

4 *Abbas donec potest probare, se habere territorium separatum, an sit priuandus sua quasi possessione.*

5 *Episcopus est manutenendus in cognitione causarum matrimonialium, & criminalium; donec inferior per tres conformes immemorabilem probet.*

6 *Ab exemptione personarum ad exemptionem loci illatio fieri non potest,*

7 *Sententiæ verba sunt stricti iuris, & non debent plus operari, quam de necessitate importent.*

DECISIO XLIX.

STrictè proposito dubio, an Episcopus Calagurita-
nus sit manutenendus in approbandis Confessariis
Ecclesiarum Sanctæ Crucis, & S. Michaëlis oppidi
Nagera, in quarum Ecclesiarum Clericos, & Capella-
nos Abbati S. Mariæ, Ordinis Sancti Benedicti, com-
petit iurisdictio; priuatiuè Domini pro Episcopo re-
sponderunt: nam decretum Concilij Trid. *sess.* 23.
cap. 15. *de reformat.* disponit, quòd nemo admitti 1.
possit ad confessiones sæcularium audiendas, nisi ap-
probatus ab Episcopo, ita quòd assistentia iuris est
clara, propter quam datur manutentio absque alia pro- 2.
batione possessionis, vt *in cap. Cum persona. de priui-
leg. in* 6.

Non obstant in contrarium adducta: quod enim 3.

attinet ad immemorabilem, illa non est probata, & probata non releuaret, vtpote sublata per Concilium.

Quòd Abbas sit nullius dioecesis, ideoque ipse possit suos Clericos, & Cappellanos ad audiendas cōfessiones approbare, fuit decisum 4. Iolij, 1603. & 16. Iun. 1604. coram R. P. D. meo Decano, & 26. Iun. eiusdem anni, & nouissimè 5. Maij, 1608. coram me, Monasterium esse in eadem dioecesi Calaguritana. Hinc est, quòd iam ante aliquot annos Illustrissima Congregatio Sacri Concilij Interpretum respondit, eos, qui approbandi sunt ad confessiones in Ecclesiis Abbati subiectis, ab ipso Abbate offerri debere Episcopo, etiam cum præsupposito, quòd Abbas habeat iurisdictionem quasi episcopalem priuatiuè ad Episcopum.

4. Nec facit, quòd, donec Abbas probare potest, se habere territorium separatum, non debet sua quasi possessione priuari, vt in *Conchensi iurisdictionis*, 9. Decembris, 1592. coram Illustrissimo Cardinali Mantica: quia loquitur in casu specialiter præseruato à Concilio, & in quo ius commune non refragabatur; quin potius suffragabatur, vt in ea dicitur. Hic autem ius refragatur, tam quoad approbationem Confessorum, quàm quoad statum nullius dioecesis, vltrà quòd

5. mens, & verba Concilij stant pro Episcopo: qua ratione Illustrissima Congregatio, Sacri Concilij Interpretes in causis matrimonialibus, & criminalibus, in quibus Concilium non sustulit immemorabilem, declarauit, Episcopum manuteneri debere in earum cognitione, donec per tres conformes inferior immemorabilem probet. Et secuta est Rota *in Baren. [illegible]*, 15. Maij, 1608. coram R. P. D. Coc-[illegible]

Postremò, quod attinet ad sententiam arbitralem Roberti, à S. A. confirmatam, in ea nullum legitur verbum de approbatione Confessorum: & dum loquitur de iurisdictione competenti Abbati, potest

6. intelligi de iurisdictione contentiosa, non de voluntaria. Nec potest fieri illatio ab exemptione Cleri-

7. corum ad exemptionem loci; præsertim cùm verba sententiæ sint stricti iuris, nec debeant plus operari, quàm de necessitate important, vt in terminis istius sententiæ fuit dictum *in hac causa*, 12. Ianuarij, 1609. coram me, &c.

R. P. D. FRANCISCO Vbaldo.

Calaguritana iurisdictionis de Nagera, Veneris, 22. May. 1615.

ARGVMENTVM.

Episcopo datur manutentio quoad approbationem Confessariorum ad sæcularium Confessiones audiendas, ex sola assistentia priuatiuè quoad alios inferiores; non obstante priuilegio quolibet, vel consuetudine immemorabili.

SVMMARIVM.

1. *Exemptio præsupponit, Monasterium esse in dioecesi.*
2. *Episcopus habet intentionem fundatam de iure communi quoad approbationem Confessariorum, in omnibus locis dioecesis.*
3. *Confessiones sæcularium à nemine audiri possunt, nisi sit approbatus ab Episcopo, quocunque priuilegio, & consuetudine etiam immemorabili non obstante.*
4. *Manutentio competit Episcopo ex sola iuris assistentia, absque alia probatione possessionis.*
5. *Assistentia iuris non suffragatur ad manutentionem, quando est turbida, sed tunc omisso iudicio possessorio Rota aggreditur petitorium.*
6. *Quasi possessio iurisdictionis non acquiritur ab inferiore, absque scientia, & patientia Episcopi.*
7. *Confessarios, si probetur, habuisse licentiam ab Abbate audiendi Confessiones sæcularium; non inde infertur, quod non habuerint etiam ab Episcopo.*
8. *Ius quæsitum vigore concordiæ, vel sententia à Sede apostolica confirmata, non censetur [illegible]tum per nouam legem derogantem quibuscunque priuilegiis, ac consuetudini, etiam immemorabili; nisi sententia se fundet in priuilegio, & immemorabili, n. 9.*
10. *Iura episcopalia Papa solus concedere potest.*

DECISIO L.

Fverat in hac causa resolutum vsque de anno 1611. die 6. Iunij coram Domino Attrebatensi, dandum esse mandatum de manutenendo Episcopo Calaguritano, in quasi possessione approbandi Confessarios in Ecclesiis Sanctæ Crucis, & Sancti Michaelis, oppidi de Nagera: & cùm pro parte moderni Episcopi instaretur pro relaxatione dicti mandati, Abbas D. Mariæ de Nagera, Ordinis Sancti Benedicti, aduersarius petiit, & obtinuit iterum audiri, super eisdem; Et Domini vnanimiter persticterunt in decisis; fuit enim per plures decisiones firmatum, dictum Monasterium Sanctæ Mariæ de Nagera, esse in dioecesi Calaguritana, videlicet, 4. Iulij, 1603. & 16. Ianuarij, 1604. coram bon. mem. Penia; & rursus 26. Iunij eiusdem anni, & 5. Maij 1608. coram D. Attrebatensi. Et id etiam fuit pro ratione adductum coram eodem, 12. Ianuarij, 1609. Quod vlteriùs confirmabant Domini, tum ex enonciatiua Benedicti Papæ in confirmatione sententiæ Roberti, data pro parte Monasterij, in qua expressè enunciatur Prior, & Conuentus Monasterij B. Mariæ de Nagera, Cluniacensis Ordinis Calaguritanæ dioecesis: tum, quia prætensio Monasterij est fundata super priuilegiis, & exemptione, vt in dicta sententia n. 19 quæ exemptio præsupponit, dictum Monasteriū esse in dioecesi, vt benè per Rotam *decis. 107. n. 2. & 3. par. 2. diuers.* & fuit dictum *in Constantien. iurisdictionis*, 18. *May*, 1611. coram D. Attrebatensi. & *in [illegible] tina iurisdictionis*, 14. Maij, 1613. & *in eadem*, 14. Martij, 1614. coram Reuerend. Damasceno. 1.

Hoc igitur stante, quòd dictum Monasterium sit in dioecesi Calaguritana, Episcopus habet intentionem fundatam de iure communi, *c. Omnes Basilicæ. 16. q. 7. c. Cùm Episcopus, de offic. Ordinary, in 6. c. Conquerente. extr. eod. tit.* Verall. *decis. 306. par. 1.* & *dec. [illegible]. 20. part. [illegible]*. Et in specie quoad approbationem Confessorum, est text. *in Clement. Dudum. §. Ac deinde.* & *ibi* Vir. lin. & alij *de sepultur.* & est expressū in Sacro Concilio Tridentino, *sess. 23. c. 15. de reform.* cuius dispositio est clara; quòd nemo admitti possit ad confessiones sæcularium audiendas, nisi sit approbatus ab Episcopo, quocunque priuilegio, & consuetudine, etiam immemorabili, non obstante, vt fuit declaratum per Sacram Congregationem Concilij Trident. Interpretum. Et fuit dictum *in hac causa*, 26. Iunij, 1604. coram Reuerendissimo Attrebatensi. Vnde ex sola hac assistentia iuris certum est, Episcopo competere manutentionem absque alia probatione possessionis, *c. ap. Cùm personæ* 2. 3. 4.

vbi Doct. omnes *de priuil. in 6.* Veral. *decis. 706. par. 1. & decis. 201. & seq. par. 2.* Rot. *decis. 145. n. 6. p. 2. diuers.* & fuit dictum *in hac causa* 12. Nouembris, 1609. coram D. Attrebatensi, & priùs 5. Maij, 1608. *in ead. causa*, coram eodem. Et fuit resolutum *in vna Veron. iurisdictionis*, 18. Martij, 1596. coram bon. mem. Card. Pamphilio. & in aliis.

5. Nec videbatur applicari limitatio, quæ addocebatur pro Monasterio; videlicet, quòd assistentia iuris non suffragetur, quando per actus contrarios redditur turbida: & ideò sit omittendum iudicium possessorium, vt Rota seruauit in pluribus causis, & præsertim *in Lucen. seu nullius*, 9. Maij, 1598. coram Seraphino, & *in alia Montis regalis*, 4. Nouembris, eiusdem anni, coram Penia. Quia respondetur, quòd isti actus non probantur, & quatenus probarentur etiam ad inducendam immemorabilem, censentur sublati per Concilium Trident. per quod derogatur etiam consuetudini immemorabili, vt dictum est; præsertim
6. cùm Abbas non doceat ex dictis actibus acquisiuisse quasi possessionem, & sciente, & patiente Episcopo, prout requiritur *l. 2.* vbi Gloss. *C. de seru. & aqu. cap. Cum Ecclesia.* vbi Rip. *n. 64. de caus. poss. & propriet.* Put. *decis. 360. num. 10. lib. 1.* Rot. *in d. Sipuntina iurisdictionis*, 14. Martij, 1614. coram Reuerendiss. Damasceno. Et quatenus probaretur, Confessarios habuisse
7. licentiam ab Abbate; non tamen inde infertur, quòd non habuerint etiam ab Episcopo, vt in similibus terminis fuit resolutum *in vna Bononien. iuris concedendi licentiam*, 7. Iunij, 1585. coram Orano.

8. Nec obstare videbatur præcipuum fundamentum informantium pro Abbate: quia Sacrum Concilium, licèt derogauerit consuetudini immemorabili, non tamen videtur sustulisse ius quæsitum Abbati vigore concordiæ, vel arbitralis sententiæ Roberti, & à S. A. ex certa scientia confirmata, propter duplex vinculum iuxta not. *in Clement. Dudum. in verb. Pacta de sepult.* cum aliis adductis *in vna Sequntina iurisdictionis*, 27. Nouembris, 1587. coram Gypsio: quia vltra quod in dicta sententia nullum verbum legitur de approbatione Confessorum, vt iam decisum fuit co-
9. ram D. Attrebatensi, respondebatur, etiam dictam sententiam, & inde secutam confirmationem, fundari in prætensa immemorabili consuetudine, & priuilegiis, quibus cùm fuerit derogatum per Concilium, vt *supra* dictum est, sequitur: vt esset etiam quodcunque ius ex dicta sententia confirmata quæsitum, vt in simili materia fuit data declaratio Illust. Sacræ Congregationis Interpretum, *in vna Baren. iurisdictionis*, de anno 1589. *vers. Et ita in simili.*

Nec etiam obstat, quòd dispositio Sacri Concilij Trident. non procedat, vbi Abbas habet quasi iurisdictionem episcopalem: quia, quicquid sit de hoc, respondebatur, ex iuribus pro parte Abbatis non probari, eũ
10. habere simpliciter omnia iura episcopalia, si non ostẽdat priuilegium apostolicum, cùm solus Papa illa possit concedere. Abb. *in cap. Cum contingat n. 18. de for. compet.* post Ioan. Andr. *in cap. Cum Episcopus. de offic. Ordinar. 6.* & dixit Rota *in hac causa*, 26. Iunij 1604. coram Attrebatensi. Ex quibus, & aliis deductis in alis decisionibus huius causæ, & nunc per informantes, Domini perstiterunt in decisis die 6. Iunij, 1611. coram eodem Attrebatensi, &c.

EMINENT. D. CARD. IOANNE Baptista Pamphilio.

Aprutina iurisdictionis, Lunæ 19. Iunij, 1606.

ARGVMENTVM.

Manutentio in exercitio iurisdictionis datur inferiori, qui docet de sua quasi possessione legitimè acquisita; non autem Episcopo, nitenti solùm iuris assistentiæ. Nec interrumpitur quasi inferioris per actus ab Episcopo gestos, iure delegato.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur inferiori in exercitio iurisdictionis probata eius quasi possessione, cum scientia, & patientia Episcop.*

2 *Episcopi datur manutentio ex sola iuris assistentia in exercitio iurisdictionis in omnibus locis suæ diœcesis.*

3 *Assistentia non prodest Episcopo, quando inferior est in quasi possessione iurisdictionis, cui tunc & non Episcopo datur manutentio.*

4 *Actus iurisdictionales gesti per Episcopum de recenti, præsumuntur clandestini, & turbatiui, & non impediunt manutentionem inferiori, de cuius anteriori possessione constat.*

5 *Visitatio facta vigore Concilij Trident. non suffragatur Episcopo ad acquirendum quasi possessionem iurisdictionis.*

DECISIO LI.

SOlo Capitulo informante, fuit dictum, ei dandum esse mandatum de manutenendo in quasi possessione iurisdictionis, ac iuris visitandi, & conferendi beneficia in castris Nereti, & Turani, de quibus agitur: quia de illius possessione constat ex testi- 1.
bus, qui dicunt, Capitulum Ecclesiæ Aprutinæ à 50. annis, & ampliùs, & à toto tempore sui recordatus, ac etiam de auditu a maioribus, fuisse, & esse in quasi possessione istorum iurium, specificando plures actus per ipsum Capitulum, ac eius Vicarios gestos scientibus, & patientibus Episcopis, ex quibus remanet probata quasi possessio Capituli cum scientia, & patientia Episcopi, vt fuit dictum *in causa Valentina decimarum*, 2. Maij, 1603. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, & aliàs sæpè.

Nec facit aliquid, quòd Episcopus habeat funda- 2.
tam intentionem de iure communi, & ob eius assistentiam danda sit manutentio. *cap. Cum personæ.* & ibi Doctores *de priuileg. in 6.* Quia, cùm respectu istorum locorum constet de possessione Capituli, illa 3.
assistentia iuris communis Episcopo suffragari non potest, neque illius vigore ei danda est manutentio; sed debet dari Capitulo, quod docet de sua quasi possessione. Put. *dec. 310. l. 2.* & fuit dictum *in causa Fanen. iurisdictionis*, 28. Iunij, 1600. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio.

Prout etiam nihil facit, quòd Episcopus aliquando visitauerit hæc castra: quia vltra quòd non constat, id factum fuisse, sciente, & patiente Capitulo, de cuius 4.
anteriori possessione deponunt testes, etiam circa ius visitandi; adeò quòd gesta per Episcopum de recenti, tanquàm clandestina, & turbatiua, nullius sunt momenti;

menti;nec possunt impedire manutentionem Capituli *c.Si causam.* cum *ibi* not.*de probat*,Bart.*in l.1.in fine.* & *in l.Si duo. n.4 ff. uti possid.* fuit responsum, ex testibus probati, visitationes non fuisse factas authoritate ordinaria, sed delegata,nempe,Episcopos visitasse, & ad visitandum fuisse admissos, tanquàm Sedis apostolicæ delegatos iuxta decreta Sacri Concilij Trid. & per consequens ex huiusmodi visitationibus possessionem Capituli non fuisse interruptam, neque ei quoad illa in aliquo modo præiudicatum, *ad decis.* Put.115. *lib.2.*

Et ita conclusum.

CORAM EODEM.

In eadem, Luna, 19. Martij, 1607.

ARGVMENTVM.

Ex Summariis colligitur.

SVMMARIVM.

1 *Quasi possessio visitandi non acquiritur, absque scientia,& patientia Rectoris,cuius Ecclesia fuit visitata.*

2 *Quasi possessio non acquiritur ex actibus factis contradicente aduersario.*

3 *Quasi possessio posterior legitimè acquisita praualet antiquiori.*

DECISIO LII.

PLacuit Dominis decisio aliàs in hac causa facta. quòd,scilicet,mandatum de manutenendo in quasi possessione iurisdictionis, ac iuris visitandi, & conferendi beneficia in castris Neteti, & Turani, sit dandum Capitulo, & non Episcopo, ex rationibus in ea deductis, quibus non obstare dixerunt visitationes factas per Episcopum, mediante persona
1. Vicarij: quia non constat, illas fuisse factas sciente, & patiente Capitulo, sine cuius scientia, & patientia non potuit acquiri quasi possessio iuris visitandi, *d.l.2.*& *ibi* Baldus *num.15. C.de seru. acquir.* Doctores *in c.cùm Ecclesia Sutrina.* & *ibi* Ripa *num.64. de de caus poss. & propr.* Calderin.*cons.12. in fine.de iure patr.*

Attento præsertim, quòd pro parte Episcopi, vltra dictas visitationes, nulli alij actus iurisdictionis ostenduntur, nisi quædam præcepta, & monitoria contra Rectores Ecclesiarum istorum locorum, quæ non suffragantur: quia nedum fuerunt gesta inscio
2. Capitulo, quin imò statim quòd de illis notitiam habuit, reclamauit, & Episcopus abstinuit, vt deponunt testes pro Capitulo examinati, Calder. *cons. 12.de iurepatronatus, cons.6. de causis possessionis, & proprietatis.* Rip.*in C. Cùm Ecclesia Sutrina.num.93. vers. quintò,requiritur eodem titulo.*

Ad Bullam Anastasij fuit responsum, respicere petitorium, & ex illa non probari aliquam posses-
3. sionem Episcopi; vltra quòd, etiamsi probaretur, non potuit Episcopo suffragari, stante posteriori quasi possessione Capituli, scientibus & patientibus Episcopis legitimè acquisita, per quam antiquior quasi possessio Episcopi, si quam habuisset terrupta, & deperdita diceretur: ita quòd ista posterior quasi possessio Capituli esset præferenda. *l. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de acquiren. poss.* Alexander *ad Bart in l. Si duo.sub num.4.verbo. Sunt æquales. vers. Et hac limita, ff. uti possid.* Pelin. *in cap. Licèt causam, num 9. vers. Limita tamen.*& *ibi* Bernard. *num.55. vers.Secundò, limita. de probat.* Menochius, *de retinen.remed.3.sub num.326. vers.Declaratur.*

EMIN. D. CARD. IOANNE Baptista Pamphilio.

Toletana exemptionis., Mer.14. Maij, 1614.

ARGVMENTVM.

Ordinario non est inhibendum in exercitio ius visitandi omnes Ecclesias, & administratores locorum piorum suæ diœcesis; etiam quòd prætenderetur aliquod priuilegium,nisi illo priùs exhibito,& diligenter discusso & pendente discussione Ordinarius est manutenendus in quasi possessione.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam quoad ius visitandi omnes Ecclesias suæ diœcesis.*

2 *Episcopo non est inhibendum in exercitio suæ ordinariæ iurisdictionis ad instantiam prætendentis priuilegium, nisi eo priùs exhibito, & diligenter discusso.*

3 *Episcopus potest visitare administratores locorum piorum, & ab eis rationem administrationis exigere.*

4 *Episcopus potest visitare loca pia suæ diœcesis in his,quæ pertinent ad curam animarum,& Sacramentorum administrationem.*

5 *Priuilegia Vniuersitati concessa non comprehenduntur in generali priuilegiorum derogatione. Limita,vt num.seq.*

7 *Episcopus non est impediendus in exercitio suæ ordinariæ iurisdictionis donec cognoscatur, an priuilegium intret,vel ne.*

8 *Exemptione Ecclesiæ concessa, non comprehenditur exemptio quoad curam animarum, & Sacramentorum administrationem, nisi aliud exprimatur.*

9 *Exemptionis quasi possessio non acquiritur ex eo solùm, quòd non appareat, Episcopum exercuisse iurisdictionem, nisi probetur,quòd venerit casus exercendi;& volens exercere fuerit repulsus, & repulsioni acquiuerit, vel aliàs habuerit se pro spoliato.*

DECISIO LIII.

FVit per Dominos resolutum,non esse inhibendum: 1.
quia Illustriss. Archiepiscopus habet de iure communi intentionem fundatam quoad ius visitandi omnes Ecclesias suæ diœcesis, *cap. Omnes Basilicæ.16.q.7.cap.Conquerente de offic. Ordin c. Cùm Episcopus.*
eod. tit. in 6. Ideòque in exercitio suæ ordinariæ iuri- 2.
sdictionis ad instantiam Vniuersitatis Complutensis, prætendentis priuilegium impediri non debere,nisi eo priùs exhibito,ac diligenter discusso, *c. Cùm persona.* vbi Doctor.*de priuil.in 6.*& quòd anteà Ordinario,nõ sit inhibendum,tradit Lancellot.*par 2.c.20 de atte ē. post inhibit.in præfat n 111.* & ita fuit resolutum coram bon.mem. Iusto *in causa Calaguritana iurisdictionis* 1. Iulij,1605.in qua aliæ decisiones Rotæ referuntur, & *in alia Toletana iurisdictionis*, 26.Martij, 1612. & 4. Decembris,1613.coram R.P.D.meo Pitouano.

Quod

Quod in casu isto eò faciliùs procedit: nam quoad
visitationem personarum dictæ Vniuersitatis, quæ ad-
ministrant fabricam, & alia opera pia Ecclesiæ Sāctorum
Iusti, & Pastoris, Congregatio Cardinalium Cō-
cilij Trid. Interpretū, partibus auditis, censuit, Archie-
3. piscopum posse huiusmodi personas visitare ex dispo-
sitione *c. 8. sess. 22. de reform.* & ab eis rationem: admi-
4. nistrationis exigere *ex dispositione c. 9. eiusdē sess.* Quò
verò ad visitationem in his, quæ pertinent ad curam
animarum, & Sacramētorum administrationem, idem
dicendum est, ex decreto eiusdem Concilij Tridentini
c. sess. 7. & c. 8 sess. 22. de reform. vbi derogatur genera-
liter quibuscunque exemptionib. & Iudicum inhibi-
tionibus, vt fuit etiam consideratum *in supradicta To-
letana iurisdictionis*, 26. Martij, 1612. ex quibus cessat,
quòd vniuersitas prædicta priuilegium exhibeat: quia
stante huiusmodi derogatione, quoad supradicta illud
per se sufficiens dici non potest; prout requiritur *in
dicto cap. Cùm persona de priuil. in* 6. cum similibus.

5. Nec releuat, quòd in generali priuilegiorū deroga-
tione non comprehendantur priuilegia concessa Vni-
uersitati, quia vltrà quòd visitatio Archiepiscopi, tam
quoad personas, quæ administrāt fabricam, & alia ope-
ra pia Ecclesiæ supradictæ, quàm etiam quoad ea, quæ
pertinent ad curam animarum, & Sacramentorum ad-
ministrationem, respicit publicam vtilitatē, & fauorē
animarū: quo casu, cùm materia sit fauorabilis, in ge-
6. nerali derogatione comprehendūtur etiam priuilegia
Vniuersitatis ad tradita per Felin. *in c. Eam te, n. 15.
circa med. vers. Faciunt not. de rescript.* Ias. *in l. Si quis
maior. n. 7. & plus ib. seq. C. de transact.* Gunzal. *in reg. 8.
glos. 37. n. 36.* Placuit etiam responsio, quòd donec de
7. huiusmodi comprehensione cognoscatur, Archiepisc.
non est per inhibitionem impediendus in exercitio
iurisdictionis, quam habet super omnib. Ecclesiis suæ
diœcesis, *d. c. Cùm persona. §. fin. de priuileg. in 6.* Fuit
dictū *in causa Barchinonensi Prioratus S. Annæ*, 18.
Maij, 1601, coram bon. mem. Card. Pamphilio, & alia
superius deducta.

Et ex his visum fuit, etiam cessare, quod dicebatur
de confirmatione obtenta à fel. recor. Clemente VIII.
de anno 1600. in qua personæ supradictæ Vniuersita-
tis: res, & bona quæcunq. ab omni prorsus iurisdictio-
ne, dominio, superioritate, visitatione, & correctione
Archiepisc. eximuntur, & penitùs liberantur, cum clau-
sula: *Non obstante*, &c. Quia, cùm in ea nō exprimatur
8. exemptio quoad supradicta, & regulariter in exēptione
Ecclesiæ concessa nō comprehendatur exemptio quo-
ad curam animarum, & Sacramentorum administra-
tionem, nisi aliud exprimatur, iuxta tex. *in c. Per exem-
ptionem. de priuil. in 6.* vltrà quòd plura alia contra cā
apponuntur, quæ donec diligēter discutiātur, in exer-
citio suæ iurisdictionis Archiepiscopus per inhibitio-
nem impediri non debet ex supradictis.

Neque refragatur, quòd Archiepiscopus nunquam
visitauerit, nec ante, nec post Conc. Trid. & propterea
9. supradicta Ecclesia censeatur constituta in quasi pos-
sessione exemptionis. Quia, cùm Archiepisc. quoad ius
visitandi habeat de iure communi intētionem funda-
tam, ad effectum vt Ecclesia dicatur constituta in
quasi possessione exemptionis, non sufficit, quòd
non appareat Archiepiscopum visitasse, vel aliàs iuris-
dictionem exercuisse; nisi probetur, quòd venerit ca-
sus exercendi; & volens exercere, fuerit repulsus, &
repulsioni acquieuerit, vel alias habuerit se pro spo-
liato. Innoc. *cap. Dilectus sub num. 3.* & *ibi* Hostien.
n. 1. ver. ex prædictis. Ioan. Andr. *n. 8* Butr. *n. 15. de
cap. Monach.* Caputaquen. *decis. 309. par. 1.* Et fuit
dictum *in causa Sipontin. iurisdictionis*, 24 Maij, 1613.
coram Reuerendissimo Dom. meo Damasceno.

R. P. D. ORTEMBERGO.

*Constantien iurisdictionis, Veneris 16.
Nouembris, 1607.*

ARGVMENTVM.

Episcopo non datur manutentio in exerci-
tio iurisdictionis, in locis existentibus in-
tra fines suæ diœcesis, ex sola iuris assi-
stentia; quando negatur, talia loca esse
in diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam in assisten-
tia iuris communis, exercendi iurisdictionem in
omnibus Ecclesiis, & locis suæ diœcesis.*

2 *Episcopo datur manutētio in exercitio iurisdictio-
nis in omnibus Ecclesiis, & locis suæ diœcesis, ex
sola iuris assistentia, etiam non probata quasi
possessione.*

3 *Monasterium si negetur esse in diœcesi, Episcopus
tenetur illud probare.*

4 *Enunciatiua non probant, quando de enunciato
principaliter dubitatur.*

5 *Abbas vbi exercet iurisdictionem quasi episcopa-
lem cum territorio separato, iurisdictio in eo ter-
ritorio censetur in totum ab Episcopo adempta.*

6 *Assistentia iuris obscura, & turbida non suffraga-
tur ad manutentionem.*

DECISIO LIV.

RESolutum fuit Episcopo Constantiensi esse dene-
gandum mandatum de manutenendo; illúd-
que concedendum esse Abbati Sancti Gailli in exer-
cenda iurisdictione spirituali in Ecclesiis parochiali-
bus, & locis articulatis, sitis in dominio episcopali Ab-
batis: nam, si pro parte Episcopi allegaretur assisten- 1.
tia iuris ad fundandam suam intentionem in quibus-
cunque Ecclesiis, ac locis suæ diœcesis, *c. Omnes Basi-
lica. 16. q. 2. c. Conquerente. de off. Ordin. c. 1. de ca-
pell. Monac.* & consequenter sufficere ad obtinendam
manutentionem, sine alia probatione quasi possessio- 2.
nis, *c. Cùm persona. de priuil. in 6.* Caput. *decis. 306.
n. 2. par. 1.* Et fuit resolutum *in Burgen. iurisdictionis*,
5. Feb. 1596. coram bon. mem. Orano, & *in Veronensi*,
18. Martij, 1596. coram Illustrissimo Cardinali Pam-
philio; tamen cùm negetur, Monasterium esse in sua 3.
diœcesi, Episcopus tenetur illud probare. Abb. *in c.
Cùm olim. n. 2. de censib.* notatur *in c. Cùm Venerabi-
lis. de relig. Dom.* Anch. *cons. 310. n. 5.* Paris. *cons. 95.
lib. 4.* Idémque fuit resolutum *in Lucen. seu nullius iu-
risdictionis*, 4 Maij, 1598. coram Illustrissimo Cardi-
nali Seraphino, vbi in specie fuit denegatum manda-
tum Episcopo: quia adhuc pendebat indecisa lis su-
per eo, an tenimentum, de quo agebatur, esset intra
fines. Et quoad hoc non suffragantur Episcopo enun-
ciatiuæ Summi Pontificis, Innocentij IV. Iulij III.
necnon Cardinalis Legati, tituli S. Sabinæ, de qui-
bus infrà: quia illæ sunt restrictæ ad Monasterium, seu
oppidum ipsum S. Gailli, quod nihil habet com-
mune cum Ecclesiis, de quibus agitur; tum etiam, 4.
quia enunciatiuæ non probant, vbi de veritate enun-
ciati contingit præsentialiter dubitari Put. *decis. 381.
n. 3. lib. 1* vt fuit dictum *in d. Lucen* Nam tota res to-
tum consistit in eo, an Abbas exerceat iurisdictio-
nem quasi episcopalem, ita vt dici possit habere ter- 5.
ritorium separatum: tunc enim iurisdictio est in to-
tum

tum ab Episcopo adempta, *Clement.*1. §. *Volumus.*& *ibi* Gloss.*in verbo*, *Diœcesan.* Panor *n.*15. Card.*n.*2. *vers.Quarto, quarò.* Vital. *num.*4.*de for. comp.* Franc. *c.*2.§.*Statutum.n.*2.*de constit. in* 6. Fuit dictum *in Volaterrana iurisdictionis*, 4. Ianuarij, 1581. coram bon. mem. Brauo *in fine*, quæ est *diuers.* 207. *p.*2. & coram me *in Calaguritana*, *seu nullius iurisdictionis*,7.Februarij præteriti.

Quoad fundamentum de assistentia iuris communis, absque possessione, illud Dominis non placuit, & aliàs sæpè fuit reuocatum in dubium, an ista sola
6 assistentia sufficiat, & conclusum non sufficere, quando redditur obscura, & dubia, *in dicta Lucen.*& *Legionen. iurisdictionis*, 28. Maij, 1588.coram Illustrissimo Domino Cardinali Blanchetto,*in Fanen.iurisdictionis*, 28. Iunij, 1600. coram Illustrissimo Pamphilio, *in Montis regalis iurisdictionis*, 4. Nouembris, 1598.coram R. P. D. Decano *in Reatina decimarum*, 4 Octobris, 1606.coram R. P. D. meo Iusto, *in Calaguritana iurisdictionis*, 14 Martij præteriti, coram eodem, *Mediolanen. decimarum*, 29. Decembris 1605. coram R.P.D.Coccino, & *Aquilana iuris visitandi*, 5.Martij, 1607. coram R. P. D. Pamphilio, & *in Aprutina iurisdictionis*, 29.Iunij 1606. & 19 Martij, 1607.coram eodem.

CORAM EODEM.

In eadem, Mercurij, 18. Maij, 1611.

ARGVMENTVM.

Territorium quando dicatur separatum, & Nullius diœcesis:& an loca exempta sint extra diœcesim, vel in diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Abbates habentes territorium separatum dicuntur esse Nullius,& habere propriam diœcesim, cuius respectu ipsi quoque diœcesani appellantur.*

2 *Territorium separatum solus Papa ex priuilegio concedere potest.*

3 *Exemptio non operatur, vt locus exemptus sit extra diœcesim.*

4 *Locus exemptus,licèt non sit de diœcesi; est tamen in diœcesi.*

5 *Exemptio eximit à subiectione; non autem à situatione, & denominatione.*

6 *Exemptione quidquid expressè Episcopo non adimitur, censetur illi reseruatum, & remanet sub eius iurisdictione.*

7 *Priuilegia eximentia Monasteria,& eorum membra vbi non eximunt simul loca,& castra, siue populum, non concludunt territorium separatum, sed exempti dicuntur habere tantum iurisdictionem in personis, non in locis.*

8 *Locum exemptum constituere territorium per se, quomodo intelligatur.*

9 *Titulus putatiuus, & inualidus sufficit ad praescribendum territorium, dùmmodo sit iusto errore causatus:& quando titulus ad hunc effectum non dicatur iusto errore causatus, n* 10.

11 *Pars considerari non potest, nisi respectu totius.*

12 *Dominium, & iurisdictio temporalis nihil commune habet cum territorio, & iurisdictione spirituali.*

13 *Territorium separatum, & propria diœcesis non probantur ex eo, quòd Abbas habeat in loco dominium,& iurisdictionem temporalem.*

14 *Capita duo in eadem Ciuitate dari non possunt, quia esset monstrum.*

15 *Praescribere non possunt Abbates,& Praelati inferiores territorium, et separatum ab Episcopo; ita vt quasi caput faciant in eadem diœcesi.*

16 *Immemorabilis non habet locum circa ea, quae de sui natura praescribi non possunt.*

17 *Iura episcopalia per inferiores Praelatos praescribi possunt, etiam cum territorio, & quomodo procedat, n.* 18.

19 *Testes deponentes de eo, quod iuris est; non probant, nisi reddant sufficientem causam scientia.*

20 *Immemorabilis excluditur per actus contrarios.*

DECISIO LV.

POst decisionem in hac causa factam 16. Nouembris, anno 1607. de concedendo mandato de manutenendo Abbati S. Galli in exercenda iurisdictione spirituali in Ecclesiis parochialibus,& locis articularis dominio illius subiectis, causa iterum, atque iterum proposita fuit super iisdem. Verùm, quia medio tempore pro vtraque parte literæ compulsoriales, & remissoriæ expeditæ, ad Vrbem remissæ, multæque nouæ probationes factæ fuerunt; Domini animaduertentes resolutionem pendere à negotio principali, ordinarunt causam restringi. Cúmque primo loco disputandum occurreret, an Ecclesiæ parochiales; de quibus agitur, essent in diœcesi Constantiensi: informantes pro Abbate contenti fuerunt illud præsupponere, & cum tali præsupposito sine vel i præiudicio, disputare, an Abbas habeat territorium separatum: quo discusso, dictum fuit hoc non probari. Eo enim ipso, quòd huiusmodi Ecclesiæ & loca sunt in diœcesi, non possunt constituere territorium separatum: hoc enim idem foret, ac si essēt extra diœcesim, quæ sibi inuicem repugnant, & implicant contradictionem, simúlque stare non possunt. Idcóque 1.
vbi Abbates, vel alij inferiores Prælati habent territorium separatum, illud dicitur esse nullius diœcesis; ita vt nec in diœcesi, nec de diœcesi alterius conferri possit, sed est propria diœcesis, & per se, respectu cuius ipsi quoque diœcesani vocantur, Glos. *in Clem.*1 §. *Volumus. in verbo*, *Diœcesanus*, & *ibi* Cardin.*in* 4 *q. num.*2. Vitall. *num.*4. Imol. *num.* 38 Abbas *num* 15. *de foro compet.* ac de talibus dici potest, quòd habent territorium, siue forum, *l.pupillus*, §. *Territorium. de verb.signif.*

Huiusmodi verò territorium solus Papa concedere 2.
potest ex priuilegio speciali; ad quem solum spectat, vt partem separet à diœcesi. Hostien.*in cap.Cum contingat.num.*1. *de foro competen.* & *ibi* Butr.*n.*11. §. *De consuetudine autem.*Panor. *num.*18. Bellam. *n.*15. *vers.Tamen certum est.* Et fuit dictum *in Calaguritana iurisdictionis*,16.Iunij, 1606. coram me.

Talia autem visa fuerunt priuilegia, quibus Abbas S. Galli fulcitur. Illa enim continent exemptionem, quæ non facit, vt loca exempta sint extra 3.
diœcesim, licet enim non sint de diœcesi, tamen sunt in diœcesi, *cap. Cum Episcopus.* & ibi Franc *in* 2.*notab.* & Gemin. *num* 3. *de offic. Ordin. in* 6.*n.*2.& *ibi* Gemin. *num.*17.*vers.ic. Fundamentum.* & Franc. *in* § *statuta*, *num.*10 & *seqq de constit. eod. lib.* Gloss. *in Clem. frequens.* [illegible] *verbo primiarum* & *ibi* Vitall. *num* 127. *de exc* [illegible] Item [illegible] *elem* 2. *num.*42. & *seq de priuil* Abb [illegible] *cap Apostolica*, *n* [illegible] .3 [illegible] *onati nibil.* Anchar [illegible] *cap. Postula*[illegible], *num.*45 *de foro compet.* & *in* [illegible] *cap.* 2. *num.* 10 *d* [illegible] *or. in* 6. Fe[illegible] *in cap.* [illegible] *num.* 2. *de offic. Iud. ordin.*

Fedxti.

Felci. de Senis cons. 2. num. 4. vers. Quòd autem,
& num. . Vbald. de Canonica Episcop. & Paroch.
cap.4. quæst. 6. num. 11. Fuit dictum in Volaterran.
Iurisdictionis, 14. Ianuarij, 1581. coram bon. mem.
Brano, quæ est diuers.107. part.2. & in dicta Cala-
gurritana iurisdictionis, 16 Ianuarij, 1604 coram
R.P.D. meo Decano, & 16. Iunij, 1606. coram me.
Idque ratione comprobatur; quia si loca non essent
in diœcesi, frustrà impetraretur priuilegium exem-
ptionis: tale autem priuilegium solùm eximit à subie-
5. ctione, non autem à situatione, & denominatione.
Vitall. de Clem.2. num.44 de priuil. & Franc. d cap 2.
§. Statuto, vers. Sed aduerte, de constit. in 6.
6. Et generaliter omnia, quæ per priuilegia exem-
ptionis Episcopo expresse non adimuntur, illi cen-
sentur reseruata, & remanent sub eius iurisdictione.
Anchar. d.cap. Postulasti, num.45. ante medium vers.
Quo probo, de for. compet. & d cap.2. num.10. vers.
Quando Prælatus, de constit. in 6.
7. Præterea priuilegia eximentia Monasteria, & eo-
rum membra, non eximunt loca, & castra, siue po-
pulum. Ideòque non concludunt territorium separa-
tum, sed exempti dicuntur habere tantùm iurisdictio-
nem in personis, non in locis, cap. Per exemptionem
vbi Gemin. num.5. Franc. num.3. vers. Quartò, nota.
& Anchar. num.3. vers. Quarto nota, de priuil. in 6.
Guillel. de Monte Lauduno in Clem. Pastoralis, n.24.
lib.1. Fuit dictum in Aretina, seu Montis Pelusiani
iuris visitandi, 9 Maij, 1586. coram bon. mem. Ru-
beo, & in Tirasonen. iurisdictionis de Tudela, 5. Iu-
nij, 1593. coram. Illustrissimo Card Millino.
8. Et quamuis Doctores nonnunquam dicant, quòd
locus exemptus constituat territorium per se, quos
cumulat Roland. cons.33. num.44 & seqq. part.3. illi
loquuntur impropriè, vel intelligendi sunt, quoad
certos effectus, & per modum æquiparationis. Felin.
in d.cap. Graue, num. 2. in fine. Fuit dictum in d. Vo-
laterranen. iurisdictionis, num.4. & in Salamant. iu-
risdictionis, 14. Decembris, 1579. coram bon. mem.
Card. Seraphino, & in d. Calagurritana.
Ex quibus sequitur, dicta priuilegia, nec esse talia,
quæ saltem causam præbeant præscribendi: licèt enim
sufficiat titulus putatiuus, & inualidus; tamen intel-
9. ligitur, quando est iusto errore causatus, vt per Ca-
putaq. decis.361. num 4. lib.2. Fuit dictum in Tole-
tana decimarum, 22. Maij, 1592. coram Illustriss.
10. Card. Arigonio. Qui iustus error non cadit in istis
priuilegiis, cùm non solùm sint restricta ad exem-
ptionem; verùm etiam clara, dum enunciant Mona-
sterium S. Galli, oppidu de S. Gallo S. Benedicti
Constantiensis diœcesis, Prouinciæ Mogontinæ; &
in contextu Episcopum Constantiensem nominari
Ordinarium, ita vt ex lectione ipsorum priuilegiorum
resultet mala fides quoad iurisdictionem quasi episco-
palem, excluso Ordinario, Gemin. cons.96. num.4.
vers. Sed quoties leguntur.
Non obstat, quòd priuilegia eximunt membra,
tam sæcularia, quàm spiritualia, quæ Abbates pro
tempore possidebant, & in posterum poterant adi-
pisci. Nam Ecclesiæ, de quibus agitur, non possunt
11. dici membra Monasterij, nisi illi fuerint vnitæ, cùm
pars considerari non possit, nisi respectu totius, vt
notat, in Clem.1. de excess. Prælat. & in Clem.1. vbi
Imol. num.29 de rescript Corn. cons.262. n.3. lib.3.
Et in terminis fuit dictum in Eugubina S. Petri de Vi-
nato, 14. Martij, & 21. Maij, 1591 coram bon mem.
Vbalo, & in Alexandrina S. Stephani, 21. Iunij,
157. coram bon. mem Luta.
12. Nec facit, quòd Abbas in istis locis obtinet do-
minium, & iurisdictionem temporalem, quia illa
nihil habent commune cum territorio, & iurisdictio-

ne spirituali, cap 1 de relig. Domib. Gloss. in cap 1 in
vers. diuisis, 10. dist. Gloss. in Clem. Ne Romani. §.
Sanè, in verbo, Diœcesim, de elect. Hostien. in cap. Su-
per eo. num.3. de Paroch. & in cap Quoniam num.2. &
ibi Butr. in fin. de iurepatron. Fel. in cap Cum causam,
num.12. vers. Secundò, scias, de probat. Guillel. de Mon-
te Lauduno in d. Clem. Pastoralis num 21. de re iudic.
& fuit dictum in Burgen. iurisdictionis S. Ioannis, 4.
Decembris 1595. coram bon. mem. Orano; & in di-
cta Calagurritana, coram me.
Neque verò Abbati suffragari potest consuetudo, 13.
siue præscriptio: quidquid enim alias dictum sit, cùm
ageretur solùm ad effectum manutentionis, & nega-
retur territorium Abbatis esse intra fines diœcesis
Constantiensis; at nunc quandoquidem non agitur
de manutentione, vel de exercitio iurisdictionis, sed
de territorio in genere, & attento, quòd ponitur ter-
ritorium Abbatis esse intra fines, nulla consuetudo,
vel præscriptio operari potest, vt in eadem Ciuitate
sint duo capita; hoc enim esset monstrum, vt notat 14.
Hostien. in d. cap. Cùm contingat, n.1. de foro com-
pet. & in ca. Quarto, num.13. & cap. Quoniam, n.2.
de offic. Ordinarij, vbi tradit, quòd, cùm Episcopatus
sit vnum corpus, cuius caput est Episcopus, si po-
nantur ibi duo Episcopi, fiet vnum corpus duo capita
habens; quod est monstruosum, siue prodigiosum,
quod natura abhorret, & ius respuit. Et quòd hoc non 15.
sit possibile, vt Abbates, vel Prælati inferiores præ-
scribant territorium, vt separatum ab Episcopo; ita
vt quasi caput faciant in eadem diœcesi, post Hostien.
docet Butr in d.cap. Quoniam contingat, n.11. vers. De
consuetudine, & ibi post vtrunque Abb. num 18. & 19.
& Bellam. num. 15. vers. Ego autem relinquens, &
n.16. vers. Nec valet ratio Esset enim consuetudo siue
præscriptio irrationabilis, & circa ea, quæ de sui na-
tura præscribi non possunt, in quibus præscriptio 16.
etiam immemorabilis locum non habet. Gabriel de
præscriptionibus, conclus.1. num 8. & num.36.
Nec obstat, quòd omnia iura episcopalia ad vtran- 17.
que legem, iurisdictionalem, siue diœcesanam per-
tinentia sint per inferiores Episcopis præscriptibilia:
ita quòd Episcopus non possit ibi constituere Offi- 18.
cialem, & sic possunt præscribi etiam cum territorio.
Rot. decis.2. de præscript. in nou. quam allegat Abb.
in d.cap. Cùm contingat, num.11. de for. comp. Fuit di-
ctum in Volaterr. seu nullius iurisdictionis, 13. Apri-
lis, 1584. coram bon. mem. Orano, quia hoc intelli-
gendum est, vt se explicat. Abbas vbi supra num.18.
& seq. necnon alij præcitati si volunt quærere quasi
sub Episcopo; si verò præscripserint territorium sepa-
ratum, non ampliùs dicendi sunt esse in diœcesi.
Accedit, quòd testes Abbatis deponentes de eo, 19.
quod est iuris, absque eo, quòd reddunt sufficientem
causam scientiæ, non probant; & immemorabilis ex- 20.
cluditur per actus contrarios, de quibus in facto, cap.
Illud, & ibi Gloss. in verbo. Inconcussa, & verbo, In-
terruptio, cap. Auditis, & ibi Innocent. sub num.5. de
præscript. Bart. in l. Naturaliter, sub num. 27. ff. de
vsucap. Balb de præscript.3. part.6 par princ quæst.4.
num.40. vers. Idem dicit. Barthol. Pit decis.436. lib.2.
& fuit resolutum in Aquitanen. beneficij, 19 Aprilis,
1602. coram R. P. D meo Ludouisio, & in d. Burgen.
S. Ioannis, coram bonæ memoriæ Orano. Necnon
per testes examinatos pro parte Episcopi, quorum
depositiones habent pro se existentiam
iuris, & reddunt causam scientiæ,
& numerant multos actus
singulares.

R. P. D. ORTEMBERGO.

Theatina iurisdictionis, Luna, 17. Decembris, 1607.

ARGVMENTVM.

Archiepiscopo datur manutentio in quasi possessione iuris metropolici contra omnes Ecclesias, & Episcopos suæ Prouinciæ, contra quos habet intentionem fundatam in iure, maximè sit probat actus possessorios: & quinam sufficiant ad hunc effectum.

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopo datur manutentio in quasi possessione iuris metropolici aduersùs omnes Episcopos, & Ecclesias suæ Prouinciæ, contra quos habet intentionem fundatam in iure communi.*

2 *Quasi possessio iuris metropolici acquiritur ex cognitione causarum appellationum introductarum in Curia Metropolitani.*

3 *Iurisdictionis species singulæ probandæ non sunt; sed sufficit probare actus in quibusdam, & aptitudinem in cæteris.*

4 *Quasi possessio vniuersalis acquiritur per exercitium vnius actus, maximè ab habente intentionem fundatam de iure communi.*

5 *Quasi possessio incorporalium non acquiritur, absque scientia, & patientia aduersarij.*

6 *Quasi possessio incorporalium acquiritur, absque scientia, & patientia aduersarij, ab habente titulum cum possessione.*

7 *Possessio ciuilis decennio amittitur, si naturalis medio tempore ab alia occupata, & continuata sit; & num.8.*

9 *Possessio præsumitur continuata etiam tempore litis motæ.*

DECISIO LVI.

1. DOmini conuenerunt, Illustrissimo Card. Maffeo,
Archiepiscopo Theatino, competere manutentionem
in quasi possessione iuris metropolici contra
Episcopum, & Ecclesiam Ortonensem: quia, cùm
in erectione in Episcopatum, Ecclesiæ, & Prouinciæ
Theatinæ subiecta fuerit, habet fundatam intentionem
cap. Cum simus, 9. quæst.3. cap. Si Episcopus,
& *ibi* Gloss. *verb. Præceptione*, 18. *dist.* Butr. *in
cap. vlt. num.11. vers. Secundò obstat. de caus. poss. &
propriet.*

Non obstat clausula in Bulla erectionis (quatenus
de, & sub iurisdictione Archiepiscopi Theatini consistat:)
quia illa non est referenda ad dispositionem
circa subiectionem; sed circa dismembrationem diœcesis,
&c. assignatæ nouæ Ecclesiæ Ortonensi à diœcesi
Theatina; quatenus de illa existeret: & hanc
subiectionem per litteras suas recognouit bon. mem.
Rebiba, primus eiusdem Ecclesiæ Episcopus.

2. Accedunt actus possessorij in cognoscendis diuersis
causis appellationum introductarum in Curia
Theatina, tanquam metropolitana, *cap. 1. de off.
leg. cap.2. & cap. Pastoralis*, & *ibi* Gloss. *verb Exceptis,
de offic. Ordin. cap. Romana, de foro competent.
in 6.* Concil. Trident. *sess.13. cap.2. de reform.* Rot. de-
3. *cis.29. num 3. de sent. & re iudic. in antiq.* Et hi soli
actus sufficiunt: quia non est necesse probare singulas
species iurisdictionis; sed sufficit probare actus in
quibusdam, & aptitudinem in cæteris. Bald. *cons.161.
num.2. vers. Item non est necesse, lib 3.*

Et per exercitium vnius actus, quis dicitur esse in 4.
possessione vniuersali; maximè quando habet intentionem
fundatam de iure communi, *cap.1* & *ibi* Innoc.
& Abb. *num 3 & seq. de religios. Domib.* & idem
Innoc. *in d. cap. Dilectus, in verb. Possessoris, de
Capel. Monachor.* Tiraquel. *de retract. consang. §.36.
gloss. 3. num. 17.*

Non obstat, quòd non constet de scientia, & pa- 5.
tientia Episcoporum, sine qua non acquiritur quasi
possessio incorporalium, *l.3. C. de ser. & aq. l. Quoties,
C. de seruit. l.1. §. fin. ff. de seruit. rustic. præd.* quia,
præterquam quòd ignorantia prætendi non potest,
Episcopus non affert aliquod priuilegium, præscriptionem,
vel aliud ius, propter quod ipsius scientia,
vel patientia fuerit necessaria: & cum Archiepiscopus 6.
habeat titulum cum possessione, nullo modo requiritur
alia patientia, *l. Si ego, §.1 ff. de public. in rem act.*
Castr. *d. l.2. C. de seruit. & aq. in l. seruitutes, 4. num 9.
vers. Quartò requiritur, ff. eod. tit.* Batt. Cæpol *de seruit.
urban. præd. cap.20. n.5. vers. Secundò fallit.* Rebuff. *in
cap. Cum Ecclesia, de caus. poss. & propriet.* & in explicatione
Gloss. *in verb. vocem, n.20. vers. Tertiò limita.*
idem Rebuff. *ad l. Gallicas, tom.3. tit. de mat. possess.
in præfat. n.145. vers. Quintò, non habet locum.*

Non obstat, quòd dicitur, ab hinc decennium hu- 7.
iusmodi actus non fuisse exercitatos, vltra quod tempus
possessio ciuilis non extenditur. Socin. *cons. 38.
n.16. lib.1.* quia procedere posset, si naturalis possessio 8.
fuisset ab alio occupata, & continuata: alias enim
præsumitur continuata etiam tempore litis motæ.
Afflict. *decis.394. n.4.* & fuit sæpè resolutum, &c. 9.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina iurisdictionis de Atessa, Luna, 17. Decembris, 1612.

ARGVMENTVM.

Prælatus inferior est manutenendus in cognitione causarum ciuilium, criminalium, & matrimonialium, docto de possessione, & priuilegio, aduersùs Episcopum nitentem soli iuris assistentiæ.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam de iure exercendi iurisdictionem intra limites suæ diœcesis, præcipuè in causis criminalibus, & matrimonialibus.*

2 *Episcopus debet manuteneri in quasi possessione cognoscendi causas matrimoniales, & criminales, etiam quòd inferior alleget immemorabilem, donec de ea per tres sententias cognoscatur, & n 9.*

3 *Exemptio ab Episcopo inferiori concessa vna cum iurisdictione cum consensu Capituli, suffragatur, etiam quòd Papæ consensus non interuenerit, si concessio facta sit ante Paulinam.*

4 *Beneplacitum apostolicum ex obseruantia subsecuta præsumitur.*

5 *Prælatus inferior allegans possessionem, & priuilegium est manutenendus in exercitio iurisdictionis; non autem Episcopus, qui sola iuris assistentia nititur.*

5 Visita-

6 *Visitationes non probant quasi possessionem iurisdictionis, nisi sint ante Concil. Trident, vel si post, doceatur, eas fuisse factas iure ordinario.*
7 *Probatio dubia non releuat.*
8 *Visitationes, quæ non docentur factæ ante Concilium præsumuntur factæ vigore Concilij.*

DECISIO LVII.

Licèt locus Atessæ sit intra limites diœcesis Thea-
tinæ, iuxta resolutiones in hac causa factas; &
1. proptereà Reuerendissimus Archiepiscopus habeat
intentionem fundatam de iure, vt *in cap. Omnes Basi-*
licæ. 16. quæst. 7. Roman. *consil. 180. num. 4. vers. Ha-*
bet enim Episcopus. Feder de Sen. *consil. 145. num. 6.*
ante finem, vers. Vnde, si aliquis etiam ad effectū manu-
tentionis, vt in cap. Cum persona de priuil in 6. & tan-
tò magis in causis criminalibus, & matrimonialibus
vigore Concilij Trident. *sess. 24. cap. 2. §. Ad hæc. de*
2. *reformat.* ex cuius sententia Sacra Congregatio cen-
suit, quòd etiam quòd inferior alleget immemorabi-
lem; nihillominus Ordinarius debeat manuteneri, do-
nec de ea per tres sententias cognoscatur.

Tamen Rota in casu, de quo agitur, censuit Præpo-
sito Atessano dandum esse mandatum de manute-
nendo, quoad cognitionem causarum ciuilium, matri-
monialium, & criminalium. Quia nedum constat de
possessione prædicti Præpositi; verùm etiam docet de
de priuilegio sibi concesso, vsque de anno 1118. à tunc
existente Episcopo, & Capitulo Theatino subscripto
3. ab ipsomet Episcopo: quod priuilegium cùm fuerit
datum ante Paulinam, de consensu Capituli, absque
dubio suffragatur, *cap. 2 & cap. Cum nos. & cap. Tua. de*
his, quæ fiunt a Præl. cap. Pastoralis. in fine. de donat.
Federic. de Sen. *consil. 111. num. 3. in fin versic. nam cum*
in tali exemptione. & fuit dictum *in alia Theatina iu-*
risdictionis, 26. Martij præteriti, coram R. P. D. meo
4. Caualerio. Vltra quòd ex obseruantia subsecuta; nem-
pè, ex s[illegible]la [illegible]one Bizantij de quo in dicto priuilegio; &
ex cognitione causarum, quatenùs beneplacitum apo-
stolicum esset necessarium, esset præsumendum, Gon-
zal. *super regul. 8 gloss. 12. num. 76.*

5. Vnde sequitur, quòd cùm Reuerendissimus Ar-
chiepiscopus nitatur sola dispositione iuris commu-
nis; Præpositus autem alleget possessionem, & priui-
legium; proculdubiò Præpositus sit manutenendus,
& habetur *in dicto cap. Cum persona.* vbi Anchar. *in*
2. notabil. Gemin, *in §. fin. circa finem*, & *ibi* etiā Franc.
num. 2. & 3. & dixit Rota *in Salmantina iurisdict.*
17. Decembris, 1582. coram rec. mem. Card. Seraphi-
no, & *in alia Aquilana iurisdictionis*, 30 Martij, 1607.
coram R. P. D. meo Pamphilio.

6. Neque obstant visitationes datæ pro parte R. D.
Archiepiscopi: quia nulla visitatio datur ante Conci-
lium Trident. illæ autem, quæ dantur sunt post Con-
cilium Tridentinum. Vnde cùm non constet illas fuis-
7. se factas iure ordinario, vel vigore Concilij, ista pro-
batio, tanquàm dubia non releuat Reuerendissimum
Dominum Archiepiscopum, *cap In præsentia de pro-*
bat. & in puncto fuit resolutum *in dicta causa Aqui-*
lana, in qua dicitur, quòd cùm non docerent de visi-
8. tationibus ante Concilium, verisimile erat, quòd fuis-
sent factæ vigore Concilij allegando in argumentum
text. *in l. quidam mulier. ff. de rei vendic. & in l. 2. ff.*
de acquir possess.

9. Nun obstat dispositio Concilij Tridentini, & de-
claratio Illustrissimorum Interpretum: quia, licèt ve-
rum sit, quòd dum cognoscitur super immemora-
bili per tres conformes, Ordinarius debeat manute-
neri: tamen quidquid sit, an Concilium procedat
in Decanis, & aliis dignitatibus in eadem Ecclesia
tantùm, vel etiam in inferioribus aliis Ecclesiis, in quibus non habere locum dispositionem Concilij, censuit Rota *in causa Salamantina iurisdictionis*, 1. Iulij, 1565. corā Aldubrandino, & *in alia Burgen iurisdictionis*, 16. Decembris, 1594. coram Orano: quia postmodum non fuit facta huiusmodi distinctio coram me, *in causa Baren iurisdictionis*, & *in alia Theatina iurisdictionis*, coram R. P. D meo Caualerio; decisiones Concilij videntur indistinctè loqui; & proptereà quidquid sit de hac responsione, firmiter fuit dictum, quòd declarationes Concilij loquuntur, quando agitur super immemorabili tantùm; hic autem docetur de priuilegio, & de antiquissima possessione. Vnde, nisi aliud censuerit Sacra Congregatio, placuit Dominis dispositionem Sacri Concilij esse intelligēdam, quoad manutentionem dandam inferiori, qui docet de priuilegio, & possessione secundum terminos *c. Cum persona de priuil. in 6.* Et ita conclusum, &c.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina iurisdictionis S. Ioannis in Venere, Veneris. 14 Martij, 1614.

ARGVMENTVM.

Ex Summariis colligitur.

SVMMARIVM.

1 *Procurator generalis non potest comparere pro Monasterio.*
2 *Procurator generalis Prædicatorum, & aliarum Religionum eiusdem Ordinis priuilegia communicantium, potest comparere pro quolibet Monasterio particulari, & causas per se, vel per alium tractare.*

DECISIO LVIII.

IN hac causa fuit resolutum Abbatiam S. Ioannis in Venere esse intra limites diœcesis Theatinæ; circunscripto tamen effectu, qui erat, vt videretur, an Abbatia esset nullius, vel exempta. Post dictam resolutionem Reuerendissimus Archiepiscopus Theatinus petebat manuteneri vigore Concilij Tridentini, quoad ea, quæ Ordinariis conceduntur, etiam in locis exemptis, vel nullius: & D D. censuerunt, non posse Reuerendissimo Theatino denegari manutentionem, tum ex assistentia, quam habet ex dicto Concilio, tum ex eius quasi possessione, vt abundè fuit deductum in decisione facta sub die 20. Decembris præteriti.

Neque obstat, quòd visitationes factæ per Archiepiscopos fuerint factæ vigore Breuium apostolicorum; quia quatenus hoc esset verum, non tollit assistentiam iuris communis, vltra quod, quicquid dicendum sit de aliis Archiepiscopis, Oliua, & Saminiatus non potest controuerti, quin simpliciter visitauerint, tanquam Ordinarij, non autem vigore Breuium. Et huiusmodi quidem visitationes sufficiunt quoad omnia: quia, cùm D. Archiepiscopus habeat assistentiam iuris communis pro se, magis attenditur causa actus, quam ipse actus; & huiusmodi visitationes ligant etiam successurem ex deductis in alia decisione.

Minùs facit aliud motiuum excitatum, quòd non adsit legitima persona, quæ compareat pro Abbatia: quia contrarium est verius: semper enim auditus fuit

R. D. Laurentius de Paulis Procurator generalis Iesui-
1. tarum. Et licèt regula sit, quòd Procurator generalis non possit comparere pro Monasterio particulari, per Fastol. *dub.* 23. Felin. *in cap. Eam te, n.* 14. *de rescriptis,*
2. tamen hæc regula fallit in Patribus Iesuitis: quia, cùm habeant communicata priuilegia aliarum Religionum, & Ordo Prædicatorum habeat priuilegium ex concessione Bonifacij IX. vt Procurator generalis posset comparere pro quocunque Monasterio particulari, & causas per se, vel per alium tractare: atque illud ratione communionis etiam habent Patres Iesuitæ.

Ad alias satis fuit responsum in alia decisione, à qua non fuit recessum ex prædictis.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina, seu Nullius iurisdictionis de Bucclanico, Luna, 23. Iunij, 1614.

ARGVMENTVM.

Manutentio Episcopo non datur ex sola iuris assistentia, quando ostenditur priuilegium exemptionis. Nec datur ex quasi possessione non legitimè probata.

SVMMARIVM.

1 *Attentata lite pendente sunt reuocanda.*
2 *Assistentia iuris non suffragatur Episcopo ad obtinendam manutentionem contra exhibentem priuilegium exemptionis.*
3 *Exemptio plena censetur concessa ex receptione sub protectione Sedis apostolicæ, cum onere aliquid soluendi.*
4 *Monasterium exemptum si reducatur ad sæcularitatem, Ecclesia sæcularizata remanet exempta, sicut prius.*
5 *Visitationis actus sunt æquiuoci, cùm possint ab Episcopo fieri iure delegato, & ordinario; & ideò non probant iurisdictionem quasi possessionem.*
6 *Visitationes locorum exemptorum præsumuntur factæ potius iure delegato, quàm ordinario, nisi contrarium probetur.*
7 *Quasi possessio iurisdictionis non acquiritur, absque scientia, & patientia aduersarij.*
8 *Episcopus potest punire exemptum delinquentem in loco non exempto.*

DECISIO LIX.

ROta censuit, manutentionem esse denegandam
1. Reuerendissimo D. Archiepiscopo, & attentata esse reuocanda: quia nihil est innouandum, lite pendente, *tot. tit. C. vt lit. pend.* cum aliis: non enim est locus prætensæ manutentioni, ita vt intret regula, qui continuat, non attentat, vt per Lancell. *de attent. lit. pend. in 6. ampliat. prima limit. princip. n.* 24. Nam aut prætendit Reuerendissimus Archiepiscopus manutentionem ex assistentia iuris communis, vt *in cap. Cùm persona, de priuil. in 6.* aut ex quasi possessione, iuxta terminos §. *Hodie, Instit. de interdict.* & neutro
2. casu sibi debetur. Nam, quantum attinet ad assistentiam prædictam, ei non suffragatur, cùm pro parte Abbatiæ exhibeatur priuilegium Alexandri III. & Alexandri IV. in quibus Abbatia suscipitur sub protectione S. Petri, cum clausula expressa per hæc verba: *Ad indicium autem huius à Sede apostolica percepta libertatis, & protectionis, vnciam vnam auri nobis, no-*
strisque successoribus annis singulis persoluetis. Quod 3.
quidem onus soluendi probat exemptionem, *cap. Si Papa*, vbi omnes Doct. *de priuil. in 6.* & latè dicitur *in causa Salisburgensi exemptionis*, coram bon. mem. Cardin. Seraphino *sub num.* 8. quæ est *decisio* 1025. *in secundo eius volumine*: & propterea, cùm Abbatia ostendat priuilegium, assistentia non suffragatur Reuerendissimo Archiepiscopo, vt habetur *in dicto cap. Cùm persone.*

Neque obstat, quòd Ecclesia B. Virginis de Bucclanico fuerit per Nicolaum V. dismembrata ab Abbatia: quia (vt apparet ex litteris Calixti III) fuit inita concordia inter Abbatem, & Communitatem, & Præpositum Bucclanici, confirmata authoritate apostolica, & effectum sortita, vt patet ex sententia desuper lata: ex qua quidem concordia ista Ecclesia remansit subiecta prædicto Abbati, & omnino exempta à iurisdictione Episcopi: vnde non mutauit subiectionem debitam Abbati, & exemptionem ab Episcopo; & in omnem euentum iotrat dictum Abbatis *in cap.* 2. *num.* 9. *de Capell. Monach.* vbi, quòd si aliquod Monasterium exemptum ex
defectu Monachorum reducatur ad sæcularitatem, 4.
quòd Ecclesia quantuncunque sæcularis remanebit exempta, sicut priùs.

Quantum verò attinet ad quasi possessionem D. 5.
Archiepiscopi, illam quoque non suffragari, Domini censuerunt: nam, dum allegat visitationes factas post annum 1569. cùm potuerint etiam fieri vigore Concilij Tridentini, quia Episcopus, tanquam Sedis apostolicæ delegatus, potest visitare loca exempta, quæ ex ordinaria sua iurisdictione, cùm non probet visitasse iure ordinario, probatio remanet dubia; & ideò non releuat, *cap. In præsentia, de*
probat. & cum, stante priuilegio prædicto, titulus 6.
ex iure ordinario, non sit bonus; sed titulus vigore Concilij, eius vigore magis censetur facta visitatio, quàm alterius tituli. Aym. *cons.* 322. *num* 3. *vers. Rur-*
sus non obstat. Dum verò allegat alios actus, non 7.
probatur patientia, & scientia Abbatis; & ideò illi non prosunt. Innoc. *in cap. Auditis, in princ. de præscript.* Papien. *in form. libell. in confess. vers. Plenam, num.* 11. Et licèt hoc sufficiat; tamen ex abundanti cessat omnis difficultas, cùm non constet, quinque processus criminales compilatos de anno 1588. fuisse factos absente, vel præsente parte. Et ita etiam respondetur ad processum factum super insultu, & furto commisso armata manu, processus autem facti contra Præpositos non releuant, cùm primus fue-
rit factus occasione deprehensionis in domo mere- 8.
tricis in ciuitate Theatina: & sic ratione delicti in loco non exempto. Franc. *in cap.* 2. §. *Statuimus, n.* 10. *de const. in 6.* Secundus verò fuit factus protestante, & reclamante Præposito. Descriptio verò iurium Ecclesiæ in inuentario pro taxa Clericorum, quatenus esset vera, non releuat, cùm non ostendatur effectuatio, & exactio.

Et quibus resolutum, manutentionem denegandam esse Domino Archiepiscopo, & attentata esse reuocanda; cum præsupposito tamen, quòd iura sint in forma probanti, de quo, si opus erit, videbitur.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina iurisdictionis de Atessa, Veneris, 5. Decembris, 1614.

ARGVMENTVM.

Episcopus est manutenendus in quasi possessione cognoscendi de causis matrimonialibus, & criminalibus, ex sola iuris assistentia, contra inferiorem immemorabili se iuuantem, donec per tres conformes de ea cognoscatur; etiamsi inferior possessionem & priuilegium ostendat.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam de iure cognoscendi causas criminales, & matrimoniales in omnibus locis sua diœcesis; & ideò datur ei manutentio, num. 1.*

3 *Episcopo datur manutentio in quasi possessione cognoscendi causas matrimoniales, & criminales, donec cognoscatur per tres conformes, an ex immemorabili spectet ad inferiorem.*

4 *Prelatus inferior ostendens priuilegium, & possessionem, est manutenendus in exercitio iurisdictionis, contra Episcopum nitentem sola iuris assistentia. Nisi possessio sit infecta ex decreto irritanti, num. 5.*

6 *Decretum irritans, insertum in Concilio Tridentino, inficit titulum, & possessionem.*

DECISIO LX.

SAcrum Concilium Tridentinum *sess. 24. & 20. vers. Ad hoc, de reform.* disponit, quòd causæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aut aliorum Iudicum, sed Episcopi tantùm examini, & iurisdictioni relinquantur. Et cùm Congregatio Illustriss. Interpretum aliàs censuerit, quòd Concilium non tollit immemorabilem, dubitari contigit in hac causa 17. Decembris, 1612. an idem esset dicendum de quadragenaria cum titulo, seu priuilegio. Quare Rota reiecit hunc articulum, tanquam proprium discutiendum in dicta Sacra Congregatione, quæ censuit, per Concilium esse sublatam quadragenariam: dubitaui, an Reuerendiss. D. Archiepiscopo esset danda manutentio quoad causas huiusmodi: & Rota censuit, affirmatiuè respondendum, & sic recessit ab alia decisione dicta sub die 17. Decembris, 1612. nam, cùm locus Atessæ sit intra fines diœcesis Theatinæ, vt fuit in
1. hac causa firmatum, Reuerendissimus D. Archiepiscopus habet intentionem fundatam, nedum de iure com-
2. muni, vt *in cap. Omnes Basilica, 16. q. 7.* Sed etiam ex dispositione Conc. Tridentini *loco cit.* quare ei non potest denegari manutentio, vt *in cap. Cum persona, de priuileg. in 6.* & in terminis censuit Congregatio Illu-
3. striss. Interpretum, dum voluit, quòd donec cognoscitur super immemorabili per tres conformes, Episcopus manu teneatur: quia pro eo stat ratio, mens, & verba Concilij, cuius decretum secuta fuit Rota *in causa Marsicana iurisdictionis*, 18 Maij, 1607. coram R.P.D. meo Manzanedo, & aliàs sæpiùs, & præsertim *in alia Theatina iurisdictionis*, coram me.

4. Neque releuat, quòd cùm Reuerendiss. Archiepiscopus nitatur sola assistentia iuris communis; inferior autem ostendat priuilegium, & possessionem qua-

dragenariam, est manutenendus, vt *in d. cap. Cum persona*, vbi Ancharan. *in 2. notab.* quod est fundamen-
tum alterius decisionis: quia obiectum procederet 5.
in priuilegio, & in possessione, quæ non inficeretur per decretum irritans appositum in Concilio: quod,
cùm sit insertum in corpore iuris, inficit titulum, & 6.
possessionem. Put. *decis. 180. n. 9. lib. 3.* Sarnen. *in reg. de triennali, q. 31. vers. Et est aduertendum*, & dixit Rota *in causa Salamantina fructuum*, 9. Martij, 1587. coram bon. mem. Gyptio.

Quantum attinet ad causas ciuiles, placuit Dominis, quòd informaretur super præscriptione, & priuilegio.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina iurisdictionis S. Ioannis in Venere, Lunæ, 10. May, 1621.

ARGVMENTVM.

Declaratoria datur contra Vniuersitatem, constito de contumacia: & quando Vniuersitas dicatur legitimè citata, possessio continuatur in Prælato successore, absque noua apprehensione; quia est penes Ecclesiam, & non penes Prælatum.

SVMMARIVM.

1 *Communitas congregari debet ad sonum campanæ, vel tubæ.*

2 *Vniuersitas dicitur legitimè citata, si fuerit reperta in aliquo congruo loco, licèt non ad illum effectum congregata.*

3 *Declaratoria datur, stante contumacia, & seruatis quatuor terminis substantialibus.*

4 *Contumacia est voluntaria inobedientia, qua quis monitionem Iudicis implere contemnit.*

5 *Possessio antecessoris continuatur in Prælato successore, absque noua apprehensione, & n. 13.*

6 *Possessionis in continuatione ius metimur à possessore; non autem ab eo, contra quem possidetur.*

7 *Mandatum relaxatum contra antecessorem potest exequi contra successorem.*

8 *Successor conuenitur ex ijsdem actis, & causa in eodem statu manente.*

9 *Possessio amittitur per transactionem.*

10 *Clausula*, non aliàs, aliter, nec alio modo, *est resolutiua, & operatur, perinde ac si nihil fuisset actum.*

11 *Possessio rerum Ecclesiæ est penes Ecclesiam, & non penes Prælatum.*

12 *Possessio Ecclesiæ semper dicitur plena, & nunquam vacare.*

14 *Possessio per Prælatum non transfertur ex contractu inutili, & ideò competit manutentio nomine Ecclesiæ.*

15 *Confessio Prælati extraiudicialis, & voluntaria non nocet Ecclesiæ.*

DECISIO LXI.

REuerendissimus D. Vlpianus, tunc Archiepiscop. Theatinus, obtinuit mandatum de manutenendo contra Patres Iesuitas, possessores Abbatiæ S. Ioannis in Venere, super exercitio iurisdictionis à Sacro Concilio Tridentino præscriptæ: qui postea resignauit dictam Ecclesiam, & interim etiam Patres Iesuitæ resignarunt dictam Abbatiam ad fauorem Patrum Oratorij.

totij, contra qoos fuit dictum mandatom legitimè in-
1. timatum. Nam etsi Communitas congregari debeat
ad sonum campanæ, vel tubæ, Gloss. *in l. Sed ex dolo.*
§. 2. *verb. Facere possunt ff. de dol.* tamen cùm Cursor
2. repererit Patres in Refectorio congregatos, & illis in-
timauerit hoc mandatum, sufficit; etiam quòd non
fuerint ad hunc effectum congregati. Gloss. *in cap. Si
Capitulo. verb. Factum. de concess. prabend. in 6.* ibi *In
dictis citationibus, & denunciationibus Vniuersitati fa-
ciendis, sufficit, quòd in loco congruo coram maioribus,
& aliis ibidem inuentis publicè proponatur.* Calder.
3. *cons. 11. de surepatr.* latè Iacob. Anton. de Maoro *alleg. 1.
n. 7.* Vnde, cùm fuerint seruati quatuor termini sub-
stantiales ad docendum de paritione, iuxta stylum
Rotæ, de quibus Felin. *in c. Rodulphus. n. 41. de rescr.*
Vestr. *in praxi cap. vlt. n. 19.* Peregr. *decis. 15. n. 3. lib. 1.*
cùm constet de contumacia: quia reseruatur obedien-
tia dicto mandato, quæ nihil aliud est, quàm volunta-
4. taria inobedientia, qua, quis mooitionem Iudicis im-
plere contemnit, *l. Contumacia. vers. contumaces non
videntur. ff de iudic.* sequitur, quòd ob dictam contu-
maciam possit dari declaratoria censurarum in man-
dato cõminatarũ, *c. Certum. 43. 11. q. 3.* Gloss. *in c. Duo
sunt. 10. vers. Videbatur. 96 distinct.* variant Socin. *in c.
Nulli. n. 7. de sent excom.* Abb. *in c. 1. n. 10. de iudic.*
Cassad. *decis. 5. n. 7. de constit.* quam tamen declarato-
riam DD. benigne agentes voluerunt dare, nisi patres
infra quindecim dies paruerint.

5. Neque obstat, quòd mandatum fuerit relaxatum ad
fauorem reuerendissimi Vulpij: quia possessio antecess-
soris continuatur in Prælato successore absque alia ap-
prehẽsione. Guido Pap. *dec. 355.* Pontan. *de spolio, lib. 3.
n. 149.* & fuit dictum *in causa montis regalis iurisdi-
6. ctionis, 1.* April. 1601. coram me: & prodest etiam con-
tra patres Oratorij, cum in continuanda possessione
metiamur ius à possessore non autẽ ab eo cõtra quem
possidetur Guido Pap. *decis. 629. n. 3.* Rota *decis. 99.
n. 11. p. 1.* Ægid *cons. 21. n. 7. & 8.* Gig. *de pens. q. 47. n.
10. vers. 6. Sciendum.* Put. *decis. 151. lib....* & fuit dictum
in causa Romana census, 6. Nouembris, 1606. corã bon.
mem. Penia, & *in causa Cesaraugustana praeminẽtia-
7. rum*, 3. Martij, 1604. coram me, & aliàs sæpiùs: & pro-
pterea mandatum relaxatum cõtra patres Iesuitas, po-
test exequi contra Patres Oratorij, *l. Si superatus. §. Si
per iniuriam ff. de pignor. l. Mater. §. Si ergo. ff. de ex-
cept. rei iudic.* Butr. *in c. Quia sub. n. 13. vers. Primus,
8. quando ius exequendi. de iudic.* Patres enim Oratorij
successores conueniuntor ex eisdem actis, & causa in
eodem statu manente, Rot. *decis. 1. vt lit. penden. in
antiq.* Felin. *in c. Quia in fin. de iudic.* Lancellot. *de
attent. post inhibit. par. 2. cap. 20. tract. 24. n. 18.*

9. Non obstat transactio in vita post dictum mandatũ
inter bon mem. Archiepiscopum Toolsanum, & Pa-
tres Oratorij ex qua prætenditur amissa possessio, Bel-
larm. *in c. Vniuersi. n. 4. de transact.* Ioan. Andr. *in c. Si-
gnificauit. n. 3. vers. Si autem Monachi de censibus.* Nam
fuit responsum, quòd expressè fuit actum, quòd con-
cordia noo haberet effectum, nisi à die concessionis
beneplaciti apostolici, quod cum non fuit obtentum,
10. nihil fuit actum; maximè stante causula, *nec aliàs, ali-
ter, nec alio modo.* qoæ est resolutiua, & operatur, por-
inde ac si nihil fuisset actum. Bald, *in l. Siquidem. n. 3.
C. de except.* Alex. *cons. 3. n. 4. lib. 1.* Clar, *in §. Emphy-
teusis q. 13. n. 11* Caputaq. *decis 82. n. 4. par 3.*

11. Et vlteriùs fuit coosideratum, quòd possessio est
penes Ecclesiam, & non penes Prælatum. DD. *in l. 1.
in fin ff. de acq. poss.* & de communi, & veriori Alex.
cons. 81. n. 17. vol. 3. Paris. *cons. 24. n. 5. vol. 1.* & respectu
cioilis possessionis conclusio est sine contradictore.
12. Bolognett. *in d. l. 1. n. 324. vers. In Prælato.* Mathesil.
sing. 166. & ibi Apostill. & quòd possessio semper di-
catur plena, & nonquam vacare, Rip. *in c. Sepè n. 57.
de restit. spol.* & ideò continuatur in Prælato successore 13.
absque apprehensione, Guido Papæ *decis. 355.* Pon-
tanus *de spolio, l. 3. num 149.* & propterea ex contra-
ctu inutili, possessio per Prælatum non transfertur. 14.
Barth. *in l. 1. §. Si vir vxori n. 3.* Ias. *n. 28.* Bolognett.
n. 64. de acquir. poss. Verall. 182. *n. 8. p. 3. & 1.* & ideò
competit manutentio nomine Ecclesiæ. Seraph. *decis.
1417. n. 3.* Verall. *vbi suprà.*

Non obstant confessiooes factæ per bon. mem. To-
losaoum *in d. transactione*: quia vltra quod adest pa-
ctum annullatiuum in casu, quo non sequatur dictum
beneplacitum apostolicum, cùm sint confessiones ex- 15.
traiudiciales, & voluntariæ, noo nocent Ecclesiæ.
Angel. *cons 145. n. 8. vers. Et tunc, cùm ista confessio.*
Castrens. *cons. 338. n. 3. lib. 1.*

Et ita, &c.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Theatina iurisdictionis, Luna, 5. Iulij. 1621.

ARGVMENTVM.

Ex Summario colligitur.

SVMMARIVM.

1 *Abbates quando possint cognoscere de causis matri-
monialibus, & criminalibus, nec comprehendan-
tur decreto Conc. Trid.* sess. 24. de reformat. c. 20.
§. Ad hæc.

2 *Episcopus potest cognoscere de causis matrimonia-
libus, & criminalibus, in locis, in quibus inferio-
res Prælati prætendunt iurisdictionem quasi epi-
scopalem, donec per tres conformes terminetur,
an ad eos spectet iurisdictio.*

DECISIO LXII.

Rota censuit, mandatum de manutenendo conces-
sum Reuerendissimo Archiepiscopo Theatino
non esse reuocandum, cùm iustificetur necdum ex as-
sistentia iuris, quam habet; verùm etiam ex actuali
possessione, vt fuit resolutum 20. Decembris, 1613.
coram me, quæ est *decis. 501. par. 2. in recent.* & rursus
14. Maij anni sequentis.

Neque obstat, qoòd Concilium Trident. *sess. 24.* 1.
cap. 20. in §. Ad hæc de refor. non habeat locum in Ec-
clesiis contra Abbates habentes in suos plenam iuris-
dictionem, vt dixit Rota ex sententia Illustrissimo-
rum Interpretum coram bon. mem. Ioanne Aldobran-
dino *in causa Salamantina iurisdictionis*, 1. Iunij, 1565.
vt in copia, quæ data fuit: quia decisio loquitur, quan-
do Abbas habet plenam iurisdictionem, de qua dum
cognoscitur, Ordinarius non est sua possessione pri-
uandus, pro quo stat mens, & ratio Concilij, vt eadem
Congregatio censuit.

Et quod plus est, moderna declaratio continet, 2.
quòd Abbas habeat iurisdictionem, episcopalem, ac
temporalem in Parochos, & Parochianos; & quòd il-
lam exerceat, & insuper reseruat Ordinariis, si maio-
rem in locis, vel illorum personis authoritatem exer-
ceant, de quibus est cognoscendum: & interim Reue-
rendiss. Theatinus potest cognoscere, donec per tres
conformes hoc terminetur, vt in puncto eodem Con-
gregatio resoluit, & sanct. mem. Paulus V. confirma-
uit, vt in Breui, sub die 27. Februarij, 1615.

Et propterea nõ obstantibus iis, quæ deducũtur ad ostendendum, quòd Abbas habeat iurisdictionem spiritualem, & temporalem : quia hæc respiciunt petitorium & per tres conformes sunt canonizanda, & interim non impediunt, quominùs Reuerendissimus Theatinus manuteneatur per supradicta.

Denique non obstat, quòd Abbatia sit nullius: quia pluries in hac causa fuit firmatum, esse in diœcesi Theatina, & ideò super hoc non est insistendum.

Ex quibus conclusum, mandatum de manutenendo non esse reuocandum.

EMIN. D. CARD. SACRATO.

Sipontina iurisdictionis, Veneris, 24. Maij, 1613.

ARGVMENTVM.

Episcopo datur manutentio in exercitio iurisdictionis in omnibus locis suæ diœcesis ex sola iuris assistentia, non obstante priuilegio exemptionis in contrarium allegato, & exhibito : nisi doceatur simul de quasi possessione exemptionis: & quomodo talis possessio probetur,

SVMMARIVM.

1 *Exemptio præsupponit existentiam in diœcesi.*

2 *Episcopus habet intentionem fundatam de iure exercendi iurisdictionem in omnibus Ecclesiis existentibus in sua diœcesi.*

3 *Manutentio ex sola iuris assistentia, datur Episcopo in exercitio iurisdictionis, in locis existentibus in sua diœcesi.*

4 *Iurisdictio probatur ex testibus deponentibus de illius exercitio, etiamsi non deponant de omnibus actibus iurisdictionalibus, & n. 5.*

6 *Causa vniuersalis magis attenditur, quam actus.*

7 *Exemptio ab Episcopo concessa an teneat in præiudicium successorum remissiuè.*

8 *Manutentio vt impediatur Episcopo in exercitio iurisdictionis non sufficit exhibitio priuilegij, nisi vlteriùs adsit quasi possessio exemptionis.*

9 *Priuatio præsupponit habitum.*

10 Cap. Cùm personæ. de priuileg in 6. *emanauit ad fauorem iurisdictionis ordinariæ.*

11 *Causa finalis deducitur ex proœmio.*

12 *Ordinarius exercens iurisdictionem in vna parte suæ diœcesis constituitur in quasi possessione exercendi quoad omnes, in quibus alter habet particularem quasi possessionem,*

13 *Manutentio non impeditur per exceptiones respicientes petitorium.*

14 *Manutentio non impeditur sola exhibitione priuilegij.*

15 *Exemptionis in quasi possessione constitutus non dicitur subditus ex eo solum, quòd non appareat, Superiorem in illum exercuisse iurisdictionem, nisi probetur, quòd venerit casus exercendi, & volens exercere fuerit repulsus, & repulsioni acquieuerit, vel aliàs se habuerit pro spoliato.*

16 *Gloss.* in cap. Cùm personæ. de priuil. in 6. *reprobatur.*

17 *Argumentum à contrario sensu non valet ad inducendum correctionem iuris.*

DECISIO LXIII.

PRo Informante fuit resolutum ; nempe, Domino
Archiepiscopo esse dandum mandatum de manutenendo in quasi possessione exercendi iurisdictionem : etenim, cùm loca, de quibus agitur, sint intra
diœcesim, quod probatur ex eo, quòd Dominus Abbas
allegat exemptionem, quæ in necessarium antecedens 1.
præsupponit existentiam in diœcesi Rota *in causa Volaterranen. iurisdictionis*, 14. Ianuarij, 1581. coram Brauo, relata *inter diuers. impres. decis.* 207. *part.* 2. & latiùs
in Constan. iurisdictionis, 18. Maij, 1611. coram Reuerendiss. D. Attrebat. & etiam deponunt testes, quorum 2.
Summarium fuit datum. Videtur, quòd Dominus Archiepiscopus habeat de iure communi fundatam intentionem, *c. Omnes Basilicæ.* 16. *q.* 7. *c. Conquerente. de offic. Ordin. c. Cùm. Episcopus. eodem titul. in* 6. Verall. *decis.* 306. *par.* 1. & 203. *par.* 2.

Ob quam iuris assistentiam debet manuteneri, *cap.* 3.
Cùm persona, §. finali. cum ibi notat. *de priuil. in* 6. Verall. *d. decis.* 306. *par.* 1. Rota *in causa Salamantina iurisdict.* 18. Aprilis, 1581. coram Cantuccio, relata *inter diuers. impres. decis.* 145. *n.* 6. *par.* 2. *in Veronen. iurisdict.* 15. Maij, 1608. coram D. Attrebaten. & alibi sæpè.

Et præfata eò magis procedunt : quia de exercitio 4.
iurisdictionis deponunt prædicti testes. Rota *in dicta Calaguritana iurisdictionis*, 5. Maij 1508. corã Reuerendissimo Attreban. & *in Foroliuien. seu Bertinorien. diœcesis*. 3. Aprilis, 1609. coram eodem, etiamsi non 5.
deponant de omnibus actibus iurisdictionalibus :
quia sufficit causa vniuersalis, quæ magis attenditur, 6.
quàm actus, vt fuit resolutum *in causa Assisten. Canonicatus*. 14. Iunij, 1600. coram me: & in terminis iurisdictionis, Innocent. *in cap. Dilectus. n.* 3. *de Capell. Monach.* & alij *infrà* allegandi. Et super aliquibus capitibus iurisdictionis in territorio, de quo agitur, dantur etiam decreta Sacræ Congregationis, super Concilio, ad fauorem D. Archiepiscopi.

Non obstat prætensum priuilegium exemptionis concessum, de anno 1211. ab Archiepiscopo Sipuntino: nam omisso, quantùm hoc priuilegium valeat in 7.
præiudicium successorum, de quo *in Veronen. exemptionis*, 27. Maij, 1594. coram bon. mem. Cardinale Pamphilio.

Respondetur, quòd ad euitandam manutentionem 8.
Ordinarij, non sufficit exhibitio priuilegij; nisi vlteriùs adsit quasi possessio exemptionis, vt habetur *in c. Cùm persona de priuileg. lib.* 6. ibi, quia de priuilegio faciũt fidem in libertatis, vel exemptionis possessione, non violenta, non clandestina, nec concessa precario, de
qua, si fidem coram eisdem fecerint, non turbentur. Si 9.
enim Papa mandet, eos non turbari in possessione, per necessarium antecedens præsupponit, quòd possideant: quia priuatio præsupponit habitum, iuxta not. *in l. Decem. ff. de verb. oblig.*

Et iste intellectus suadetur ex eo, quia *dict. c. Cùm* 10.
persona. emanauit ad fauorem iurisdictionis ordinariæ, vt patet in principio, ibi: *Ordinariorũ correctiones, & ordinationes subterfugientes, ac eorum forũ, sine iudiciũ declinantes. Nos volẽtes super hoc de salubri remedio prouidere, statuimus, vt hi, qui se asserũt per priuilegia, seu indulgentias apostolicæ Sedis exemptos à locorũ
Ordinariis, &c.* ex qua narratiua proœmij, colligitur 11.
causa finalis, *l. fi. ff. de hæred. instit.* Oldrad *cons.* 103. *n.* 2. Roman *consil.* 38. *n.* 1. Alexan. *consil.* 160. *n.* 20. *l.* 6. Si igitur allegantes priuilegium exemptionis per solam exhibitionem priuilegij, antequam de illius iuribus cognoscatur, liberarentur ab exercitio i[illegible]dictionis Episcopi, dispositio text. emanasset ad illor. in fauorem. Siquidem per regulas iuris sola exhibitio priuilegij non tolleret exercitium Ordinarij.

12. Nam eo ipso, quòd Ordinarius exercet iurisdictionem in vna parte suæ diœcesis, videtur constitui in quasi possessione exercendi quoad omnes, in quibus alter non habet particularem quasi possessionem. Abbas *consil. 71. col. fin. vers. Tertio ad idem* ibi. *Nec alius erat in possessione. lib. 2.* Felin. *in cap. Audiuis. n. 19 in 3. declar. de prascript.* Rebuff. *in tract. de decimis, q. 9. n. 9.* Menoch. *remed. 3. retin. n. 135.* Cephal. *consil. 369. n. 15. cum pluribus seqq.* Rota *in causa Orsolen. decimarum,* 19. Iunij, 1591. corá Gyptio. & *in Valentina decimarũ,* 27. Octobr. 1598. coram bon mem. Seraph & in terminis iurisdictionis tradit Innocent. *in cap. Dilectus, n. 3. vers. Possessorium. ex eo.* Host. *num. 1. vers. Ex prædictis etiam.* Ioan. Andr. *n. 8.* Butr *n. 15.* Boich. *n. 11. de Capellis Monach.* Verall. *decis. 306. par. 1.*

13. Et proinde per istam exhibitionem priuilegij, quæ cernit petitorium, remaneret Episcopus priuatus sua quasi possessione, contra notata per Abb. *in c. 1. n. 4.* Butr. *n. 2. vt lite pendente.* Lancellot. *de attentat par. 2.*
14. *c. 17. n. 161. & sequent.* in specie, quòd sola exhibitio priuilegij exemptionis non impediat manutentionem, fuit decisum *in causa Carthaginen. decimarum,* 27. Iunij, 1690. coram Gyptio.

15. Nec potest subditus dici constitutus in quasi possessione exemptionis ex eo solùm, quòd non appareat, Superiorem in illum exercuisse iurisdictionem, nisi probetur, quòd venerit casus exercendi, & volés exercere, fuerit repulsus, & repulsioni acquieuerit, vel aliàs habuerit se pro spoliato, vt per Innoc. Host. Ioan. And. Butr. Boich & Verall. *locis suprà allegat.*

16. Et licèt Gloss. *in dicto cap. Cùm persona. verbo, turbentur,* innuat, quòd sola exhibitio priuilegij sufficiat, *per. §. sequen. infra, eodem;* attamen loquitur contra regulas iuris, vt patet ex prædictis: & ducit argumentũ
17. suum à contrario sensu, vt aduertunt Lapus, Anchar. & alij mox allegandi: quod argumentũ non valet ad inducendam correctionem iuris, vt latè per Euerard. in loco à contrario sensu, *n. 8.* prout induceretur in proposito casu. Et iste est communis intellectus illius *cap. Cùm persona,* vt per Lap. *ibi. n. 4. vers. Et hoc videtur.* Anch. *n. 6. vers. Hoc tamen.* Gemin. *in §. Si verò, versic. Et hoc videtur.* Franc. *ibidem. n. 3. versic. Et hoc procedit.* dum dicunt, exhibentem priuilegium, ita demum euitare manutentionem Episcopi, si ipse est in quasi possessione exemptionis.

Et ita decisum, &c.

EMIN. D. CARD. SACRATO.

Lauretana iurisdictionis. Luna, 10. Iunij, 1616.

ARGVMENTVM.

Episcopo Lauretano competit iurisdictio in Clerum, & Cantores, ac Custodes, & alios Ministros Sanctæ Capellæ, privatiuè quoad Protectorem; quando tamen delinquunt extra Capellam, & officium.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam de iure cõmuni quoad iurisdictionẽ spiritualẽ, super omnibus personis suæ diœcesis, etiamsi illa persona profiteantur, se inseruire Capellæ exemptæ. n. 2.*
3 *Manutentio in materia iurisdictionali competit ratione solius assistentia iuris communis.*
4 *Cathedralis erectione formatur nouum corpus cum nouo Præsule.*
5 *Corpus nouum est diuersum ab antiquo; & ideo de vno ad aliud non fit bona illatio.*
6 *Corpus vnicum habere duo capita, monstruosum est.*
7 *Dispositio qualibet intelligitur, rebus in eodem statu permanentibus.*
8 *Priuilegia contra Ecclesiam collegiatam non suffragantur, si postea erigatur in cathedralem.*
9 *Ecclesia filialis, quæ prius cedebat matrici, si erigatur in collegiatam, debet illi precedere.*
10 *Statu mutato ius antiquum etiam mutatur.*
11 *Parochia nouiter erecta habebit decimas, quæ aliàs competiissent antiquæ, etiamsi hoc in noua erectione minimè caueretur.*
12 *Archidiaconus, qui habet Monasterium sibi subiectum, si illud erigatur in cathedralem, de domino fit subiectus, nisi aliud in erectione caueatur.*
13 *Iurisdictio spiritualis, priuatiuè quoad omnes alios, est præcipuum ius, quo de iure, & consuetudine vtuntur Episcopi.*
14 *Episcopo reseruatum censetur, quicquid per priuilegium ei expressè non adimitur.*
15 *Probationem liquidissimam habere dicitur, habens pro se iuris communis dispositionem.*
16 *Probatio liquidissima non tollitur per æquiuocam.*
17 *Iurisdictionis certa specie prohibita, reliquæ species videntur permissa.*
18 *Connexorum eadem est natura.*
19 *Limitata causa limitatum producit effectum.*
20 *Interpretatio stricta fit in materia correctoria.*
21 *Petitorium nihil commune habet cum possessorio,*

DECISIO LXIV.

ORta controuersia inter illustrissimos, & Reuerendissimos DD. meos, D. Cardinalem Protectorem Sanctæ Domus Lauretanæ ex vna, & D. Cardinalem Episcopum eiusdem Ciuitatis ex altera, super multis capitibus iurisdictionis spiritualis exercendæ in dicta ciuitate, & Capella, & super illorum personis, causáque mihi in Rota commissa, dubitaui, cui esset dandum mandatum de manutenendo, & in quibus, ad effectum, de quo agitur. Et quia materia euasit satis prolixa, & multa fuerunt proposita, quæ videbantur egere particulari inspectione; placuit Dominis pro hac prima vice firmare tantùm:

Quòd Illustrissimo D. Cardinali Episcopo sit dandum mandatum de manutenendo quoad exercitium iurisdictionis in Clerum, & Cantores, necnon etiam in Custodes, & alios ministros Sanctæ Capellæ: quando tamen delinquunt extra Capellam, & officium, reseruato, vt de aliis videretur.

Moti fuerunt Domini ad concedendum prædictũ 1.
mandatum: quia Episcopus de iure communi habet fundatam intentionem, quoad iurisdictionem spiritualem super omnibus personis suæ diœcesis, *c. Conquerente. de offic. Ordin. c. Cùm Episcopus. eod. tit. in 6.* Franc. *in. c. Cùm persona. §. fin. de priuil. in 6.* Host. *in c. Cùm inferior. n. 13. de maior. & obed.* Caput *decis. 506. n. 1. & 7. lib. 1. & decis. 203. lib. 2.* etiamsi illæ personæ
profiteantur, se inseruire Capellæ exemptæ à iurisdi- 2.
ctione Episcopi, Rota *decis. 736. n. 2. vers. Et quatenus. par. 1. diuers.* Ratione autem solius assistentiæ iuris cõ-
munis in materia iurisdictionali competit manuten- 3.
tio, *c. Cùm personarũ §. fin. de priu. in 6.* Caputaq. *dec. 306. n. 7. lib. 1. & 23. lib. 2.* Rot. *decis. 45. n. 5. in fin. cum seq. q. par. 1. diu.* & in *causis Bononien. Sancti Petronij,* 28. Aprilis, 1593. coram Card. Mantic. *Veronen iurisdictionis,* 18. Martij, 1596 coram bon. mem. Card. Pamphilio; & *in Sipuntana iurisd.* 24. Maij, 1613. corá me.

Cæterùm, vltra iuris assistentiam quoad delicta extra officium, & Capellam, de quibus nunc agitur, adest clara

clata quasi possessio D.Card.Episcopi, de qua benè de-
ponunt testes pro eius parte examinati, nempe, primus
iuxta 14 quartus iuxta 20. additionale. & quintus iux-
ta aliud additionale, qui testes deponunt de actibus
particularibus, in quibus Episcopi pro tempore exer-
cuerunt iurisdictionem: & concordant etiam testes D.
Cardinalis Protectoris, nempe, tertius iuxta 15. &
quintus iuxta 16.

Non obstant amplissima priuilegia concessa per
Iulium II. & alios antiquos Pontifices Protectoribus
Sanctæ Capellæ: quia fuit dictum, quòd priuilegia:
quæ emanarunt, antequam Castrum Lauretanum eri-
geretur in Cathedralem, non possunt deseruire post
4. dictam erectionem: etenim per huiusmodi erectioné
formatur nouum corpus cum nouo Præsule, qui est
Episcopus, Host *in c. Cum inferior. n. 12. vers. Nam &
erecta. & ibidem* Ioan. Andr. *in gloss. 3. ad fin.* Butr. *n.* 12.
5. Card *n. 1. opposit. 10.* Ægid. *n. 8. vers. in glos. 3. de maior.
& obed.* Propterea malè infertur de illo corpore antiq.
ad nouum, cùm sint diuersa, *vulg. l. Illud ff. ad l. Aquil.*
6 *l. Ille, aut ille. de leg. 3.* cum Concord. Est enim mon-
struosum, quòd vnum corpus debeat habere duo ca-
pita. *c. Quoniam vers. Prohibemus.* vbi Gloss. *de Paro-
chiis. c. In quib. 17. q. 1.* Oldr. *cons. 67. n. 1.* & in istis ter-
minis Rot. *in causa Constantien. iurisdict. vers. Ne-
que verò.* 18. Maij, 1611. coram Reuerend. Attrebatensi.
7. & suffragatur tritia conclusio, quòd quælibet dispositio
intelligitur, rebus in eod. statu permanentibus *l. Quòd
Seruius.* vbi Ias. *n. 8. ff. de cõd. caus. dat.* Anchar. *cons. 84.
n. 3.* Ruin. *cons. 137. n. 11 lib. 2.* latè Tiraquell. *in præfat.
l. si vnquã n. 167. C de reuocand. donat.* Rot. *decis. 123.*
8. *n. 16. par. 2. diuers.* & proinde cùm Ecclesia Laureta-
na, quæ priùs erat simplex collegiata, effecta fuerit ca-
thedralis, priuilegia antiqua non possunt deseruire.
qua ratione videmus, quòd Ecclesia filialis, quæ priùs
9. præcedebatur à Matrice, si erigatur in collegiatam, de-
bet præcedere ipsam Matricem. Seraph. *decis. 1445. n.
2.* vbi *sub n. 7.* reddit bonam rationem: quia, scilicet,
mutato statu, mutatur antiquũ ius. Sic videmus, quòd
10. erecta noua Parochia habebit decimas, quæ aliàs cõ-
11. petiissent antiquæ, etiamsi hoc in noua erectione mi-
nimè caueretur. Abb. qui de communi attestatur *in c.
Cum contingat sub n. 8. vers. Sed remanet quartus casus.
de decim.* & fuit dictum *in Cenien decimarum,* 28. Iun.
1602. & 27. Nouembris, 1606. coram me. Sic Archi-
12. diaconus, qui habet Monasterium sibi subiectum, si il-
lud Monasterium erigatur in cathedralem, de domi-
no fit subiectus, nisi aliud in dicta erectione caueatur.
Host *in c. Cum inferior. n. 13. de maior.* quæ magis de
plano videbantur procedere in hoc casu, quo Papa in
erectione nouæ Cathedralis vsus fuit verbis amplissi-
mis, vbi: *Qui iurisdictionem habeat, & exerceat in spi-
ritualib. cum honorib. & priuilegiis, quibus alij Episco-
pi de iure, vel cõsuetudine, aut alias quomodolibet vtũ-
13. tur,* &c. Certum est autem, quòd præcipuum ius, quo
de iure, & consuetudine vtuntur Episcopi, est ipsa spi-
ritualis iurisdictio priuatiuè quoad omnes alios per *su-
prà* alleg. Et hæc quoad priuilegia ante erectionem,
quæ possunt etiam deseruire, quoad quasi possessioné,
in qua Protector Sanctæ Domus Lauretanæ esset an-
te erectionem in cathedralem.

Post verò erectionem, non fuit pro parte D. Cardi-
nalis Protectoris ostensa quasi possessio respectu iu-
risdictionis in Clerum, & Ministros delinquentes ex-
tra Capellam, & officium: & licèt fuerint exhibita
quædam prætensa Concordata inter Episcopos præ-
decessores, & D. Protectorem Sanctæ Capellæ; atta-
men visum fuit, illam non obstare: nam (omisso, quòd
pro parte D. Cardinalis Moderni Episcopi fuit allega-
tum, illa non esse in forma probanti, neque confecta
ea authoritate, quæ possit ligare Episcopos successo-
res, ac etiam dum de correctione loquuntur, in-
telligenda de correctione leui, quas inspectio-
nes Domini reseruauerunt ad aliam propositionem,)
fuit responsum, quòd non poterant deseruire ad ca- 14.
sum, de quo nunc strictè agitur, quia non continent
verbis expressis, & claris delicta Officialium delin-
quentium extra eorum officium, vt esset necessarium
ad prædictum effectum. Seraph. *decis. 1380. n. 2. vers.* 15.
Quia in illo. & n. 3. vers. Neque verba Priuilegij. Rota
in Constantien. iurisdictionis, coram Attrebatensi, *vers.
Et generaliter.* vbi dicit, quòd omnia illa, quæ per pri-
uilegium expresè non adimuntur Episcopo, illi cen-
sentur reseruata: & meritò, quia habens pro se iuris
communis dispositionem, dicitur habere liquidissimã
probationem, Gloss. *in l. si tutor. in verbo. Ostenderis,* 16.
vbi Bald. *n. 2. C. de periul. tut.* Rot. *decis. 4. in fin. p. 2. di-
uers.* Hæc autem liquidissima probatio non debet tol-
li per æquiuocationem *cap. In præsentia,* vbi Abb. *n. 6.*
Dec. *n. 12.* Butr. *n. 132. de probat.* Gemin. *in c. Si tibi n.
14. de prebend. in 6.* Seraph. *decis. 619. num. 9.* Quan-
tùm enim ad Officiales Sacristiæ, prætensa Concor-
data sunt restricta ad delicta in officio, ibi: *Et in eorũ
officio delinquentium correctio,* &c. Vnde quoad deli- 17.
ctum extra officium, faciunt pro Episcopo, arguendo
ex materia *l. Cum Prætor ff. de iud.* Quantùm verò ad
Custodes Capellæ, licèt simpliciter dicant, illorum de-
putationem, & correctionem spectare ad Protecto-
rem; non propterea exprimunt, quod hoc debeat in-
telligi, etiam de delictis extra officium; & propterea
cùm hoc expresè non dicant, iurisdictio remanet Epi-
scopo ex decisionibus Seraphini, & Attrebatensis *su-
pra* allegatis; & illa connexio deputationis, & corre-
ctionis satis denotat, correctionem debere intelligi
circa materiam, in qua fit deputatio, arguendo à si- 18.
mili natura connexorum. Aym. Crauett. *cons. 461. n.
50.* Anchar. *cons. 161. n. 4.* Et limitata causa, vt, scilicet, 19.
meliùs possit expediri officium deputationis, limita-
tum debet producere effectum, *l. In agris ff. de acq. rer.
domin.* Et quia in materia correctoria stricta fit in- 20.
terpretatio. Alex. *cons. 50. n. 13. vers. Denique. lib. 2.* Ro-
man. *cons. 150 n. 4.* Præterea, etiamsi prætensa Concor-
data aliquid plùs dicerent, non esset Episcopus tur-
bandus in possessione, in qua existit, quoad delicta ex-
tra officium, & Capellam, vt *supra* firmatum est, cùm
exceptio Concordatorum respiciat petitorium, quod
dicitur, nihil habere commune cum possessione, *l.* 21.
Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de acq. poss. Potuerũt
enim superuenire noua concordata, aut præscriptio
adminiculata titulo iuris communis, de quibus erit in
petitorio agendum.

Et ita conclusum.

R. P. D. VBALDO.

*Adrien seu nullius iurisdictionis; Lunæ,
28. Maij, 1612.*

ARGVMENTVM.

Ecclesiam esse in diœcesi, & quibus
probetur.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiua ex scripturis informibus, & exemplis exemplorum nullum faciunt gradum probationis.*
4 *Enunciatiua non probant, quando principaliter disputatur de enunciato.*
3 *Visitare potest Episcopus viciniores Ecclesias, etiam quæ sunt nullius.*

4 [illegible]

4 *Actus quando potest referri ad plures causas, siue titulos, eius probatio redditur dubia.*

5 *Seminario contribuere tenentur etiam, qui sunt nullius.*

6 *Exempti ratione Parochialium ad Synodum diœcesanam accedere tenentur.*

7 *Quasi possessio iurisdictionis non acquiritur, absque scientia, & patientia illius, de cuius præiudicio agitur.*

8 *Territorij separatio arguitur ex exercitio omnimoda iurisdictionis quasi episcopalis.*

DECISIO LXV.

FVit resolutum, non probari, Monasterium, & Ecclesiã, de quibus in puncto, esse in diœcesi Adriẽsi,
1. cùm enunciatiuæ antiquæ, ad probandum adductæ,
sint ex scripturis informibus, & exemplis exemplorum, quæ nullum faciunt gradum probationis, *Auth. Si quis in aliquo.* vbi Doct. *C. de edend.* vltra quod
enunciatiuæ non probant, quando principaliter dis-
2. putatur de enunciato, vt in hoc casu. Felin. *in cap Per tuas. num. 10 vers. Secundò restringitur. de probat.* Put. *decis. 382. n. 3.* & fuit dictum *in causa Lucen. seu Nullius iurisdictionis*, 4. Maij, 1598. coram bon. mem. Cardinali Seraphino, & *in Constantiensi iurisdictionis*, 16. Nouembris, 1607. coram Reuerendiss. Atrebatensi, & quoad Ecclesias inferiores enunciatiuæ nullæ dantur: sublatis autem enunciatiuis res reducitur ad prætensas visitationes, & alios actus iurisdictionales per Episcopum Adriensem in dictis Ecclesiis, qui cumulantur per informantes pro Episcopo. Et quidem quoad visitationes, illæ non videbantur obstare: quia ferè omnes fuerunt factæ post Concilium Trid. & sic putue-
3. runt fieri tanquam ab Episcopo viciniore, qui potest
visitare Ecclesias, etiam quæ sunt nullius, *cap. 9. de re-*
4. *format. sess. 24* Et sic cùm actus possit referri ad plures
causas, seu titulos, eius probatio redditur dubia ex allegatis per Surd *cons. 168. sub n. 33 vers. Respondeo quoque & num. seq. lib. 2.* Et licèt in dictis visitationibus Episcopus videatur appellari ordinarius: tamen dicebatur constare de errore, & eius loco fuisse scriptum ordinariones in visitatione; sed, non qua authoritate factæ fuerint, visitatio vero Sancti Petri de Fracta, quæ fuit facta ante Concilium, dicebatur facta ratione Curæ ad Ecclesiam translatæ ab Ecclesia Sancti Martini, quæ est in diœcesi Adriensi; non autem ratione loci, vel pertinentiæ dictæ Ecclesiæ Sancti Petri. Alij actus qui dantur, partim non poterant exerceri per Prælatos inferiores, vt ea quæ sunt Ordinis; ideò necessariò pro Ordinum collatione ad varios Episcopos fuit recursum. Conc. Trid. *de reform. c. 10 sess 23.*
5. Partim fuerunt facti vigore eiusdem Concilij, vt con-
tributio Seminario Adriensi, cùm teneantur contribuere etiam qui sunt nullius, *c. 8. circa med de reform.*
6. *sess. 23.* vt etiam edicta pro celebranda Synodo, cum
ratione Parochialium Rectores, & exempti ad Synodus diœcesanas accedere teneantur, *c. 2. §. Synodi quoque. sess. 24. de reformat.* Partim non sunt in actis; &
omni casu actus prædicti non videbantur releuare
7. cùm non constet fuisse factos de scientia, & patientia
Abbatis, sine qua non poterat ei inferri præiudicium. Doctores *in c. Cum Ecclesia.* vbi Rip. *n. 64. de caus. poss. & propr.* Abb. *in cap. Cum contingat. n. 11. de for. comp.* Cæs. de Graff. *decis. 7. n. 9. de testibus.* Put. *dec. 181. n. 3. & 4 lib. 2.* & fuit tentum *in vna Aprutina iurisdictionis*, 19. Martij, 1607. coram R. P. D. meo Pamphilio.

Non obstat, quod quælibet Ecclesia præsumitur esse intra fines alicuius diœcesis: quia hæc præsumptio videbatur tolli ex multis adductis pro Abbate ad
8. probandum, quod exerceat omnimodam iurisdictionem, & quasi episcopalem in Ecclesiis, de quibus in puncto, quod ipsum arguit separationem territorij. Rota *decis. 207. in fine. part. 2.* Franc. *in c. 2. §. Statuto n. 10. vers Sed si per priuileg. de constit. in 6.* Feder. de Sen. *cons. 14. n 4 vers situm.* Balb *de præscript. 1. par. 5. par principal. q. 11. num. 7. & 8.* Et fuit dictum *in vna Salamantina iurisdictionis*, 9. Maij, 1580. coram Seraphino, & *Lucensi, seu nullius iurisdictionis* 4 Maij, 1598. coram eodem, & *in Burgensi iurisdictionis*. 16. Decembris, 1599. coram Orano; præterquam quòd etiamsi intraret præsumptio ex aduerso allegata; illa tamen non magis concluderet pro Episcopo Adriensi, quàm pro alijs; & in præsenti non agitur, an Abbas sit nullius; sed an sit in diœcesi Adriensi.

Et ita conclusum, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Luna, 18. Martij, 1613.

ARGVMENTVM.

Locum esse in aliqua diœcesi, an & quando probetur ex enunciatiuis.

SVMMARIVM.

1 *Enunciatiua Papa, qua emanauit ad supplicationem partis, non probat in præiudicium tertij.*

2 *Clausula, si ita est, semper intelligitur in gratiis ad petitionem partis.*

3 *Enunciatiua non probant, quando principaliter agitur de veritate enunciati.*

4 *Enunciatiua, qua emanauit a Summo Pontifice principaliter ad describendos fines diœcesis, probat locum enunciatum esse in diœcesi.*

5 *Enunciatiua antiqua supra centum annos probant, si concurrant alia adminicula.*

6 *Enunciatiua antiqua habent vim fama, & sine possessione non releuant.*

7 *Enunciatiua eliduntur ex contrariis,*

DECISIO LXVI.

FVerat resolutum die Maij præteriti coram me, Monasterium, & Ecclesias expressas in dubio tunc proposito, non probari esse in diœcesi Adriensi: quam resolutionem cùm impugnare conaretur modernus Reuer. Episcopus Adriensis ex multis iuribus nuiter productis, placuit idem dubium iterum proponere. Et Domini vtraque parte informante persiterunt in decisis: quia quoad enunciatiuas illatas pro parte Episcopi fuit responsum in primis, quòd
illa, quæ desumitur ex Bulla Martini V emanauit ad 1.
supplicationem partis vt probatur ibi. *Ex hac petitio continebat, quod Abbas Monasterij S. Mariæ de Vangad. diœcesis Adriensis, &c.* & sic non probat in præiudicium tertij. Abb. *in c. Dudum. n. 3.* [illegible] *ul.* & *in c. Dudum. n. 8 de decim.* Imol. *in Clem* [illegible] *pen. de probat. Fuit alias.* certum est, quod in istis [illegible]
ad petitionem partis semper intelligitur clausula, *si ita* 2.
est. c. 2. de rescr. v!t. quòd super istis enunciatiuis incidenter probatis non videtur posse fieri fundamentum,
dum hodie principaliter agitur de veritate enunciati. 3.
Alex. *cons. 136 n. 11. lib. 1.* Aym. *cons. 29 sub n. 3* Put. *decis. 381. in* [illegible] *lib. 1.* & fuit dictum *in d. decis.* Nec videbatur appropriari responsio data *in causa* [illegible] *iurisdictionis S. Ioannis in Venere*, 4. Maij præteriti coram Decano: quia ibi agebatur de enunciatiua emanata

4. nata præsentialiter à Summo Pontifice ad scribendum fines diœcesis Theatinæ, vt in ea legitur: ideò fuit dictum eam probare: sed in casu nostro enunciatiuæ sunt propter illud, & incidenter probatæ vt dictum est. Præterea esto etiam, quod dictæ
5. enunciatiuæ, tanquam antiquæ, vt supra centum annos, aliquid releuarent, vt per Abb. *cons.62.n.11. vers. in contrarium. p.2.* cum alleg. tamen debent
6. concurrere alia adminicula, & signanter longæuæ possessiones, cùm habeant tantum vim famæ, quæ sine possessione non releuat. Achil. *decis. 6. de iurepatr.* Put. *decis.60. n.15.* & *decis.140. n.1. lib.1.* Cassiad. *decis.2. de prob.* Rot. *decis.792. in princ. part. 1. diuers.* & fuit dictum *in causa Fesulana Prioratus*, 6. Iunij, 1611. coram Caualerio, & aliàs sæpè: quæ
7. quasi possessio non videbatur hic adesse pro parte Episcopi, cùm non dentur actus indubitati ad eam probandam, vt *infrà* apparebit: & in omnem euentum dictæ enunciatiuæ Episcopi videbantur elidi ex aliis contrariis pro Abbate. Rota *decis.676. n.6.part.1. diuers.* & fuit dictum *in Romana praeminentiarum*, 16. Decembris, 1585. coram Seraph.

R. P. D. PIROVANO.

Toletana, seu Nullius iurisdictionis, Lunæ, 26. Martij. 1612.

ARGVMENTVM.

Ordinarius potest visitare omnes Ecclesias suæ diœcesis: & si sint exemptæ, vel Nullius, potest eas visitare tanquàm Sedis apostolicæ delegatus, non obstantibus priuilegiis quibuscunque.

SVMMARIVM.

1. *Ordinarius habet intentionem fundatam in iure, visitandi omnes Ecclesias existentes intra fines sua diœcesis,*
2. *Inhibendum non est Ordinario circa visitationem Ecclesiarum existentium intra fines sua diœcesis absque causa cognitione.*
3. *Visitare potest Episcopus omnes Ecclesias sua diœcesis etiam exemptas, vel Ecclesias viciniores, qua sunt Nullius tanquam Sedis apostolica delegatus.*
4. *Vicinior presumitur Episcopus loco Nullius, contra quem causa committitur.*
5. *Clausula,* Non obstantibus quibuscunque priuilegiis, *comprehendit quascunque personas, quantumuis priuilegiatas*
6. *Remissoria conceditur, stante releuantia articulorum.*

DECISIO LXVII

1. Visum est Dominis inhibitionem esse moderandam: quia, cum Illustrissimus Archiepiscopus Toletanus de iure communi habeat fundatam intentionem in iure visitandi omnes Ecclesias existentes intra fines suæ diœcesis, *ex cap. Conquerente. de*
2. *offic. Ordin.* donec cognoscatur, an aliquæ Ecclesiæ, vel loca sint exempta, vel Nullius; non est incipiendum ab inhibitione sine cognitione causæ. *cap. Cum persona. de priuileg. in 6. cap. Constitutus. de relig. Domib.* Caputaqu. *decis.101. parte 1.* quod etiam fuit firmatum *in causa Calagurritana iurisdictionis*, 1. Iulij, 1605. quin omnis hæsitatio fuit sublata in materia visitationis per sacrum Concilium Tridentin. *cap.8. sess.7.*
3. & *cap.8 de reformat. sess.21.* vbi derogatur quibuscunque exemptionibus, & Iudicum inhibitionibus; & datur Episcopis facultas visitandi, tanquàm Sedis Apostolicæ delegatis: & ideo serenissimus Princeps Philibertus, quamuis prætendat, loca sui prioratus Castellæ esse exempta, seu Nullius; effugere non potest visitationem Illustrissimi Archiepiscopi Toletani, vti vicinioris, cui eadem facultas per sacrum Concilium *cap 9 sess.29 de reform* attributa fuit.

Nec dicatur, vti viciniori non competere facultatem: quia pro parte Serenissimi Principis negetur qualitas vicinitatis, quæ per Illustriss. Archiepiscopum, vti fundamentum eius intentionis, venit probanda.

4. Quia fuit responsum, illum præsumi viciniorem, contra quem causa committitur, *cap 8. de relig. Domib.* maximè cùm non controuertatur cum alio Episcopo vt fuit consideratum *in Calagurritana iurisdictionis*, 16. Iunij, 1608. coram Illustrissimo Attrebatensi. Et meritò, ne Ecclesiæ subtrahantur à superioritate Ordinariorum donec qualitas vicinitatis probetur in graue præiudicium animarum, præsertim in Ecclesiis parochialibus

5. Et quoad priuilegium Clem. VII. per quod conceditur exemptio locis Religionis S. Ioannis Hierosolymitani, etiam à visitatione, fuit dictum comprehensum esse sub derogatione Concilij *d. sess.21. cap.8.* & *sess.21. cap. 8.* quæ loquitur de locis exemptis: & eadem derogatio habetur in his, quæ sunt Nullius, *cap.9. sess.24.* & est sermo generalis ibi, *quibuscunque priuilegiis non obstantibus*, comprehendens quascunque personas, quantumuis priuilegiatas. Tiraquel. *de retract. consanguin.§ 1. glos.14 n.96.* Sarnen. *in proem. reg.4.4. col.4 vers. Istis tamen non obstantibus.*

In secunda parte dubij placuit Dominis remissoriã petitam pro parte Serenissimi Prioris esse concedendam post moderatam inhibitionem; tum, quia est releuans. Caputaq. *decis. 68. par.3.* Put. *decis.334. in fin. lib. 2.* & sæpiùs fuit resolutum, tum etiam, quia nec alia pars contradicebat, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Mercurij, 4. Decembris, 1613.

ARGVMENTVM.

Ordinario non est inhibendum in exercitio iuris visitandi omnes Ecclesias suæ diœcesis quantumuis exemptas non obstantibus quibuscunque priuilegiis concessis ante Concilium Tridentinum.

SVMMARIVM.

1. *Inhibitio emanata contra formam rescripti, est nulla, & venit in primis reuocanda.*
2. *Episcopus habet intentionem fundatam de iure visitandi omnes Ecclesias sua diœcesis: & ideo contra eum non est incipiendum ab inhibitione.*
3. *Assistentia iuris non suffragatur Episcopo, quando inferior nititur priuilegio apostolico, & praescriptione; sed tunc manutentio datur potiùs inferiori.*
4. *Priuilegia exementia à visitatione Episcopi, concessa ante Concilium Tridentinum, non suffragantur.*
5. *Ecclesia Religionis Hierosolymitana non sunt exempta à visitatione Episcopi; iis exceptis, in quibus ius visitandi ante Concilium Religioni competebat.*

6 *Testes*

6 *Testes inualidi, & nulliter examinati non probant.*
7 *Ordinarij appellatione comprehenditur etiam Prælatus inferior.*

Decisio LXVIII.

FVit resolutum, standum esse in decisis: fundamen-
ta enim decisionis videntur benè procedere, consi-
derato rescripto commissionis obtentæ per D Archie-
piscopum, contra quem Papa noluit inhiberi nisi cau-
1. sa cognita, ideò inhibitio emanata absq. causæ cogni-
tione, tanquam contra formam rescripti, sustineri non
potest; sed omninò in primis venit reuocanda. *cap. Cùm dilecta. de rescript.* Paris. *cons* 39. *num.* 9. *lib.* 1.
Mandos. *de inhib. q.* 82. *num.* 2. Et ratio primæ deci-
sionis benè conuenit: quia, dum prætenditur exem-
2. ptio à visitatione, non est incipiendum ab inhibitione
contra Episcopum, qui habet fundatam suam intētio-
nem, iam de iure communi, *cap. Cùm pe sona de priuileg. in 6.* & aliis in decis. allegatis, quàm etiam tan-
quàm delegatus Apostolicus vigore decretorum sacri
Concilij Trident. *cap.* 8. *sess.* 7. *cap.* 8. *de reform. sess.* 21.
cap. 9. *sess.* 24 *de reform.*

Nec obstat, quòd ex dispositione *cap. Cùm personæ.*
3. D. Archiepiscopus iuuare se non possit: quia, etsi ni-
tatur assistentia iuris, concurrente tamen præscriptio-
ne, & priuilegio apostolico Clementis VII relato in
Constitutione Pij IV. in ordine decimaquarta, nedum
inhibitio est firmata contra D. Archiepiscopum; sed
manutentio ipsa esset danda ex eadem dispositione
cap. Cùm Personæ. in vers. Quòd si talis, &c. Put. *decis.* 310. *lib* 2 quod etiam videtur firmatum *in Constantien. iurisdictionis*, 10. Nouembris, 1607. coram Re-
uerendissimo Attrebatensi & *in Salamantina iurisdictionis*, 27. Iunij, & 17. Decembris, 1582. coram
bon. mem. Card. Seraphino

4. Quia fuit responsum, priuilegium prædictum, &
eius confirmationem emanasse ante Concilium; &
consequenter eis derogatum fuisse per idem Sacrum
Concilium; quod etiam clariùs apparet ex Constitu-
5. tione 139. Pij V. & 88. Gregorij XIII. quibus confir-
mantur priuilegia Clementis VII. reseruata tamen vi-
sitatione iuxta decreta Sacri Concilij, in Ecclesiis, in
quibus Religio, & milites episcopalem etiam, & tem-
poralem iurisdictionem habent; & circa ea, quæ ani-
marum curam, illiúsque exercitium, & Sacramento-
rum administrationem respiciunt. Et quauis Pius V.
in d. sua Constitutione noluerit vllum afferri præiu-
dicium iuri visitandi Ecclesias parochiales, & alia be-
neficia curam animarum habentia, quod anteà Reli-
gioni, & militibus competebat; tamen D. Prior in
hac reseruatione nullum potest constituere funda-
mentum, cùm non docuerit de huiusmodi iure anteà
competenti.

Præscriptio autem allegata non etiam probatur:
quia nec sententia anni 1544 vt dicitur producta, ne-
que testes super immemorabili examinati faciunt ali-
quem gradum probationis, cùm sententia non sit in
6. forma probanti, & testes sint inualidi, & nulliter
examinati, *cap. Cùm de testibus.* vbi Doct. Caputaq.
decis. 266. *par.* 2.

Non obstant responsiones datæ ad decreta Conci-
lij *suprà* allegata; videlicèt, quòd *cap* 9. *sess.* 24. lo-
quitur de Ecclesiis sæcularibus; non autem de regu-
laribus, & de locis exemptis; non autem de his, quæ
præter exemptionem habent etiam iurisdictionem,
quales sunt Ecclesiæ, de quibus agitur: & item conce-
dat ius visitandi Ordinario viciniori, qualem non
constat D. Archiepiscopum esse. Cùm autem *cap.* 8
sess. 7. loquatur de Ordinariis, quorum appellatione
7. comprehenditur D. Prior, etsi sit inferior iuxta resolu-
tionem *in Salamantina iurisdictionis* [illegible] Maij, 158[illegible] coram bon. mem. Card. Seraphino. Et *cap.* 8 *sess.* 2[illegible] non comprehendat Prioratus militum S. Ioannis, cùm sint Præceptores, & non Commendatarij, qui propterea à Superioribus sui Ordinis, non autem ab Ordinario debent visitari.

Prædicta enim tolluntur ex Constitutionibus Pij V. & Gregorij XIII. suprà allegatis, in quibus expressè conceditur Ordinariis, vti Sedis apostolicæ delegatis, visitatio circa ea, quæ curam animarum, illiúsque exercitium, & Sacramentorum administrationem concernunt. Præterea, quòd loca, de quibus agitur, comprehendantur, vel non comprehendantur sub decretis Sacri Concilij, respicit petitorium, & altiorem requirit indaginem. Interim autem donec cognoscitur, non est incipiendum ab inhibitione, vt dictum fuit *in prima decis.*

Et ita ex prædictis Domini confirmarunt primam resolutionem quoad visitationem.

R.P.D. MARTINO ANDREA,

Nullius, seu Squillacen. iurisdictionis, Veneris, 4. Martij, 1616.

ARGVMENTVM

Territorium quando dicatur exemptum, & Nullius diœcesis, latè in hac decisione explicatur.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio non datur absque læsione.*
2 *Loca exempta, licèt non sint de diœcesi, sunt tamen in diœcesi.*
3 *Prouincia plures comprehendit sub se diœceses.*
4 *Sententia praiudicat ei, ad quem primo loco spectabat definitio, licet sit lata contra alterum, si sciēs permisit alterum subditum agere.*
5 *Sententia in causa status facit ius quoad omnes.*
6 *Sententia facit vehementissimam præsumptionem boni iuris.*
7 *Locus exemptus, in quo abdicatur ab Ordinario omne ius episcopale, & transfertur in inferiorem, efficitur proprium territorium inferioris, & non est amplius, neque de diœcesi, neque in diœcesi.*
8 *Decisio* in causa Constantien. iurisdictionis, 18. *Maij*, 1611. *ibi coram Attrebatensi declaratur.*
9 *Verba enunciatiua in dubio accipienda sunt demonstratiuè; non autem taxatiuè, nec limitatiuè.*
10 *Enunciatiua non probat, quando principaliter agitur de veritate enunciata.*
11 *Enunciatiuæ vt probent, locum esse in diœcesi, debet concurrere aliquod adminiculum longanæ possessionis.*
12 *Locus, in quo inferior exercet iurisdictionem quasi episcopalem in homines, tam de Clero, quam de populo, censetur verè, & realiter Nullius diœcesis, etiamsi sit circundatus limitibus Episcopatus.*
13 *Enunciatiuæ plures antiquissimæ, & a diuersis personis emanata, plenè probant etiam contra tertium.*
14 *Sententia antiqua probat etiam sine actis.*
15 *Dictio, scilicet, regulatur secundum subiectam materiam, & quo casu stet declaratiuè.*

16 *Perti-*

16 *Pertinentiarum appellatione quæ veniant.*
17 *Scientia præsumitur ex lapsu longi temporis.*
18 *Scientia præsumitur ex actuum multiplicitate.*
19 *Obseruantia declarat, quid in priuilegiis, & concessionibus comprehensum fuerit.*
20 *Pertinentiarum appellatione quæ veniant, declaratur ex obseruantia.*
21 *Solennitates supplentur ex beneplacito apostolico.*
22 *Consensus Capituli præsumitur ex temporis antiquitate, vna cum obseruantia, etiam quod ennunciatus, aut reseruatus non appareat.*
22 *Beneplacitum apostolicum præsumitur ex temporis diuturnitate, vnà cum obseruantia.*
24 *Locū non esse nullius diœcesis, non probatur ex dispensationib. matrimonialib. & excommunicationib. in forma,* Significauit, *directis Episcopo, intra cuius fines locus esse prætenditur.*
25 *Episcopi in casibus, in quibus vigore Concilij Trident. iurisdictionem in exemptos exercere possunt, non procedunt vti Ordinarij, sed vti delegati Sedis apostolicæ.*
26 *Seminario contribuere tenentur etiam qui sunt Nullius diœcesis, si aliter non sint exempti.*
27 *Obseruantia præscripta non interrumpitur per litē.*
28 *Lis non interrumpit quasi possessionem, quando sententia fertur pro processore.*
29 *Priuilegia concessa Monasterio, ac rebus, & non personis, censentur realia, & perpetua, & suffragantur quibuscunque personis, ad quarum manus ipsa bona deuenerint.*
30 *Priuilegia concessa successorib. censentur perpetua.*
31 *Priuilegia concessa Monasterio, seu loco, & eius bonis, censentur perpetua, & suffragantur successoribus.*

DECISIO LXIX.

LAta sententia per Illustriss. D. Card. Farnesium, vigore Commissionis cum clausula, *appellatione remota*, in qua de voto Dominorum meorum Manzanedi, & Pamphilij pronunciatum fuit, omnimodam ordinariam iurisdictionem in spiritualibus, & temporalibus, quam habebant Episcopi Squillacenses antè, & de tempore donationis Theodori, Ioannis, & Donati in Parochos, & Parochialium casalium Serræ, Spatulæ, Biungi, Montauri, & Gasparinæ, spectasse, & spectare ad Priorem, & Monasterium Sancti Stephani de Nemore venerabilis Congregationis Carthusiensis, eósdemque in eorum possessione, seu quasi iurisdictionis præfatæ fore, & esse manutenendos; illisque ex apostolicis indultis licuisse, & licere consecrationes, chrisma, cæteráque episcopalis officij indigentias, à quo voluerint Episcopo consequi, vt latiùs sententia *Summ. n. 9.* Cùm aduersùs eam episcopus non acquiescens causam restitutionis in integrum, provt de iure Illustriss. D. Cardinali Lancellotto de voto Rotæ committi obtinuisset; pro eodem voto habendo fuit dubitatum coram me, an constaret de iustis causis restitutionis in integrum Et Domini, vtraque parte informante, non constare censuerunt, nisi obstet excessus quoad loca, de quo videatur.

Nam ex donationibus, tam Comitis Rogerij, quam Theodori, Ioannis, & Donati, Episcoporum Squillacensium à Sede apostolica confirmatis, necnon ex priuilegiis eiusdem Sedis, Monasterio S. Stephani concessis, vna cum obseruantia subsequuta, apparet
1. manifestè de iustitia d. sententiæ. Vnde cessat læsio, sine qua non datur restitutio. Rota *decis. 1. de rest. in integr. in nou.* Seraph. *decis.* 1238 *num.* 1. & fuit dictum *in Cæsaraugustana fructuum*, 26. Iunij, 1602. coram Reuerendissimo D. meo Damasceno, & *in Marsicien si pecuniaria*, 26. Iunij, 1609. coram Reuerendissimo Bononiensi, & aliàs sæpè.

Nec pro læsione probanda suffragatur, in sententia loca, de quibus agitur, enunciari Prouinciæ Reginensi; cuius contrarium, imò quòd sint in diœcesi Squillacensi, patere dicebatur ex nonnullis ex dictis iuribus. Vnde, licèt prædictæ donationes, ac priuilegia, & confirmationes apostolicæ continerent exemptionem quātunuis amplissimam; ita quòd dicta 2.
loca, vti exempta, non essent ampliùs de diœcesi; attamen in diœcesi permanebant, *c. Cùm Episcopus. & ibi* Gemin. *n.* 3. Franc. *n.* 2. *de offic. Ordinar.* 6. cum aliis adductis *in Constantien. iurisdictionis*, 18. Maij, 1611. coram Reuerendissimo Attrebatensi: & hic per informantes: quia simul stare possunt, quòd dicta 3.
loca sint in Prouincia Reginensi, & nihilominùs sint in diœcesi Squillacensi, ex quo Prouinciæ nomen est generale, plures comprehendens sub se diœceses, *cap.* 26. *q.* 3. Bart *in Extrauag. Qui sint rebelles.* §. *Lombardia. n.* 7. Ruin. *cons.* 22. *num.* 4. & 5. *lib.* 1. & habetur in Prouinciali omnium Ecclesiarum, in quo Squillacensis Episcopus est descriptus inter alios Suffraganeos Archiepiscopi Reginensis.

Præterea dicta casalia non fuerunt simpliciter exempta à iurisdictione Episcopi Squillacensis: verùm etiam cum omnibus suis hominibus, tam de Clero, quam de populo, subiecta Monasterio S. Stephani, & illius Priori, quibus per Episcopos Squillacenses fuit concessum omne ius, omnisque iurisdictio, & correctio, quæ in dictis casalibus ipsis competebat; adeò quòd Episcopi nullum ius sibi retinuerint in eis, etiam quoad consecrationes, ordinationes, cæterásque episcopalis officij indigentias, quas à quocunque voluerint Episcopo recipiendi eis tribuerunt facultatem, vt in donationibus præfatorum Theodori, Ioannis, & Donati, ac confirmationibus apostolicis Vrbani II. & Honorij III. aliorúmque Pontificum. *Summ. n.* 2. & 3. Quod etiam patet ex antiquissima sententia lata de anno 1283. per cantorem Cathacen. Delegatum apostolicum, *eodem Summ. n.* 4. in qua narratis, ac visis donationibus, & confirmationibus supradictis: necnon examinatis testibus declaratur Syndicum dicti Monasterij liquidè, & plenariè suam intentionem probasse; videlicet, quòd spiritualia præfatorum casalium pleno iure spectabant ad Monasterium, & à longis retrò temporibus vsque tunc ab eo pacificè tenebantur, & possidebantur. Quæ sententia, etsi lata fuerit inter Priorem Monasterij, & Archidiaconum Squillacensem, & sic inter alios; attamen plenè probat contra modernum D. Episcopum, ex quo illius prædecessor, ad quem primo loco spectabat defensio, 4.
permisit, Archidiaconum agere, *cap. pen. de re iudic. l. Sæpè. ff. eod.* Et quia dicta sententia fuit lata in causa status, *l. Ingenuum ff. de stat. homin.* Alex. *in d. l.* 5.
Sæpè. n. 56. Achil. *decis.* 5. *de sent. & re iudic.* Seraph. *decis.* 1422. *n.* 8. Et in omnem casum facit vehementissimam præsumptionem boni iuris, vt ait Seraph. 6.
vbi supra, in vers. Verum Put. *decis.* 133. *in fin. lib.* 1. Concurrente maximè illius antiquitate, & obseruantia circa exercitium omnimodæ iurisdictionis in casalibus præfatis, quæ obseruantia, & antiqua possessio Monasterij, optimè probatur, tam ex testibus pro illius parte formaliter examinatis, *Summ. n.* 67. & 8. quàm ex authenticis scripturis in processu *d. fol.* 209. *vsque ad* 240.

Vnde sequitur, quòd cùm omnis iurisdictio, 7.
quæ Episcopo in dictis locis competebat, fuerit ab eo totaliter abdicata, & in Priorem, ac Monasterium translata, dicta loca, & casalia fuerunt effecta proprium territorium ipsius Monasterij, & non sunt

amplius, neque de diœcesi, neque in diœcesi Squillacen. Glos. *in Clem.* 1. §. *Volumus in verb. Diœcesanis*, & ibi Card. *n.* 2 *in* 4. *quæst.* Abb *num.* 15 Imol, *n.* 28. Vital. *num.* 4. *de foro compet.* Anchar. *in c. Postulasti. num* 45. *ad fin. vers. licet rationes. eod. tit.* Franc. *in cap.* 2. §. *Statuto. num.* 10. *ad fin. vers. Sed si per priuilegium. de const. in* 6. Rot. *decis.* 207. *in fin. par.* 2 *diuers.* & fuit resolutum *in Nullius iurisdictionis*, 19. Martij, 1686. coram Bubalo, *& in* [illegible] *rbenatensi iurisdictionis*, 19. Maij, 1594. coram Gyptio, & *in Burgensi iurisdictionis*, 16. Decembris, 1594. & 28. Aprilis, 1595. coram Orano, & *in Nullius, seu Lucenaurisdictionis*, 12. Februarij, 1596. coram Nantica. Et *in Constantiensi iurisdictionis*, 16. Nouembris, 1607. coram Reuerendissimo Attrebatensi, & nouissimè *in Adriensi, seu Nullius iurisdictionis*, 28. Maij, 1612. & 21. Martij, 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo.

8. Hinc patet responsio ad aliam decisionem Reuerendissimi Attrebaten. *in causa Constantien. iurisdictionis*, 18. Maij, 1611. quia dicta decisio fuit facta cum præsupposito, quòd parochiales, de quibus ibi agebatur, essent in Diœcesi Constantiensi; & priuilegia, quibus Abbas S. Gailli nitebatur, solum continebant simplicem exemptionem, & eam restrictam ad Monasteria, & eorum membra; non autem ad loca, & castra, siue populum: & denique ibi non fuerat abdicatum omne ius episcopale, & translatum in Abbatem prout hæc omnia in contrarium se habent in casu nostro.

Illa igitur enunciatio in prima donatione Comitis Rogerij, & aliæ in confirmationibus Vrbani, & Honorij, ac in dicta sententia Delegati, quatenus dicta casalia enunciantur diœcesis Squillacensis, referri
9. potest ad tempus, antequàm essent nullius diœcesis: vel dicta verba stant demonstratiuè, vt in dubio accipienda sunt, non taxatiuè, nec limitatiuè. Bart. *in l. Cum pater.* §. *Mensa. num.* 8. *ff. de leg.* 2. Dec. *cons.* 183. *num.* 1, *vers. Et ad hoc facit. Et co [illegible]*.468. *num.* 3. Crauet. *cons.* 301. *num.* 5. Ceph. *cons.* 137. *num.* 37.
10. Vel non probant quando, prout in hoc casu principaliter agitur de veritate enunciati. Put. *decis.* 38. *in fin. lib.* 1. Veral. *decis.* 19 *num.* 4. *par.* 2. & in specie fuit dictum *in Lucen. seu nullius iurisdictionis* 4. Maij, 1598. coram Seraphino, *inter impressa decis.* 1178. *n.* 2. & *in dicta Adriensi seu nullius*, coram D. Vbaldo;
11. stante maximè, quod non concurrit aliquod adminiculum longæuæ possessionis pro Episcopo, sed pro Priore, & Monasterio: vt esse necessarium dixit Rota
12. *in dicta Adrien.* Et in omnem euentum, postquàm Monasterium retinet territorium distinctum per vnam leucam, in quo extant dicta loca, vnà cum iurisdictione quasi episcopali in homines, tam de Clero, quàm de populo, vt in trina donatione Comitis Rogerij, *Summ. n.* 1. & in dictis concessionibus Episcoporum Squillacensium, apostolica authoritate vallatis, sequitur manifestè, dictum Monasterium, & dicta loca, & casalia esse verè, & realiter nullius, etiamsi dictum territorium sit circundatum limitibus Episcopatus Squillacensis, vt in puncto fuit dictum *in Calagurritana, seu nullius iurisdictionis*, 7. Februarij, 1607. coram Reuerendissimo Attrebatensi, per Glos. *in d. Clem.* 1. §. *Volumus in verb. Diœcesanis*, cum aliis ibi allegatis.

Non obstat, quòd sententia declaret, ad Monasterium spectare omnimodam iurisdictionem, quam habebant Theodorus, Ioannes, & Donatus, Episcopi Squillacenses: & tamen de priuilegio Theodori non constet, nec constare possit: quia Fratres loca, de quibus agitur in tempore Theodori nondum acquisiuerant: priuilegium autem Ioannis loquitur tantummodo de loco Arsafiæ; tertium verò priuilegium Donati videatur restrictum ad eundem locum Arsafiæ, scilicet, Montaurum, Linianum, & Aruncum, non autem ad Castra Gasparinæ, & aliorum locorum, de quibus in sententia.

Nam quoad priuilegium Theodori, satis illud probatur ex narratiua Episcoporum Ioannis, & Donati, necnon ex confirmatione Honorij III. & narratiua sententiæ dicti Iudicis apostolici de anno 1283. quæ quidem enunciatiuæ cùm sint plures, & à diuersis per- 13.
sonis emanatæ, & antiquissimæ, plenè probant, etiam contra tertium. Bald. *in l. Cum aliquis. num.* 4. *vers. Item quod dicit.* Salycet. *num.* 3. *vers. Si tamen plura.* Castren. *num.* 7. Ias. *n.* 4. *C. de iur. delib.* Aret. *in c. Cum causam. num.* 23. *de probat.* Crauet. *de antiq.* 1. *par.* §. *Ampliatur. num.* 14. Mantic. *de tacit. & ambig. lib.* 1. *tit.* 6. *num.* 21. Put. *decis.* 209. *num.* 1. & *decis.* 359. *in fin. lib.* 2. Verall. *decis.* 336. *n.* 6. & *decis.* 344. *n* 2. *parte* 3. Rot *decis.* 684. *n.* 1. *parte* 1. *vers. Et præsertim.* Quia in dicta sententia non solùm enunciantur donationes omnium supradictorum Episcoporum; sed etiam affirmatiuè dicitur de illis per instrumenta eorundem Episcoporum euidenter ipsi Iudici constitisse: & cùm dicta sententia sit de antiquo, non solum 14.
vltra 100. verum etiam 300. annos probat etiam sine actis Bald *in l. Emancipatione. n.* 3. *C. de fid. instrum.* Alex. *cons.* 30. *num.* 7. *lib.* 6. Dec. *cons.* [illegible]5 *n.* 3. Gabr. *de sent. conclus.* 4. *n.* 34. Cassad. *decis.* 3 *sub n.* 2. *de procur.* Put. *d.* 338. *lib.* 2. Ant. August. *decis.* 145. *lib.* 3. & fuit sæpissimè resolutum,

Quo verò ad priuilegia Ioannis, & Donati, quòd, scilicet, verè comprehendunt dicta loca, & [illegible], prout illa comprehendebat etiam priuilegium Theodori; patet ex eo, quia dicta tria priuilegia confirmant donationem à Comite Rogerio factam Beato Brunoni de Monasterio, & loco Arsafiæ, cum omnibus pertinentiis suis, in spatium vnius leucæ pro dote dicti Monasterij qui locus Arsafiæ, licet non exprimatur in prima donatione; tamen exprimitur in secunda, & in vtraque designatur, & nominatim circumscribitur situs dicti loci, videlicet, inter locum Arenæ, & oppidum Styli super territorio dicti loci Styli, prout etiam exprimitur in tertia donatione. Dicta autem prima donatio fuit confirmata per Vrbanum II. & Episcopum Theodorum, vt in ea dicitur, & successiuè, tam prima, quàm reliquæ per dictum Vrbanum, per Ioannem, & Donatum Episcopos, ac demùm per Honorium III. *Sum.* 1. *num.* 1. [illegible] 2. ita quòd sumus certi, quòd dictum Monasterium, & dictus locus Arsafiæ existit inter Arenam, & oppidum Styli, & in territorio dicti oppidi Styli. Vnde, cùm Episcopus in sua septima positione, & testes super ea inducti, *Summ. num.* 10 concludentissimè probent, quod dictum Monasterium, & casalia terræ spatulæ, & Brungi sunt intra territorium eiusdem oppidi Styli: & quoad Montaurum, & Gasparinam habeamus donationem tertiam Rogerij confirmatam, in qua specificè dicta casalia nominantur. Vtique necesse est, fateamur, quòd omnia dicta loca fuerunt comprehensa in dictis priuilegiis Episcoporum Squillacensium, & confirmationibus apostolicis: ac propterea dicta sententia D. Cardinalis in aliquo non grauauit.

Vlteriùs, etsi in priuilegio Donati fiat mentio de loco Arsafiæ, scilicet, Montauro, Liniano, & Arunco, tamen per illam dictionem, *scilicet*, non restringitur concessio, sed potiùs ampliatur, prout est de natura illius dictionis, quæ regulatur secundùm sub- 15.
iectam materiam, vt dicit Fulgos. *cons.* 147. *num.* 2. & proptereà, cùm subiecta materia in casu nostro non admittat, quod ista dictio, *videlicet*, stet restrictiuè; quia non concordaret cum præcedentibus donationibus ibidem confirmatis, ideò potiùs dicendum est,

est, quòd stet declaratiuè, & quòd propterea non excludat alia casalia, vt in puncto declarat Dec. *cons. 47. num. 2. vers. Sed praedictis.* vbi dicit, quòd in istis terminis illa dictio, *videlicet*, debet intelligi declaratiuè; ita vt non excludat alia loca sita in territorio, & contenta in dispositione, ad quam fuit habita relatio.

Et tanto magis, quia in dicto priuilegio Donati post expressionem loci Atsafiæ, Montauri & Liuiani, & Atunci, sequuntur alia verba generalia cum omnibus pertinentiis suis, &c. prout in alio priuilegio Ioannis, & in donatione Comitis Rogerij, ad quam se referunt dicta verba, & similia repetiuntur expressè, quarum pertinentiarum appellatione veniunt om-
16. nia ibi existentia, quamuis sint penitùs separata, *l. Si quando l. 1. prima. C. de bon. vacant. lib. 10.* Bald. *in c. 1. n. 2. de Capit. qui cur. vend.* Mandel. *cons. 322. n. 34.* & quicquid concedens ibi habebat. Alex *cons. 105. n. 2. lib. 6.* Imò, licèt de eo tempore nondum existerent omnia dicta casalia; sed aliqua postmodum fuissent fabricata, vt de casali Sertæ deponit Ioannes Baptista Spatea Notarius super 81. interrogatorio; nihilominùs in dictis priuilegiis, & donationibus adhuc essent comprehensa. *l. Verbum illud pertinere. in fin. ff. de verb signif.* Patis. *cons. 58. n. 43. lib. 3.* Decian. *cons. 123. n. 28. eod. lib. 3.* Præsertim, quia in priuilegiis dictorum Ioannis, & Donati, leguntur hæc verba: *Cum omnibus pertinentiis, & cum omnibus hominibus, tam de Clero, quàm de populo, quos ad praesens praefatum Monasterium habet, vel in posterum habiturum est, de extraneis quoque omnibus, qui in potestate ipsius Monasterij habitant, vel habitaturi sunt.*

Omnis denique cessat difficultas, ex antiquissima obseruantia, subsequuta, & vsque de praesenti continuata, ex qua apparet, Monasterium semper, & continuè omnimodam iurisdictionem spiritualem, & temporalem in dictis casalibus exercuisse, & exercere, vt in dicta sententia Delegati de anno 1283 & depositionibus testiū pro parte Monasterij examinatorum, quorum aliqui non sulùm deponunt de scientia, &
17. patientia Episcoporum; sed etiam de actibus positiuis vltrà quòd dicta scientia præsumitur ex lapsu longi temporis. Rot *decis. 28. n. 7. & decis. 147. n. 3 par. 1. diuers.* Vbi, quòd in pluribus causis ita fuit resolutum: & *decis. 166. n. 2. vers. Secunda, ex lapsu temporis. ead par. 1.* Et fuit dictum *in Hispalen. legitimitatis*, 11. Maij,
18. 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo, quemadmodum præsumitur ex actuum multiplicitate. Abb. *in c. Cum Ecclesia n. 25. de caus. possess. & propriet.* Aym. *de antiq. tempor. 4. par. §. Materia. n. 62.* Put. *decis. 217. in fin. & decis. 164. n. 2. vers. Concurrebat etiam. lib. 1.* Rot *decis. 166 n. 4. par. 1.* Seraphin. *decis. 306. n. 7.* & fuit resolutum *in Calaguritana iurisdictionis de Ognate*,
19. 7. Maij, 1610. coram Illustrissimo Lancelloto. Quæ obseruantia declarat, quid in præfatis donationibus, & priuilegiis fuit actum, & verbis comprehensum, *l. Sed & Iulianus. §. Proinde. ff. Ad Macedon.* Castr. *cons. 347. num. 4. lib. 1.* Crauet. *cons. 101. n. 3. & cons. 211. n. 8.* Gabr. *cons. 66. n. 24. lib. 2.* Rot. *diuers. decis. 571. n. 3.*
20. *p. 2.* Seraphin. *decis 600. n. 3.* Et in terminis de interpretatione verbi, *pertinentiarum*, ex obseruantia post concessionem tradit Mandel. *cons. 538. n. 9.*

Vnde etiam tollitur aliud obiectum de defectu consensus Capituli in priuilegiis Ioannis, & Donati, in quibus neque etiam fuit enunciatus, aut reseruatus. Nam, vltrà quod interuenisse narratur in litteris Honorij III. & in dicta sententia, & omissu, quòd apo-
21. stolica authoritas, de qua in confirmationibus Vrbani II. & d. Honorij III. supplet istam, & alias solemnitates. Abb. *cons. 41. n. 3. lib. 1. saepius canonizato*, & in specie de hoc defectu consensus Capituli tradit Capic. *decis. 16. n. 1. in fin. & seq.* Rebuff. *in comp alienat.*

eccles. num. 15. vers. Fallit quando Papa. & num. 95. in fin. Seraph. *decis. 438. num. 2 & 3.* Ex dicta temporis 22.
antiquitate, vnà cum longissima & antiquissima obseruantia, dictus consensus interuenisse præsumitur, etiam quod in dictis priuilegiis enunciatus, aut reseruatus non appareat. Alex *cons. 79. num. 3. in fin. & seq. lib. 1. & cons. 219. num. 16 lib 6.* Dec. *cons. 341. n. 13. vers. non obstat, si dicatur. & cons 409 n. 11. vers. Non obstat illud.* Roland. *cons. 99. n. 34. lib. 1.* Gozad. *cons. 3. n. 29.* Cephal. *cons. 47. n. 10. & seq. & cons. 90. in fin.* Surd. *cons. 28. n. 116.* Et hanc sententiam esse communem & veram, ait Felin. *in cap. Albericus. n. 4. in fin. vers. si autem in instrumento. de testib.* Idem *in c. Sicut n. 33. vers. septimò, & vltimo. de re iudic.* Redoan. *de rebus Eccles. non alien. q. 39. n. 3. & 29. in fin.* quam etiam perpetuò sequuta est Rota, attestante Seraph. *decis. 141. num. 3.* & constat ex Put. *decis. 355. n. 2. lib. 1. & decis. 365. n. 7. lib. 2.* Et ex aliis antiquis, & modernis decisionibus, vt *in Conchen. fructuum*, 10. Februatij, 1586. coram Gyptio *Tarraconen. Sacristiae*, 9. Iunij, 1600. coram Iusto *Papien. bonorum*, 10. *May*, 1602. coram bon mem. Card. Pamphilio. *Calaguritana de Alberite*, 16. Iunij, 1608. coram Reuerendissimo Attrebatensi. & *in Papien. dotis, & Legatorum*, 20. Decembris, 1610. & 16. Iunij, 1611. coram R. P. D. meo Pamphilio, in quibus, & aliæ referuntur.

Defectus autem consensus apostolici gratis allegatur, cùm nedum fuerit enunciatus in prima donatione Comitis Rogerij, sed etiam expressæ adsint confirmationes Vrbani II. & Honorij III. *Summ. num. 3.* in quibus tam præfatæ donationes Rogerij, quàm priuilegia, & concessiones Ioannis, & Donati confirmantur. Et nihilominùs ille præsumeretur ex diu- 23.
turnitate temporis 500. annorum iuncta obseruantia perpetua, & inconcussa, etiam quòd reseruatus non fuisset ex prædictis.

Non obstat prætensa inobseruantia: quia non probatur. Nam quoad Ordinum collationes, Ecclesiarum consecrationes, & alias episcopalis officij indigentias potest Monasterium Indultis apostolicis, ea à quocunque maluerit Episcopo petere, & exerceri facere. Quo verò ad dispensationes matrimo- 24.
niales, & excommunicationes pro reuelationibus in forma *Significauit*, ea per Sedem apostolicam solis Episcopis diriguntur. Et propterea ipsi D. Episcopo suffragari non possunt, vt in simili fuit dictum *in villa Adrien. seu nullius iurisdictionis*, 28. Maij 1611. & 18. Martij, 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo. Quòd autem D. Episcopus in multis casibus hodie vigore Concilij possit exercere suam iurisdictionem in exemptos, & qui sunt nullius, hoc in sententia non fuit ademptum; & ideò non grauauit, cùm Episcopi in dictis casibus non pro- 25.
cedant vti Ordinarij, sed tanquàm delegati Sedis apostolicæ, vt fuit in specie consideratum *in eadem causa.*

Nec subsistit in facto, quòd aliqua lis vnquam fuerit ab anno 1566. inter Priorem, & Episcopum super iurisdictione ista, nisi ab anno 1597. citra, vt in litteris Cardinalis Alexandrini. *Summ Episcopi, num. 9.* quæ magis videtur fuisse extraiudicialis, & de facto, quousque de anno 1606. hæc causa fuit commissa, & actus ex aduerso allegati *Sum. num. 8.* sunt super contributione Seminarij, quæ nihil commune habet cum iurisdictione, cùm ad contributionem Seminarij teneantur etiam qui sunt nullius 26.
diœcesis, si aliter non sint exempti, vt ex Decreto Sacri Concilij *sess. 23. cap. 18. circa med.* firmauit Rota coram R. P. D. meo Vbaldo. Et quidquid sit de initio istius litis; & omisso, quòd illa obseruantia

iam fuerat præſcripta de tempore litis motæ, vnde non potoit interrumpi. Card. *conſ.*131. *num.*4. Abb. *in cap. Audits, num.*10 *de præſcript.* Felin.*in c. Illud, num.*13.*eod. tit.* Cùm appareat manifeſtè de antiquiſſima Prioris, & Monaſterij quaſi poſſeſſione iuriſdictionis præfatæ, quam etiam poſt litem iure medio continuarunt, ac demum ſauorabilem ſententiam obtinuerunt, huiuſmodi lis ad interrumpendam eorum
28. quaſi poſſeſſionem obeſſe non potuit: quia interruptio non inducitur per litem, quando ſententia fertur pro poſſeſſore. Felin. *in d. cap. Illud, n.*17.*in* 14. *concluſ.* Balb.*de præſcript.*6 *part. princ.*3. *part.q.*4. *n* 37. Rot. *deciſ.*534.*num.*6.*part.*1.*diuerſ.* Card.Seraph. *deciſ.*1027. *num.*14. *& deciſ.*1273. *num.*3.

Poſtremò, non obſtat, quòd per mutationem Monachorum Carthuſienſium, & inductionem Ciſtercienſium in dicto Monaſterlo, fuerint extincta priuilegia ipſis Carthuſienſibus, vt *ſuprà* conceſſa: & licèt deinde ſuppreſſo Ordine Ciſtercienſium poſt annos 300. ſuperuenerit priuilegium Leonis X. de nouo concedentis domum S. Stephani dictis Carthuſienſibus: attamen hoc fuit cum ſolis priuilegiis, quæ ipſi habebant in aliis eorum Domibus, inter quæ non probatur adeſſe priuilegia epiſcopalia. Nam vltra quòd dicta conceſſio Leonis de præfata Domo facta foit cum omnibus, & ſingulis eius mobilibus, & Immobilibus, bonis, iuribus, & pertinentiis ſuis, vt in ea legitur expreſsè, cùm dicta priuilegia, vt conſtat ex præfatis donationibus, & conceſſionibus Epiſcoporum Squillacenſium, ac confirmationibus apoſto-
29. licis, fuerint conceſſa ipſi Monaſterio, necnon locis, ac bonis eidem donatis, & ſic rebus, & non perſonis; ideò fuerunt realia, & perpetua, & conſequenter illa ſuffragantur Priori, & Monachis S. Stephani de Nemore, ad quos Monaſterium, & loca, bonáque præfata deuenerunt, *l. Ætatem, §.fin. l. Forma, §. Quanquam, ff. de cenſib.* Rot. *deciſ* 4.*de priuileg. in antiq.* Dyn. *in reg. priuilegium, num.*7 & *ibi.* Ioan. Andr. *num.*1. *in* 4. *caſ.* Franc. *num.*3.*in fin. verſ. Aliquando, &* 4.*de reg. iur. in* 6. Batt. *in l.*1.*num.*2 *ad fin. verſ. Si verò priuilegium conceditur rei, & ſeq. ff. de conſtit. Princ.* Anchar. *conſ.* 327. *num.*2. *verſ. Primò nanque.* Natt.*conſ* 627.*num.*12.*& ſeq.* Idem *conſ.*649. *num.* 16. *&* 17. Menoch. *conſ.* 276. *num.* 8. *& præſumpt.*103. *num.*24 *lib.*3.Surd. *conſ.*525. *num.*26 vbi alios cumulat Schrader. *conſ.*23. *num.*62.*verſ.Deinde quoque. lib.*2.

Et tantò magis, quia dictum Monaſterium, & dicta loca, & bona fuerunt donata, & confirmata Beato Brunoni, illiúſque Sociis, & ſucceſſoribus, ac cum omnibus hominibus, tam de Clero, quàm de populo quos tunc prædictum Monaſterium habebat, vel in poſterum habiturum eſſet de extraneis quo-
30. que tunc habitantibus, & habitaturis. Vnde ſine dubio illa priuilegia competunt Carthuſianis ibi hodie degentibus, & in homines, tam de Clero, quàm de populo, & extraneos omnes ibi nunc habitantes. Bald. *conſil.* 159. *num.* 4. *verſ. Primò, nanque, lib.*3. Crauet. *conſil.* 404. *num.*5. latè Schrader. *vbi ſupra, num.*62. *verſ. Et hoc potiſſimum, & verſ. Idem eſt.* Menoch. *de præſumpt.*103. *num.* 44. *verſ Nonò ſumitur, lib.* 3. Etiam quòd dicti Carthuſienſes olim exinde receſſerint, attento, quòd poſtea ad eundem locum fuerunt per Leonem X. redintegrati;
31. & dicta priuilegia Ordinem, & perſonam Monachorum non reſpiciunt; ſed fuerunt conceſſa Monaſterio, ſeu loco, & Ipſius bonis. Innoc. *in cap. Abbate, in fin.* Butr. *num.* 22. Abb. *num.*16. *ad fin. de verb. ſignif.* Franc. in iſtis terminis *in cap. Cum perſona, §. fin. num.*4. *verſ. Sed, ſi ipſa Eccleſia, & verſ. Si verò Papa, de priuileg. in* 6. Prob.ad Monach.*in cap. Cum de beneficio, num.*47. *& ſeq. de præbend. eod. lib.* Quinimò dicta priuilegia realiter nunquam fuerunt extincta, cùm etiam Monachi Ciſtercienſes, dum in Monaſterio permanſerunt, dictis priuilegiis, ex conceſſione Honorij III. & aliorum prædeceſſorum gauiſi fuerunt, vt in dicta confirmatione Honorij III. *Summ. num.*3.

Ex quibus ita deciſum vnanimiter, non conſtare de cauſis reſtitutionis in integrum. Et licèt ex prædictis non videretur adeſſe aliquis exceſſus in ſententia, quoad omnia quinque loca, & caſalia, de quibus in ea; Domini tamen pro ſua prudentia, & maturitate reſeruarunt, vt de hoc particulariter videretur.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Fanen. ſeu Nullius iuriſdictionis, Veneris, 27. Octobris, 1617.

ARGVMENTVM.

Locus quando dicatur conſtituere territorium ſeparatum, & quando dicatur eſſe in diœceſi.

SVMMARIVM.

1 *Reus dicitur vocatus ad iudicium.*
2 *Territorij ſeparatio, & quaſi poſſeſſio iuriſdictionis epiſcopalis, ex quibus arguantur.*
3 *Aſſiſtentia iuris Epiſcopo ſuffragatur, quando nihil docetur in contrarium.*
4 *Enunciatiuæ de recenti nullum probationis gradum faciunt.*
5 *Enunciatiua vnica, licèt antiqua, non releuat.*
6 *Fama ſine poſſeſſione non ſuffragatur.*
7 *Sententia inter alios lata non præiudicat.*
8 *Diœceſis eſt diuerſa à comitatu.*
9 *Beneficij collatio per neceſſe non infert, Eccleſiam non eſſe in diœceſi.*
10 *Doctors atteſtanti, locum eſſe in aliqua diœceſi, non ſtatur.*
11 *Reus, non autem actor, dicitur committens cauſam iactationis, & iactationum, ſi probauerit moleſtationes, & num. ſeq.*
13 *Intentans remedium* l. Diffamari. C. de ingen. & manumiſſ. *non auditur, niſi ſit poſſeſſor, & oſtendat intereſſe.*
14 *Poſſeſſor intentans remedium* l. Diffamari, C. de ingen. & manumiſſ. *ſi non probat infeſtationes, alteri parti datur abſolutoria ex hoc ſolùm.*

DECISIO LXX.

DVbitaui, an loca, de quibus agitur, caſtra, ſcilicet, S. Viti, S.Martini, S.Apollinaris, & Sanctæ Mariæ Fractatum, quæ generali appellatione Rauignanæ continentur, ſint poſita in diœceſi Fanen. Et hoc dubium diſputatur cum effectu, vt videatur, ad quem horum locorum iuriſdictio ſpectet; non autem, vt de ſola ſituatione cognoſcatur, & pro reſolutione dixerunt Domini, Reu. Abbatem Claſſen. eſſe reum, & poſſeſſorem, & quòd ſit reus, ſatis patere, cùm Re- 1.
uerendiſſ. Epiſcopus illum vocauerit ad iudicium, *cap. Forus, de verb. ſignif.* quod autem d. Reuerendus Abbas ſit in quaſi poſſeſſione exercendi iuriſdictionem ordinariam, & quaſi epiſcopalem in dictis locis Rauignanæ, vt congregandi Synodum, corrigendi Clericos, viſitandi, conferendi beneficia, deputandi Vicarium: dixerunt,

dixerunt, satis probari ex iuribus datis in Summario dicti Abbatis, *à num.9. vsque ad 14.* exclusiue, vt de iure visitandi Rauignanam per Abbatem, vel eius Vicarium, adesse etiam decretum Illustrissimorum Con-
1. gregationis sacri Concilij Interpretum, vt *in d. Summario, num.11.* quæ omnia arguunt Reuerendum Abbatem esse in quasi possessione iurisdictionis episcopalis, & territorium esse separatum. Rot. *decis.207. in fin. part.2.* Federic. de Sen. *cons.14. num.4 vers. si tamen.* Seraph. *decis.1278. num.4. p.2.* & fuit dictum *in causa Adrien. seu Nullius iurisdictionis*, 28. Maij, 1612. & 15. Nouembris, 1613. coram R.P.D. meo Vbaldo, *& in causa Nullius, seu Squillacen. iurisdictionis*, 4. Maij, 1616. coram R.P.D. meo Andrea, vbi aliæ decisiones allegantur, vel saltem arguunt exemptionem à iurisdictione ordinaria: vnde ista quasi possessio R. Abbati suffragatur, ad effectum, vt D. Episcopus teneatur probare suam ordinariam iurisdictionem, neque defendi possit sola hac præsumptione, quòd om-
3. nia loca præsumantur esse in aliqua diœcesi, cùm hæc præsumptio procedat, quando nihil docetur in contrarium: hîc autem multa adsunt, quæ dictam præsumptionem elidunt, vt fuit consideratum *in dicta decisione* Seraphini 1278. *in fin.* in nostro autem casu pro parte Reuerendissimi Episcopi nihil docetur.

Etenim primò deducitur pro parte Episcopi taxa omnium Ecclesiarum ciuitatis, & diœcesis Fanen. pro soluendis oneribus cameralibus, in qua describuntur Ecclesiæ dictorum locorum: sed ista taxa nihil releuat, cùm sit sine die, & anno; & sic non potest cognosci, an enunciatiua in dicta taxa apposita sit anti-
4. qua, vel moderna, quo casu nullum gradum probationis faceret. Aretin. *in cap. Cùm causam, num.23. de probationibus.*

Secundò deducitur taxa Ecclesiarum pro solutione decimarum papalium, cum simili enunciatiua diœcesis Fanen. in qua est 1479. & sic esset supra centum
5. annos, sed nec ista releuat: quia est vnica. Felin. *in cap. Cùm causam, n.4 de probat.* Aym. *de antiq. tempor. p.1. sect.4. n.14.19. & seqq.* imò, si essent duæ enunciatiuæ, cùm Abbas sit in possessione famæ, quæ resultaret ex dictis enunciatiuis, careret omni adminiculo possessio-
6. nis, ac proinde in hoc casu non suffragatur. Put. *decis.56. n.4. l.1. in nou.* Achill. *decis.6. de iur. patr.* Cassador. *decis.2. de probat.* Et in terminis fuit resolutum *in d. causa Adrien. seu Nullius*, 18. Martij, 1613. coram R. P. D. meo Vbaldo.

Tertiò deducitur sententia cameralis Maceraten. sed ista sententia, quoad Abbatem, seu Monachos Ordinis Camaldulensis, verè non est lata, nisi ratione Ecclesiæ, seu Prioratus Sancti Saluatoris dictæ ciuitatis Fanen. de qua Ecclesia hodie non agitur: & quanuis sit lata contra nonnullos Rectores locorum, de quibus agitur: tamen nihil facit, cùm causa hodie agatur inter Abbatem Classen. dicti Ordinis Camaldulen. & Episcopum Fanen. non autem inter Rectores, adeò
7. vt dicta sententia quoad Abbatem sit tanquam res inter alios acta, quæ non præiudicat, *l.1. & tot. tit. C. res inter. al. act.*

Quartò deducitur concessio Sixti IV. & Benedicti XII. de quibus *in d. Summario, n.5. & 6.* quia illa Sixti IV. est de castro, seu Monte veteri in diœcesi Fanen. quæ castra non sunt de Rauignana, & sic de territorio controuerso: hæc verò Benedicti XII. loquitur de nonnullis locis controuersis, quos enunciat de Comitatu
8. Fanen. Qui comitatus est diuersus à diœcesi. *Clem. Ne Romani, §. Sanè, & ibi Gloss. in verb. Diœcesim, de elect.* Felin. *in cap. Rodulphus, num.18. in fin. de rescript.*

Quintò, vltra prædicta deducitur *consilium* Bald. 17. *in princ. lib.5.* vbi enunciat, diœcesis Fanen. Ecclesiam S. Mariæ de Castro Fractarum, quæ (vt dictum est) comprehenditur in locis controuersis: quia ipsemet Baldus subiicit, ad Abbatem Monasterij Classen. pertinere institutionem plebani dictæ Ecclesiæ. Et quan- 9.
uis ex quo collatio spectat ad Abbatem, non possit inferri per necesse, quòd non esset de diœcesi Fanen. iuxta notata per Abbatem *in c. Super eo, n.46. de parochijs,* & Rotam *decis.207. n.5. p.2.* attamen hoc procederet, si de nulla possessione doceret Abbas: sed cùm doceat de possessione, collatio beneficij alias probationes coadiuuat: vnde apparet, quòd dictum Baldi potiùs est intelligendum, quòd voluerit dicere de Comitatu Fanen. quàm de diœcesi: & in omnem euen- 10.
tum dicto Baldi non esset standum. Gemin. *cons.78. n.3. vers. Et si dicatur, & in cons.85. n.18. vers. Quoad quotidianas, & n.25. vers. De habentibus beneficia,* & vltra prædictas respósiones, quæ dantur omnibus scripturis, fuit dictum, quòd excepta sententia Maceratensi, & litteris Sixti IV. & Benedicti XII. aliæ scripturæ non sunt in forma probanti, prout fuit resolutum *in hac causa*, 16. Decembris, 1602. coram bon. mem. Iusto.

Neque obstat, quòd Reuerendissimus D. Episcopus 11.
intentauerit remedium *l. diffamari. C. de ingen. & manum.* & vulgo dicitur commisisse causam iactationum, & iactationis, quod remedium facit committentem reum, & non actorem, vt de magis communi opinione testatur Cou. *lib.1. var. resol. c.18. n.3. & seqq.* Nam fuit responsum, hoc esse verum, quando committens talem causam, probauerit molestationes, quas vtique in hoc iudicio ad effectum vt reus constituatur, debet 12.
probare. Roman. *cons.13. n.1. vers. Aut ipse venditur.* Boër. *decis.255. n.7. vers. Quæ probatio,* Gabr. *de action. conclus. fin. n.24.* Cou. *var. resol. lib.1. c.18. n.2. vers. Illud sanè.* Gail. *obseruat.10. n.7. &* 8. & fuit dictum *in Romana de Vellis*, 9. Martij, 1609. coram Reuerendiss. D. meo Archiepiscopo Damasceno, quas diffamationes nedum non probauit Episcopus, sed nec probare potest, cùm Abbas sit in dicta quasi possessione. Hinc 13.
dixit Rota, quòd intentans huiusmodi remedium, non auditur, nisi sit possessor, & ostendat interesse. Rot. *decis.801. part.1.* & fuit dictum *in causa Mediolanen. bonorum*, 28. Martij, 1594. coram Illustrissimo D. meo 14.
Cardinali Millino. Hinc etiam, quando possessor intentat hoc remedium, si non probat molestationes; alteri parti datur absolutoria, ex hoc solùm. Mandos. super hac commissione, *§. inquietare, col.3. ante med. vers. Huc spectat, fol.50. secundùm paruam impressionem,* & fuit dictum *in dicta causa Romana de Vellis.*

Ex quibus conclusum, non probari, loca, de quibus agitur, esse in diœcesi Fanen. & propterea Reuerendum Abbatem absoluendum esse ab impetitis.

R. P. D. DVNOZETTO, Archiepiscopo Seleuciensi.

Nullius, seu Aprutina iurisdictionis, Lunæ, 16. Martij, 1614.

ARGVMENTVM.

Locus quando dicatur exemptus, & Nullius diœcesis: & quando dicatur esse in diœcesi.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus habet intentionem fundatam de iure communi exercendi iurisdictionem spiritualem in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus.*

2 *Ordinario conceditur manutentio exercēdi iurisdi-*

ctionem spiritualem in omnibus Ecclesiis, & in omnes personas degentes intra limites suæ diœcesis, ex sola assistentia, nulla alia possessione probata. Limita, vt n.5.

3 *Loca omnia, seu castra præsumuntur esse alicuius certæ diœcesis, & illius, cui sunt viciniora.*

4 *Fines antiqui probantur leuioribus probationibus.*

6 *Exemplū exempli nullum facit gradū probationis.*

7 *Enunciatiua Papæ, quæ emanauit ad supplicationem partis, non probat in præiudicium tertij.*

8 *Enunciatiua non probat, quando principaliter disputatur de enunciato.*

9 *Limites, & fines debent esse ita coniuncti, vt ab omnibus lateribus capiant, & quodammodo includant omnia loca connata.*

10 *Esse hoc non probatur, quòd ab hoc contingit abesse.*

11 *Mappa non facta seruatis seruandis, parum, aut nihil probat; sicut etiam scriptura typis impressa.*

12 *Testes deponentes super certis finibus, & limitibus, debent, etiam non interrogati, assignare rationem concludentem, non per actum intellectus, sed etiā per sensum corporis.*

13 *Testibus referentibus se ad scripturas, non plus creditur, quam ipsis scripturis,*

14 *Visitatio non probat iurisdictionem Episcopi in locis visitatis.*

15 *Probatio æquiuoca, non autem vera, elicitur ex actu qui potest referri ad plures causas.*

16 *Iurisdictio non acquiritur absque scientia, & patientia illius, contra quem prætenditur.*

17 *Ratio, quæ dependet à ratiocinatione, & intellectu eestu; & non à sensu corporeo, non stringit.*

18 *Testes de auditu non specificantes personas, à quib. audierunt, non concludunt etiam in antiquis finibus probandis.*

19 *Testes de auditu vt probent, quæ requirantur.*

DECISIO LXXI.

MOta lite super iurisdictione spirituali castrorū, seu locorum Murri, Musciani, & Noratesci, inter D. Episcopum Aprutinum, & D. Abbatem S. Mariæ de Properzano, & Sancti Angeli de Musciano, causa ad Rotam deuoluta, mihique commissa die Mercurij, 26 Iunij, 1619. dubitaui, cui dandum esset mandatum de manutenendo, in exercitio iurisdictionis spiritualis dictorum locorum. Verum, quia in disputatione huius dubij pro parte dicti D. Episcopi prætēdebatur manutentio ex sola assistentia iuris communis, quam habēt Ordinarij in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, & pro parte dicti D. Abbatis acerrimè negabatur, supradicta loca esse intra fines diœcesis Aprutinæ, sed esse nullius; ideò Domini voluerunt videre particulariter, vtrū prędicta loca probarētur esse intra limites dictæ diœcesis, ad effectum, vt ex assistentia iuris communis cōpeteret dicto D. Episcopo manutentio. Quo dubio multoties proposito, matureque discusso, tandem hodierna die Domini negatiuam sunt amplexi.

1. Non dubitarunt Domini Episcopum iuxta sacros
Canones habere intentionem fundatam de iure communi, exercendi iurisdictionem spiritualē in omnibus Ecclesiis suæ diœcesis, & in omnes personas degentes intra limites sui Episcopatus, *canon. Omnes Basilicæ.* & *ibi* Doct. 16. *q* 7. *c. Conquerente. de off. Iud. ordin c.* 1.
2. *de appel.* Et ex sola assistentia iuris communis nulla
alia probata possessione Ordinario conceditur manutentio, *cap. Cum persona.* & *ibi* Doct. *de priuil. in* 6. Certúmque est, omnia loca, seu castra præsumi esse alicuius diœcesis certæ. Felin. *in c. Graue. num* 6. *vers.*
3. *Imò debetur. de off. Iudic. ord.* Et præsumptio est esse
illius diœcesis, cui sunt viciniora. Natt. *cons.* 672. *num.* 17 Rota *in vna Fauentina iurisdictionis*, 18 Maij, 1609. coram Iusto, & *in vna Adrien. iurisdictionis*, 22. Iunij, 1622. coram R. P. D. meo Pirouano. Nec
etiam controuertitur ad probandos fines antiquos, 4
leuiores requiri probationes, *c. Cum causam. de probat. c. Cum olim.* vbi Gloss. *de censib c. Si Papa.* & *ibi* Gloss. *in vers. Probatur. de priuil.* Mantic. *decis.* 143. *num.* 12. *vers. secundo* Rot. *decis.* 405. *num.* 8. *par.* 1. & *decis.* 334. *n.* 1 *par.* 2 *recentior.*

Verùm, omnes istæ regulæ limitantur, & non 5
habent locum, quotiescunque inferiores Prælati probant se exercuisse iurisdictionem spiritualem in iisdemmet locis, super quibus Episcopus petit manutentionem ex sola assistentia iuris communis, vt in hoc casu pro parte D. Abbatis multi dantur actus iurisdictionales, cum scientia, & patientia Episcoporum Aprutinorum, ex quibus prætendit, se esse in possessione forsan immemorabili exercendi omnimodam iurisdictionem spiritualem supradictis locis: eo enim casu tenetur Episcopus probare clarè, & concludenter, illa loca sita esse intra limites suæ diœcesis. Abb. *in cap. Cum olim. num* 2. *de censib.* Doct. *in c. Cum venerabilis. de relig Domib.* Anchar. *cons.* 310. *num.* 5. Paris. *cons.* 95. *lib.* 4. Surd. *cons.* 429. *lib.* 1. *num* 61. Rota apud Seraph. *decis.* 1278. *num.* 4. vbi in simili denegauit manutentionem Episcopo: quia non concludenter probauerat, loca controuersa esse intra fines suæ diœcesis, cum cumulatis *in vna Constantien. iurisdictionis.* 16. Nouembris, 1607. coram Reuerendissim. Attrebatensi; & *in illa Adrien. iurisdictionis*, 28. Maij, 1612. coram R. P. D. meo Vbaldo. Nec sufficiunt præsumptiones, cum probatur possessio inferioris ibidem exercentis iurisdictionem. Rot *diuers. decis.* 207. *par.* 2. & *in d. Adrien. iurisdictionis*: tunc enim ad probandos antiquos fines coniecturis non est locus, duriorique onere probandi grauatur Episcopus. Menoch *præsump.* 3. *Surd. cons.* 429 *n.* 61.

Hoc posito fundamento, existimarunt Domini, examinatis omnibus probationibus adductis pro parte D. Episcopi, eas omninò esse imperfectas, aut saltem non esse sufficientes ad probandum, dicta loca esse sita intra fines diœcesis Aprutinæ, siue fundet se in scripturis, aut in depositionibus testium.

Et primò quoad Bullam Anastasij IV. ea est scri- 6
ptura informis, exemplum exempli, quod nullum
gradū probationis facit *Auth. Si quis in aliquo.* & *ibi*
Doct. *C. de eden.* Deinde ex eius lectura apparet, eam 7
emanasse ad supplicationem partis: & sic non probat
in præiudicium tertij. Abb. *in c. Dudum. num.* 3. *de decimis.* Imol. *in Clem.* 1. *col. penul. de probat.* Innoc *in c. Inter dilectos num.* 6 *de fide instrum.* Roman. *cons.* 208. *num* 3 Rot. *decis.* 760. *num.* 1. *par.* 1. *diuers.* Seraph. *decis* 278. *num.* 12. præsumitur enim inesse dictæ Bullæ clausula, *si ita est*, *cap.* 2. *de rescript.* Vltra quòd dicti li-
mites sunt enunciatiuè in dicta Bulla positi: & cer- 8.
tum est, tunc non probare enunciatiuas, quando principaliter disputatur de enunciato, Felin. *in c. Per tuas. n.* 12. *vers.* 2. *de probat.* Alex. *cons.* 136. *n.* 11. *lib.* 1. Aym. *cons.* 29. *n* 3. Put. *decis.* 381. *n.* 3 *lib.* 1.

Considerarunt denique Domini, dictam Bullam Anastasij IV. quæ videtur assignare confines diœcesis Aprutinæ, aut nō fuisse in vsu, aut saltem nullum probationis gradum facere: quia intra limites ibidem assignatos plurimi vicini Episcopi habent multa loca, & castra, in quibus exercent iurisdictionem spiritualem, & sunt in effectu Asculanæ, Firmanæ, Montis alti, & Ripanæ diœcesum, vt constat ex fide authentica di-
ctorum Episcoporum, & id non controuertitur. Cer- 9.
tum est autem in iure, eam esse naturam limitum, & finium, vt debeant ita esse coniuncti, vt ab omnibus lateribus capiant, & quodammodo includant omnia

loca

loca confinata, *l. Patronus. §. Sempronius. ff. de leg. 3. l. Inter eos. ff. de acquir. rerum domin.* Montan. *de finib. c. 15. n. 8.* Rot. *in Casonaten. bonorum*, coram Cardinali Plato, 15. Maij, 1589. & *in eadem* apud Mantic. *decis. 169. n. 4.* Ex quo per necesse sequitur, limites in dicta Bulla Anastasiana specificatos non esse fines certos, &
10. inconcussos, ita vt super his debeat fieri fundamentum, cùm non probetur, hoc esse, quod ad hoc contingit abesse, *c. In præsentia de probat. l. Neque naturaliter. C. de probat.*

Nec existimarunt Domini, aliquod fundamentum posse fieri in Mappa, quæ circumfertur: nam vltrà quòd
11. supradictos defectus paritur, ea non facta fuit, seruatis seruandis; & ideò parum, aut nihil probat, sicuti de scriptura typis impressa, Guidop. *decis. 67.* & licèt *in decis. 405. n. 1. par. 1. recentior.* fuerit dicta Mappa pro adminiculo considerata, idem factum fuit: quia vtraque para concorditer eandem Mappam agnoscebant fuisse legitimè factam.

Quo verò ad probationes, quæ ex depositionibus testium pro parte D. Episcopi examinatorum eliciuntur,
12. visum fuit, eas non esse sufficientes: certum est enim testes omnes, qui deponunt super certis finibus, & limitibus, debere etiam, si non sint requisiti, assignare rationem concludentem, non per actum intellectus; sed etiam per sensum corporis, ad hoc vt eorum depositiones stringant. Bald. *cons. 286. n. 3. lib. 1.* Dec. *cons. 221. n. 5.* Aym. *cons. 61. n. 5.* In hac autem facti specie testes pro D. Episcopo examinati non assignant rationes concludentes pro probãdis finibus: maior enim pars se refert ad Bullam Anastasianam, & ad Mappam, quas scripturas ex supradictis non probare firmatum
13. fuit. Et ita non probant dicti testes: non enim plùs creditur testibus referẽtibus se ad scripturã, quam ipsimet scripturæ. Aym. *cons. 112. n. 13.* Seraph *decis. 206. n. 1.*

Alij verò reddunt rationem sui dicti: quia fuerunt in visitatione cum Episcopo, quæ ratio non concludit:
14. cùm enim ex dispositione Sacri Concil. Tridentini possint Episcopi, vti delegati Sedis apostolicæ, visitare omnes Ecclesias viciniores, etiamsi sint Nullius
15. diœcesis, *c. 9. de reformat. sess. 24.* inde sequitur, ex actu, qui potest referri ad plures causas, non elici veram probationem; sed æquiuocam, quæ in hoc casu non sufficit Surd. *con. 468. n. 33. lib. 2.* & in iisdemmet terminis Rota coram R. P. D. meo Vbaldo respondit *in causa Adrien, seu nullius iurisdictionis*, 26. Maij, 1612. & 18. Martij, 1613.

Sed consideratũ fuit, quod iidem testes expressè dicũt, quòd Episcopus nõ visitauit loca, de quib. agitur. Vnde ratio visitationis non applicatur casui nostro.

Imò consideratum fuit, quòd etiamsi daretur ali-
16. qua visitatio, vel aliquis alius actus iurisdictionalis, necesse esset; vt probaretur id factum fuisse cum scientia, & patientia dicti D. Abbatis, quæ fuisset necessaria ad constituendum D. Episcopum in quasi possessione iurisdictionis, Doct. *in c. Cum Ecclesia.* vbi Rip. *n. 64. de caus. poss. & propr.* Abb *in c. Cum contingat. n. 11. de for. compet.* Calderin. *cons. 12. in fin. de iur. patr.* Rot. apud Cæs. de Graff *decis. 7. n. 9. de testib.* & apud Put. *decis. 281. n. 3. & 4. lib. 2.*

Alij verò testes reddunt rationem vicinitatis, asserentes, dicta loca, vti propinquiora, comprehendi intra
17. fines diœcesis Aprutinæ. Nam vltrà quòd etiam hæc ratio non restringit, redditur æquiuoca probatio, cùm hoc dependeat à ratiocinatione, & intellectu testis, & non à sensu corporeo Bal. *d. cons. 286. in fin. lib. 2.*
18. Alij verò: qui nullam aliam rationem reddũt, quam de auditu & non specificant personas, à quibus id audierunt, etiam in antiquis finibus probandis non con-
19. cludunt. Montan. *de finib. n. 51. c. 9.* Ad effectum enim, vt testes de auditu probent, præcipuè in antiquis deberent concurrere requisita, *c. Licèt ex quadam. de testib.* Corn. *cons. 78. num. 5. lib. 3.* Aymon. *de antiq. par. 1. §. Viso de fama. n. 12.*

In quam sententiam eò libentiùs iuerunt Domini: quia pro parte D. Abbatis adducuntur vehementes probationes, tam per scripturas, quàm per testes, ex quibus iustificarunt multos actus iurisdictionales per longissimum tempus ab Abbatibus prædecessoribus factos, & cum scientia, & patientia Episcoporum Aprutinorum, quæ ex eo necessariò colligitur, quòd ipsimet Episcopi Aprutini multis Clericis sacros Ordines contulerunt, cum litteris dimissoriis dicti D. Abbatis; & cum expressa narratiua, quòd dicta tria loca controuersa erant nullius diœcesis, ex quibus, & aliis, quæ in disputatione dubij principalis super mandato de manutenendo particulariter examinabuntur, visum fuit probationes factas per D. Episcopum, aut elidi, aut saltem turbidas reddi; ita vt ad effectum, manutentionem obtinendi, ex sola assistentia iuris communis non probauerit supradicta loca de quibus agitur, esse intra fines diœcesis.

Et ita decisum vtraque parte informante.

R. P. D. BVRATTO.

Nullius, seu Vrbinatensis iurisdictionis, Luna 7. Maij, 1618.

ARGVMENTVM.

Archiepiscopus potest in locis exemptis, intra eius prouintiam existentibus, Crucem præ se ferre, & populo benedicere. In Incorporalibus sufficienter censetur paritum per solam patientiam.

SVMMARIVM.

1 *Procurator censetur exigere vigore mandati præcedentis.*

2 *Crucem præ se ferre, & populo benedicere, maioritatem, & superioritatem important.*

3 *Locus exemptus non desinit esse de diœcesi, & intra prouinciam.*

4 *Episcopus potest in locis exemptis suæ diœcesis populo benedicere. Archiepiscopus potest in locis exemptis suæ prouinciæ Crucem præ se ferre, & populo benedicere ibidem.*

5 *Ordinario loci reseruatum censetur quidquid, per exemptionis priuilegium non adimitur.*

6 *Sententia priuilegij canonizatoria nihil plus tribuit quam priuilegium.*

7 *Sententia strictè interpretatur; & tantùm ex illa infertur, quantùm vrget necessitas.*

8 *Sententia non extenditur ad ea, quæ verbis non continentur.*

9 *Vrbini Archiepiscopus potest in terra Durantis tanquam in loco suæ prouinciæ, Crucem præ se ferre, & populo benedicere.*

10 *Vrbinatensis Ecclesia in Metropolitanam erecta fuit à Pio IV. anno 1563. die 4. Iunij.*

11 *Clausula, parito iudicato, in corporalibus solæ patientia, & paritione verbali satisfactum cẽsetur.*

DECISIO LXXII.

Aduersùs sententiam bonæ mem. Cardinalis Seraphini; Iudicis delegati, cum clausula, *appellatione remota*, prauiis eius decisionibus impres-

sus 1337. 1371 & 386. latam ad fauorem Abbatis, Cleri, & populi terræ Durantis, super validitate, & obseruantia priuilegiorum Bonifacij IX. & omnimoda exemptione dictæ terræ à iurisdictione Archiepiscopatus Vrbinatensis, declarantémque episcopalem iurisdictionem dicto Abbati competere, cum impositione perpetui silentij D. Archiepiscopo, obtenta fuit per modernum Reuerendissimum Archiepiscopum commisso restitutionis in integrum, parito tamen iudicato; propositóque dubio, an constaret de sufficienti paritione, DD. affirmatiuè responderunt. Nam de solutione expensarum, in quibus Archiepiscopus antecessor fuerat per dictam sententiam condemnatus, constat: quia fuerat data cedula depositi penes publicum nummularium, cui fuit directum mandatum de soluendo illas procuratori Abbatis,
1. Cleri, & Vniuersitatis dictæ terræ, prout solutæ fuerunt cum eius quitantia per testes recognita, qui ab omnibus mandatum habebat: & ideò censetur exegisse vigore præcedentium mandatorum I, *l. Qui in aliena. §. Si is, qui putabat.* vbi not. Gloss. Bart. & omnes, *ff. de acquir. hæred.* Non obstare visa fuerunt alia, quæ ad ostendendam non paritionem deducebantur.
2. Et primò, quòd Archiepiscopus in dicta terra præ se tulerit Crucem, benedicendo populo, qui actus important maioritatem, & superioritatem Abb. *in cap. 1. sub numer. 7. vt lit. pend.* & *ibi* Butr. *num.* 6, Card. *in Clem. Archiepiscopo. sub num. 5 vers. Dic, quòd dilatio. de priuil.* Omisso nanque, an istud probetur, dicebatur, hinc nullam concludi non paritionem, seu contrauentionem: quia sicuti in priuilegiis beneficij nulla expressa continetur prædictorum prohibitio, nec etiam tacita resultat ex eo, quòd eximant ea-
3. stium à iurisdictione Episcopatus: cùm enim loca etiam exempta non desinant esse in diœcesi, & intra prouinciam, *d. Clem. Archiepiscopo. de priuil.*
4. vbi Anchar. *in princ.* Imol. *num.* x. Bonifac. Vital. *in princ.* & Lap. *num.* x. Potest in illis Episcopus populo benedicere, & Archiepiscopus etiam Crucem præ se ferre, vt expressè disponitur *in dict. Clem. Archiepiscopo.* & *ibi* not. post Gloss. Anchar. Imol. & Cardinal. Abb. *in cap. 1. num. x. vt lit. pend.* Nil. *in repert. verb. Archiepiscopus.* Felin. *in cap. Pastoralis. num.* 8. *de offic. Ordin.* Franc. *decis.* 711. *per*
5. *tot.* Et sic succedit regula, quod quidquid per priuilegium exemptionis non adimitur, censetur Ordinario loci reseruatum Anchar. *in cap. Postul. ista. num 45 vers. Quidquid enim per exemptionem. de for. competen.* & *in cap. 2. num. 10. vers. Quod probo breuiter. de constit. in 6.* & *ibi* Franc. *in. §. Statuto. num. 10. vers. Et ita etiam sequitur.* Rota *in Constantiensi iurisdictionis*, 18. Maij 1611. coram Reuerendissimo Attrebatensi. Ita ergo multò minùs
6. censendum est, huiusmodi prohibitionem contineri in sententia, quæ tanquam dictorum priuilegiorum canonizatoria, nihil plus tribuit, ad not. per Doct. *in cap. 2. de confirm. vtil. vel inutil.* & in specie dixit Rota *in Brundusina iurisdictionis*, 24. Octobris, 1578. coram Bubalo. Et propterea esto etiam, quòd dicta terra sit nullius diœcesis, iuxta declarationes Congregationis Illustrissimorum Interpretum Sacri Concilij Tridenti. *in Summario Abbatis, num. 3.* ad effectum excludendæ non paritionis iu-
7. dicati, sufficit, quòd hoc non contineatur in dictis priuilegiis, nec in sententia, quæ etiam strictam recipit interpretationem, & tantùm ex illa infertur, quantùm vrget necessitas. Bart. *in l. Infantis. numer. 5. ff. de cond. indeb.* Decianus *in l. Ius nostrum. numer. 11. ff. de regulis iur.* Puteus *decis.* 197. *numer. 1. libr. 3. secundum nouam impress.* Cardinal. Seraphin. *decis.* 667. *numer.* 2 & 452. *numer.* 7. nec extenditur ad ea, quæ verbis non continentur. Idem Seraph. *decis.* 135. *n.* 5. Vltrà quòd cùm ex confessione per Abbatem, illiúsque consortes facta in literis erectionis Collegiatæ adhuc pendentis coram R.P.D. meo Pamphilio plenè contra ipsos probante, constet, terram Durantis esse in prouincia Vrbinatensi, vtique D. Archiepiscopus potest in illa, tanquàm in loco suæ Prouinciæ, illos actus exercere, *d. Clem. Archiepiscopo.* & *ibi* Doct. Eóque magis, quia de tempore Bonifacij IX qui ad Pontificatum assumptus fuit anno 1381. vt ex Platina aliisque rerum gestarum Scriptoribus, Ecclesia Vrbinatensis non erat Metropolitana; sed longè post de anno 1563. pridie Nonas Iunij, per fel. record. Pium IV, in Archiepiscopalem erecta fuit. Vnde hoc ius, tanquam de nouo superueniens non potest censeri per dicta priuilegia Bonifacij ademptum, & consequenter, nec in sententia comprehensum, cùm priuatio habitum præsupponat ex vulg. Ex quibus cessat alia prætensa contrauentio deducta ex eo, quòd D. Archiepiscopus in litteris dimissorialibus, quas vti vicinior concedit Clericis Abbati subditis ad Ordines promouendis, intermiserit exprimere dictum territorium cum titulo nullius. Quia nec in dispositione dictorum priuilegiorum, & sic sententia, & iudicario ad eam expressionem faciendam cogitur. Tandem, omnes allegatæ contrauentiones visæ fuerunt satis purgari ex oblatione, & declaratione Archiepiscopi de parendo, ac præstando patientiam executioni omnium, ad quæ ex Iudicato tenetur, Procuratore etiam constituto ad cedendum omnibus contrauentionibus, si quæ factæ essent, ex quibus videtur satisfactum clausulæ, cùm in his incorporalibus, etiam sola patientia, & paritio verbalis sufficiat, vt in specie iurisdictionis, Card. Seraph. *decis.* 754. & fuit dictum *in Signina Castrorum*, 2 x. Iunij, 1625. coram me, vbi in fortioribus terminis purgationis attentatorum, & in terminis clausulæ, *parito*, dixit Rota *in Toletana Capellaniæ*, 14 Aprilis, 1595. coram Illustrissimo Card. Mellino. Vltrà quòd non probatur, aliquam ex dictis contrauentionibus secutam fuisse post habitam notitiam per D. Modernum Archiepiscopum dict. sententiæ, & rei iudicatæ, & post obtentum ab ipso rescriptum restitutionis in integrum, cum d. clausula, *parito iudicato.*

9. (right margin, beside "constet, terram Durantis…")
10. (right margin, beside "ptoribus, Ecclesia Vrbinatensis…")
11. (right margin, beside "sola patientia…")

Ex quibus pro sufficienti paritione responsum fuit.

R. P. D. BVRATTO.

Marsicen. iurisdictionis, Luna 16. Ianuarij, 1617.

ARGVMENTVM.

Manutentio in iurisdictione conceditur, probata quasi possessione illius exercitij etiam per testes singulares.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio probatur per testes, etiam singulares; & sufficit, eos esse contestes in quadam generalitate, num. 2.*

3 *Iurisdictionis quasi possessio inducitur ex causarum cognitione.*

4 *In summariissimo possessorio exacta probatio non requiritur.*

5 *Assistentia iuris communis, quando est turbida, non suffragatur Episcopo ad obtinendam manutentionem in iurisdictionalibus.*

Decisio LXXIII.

Archipresbytero terræ Saponariæ Domini dixerunt, dandum esse mandatum de manutenen-
do in quasi possessione iurisdictionis quoad cau-
sas ciuiles, & mixtas: de illius enim exercitio di-
1. ctæ iurisdictionis visum fuit potissimùm constare
ex duobus testibus in Curia Marsicensi, pro parte
Episcopi, (vt constare videtur ex eorum lectura,)
examinatis, qui deponunt de cognitione huiusmo-
di causarum coram dicto Archipresbytero, & quòd
in gradu appellationis deuoluebantur ad Episcopum:
prout etiam narratur in instrumento concordiæ initæ
de anno 1604. inter ipsum Episcopum, & Capitu-
lum, & dictum Archipresbyterum: prædicti autem
testes, licèt singulares, iurisdictionem probant. In-
nocen. *in cap. Qualiter, & quando, colum. 1. de accusat.*
Alberic. *in l. Ob carmen, num. 8. vers. Si enim supposito,*
initio, & *ibi* Iacobin. de Sancto Georgio *num. 21. vers.*
Sed reperio. & *num. 22. vers. Eodem modo. ff. de testibus.*
Dec. *in cap. Licèt causam, num. 69. de probation.* Gabr.
de testibus, conclus. 2. num. 22. Rimin. iun. *cons. 7. n. 35.*
cum seqq. Farinac. *de testibus, quæst. 64. num. 181.*
& sufficit eos esse contestes in quadam generalita-
2. te *iuxt. decis.* Verall. 269. *num. 2. part. 3.* Valdè au-
tem adminiculantur, tam ex concordia inter Pari-
sium, Episcopum Marsicensem, & Capitulum facta
3. in qua idem Episcopus recognouit, eundem Ar-
chipresbyterum exercuisse iurisdictionem harum
causarum ciuilium, & mixtarum; præsertim, quia
hæc confessio emanauit à Prælato informato: quia
ipsemet, dum esset Vicarius Episcopi sui prædeces-
soris, per eius diffinitiuam sententiam, cognitionem
earundem causarum eidem Archipresbytero adiudi-
cauerat; quam etiam ex summario quodam iurium
penes Procuratorem Episcopi reperto, in quo adno-
tati sunt vigintiduo processus in Curia Archipresby-
teri agitati ab anno 1490. vsque ad annum 1577. in
Curia episcopali Marsicensi producti, & depositiones
vigintiquatuor testium, quòd Archipresbyter à fun-
datione Ecclesiæ semper cognouit de causis ciuilibus,
& mixtis, quódque redditus Archipresbyteratus pro-
ueniunt ab emolumentis iurisdictionis: de quibus
processibus, & testibus meminit etiam bon. mem. Ota-
uus, in cuius voto ad fauorem Archipresbyteri exa-
minati, & fit mentio in epistola eiusdem Episcopi
prædecessoris transmissa ad dictum Procuratorem
huc in curiam, in qua illum admonet, vt sibi trans-
mittat processum, seu copiam processus fabricati in
Curia episcopali Marsicensi, de anno 1572. subiun-
gẽs: *Doue furno essaminati molti testimony sopra l'im-*
memorabile. Et demũ fassus est ipsemet Procurator in
eius constituto, vt *in Summario Archipresbyteri, nu-*
mer. 13. Ex ea itaque cognitione quæsita fuit Archi-
presbytero quasi possessio iurisdictionis in omnibus
prædictis causis. Innocent. *in cap. Dilectus.* & *ibi*
Butr. Anchar. Ioan. de Anan. & alij, *de Capell. Mo-*
nach. Papien. *in praxi in form. libell. in act. confess. in*
gloss. Plenam. num. 10. in qua etiam possessione idem
Archipresbyter de anno 1590. manutentionem obti-
nuit ab A. C. vt in mandato *in eius Summario, nu-*
mer. 2. Et licèt postea Episcopus quoque in tribunali
Rotæ mandatum de manutenendo obtinuerit à R. P.
D. meo Manzanedo; illud tamen quoad causas de
quibus agitur, non fuit illi concessum priuatiuè, sed
cumulatiuè. Quæ omnia simul sufficere visa fuerunt
4. in hoc præsertim summarissimo iudicio, in quo exa-
cta probatio non requiritur. Alex. *cons.* 103. *num.* 3.
lib. 7. Dec. *cons.* 56. *num.* 1. *versic. Et ideo.* Menoc. *de re-*
tinen. remed. vlt. num. 34. Caputaq. *decis.* 200. *part.* 2. Et
fuit dictum *in Aquilegiensi pensionis*, 21. Maij, 1610.
coram dict. D. meo Manzanedo. Et ex præmissis,
iuncta etiam sententia Parisij Vicarij Marsicensis de
anno 1578. ad fauorem Archipresbyteri quoad præ-
sentes causas lata.

Iuris assistentia pro dicto Episcopo iuxta text. *in* 5.
cap. Cum persona. de priuil. in 6. offuscatur, & maximè
turbida redditur, ideóque illi non suffragatur. Seraph.
decis. 1278. *n.* 5. fuit dictum *in Montis Regalis iurisdi-*
ctionis, 4. Nouembris, 1598. coram bon. mem. Penia, &
resolutum *in hac causa*, 18. Maij, 1607. coram eodem
D. meo Manzanedo.

Neque obstant actus iurisdictionales dari pro parte ipsius Episcopi de anno 1537. & 1584. *in eius Sum. n.* 6. quia illos, vt non in forma probanti exhibitos Rota iam reiecit dicta die 18. Maij, 1607. vt *in decisione, eodem. Sum. Episcopi, n.* 1. Ex quibus D D. concluserunt, Archipresbyterum manutenendum esse quoad supradictas causas ciuiles, & mixtas; non tamen aperuerunt, quòd priuatiuè quoad Episcopum, super quo (si opus erit) poterunt iterum consuli.

Quò verò ad causas criminales, & matrimoniales, reseruarunt videre, an ex supradicta sententia Parisij constet de re iudicata, &c.

CORAM EODEM.

Marsicen iurisdictionis, Lunæ, 29. Nouembris, 1621.

ARGVMENTVM.

Ecclesiam esse in diœcesi, ex quibus probetur.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia qualibet censetur esse in aliqua diœcesi, nisi probetur, quod habeat territorium separatum.*

2 *Territorij separatio ab aliqua diœcesi à solo Papa fieri potest.*

3 *Ecclesia censetur adesse sub iurisdictione Prælati vicinioris, si non probatur habere territorium separatum, nec alius Episcopus prætendat in ea iurisdictionem.*

4 *Confessio Rectoris in Supplicationibus, quòd Ecclesia sit sub aliqua diœcesi, probat.*

5 *Ecclesia censetur adesse sub diœcesi illius Ordinarij, coram quo redditur ratio administrationis eiusdem Ecclesiæ.*

6 *Ecclesiam esse in aliqua diœcesi, probatur ex testibus id deponentibus, & bonam rationem reddentibus.*

7 *Ecclesiæ collatio facta ab Episcopo, & effectuata probat, illam esse intra fines diœcesis Episcopi conferentis.*

8 *Collatio quando censeatur effectuata.*

9 *Collatio, & institutio, siue confirmatio, sunt actus iurisdictionales, Episcopo in beneficiis suæ tantùm diœcesis competentes.*

10 *Cathedraticum soluitur tantùm proprio diœcesano pro Ecclesiis illius diœcesis.*

11 *Iurisdictio non potest exerceri, nisi in subditos.*

12 *Iurisdictionis exercitium arguit, terram esse in diœcesi.*

13 *Fines probantur coniecturis, & præsumptionibus.*

14 *Exemptio præsupponit, locum esse in diœcesi.*

Decisio LXXIV.

CVm Rota in relationibus causarum sub die 20. mensis præteriti, partibus auditis, resoluerit, vt consuleretur saluti animarum, etiam ex officio per modum prouisionis, & citra præiudicium quorumcumque earum iurium, & præsertim litis pendentiæ super iurisdictione terræ Saponariæ approbationem Confessariorum debere fieri per D. Episcopum; & deinde sub diebus 25. dicti mensis, & 15. præsentis, mandauerit proponi dubium, an terra Saponariæ esser in diœcesi Marsicensi, etiam non obstante oppositione Archipresbyteri denegationis audientiæ Episcopo, propter non exhibitionem quorundam processuum, & actorum, iuxta decisiones coram me factas sub die 3. Iulij, & 20. Nouembris, 1617. ideò parendo mandato Dominorum meorum proposui dictum dubium, quod ad fauorem dicti Episcopi fuit vnanimiter affirmatiuè resolutum.

1. Primò, quia idem Episcopus habet pro se generalem præsumptionem, quòd quælibet Ecclesia censetur esse in aliqua diœcesi, nisi probetur habere territorium separatum, *cap. Omnes. 16. quæst. 1. c. Cùm personæ. de priuil. in 6.* Felin. *in cap. Graue. num. 2. vers. Imò videtur. de offic. Ordin.* & fuit dictum *in Calaguritana iurisdictionis*, 26. Iunij, 1604. coram bon. mem. Penia; & 16. Iunij, 1606. coram Reuerendiss. D. Attrebaten.
2. & in Fauen. iurisdictionis, 18. Maij, 1609. coram bon. mem. Iusto. Vnde, cùm non probetur talis separatio, quæ fieri non potest, nisi à Papa, *c. Cùm contingat.* vbi Butr. *num. 11. vers. de consuetudine.* Abb. *num.* 28. Bellam. *numer. 15. vers. Tamen certum est. de for. competen.* Rot. *decis.* 324. *num. 2. part. 1. recent.* nec alius Episco-
3. pus in hac iurisdictione prætendat; sequitur, adesse præsumptionem pro Episcopo Marsicensi viciniori, vt *in dicta Calaguritana*, 16. Iunij, 1606.

Secundò, exhibentur tres confessiones moderni Archipresbyteri, factæ in Supplicationibus porrectis sanct. mem. Paulo V. *in Summario, numer.* 3. vbi præsertim legitur impetratio dictæ Ecclesiæ Archipresbyteralis, de anno 1605. tanquam diœcesis Marsicensis, & per eundem narrantem se esse de dicta terra dictæ diœcesis; prout etiam clarissimæ sunt
4. literæ apostolicæ ad eius instantiam super aliis beneficiis impetratæ: quæ confessiones superant omnes probationes, ex vulg. & in his terminis fuit dictum *in Calaguritana iurisdictionis*, 4. Iunij, 1603. coram bon. mem. Penia: & *in dicta Fauen. iurisdictionis*, coram bon. mem. Iusto.

5. Tertiò, conuocatio, & adunatio plurium Presbyterorum Ecclesiarum dictæ terræ, coram Episcopo de anno 1582. & illorum confessio de solito reddendi rationem administrationis Ecclesiarum eidem Episcopo, & in illius defectum Archipresbytero dictæ terræ tanquam ab eo deputato, *in Summario n. 5.* vt in similibus fuit dictum *in allegata Fauentina iurisdictionis* coram Iusto.

6. Quartò, duo testes *in Summario n. 6.* explicitè deponentes dictam terram esse in prædicta diœcesi bonamque rationem reddentes, Rota *in Teruisina iurisdict.* 18. Februarij, 1598. coram Orano, & *in dicta Calaguritana*, 4. Iunij, 1603. & 26. Iunij, 1604.

7. Quintò, collatio Archipresbyteratus facta per Episcopum Hectori Giliberto, de anno 1566. cuius effectuatio probatur ex eo, quòd per illius obitū fuit alius per Capitulum electus, salua confirmatione Episcopi,
8. *dicto Summario, n. 13. iuxta cons.* Oldrad. 129. toties à Rot canonizatum, vt *in decis. 360. n. 7. in fin. par. 2. recent.* & in aliis passim. Et prædicta facultas approbādi electionem factam à Capitulo de Archipresbytero, fuit etiam Episcopo reseruata, in sententia Parisij lata super iurisdictione inter Episcopum, & Archipresbyterum de anno 1578. *dicto Summario, num.* 13. in voto Orani, *num.* 12. & in concordia inita inter eosdem *num.* 14. dictamque electionem factam de Camillo fuisse per dictum Episcopum confirmatam, dicitur, tam in dicto voto Orani, quam in relatione facta sacræ Congregationi, super Episcopis ab Archiepisco-
po Salernitano, *d. Summario n. 11.* Quæ collatio, & 9.
confirmatio fieri non potuissent, nisi dicta Ecclesia, & terra essent de illius diœcesi: quia conferre, & instituere, siue confirmare sunt actus iurisdictionales Episcopo in beneficiis, & Ecclesiis suæ tantùm diœcesis competentes, *cap. frequentibus*, vbi Doct. *de instit.* Roch. *de iur. patr. vers. Competens. n.* 71. Rot. *decis. 2. de concess. preben. in nouis*, & fuit in his terminis dictum *in Sabinen. seu Reatina Abbatia*, 4. Decembris, 1592. coram bon. mem. Orano.

Sextò, concordia de anno 1591. inter Episcopum, & Presbyteros dictæ terræ, & extinctio, imò cessio litis, facta super eos resolutione cathedratici, ac illius realis solutio, *in Summario d. num.* 13. quod non soluitur, nisi proprio Diœcesano, & pro Ecclesiis illius diœcesis, *cap. Conquerente.* vbi Innoc. Abb. & alij *de offic. Ordin.* Vitalin. *in Clem. 1. num. 73. de cons.* Paris. *cons. 22. n. 2. lib.* 4 Rota *in d. Sabinen. seu Reatina*, coram Orano, & in solutione charitatiui subsidij fuit dictum *in prealleg. Calaguritana*, 1504. coram Penia. 10.

Confirmantur prædicta ex dicto voto Orani canonizato in decisione facta ad fauorem Archipresbyteri super manutentione d. die 16. Ianu. 1617. in quo expressè dicit, terram Saponariæ esse in diœcesi Marsicensi, vt *in Summario, n.* 12. Adminiculantur etiam ex pluribus actibus iurisdictionalibus Episcopi, in Clericos dictæ terræ, ab anno 1557. vsque ad 1584. *d. Sum. num.* 2. & licèt *in dicta decisione*, 16 Iunij, dictum fuerit, iura ad dictos actus probandos exhibita, non esse in forma probanti; negari tamen non potest, quin faciant adminiculum, cùm sint plures, & de illis deponant etiam aliqui testes examinati pro Archipresbytero, *in Summ. n.* 9. iuncta præsertim sententia Episcopi Caputaquensis deputati à Sacra Congregatione Episcoporum, per quam Archipresbyter illius tēporis, ob vsurpatam iurisdictionem fuit suspensus per annum ab officio. & beneficio, quæ à dicta Cōgregatione fuit confirmata, & ad supplicationem eiusdem, ex-
cepta fructuum amissione, fuerunt remissæ aliæ pœnæ 11.
in dictā sententia contentæ, vt *in dicto Summario, n.* 7.
& sic vt iurisdictio non possit exerceri, nisi in sub- 12.
ditos, *cap. Cùm contingat.* vbi Abbas *num.* 33. & alij *de foro compet.* infertur dictam terram esse in diœcesi iurisdictionem exercentis, vt arguit Calcan. *consil. 34. n.* 11. Hieron. de Mont. *de finib. regen. cap. 78. n.* 32. Rota *in allegata decis. Calaguritana iurisdictionis*, 16. Iunij, 1604. coram Penia.

Quæ visa sunt DD. exuberare, cùm in probandis 13.
finibus admittuntur coniecturæ, & præsumptiones, *cap. Cùm caus. il terzo, de probat.* vbi Felin. *num.* 14. & Dec. *num.* 3. & *in cons. 42. num. 10. vers. His tamen.* Paris. *cons. 104. num. 24. lib.* 1. & in his terminis fuit dictum in repetitis, *Calaguritana iurisdictionis*, 1604. & *Fauen. iurisdictionis*, coram Iusto. Non obstat, quòd decisum fuerit, Episcopum non debere audiri, nisi exhibito processu facto coram Parisio, Iudice deputato, per tunc temporis Episcopum, quia pro parte Archipresbyteri solùm prætendebatur ex eo constare de illius exemptione, & quasi possessione exercendi iurisdictionem in omnibus causis, etiam priuatiuè, quoad Episcopum, vt in dictis decisionibus, quæ exemptio præsupponit, locum esse in diœce-
si. Abbas *in cap. Apostolicæ. num. 3. vers. Pura tamen, de donat.* Felin. *in cap. Graue. numer. 2. de offic.* 14.
Ord.

Ord. Rot. in alleg. Calagur. iurisdictionis, 16. Ianuarij, *& in Constantien. iurisdictionis*, 28. Maij, 1611. coram Reuerendiss. Attrebaten. impressa *decis. 324. p. 1. in recent.* Sicut non obstat alia decisio extremò data *in Beneuentana decimarum*, 28. Iunij, 1595. coram Penia: quia (vt ibi legitur) processus non exhibitus, fabricatus erat super decimis, de quibus principaliter agebatur. In hoc autem casu prætensus processus non fuit fabricatus super finibus terræ Saponatiæ; sed solùm super exemptione, vt *suprà*, quæ supponit, locum esse in diœcesi ex prædictis: vltrà quòd Rota mandauit, hoc dubium proponi etiam ex officio, obsequendo intentioni Sanctissimi.

Et ita decisum, parte D. Episcopi tantùm informante, Procuratore Archipresbyteri pluries monito, & citato.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Gerunden. Administrationis, Mercurij, 11. Decembris, 1630.

ARGVMENTVM.

Iurisdictio concessa Prælato in Ecclesia regulari sæcularizata, censetur etiam concessa Capitulo, si ante sæcularizationem spectabat ad Abbatem, & Conuentum simul: & quid, si iurisdictio fuerit concessa Prælato taxatiuè.

SVMMARIVM.

1 *Administratio bonorum communium Capituli, & Prælati spectat ad vtrunque simul.*

2 *Regulares non sibi, sed Monasterio acquirunt.*

3 *Iurisdictio concessa Prælato in Ecclesia regulari sæcularizata, censetur etiam concessa Capitulo, si ante sæcularizationem spectabat ad Abbatem, & Conuentum simul.*

4 *Collatio beneficiorum, vbi est simultanea inter Prælatum, & Capitulum; indultum concessum Prælato suffragatur Capitulo.*

5 *Dictio,* solus, *non semper excludit; sed quandoque includit, quod est sibi connexum: & illustratur exemplis.*

6 *Iurisdictione alicui concessa, vt solus cognoscat, censetur iurisdictio alterius, nisi iurisdictio alteri competeret de consuetudine, & num. seq. Contrarium, num 8.*

7 *Consuetudini non censetur derogatum, nisi expressè dicatur.*

9 *Iurisdictione alicui taxatiuè concessa, non censetur sublata iurisdictio alterius sibi connexa.*

10 *Declarans nihil de nouo tradit; sed declaratum trahitur retrò, & videtur inesse à principio actus declarato.*

11 *Declaratio est dependens, implicita, & consequens ad declaratum.*

12 *Verba apposita, demonstrationis gratia tantum, non habentur in consideratione.*

13 *Iura loquentia de Episcopo, & Capitulo, procedunt etiam in Prælato, & Capitulo inferioris Ecclesiæ, quando nulla adest ratio differentiæ.*

14 *Fructus Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ regularis, Sede vacante, spectant ad successorem.*

15 *Canonici E. Mariæ Villæ Bertrandi, Gerundensis diœcesis, ab immemorabili tempore habent portiones separatas.*

16 *Fructus, Prælato defuncto, spectant ad Capitulum, quando bona erant Capituli, & portio ex bonis ipsius Capituli fuit assignata Prælato.*

17 *Abbas in arduis non potest agere sine Conuentu.*

18 *Canonici Regulares S. Augustini Hispaniarum habent sui administrandi portiones separatas, eorum victui destinatas; non tamen ratione dominij, sed ratione administrationis, n. 20.*

19 *Canonici Regulares S. Augustini nihil differunt a cæteris Regularibus capacibus bonorum in communi.*

DECISIO LXXV.

SAnctæ mem. Clementis VIII. suppresso Monasterio Ordinis S. Augustini, Ecclesiæ Beatæ Mariæ Villæ Bertrandi, dictam Ecclesiam in Collegiatam sæcularem erexit pro vno Archipresbytero, & tot Canonicis sæcularibus, quot antea existebant Regulares, qui simul Capitulum constituant; ipsique Ecclesiæ sic in Collegiatam erectæ & institutæ applicauit fructus mensæ conuentualis, & Officiorum claustralium; Archipresbyteratui verò fructus Camerariæ, & Piatrariæ dicti suppressi Monasterij, subdens *omnia, & singula, fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, & emolumenta quæcunque: ita quod liceat dictæ Ecclesiæ Archipresbytero, & Capitulo prædictis, fructuum, prouentuum, iurium, iurisdictionum, bonorum annexorum, & applicatorum quorumcunque possessionem sua, & eorum mensa Capitularis, & Archipresbyteralis nominibus*, &c. *apprehendere.* Anno sequenti idem Pontifex in erectione Cathedralis Celsonensis applicauit Dignitatibus illius Abbatiam dictæ Ecclesiæ Villæ Bertrandi; sed, cùm hæc Ecclesia haberet diuersas iurisdictiones tempore Regularitatis Abbati, & Capitulo simul fidelium largitione tributas, & Dignitates Celsonenses prætenderent dictas iurisdictiones ad ipsas spectare, idem Sanctissimus Pontifex declarauit, suæ intentionis minimè fuisse applicare iurisdictiones dictis Dignitatibus: ac proinde fuit particulariter dubitatum in hac causa, ad quem spectaret administratio istarum iurisdictionum, aliorúmque bonorum mensæ Conuentualis, necnon dictorum Officiorum Claustralium, &
cùm ista omnia sint communia inter Archipresbyte- 1.
rum, & Capitulum, ad eos simul spectat dicta administratio, *cap. Quantò, cap. Ea noscitur*, vbi Abb. *n. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capituli.* Lap. *allegat.* 31. & fuit latè deductum *in duabus decisionibus*, coram R. P. D. meo Verospio, sub diebus 16. Februarij superioris anni, & 13. Maij currentis anni; & inde lata fuit sententia, quàm Domini hodie censuerunt esse confirmandam.

Et cùm respectu bonorum assignatorum Capitulo, & Archipresbytero simul, nulla adsit difficultas; punctus quæstionis stat circa iurisdictionem, quam etiam censuerunt Domini esse communem inter Capitulum, & Archipresbyterum: quia cùm Sanctissimus Pontifex declarauerit suæ intentionis non fuisse, illam applicare Dignitatibus Celsonensibus; illa spectat ad Capitulum, & Archipresbyterum, quibus bona mensæ Conuentualis fuerunt applicata. Nam, quicquid dicendum esset, an illa fuerit expressa propter verba illa in applicatione bonorum, videlicet, iurisdictionalium, quæ videntur restricta ad eorundem bonorum iurisdictionem; nihilominus, cùm huiusmodi iurisdictio esset communis inter Abbatem, & Capitulum, nec fuerit assignata dictis Dignitatibus, quibus fuit applicata,

Abbatia

Abbatia remansit penes mensam conuentualem assi-
gnatam dicto Capitulo, & Archipresbytero: quæ
quidem communio satis probatur: tum ex eo, quòd
nominatim ex largitione fidelium fuit Acquisita Ab-
bati, & Conuentui: tum etiam ex eo, quia ex tenore
antiquæ fundationis debuerunt omnia communia
esse: de anno enim 1100. fuerunt in hac Ecclesia in-
troducti Clerici Regulares secundùm Regulam san-
cti Augustini, qui viuere studerent, tanquam nihil
habentes, & omnia possidentes, ita vt nullus ex præ-
dictis Clericis aliquid vsurpare, vel iuri suo appro-
2. priare auderet, quod est proprium Regularium, cùm
non sibi, sed Monasterio acquirant. Cened. *quæst. ca-
nonic. 20. num. 28. versic. Quamuis enim.* qui propriè
loquitur de istis Canonicis Regularibus sancti Au-
gustini.

3. Neque obstat, quòd Summus Pontifex non solùm
dixit, suæ intentionis non fuisse iurisdictionem ap-
plicare Dignitatibus Ecclesiæ Celsonensis; sed adie-
cit, vt illa penes Archipresbyterum remaneret: quia,
cùm (vt dictum est) iurisdictio esset communis Abba-
ti, & Conuentui, illa verba non important, quòd iu-
risdictio fuerit assignata Archipresbytero, cùm nihil
fuerit actum inter Capitulum, & Archipresbyterum;
sed inter dictas Dignitates, & Archipresbyterum, in
quo stat punctus huius dubij: & propterea illa verba
important solùm, quòd iurisdictio non fuerit con-
cessa Dignitatibus; non autem ipsi Archipresbyte-
ro, excluso Capitulo, iuxta notata *in cap. Cùm olim,
de consuetud.* Vnde, cùm huiusmodi iurisdictio spe-
ctaret ad Capitulum, & Archipresbyterum, quibus
fuerat vnita mensa Conuentualis; & Papa dixerit,
iurisdictionem spectare ad Archipresbyterum, non
exclusit Capitulum sibi connexum, vt bene ad pro-
positum probat text. *in l. Communem fundum* 10. *ff.
Quemadmodum seruit. amitt.* vbi, si communem fun-
dum ego, & pupillus habemus, licèt vterque non vte-
remur; tamen propter pupillum, & ego viam retineo,
vt per illum textum pluries Rota resoluit, quòd quan-
4. do collatio præbendarum est simultanea, indultum
concessum Episcopo suffragatur Capitulo, ex quo
est annexum Episcopo, vt in decisionibus allegatis *in
causa Cremonen. Canonicatus*, 26. Aprilis 1624. co-
ram me.

Neque etiam refragantur alia verba sequentia: *Sed
eam* (scilicet, iurisdictionem) *pro tempore existenti
Archipresbytero Collegiatæ Ecclesiæ remanere debuis-
se, ac eidem Archipresbyteratui vnitas, & annexas
fuisse, & esse; nec non liberum exercitium iurisdictio-
nis huiusmodi ad Archipresbyterum prædictum per-
petuis futuris temporibus spectare, & pertinere decer-
5. nimus, & declaramus*, &c. Quia ex hoc etiam non cen-
setur sublata iurisdictio Capituli, cùm, vt dictum est,
hæc verba non fuerint prolata inter Archipresbyte-
rum, & Capitulum; sed inter Archipresbyterum, &
Dignitates Celsonenses: & propterea sunt intelligenda
respectu Dignitatum Celsonensium: non autem re-
spectu dicti Capituli, cum quo non agebatur, vt bene
per Bald. *in l. 1. n. 4. C. de bon. poss. contra tab.* vbi, si ter-
tius inferat molestiam Episcopo in iurisdictione, &
Papa dicat: *Solus Episcopus procedat*, illa verba intel-
liguntur respectu molestantis, non autem respectu Ca-
pituli connexi Episcopo: & ibi etiam notat Ias. *num. 7.*
vbi, quòd natura termini taxatiui est excludere extra-
nea; cuncta autem pertinentia indulgere. Hinc etiam,
si Papa dicat: *Solus Episcopus possit degradare*, non
tamen excludit Capitulum concurrens in degrada-
tione, sed alios Episcopos, *cap. 1. & ibi* Gloss. fin. *de hæ-
reticis, in 6.* Ioan. Monach. *num. 1.* Archid. *num. 1.*
Ioan. Andr. *in princ.* Hinc denique, si Papa in Indulto
dicat, quòd solus Episcopus possit prouidere benefi-
cia, ad quæ prouisus solet per electionem assumi; non
propterea excluditur Capitulum, ad quod spectat ele-
ctio, sed dispositio intelligitur in præiudicium ipsius
Papæ, Put. *decis. 190. n. 2. lib. 3.* Germonius *in indultis,
in §. Ad beneficia, num. 32. & 99.*

Minùs etiam refragatur, quòd si iurisdictio datur 6.
alicui, vt solus cognoscat, censetur sublata iurisdictio
alterius. Berof. *cons. 22 num. 28. vol. 1.* Rip. *de peste, de
remedijs preseruatiuis, num. 62.* Cotta *in memorialib.
vers. Solus.* Mandos. *ad consilium Rom. in 393. litt. B.*
Felin. *in cap. Pastoralis, num. 2. limit. 3. de offic. Ordin.*
qui vnà cum Ripa solùm limitat hoc dictum, quando 7.
alteri competeret iurisdictio de consuetudine, non au-
tem de iure communi, ex quo consuetudini non cen-
setur derogatum, nisi expressè dicatur: & sic declarat
text. *in l. Viros, C. de diuers. offic. lib. 12.* Menoch. *præ-
sumpt. 18. num. 14. lib. 2.* vbi dicit, hanc esse veram, &
receptam sententiam.

Nam huic fundamento fuit responsum, quòd con- 8.
trarium tenent Ang. *in l. 1. n. 1. C. vbi, & apud quem,*
quem sanè legendum esse, vt loquatur negatiuè, quic-
quid aliqui dicant, probat Cott. *loco cit. in fin.* Dec. *in
cons. 3. n. 7. col. 5. vers. Superest respondere.* Ias. licet vi-
deatur dubitatiuè loqui *in l. Quod in rerum, §. Si quis
post, n. 9. ff. de legat. 1.* Decian. *respons. 118. n. 23. v. l. 3.*
Grammat. *cons. 28. n. 6.* Rom. *cons. 393. n. 3. & 4.* Me-
noch. *de arbitr. lib. 5. q. 80 n. 8.* Sed, quicquid sit de hac 9.
opinione, quatenus opinio affirmatiua esset vera, pro-
cedit, quando agitur principaliter inter duos; non au-
tem quando agitur inter duos; & vnus ex illis, ad cu-
ius fauorem disponitur, habet alium connexum: quia
disposita in illo habent locum etiam ad fauorem con-
nexi. Et ratio differentiæ est: quia, quando agitur in-
ter duos simpliciter, si alius non excluderetur, statu-
tum nihil operaretur, & frustrà occuparet membra-
nas, vt dicit Cotta *loco eo modò allegato.* quæ ratio
cessat, quando agitur cum tertio: quia etiam, quòd
præseruetur ius connexo, nihilominus dispositio ope-
ratur, quia ille tertius excluditur.

Neque est verum, quòd in hoc casu perinde est, ac
si fuisset actum inter Capitulum, & Archipresbyte-
rum solum, ex quo Papa declarauit mentem suam, &
sic nihil de nouo dedit, ita vt declaratum trahatur re- 10.
trò, & videatur inesse à principio actui declarato. Ol-
drad. *cons. 263. n. 2. & seqq. vers. Et aduertendum est.*
vbi inquit, quòd declaratio est dependens implicita, 11.
& consequens ad declaratum. Anchar. *cons. 7. num. 3.
& seqq. vers. Non obstat, quod declaratio.* Bellam. *cons.
33. n. 40. & 41. & n. 59.* dicens, quòd non admittit pro-
bationem in contrarium. Rom. *cons. 482. num. 9.* vbi
Apostill. *in verb. Emanasse allegat concordante.* Quia
aduertendum est, quòd obiectum procederet, si decla-
ratio fuisset facta ex controuersia orta inter Archi-
presbyterum, & Capitulum: sed cùm declaratio fuerit
facta occasione controuersiæ inter Archipresbyte-
rum, & Dignitates Celsonenses, declaratio non debet
nocere Capitulo, cùm illa verba sint prolata demon-
stratiuè ad exclusionem Dignitatum; non autem di-
spositiuè ad exclusionem Capituli, cuius respectu 12.
propterea illa verba non sunt consideranda. Alex. *in
l. Si idem, §. vltimo, num. 4. ff. de iurisdict. omnium iud.*
Tiber. Decian. *cons. 4. num. 17. vol. 3.* Ad quod quidem
Capitulum certum est spectare iurisdictionem, vnà
cum Archipresbytero, vt *suprà* dictum est: & in istis
terminis non potest constitui differentia, quando
principaliter quid disponitur in præiudicium tertij; &
quando per viam declarationis mentis vsque ab ini-
tio: quia semper fit in præiudicium tertij, non autem
connexi; & bene applicantur, quæ *supra* dicta fuere de
Episcopo, & Capitulo, quæ etiam procedunt in Præ- 13.
lato & Capitulo Ecclesiæ inferioris, cùm nulla inter
ista,

ista, ad propositum possit afferri ratio differentiæ: imò eadem est ratio, vt fuit dictum cotam me *in causa Gerunden. iurisdictionis, 31. Ianuarii, 1614.*

14. Neque tandem obstat, quod mensa abbatialis erat distincta à mensa conuentuali: quod probatur ex text. *in cap. Quia sæpè de elect. in 6.* & *in Clement. statut. num. eod. tit.* quibus locis disponitur, quòd quando Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata est regularis, Sede vacante fructus debent conseruari successori: & fuit dictum *in causa Salamantin. residentiæ*, 12. Decembris, 1578. cotam sanct. mem. Clemente VIII qood etiam claré constat in casu, de quo agitur, ex quo mensa abbatialis fuit assignata Dignitatibus Celsonensibus:

15. conuentualis verò Capitulo & Archipresbytero. Et quòd istæ mensæ sint distinctæ, probatur ex eo, quòd isti Canonici ab immemorabili tempore habent portiones separatas, vt dicit Petrus Cenedus *d. quæst. 20. n. 5. post med. vers. Qui modus viuendi.* & Ioan. Trullo *de Canonicis regularib. lib. 1. cap. 11.* dicit quòd viri nobiles, & litterati affectant, & ambiunt habere huiusmodi Canonicatus.

16. Nàm huic obiecto fuit responsum, quòd Abb. *in c. Relatum, n. 2. testam. num. 1. vers. In Glos.* & *ibi* etiam Glos. *in ver. vnus, ante finem*, tenent quòd defuncto Prælato fructus spectant ad Capitulum, quando bona erant Capituli, & portio ex bonis ipsius Capituli fuit assignata Prælato: quod dictum Abbatis non respuit Rota *in dicta causa Salamantina, coram sanctæ mem. Clemente VIII.* cùm in casu suo ad doctrinam Abbatis responderit, quod in ipsa fundatione bona Abbati, & Capitulo fuerunt assignata. Sed quia, fortè posset dici, quod Abb. non loquitur in Collegiata, aut Cathedrali regulari, de quibus loquuntur iura *suprà* allegata; firmiter fuit responsum, quòd dispositio dictorum iurium non tollit, quin bona communia definant esse talia, etiam quòd Sede vacante, Capitulum non faciat fructus suos, sed debeant successori reseruari: quia in terminis dictorum iurium, quando bona sunt communia, Capitulum succedit in administratione, Archid. *in d. cap. Quia sæpè, num. 2. vers. Et secundum Gemin. num. 6. vers. Quarto, an iste text.* Franc. *num. 1. vers. In Glos.* Et licèt Capitulum non faciat fructus suos, nisi proueniant ex re indiuidua, vt est collatio beneficiorum, Cardin. *in d. Clem. Statutum num 8.* Vital. *num. 32.* qui dicunt, quòd, licet Capitulum ratione communionis succedat in administratione; non tamen in dominio fructuum, stante dispositione dictorum iurium. Vnde sufficit quòd bona sint communia, licèt administratio spectet ad Abbatem, & fructus debeant seruari successori, ad effectum, quod cùm iurisdictio non fuerit assignata Dignitatibus Celsonensibus, remanserit in huc casu suppressa Dignitate Abbatiæ, penes Capitulum. Et hæc eò magis procedunt, cùm agatur de iurisdictio-

17. ne; & certum sit; quòd Abbas in arduis non potest agere sine Conuentu, *cap. Edoceri.* & *ibi* Abb. *num. 7. de rescript.* & *in cons. 44. num. 2. lib. 2.* Feder. de Sen. *cons. 123. num. 2.* Rot *decis. 514 n. 7 & 8. par. 1. diuers.* & fuit dictum *in hac causa*, 13. Maij huius anni cotam R.P.D. meo Verospio.

Erad id, quod dicebatur, mensas esse separatas, ex quo Canonici habent suas portiones. Pro dilucidatione huius materiæ fuit consideratum, quòd Religiosi aliqui nihil habent, quoad verum dominium, neque quoad ius administrandi, nec in particulari, nec in communi, vt sunt Fratres Capucini, & de Obseruantia: alij verò sunt, qui habent ius administrandi in communi, & non in particolari, quales ferè sunt omnes

18. Religiosi de iure communi: alij verò sunt, qui habent ius administrandi, quæ suo victui sunt destinata, quales sunt isti Canonici regulares Sancti Augustini Hispaniarum, Nauar. *in cap. Nullam. num. 31. vers. 12. 18. q. 2.* Ludouic. Lopez *in Instructorio conscientiæ, par. 1. cap. 154. vers. Quarto, aducit.* Petrus Nauarr. *de restit. lib. 3. cap. 1. num. 164.* Cened. *d. q. canonica 20. num. 14.* qui quidem Canonici regulares non differunt à cæteris Regularibus capacibus bonorum in communi, quoad ea, quæ communia sunt omni Religioni, sicut viuere sine proprio, abstinere à negotiationibus, & ab officio aduocandi in causis, & huiusmodi, vt sunt verba formalia S. Thomæ *opuscul. 19. contra impugnantes Religionem, cap. 2. col. 7. littera B, vers. Quod autem obiicitur. fol. mihi. 150.* Ioan. Trullus *de Canonicis regularib. lib. 1. cap. 8. num. 7. in fin.* Cened. *loco alleg. num. 15. in fin.* Et propterea, licèt habeant dictas portiones separatas, non habent, tameo ratione dominij, cùm non sint capaces, sed solùm ratione administrationis. Nauar. *in d. cap. Nullam. 18. quæst. 2. num. 24. 28. & 29.* vbi latissimè, & per concessionem dictarum portionum non conceditur, quòd ipsi habeant aliqua bona singulariter quoad dominium; imò neque ad vsum aliter, quam regula permittit, Petr. Nauar. *d. lib. 3. cap. 1. num. 1. 6. vers. Alia enim ratione.* scilicet, ad victum suum, & alia opera pia, & remuneratoria, Nauar. *cons. 70. num. 2 de Regular. lib 3.* sed illæ portiones eis conceduntur de licentia Superioris ex dicta causa, ad vsus suos peculiares honestos, & necessarios, vel conuenientes, & sunt parati dicta bona dimittere ad libitum Superiorum, Giaff. *par. 1. lib. 3. cap. 5. num. 55.* & *in 2. par. lib. 3. cap. 50 num. 15.* & sic dominium bonorum remanet semper penes superiorem. Petrus Nauar. *loco citato num. 170.* Ideò non licet dictis Canonicis prædictas portiones, neque alia bona quoad dominium, obtinere. Nauar. *in cap. Non dicatis. 12. q. 1. num. 1. & 2.* & Canonicus, qui dicta bona, vel portionem ita possidet, vt non sit animo paratus, etiam ad Superioris nutum relinquere, peccat manifestè contra votum solenne paupertatis, & tenetur dictam portionem restituere, & à se omninò abdicare, vt est communis sententia DD. de qua dictus Petrus Nauar. *loco modo allegato, num. 161.* latissimè Petrus Cened. *d. q. 20. n. 25.* & latè Fr. Ioan. Hieronymus. Cened. *in tractat. Pobreza religiosa, cap. 49 per tot.*

Ex quibus, cùm alia benè tollantur ex decisionibus Domini mei Verospij, fuit resolutum administrationem debere esse communem quoad iurisdictiones, & alia bona; secùs verò quoad ea, quæ propriè Archypresbytero fuerunt assignata, circa quæ nihil prætendit Capitulum, nec loquitur sententia D. mei Verospij, quia ad ipsum solum spectat administratio, & sic iuxta prædictam sententiam Rotalem esse confirmandam, &c.

19.

20.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Gerunden iurisdictionis, Veneris, 28. Martij, 1631.

ARGVMENTVM.

Ex Summariis colligitur.

SVMMARIVM.

1. *Beneplacitum apostolicum præsumitur ex obseruantia 30. annorum.*
2. *Scripturis magis standum est, quàm testibus.*
3. *Res iudicata obstat super eo, de quo fuit facta litis contestatio.*

4 *Executio piarum voluntatum spectat ad Episcopum.*

5 *Iurisdictio censetur concessa cumulatiuè, non priuatiuè, nisi constet de contraria mente concedentis num. seq.*

7 *Iurisdictio simpliciter concessa, censetur concessa cumulatiuè: secus vbi aliquid fuit detractum Episcopo, & num seq.*

DECISIO LXXVI.

VT fuit dictum in decisione facta 22. Aprilis superioris anni, dubium tunc propositum, an, scilicet, licentiæ datæ per Episcopum beneficiatis, se congregandi, essent confirmandæ, vel reuocandæ, habet tres inspectiones. Prima est, an dicti beneficiati, qui non constituunt Collegium, possint se congregare sine licentia Superioris, & cùm indubitata sit opinio negatiua, ex deductis in illa decisione circa hoc hodie nulla fuit excitata difficultas. Secunda inspectio est, an Episcopus potuerit concedere dictas licentias. Tertia quatenus non, an confirmatio dictarum licentiarum obtenta à sanctæ memoriæ Clemente VIII. suffragaretur.

Quantum attinet igitur ad secundam, & tertiam inspectionem de quibus hodie agitur, circa secundam inspectionem non est agendum in puncto iuris, an Episcopus possit concedere huiusmodi licentias absque interuentu Capituli: sed est videndum in concreto, an Episcopus, vel Abbas debeat concedere huiusmodi licentiam, & dixerunt Domini spectare ad Abbatem ex sententia arbitrali lata ad fauorem ipsius Abbatis de ann. 1400. iuncta obseruantia ab anno
1. 1434. vsque ad annum 1578. ex qua obseruantia tanti temporis pro qua etiam sufficerent triginta anni, præsumitur beneplacitum apostolicum. Felin. *in cap. Albericus, num. 3 & 4. de testib.* Cassad. *decis. 3. num. 1. de procur.* Put. *decis. 356. num 7. lib. 2.* in correctis cum infinitis, qui possunt allegari.

Neque est verum quòd contra istam sententiam adest res iudicata: nam duæ fuerunt latæ sententiæ arbitrales, vna de anno 1440. quæ est illa, de qua modo dictum fuit, altera de anno 1318 in qua adiudicatur iurisdictio ciuilis Abbati; criminalis verò Episcopo, & res iudicata, quæ prætenditur est contra dictum laudum anni 1318. quoad iurisdictionem ciuilem, & actus, qui cumulantur *in Summario num. 12.* & testes, quorum copia data fuit, & de quibus omnibus habetur mentio in prima sententia, loquuntur de dicta iurisdictione ciuili, quæ quidem res iudicata in quibus terminis procedat, & quid contineant dicti actus, & quid deponant testes, non firmarunt Domini, sed solùm dixerunt, satis esse, quòd non tangant præsentem articulum circa con-
2. cessionem licentiæ, & quatenus testes aliquid deponerent, nihil releuarent, cùm magis sit standum scripturis, quas affert Abbas, quàm testibus; *l. exercendis, C. de fid. instrument.*

Non obstat, quòd Abbas dedit libellum generalem, in quo exposuit, quòd vigore sententiæ arbitralis; ipse, & sui prædecessores fuerunt, & est in possessione, seu quasi, exercendi omnimodam iurisdictionem ciuilem inter obtinentes dignitates, Canonicatus, & beneficia simplicia in Ecclesia Collegiata S. Felicis, & prima sententia per duas alias confirmata continet, post sententiam arbitralem Episcopum pluries cognouisse inter Canonicos, & beneficiatos, &c. ideò cùm sententia fuerit lata ex deductis, & prosequutis per modum causæ, & super dicta causa lis fuerit contestata, obstat res iudicata non solùm super negotio principali; sed etiam super causa, licèt secùs esset, si principaliter pars non fuisset prosequuta deducta per modum causæ, vt distinguendo dicit Calder *in cons. per tot. de re iudic.* Ioan. Andr. *in c. Cum Ecclesia Sutrina. n. 15. & seqq. de caus. poss. & propriet.* Archiat. *consil. 417. n. 2. vers. ex autem.* Quia quicquid sit, an Abbas fuerit prosequutus causam deductam in dicto libello, scilicet sententiam arbitralem, cessat omnis difficultas, quia sententia arbitralis de anno 1400. non fuit deducta, sed alia de anno 1318. & ex aduerso opposita omnia tendunt ad hanc sententiam arbitralem de anno 1318. non autem ad aliam de ann. 1400. & pronunciatio principalis fuit quòd executio piarum voluntatum, tam de iure communi, quàm vigore Concilij Tridentini spectat ad Episcopum, quod est verissimum *Clem. 1. de testam §. si quis autem per redemptionem. Authen de Ecclesiast.* Seraph *decis. 611. n. 7.* Concil. Trident. *sess. 25. c. 4. de Reformat.* 4.

Minùs obstat, quòd dicta sententia arbitralis censetur concedere iurisdictionem cumulatiuè, non autem priuatiuè. Roman. *consil. 393. n. 1. & seqq.* & ibi Addentes. Quia hoc est verum, nisi constet de contraria mente, vt fuit responsum *in causa Montis Regalis Iurisdictionis* 27. Nouembr. 1606. coram me, de qua quidem contraria mente constat in casu isto, quia in dicta sententia dicitur, quòd si Abbas denegauerit licentiam, beneficiati post duos dies possint recurrere ad Episcopum, Vicarium, vel Officialem pro impetranda dicta licentia; signum euidens, quòd priuatiuè fuit concessa Abbati dicta licentia, cùm referetur recursus ad Episcopum solùm in euentum denegationis dictæ licentiæ, & sic non versamur in licentia simpliciter data: quo casu censetur data cumulatiuè; Roman. *vbi supra* Roland. *consil. 80. per tot. l. 2.* Sed in casu, quo fuit aliquid detractum Episcopo, ex quo ad ipsum solum permittitur recursus post duos dies in euentum de negatiuis, quo casu iurisdictio censetur concessa priuatiue, vt dictum est. Roman. *dicto consil. 393. in fin. vers nec dicatur.* vbi alleg. text. quem dicit singularem *in l. tam Collatores. ad princip. C. de re milit.* & ibi Apostilla dat concordantes *in ver. singularis.* 5. 6. 7. 8.

Circa tertiam inspectionem, an confirmatio apostolica suffragetur, dicendum est, quòd non, ex defectu intentionis Summi Pontificis Clem. VIII cùm ei non fuerit narratum ius Abbatis, & cùm gratia corruat corruit quoque decretum irritans tanquam accessorium, vt latè fuit deductum in alia decisione à qua Domini vtraque parte audita censuerunt non esse recedendum.

Et ita conclusum, &c.

R. P. D. PIROVANO.

Cæsaraugustana Camerar. Lunæ, 2. Iunij, 1631.

ARGVMENTVM.

Beneficia regularia existentia in Ecclesia regulari exempta non spectant ad collationem Ordinarij, intra cuius diœcesis fines consistunt.

SVMMARIVM.

1 *Beneficia regularia sita in Ecclesia regulari existentia intra fines diœcesis spectant ad collationem Episcopi.*

2 *Collatio beneficij erecti, & dotati ex alijs beneficiis spectat ad eum, ad quem spectabat collatio priorum beneficiorum.*

3 Exem

4 *Exemptionis priuilegio derogatur iuribus ex dispositione Canonum Ordinario competentibus.*

Decisio LXXVII

Censuerunt Domini, Paulo non esse adiudicandam Camerariam.

Nam, quamuis prætendatur, beneficia regularia in Ecclesia regulari existentia, & regularibus conferenda, & prout est beneficium, de quo agitur, esse de collatione Ordinarij, tanquam intra fines diœcesis Cæsar-
1. augustanæ consistentia, *c. Si quis Episcoporum. 16. q. 2. c. Omnes Basilica 16. q. 7. & c. Monasteria. 18. q. 2. c. Cùm non liceat. c. Cùm olim de præscript. c. Constitutus. & c. Cùm venerabilis. de relig. Domib. c. Abbate. de verbor signif.* Vital. *Clemen. vnica, n. 16. de supplen. neglig. Prælat.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 23 n. 20.* Ac etiam
2. contendatur, fuisse ab Archiepiscopo erectam, & dotatam huiusmodi Camerariam, de beneficiis non ad collegiatam pertinentibus, sed alterius Ecclesiæ; de collatione tamen eiusdem Episcopi: quo casu simultaneæ collationi locus esse non possit; iuxta Cassad. *decis. 22. de praben.* sed eidem Ordinario dotanti remanserit vt priùs facultas conferendi Abb. *in c. suggestum. n. 3. de iurepatr.* Seraph. *dec. 1444. n. 11.* & Rota *dec. 600. n 3. p. 2. recent.* & *in Gallien. iuris conferendi*, 14 Martij, 1621. coram bon. mem. Francisco Vbaldo.

Attamen quia collegiata Beatæ Mariæ de Pilar ex litteris Innocentij II. Eugenij III. Alexandri III. Clementis VIII. per Sixtum V. confirmatis probatur exempta, etiam quoad Monasterium, & illius Prioratum, Dignitates, officia, loca, canonicales portiones, ac beneficia: per priuilegium exemptionis re-
3. mansit derogatum iuri, ex dispositione Canonum Ordinario competenti, *c. Abbate* vbi Panorm. *n. 3. de verb. signif.* Lap. *alleg. 239. n. 7.* Vital. *de supplen. neglig. Prælat. in rubr. n. 16.* Gonzal. *ad reg. 8. glos. 23. n. 20.* Rota *decis. 308. n. 4. par. 1. recen.* & nouissimè idem fuit firmatum *in Lauretana iurisdictionis*, 12. Maij præteriti, coram Domino meo Dunano. Vnde cessante iure conferendi in Ordinario, meritò fuit dictum, Paulo ab eodem Episcopo deducenti ius suum, Camerariam non esse adiudicandam.

Et ita vtraque parte informante fuit resolutum,

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 26. Nouembris, 1632.

ARGVMENTVM.

Confirmatio priuilegij exemptionis facta ex certa scientia, quid operetur: & an valeat absque derogatione regulæ de iure quæsito non tollendo; & alia plura in materia, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

1 *Exemptione derogatur iuri, Ordinario competenti.*
2 *Confirmatio nihil de nouo tribuit.*
3 *Priuilegia ad futura acquirenda non se extendunt.*
4 *Clausula apposita in confirmatione, in forma communi, nihil plus tribuit, quàm ipsa confirmatio.*
5 *Confirmatio non suffragatur, si non constat de priuilegio confirmato: & intelligitur saluo iure tertij, & quatenus validum sit priuilegium: & recipit eandem interpretationem, & obiectiones, quas priuilegium, confirmatum.*
6 *Confirmatio ex certa scientia non lædit ius alterius, a Papa confirmante ignoratum.*
7 *Confirmatio dicitur ex certa scientia, quando in ea insertus est tenor priuilegij confirmati.*
8 *Confirmatio vbi est facta ex certa scientia, quæ valida erant, approbantur; quæ valida non erant, recipiunt robur ex confirmatione; & quæ nullam habent relationem ad ea, quæ præcesserunt, de nouo conceduntur.*
9 *Verba*, Perpetuò eximimus, & totaliter liberamus, *sunt apta comprehendere quodcunque ius.*
10 *Exemptionis gratia, tanquàm de sui natura præiudicialis, sustinetur absque derogatione regula* de iure quæs. non tollendo.
11 *Clausula*, sublata, *operatur, vt dari non possit de subreptione, absque bris aperitione.*
12 *Clausula*, salua canonica iustitia Episcopi, *preseruat ius Episcopi in materiis compatibilibus; sed non tollit expressè concessa.*
13 *Priuilegia non se extendũt ad postmodum erigẽda.*
14 *Proœmium declarat mentem concedentis.*
15 *Vicarius de iure non habet facultatem conferendi.*
16 *Dictio*, Omnis, *est vniuersalis, & nihil excludit.*
17 *Totum, siue vniuersale, siue generale, siue integrale semper infert in quamlibet suam partem.*
18 *Beneficia in Collegiatis sunt de simultanea collatione Prælati, & Canonicorum. Limita, vt n. 20.*
19 *Beneficia in Ecclesiis Canonicorum regularium de iure sunt de simultanea collatione Prælati, & Capituli.*
21 *Beneficia in Collegiata præsumuntur dotata de bonis propriis ipsius Collegiatæ.*
22 *Enunciatiua in Bullis antiquissimis probant, etiam quod emanauerint ad supplicationem partium.*
23 *Dominium probatur ex priuilegio Papæ, in quo sit specialis mentio locorum.*
24 *Dominij translatio fieri non potest ab eo, qui dominium non habet.*
25 *Verba*, Assigno, & Concedo, *significant dominium in transferente.*
26 *Beneficia sine authoritate Ordinarij, & dotis assignatione erigi non possunt.*
27 *Dos beneficio præsumitur constituta ab eo, qui tenebatur dotare.*
28 *Obseruantia debet probari in specie, nec sufficit generica.*

Decisio LXXVIII.

Censuerunt Domini standum esse in decisis 2. Iunij, 1631. Quia nedum Cameraria, de qua agitur est exempta à iurisdictione Ordinarij, vigore litterarum Sixti V. sed vlteriùs: quia pertinentia collationis ad eundem non spectat, cum non probetur, beneficium fuisse dotatum de aliis bonis, seu beneficiis, quàm ad collegiatam spectantibus.

Verba enim Bullæ Sixti sunt amplissima. Nam postquàm idem Pontifex litteras Apost. Clementis VII. insertas, ac aliorum Pontificum, Monasterio, Priori, & conuentui concessas, authoritate apost. approbauit, confirmauit, & innouauit; ac omnes, & singulos, tam iuris, quàm facti defectus (si qui interuenerint) supplendo, decreuit, illas perpetuò valere, & tenere, & inuiolabiliter, ac perpetuò obseruari debere: & post suppressionem litis, tunc inter Collegiatam, & Archiepiscopum Cæsaraugustanum in Rota vertentis: addidit sequentia verba: *Vlterius pro potiori cautela, & suffragio Monasterium B. Mariæ, & Ecclesiam huiusmodi, ac illius Prioratum, Dignitates, Officia, necnon singula loca, & canonicales portiones, ac beneficia, omniaque, ac singula castra, terras,*

res, & bona quæcunque similiter præsentia & futura;
ac Priorem, & Canonicos, necnon Camerarium, Capel-
lanúmque Regium nuncupatum, omnes, & quæscunque
Clericos, etiam sæculares, obtinentes in titulum, vel cō-
menda quascunque Dignitates, & officia regularia ip-
sius Monasterij. B. Mariæ, ab omni iurisdictione, domi-
nio, & superioritate, visitatione, correctione, authoritate,
& potestate prædicti moderni, & quorumcunque Archie-
piscoporum Cæsaraugustanorum, pro tempore existen-
tium, suorúmque Vicariorum, & Officialium perpetuò
eximimus, & totaliter liberamus.
1. Ex quibus verbis, cùm apertè legatur Cameraria
perpetuò exempta, & totaliter liberata à iurisdictione,
& imperio Archiepiscopi, semper remanet deroga-
tum iuri, Ordinario competenti, *c. Abbate.* vbi Panor.
num. 3. Lap. *alleg.* 315. *num* 7. Vital *de supplem neglig.*
Prælat. in rubr. num. 16. Selua *de benef. p.* 2. *q.* 22. *n.* 45.
Gonzal. *super reg.* 8. *gloss.* 23. *numer.* 20. Rota *in*
Ferrarien, Prioratus, quæ est *decis.* 308. *num.* 4. *par.* 1.
recent.
2. Non obstat, quòd approbatio, confirmatio, & inno-
uatio facta per Clementem, quoad litteras Innocen-
tij, Eugenij, & Alexandri nihil plus tribuat, quam
quòd in eisdem litteris datum fuit, Castad. *decis. vni-*
ca, num 2. *de confirm. vtil. vel inutil.* Rota *decis.* 702.
num. 6. *p.* 1. *diuers.* & 229. *num.* 11. *p.* 2. *recen.* Dec.
cons. 341. *num.* 7. dicens, confirmationem semper
præsupponere, aliquid priùs esse, quod confirmetur:
sed in eorum litteris non contineri exemptionem Ca-
3. merariæ, neque potuisse contineri, dum non esset
tunc erecta, ex quo priuilegia ad futura acquirenda
non se extendunt. Hostien. & Ioan. Andr. *in cap. Cum*
capella. de priuileg. clausulam verò: *Et pro potiori cau-*
tela. insertam in eisdem litteris Clementis post appro-
bationem confirmationem, & innouationem litte-
rarum Pontificum prædecessorum in qua eximitur
4. Cameraria, de qua agitur, appositam fuisse ad partis
supplicationem, absque causæ cognitione, & Ponti-
ficis certa scientia quæ pariter nihil plus tribuit, quam
ipsa confirmatio, in ordine ad confirmatum, Castad.
5. *ead. decis.* 1. *de confirm vtil.* Bertran *cons.* 181. *num.* 6.
lib. 3 *part.* 3. affirmans nouam concessionem in con-
cessione priuilegij non suffragari, si non constet de
priuilegio confirmato; & intelligitur, saluo iure ter-
tij; & quatenus valida sit & recipit eandem inter-
pretationem, & obiectiones, quas ipsa confirmatio,
vt dicitur resolutum *in causa Mediolanen. decursus*
aquarum, 28. Aprilis, 1581. coram PP. Clem. VIII.
& *in Tirasonen. iurisdictionis de Tutela*, 1. Aprilis,
1587. & *in alia Tirasonen.* 26. Iunij, 1595. coram
Card. Blanchetto: vltimam verò Sixti confirmatio-
nem, etiam cum clausula *pro potiori cautela, & priuile-*
gio, quamuis ex certa scientia propter insertionem te-
noris litterarum Clementis VII. dicebatur, non plùs
6. operari, quam Clementis confirmationem, in forma
communi emanatam, propter ius speciale conferendi
Archiepiscoporum, ab vtroque Pontifice ignoratum,
Alex. *cons.* 122. *num* 21. *lib.* 4. Rota *decis.* 553. *num.* 9.
p 2 *recen.* Castr. *cons.* 84. *num.* 5. & 230. *n.* 3. *p.* 2. Cresc.
decis. 9 *n.* 4. *de priuil* Put. *decis.* 26. *de praben.* quod di-
cebatur tolli non posse absque derogatione regulæ
de iure quæsito non tollendo.
7. Quia restringendo difficultatem ad Breue Sixti,
fuit pro indubitato præsuppositum, illud emanasse ex
certa scientia propter insertionem tenoris litterarum
Clementis, Glos. *in cap. Pastoralis.* §. *Præterea, in ver-*
bo, ex certa scientia, de off. deleg Dec. *in c. Porrecta.*
n. 15. *de confirm. vtil. vel inutil.* Gabr. *cons.* 183. *n.* 14.
lib. 2. Surd. *cons.* 419. *num.* 24. & 25. & plenè fuit hæc
conclusio comprobata *in causa Toletana admissionis*
8. *ad habitum*, *quæ est* 192. *n.* 3. *par.* 1. *recent.* Et quando
agitur de confirmatione ex certa scientia, quæ value-
runt approbantur: quæ valida non sunt, recipiunt ro-
bur ex confirmatione, & quæ nullam habent relatio-
nem ad ea, quæ præcesserunt, de nouo conceduntur:
ita magistraliter declarat Dec. *consil.* 341. *numer.* 7.
Quod tamen prius in substantia fuit dictum per
Rotam penes Castad. *dict decis. vnica, de confirmat.*
vtil. vel inutil. & nunc absque vlla hæsitatione pro
indubitato admittitur. Seraph. *decis.* 1432. *num.* 1.
& *in ead decis.* 192. *num.* 2. *p.* 1. *recen.* in præsenti au-
tem quoad priuilegia trium Pontificum imitat appro-
batio: quia de illis constat Exemptio Cameraria
Concessa per Clementem VII. in forma communi, vt
inualida recipit robur in confirmatione Sixti: cætera
autem respectu temporalis concessionis ad vitam tunc
Archiepiscopi Cæsaraugustani, & *in posterum*, & *in*
perpetuum, erit noua concessio, dum similis non repe-
ritur, ad quam possit haberi relatio.
Neque mouere debet differentia iuris competen-
tis de iure speciali, vel de iure communi, quod dice-
batur in Archiepiscopis quæsitum ante concessionem
Sixti, & potuisse ab eo ignorari, vt propterea absque
derogatione regulæ defendi non possit. Quia de ab-
soluta, & determinata voluntate Papæ eximendi
Camerariam à iurisdictione Archiepiscoporum paret 9.
ex illis verbis: *Perpetuo eximimus, & totaliter libera-*
mus. quæ sunt apta comprehendere quodcunque ius
Archiepiscopis competens, Gemin. *cons.* 72. *in princ.*
Vital, *clem.* 1. *de censib.* Et eo casu, gratia exemptio- 10.
nis cùm sit de sui natura præiudicialis, dum Papa in-
telligit totale præiudicium, semper sustinetur absque
derogatione regulæ Dec. *cons.* 113. *n.* 7. Castad *de pri-*
uil. decis. 1. Seraph. *decis.* 762. *num.* 4. Rota *decis* 240
num. 22. *p* 1. *diuers.* & cum hac distinctione Domini
transierunt *in Andrien, decimarum*, 14. Decembris,
1607. coram bon. mem. Patriarcha Manzanedo, *in*
Albanen. beneficiorum, 27. Iunij, 1614. coram me, &
in Bononien. vsusfruct 23. Maij, 1615. coram D. meo
Decano. Et quod magis est, hodie dari non potest 11.
de subreptione, aut defectu voluntatis absque oris
apertione: quia in concessione fuit derogatum, &
sublata facultas contrarium dicendi, aut opponendi,
& interpretandi Caputaq *dec.* 134. *num.* 4. *p.* 3. Put.
decis. 50. *num.* 5. *lib.* 1. & 377. *in fine lib.* 3. Seraph. *de-*
cis. 351 & 764 *n.* 1.
Clausulæ autem, quæ leguntur in concessionibus 12.
trium Pontificum, videlicet: *Salua canonica iustitia*
Episcopi Cæsaraugustani, deseruire non possunt ad
conseruationem iuris conferendi Camerariam. Nam,
quicquid sit de interpretatione prædictorum verbo-
rum, quando materiæ sunt compatibiles cum expres-
sis in concessione; non autem vt tollant expressè
concessa, vt in præsenti legitur de Cameraria Ol-
drad. *cons.* 330. *in fine*, Paris. *cons.* 70. *num.* 12. *lib.* 1. Put.
decis. 183 *lib.* 3. Menoch. *cons.* 2. *num.* 57. Attamen ex
alio non suffragantur: quia Cameraria tanquàm fun-
data de anno 1195. vt partes admittunt, non præ-
seruatur ex clausulis anteriorum concessionum, quæ
non se extendunt ad postmodum erigenda. Hostien. 13.
in c. Cum capella, n. 5. *de priuil.* & *ibidem* Ioan. Andr.
n. 5. Abbas *n.* 5. & Cardin. *n.* 1. Alex. *cons.* 178 *lib.* 2. vbi
sub num. 15. admittit conclusionem, quando agitur de
præiudicio tertij.
Et eò minùs releuat ponderatio: quòd huiusmodi
exemptio restringatur ad iurisdictionem contentio-
sam, non autem ad voluntariam, prout est ius confe-
rendi propter verba proœmij, in quo mentio fit solùm
de iurisdictione exercendi in Monasterium, castra,
terras homines: ex quo facilè desumitur voluntas, &
propositum concedentis, Decian. *cons.* 30. *n.* 9. *lib.* 3.
Menoch. *præsumpt.* 2. *num.* 4. *lib.* 6. ac etiam propter
eorum

eorundem verborum directionem in personas, nempe, Vicarios, non habentes in iure facultatem conferendi ; *cap. fin. de offic. Vic. in 6.* Gonzal. *ad reg.8. gloss.5. §.3. num.25.* cum aliis.

15\. Quia verba amplissima litterarum, tam Clementis, quàm Sixti in primis litteris, ibi : *Ab omni iurisdictione, dominio, & superioritate penitus, & omnino eximimus, & liberamus*, & in secundis ibi : *Ab omni iurisdictione, dominio, & superioritate omnino, & perpetuò eximimus, & totaliter liberamus*, non pariuntur huiusmodi restrictionem, aut limitationem : dum non esset omnis iurisdictio omnino, & totaliter sublata, si remaneret voluntaria, pertinens ad ius conferendi

16\. reseruata. Nam, si de omni iurisdictione agatur, illa dictio, *omni*, est vniuersalis, & nihil excludit, *l.1.* vbi omnes, *ff. de leg.1.* Dec *cons.597. n.1.* dicens, quòd si quid non includeretur, non esset verum dicere, quòd omnia veniant, Surd. latissimè cumulans, *cons. 73. num. 62. & seq.*

17\. Et similiter, si totaliter debet Collegiata esse exempta, & liberata, siue totum sit vniuersale, siue generale, siue integrale, semper infert in quamlibet suam partem ; Gloss. *in §.1. Instit. de societ.* quæ de ista dictione loquitur ; *& in l. Lucius, ff. de fund. instrum.* Surd. *decis. 78. n.12.* Cuman. *cons.100. in fine.* Natt. *cons.160. n.30. lib.1.* Bertaz. *de claus. instr. claus.* 27. Couar. *variar. lib.1. cap.2. n.5.* Nec ratione adiuncti, videlicet, *Vicariorum*, mutant naturam : quia priùs de Archiepiscopis habentibus facultatem conferendi facta est mentio : & deinde de Vicariis, ad quos facultas prædicta per mandata specialia transire poterat, vt pleniùs Collegiatæ esset consultum.

18\. Secundò principaliter Collegiata huiusmodi fundat intentionem suam in iuris dispositione. Quia in Collegiatis Ordinarius non confert : sed vacantia sunt de simultanea collatione Prælati, & Canonicorum, Cass. *d. decis.22. de preben. n.3.* Bisign. *decis.8. eod. tit.* Rota *decis.4. de conceß. preben. in non.* Puit. *decis. 130. lib.1. in nouis.* Moed. *decis.27. de prab.* Selua *de benef. p.2. q.22.* & idem fuit resolutum *in causa Cæsaraugustana Canonicatus*, 18. Aprilis, 1603. coram Episcopo Attrebaten. & pleniùs *in Gerunden. Iuris conferendi*, 11. Martij, 1630. coram D. meo Queipo. Et eò clariùs, quia versamur in Ecclesia Canonicorum regularium S. Augustini, propter Bullam Benedicti XII. in nouo Bullario, *tom.1. fol.197.* in qua expressè disponi-

19\. tur, quòd collatio fit simultanea inter Prælatum, & Canonicos : & conuenit cum simili dispositione iuris, *cap. finali, de regular. in 6.* Abbas *in cap. Ea noscitur, n.4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consensu Capit.* Selu. *cad. quæst.22. n.45.* Gonzal. *gloß.7. num.7.*

20\. Non obstat, quòd ab eadem conclusione communiter recedatur, quando beneficium in Collegiata dotatum fuit de beneficiis ad Collegiatam non pertinentibus, sed ad aliam Ecclesiam, prout dicitur in præsenti probari : vt tunc Ordinario dotanti, vt priùs, remaneat facultas conferendi. Abb. *in c. Suggestum, n.3. de iurepatronatus.* Rota *decis.* 670. *num.3. part.2. recent.* & idem videtur firmatum *in Callien. Iuris conferendi* 14. Maij, 1621. coram bon. mem. Francisco Vbaldo.

21\. Quia conclusio est vera : sed probatio dominij deficit. Nam, si de iure contenditur, vrget præsumptio contra Archiepiscopum : quia in Collegiata præsumuntur beneficia dotata de bonis propriis collegiatæ. Abbas *in cap. Cum Ecclesia Vulterana, n.3. de elect.* Plut. *decis.353. n.3. lib.3. in nou.* Caputaq *decis.226. part.2.* Selua *de benef. quæst.12. num.13. part 2.*

Si verò agatur de directa probatione dominij, quòd bona assignata non pertinerent ad Collegiatam : & neque hoc iustificatur : sed potiùs contrarium, quoad Ecclesiam de Magallon. & Borata, apparet de anteriori dominio Collegiatæ ex duabus enunciatiuis antiquissimis, quæ leguntur in duobus indultis Alexandri III. vsque de anno 1171. & 1179. quæ in anti- 22.
quissimis solent probare, etiam quòd emanauerint ad supplicationem partis per illa verba : *Vestris supplica-* 23.
tionibus inclinati. Nam, quando Papa narrat bona, quæ sub protectione Sedis apostolicæ suscipere intendit, subdendo: *Quæ duximus exprimenda vocabulis.* Quantùs Francus *in cap. Si Papa, num.4. de priuil. in 6.* & Put. *decis.427. lib.2.* dubitauerint de releuantia huius probationis : attamen veriorem Rota semper sequuta est, *in Spoletana bonorum*, 13. Iunij, 1608. coram Card. Marcomontio : & priùs *in eadem causa coram Penia*, quæ est 142 & 145. *part 4. diuers.* & pleniùs *in Theatina iurisdictionis*, 405. & 683. *part.1. recent.* in quibus ponderatur illa clausula : *Quæ duximus exprimenda vocabulis.*

Hæreditates verò, quæ assignantur vltra dictas duas Ecclesias, cum suis pertinentiis, pariter non apparent de dominio Archiepiscopi, nisi probetur, easdem fuisse priùs in dominio eiusdem, propter effectum translationis dominij, qui causari non potest ab eo, qui il- 24.
lud non habet, *l. Cùm res, C. de probat. l. non est nouum, ff. de acquir. rerum domin.* Specul. *in titulo de act. seu petit. §. Sequitur, num.25.* Afflict. *decis.40. num.3.* Surd. *decis.122. num.4.*

Demum, si fundamentum desumatur ex ipsa erectione huius Camerariæ, facta per Raymundum Episcopum Cæsaraugustanum de anno 1195. in qua leguntur verba : *Assigno, & in perpetuum valere con-* 25.
cedo : inferentia dominij significationem in transferente, Dec. *cons.640. num.6.* Paris. *cons.33. n.16. lib.3.* qui loquuntur de verbo, *assigno*; & Menoch. *cons.191. n.8. & præsumpt.34. n.31. lib.3.* idem affirmans de verbo, *concedo* : facilè corruit, si attendatur, quòd Episcopus interuenit ad authorizandam erectionem; non autem ad simpliciter consignandam dotem, ex qua iuspatronatus acquiratur : beneficia enim sine authoritate 26.
Ordinarij, & dotis assignatione erigi non possunt, *cap. Nemo*, vbi Gloss. *in verbo, Veniat, & cap. Nullus, de consecrat. dist.1.* Calderin. *cons. vltimo, de iurepatronatus*, Rocchus *eodem titulo, in verbo, Pro eo, quod de Diœcesani consensu.* Et eo casu dos censetur con- 27.
stituta ab eo, qui tenebatur, nempe, ab Ecclesia colgiata, quæ percebat erectionem, Alciat. *reg.1. præsumpt.50* & Menoch. *præsumpt.18. n.8 lib.1.* Et hæc ipsa præsumptio iuuatur aliis adminiculis, *suprà* relatis respectu Ecclesiarum de Magallon, & Borata.

Neque contraria præsumptio potest defendi pro Ordinario, ex obseruantia subsequuta. Nam collationes datæ in Summario Pauli, vel sunt de aliis benefi-
ciis ; & obseruantia non suffragatur : quia debet pro- 28.
bari in specie de Cameraria ; non autem de aliis in genere. Roland. *cons.80. n.10. lib.1.* Becc *cons.96. n.7.* Surd. *cons. 354. n.26.* Aut sunt de eadem Cameraria, prout dantur, vna, scilicet, de anno 1534 & aliæ duæ de anno 1557. Et istæ vltimæ Lupi, & Ferdinandi Archiepiscoporum non sunt productæ in forma probanti, neque effectuatæ. Prima verò, quæ fuit Francisci Archiepiscopi, non sufficit : quia aliæ contrariæ superuenerunt. Ac demum, si quid roboris inferret, id totum fuit sublatum per exemptionem Sixti V. subsequutam : à qua vsque in præsentem diem non dantur collationes de hac Cameraria factæ per Archiepiscopos, quæ effectuatæ, & validæ sint.

Et ita, vtraque parte informante, fuit resolutum.

R. P. D. PIROVANO.

Cæsaraugustana Cameraria, Lunæ, 9. Maij, 1633.

ARGVMENTVM.

Plura traduntur in materia exemptionis, de quibus in Summario.

SVMMARIVM.

1 *Exemptio personalis non extenditur ad realem.*
2 *Expressio verbis generalibus facta idem operatur, ac expressio specialis, & indiuidua.*
3 *Enunciatiua antiquissima in priuilegio, in quo fit specialis mentio locorum, probant dominium.*
4 *Beneficia in Collegiatis præsumuntur dotata de bonis propriis eiusdem Ecclesiæ.*
5 *Alimenta præsumuntur præstita ab eo qui tenebatur præstare.*
6 *Probatio plena & concludens requiritur contra eum qui iam fundauit intentionem suam.*
7 *Enunciatiuæ antiquissimæ probant famam, & ex fama dominium, nisi sint contraria, & n. seq.*
9 *Scripturæ inter se diuersæ fidem sibi adinuicē derogant, siue ab vno, siue à pluribus producantur.*
10 *Scripturæ productæ à diuersis, si sint compatibiles, statur cuique in suis terminis.*
11 *Bullæ posteriores prioribus derogant.*
12 *Obseruantia debet probari in specie super re, de qua agitur nec sufficit generica.*

DECISIO LXXIX.

Domini iam resoluta sub die 2 Iunij, 1631. & 26. Nouembris 1632. confirmarunt ex eisdem rationibus, & fundamentis, respectiuè ad vtranque partem exemptionis, scilicet, & dotationis, de beneficiis, & bonis ad Collegiatam spectantibus. Quibus non obstant, quæ hodie in contrarium fuerunt replicata.

Non enim releuant, quæ ad limitandam amplissimam exemptionem, tam respectu personarum, quàm bonorum, officiorum, & beneficiorum ponderata fuerunt. Quia, cum sint eadem deducta in anteriori disputatione, ex responsionibus decisionum fuit illis satisfactum. Nec vim facit, quòd in vtriusque litteris, tam Clementis VII. quàm Sixti V. non fuerit facta mētio de Camerariis sed de Camerario, ita vt de personali exēptione, scilicet, Camerarij non sit facienda extensio ad realem, nempe Camarariam. *cap. Per exemptionem. § Verum de priuil. in 6.* vbi Gemin. Franc. Rota *decis. 156. num. 6 par. 1. recen.* Quia exceptio benè procederet, nisi aliunde Cameraria probaretur
1. exempta: sed in amplissima exemptione legitur comprehensa, ergo facillimè euitatur obiectum. Nam & Clemens, & Sixtus exemerunt Monasterium, Ecclesiam, Dignitates, Officia, canonicales portiones, ac beneficia, personas, & loca ab omni iurisdictione, dominio, & superioritate omninò totaliter, & perpetuò, vt in secunda decisione causæ. *vers. Quia verba amplissima* fuit ponderatum. Vnde, siue Cameraria sit dignitas, siue beneficium, siue officium; rursus, siue beneficium collatiuum, & perpetuum, siue manuale; semper in verbis legitur comprehensa Cameraria.
2. Quia genus quamlibet speciem sub se contentam amplectitur: & eodem modo dicitur expressum id, quod verbis generalibus exprimitur, ac si specialiter, & in indiuiduo fuisset expressum. Bart. *in l. In principio ff. de vulgar.* Ripa post Ias. *ibidem, n. 49. 67. & 75.* latissimè Menoch. *cons. 287. n. 7. & seq.* declarans, & comprobans hanc conclusionem.

Similiter, neque obstant, quæ de nouo adducuntur ad reprobandam secundam partem decisionis ex eo, quod Cameraria fuerit dotata de bonis ad Ordinarium, non autem ad Collegiatam spectantibus. Et probati dicebatur: quia Ecclesiæ ad Magallon, & Borata suberant Episcopo, prout enunciantur in litteris Eugenij III. sub data mensis Augusti, 1147. Adriani I V. mense Iulij, 1158. Alexandri III. Mense Februarij, 3.
1171. quæ enunciatiuæ antiquissimæ solent probare, quando sunt ipsius Papæ per verba: *Duximus exprimenda vocabulis. vt in Theatina iurisdictionis,* & aliis in secunda decisione allegatis pro Collegiata, ad probandum simile dominium Collegiatæ.

Quia decisio secunda fundat se principaliter in dispositione iuris, quod in collegiatis beneficia præsu- 4.
muntur dotata de bonis propriis eiusdem Ecclesiæ. Abb. *in cap. Cum Ecclesia Vulterana, num. 9. de elect.* Putt. *decis. 314. n. 3. lib. 2. in nou.* Caputaq. *decis. 226. part. 2.* Selua *de benef. q. 22. n. 13. part. 2.* Et eò magis, cùm agatur de erectione officij, aut beneficij pro vestiario Canonicorum: pro quorum indigentiis Colle- 5.
giata, non autem Ecclesia cathedralis tenetur prouidere: & tunc datum censeatur ab eo, qui tenebatur dare. Alciat. *de præsum. reg. 1. præsum. 50. n. 1.* Surd. *de alim. tit. 6. q. vlt. num. 11.* Si igitur prætendatur dotatio de 6.
bonis non pertinentibus ad Collegiatam, huiusmodi probatio debet esse plena, & concludens contra eum, qui iam fundauit intentionem suam Ægid. *decis. 563.* Rota *decis. 628 n. 3. part. 1. diuers.* Seraph. *decis. 332. num. 2.* Gail. *lib. 3. obseru. 13. num. 5.* Sed talis non affertur: quia Bullæ Eugenij, Adriani, & Alexandri non sunt productæ: & adhuc si productæ essent, non releuarent, ex quo pro Collegiata dantur indulta eiusdem Alexandri de eodem anno 1171. mensis Aprilis, & 1179. eiusdem mensis: in quibus contrarium enunciatur, nempe, Ecclesias de Magallon, & de Borata, esse de dominio Collegiatæ. Vnde quan- 7.
uis antiquissimæ aptæ sint ad probandam famam, & ex fama dominium, Cassad. *decis. 2. num. 2. de probat.* & *decis. 47. num. 1. part. 1. recen.* attamen, quando sunt 8.
contrariæ ad inuicem eliduntur, & obscurantur: ita vt vna fama destruat aliam. Bart. *in l. Is potest. num. 13. ff. de acquir. hæred* Dec. *in cap. 1. num. 2. de appell.* Rota *decis. 160. num. 12 part. 1. rec.* & quando scripturæ sunt diuersæ, fidem eodem modo sibi ad inuicem dero- 9.
gant, *l. Scriptura C. de fid. instrum* Alex. *cons. 70. n. 5. lib. 1.* Berol. *cons. 1. num. 36. vol. 2.* Surd. *cons. 141. num. 4. lib. 1.* idem affirmans siue ab vno, siue à pluribus producantur.

Et nihilominùs, quia indulta Alexandri, producta per Collegiatam, sunt compatibilia cum Bullis Euge- 10.
nij, Adriani, & eiusdem Alexandri, adhuc cuique statur in suis terminis, & pro maiori probatione Collegiatæ deseruire possunt, Salic. *in d. l. Scriptura num. 4. C. de fide instrum.* Surd. *d. cons. 141. n. 5.* & aliis omissis, compatibilitas satis colligitur ex eo, quòd Ecclesia Cæsaraugustana potuit recipi sub protectione B. Petri, cum vniuersis suis, & Ecclesiarum suæ Diœcesis bonis: & tamen ex alia subsequenti exemptione suscipi etiam potuit Collegiata B. Mariæ del Pilar, cum omnibus suis bonis sub protectione B. Petri. Et prout indulta Alexandri III. tanquàm posteriora datæ tam eiusdem anni 1171. quàm ex alia de anno 1179. hanc 11.
de iure recipiunt interpretationem, vt prioribus derogatum fuerit, *l. Vnus. § Pactus ne peteret. ff. de pact. l. Pacta nouissima. C. eod tit. de pact. l. Cum plures. § Locator horrei ff. locati* Surd. *cons. 145. n. 14. vol. 1.*

Demum non obstat obseruantia ex collationibus, quæ dantur in summariis Pauli. Quia decisio secunda remouet

remonet obiectum, distinguendo, quòd aut agitur de
collationibus aliorum beneficiorum, & obseruantia
11. suffragari non potest: quia debet probari in specie de
Cameraria, non autem de aliis in genere. Surd. *cons.*
354.*n.*26. cum aliis in eadem decisione allegatis. Aut
respiciunt eandem Camerariam, & ex illis duæ sunt re-
motissimæ, & non effectuatæ; altera verò non sufficit;
& vlteriùs fuit sublata per exemptionem Sixti V. Quæ
propterea deseruire non potest ad comprobandam
dotationem factam ab ipso Archiepiscopo, quanuis
non euenerit casus nouæ collationis post concessam
exemptionem, ex quo ante illam ius Ordinarij pro-
batum non erat.

Et ita, &c.

REVEREND. D. PATRIARCHA Manzanedo.

Cæsaraugustana iurisdictionis, Mercurij, 28. Iunij, 1623.

ARGVMENTVM.

Beneficiati, & Clerici B Mariæ del Pilar, habitantes extra Claustra, subduntur iurisdictioni Archiepiscopi Cæsaraugustani, qui est illorum Iudex competens, etiam pro delictis commissis in loco exempto.

SVMMARIVM.

1 *Ordinarius ratione originis, & domicilij, semper est Iudex competens pro delictis commissis in loco exempto.*

2 *Subditus non potest excipere, delictum fuisse commissum in loco exempto, aduersus intentionem sui Ordinarij, fundatam de iure communi*

3 *Delictum commissum in loco exempto, vt per Diœcesanum puniri non possit, requiritur, quod sit commissum ab exempto.*

4 *Exemptione quicquid non acquiritur Prælato, vel loco exempto, censetur Episcopo reseruatum.*

DECISIO LXXX.

CVm aliàs per fel. recor. Sixtum V. Prior, & cæteri Clerici B. Mariæ del Pilar fuerint exempti à iurisdictione D. Archiepiscopi Cæsaraugustani, & per tres sententias Rotales fuerit declaratum, d. priuilegium exemptionis suffragari duntaxat illis personis, quæ verè, realiter, & cum effectu continuam habitationem habent intra Claustrum Monasterij prædictæ Ecclesiæ; & ideò cùm præsupposito, quòd iuxta Breue dictæ exemptionis, & dictas sententias Rotales Beneficiati habitantes extra prædictum Claustrum non gaudeant priuilegio dictæ exemptionis, dubitaui, an supradicti beneficiati delinquentes in loco exempto, vel in personas exemptas, possint, & debeant ab Archiepiscopo puniri, & ab eodem ipsorum beneficia in huiusmodi Ecclesia exempta consistentia visitari. Et informante tantùm D Archiepiscopo parte aduersa sæpiùs citata, & informante recusante, Domini quoad primam partem dubij, pro illo responderunt: quo verò ad secundam de visitatione voluerunt, vt particulariter de illa videretur: & quoad primam moti fuerunt ex eo quòd isti beneficiati iuxta dictum Breue. & sententias Rotales, tanquàm habitãtes extra Claustra remanent sub omnimoda iurisdictione Ordinarij. Et
quanuis delinquant in loco exempto, vel contra per-
sonam exemptam; tamen non eximũtur à iurisdictio-
ne prædicti Ordinarij, qui ratione originis. & domici- 1.
lij, semper est Iudex competens pro delictis commissis
in loco exempto. Ioan. Andr. *in c.*2. *n.*5. *&* 6. *de const.*
in 6. Anchar. *in c. Postulasti n.*43. *& seqq. de for. comp.*
Feder. de Sen *cons.* 2. *per tot.* Felin. *in c Graue n.* 2. *vers.*
Considera benè. de off. Ordin. Rol. *cons.* 24. *in* 1. *dub. lib.*
2. Exceptio enim delicti commissi in loco exempto,
est de iure tertij, quam subditus aduersùs intentionem 2.
sui Ordinarij de iure communi fundatam obiicere
non potest, argum. text. *in l. Loci corpus.* §. *Competit. ff.*
Si seru. vend. c. Mandatum. de rescript. Anchar. *in d. c.*
*Postulasti n.*44.

Tum etiam, quia, vt notat Anchar. *d. n* 44. ad hoc, vt 3.
delictum commissum in loco exempto non possit pu-
niri per Diœcesanum, requiritur, quod commissum sit
ab exempto: sed sic est, quòd in casu nostro, stante di-
cto Breui fel. rec. Sixti V. & sententiis Rotalibus, de-
gentes Extra Claustra Monasterij non sunt exempti;
sed omninò subditi Archiepiscopo: ergo delictũ com-
missum ab ipsis, etiam in loco exempto, potest puniri
per Diœcesanũ, cum non sit commissum ab exempto.

Vlteriùs, quia, si Ordinarius non cognosceret de di-
ctis delictis commissis in loco exempto per habitantes
extra illum, talia delicta remanerent impunita, cùm
nec hoc casu Prior habeat aliquam iurisdictionẽ, cùm
careat illa quasi episcopali; & tunc non possit punire
delinquẽtes: quo casu talis iurisdictio Episcopo est re-
seruata; cùm quicquid per exemptionem non acquirit 4.
Prælato, vel loco exempto, intelligitur Episcopo reser-
uatum. Anchar. *vbi suprà, n.*45. *vers. Quod probo.* Rot.
dec. 314. *n.*5. *par.* 1. *recent.*

Et ita resolutum fuit, &c.

R. P. D. REMBOLDO.

Vlixbonen. Monasterij, Lunæ, 2. Iunij, 1625.

ARGVMENTVM.

Commissarius generalis Fratrum S. Francisci de Obseruantia, nequit administrationem & gubernium Monialium S. Claræ sibi commissum dimittere, inconsulta Sede apostolica. Et plura de authoritate dicti Commissarij. Et an exempti possint exemptioni renunciare.

SVMMARIVM.

1 *Renunciare nemo potest iuri, quod non habet.*

2 *Renunciatio iuris alieni non tenet præiudicium tertij.*

3 *Commissarius Generalis Fratrum S. Francisci de Obseruantia, habet eandem iurisdictionem in sua Familia, quam habet Minister Generalis in tota Religione.*

4 *Commissarius Generalis Fratrum S. Francisci de Obseruantia, habet amplissimam facultatem visitandi, & corrigendi Familiam sibi subditam; non verò immutandi statum Religionis, & renunciandi, in præiudicium Ministri Generalis, & totius Ordinis, administrationi, & regimini eidem Ministro Generali commisso.*

5 *Commissarius Generalis Fratrum S. Francisci de Obseruantia, est subditus eiusdem Religionis Ministro Generali, sicut cæteri Prælati.*

6 *Appellatio ad Ministrum Generalem datur à decretis Commissarij Generalis Fratrum S. Francisci de Obseruantia, qui si deliquerit, potest Generalis eum corrigere, & prohibere aliqua negotia, si causam dederint legitimam.*

7 *Renunciare quilibet potest fauori suo, nisi id, quod renunciatur, fauorem alterius, vel publicam vtilitatem concernat: & n. 8.*

9 *Clericus non potest renunciare priuilegio clericali, vt conueniatur coram Iudice saculari.*

10 *Instituendi, & destituendi facultate concessa, non censetur data facultas abdicandi à se iurisdictionem.*

11 *Illatio non fit à diuersis.*

12 *Exemptus Sedi apostolica immediatè subiectus, non potest ab eius iurisdictione se eximere, & alteri se subiicere, absque eiusdem Sedis apostolica beneplacito.*

13 *Priuilegij renunciatio tenet in praiudicium priuilegiarij: & quando procedat, n. seq.*

15 *Exemptionis priuilegium respicit non solùm fauorem exempti, sed eximentis.*

16 *Exemptionis priuilegio renunciari non potest.*

17 *Exemptionis renunciatio non tenet etiam quoad renunciantes.*

18 *Moniales Sancta Clara tenentur viuere sub gubernio, & regimine Fratrum Sancti Francisci.*

19 *Factum à maiori parte nō potest aliis praiudicare in his, qua omnes in particulari tangunt.*

20 *Datum sub conditione, illa non adimpleta, non habetur in consideratione.*

DECISIO LXXXI.

REuerendissimus Pater Commissarius Generalis totius Familiæ Cismontanæ, & Indiarum Fratrum S Fräcisci de Obseruantia, & Patres Diffinitores Prouinciæ Portugalliæ, de communi consensu, die 30. Nouembris, 1619 dimiserunt ab eorum obedientia Moniales Conuentus Sanctæ Claræ, oppidi de Sanctarén, attenta dictarum Monialium, & Abbatissæ inobedientia; cum declaratione tamen, quòd si eueniret, quòd dictæ Moniales suam culpam agnoscerent, & veniam peterent, datis in omnibus claris, & euidentibus pœnitentiæ demonstrationibus, Pater Prouincialis illas iterum admitteret ad suam obedientiam: qua dimissione sub die 2. Nouembris, 1620. dictis Monialibus intimata, Abbatissa cum maiori parte Monialium illam acceptauit, & Archiepiscopo Vlixbonen. vt eas in suas reciperet, supplicarunt, qui eas recepit; sub obligatione tamen, quòd infra sex menses confirmationem à Sede apostolica obtinerent; reliquæ verò contradixerunt, & ab ea ad Sedem apostolicam, ac ad Generalem appellarunt.

Vnde contingit dubitari, an dicta dimissio, & subiectio sustineretur; Et Domini vnanimiter censuerunt, tam dictam dimissionem, quàm subiectionem non sustineri.

Quo enim ad dimissionem, ea visa fuit nulla ex pluribus. Primò, quia ex constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. administratio dicti Monasterij spectat ad Ministrum Generalem Ordinis Sancti Francisci, nec propterea potuit ea dimitti à Commis-
1. sario dicti Ordinis: quia nemo potest renunciare iuri, quod non habet, *l. Nemo plus iuris. ff. de reg. iur.* Ceph.
2. *cons.* 146. *num.* 2. Rebuff. *cons.* 186. *num.* 10. & renunciatio iuris alieni non tenet in præiudicium tertij, *lib. Iubemus.* & *ibi* Doct. *C. ad Velleian.* Surd. *cons.* 332. *num.* 9. & *cons.* 359. *num.* 3. Ceph. *cons.* 152. *num.* 67. Natt. *cons.* 470. *numer.* 15. Cardin. Seraph. *decis.* 341. *num.* 6.

Nec obstat, quòd Commissarius habet eandem iu- 3.
risdictionem in sua familia, quam habet Minister Generalis in tota Religione ex constitutione Leonis X. registrata per Rodriq. *qq. regul. tom.* 1. *quæst* 51. *art.* 1.
quia dictus Commissarius habet quidem amplissimā 4.
facultatem visitandi, & corrigendi familiam sibi subditam; non verò etiam immutandi statum Religionis, & renunciandi in præiudicium Ministri Generalis, & totius Ordinis, administrationis, & regimini eidem Ministro Generali commisso ad tradita per Bald. *in l.* 5. *circa fi. vers. inducitur etiam. C. de bon. matern.* Alex. *in l. Procuratorib. n.* 3. *vers. Intellige. C. de procur.* quin
& idemmet Commissarius est subditus, sicut cæteri 5.
Prælati eiusdem Religionis Ministro Generali, vt expressè cauetur in dicta constitutione, ibi: *Ita tamen, quòd Commissarius præfato Ministro Generali omnimo-
dè subiiciatur.* & à decretis dicti Commissarij datur 6.
appellatio ad Generalem, & Generalis potest eum corrigere, si deliquerit; & prohibere aliqua negotia, si causam dederint legitimam, vt per eundem Rodriquez. *d. q.* 5. *art.* 4. ideóque potest sine dubio idem Generalis huiusmodi dimissionem sine legitima causa factam reuocare, prout cum effectu reuocauit, neque ea renuente Generali in præiudicium totius Religionis sustinetur.

Secundò minùs tenet dicta dimissio: quia administratio dicti Monasterij fuit Fratrib. dictæ Religionis, & Ministro eius Generali per Summos Pontifices demandata, ex causis, & rationibus publicum fauorem, & vtilitatem respicientibus. Vnde non licuit Commissario sine Sedis apostolicæ beneplacito huic
administrationi renunciare: nam, licèt quilibet possit 7.
fauori proprio renunciare, *l. Si quis in conscribendo C. de Episcop. & Cleric. l. penult. C. de pact.* cum simili-
bus; non potest tamen renunciare fauori mixto, hoc 8.
est, quando id, quod renunciatur non solùm proprium fauorem ipsius renunciantis; sed etiam fauorem alterius, seu publicam vtilitatem concernit. Felin. *in cap. Si diligenti. n.* 16. *de foro compet.* & *in cap. Cùm accessissent sub n.* 29. & *ibidem* Dec. *n.* 23 & 24. *de constit.* Castren. *in l. penult. n. fin.* & *ibi* Ias. *num.* 14 *C. de pact.* Calderin. *cons.* 1. *in fin. vers. Si verò. de pact.* Gozad. *cons.* 88. *n.* 20 Castren. *cons.* 259 *ante n.* 6. *l.* 5. vbi addu-
cit simile in Clerico, qui non potest renunciare priui- 9.
legio clericali, vt conueniatur coram Iudice sæculari, vt notatur *in cap. Si diligenti. de for. compet.*

Nec obstat, quòd in dictis Constitutionibus Innocentij IV. & Bonifacij VIII. detur Ministro facultas instituendi, & destituendi Moniales, prout secundùm
Deum viderit expedire: quia non propterea potest 10.
censeri data facultas abdicandi administrationem ei ob publicam vtilitatem commissam; sed tantùm ea peragendi, quæ circa dictam administrationem, atque ad eam explicandam sunt necessaria: facultas enim instituendi, & destituendi, ac ius & iurisdictionem à se
abdicandi, sunt inter se diuersa, & sic ab vno ad al- 11.
terum non benè infertur. *l. Papinianus exuli. ff. de minor.* Surd. *cons.* 150. *n.* 94. *lib.* 1. Rebuff. *in prax. tit. de deuolut. n.* 96. Paris. *de resignat. l.* 7. *q.* 24. *n.* 19. *cum duob. seqq.*

Tertiò, non tenet dicta dimissio, vel saltem illa fuit resolubilis, quia facta legitur (vt *suprà* relatum est) ad tempus, & donec Moniales suam culpam agnoscerent: vnde cùm plures ex dictis Monialibus culpam agnouerint, & à dicta dimissione appellauerint, illaque fuerit postea per Ministrum Generalem solenniter reuocata; meritò non erit amplius habenda in consideratione.

Minùs tenet subiectio Monialium regimini D. 12
Archie-

Archiepiſcopi: quia dictæ Moniales ſunt immediatè
Sedi apoſtolicæ ſubiectæ,& à iuriſdictione Archiepi-
ſcopi exemptæ; nec propterea potuerunt ſe à dicta
iuriſdictione Sedis apoſtolicæ eximere,& iuriſdictio-
ni,ſeu regimini D. Archiepiſcopi ſe ſubiicere ſine eiuſ-
dem Sedis apoſtolicæ beneplacito, *cap. Cum tempore.*
vbi Abb. *n. 2. de arbitr.* idem Abb. *in cap. 1. n. 19. de re*
iudic. Rom *conſ. 369. n* 18. Surd. *conſ. 47. n. 25.* cum aliis
per Caſtren. *conſ* 432. incip. *Videtur dicendum ſub n. 3.*
circa med. verſ. Quod autem nõ potuerint expreſſò re-
nunciare. Card. Mantic. *deciſ. 237. n. 4.* & coram ſanct.
mem. Greg XV. *deciſ. 325. n. 23. cum ſeq.*
13. Nec obſtat, quòd tenet renunciatio in præiudi-
cium exempti, ad trad. per Felin. *in cap. Cum acceſ-*
ſiſſent. num 6. de conſtit. quia Felin. & alij pro Monia-
14. libus adducti procedunt, quando priuilegium, cui re-
15. nunciatur, reſpicit fauorem renunciantis tantùm,
quod non eſt in priuilegio exemptionis: quia illud
reſpicit, non ſolùm fauorem exempti, ſed etiam exi-
mentis, vt per Abb. *in d. cap. Cum tempore. num. 2. de*
arbitr. vbi quòd intereſt eximentis ſuam iuriſdictio-
nem immediatam non perdere, quódque ſubditus
16. ſuus non iudicetur; nec etiam abſoluatur ab alio;
ideóque tali priuilegio renunciari non poteſt. Ro-
man. *d. conſ. 369. num.* 18. & talis renunciatio non te-
net, nec etiam quoad renunciantes: quia, vt inquit
17. Abb. *in d. Cum tempore n. 7.* ius libertatis, & exemptio-
nis eſt ita coniunctum inter ſubditum, & ſuperiorem,
vt commode ſeparatio fieri non poſſit.

Nec obſtat, quòd Moniales ſe ſubiecerunt D. Ar-
chiepiſcopo quoad regimen tantùm, quod erat pe-
nes Commiſſarium, non verò etiam quoad iuriſdi-
ctionem, quæ erat penes Sedem apoſtolicam: quia
nihilominùs dicta ſubiectio tendit in præiudicium
iuriſdictionis Sedis apoſtolicæ, quæ voluit, dictas Mo-
niales regi per dictum Commiſſarium, & non per D.
Archiepiſcopum: vnde non potuerunt ſe dictæ Mo-
niales ab huiuſmodi regimine, ſine Sedis apoſtolicæ
beneplacito, eximere, ex *ſupra* allegatis.
18. Præterà, ex alio etiam non tenet dicta ſubiectio:
quia dictæ Moniales ex regula S. Claræ, quam pro-
fitentur, tenentur viuere ſub gubernio, & regimine
Fratrum Ordinis S. Franciſci, ſicque non potuerunt
ſe contra formam dictæ regulæ gubernio dicti Ar-
chiepiſcopi ſubiicere.

Et ex his patet etiam reſponſio ad id, quod dicitur,
quòd per dictam ſubiectionem fuit factus reditus ad
ius commune: quia ex primæua inſtitutione, & funda-
tione dicti Monaſterij, & Ordinis, quem profitentur
dictæ Moniales, tenentur viuere ſub obedientia di-
ctorum Fratrum, & in omnẽ eaſum hæc mutatio non
potuit fieri ſine Sedis apoſtolicæ beneplacito, tam ex
parte Fratrum, quibus dicta adminiſtratio fuit a Sede
apoſtolica ob publicam, & priuatam vtilitatem com-
miſſa, quam ex parte Monialium, quæ viuere tenen-
tur, ſub gubernio, & regimine illorum, quibus illæ
fuerunt à Sede apoſtolica, ſubiectæ.

Vltrà quòd talis ſubiectio non fuit facta ab omni-
bus Monialibus; ſed ſolùm prætenditur facta à maiori
parte, aliis contradicentibus. Quo fit, vt factum à ma-
19. iori parte non poſſit aliis præiudicare in his, quæ
omnes in particulari tangunt, *cap. Cum omnes.* & *ibi*
Gloſ. & Felin. *n. 15. de Conſtit* Capic. *deciſ.* 152. *n. 3.*
20. Nec ipſe Archiepiſcopus ſimpliciter recepit, ſed
cum obligatione confirmationem a Sede apoſtolica
impetrandi, quæ nunquam fuit ſubſequuta, & ſic ac-
ceptatio ſine effectu remanſit, per reg. *Quòd datum*
ſub conditione, illa non adimpleta, non habetur in conſi-
deratione. Card. Mantic. *deciſ. 245. n. 9.* cum ſimil.

Et ita fuit reſolutum, vtraque parte informante,
&c.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Vlisbonenſi Monaſterij, Mercurij, 19. Nouembris, 1625.

ARGVMENTVM.

Regulares nequeunt adminiſtrationem, & gubernium Monialium Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectarum ſibi commiſſum dimittere, inconſulta Sede apoſtolica; neque exempti renunciare priuilegio exemptionis Moniales vnius Monaſterij ſi omnes ſint incorrigibiles, quomodo prouidendum.

SVMMARIVM.

1 *Commiſſionis præſentatio, non citatio attenditur in Rota, vt dicatur præuentum in cognitione cauſa.*

2 *Moniales S. Claræ ſunt exemptæ à iuriſdictione Ordinariorum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectæ, & ſunt poſitæ ſub gubernio, & obedientia Generalis, ac Prouincialium Minorum, ſublatis Protectoribus, quorum authoritate regebantur.*

3 *Papæ authoritas immenſa eſt.*

4 *Religioſorum ſubiectio erga ſuos Prælatos à Summo Pontifice dependet.*

5 *Prælati Regulares ſine miniſterio, & intentione Papæ nullam habent iuriſdictionem.*

6 *Prælatus Summus cuiuſcunque Religionis eſt Summus Pontifex.*

7 *Prælati Regulares nequeunt gubernium Monialium Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectarum, ipſis traditum, inconſulta Sede apoſtolica dimittere.*

8 *Adminiſtratores apoſtolici nequeunt præiudicare Summo Pontifici.*

9 *Subditis imminet ſola neceſſitas parẽdi, nec poſſunt os in cælum ponere, & Summi Pontificis coarctare poteſtatem.*

10 *Renunciare quiſque poteſt iuri ſuo.*

11 *Sedis apoſtolicæ intereſt, multos habere immediatè ſubiectos.*

12 *Priuilegium concernens nedum fauorem Religioſorum, ſed etiam Sedis apoſtolicæ, non poteſt à Religioſis renunciari.*

13 *Viſitandi, corrigendi, & reformandi facultas intelligitur quoad viſitationem, & correctionem morum, non autem quoad mutationem ſtatus.*

14 *In libello nec actio, nec ſubſtantia facti mutari poteſt; ſed ſolùm augmentum, vel diminutio condemnationis, firma remanente actione, & ſubſtantia.*

15 *Facultas intelligitur conceſſa ſecundum leges; non autem ſecundum voluntatem Superiorum.*

16 *Incorrigibilis Monachus eiici poteſt à Monaſterio, & quæ incorrigibilitas requiratur, & numer. ſeq.*

18 *Moniales propter incorrigibilitatem non ſunt eiiciendæ ſimpliciter à Monaſterio, ſed niſi ibi puniantur, poſſunt ad aliud transferri.*

19 *Conuentus integer eiici non poteſt.*

20 *Monaſterium quando delinquit in caſu, quo Monachus particularis, ſi delinqueret, eiiceretur,*

Mona

Monasterio prouidetur per mutationem Superiorum.

21 *Exemptus sine licentia Summi Pontificis non potest exemptioni renunciare.*

22 *Papæ interest, suos subditos ab alio non iudicari.*

23 *Regulares per priuilegium exemptionis effecti sunt immediatè Papæ, & Sedi apostolicæ subiecti; & ideo sine illius licentia in alium consentire non possunt.*

24 *Exemptionis priuilegium fuit Regularibus concessum in odium Ordinariorum, qui illis erant nimis infesti, eósque nimium grauabant.*

25 *Exemptio censetur à Papa Regularibus concessa ob molestias, & oppressiones Ordinariorum,*

26 *Exemptionis priuilegio renunciari potest in præiudicium exempti, non eximentis. De veritate, vide num. seqq.*

27 *Libertatis ius est ita coniunctum inter exemptum, & Superiorem, vt commodè separatio fieri non possit.*

28 *Exemptionis specialis priuilegio renunciari non potest, quando motu proprio non fuit concessum. Contrarium, ibid.*

29 *Iurisdictio à non Ecclesiasticis prorogari potest in præiudicium eorum, qui se submittunt; non tamen in præiudicium Superiorum, & an idem procedat in Ecclesiasticis. Vide n. seq.*

31 *Priuilegiati Ecclesiastici si omnes vellent facere contra priuilegium, vnus solus posset contradicere.*

DECISIO LXXXII.

POst commissionem mihi directam, alia pars præ-
sentauit commissionem R. P. D. meo Buratto in
forma, & præuenit in citando valdè solers, vt causa per
ipsum cognosceretur, sed certè decipiebatur: quia in
Rota attenditur præsentatio commissionis, ita nempe
1. vsque ab anno 1475. mandauit Vicecancell. vt habe-
tur *in decis. de const. in antiq.* & passim seruatur, *vt in
decis. 6. de rescript. pariter in antiq.* quod etiã disponit
Constitut. Innocent. de qua Cassad. *decis. 5. de rescript.*
Vest. *in prax. lib. 3. cap. 11. num. 1.* Mandos. *in commiss.
10 audiat, qui præuenit, ver. 3. pro intellectu*, Put. *decis.
470 lib. 2.* Thom. de Tan. *decis. 57. A. A. in tit. de rescr.
§. 16.* Sed ad tollendum omnes difficultates, cùm R. P.
D. meus Burrattus valetudine præpeditus, non esset
tam citò venturus ad Rotam; pars altera recursum ha-
buit ad S. D. N. qui per memoriale mihi rescripsit, vt
procederem in causa, seruatis seruandis, hoc est, parte
legitimè citata: quæ cùm nisi moras quæreret, & citas-
set etiam ad dicendum contra articulos, coram eodem
Domino meo infirmo, & postmodùm accesserit ad
me, vt tanquàm Decanus ob malam habitudinem Do-
mini mei articulos admitterem, id facere recusaui,
cùm causa esset mea, ideóque appellationi interpositæ
refutatorios dedi, cùm ex ista serie facti cognouerim,
partem nihil aliud quærere, præter fugam. Quapro-
pter elapso die citationis ad informandum, proposui
dubium, An esset recedendum à Decisione R. P. D.
mei Remboldi sub die 2. Iunij huius anni. Quod du-
bium pendet ex duobus, Primò, scilicet, vt videatur, an
Commissarius Generalis potuerit dimittere has Mo-
niales, Secundò, an dictæ Moniales potuerint se subii-
cere obedientiæ Ordinarij.

Ad primam partem fuit dictum, quòd, quidquid sit
de iurisdictione Commissarij Generalis, etiam quòd
in Religione ipse haberet amplissimam facultatem;
nihilominùs nec ipse, imò neque ipsemet Generalis,
2. ac tota Religio has Moniales poterat dimittere; cùm
agatur de Monialibus S. Claræ, quæ sunt exemptæ à
iurisdictione Ordinariorum, & Sanctæ Sedi apostoli-
cæ immediatè subiectæ, vt patet ex Bulla Eugenij IV.
sub datum Florentiæ, anno 1439. Id. Aug. anno Pont.
9. quæ est apud Rodriq. 29. & fuerunt positæ sub
gubernio, & obedientia Generalis, & Prouincialium
Minorum sublatis Protectoribus, quorum authorita-
te regebantur, vt in Constitutione eiusdem Eugenij,
sub datum Bononiæ, anno 1427. 8. Id. Decembris,
anno 7. apud eundem Rodriq *Constitut. 27.* quæ, licèt
anterior, non tamen fuit per sequentem reuocata, cùm
in posteriori expresè dicatur, quòd Summus Ponti-
fex nun intẽdit per illam præiudicare gubernio, quod
Generales Ministri, aliique Officiales dictarum Mo-
nialium habent. Quare, cùm Summmus Pontifex has
Moniales subiecerit curæ Regularium, & postmodum
à iurisdictione Ordinariorum exemerit, & immediatè
Sedi apostolicæ subiecerit; non potuit Comissarius 3.
eas dimittere sine licentia Pontificis, cuius authoritas
immensa est, *cap. Ad honorem de auth.* & vt Bald. Ge-
min. *consil. 14. in princip. n. 2.* Rom. *consil. 369. col. 2. in
principio*; & in specie subiectio Religiosorum erga 4.
suos Prælatos à Summo Pontifice dependet, sine cu-
ius ministerio, & intentione Prælati Regulares nullam 5.
haberent iurisdictionem; Medin. *de indulg. c. 24.* Sot. *de
iustitia, & iur lib. 10. quæst. 1. art. 4. & lib. 8. q. 3. art. 1.*
Victor. *in relect. de potestate Eccles. quæst. 2. num 28.*
Alphons. de Castr. *lib. 2. de iust. heret punit. cap. 24. &
contra hæreses, in verbo, Episcopus.* Ipse, nimirum,
Summus Pontifex est Summus Prælatus cuiuscunque 6.
Religionis, vt benè aduertit Suar. *de Relig. tom. 4.
lib. 3. cap. 14. num. 1. & lib. 6. cap. 4. num. 21. ante fi-
nem.* Quapropter, cùm Papa gubernium dictarum
Fratribus demandasset, & illas ab Ordinariorum iu-
risdictione exemerit, & immediatè Sedi apostolicæ 7.
supposuerit, cuius nomine Fratres gubernant, non
potuerunt illas, inconsulta Sede apostolica, dimittere, 8.
Ang *cons. 367. num. 7.* Vbi, quòd administratores apo-
stolici non possunt præiudicare Summo Pontifici, nec
poterant dimittendo dictas Moniales ponere os in cæ-
lum, & Summi Pontificis coarctare potestatem; cùm 9.
ipsi sint subditi, quibus imminet necessitas sola paren-
di, vt pulchrè dicit Bald. *consilio 131. ante med. vers.
Nec possunt lib. 4.*

Non aduersatur, quòd Commissarius potuerit re- 10.
nunciare huic priuilegio, vt quilque potest iuri suo re-
nunciare, *ad l. Si quis in conscribendo. C. de pact* quia
motiuum posset considerari, si priuilegium simpliciter
fuisset concessum fauore Fratrum; sed, cùm Pontifex
sub protectione Sedis apostolicæ eas receperit, & ea
occasione gubernium confirmauerit; hoc fuit actum
non solùm fauore Fratrum, sed ipsius etiam Sedis, cu- 11.
ius interest multos habere immediatè subiectos, *Clem.
Pastoralis. de re iudic.* Rebuff. *consil. 142.* Ideò non
potuerunt dicto priuilegio renunciare. Felin. *in cap.* 12.
Cùm accessissent. numer. 29. de constit. & *ibi* Dec. *col.
penult. versic. 2. prædicta conclusio.* & *num. 18. col. vlt.
conclus. 6.* & generaliter de renunciatione, Gallerat. *t. 1.
lib. 3. cap. 1. num. 4. vers.* Et ideò. & *num. 63. ex l.
Non videtur. ff. de reg. iur.* & *l. Si quæramus ff de te-
stam.* Bald. *tit. Qualiter. de feud. alien. poss. §. Porrò.
num. 1.* Cast. *in l penul. col. fin.* & *ibi* Ias. *num. 14. C. de
pact.*

Non obstat Constitutio Bonifacij VIII. apud Ro-
driq. IV. quam, etiam refert *tom. 1. qq. regul. quæst. 17.
art. 8.* quia, etsi Bonifacius concedat facultatem Mi-
nistris per se, vel per alios visitandi, corrigendi, &
reformandi, tam in capite, quàm in membris, ea,
quæ correctionis, & reformationis indigent; nihilo-
minùs ista facultas procedit, quoad visitationem, & 13.
correctionem morum; non autem quoad mutatio-
nem

nem statns, renunciando gubernio, vt benè ad pro-
14. positum Bart. *in l. Edicta n. 8 C de eden.* vbi, quòd
nec mutatio actionis, nec substantia facti est mutabi-
lis in libello; sed solùm augmentum, vel diminutio
condemnationis, sitma remanente actione, & sub-
stantia; namque facultas intelligitur concessa secun-
15. dùm leges, non autem secundùm voluntatem Supe-
riorum. Decius *consil. 146. num. 9.* & in terminis clau-
sulæ facultatis addendi, vel minuendi fuit dictum co-
ram me, *in causa Mo isregalis iurisdictionis*, 4. Maij,
& 15. Nouembris, 1604.
16. Non obstat, quòd Monachus incorrigibilis potest
eiici à Monasterio, Nauar. *consil. 80 num. 1. de regul.*
& in tract. de regul. comment. 2. num. 36. versic. Pro par-
te, verbo, negante. quod motiuum fuit deductum in
alia positione, cui Domini nihil responderunt: quia
non meretur allegari; sed quoniam hodie vocifera-
bantur hoc tollere omnem difficultatem; ideò fuit
responsum hic non applicari materiam eiectionis.
Primò, quia agitur de Monialibus; licèt enim Mo-
17. nachus incorrigibilis possit eiici à Monasterio, & ha-
bitu priuari; ad hunc tamen effectum requiritur vl-
tra incorrigibilitatem, quòd defectus non solùm in-
notescant Fratribus sed etiam sæcularibus, & quòd ex
iis alij de facili possint corrumpi, vt est originale di-
ctum S. Bonauenturæ, *q. 14. super Regul. Sancti Fran-*
18. *cisci*, quod certe non militat in Monialibus, quæ pro-
pter incorrigibilitatem non sunt eiiciendæ simplici-
ter à Monasterio; sed nisi ibi puniantur; possunt ad
aliud transferri, vt est Constitutio Vrbani IV. quæ lo-
quitur in puncto de Monialibus Sanctæ Claræ, quam
refert Rodriq. *qq. reg. tom. 1. quæst 49. art. 1 post. princip.*
& Mirand. *de Monialibus, quæst. 3. art. 2* quæ Consti-
tutio in hac parte, neque per Constitutionem Pij V.
neque per Concilium Tridentinum, licèt strictiora
sint, censetur reuocata, vt per Rodriq. *ibidem, art. 5.*
versic. 2. non refertur, & Miranda *loco cit. vers. Quar-*
tus casus Secundò fuit dictum, hic non applicari quia
19. agitur de toto Conuentu eiiciendo, & iure nō repe-
ritur cautum; neque aliquis est, qui dicat, integrum
20. Conuentum posse eiici: sed quando Monasterium
delinquit in casu, quo Monachus particularis eiicere-
tur, Monasterio prouidetur per mutationem Superio-
rum. *cap Quoniam de Simon. ibi*, quòd si fortè propter
nimiam moltitudinem, alibi nequiuerint commodè
collocari, ne damnabiliter in sæculo euagentur, reci-
piantur in eisdem Monasteriis, mutatis prioribus lo-
cis, & inferioribus assignatis.
Quantùm attinet ad secundum caput, An Monia-
les potuerint se submittere obedientiæ Ordinarij, ne-
21. gatiuè fuit resolutum: quia exemptus sine licentia
Summi Pontificis, non potest renunciare exemptioni,
vt est text. rotundus, *in cap. Cum tempore. 5. de arbitr.*
vbi Abbas *num. 2. versic. & per istum text.* Gloss. fin. *in*
Clementina penult. de sent. excommunic quam Abb *ibi-*
dem, & in dicto cap. Cum tempore. dicit singularem. Ra-
22. tio est: quia interest Romani Pontificis, qui est Su-
perior, subditos suos ab alio non iudicari. Idem Abb.
in cap. 3. num. 19. de re iud. & in cap. Si de terra. num. 5.
de priuileg & in cap Significasti. 17. num. 8 in fin. & n.
sequen. de for. compet. Ioan. Andr *in c. Scienti. 17 in fi-*
ne, versic Si vero reperitur. & ibi Franch. *num. 4. de re-*
gul. iur. in 6 Felin. *in c. Cum. olim. num. 3. de præscript.*
Armill. *in Summ. in verbo, exemptionum. n. 8.* Gaill. *ob-*
seruat. 40. n. 2. lib. 1. Gallerat. *de renunc. tom. 2. centur 2.*
renunciat. 140. num. 18. Erasmus a Cokier. *de iurisd.*
Ordin. in exempt lib. 2 quæst 7. & lib. 3. c 34. per tot. &
per dictum text. *in cap. Cum tempore.* & per alias ratio-
nes in terminis exēptionis regularium, est *cons.* Castr.
432. incip. *Videtur dicendum. num. 3. lib 1* vbi *in vers.*
23. *Quid autem.* ponderat, quòd per priuilegium exem-
ptionis effecti sint immediatè subiecti D. Papæ, &
Ecclesiæ Romanæ. Quamobrem sine illius licentia in
alium consentire non possunt; hoc, nempe, tenderet
in derogationem iurisdictionis Pontificiæ. Considerat
vlterius: quòd priuilegium videtur fuisse concessum 24.
in odium Ordinariorum, qui dictis Religiosis erant
nimis infesti, eosque nimiùm grauabant: & conclu-
dit, quòd ideò non possunt se subiicere iurisdictioni
Ordinariorum; & quamuis in casu Cast. legeretur in
priuilegio, quòd ipsi Ordinarij erant nimis infesti; hæc
tamen est vna ex rationibus, ex quibus Papa cense-
tur concedere priuilegium exemptionis, vt dicit 25.
Bald. *de priuileg. in tract. exempt. cap. 1. num. 4.* Rebuff.
consil. 142. col. 2. in prin. Erasm. à CoKier. *de iurisd.*
Ordin. in exempt. lib. 1. cap 1. numer. 17. & lib. 2. q 7.
numer. 3. in fin. & lib. 3 quæst. 34 & in terminis Regu-
larium, Rota *consil. 369 num 18.* quem vltrà Castr, *lo-*
co citato, num 5 sequitur Felin. *cap. Cum olim, n. 3. de*
præscript.
Non obstat, quòd priuilegio possit renunciari in 26.
præiudicium exempti; secùs verò eximentis, *Gloss.*
final. in d. cap. Cùm tempore. de arbitr. quia, vt dicit
Abb. *ibidem n. 7.* non potest considerari aliquis effe-
ctus quantùm ad exemptum; nam ius libertatis est 27.
ita coniunctum inter exemptum, & Superiorem, vt
commode separatio fieri non possit. Neque est ve- 28.
rum, quod ait Alberic, *in l. Si quis in conscribendo. 39.*
num. 6. C. de Episcop. & Cleric. quòd scilicèt, possit re-
nunciari priuilegio specialis exemptionis, quando
motu proprio non fuit concessum, quia Sylu. *in Sum.*
in verb. Exemptio §. Decimò. dicit, contrarium esse ve-
rius euidentissima ratione; scilicet, quia exemptio fit
gratia exemptoris: quod dictum sequitur Armil. *in*
eodem verb n. 8. Rebuff. *dicto consil. 142. col. 2. versic.*
Exempta. Cokier *loco prædicto, num 17. lib 1.* Et licèt 29.
in aliis non Ecclesiasticis possit dari iurisdictio in præ-
iudicium eorum, qui se submittunt, non tamen in præ-
iudicium Superiorum. Archid. *in cap. Conquestus sub*
num 4 quæst. 3. Bald. *in l. Si quis ex consensu. n. 8. C. de*
Episc aud. Afflict. *de prohib. feud. alien. per Feder. §.*
Præterea inter duos. numero 23. cum alleg. per Surd.
consilio 47. num 25. lib. 1. Nihilominùs, vt aduertit
Abbas *in dicto cap. Cum tempore. in fin.* hoc indistinctè 30.
non procedit in Ecclesia; seque remittit ad not. per
Innocent. *in cap. Accedentib. de priuileg. & præscript.*
in cap. Veniens. de præscription. vbi *num. 21.* dicit,
quòd Prælatus potest conditionem Ecclesiæ facere
meliorem, non autem deteriorem, *vt in capit. Fra-*
ternitatem. de donat & subdit post Innocen. quòd per
vnum, vel plures actus non censetur renunciatum fa-
uori Ecclesiæ, cùm etiam expressè non possit renun-
ciari. Et rursus addit, quòd si omnes vellent facere 31.
contra priuilegium, vnus solus posset contradicere,
prout euenit in casu isto, vbi magna pars Monialium,
licèt non maior, contradicit, Suarez *de legib. lib. 8. cap.*
33. num. 2. Et quamuis idem Abbas *num. 22.* dicat, præ-
dicta non procedere, quando per renunciationem re-
uertitur ad ius commune: hoc tamen dictum, quate-
nus verum in hac facti specie non officit, propter præ-
iudicium Sedis apostolicæ, cuius interest habere
exemptos, vt supra dictum est; & benè Gaill. *obseru.*
40. n. 2. lib. 1. Quapropter meritò Ordinarius
noluit simpliciter recipere dictas Mo-
niales, sed reseruato
beneplacito.

* * *

R P D.

R. P. D. IVSTO.

Vallisoletana funeralis, Veneris, 19. Aprilis 1606.

ARGVMENTVM.

Regulares tenentur soluere Parochis quartam funeralem; non obstantibus priuilegiis, in quibus adest clausula, *Salua iustitia parochialium Ecclesiarum.*

SVMMARIVM.

1 *Parochi habent fundatam intentionem de iure communi contra regulares, quoad solutionem quartæ funeralis.*
2 *Priuilegia reuocata non sunt habenda in aliqua consideratione.*
3 *Clausula*, salua iustitia parochialium Ecclesiarum, *quid operetur.*
4 *Priuilegia non obstant, quando in eis adest clausula salutaris.*
5 *Priuilegia nihil operantur, quoad non expressa.*
6 *Communicatio priuilegiorum non comprehendit ea, quæ sunt aliis præiudicialia.*
7 *Testes affirmatiuè deponentes præualent aliis negatiuè deponentibus.*

DECISIO LXXXIII.

1. Rectores parochialium ciuitatis Vallisoletanæ habent fundatam intentionem suam de iure communi, contra Fratres S. Pauli, Ordinis Dominicani eiusdem ciuitatis, quoad solutionem quartæ funeralis quod constat ex *Clem. Dudum. §. Verum. de sepult.* vbi Gloss. *in verb. De iure.* cum derogatione omnium priuilegiorum, & indultorum. Quapropter videndum est, an adsit aliquod priuilegium, quo huic iuri derogetur: exhibentur enim multa priuilegia, quorum aliqua emanauerunt *ante dictam Clementinam, Dudū.* quæ fuit ex Conc. Viennen. vt priuilegium Alexan-
2. dri III. & Benedicti X. quæ per dictum Concilium fuerunt reuocata, & consequenter non debent haberi in aliqua consideratione, *c. fin. in fin. de libell. oblat.* Priuilegium verò Gregorij XI habet in cor-
3. pore clausulam: *Salua iustitia Ecclesiarum parochialium.* quod idem est in priuilegio Martini V. & Sixti V. quibus confirmatur priuilegium Gregorij, & alia priuilegia. Cùm igitur iustitia parochialis Ecclesiæ tunc salua sit, quando soluitur quarta canonica parochiali Ecclesiæ, si Parochianus defunctus alibi sepeliatur, *c. Certificari.* & *ibi* D D. *de sepultur.* Rota coram Tholomæo *in causa Burgen. Priuilegiorum*, de
4. mense Maij, 1541. certum est, quòd ista priuilegia non obstant ex illa clausula salutari. Decian. *cons.* 10. *n.* 26. *&* 27. vbi plures allegat. Aym. *cons* 8. *sub n.* 8. Cassad. *decis.* 2. *de reform.* Nec faciunt in contrarium illa verba in Indulto Benedicti XI. quòd de illis, quæ pro ornamentis fabricæ, libris, luminaribus, anniuersario, siue aliis ad perpetuum cultum diuinum, seu pro præstantiis, aut victu, aut indumentis, censibus redimendis legantur, vel conferuntur; dummodo in alios vsus non cōuertatur, aliquam portionem soluere non teneantur: quia in istis verbis nil disponitur de quar-
5. ta funerali: ergo remanet prior dispositio: quia, si voluisset ad hanc, & in priuilegium extendi, id expressisset, *cap. Ad audientiam de decimis.* Ex quibus nil operatur declaratio istius clausulæ (*salua iustitia*) apposita in dictis priuilegiis Martini, & Sixti, quòd in omnibus debeat intelligi, præterquam in his, de quibus in dicto priuilegio Gregorij specialiter cauetur: quia sequitur, quòd in quarta funerali, quæ non exprimitur, clausula remaneat in suo vigore, & intelligebatur declaratio in aliis, quæ exprimuntur, & de iure debent Parochiis aliæ Ecclesiæ iuxta notata *in c.* 1. *de sepult.*

Nec obstare debet decisio *in causa Hispalen. quartæ funeralium*, 4. Iulij, 1590. coram Illustrissimo Cardinali Pamphilio, cum aliis, quæ dantur: vbi videtur contrarium fuisse conclusum per Dominos. Quoniam, nos versamur in causa particulari, in qua nulla legitur exemptio à quarta funeralium: quo casu non esset hæsitādum, vt *in causa Tirasonen. quartæ funeralium*, quæ datur in aliis decisionibus nil dicitur de clausula, *Salua iustitia Ecclesiarum parochialium.* quæ præseruat ius parochialibus Ecclesiis, vt *suprà* dictum est.

Non obstant illa priuilegia, in quibus continetur derogatio *Clem. Dudum.* quia ista non tollunt dictam clausulam: *Salua iustitia.* & intelliguntur quoad alia, præterquàm quoad istam quartam. Quoad indultum Iulij II. non est concessum Ordini Prædicatorum, & si prætenditur communicatio indulta à Leone X. de ea erit particulariter tractandum: quoniam in similibus communicationibus non solent comprehendi ea, quæ 6.
sunt aliis præiudicialia, vt fuit dictum *in illa Valentina decimarum*, coram R. P. D. Lancellotto, præsertim stante præseruatione, de qua *supra*, apposita in aliis priuilegiis. Dictum verò priuilegium Leonis X. nihil de nouo concedit, sed antiquiora indulta mandat obseruari.

Nec vltimo loco prodesse possunt indulta Pauli IV. & Pij V. etenim sunt reuocata per Concilium Trident. *sess* 25. *cap.* 3. *de reform.* Et testes in hac causa dati concludunt, quòd Parochi soleant hanc quartam 7.
exigere, & præualent aliis negatiuè deponentibus: quia non probatur scientia, & patientia Parochialium Ecclesiarum, *iuxta consil.* Alexandri 136. *n.* 19. *lib.* 2. Afflict. *decis.* 388. *n.* 20. Et alij allegantur per informantes. Ex quibus fuit ita conclusum.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Licien. quartæ funeralium, Lunæ, 15. Ianuarij, 1618.

ARGVMENTVM.

Clerici regulares Theatini sunt exempti à solutione quartæ funeralium per communicationem priuilegiorum specialium Minimis, Prædicatoribus, & Minoribus concessorum.

SVMMARIVM.

1 *Quarta funeralium de iure spectat ad Episcopum, vel Parochum.*
2 *Quarta funeralium soluenda non est à Monasterio specialiter exempto.*
3 *Clerici Regulares sunt exempti à solutione quartæ funeralium per communicationem priuilegiorum specialium, Minimis, Prædicatoribus, & Minoribus concessorum.*
4 *Monasteria fundata post Concilium Tridentinum vel quatenus ante; non tamen solita soluere quartam*

quartam funeralium , non comprehenduntur sub dispositione Concil.sess.25. cap. 13. de reformat.

4 *Concilium Tridentinum confirmatum fuit die 27. Ianuarij,1564.*

6 *Bulla Pij V. de Regularibus non fuit reuocata per Gregorium XIII. sed redacta ad terminos Concilij.*

Decisio LXXXIV.

DOmini censuerunt , Monasterium Clericorum
Regularium non teneri ad solutionem quartæ
1. funeralium Reuerendissimo Episcupo. Nam , etsi de
iute cummuni ista quatta spectat ad Episcopum , vel
Parochum, *Clem. Dudum,de sepult. cap.1. & 4.* cum
aliis *eodem tit.cap.Cùm quis pariter eod.tit.in 6.* atta-
2. men secùs est , quando Monasterium eximitur à di-
cta solutione , ad textum *in capite Priuilegia. dist. 3.
cap. In nostra. de sepult.* In casu autem , de quo agi-
3. tut , nedum prædictum Monasterium ; sed etiam to-
ta Religio est exempta à dicta solutione quartæ fu-
neralium ; cùm Paulus IV. & Gregorius XIV. di-
ctis Clericis Regularibus communicauerint omnia
ptiuilegia aliis Regularibus concessa: quare censentur
etiam commuoicata priuilegia eximentia à dicta so-
lutione quartæ , inter quæ adest priuilegium Iulij II.
concessum Minimis de anno 1506. & aliud eiusdem
Pont. concessum Minotibus de Obseruantia anno
1511.sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum
Minoribus ann.1544.& postremò aliud Pauli IV.con-
cessum Ordini Prædicatorum anno 1556 quæ per ex-
tensum refert Archaogelus Caraccia *de quarta fune-
ralium.cap.1.*

4. Neque obstat Concil. Tridenr. *sess. 25. capite 13.
de reformat.* quia , cùm istud Monasterium sit funda-
tum post publicationem Concilij , & quatenus esset
fundatum antè, cùm non esset solitum soluere dictam
quartam ; Concilium ei non obstat , vt declarauit
Sanctissimus Pootifex Pius V. in sua Constitutione
de anno 1567. quam tefert Archangelus Carraccia
loco citato. Guttierrez *de iuramento , confirmat. 2.
par. cap. 4. numer. 3.* Emmanuel Roderiq. *in quæst.
regular. tom.1. q.41. art.2.* & ita etiam resoluit Con-
gregatio Illustrissimorum Interpretum,vt refert Roder.
loc. prædicto.

5. Quòd autem hoc Monasterium fuerit fundatum
post confirmationem Coocilij , ex eo probatur : quia
Concilium fuit confirmatum die 27. Ianuarij , 1564.
Religio autem Clericorum Regulariom fuit confir-
mata à Clemente VII. 14 Iunij , 1524. Vnde per ne-
cesse inferendum est , quòd hoc Monasterium sit fun-
datum intra quadraginta annos , de quibus loquitur
Conciliom , & quatenus esset fundatum extra dictos
quadtaginta annos, non probatur , quòd esset solitum
soluere quartam funeralium.

6. Neque est verum qoòd prædicta Constitutio Pij V.
fuerit renocata per Gregorium XIII. vt in eius Bulla,
quam refert Nauar *in Manual.c 27.in fine*;quia cùm
dicta Bulla Pij plura contineret,per Gregorium reda-
cta fuit ad terminos Concilij , vt censuit Congrega-
tio Illustrissimorum Interpretum , vt refert Carac-
cia *loco citato* qui etiam *in fine tractatus* refert ipsam
declarationem , & benè aduertit Gutierez *loco ci-
tato.*

Et ita fuit resulutum , vna parte tantùm infor-
mante.

R. P. D. QVEIPO.

Elnen iurium parochialium, veneris, Iun. 1631.

ARGVMENTVM.

Parochi à Religiosis, ratione sepulturæ , nihil aliud possunt exigere , nisi quartam eorum funeralium , quæ tempore sepulturæ fuerint oblata

SVMMARIVM.

1 *Quarta canonica duntaxat Parocho reseruatur de iure, ratione sepultura Parochianorum.*

2 *Quarta Canonica Parocho debita vsu , & consuetudine ad quartam funeralium restricta est.*

3 *Funeralia quæ dicantur.*

4 *Quarta canonica Episcopo, & Parocho debita, in quibus consistat.*

5 *Parochi ex statuto Pij V. in Cathalonia nequeunt quidquam a Medicantibus, vltra quartam funeralium, exigere.*

Decisio LXXXV.

PAtoclus Cocolibri Elnen.diœcesis vrgebat hære-
des , & executores testamentarios eorum , qui in
Monasterio Prædicatorum eiusdem loci sepulturam
elegerunt, ad celebrandum Nuuennarium , & Caput
anoi in Ecclesia Parochiali , postquàm in dicto Mo-
nasterio Prædicatorum celebratum extiterat. Super
quo orta controuersia , & causa ad Rotam deuolnta,
& mihi cummissa , proposui dubium , an Parocho li-
ceat cogere hæredes , seu executores testamentorum
defunctorum,qui sepeliuntur in Ecclesia Fratrum , ad
celebrari faciendum in Ecclesia parochiali diuina Of-
ficia Nouennalia,seo *Capo d'anno*,quæ iam in Eccle-
sia Fratrum fuerat celebrata,& Dominis visum fuit,id
Parocho non licere : quia iure communi , quo libera
cuilibet sepulturæ electio permissa est,dumtaxat quar- 1.
ta canonica Parocho reseruatur , *cap.1. cap. Is qui.
cap. In nostra. cap. Certificari. cap. Cùm super. de se-
pult.* quæ non generaliter , sed cum restrictione , de
qua *in cap. vlt. de testam.* competebat , quamuis per
text. *in Clem. Dudum. de sepult.* fuerit ampliata ; vsu 2.
tamen , & consuetudine generali ad quartam funera-
lium restricta fuit, vt post Card. *in dicta Clement. Du-
dum §.Verùm tradunt.* Couar. *in dicto c.fin. de testa-
ment.num.6.* Molin. *de iust.& iur.tractat.2. disput.217.*
Roderic. *quæst.regul.tom.1.quæst.39 art.2. in fin.* & de
eà tantùm loquitur Concilium Tridentinum *cap. 13.
sess.25.de reform.*

Funeralia autem sunt , quæ cum funere deferuntur, 3.
vt tradit Glos. *verb. Funeralibus, in dicta Clement. Du-
dum. de sepulturis*,& Petr.de Vbald. *de Canonica Epi-
scopo,& Parocho debita , par.2.cap.4. num.10 & 16.*
quam duntaxat consistere in cera , & in aliis oblatio- 4.
nibus , quæ deferuntur tempore , quo defunctorum
corpora ad sepulturam deferuntur ; non autem de
missis , & legatis , aut aliis oblationibus eorum , qui
apud dictos Fratres sepeliuntur,declarauit sanct.mem.
Pius V.17.Kalendas Iulij , anno Domini 1567. vt re-
ferunt Gut. *de iurament. confir. 2 par. cap 4. num 3.*
Roder. *in dicta quæst.39.art.2.* vnde cùm iure commu-
ni ex oblationibus factis, aut relictis Monasterio non
deberetur,nisi quarta Ecclesiæ parochiali , & hoc vsu,
& consuetudine ad quartam funeralium fuerit restri-
ctum , & ex Constitutione sanctæ mem. Pij V. de-

elarantis Concil. Tridentin *dict.cap.*13 fuerit constitutum, vt à Fratribus non deberetur, nisi quarta eorum funeralium, quæ tempore sepulturæ fuerint oblata, idque Sixtus IV. ad Fratrum fauorem iam constituerat, vt refert Syluester *in Summa, verb. Canonica, in fin.* prætextu dicti Parochi omni iure destituta videtur, præcipuè quia sanct. mem. Pius V. die 9 Iulij, 1571. in Statuto directo ad principatum Cathaloniæ prohibuit, ne Parochi à Fratribus vltra quartam funeralium quidpiam exigerent.

5. Et cùm hæc omnia fuerint tã fauore liberæ sepulturæ, quàm Fratrum constituta, omninò, & directè impugnantur per Parochos agentes contra hæredes,& testamentarios eligentium sepulturam in Monasteriis, cùm per hoc grauamen ab huiusmodi sepulturæ electione fideles auerterentur, atque ita finis dictarum Constitutionum fraudaretur: quòd licere non debet per regul.tex.*in l. Non dubium.C. de legibus.* & *Quid vna via.de reg.iur.in* 6.

Et ita vna tantùm parte informante,&c.

R. P. D. MANZANEDO.

Seguntina iuris sepeliendi, Merc.5. Iun.1613.

ARGVMENTVM.

Religiosi an possit sepelire cadauera defunctorum in suis Ecclesiis,absque licentia Parochi.

SVMMARIVM.

1 *Manutentio datur Religiosis in quasi possessione sepeliendi cadauera defunctorum in suis Ecclesiis, absque aliqua licentia Parochi,constito de huiusmodi quasi possessione.*

2 *Manutentionis ad effectum sufficit vnicus actus.*

3 *Discalceati B. Mariæ de Monte Carmelo, possunt ex priuilegio Clem. VIII. sepelire cadauera defunctorum in suis Ecclesiis, absque alicuius licẽtia, & absque eo, quod ipsi, nec defunctorum consanguinei, prætextu cuiusvis consuetudinis, possint cogi ad dicta cadauera deferenda ad parochialem,vel alia loca.*

4 *Clausula*, Sublata, *& decretum irritans inficiunt possessionem,& manutentionem impediunt.*

4 *Sepulturam eligere cuilibet licet in qualibet Ecclesia.*

6 *Acquiescentia resultat ex contradictione extraiudiciali.*

7 *Possessio priuatiuè quoad alios, vt acquiratur, est necessaria acquiescentia illorum, in quorum præiudicium possessio acquiritur.*

8 *Præscriptum tantùm censetur, quantùm possessum.*

9 *Possessio non resultat ex actibus, qui non sunt vniformes.*

DECISIO LXXXVI.

ROta censuit, vtrique parti dandum esse mandatum de manutenendo cumulatiuè, sed nulli priuatiuè ad alium. Mouebatur, quia de possessione Prioris, & Fratrum Monasterij S.Mariæ de Carmelo Discalceatorum, sepeliendi in d. Monasterio corpora defunctorum, constat ex testibus, qui quanuis deponant de quinque corporibus per Fratres in sua Ecclesia sepultis; nihilominùs, quia duo erant corpora fundatorum dicti Conuentus, priùs in Cathedrali sepulta, & posteà ad Monasterium translata; & aliud erat corpus Petri de Alcazar, quod circa mediam noctem, & quasi clandestinè fuit ad dictum Monasterium portatum, de istis tribus actib[illegible]s Domino [illegible] sed tantùm de corporibus Mariæ de Alg[illegible] Dominici Flores, & Ioan. de L[illegible]desino, quæ co[illegible] apparent sepulta in dicto Monasterio, absque aliqua licentia Capituli,seu Capellani maioris,ex quibus veniunt Fratres manutenendi,ad text.*in §.Retinend,Inst. de interdict.* Caputaq. *decis.98.p.2.* Rota *decis.4 n.11. & 19 par 2.diuers.*

Maximè,cùm ad hunc effectum vnicus actus sufficiat,*c.Cum Eccles.Sutrina.*vbi Abb.*n.23.de caus.poss. & propr.* Ruin.*cons.* 106 *n.9.lib.5.*Put.*decis.*192 *lib.*1. *decis.17.n.1.&* 2.inter impressas. 2.

Quæ possessio iuuat ex eo, quòd reperitur titulata in Bulla fel. rec. Clementis VIII. dantis istam facultatem dictis Fratribus Discalceatis sepeliendi in eorum Ecclesiis, sine alicuius licentia, & absque eo quòd ipsi, nec defunctorum consanguinei prætextu cuiusvis consuetudinis possint cogi ad dicta corpora deferenda ad Parochialem,vel alia loca cum clausula. 3.

Sublata,& decreto irritanti,quæ inficiunt possessionẽ Capituli quoad istos Fratres,& illius manutentionem impediunt. Sarnen.*in reg.de trien.possess.q.49. num.3.* Ægid *decis.135.*Cassad.*super reg.decis.7.n.3.* Gabr.*de clausulis,conclus.3.num.*50 & tenuit Rota *in vna Cæsaraugustana dismembrationis*,13.Martij,1607 coram bon. mem. Iusto, & *in alia Adrien. decimarum*, 14. Decemb.1607.coram me. 4.

Quæ iuuant ex eo, quòd cuilibet licèt sibi sepulturam eligere in qualibet Ecclesia,*cap.1.cap. Cùm liberum.c.de vxore*, & *c.seq. de sepult.* & vtrobique D D. Rot.*decis* 333.*n.1.par 1.inter impressas.* 5.

Nec obstat,cùm dicta possessione nõ probari scientiam & patientiam Capituli, seu Capellani maioris: quia vltrà quòd illa non est necessaria, stante d.Bulla Clementis VIII. visum fuit illam satis probari ex testibus deponentibus de contradictione facta per Capellanum maiorem sepulturæ D.Mariæ de Algar, ex qua extraiudicialiter facta videtur resultare acquiescentia ipsius Capellani maioris,&Fratrum,*l 1.§.In operis* vbi Gl[illegible].& DD.*ff. de non oper. nunciat.* & fuit dictum *in* [illegible] *x[illegible]b[illegible] si declarationis concordia.*5. Maij, 1599.coram bon.mem.Iusto. 6.

Qum verò ad Capitulum,& Capellanum maiorem isti[illegible]athedralis Ecclesiæ non controuertitur esse in possessione sepeliendi in sua Ecclesia: tamen fuit dictum,hoc procedere cumulatiuè, non verò priuatiuè ad dictum Monasterium;& Fratres,cùm non probetur prohibitio Capituli, seu Capellani de non sepeliendo in Monasterio,cum acquiescentia Fratrum illius,prout requiritur ad acquirendam possessionem priuatiuè, quoad alios ad text *in l Et in prouincials.C. de seruit.* 7.

nor. Butr.*in c Significantes.n.11.verf. Vel quia alias.de apell.l.fin.ff. de vsucap.* & ibi Doct.*§. Flumina. Instit. de rer.diuis.*vbi omnes tradunt *decis.33. n.1.p 1 inter impressas*, & potiùs in nostro casu de cõtraria acquiescentia Capellani constat ex testibus *supra* citatis.

Nec obstat,probari per Capitulũ, quòd Parochiani Ecclesiarum S. Iacobi, & S. Vincentij nunquam fuerunt sepulti in aliis Ecclesiis sine licentia Capituli, & Capellani maioris,cùm hæc probatio nõ afficiat Fratres Carmeli,circa quos nihil de ista prohibitione, & acquiescentia probatur;& vulgare est,quòd tantùm sit præscriptum,quantùm possessum. Vltrà quòd nec dicta possessio dictorum Parochianorum videtur vniformis,cùm ex testibus Fratrum appareat plures fuisse sepultos extra ciuitatem,& in aliis Ecclesiis sine prædicta licentia: vnde nec venit attendenda ad tradita per Batt.*in l.2.in fine princ.ff solut.matrim.* Aym *cons.* 96.*n.5.*Alex.*cons* [illegible] *n.7.l.5.*Dec.*cons.8.n.4.vers. Quia.* vt narratur. [illegible] *n.*28 *par.2.diuer.* 8. 9.

Ex quibus ita fuit resolutum,&c.

EMI

EMINENT. D. CARDIN. Virile.

Veronen. iurium parochialium, Veneris. 23. Mart. 1629.

ARGVMENTVM.

Parochus intus Ecclesias vnitas, Monasteriis Regularium, non potest in funeribus stolam deferre, & alias functiones exercere.

SVMMARIVM.

1 *Testes examinati absque citatione non probant.*
2 *Parochus non potest se intromittere in Ecclesiis Regularium, dum cadauera in eisdem sepeliuntur.*
3 *Parochus non habet iuris assistentiam in Ecclesia Regularium, eo quòd sit sita intra suos limites.*
4 *Assistentia iuris turbida non suffragatur ad obtinendam manutentionem.*
5 *Sententia non afficit non citatos.*

DECISIO LXXXVII.

CVm præsupposito, quòd Bulla Alexandri III. de qua *in Summ. n.* 1. sit in forma probanti, denegarunt Domini Parocho S. Mariæ ad Clauciam manutentionem circa delationem stolæ, & exercitium aliarum functionum intus Ecclesiam S. Margaretæ. Moti fuerunt: quia, aut Rector S. Mariæ prætendit manutẽtionem ex actibus possessoriis gestis intus dictam Ec-
1. clesiam, & de huiusmodi possessione non docetur, & testes vti examinati sine citatione Oliuetanorum, non probant, *c. 2. de testib. l. Si quando. C. eodem.*

Aut Rector prætendit manutentionem sola assistentia iuris: & cùm ex Bulla Alexandri III. Ecclesia S. Margaretæ sit vnita Monasterio Sanctæ Mariæ in Organo Oliuetanorum, vtique intrant declarationes
2. S. Congregationis Conc. & Rituum, *Summ. n.* 3. quòd dum cadauera defunctorum sepeliuntur in Ecclesiis Regularium, Parochus intra dictam Ecclesiam non
3. possit se intromittere, nec aliquos actus exercere: in Ecclesia enim vnita Monasterio Regularium non habet Parochus iuris assistentiam ex eo, quòd sit sita intra suos limites Abb. *in c. Dilectus. num.* 3. *&* 11. *de Capell. Monach.* & *in c. Ad audientiam. il* 1. *n.* 8. *de Eccl. ædif.* & *in c. Cùm Venerabilis. num.* 46. *de except.* Calderin. *cons.* 6. *n.* 1. *vers. Item sicut. de relig. Domib.*
4. Vltrà quòd ex sola assistentia iuris turbida non datur manutentio. Seraph. *decis.* 312. *n.* 1. & ibi add. & fuit dictum *in Montis regalis iurisdictionis*, 4. No-
5. uembris, 1596. coram bon. mem. Penia.

Non obstant decreta, & sententia Vicarij Veronensis: quia dederunt causam liti, & non afficiunt Oliuetanos non citatos. Bald. *in l. Ab eo n.* 17. *C. Quomod. & quand. Ind.* Tabr. *de cit. concl.* 1. *n.* 310. Cæsar de Grass. d 8. *in fin. de dol. & co:t.* Tareg. *decis.* 467. *n.* 3.

Rituale Episcopi non loquitur in Ecclesia vnita Monasterio Regularium.

Quoad quartam petitionem funeralium informantes pro Oliuetanis religiosè procedentes offerunt Rectori quartam ipsorum funeralium, quæ in die sepulturæ cùm corporibus mortuorum deferuntur.

Et ita vtraque, &c.

Tamburiny Tom. III.

CORAM EODEM.

In eadem, Lunæ, 25, Iunij. 1629.

ARGVMENTVM.

Archiuium, vt det robur scripturis ab eo extinctis, quæ requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Exemplum exempli non probat.*
2 *Archiuium non habens requisita necessaria, non dat robur scripturis ab eo extractis.*
3 *Archiuium non probat inter personas non subditas.*
4 *Archiuium vt det robur scripturis, debet probari, quod Scripturæ in Archiuio repositæ fuerunt de tempore antiquo, & ante motam litem.*
5 *Scriptura extracta, lite pendente, sine compulsorialibus, & sine citatione partis, non probat.*

DECISIO LXXXVIII.

QVia in decisione sub die 23. Martij præteriti fuit denegata manutentio Parocho Sanctæ Mariæ ad Clauciam, cum præsupposito, quod priuilegium Alexandri. III. esset in forma præsenti. Prætereà, dedi dubium, an supradictum priuilegium esset in forma præsenti, & D. Dominico Princiualli Parocho solùm informante, negatiuè fuit resolutum, quia est exemplum exempli; ideò nihil probat, *l.* 3. *C. de diuers. rescr. Auth. Si quis in aliquo, C. de. eden.* Alex. *cons.* 138. *n.* 4. *lib.* 1. Verall. *d.* 234 *n.* 2 *p.* 3. Greg. *decis.* 432.

Non obstat, quòd sit extractum ab Archiuio Mo- 1.
nachorum. Primò, quia non constat hoc Archiuium habere requisita necessaria de quibus per Fel *in c. Ad audientiam n.* 11. *de præscript.* Ideoque ab Archiuio nõ potest recipere fomentum. Feliu. *vbi supra* Socin. sen. *cons.* 258. *n.* 6. *lib.* 2. Aym. *cons.* 158. *n.* 5. Rot. *d.* 581. *n.* 3. *p.* 2. *recent.* & fuit dictum *in Sorana beneficij*, 8. Martij, 1627. coram R. P D. meo Merlino.

Secundò, Archiuium non probat inter personas nõ 2.
subditas, prout non est Parochus. Veral. *decis.* 42. *par.* 1. Card. *cons.* 72. *n.* 8. Seraph. *decis.* 642. *n.* 1. Put. *decis.* 186. *n.* 1. *lib.* 3 Et fuit dictum *in supradicta Sorana decis.* 128. *n.* 3. & 450. *n.* 3. coram Reuerendissimo Domino meo Coccino Decano.

Tertiò, quia non probatur tempus, quo priuile- 3.
gium fuit positum in Archiuio; ideò non probat, cùm potuerit esse repositum tempore moderno, & motæ litis. Verall. *decis.* 41. *n.* 4. *part.* 1. *cons* 42. *n.* 6. *lib.* 3

Quartò, quia fuit extractum lite pendente sine
compulsorialibus, & sine citatione partis: & sic nihil 4.
probat Felin. *in c. Si instrumento. n.* 6. *de fid. instrum.* Rot. *decis.* 1. *n.* 1. *eod. tit. in nou.* Greg. *decis.* 71. *num.* 3. *&* 292. vbi addentes *n.* 4.

Et ita, &c.

EMIN. D. CARD. HORATIO Lancelloto.

Valentina decimarum, Veneris, 28. Nouembris, 1603

ARGVMENTVM.

Exemptio à solutione decimarum non censetur concessa in communicatione priui-

 legiorum,

legiorum, in qua nulla mentio de ea facta fuit; etiamsi fuerint communicata priuilegia, quæ nihil aliud continent, quàm exemptionem à decimis, etiamsi in communicationis priuilegio adsit clausula: *Quorum tenores.*

SVMMARIVM.

1 *Communicatio priuilegiorum illi, ad cuius fauorem emanauit, tribuit omnia priuilegia communicata, perinde ac si specificè concessa fuissent.*
2 *Communicatio priuilegiorum non extenditur ad ea, quæ non sunt solita concedi, vel saltem cum magna difficultate conceduntur, & in quibus agitur de præiudicio tertij.*
3 *Exemptio à solutione decimarum non venit in generali communicatione priuilegiorum.*
4 *Exemptio à solutione decimarum non solet, nisi cum magna difficultate, & causæ cognitione concedi.*
5 *Papa non censetur sub verborum inuolucro Ecclesias enormiter lædere voluisse.*
6 *Priuilegia exemptionis sunt strictè interpretanda.*
7 *Exemptio à decimis, tam de bonis emptis, quàm emendis, non valet absque expressa derogatione,* cap. Nuper. de decim.
8 *Conciliaris dispositio requirit specificam derogationem.*
9 *Gratia quòd sit concessa sine causa cognitione, ex quibus cognoscitur.*
10 *Clausula*, Quatenus decretis sacri Concilij Tridentini, & Regularibus institutis ipsius Ordinis contrariis non existant. *non apponitur in gratiis ex certa scientia concessis.*
11 *Clausula*, Quatenus licita, & honesta, *apponitur confirmationi in forma communi; non autem ex certa scientia.*
12 *Priuilegia ignorare præsumitur Papa.*
13 *Clausula*, Quorum tenores. *operatur, perinde ac si totus tenor priuilegiorum fuisset de verbo ad verbum insertus.*
14 *Clausula*, Quorum tenores. *non alterat dispositionem, sed v[illegible] operatur ad excludendam subreptionem.*
15 *Clausula*, Quorum tenores. *non operatur, quotiescunque si concedens notitiam habuisset, verisimiliter non concessisset.*
16 *Clausula*, Quorum tenores. *non supplet defectum intentionis.*
17 *Clausula*, Quorum tenores. *non operatur circa non expressa, neque in his, de quibus non est facta aliqua mentio, ita vt de eis saltem in genere, Papa cogitare potuerit.*
18 *Clausula*, Quorum tenores. *non inducit certam scientiam concedentis; nec facit, quod censeatur adhibita causæ cognitio.*
19 *Communicatio non dicitur ex certa scientia, nec cũ causæ cognitione, quando non est insertus tenor priuilegiorum, nec effectualiter narratum; nisi constet, Papam vidisse priuilegia, vel per suos Officiales fuisse discussa.*

DECISIO LXXXIX.

1. COmmunicatio priuilegiorum per S. D N. concessa Ordini S. Hieronymi, quamuis sit cum amplissimis verbis concepta; & licèt virtus similis communicationis ea sit vt illi, ad fauorem cuius emanauit, tribuat omnia priuilegia, perinde ac si specificè concessa fuissent, vt per Oldrad. *cons.* 200. cum aliis allegatis, & de simili priuilegio exemptionis tradit Paris. *cons.* 22. *num.* 1. *lib.* 4. tamen in casu, de quo agitur, Domini censuerunt, communicationem prædictam non comprehendere exemptionem à solutione decimarum, de qua nulla fuit in ea facta mentio. Fundamentum resolutionis fuit; quia huiusmodi commu- 2.
nicationes, siue adæquationes, non extenduntur ad ea, quæ non solent concedi, vel saltem cum magna difficultate conceduntur, etiam in quibus agitur de præiudicio tertij, iuxta notata per Doctores *in l.* 1. *ff. de legat.* 1. vbi Ias. *num.* 21. & 22. Soc. iun. *num* 43. Ant. de Butr. *cons.* 19. *num.* 9 Natt. *cons.* 4. *n.* 6. & sensit Rota *in causa Caursen. seu nullius iurisdictionis*, 22 Ianuarij, 1577 coram bon. mem. Cantuccio. Huiusmodi autem est exemptio à solutione decimarum, nedum quia læ- 3.
ditur ius tertij; cùm præiudicetur illis, qui habent intentionem fundatam de iure communi, vel aliàs; & in Hispania ferè omnium Ecclesiarum fructus consistant in decimis debitis, vigore antiquarum donationum, de quibus sæpè dictum fuit in Rota: sed etiam 4.
quia talis exemptio non solet, nisi cum magna difficultate, & causæ cognitione concedi. Ioan. Andr. *in cap. Dudum. n.* 5. *vers. Ratio diuersitatis, de priuilegiis.*
Neque verisimile est, Papam sub inuolucro verbo- 5.
rum voluisse ita enormiter Ecclesias lædere, prout iam consideratum fuit *in allegata causa.* Id quod eò
magis dicendum est: tum, quia in hac materia exem- 6.
ptionis, in qua cùm tractetur de subtractione iuris alterius, priuilegia non sunt amplificanda, sed strictè interpretanda. Oldrad. *cons.* 286. Roman. *cons.* 180 *in fine*, Abbas *in c. Licèt. num.* 2. *de decimis*, & fuit dictum *in causa Carthaginen. decimarum*, 10. Iunij 1688. coram Reuerendiss. Alexandrino: tum, quia priuilegia 7.
loquuntur, tam de bonis emptis, quam de emendis, *contra cap. Nuper. de decimis*, quòd cùm contineat dispositionem conciliarem, non tollitur, nisi fuerit 8.
ei specificè derogatum, *cap. Ex parte. de Capell. Monach.* Oldrad. *cons.* 326. Caputaquens. *decis.* 176. & 268 *par.* 1. vt fuit dictum *in causa Vlixbonen. decimarum*, 5. Nouembris. 1574. coram Orano, & *in causa Ortolen. decimarum*, 21. Maij, 1576. coram eod. & aliàs sæpè; tum etiam, quia Papa non habuit notitiam in specie, quòd priuilegia communicata continerent exemptionem à decimis, cùm gratia fuerit 9.
concessa sine causæ cognitione, sicut colligitur, ex quo communicantur priuilegia, in quibus fuerunt communicata etiam alia priuilegia concedenda respectu quorum non potuit adhiberi causæ cognitio; cùm de eis Papa notitiam habere non potuerit. Item ex clausula illa: *Quatenus Decretis Sacri Concilij Tridentini, & regularibus institutis ipsius Ordinis contraria* 10.
non existant. quæ non apponitur in gratiis, quæ ex certa scientia conceduntur: quia, quando Papa habet certam scientiam, & adhibet causæ cognitionem, scit per eam cognoscere, an priuilegia sint contra Decreta Concilij, & regularia instituta; vt fuit consideratum *in causa Burgen. iurisdictionis*, 5. Ianuarij, 1589. coram bon. mem. Bubalo, & de simili clausula, quatenus licita, & honesta, quòd apponatur confirmatio- 11.
ni in forma communi; non autem illi, quæ appellatur ex certa scientia, fuit dictum *in causa Conchen. iurisdictionis*, 2. Aprilis, 1595. coram Mantica.

Non obstat, quòd fuerint communicata priuilegia Gregor. XI. & Sixti V. quæ nihil aliud continent, quam exemptionem à decimis: quia mentio istorum priuilegiorum non fuit facta specialiter, & sigillatim; sed in genere, vnà cum aliis priuilegiis concessis ab aliis Summis Pontificibus: & ideò Pontifex potuit credere, quòd aliud continerent, quàm exemptionem à decimis: nam in Papa præsumitur ignorantia priui- 12.
legiorum, iuxta notata communiter per Doct. *in c.* 2. *de constitut.*

Neque

13. Neque obstat clausula: *Quorum tenores*. quæ solet
operari perinde, ac si totus tenor priuilegiorum fuisset
de verbo ad verbum insertus, *ex cons.* Ant. de Butr.
a. quia fuit responsum pluribus modis; & primò, quia
operatur, vt censeatur insertus tenor priuilegiorum,
quæ communicantur; eorum tamen, ad quæ se extendit
communicatio; non autem eorum, quæ in communicatione
absque speciali expressione comprehen-
14. di non solent; cum hæc clausula non alteret dispositionem,
sed verè operetur ad excludendum subreptionem
vt fuit resolutum *in causa Abulensi iurisd.*
22. Ianuarij, 1588. coram Orano.

15. Secundò ista clausula non operatur, quotiescunque,
si concedens notitiam habuisset, verisimiliter
non concessisset, vt fuit resolutum *in causa Romana
secretariatus*, 10. Aprilis, 1592. coram Reuerendissimo
16. Alexandrino; prout neque supplet defectum intentionis.
Paris. *cons.* 74. *num.* 55. *lib.* 4. & *cons.* 1. *num.* 96.
lib. 1. & fuit dictum *in causa Cauen. pensionis*, 19.
Ianuarij, 1561. coram bon. mem. Illustrissimo Lancellotto.

17. Tertiò, talis clausula de sui natura non operatur circa
non expressa. Dec. *cons.* 141. *n.* 7. *vers. Non obstat.*
& dicitur *in dicta causa Caurien.* neque in his, de quibus
non est facta aliqua mentio, ita vt de eis saltem in
genere Papa cogitare potuerit. Caputaquen. *decis.* 121.
par. 1. & licèt in communicatione adsint verba
exemptionis, immunitatis, &c. tamen non debet intelligi
de exemptionibus à solutione decimarum; sed
de aliis, quæ solent de facili concedi, *suprà* dictum est.

18. Denique clausula ista non inducit certam scientiã
concedentis; nec facit, quòd censeatur adhibita causæ
cognitio. Ferret. *cons.* 38. *n.* 20. & fuit dictum *in allegata
causa Concheu. iurisdictionis*, 2. Aprilis, 1593. co-
19. ram Illustris. D. Cardinali Mantica: cùm enim non
fuerit insertus tenor priuilegiorum, neque effectualiter
narratum; gratia non dicitur ex certa scientia, nec
concessa cum causæ cognitione; nisi constet, Papam
vidisse priuilegia, vel per suos Officiales fuisse discussa,
vt fuit dictum *in causa Calciaten iurisdictionis*, 26.
Ianuarij 1587. coram D. de Rob. *& in supradicta Romana
Secretariatus*, coram Reuerendis. D. Alexandr.
Sed hîc certa scientia, & causæ cognitio, quoad exemptionem
à decimis, omninò excluditur. ex attestatione
duorum Illustrissimorum Cardinalium, ad quorum
relationem fuit hæc communicatio per S.D.N. expedita,
asserentium non fuisse de ipsorum intentione,
quòd communicaretur exemptio à decimis; imò ab
eis fuisse deletam clausulam: *Et respectu decimarum.*
quæ fuerat in minuta supplicationis apposita: & sic
sublata sunt omnia in contrarium adducta.

R. P. D. IVSTO.

Toletana decimarum, Lunæ, 26. Nouembris, 1595.

ARGVMENTVM.

Cap. Nuper. de decim. quando censeatur sufficienter derogatum.

SVMMARIVM.

1 *Exemptus à decimis extraordinariis, quæ imponuntur ab homine, non censetur exemptus a decimis spiritualibus, & ordinariis.*

2 Cap. Nuper de decim. *censetur sufficienter derogatum per clausulam derogatoriam Constitutionum, etiam generali Concilio editarum.*

3 *Derogatione illud tollitur, quod obiicitur priuilegio.*

4 *Exemptio a solutione decimarum ordinariarum non solet concedi, nisi magna maturitate, & causa cognitione.*

5 *Clausula generalis, etiam,* Quorum tenores, *non operatur expressam, & indiuiduam mentionem, quando non fuit facta aliqua mentio de illo, de quo tractatur.*

6 *Clausula generales non tollunt defectũ intentionis.*

DECISIO XC.

Decisum fuit per priuilegium Pauli IV. non censeri
derogatum dispositioni *cap. Nuper.* quoad
bona empta, & locata: licèt enim confirmet alia priuilegia,
& de nouo concedat; tamen in ipsis non legitur
verbum de exemptione decimarum prædialium, & 1.
spiritualium, quæ debentur de iure diuino, & ordinario;
sed solùm de his, quæ imponuntur ab homine extraordinariè,
à quibus non infertur ad spirituales, &
ordinarias. Put *decis.* 65. *l.* 3. Rebuff. *de decim. q.* 3. *n.* 23.
& ita fuit decisum coram bon. mem. Orano *in causa
Carthaginen decimarum*, 19. Nouembr. 1593. quod etiã
patet ex verbis priuilegij: *Ab omni impositione. & collecta,
decima, subsidio, quarta, & quinta funeraliũ*, &c.
*ac alio quocunque grauamine per Sedem eandem pro
tempore impositis.*

Nec facit, quòd eo ipso cẽseatur derogatum *c. Nu- 2.
per.* quando in confirmatione priuilegiorũ alicui Ordini
concessorũ adest clausula derogatoria Constitutionum,
etiam generali Concilio editarũ, vt dixit Rota
coram eodem Orano *in illa Concheu. exẽptionis decimarum*,
6. Iunij, 1587 quoniã, cùm concessum non re- 3.
periatur, vtique non potest hoc casu dici derogatum:
illud enim tollitur per derogationem, quod obiicitur
priuilegio vt in terminis *c. Nuper.* resolutum fuit coram
eodem Orano *in alia Oriolen. decimarum*, 19. Iun.
1586. vbi plures aliæ allegantur. Et cùm sine dubio
nullum verbum habeamus in priuilegio, circa bona
empta, & locata, non potest ad ea ex præmissis colligi
derogatio.

Non obstat, quòd in priuilegio confirmentur alia
priuilegia antiquorum Pontificum, & eadem de nouo
concedantur, quæ continẽt exemptionem à solutione
decimarum: quoniam est videndũ, si opus fuerit, siquidem
Collegium S. Ildephonsi agit solùm respectu bonorum
emptorũ, & locatorum. Propterea verum est,
quòd in priuilegiis debet explicitè legi exemptio à solutione
decimarũ ordinariarũ; nec concedi solet, nisi 4.
cum magna maturitate, & causæ cognitione, vt per
Ioan. Andr. *in c. Dudum. vers. Ratio diuersitatis. de priuilegiis.*
& fuit decisũ coram R.P.D. Lancellott. *in causa
Valentina decimarum*, 28. Nouemb. 1603. Et clausu- 5.
la generalis etiam: *Quorum tenores.* non operatur expressam,
& indiuiduã mentionem, quando nõ fuit facta
aliqua mentio de illo, de quo tractatur. Verall. *dec.*
121. *par.* 1. vnde aliquis ex Dominis dicebat, quòd si
etiam in priuilegiis confirmatis fieret mentio decimarum
prædialium, à quibus priuilegium propterea reciperet
declarationem, non faceret in subiecta materia;
quia aliàs sequeretur, quòd clausulæ generales in hoc
priuilegio Pauli IV. tollerẽt defectũ intentionis quod 6.
nõ est dicendũ. Paris. *cons.* 1. *n.* 96 *vers.* 1. & colligitur
ex allegata decis. corã D. meo Lãcellotto. Aliquis verò
contrariũ sentiebat: quia nõ solũ adest cõfirmatio aliorũ
in priuilegio Pauli IV. verum etiã noua concessio
cũ derogatione, de qua *supra* dictũ est. Super quo, si
esset facta mẽtio in aliis priuil. de decimis prædialib.
possunt FF. S. Dominici super hoc particulariter audiri.

Et ita decisum, &c.

EMINENT. D. CARDINALE Ioanne Baptista Pamphilio.

Cæsaraugustana decimarum, Veneris, 20. Nouembris, 1609.

ARGVMENTVM.

Appellatio suspensiua admittitur à sententia lata in causa decimarum, & supersedetur in solutione, quando laicus non solùm nititur præscriptione; sed exhibet priuilegium, quod non est discutiendum ad dictum effectum.

SVMMARIVM.

1 *Arbitrium regulatur à iure.*
2 *Appellatio suspensiua non admittitur à sententia lata in causa decimarum.*
3 *Appellatio ad vtrunque effectum admittitur à sententia lata in causa decimarum, quando non allegatur sola præscriptio, seu consuetudo; sed ostenditur priuilegium.*
4 *Priuilegij discussio non est necessaria ad effectum supersedendi in solutione decimarum, & appellationem admittendi; sed sufficit sola exhibitio.*
5 *Arbitrium relaxat de iure rigore.*
6 *Iura etiam informia admitti possunt ad effectum supersedendi, stante clausula,* Arbitrio.
7 *Sententias ab alijs Iudicibus latas Rota non exequitur, nisi priùs discussa illarum iustitia.*

DECISIO XCI.

CVm causa ista reperiretur mihi commissa cum clausula, quòd procedatur sine retardatione solutionis decimarum, arbitrio Rotæ, cum potestate inhibendi causa cognita, sub die 19. Ianoarij præteriti, fuit dubitatum, an esset inhibendum: & tunc proponente R.P.D. meo Decano, propter meam infirmitatem, Rota censuit, esse inhibendum, prout iuxta formam, Commissionis fuit inhibitum. Deinde proposui illud dubium, an intret arbitrium ad effectum supersedendi in solutione decimarum in casu, & ad effectum, de quo agitur: & supradicta die 20. Nouembris, Domini affir-
1. matiuè responderunt, moti ex eo, quòd, licèt de iure, à quo arbitrium regulari solet, vt per Bart. *in Extrauag. Ad reprimendum, verb. Videbitur, n.*30. Peregr. *de-*
2. *cis.*234 *ad fin. lib.* 2. à sententia lata *in causa decimarum*, non admittatur appellatio suspensiua, *c. Tua no-*
3. *bis*, & *ibi* DD. *de decim.* cum aliis allegatis; hoc tamen non procedit, quando laïcus non se fundat in sola consuetudine, vel præscriptione; sed etiam nititur priuilegio apostolico, illúdque exhibet, prout in hoc casu: tunc enim admittitur appellatio ad vtrunque effectũ; itavt interim sit supersedendum, etiam in solutione decimarum. Hostien. *in d. c. Tua nobis, n* 22 *vers. Secus si sufficientem.* Ioan. Aodr. *n.* 7. *vers. Secus si proponeret.* Card. *n.* 2. *in fin.* Butr. *n.* 7. Ioan. de Anan. *n.* 6. & Abb. *n.* 9. Mandos. *cons.* 31. *sub n.* 2 & fuit dictum *in hac causa* sub dicta die 19. Ianuarij præteriti, proponente tunc R. P. D. meo Decano; & ad effectum arbitrij coram me *in causa Corduben. decimarum*, 2. Decembris, 1605.

4. Neque obstare dixerunt, quòd priuilegium pro parte Domini Ioannis exhibitum, non sit in forma probanti: quia ad huiusmodi effectum non est necessaria discussio priuilegij, quod erit discutiendum in processu causæ; sed sufficit illius allegatio, seu exhibitio, vt per Hostien. & alios *in d. c. Tua nobis*, & fuit dictum *in hac causa* sub dicta die 19. Ianuarij, maximè stante clausula, *arbitrio Rotæ*; per quam cùm aliquid relaxe- 5.
tur de rigore iuris, Crescen. *decis.* 4 *n.* 3. *de testib.* potest 6.
Iudex ad effectum supersedendi admittere etiam iura informia, vt fuit resolutum *in causa Aurien. Parochialis*, 17. Aprilis, 1598. coram R. P. D. Lancelloto, & aliàs sæpiùs.

Minùs etiam obstare videtur, quòd pro parte Prioris & liis consortium prætendatur, sententiam ad eorum fauorem latam transiisse in iudicatum; & ideò esse exequendam: & consequenter solutionem decimarum non posse retardari: quia vltra quòd pro parte D. Ioannis negatur adesse aliquam rem iudicatam, fuit pro responsione dictum, quòd Rota non exequi- 7.
tur sententias latas ab aliis Iudicibus, nisi priùs discussa illarum iustitia. Mohed *decis.* 3. *n.* 1 *de testib.* & *decis.* 27 *lib.* 3 *in manuscript.* ideò, donec discutiatur negotium principale, esse supersedendum in solutione decimarum.

Et ita conclusum, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 29. Ianuarij, 1610.

ARGVMENTVM.

Priuilegium concedens decimas laicis, non suffragatur absque expressa derogatione *cap. Prohibemus, de decim.* etiamsi in eo adsit clausula: *Quorum tenores.* Et quid si concurrat obseruantia, & possessio percipiendi decimas.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium concedens decimas laicis non releuat, si in eo non est expressè derogatum Concilio generali, de quo* in cap. Prohibemus, de decim.
2 *Conciliaris dispositio requirit specialem derogationem, nec censetur illi derogatum per clausulas generales.*
3 *Clausula*, Quorum tenores, *nihil operatur, quando in indulto non est facta aliqua mentio eius, de cuius derogatione tractatur.*
5 *Laicus non potest decimas acquirere ex solo tempore lapsu vnà cum obseruantia, etiam immemorabili.*
5 *Possessio percipiendi decimas non suffragatur laico, absque titulo.*

DECISIO XCII.

IN causa *Cæsaraugustana decimarum*, cum præsupposito, *sine veri præiudicio*, quòd indultum Cardinalis Saluiati esset in forma probanti, dubitaui, an illud releuet ad fauorem Domini loci de Ossera: & licèt multa contra illud pro parte Prioris de Ossera deducerentur; Domini tamen, cæteris omissis, ex duobus potissimum fundamentis censuerunt, huiusmo-
di indultum non releuare. Et primò, quia in eo non 1.
fuit expresse derogatum Concilio generali Lateranensi, prohibenti, ne decimæ in laicos transferantur, de quo *in cap. Prohibemus, de decim.* prout necessariò requirebatur, *cap. Ex parte, de capell. Monach. cap. Nonnulli, in fin. princ. de rescript.* & vtrobique Doctor. & *in cap.* 1. *de constit. in* 6. Mohed. *decis.* 7. *de locat.* Et fuit resolutum *in causa Valentin. decimarum*, 27. Nouembris, 1602. corá R.P.D. meo Decano, & aliàs sæpissimè.

Nec

Nec pro huiusmodi derogatione possunt deseruire clausulæ generales: *Non obstantibus Constitutionibus,*
1. *& Ordinationibus apostolicis*, in dicto indulto appositæ: quia, cùm conciliaris dispositio requirat specialem derogationem, non censetur illi derogatum per clausulam, *Generales, d.cap.Ex parte, de appell. Monach.* Archid *in cap.1.n.2. sub verb. Noscatur, de const.lib 6.* Felin. *in cap.Nonnulli, n.2.& 3. de rescript.* Calde in.*cons.11. de priuileg.* Oldrad. *cons.326. n.1.* Caputaq. *decis.176.* & *decis.268.n.3.p.1.* & fuit pluries decisum, & signanter *in dicta Valentina decima-*
3 *rum*, in qua fuit etiam responsum ad clausulam, *Quorum tenores*, quæ nihil operatur, quando (provt in casu isto) in indulto non reperitur facta aliqua mentio *d.cap.Prohibemus*, de cuius derogatione tractatur, vt per Veral.*decis.121.p.1.*

Neque Domino de Ossera potest suffragari subsequens obseruantia 70. annorum, & vltrà: quia cùm ipse sit laicus, & per consequens omnino incapax decimarum, tam antè quàm post Concilium Lateranen-
4. se, ex solo temporis lapsu vnà cum obseruantia, etiam immemorabili, non potuit decimas, de quibus agitur, acquirere, vt tradunt Doct. communiter *in cap.Cùm apostolica.* vbi præ aliis Imol. *n.21.vers.Nec obstat.* & Abb.*n.12. circa fin. de his, quæ fiunt à Prælat.sine cons.Capit.* Gemin. *in cap.1. §.sanè, in fin.de decim. lib.6.* Felin.*in cap.Causam, n.3.de prescript.* & *in cap. Cùm contingat, n.4.vers.Si tamen, de foro compet.* Verall. *decis.241. p.1.* Guido Papæ *decis.62.* & fuit dictum *in supradicta Valent.decimarum*, coram R.P.D. meo Decano.

Secundò, fuit dictum, indultum non suffragari: quia non constat, quòd fuerit confectus liber *Capbreu* nuncupatus, in quo ex tenore ipsius indulti debebant describi omnes terræ decimatoriæ Ecclesiarum, cuius libri transumptum erat retinendum à quocunque Domino temporali, cum expresso decreto, quòd aliàs omnibus priuilegiis in eo annotatis carerent eo ipso.

Nec ad huiusmodi effectum potest Dominus de Ossera se iuuare supradicta possessione percipiendi
5. istas decimas: quia cùm (vt dixi) ius commune ei resistat, illa non releuat ab onere probandi, quòd præfatus liber fuerit confectus, provt requirit indultum, *cap.Cùm persona, de priuileg in 6.* Gloss.*in l.Sine possidetis, in verb Facti, C.de probat.* Bart. & alij *in l.Si solennibus, C.de fid. instrum.* Calder. *cons.10.de probat.* & fuit resolutum *in causa Pampilonen. decimarum*, 29.Octobris, 1599. coram Illustrissimo Card.Pamphilio, & priùs *in causa Cæsaraugustana decimarum*, 3. Iunij, 1577. coram bon.mem.Card.Seraphino, &c.

CORAM EODEM.

In eadem, Veneris, 17.Iunij, 1611.

ARGVMENTVM.

Decimarum solutio an retardetur exhibitione priuilegij

SVMMARIVM.

1 *Decimarum solutio non retardatur exhibitione priuilegij inualidi.*
2 *Arbitrium regulatur à iure.*
3 *Appellatio suspensiua non admittitur à sententia lata super decimarum solutione.*
4 *Appellatio suspensiua à solutione decimarum vt admittatur, an sufficiat sola priuilegij exhibitio.*
5 *Concilio generali derogatum non censetur per clausulas derogatorias, in quibus fit solùm mentio de Concilijs synodalibus, & prouincialibus; & de constitutionibus generalibus, vel specialibus in illis editis.*
6 *Conciliari constitutioni derogare non potest legatus, nisi doceatur, Summum Pontificem hoc sibi in facultatibus specialiter concessisse.*
7 *Colonus tenetur ad decimas pro rata fructuum, quos colligit. Declara, vt num.8.*

DECISIO XCIII.

CVm hæc causa fuisset mihi commissa cum clausula: *Sine retardatione solutionis decimarum arbitrio Rotæ*, sub die 20. Decembris, 1609. dubitaui, an intraret arbitrium ad effectum supersedendi in solutione decimarum, de quibus agitur: & tunc, quia pro parte D. Ioannis fuerat exhibitum quoddam priuilegium, Domini arbitrium intrare censuerunt ex rationibus in decisione deductis. Verùm, quia postea 29. Ianuarij, 1610. fuit resolutum, prædictum priuilegium non suffragari propter plures defectus in decisione ponderatos, agentes pro Rectore instituerunt iterum proponi dubium, an intraret arbitrium; quod supradicta die 17. Iunij, 1511. Domini negatiuè resolue-
runt, moti ex eo, quòd hodie est detecta inualiditas 1.
dicti priuilegij: quo casu non debet ampliùs attendi ad effectum retardandi solutionem istarum decima-
rum, vt per Caputaq.*decis.349.n.5.p.2* Ideoque cessa- 2.
re arbitrium, quod regulatur à iure. Bart.*in Extrauag. Ad reprimen vers.Videbitur, n.8.* Cæs.de Grass.*dec.7.
n.6.in fin. & seq.* & *decis.81.n.2.de re ind.* secundùm 3.
quod à sententia lata super decimis non admittitur appellatio ad retardandum illam solutionem, *cap.Tua nobis, in fin.* & *ibi* Gloss. & DD. omnes *de decimis, gloss.1. in cap.Ei, qui, 2.q.6.* & *in cap.Decima, verb. Tribut.in fin.16 q.1.* Fedet.*cons.81.n.5.*

Neque obstare, quod dicebatur, ad effectum, vt ad- 4.
mittatur appellatio etiam suspensiua, sufficere solam exhibitionem priuilegij ex allegatis *in 1.decis.* quia fuit responsum, hoc procedere interim, donec priuilegium discutiatur; quo discusso, & nullo detecto, cessat illius effectus, ita vt ampliùs non possit retardare solutionem decimarum, vt in simili fuit dictum *in prædicta decis. 349. num.5. part.2.* & fuit dictum *in causa Placentin.pensionis*, 17.Iunij, 1602. coram Reuerendissimo Pacen.

Neque etiam obstare, quæ pro sufficienti derogatione *cap.Prohibemus, de decim.* per informantes pro
Ioanne deducebantur: quia fuit responsum in clau- 5.
sulis derogatoriis non fieri mentionem de Conciliis generalibus, sed solùm de Conciliis synodalibus, & prouincialibus, & de Constitutionibus generalibus, vel specialibus in illis editis. Et propterea decisionem *in illa Concben decimarum*, 17.Martij.1589. coram Orano, non applicari, vltrà quòd dispositio *dicti
cap Prohibemus*, est conciliaris, cui propterea non po- 6.
test legatus derogare, nisi doceatur, Summum Pontificem hoc sibi specialiter in facultatibus concessisse, *cap. Dilectus il 1.* & *ibi* Gloss. *in verb. Cùm se facultas.* & sequuntur Doct.*de prebend.* Felin.*in cap.Nonnulli, num.3.de rescript.* Rebuff.*de dispensationibus ad plur.num.25.* Gambar.*de offic.& potestat legat.lib 4. in tit.de potest.legat.reseruan.benef.num.143.* & *lib.7. num.377.* & fuit dictum *in causa Oueten. beneficiorum*, 29. Aprilis præsentis anni, coram R.P.D. meo Coccino.

Minùs etiam obstare, quòd sententia de partibus dicatur continere notoriam iniustitiam, quatenus
condemnat Ioannem ad solutionem decimarum 7.
omnium fructuum, qui ex istis terris percipiuntur;

cùm tamen non recipiat à colonis, seu vassallis, nisi quartam partem fructuum, pro quibus tantum de iure tenetur ad solutionem decimarum, *cap. Tua nobis*, vbi Gloss. & Doct. omnes & præcipuè Abb. *num.* 14. *vers. Aut certa portio, de decimis*, cum aliis pro eius parte allegatis: quia fuit responsum, dictam quartam partem fructuum solui Domino per vassallos, cum onere soluendi decimas, etiam de fructibus per vassallos collectis, vt probant testes pro parte eiusdem Domini de Ottera iuxta 33. interrogatum: & melius explicant secundus, & tertius testes pro parte Rectoris examinati: quo stante benè potuit Rector agere contra ipsum pro decima omnium fructuum iuxta tradita per Gloss. *in cap. Aliquibus, in verb. Compellantur*, & *ibi* Abb. *n.* 6. *de decimis*. Et sic Iudex illum ad huiusmodi decimam soluendam iustè condemnauit.

REVEREND. D. PATRIARCHA Manzanedo.

Corduben. decimarum, Luna, 22. Martij, 1617.

ARGVMENTVM.

Fratres B. Ioannis de Deo, an, & quando teneantur soluere decimas de noualibus suis, hortis, & animalibus.

SVMMARIVM.

1 *Religiosi non tenentur soluere decimas de noualibus suis, hortis, & animalibus, & quando, n.* 2. *&* 3.

4 Cap. Nuper de decim. *procedit in decimis prædialibus, non autem gregum.*

5 *Leprosi non tenentur soluere decimas, nec de hortis, nec de animalibus, dummodo viuant in commune, & simul congregati extent.*

6 *Hospitalia Fratrum B. Ioannis de Deo non gaudent priuilegijs leprosorum.*

DECISIO XCIV.

FVit in hac causa resolutum 23. Iunij, 1614. exceptis gregibus, horto, & expensis, sententias in hac causa latas esse conformes, cùm ad soluendum decimas gregum Hospitale fuerit condemnatum solùm per duas sententias Rotales. Vnde quoad dictos greges proposui dubium, an dictæ sententiæ essent confirmandæ: & Domini responderunt quoad greges nutritos à Fratribus pro vsu Hospitalis, illas esse infirmandas: quoad alias verò confirmandas. Et mouebantur: quia, licèt Religiosi, quales hodie sont Fratres
1. Ioannis de Deo, Administratores istius Hospitalis non teneantur soluere decimas de noualibus suis, horto, & animalibus per textum *in c. Ex parte*, *il* 1. *de decim.*
2. tamen hoc procedit in his tantùm, eùm deseruiunt pro vsu Monasterij, vt expresse declarat *ibi* Abb. *in num.* 3. Ioan. de Anan. *n.* 2. Anchar. *n.* 2. Rebuff. *de decim. q.* 14.
3. *circa finem*. Et in animalibus, quæ ipsimet Religiosi nutriunt suis sumptibus, non autem in illis, quæ dant aliis nutrienda, & tenenda. *Clem.* 1. vbi Glos. *verb. Animalibus*, & verbo *teneri, de decim.* Abb. *in d. c. Ex parte, in fin.* & *ibi* Anchar. *n.* 2. *versic. Istud etiam.* & Henric. Boic. *n.* 2. *vers. Quod intellige.* Butr. *in* 3. *notab. de decim.* Rebuff. *vbi suprà, n.* 57. vbi dicit, quòd si dentur aliis tenenda & custodienda, requiritur, quòd vesperi reducantur ad Monasterium.
4. Quibus non obstat, quòd dispositio *d. c. Ex parte*, sit reuocata per text. *in cap. Nuper, eod. tit.* quia ille textus loquitur quoad decimas prædiales, non autem gregum, circa quod nihil innouauit, vt expressè sentit Butr. *in d. cap. Ex parte, prope finem, vers. Relinquitur ergo.*

Minùs facit textus *in cap.* 2. *de Eccles. ædific.* in quo 5.
leprosi non tenentur soluere decimas, nec de hortis, nec de nutrimentis animalium suorum: quia ad hoc, vt sit locus exemptioni, de qua in illo textu, leprosi debent communiter viuere, & simul congregati extare, vt ex illius lectura apparet: quod non verificatur 6.
in Hospitali, de quo agimus, in quo, licèt curentur etiam leprosi, quando in illud accedunt; tamen adsunt etiam alij infirmi laborantes cæteris morbis. Neque ex eo, quòd hi leprosi retinentur separati ab aliis, videntur constituere corpus separatum: quia id fit ad euitandum contagium. Vnde, cùm priuilegium *d. c.* 2. sit speciale in leprosis, non videtur extendendum ad huiusmodi Hospitale commune leprosis, & aliis infirmis.

Quo verò ad alios greges, placuerunt Dominis rationes, & fundamenta deducta *in decisionibus* Reuerendissimi Attrebatensis, 2. Maij, 1604. & R. P. D. Pamphilij, 8. Martij, 1610. in hac causa factis: & ideò exceptis dictis gregibus nutritis per Fratres pro vsu Monasterij, quoad alios fuit resolutum pro confirmatione sententiarum Rotalium.

EMINENT. D. CARDINALE Pamphilio iuniore.

Vrbinatensi decimarum, Luna, 25. Iunij, 1618.

ARGVMENTVM.

Moniales sancti Benedicti an teneantur ad solutionem decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Rector pro decimis intra fines suæ parochiæ habet de iure communi intentionem fundatam contra omnes, etiam Religiosos.*

2 *Communicatio priuilegiorum non comprehendit exemptionem à solutione decimarum, de quibus nulla in ea facta est mentio.*

3 *Exemptio à solutione decimarum non solet concedi, vel saltem cum magna difficultate.*

4 *Derogatio specialis* cap. Nuper de decim. *requiritur, tam in priuilegio exemptionis à decimis, quàm communicationis.*

5 *Paupertas qualiter probanda per testes.*

6 *Decima debentur ex reseruatione diuina.*

7 *Paupertas vt excuset à solutione decimarum, quanta esse debeat.*

8 *Paupertas ad certum effectum qualiter probanda.*

9 *Decimas soluere non tenentur Moniales, quæ pro earum sustentatione necesse habent mendicare, & eleemosynas publicè petere: & quando procedat, num. seq.*

DECISIO XCV.

DVbitatur, an Rectori Sancti Ioannis debeantur decimæ à Monialibus Sancti Benedicti. Et Domini affirmatiuè responderunt, nempe, decimas deberi: quia Rector intra fines suæ parochiæ habet de iure communi intentionem fundatam contra omnes, 1.
etiam

etiam Religiosos, *cap. Commissum, de decis.* Gemin. *in cap. 2.§. Cæterùm, num. 1. eod. tit. in 6.* Vital. *in rubr. de dec. n 2. vers. Si quæras, in Clement.* Rebuff *eod tract. q. 5 num. 26.* Menoch. qui loquitur de Monialibus *consil. 36. num. 28. vers. Præterea.*

Nec obstat, quòd Religiosi Ordinis Mendicantium habeant diuersa priuilegia exemptionum, quæ Monialibus, ac aliis Regularibus Ordinis Sancti Augustini per verba generalia communicata fuerunt: quia nihilominus huiusmodi communicatione non comprehenditur exemptio à solutione decimarum, de qui-
2. bus nulla in ea facta est mentio: cùm huiusmodi
exemptio, vti tendens in præiudicium tertij, non so-
3. leat concedi, vel saltem cum magna difficultate, iuxta
not. per Doct. *in l. 1.* vbi Ias. *num. 21.* Soc. iun. *num 43. & 49. ff. de legat. 1.* Ant. de Butr. *cons. 29. num. 9.* Natt. *cons. 4. num. 6.* & in his terminis fuit resolutum *in causa Valent. decimarum*, 28. Nouembris, 1603. coram Illustrissimo Cardinali Lancellotto: *& in causa Car-*
4. *thaginensi decimarum*, 29. Martij, 1604. coram bon.
mem. Penia, maximè quoad terras solutioni obnoxias, quæ à laïcis ad Moniales transferunt aliquo iusto titulo, quarum respectu requiritur specialis derogatio, *cap. Nuper. de decim.* tanquam continentes dispositionem conciliarem, tam in ipsomet priuilegio exemptionis, vt aliàs censuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, quàm in priuilegio communicatiuis, vt fuit resolutum *in eadem Valentina, decimarum*, 14. Maij, 1604. coram eodem Illustrissimo Cardinali Lancellotto per text. *in cap. Ex parte. de capell. Monach.* cum aliis ibi adductis.

Minùs obstat, quòd supradictæ Moniales sint pau-
5. peres: quia testes, qui pro iis dantur, vel non deponunt
de tempore præsenti; vel non dicunt, Moniales habere tot bona, & non plura; &, quòd si plura haberent, ipsi scirent, prout requiritur. Roman. *cons. 245. num. 9.* Couar. *variar. resol. lib 2. cap. 6. num. 4. vers. Cæterùm paupertas.* Et dantur alij pro Rectore deponentes de pluribus acquisitionibus ab ipsis Monialibus breui tempore factis, & de ornatu Ecclesiæ cum notabili impensa, sicque visum fuit, non posse dici constare de paupertate, præsertim cùm decimæ debeantur ex re-
6. seruatione diuinarum, *c. Tua, & in fine de decim.* & vti
7. debitum soluantur, *c. Parochianos, eod. tit* paupertas ab
illarum solutione non excusat, nisi sit tanta, quòd si Moniales eas soluerent, fame perirent. Ioan. Andr. *c. Cum homines, ver. Persoluant.* & *ibi* Abb. *n. 5.* & alij *de decimis.* Rebuff. *eodem tractatu, q. 5. n. 14. & seq.* Franc. Marc *decis. 198. num. 6. & seq part. 2.* Et propterea non sufficeret in casu isto, etiamsi de pauper-
8. tate aliquo modo in genere constaret: nam, quando
agitur de paupertate respectu certi, & determinati effectus, debet de ea constare specialiter respectu illius effectus. Ruin. *cons. 81. num. 6. lib 5.* Abb *cons. 69 n. 5. & sequentib.* cum aliis adductis *in causa Auersana Decanatus*, relatis *inter impress. decis. 676. num. 1 p. 1. diuers. & in causa Portuensi restitutionis in integrum*, relata *in eadem decis. 48. num. 2. & seq part. 2.*

9. Neque obstat, quòd Moniales, quæ pro eorum sustentatione necesse habent mendicare, & eleemosynas publicè petere, decimas soluere non tenentur ex priuilegio, de quo per Cald. *cons 9 de decim.* & de declaratione de qua *in cap. 1. §. Moniales, eod. tit. in Extrauag. Communi.* Nam vltra quòd non constat, quòd Moniales, contra quas modò agitur, sint tales, placuit
10. etiam responsio, quòd *dict. cap. 1.* expresè loquitur
de decima papali, prout etiam Cald. *cons. 9.* non autem de decimis ex iure diuino Ecclesiæ parochiali dandis, ad quarum solutionem omnes indistinctè tenentur, etiam pauperes, nisi aliàs fame perirent, vt dictum est. Et ita decisum. Verùm, quia per informantes opponebatur de præscriptione, quondam Domini reseruarunt hoc particulariter videndum.

R. P. D. BVRATTO.

Conchen. decimarum Sancti Clementis, Veneris, 12 May, 1623.

ARGVMENTVM.

Moniales Sanctæ Claræ, quarum annui redditus non excedunt valorem 25. ducatorum auri de Camera pro qualibet Moniali, exemptæ sunt à decimis ex speciali Priuilegio Gregorij XIII. Et quomodo probetur non excessus talium reddituum: & an huiusmodi priuilegium amittatur per non vsum, vel contrarium vsum.

SVMMARIVM.

1 *Monasteria Monialium tertij Ordinis S. Francisci, ac eorum bona quæcunque sunt penitùs ab omnibus decimis, primitijs, & collectis exempta.*
2 *Exemptio à decimis vt valeat, debet expressè derogari dispositioni* cap. Nuper, de decimis.
3 *Negatiua probatur per testes, licèt non directè, sed virtualiter illam coarctantes, vt quia verisimiliter sunt de illa informati, & optimas eorum dicti reddunt rationes.*
4 *Oeconomi, seu Collectores, deponentes de redditibus Ecclesiæ ad effectum probandi paupertatem, præualent alijs, tanquam magis, & meliùs informati.*
5 *Moniales non probantur esse diuites, ex eo, quòd ædificauerint.*
6 *Moniales ex receptione aliquarum sine dote, non probantur esse diuites, si eas receperint ratione peritiæ alicuius artis Monasterio necessariæ.*
7 *Expensæ, & onera, quæ sunt extra victum, & vestitum Monialium, deducenda sunt ad probandum Monasterij diuitias, vel paupertatem.*
8 *Præscriptio quadragenaria sufficit contra Ecclesiam.*
9 *Priuilegium exemptionis concessum alicui Ordini non amittitur per non vsum vnius tantùm Monasterij; sed eius ius conseruatur, si in cæteris Monasterijs sit in vsu.*
10 *Priuilegium non amittitur per non vsum, neque per præscriptionem, quando in eo adest decretum irritans, vel prohibitiuum.*
11 *Priuilegium exemptionis à decimis amittitur per solutionem per 40. annos factam.*
12 *Priuilegium amittit priuilegiarius per non vsum, quando per eum stat, quominus priuilegio vtatur.*

DECISIO XCVI.

FVit per Dominos resolutum, priuilegium exemptionis decimarum, concessum per sanct. mem. Gregorium XIII. Monialibus Assumptionis Beatissimæ Virginis suffragari. Fundamentum fuit, quia casus exemptionis literaliter legitur in dicto priuilegio, & authoritas concedentis controuerti non potest, tantò minùs voluntas, cùm verba sint expressa, vt ex 1.
lectura dicti Priuilegij confirmantis, imò de nouo innouantis priuilegia Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. prædecessorum, & declarantis, Monasteria Monialium tertij Ordinis Sancti Francisci, ac eorum

eorum bona quæcunque esse penitùs libera, & exem-
pta ab omnibus decimis, primitiis, & collectis, cum
clausula, *Sublata*, decreto irritanti, & aliis deroga-
toriarum derogatoriis; pro quibus priuilegiis Rota
resoluit *in Zamoren. exemptionis decimarum*, quæ est
Seraphin.95. *& in Conchen. decimarum*, coram Ota-
no, 30. Ianuarij, 1589. impressa *part.4. diuers. de-
cis.* 240. ac aliis duobus decisionibus *in eadem causa*
factis coram eodem, 17. Martij, & Maij eiusdem an-
ni ad fauorem Monialium Conceptionis dicti Ordi-
nis ciuitatis Conchensis, contra Capitulum, & Re-
ctores nunc aduersarios, super quibus fuit pro Mo-
nialibus lata sententia Rotalis, confirmatoria dua-
rum conformium in partibus latarum, illáque exe-
quuta, vt patet ex executorialibus à Rota conces-
sis, 10. Iunij. 1589. in processu productis *fol.*682. &
latè Roder. *quæst.can. tom.2.quæst.*44. *art.5. & tom.*3.
quæst.-4. *art.* 16. vbi registrat etiam dictum priuile-
gium sanct. mem. Gregorij XIII.

Verùm, quia contra dictum priuilegium plura
opponebantur; ideò sigillatim fuit illis (vt infrà)
2. responsum. Ad primum, quòd careat derogatione
dispositionis Conciliaris, *cap. Nuper. de decimis*, quæ
debeat esse indiuidua, vt fuit dictum *in Valentina
decimarum*, 28. Nouembris, 1603. coram Cardina-
li Lancellotto. Responsum fuit, imò fuisse illi suf-
ficienter derogatum, vt in puncto fuit resolutum
in dicta Conchen. decimarum, 17. Martij, 1589, co-
ram bon. mem. Otano, confirmata dicta die 10. Maij
eiusdem anni, de qua derogatione fuerat ordinatum,
vt particulariter videretur *in dicta 1 decis.* facta 30.
Ianuarij præcedentis, vt *in dicta decis.* 240. *part.*4.
diuers. in fine, cum quibus, & earum rationibus DD.
transierunt.

Ad secundum, quòd non sit verificata narratiua
dicti priuilegij, videlicet, quòd singulæ Moniales non
habeant congruam ducat. 25. auri de Camera, sin-
gulis annis; & sic extensio priuilegij Pauli III. de
ducat. 16. ad 25. respondebatur, dictam narratiuam
esse iustificatam ex depositionibus vndecim testium
in prima instantia examinatorum coram Prouisore
Conchensi, optimè concludentium super 4. & 5. ar-
ticulo de summa inopia dicti Monasterij, & de ære
alieno, quo est grauatum; qui sunt bene informati,
cùm plerique fuerint Oeconomi, & Administrato-
res, qui dicunt, in prædicto Monasterio semper ad-
esse ad minus numerum 60. Monialium vltra famu-
las, & personas necessarias pro seruitio Monasterij,
annuúmque redditum non excedere ducatos mille
illarum partium, prout etiam affirmant testes Capi-
tuli super quinto, videlicet, 23. 24. 27. & 28. & sic
satis apparet, quamlibet Monialem non habere con-
gruam ducatorum 25. auri de Camera propter soli-
tum valorem ducatorum, & numerum prædictarum
Monialium, prout etiam deponunt in specie ex præ-
dictis testibus Monialium 45. sextus, octauus, nonus,
decimus, & vndecimus *in Sum. num.*2. quorum præ-
3. cipuè sextus optimè coarctat negatiuam, prout cæte-
ri, quamuis directè super illa non deponant, sed vir-
tualiter, cùm fuerint Administratores, & optimas red-
dant rationes. Paris. *cons.*162. *num.*14. *lib* 4 Surd. *con-
sil.*196. *num.*65. Farin. *de testibus, quæst* 65. *num.*229. &
fuit dictum *in Cusentina pensionis*, coram Litta apud
Marches *de Commiss. tom.*1. *pag.*629. cum relatis per
Add. *ad decis. Sanctissimi* 32. *can.*27. Quorum testium
depositiones visæ sunt Dominis præualere testibus
Capituli, cùm sint magis, & meliùs informati, vt *in
4. dicta decis.* Seraph. 951. *num.* 7. & meliores rationes
assignent, quàm dd. testes Capituli, qui generaliter
deponunt de auditu, & non sunt de qualitate, &
quantitate redditùum informati, vt ex lectura eorun-
dem facilè liquet: & qui etiam omnes fundant se præ-
cipue ea ratione: quia Moniales fabricarunt satis am-
plum ædificium pro Ecclesia, & habitatione, quod
non fecissent, nisi essent diuites; quæ ratio est valdè
friuola; nam vltra quòd vigesimusquartus ex eisdem
testibus deponit, quòd huiusmodi fabrica fuit illis ne-
cessaria ob angustiam Domus, & Ecclesiæ; nec inde
infertur, quòd Moniales sint diuites, cum potuerint 5.
ædificare ex piorum oblationibus, & eleemosynis, prout
vt quotidie videmus in vrbe. Sicut etiam est friuola
alia ratio, quòd receperint duas Moniales sine dote: 6.
quia hoc non probatur. Et quamuis fuissent receptæ
sine dote, id fuit ratione peritiæ cantus in Choro ne-
cessarij: aliàs enim semper recipiuntur cum dote solita,
ta, vt deponunt testes Capituli, *Sum. Monialium, n.*3.
quod sufficit, ne dicantur receptæ in fraudem Capitu-
li. Seraph. *d. decis.*951. *n.*6. Neque exinde sequeretur,
quòd haberent congruam ducatorum 15. de Came-
ra pro qualibet; & nihilominus si deducerentur ex- 7.
pensæ necessariæ pro seruitio, & reparatione Ecclesiæ,
& conseruatione redditùum, & aliæ, quæ sunt extra
victum, & vestitum Monialium, quæ sunt deducen-
dæ, vt per Seraph. *decis.* 977. *num.*2. vtique apparet-
bit, redditum etiam fore minorem, quam testes de-
posuerint.

Ad tertium, quòd priuilegium esset amissum per
non vsum, nedum decennalis, sed quadragenariæ
præscriptionis, quæ sufficit contra Ecclesiam iuxta 8.
notata per Gloss. *in cap. Cum accessissent, in verb Me-
lius videtur*, & *ibi* omnes *de constit. & in cap. Acce-
dentibus de priuileg.* Ruin. *cons.*163. *in fin. vol.*5. Gabr.
*cons.*162. *in princ. lib.*1. Responsum fuit, non adesse
cursum quadraginta annorum necessarium contra Ec-
clesiam, & Ordinem Monialium Sanctæ Claræ, cui
fuit concessum priuilegium, vt est textus *in d. cap.
Accedentibus* & ibi Gloss. DD. Et idem notatur com-
muniter *in d. c. Cum accessissent*, & *ibi* Doct. quia tem-
pus hoc non interuenit, cùm priuilegium Gregorij sit
concessum de anno 1581. & lis cœpta à Monialibus
de anno 1616. Secundò, quia ex quasi possessione 9.
exemptionis aliorum Monasteriorum eiusdem Ordi-
nis fuit conseruatum ius dicti priuilegij huic Mona-
sterio, ad instar Patronorum: quam conclusionem
approbauit Rota in dictis duabus decisionibus Otani,
& coram Seraph *d. decis* 951. *n.* 1. & 2. Tertiò, quia 10.
non potuit amitti per non vsum, stante decreto irri-
tanti prohibitiuo, de quo infrà quod tollit præscriptio-
nem, cum constet de intentione Principis, cui dero-
gari non potest, vt ex Archid. Ioan. Andr. & Gem.
Felin. *in d. cap. Cum accessissent, n.*30. *vers. Quarto li-
mita.* qui allegat decis. Rotæ *q.*3 *de priuil. in antiq.*
Ruin. *cons.* 288. *num.* 11. *in pri. lib.*1. Menoch. *præ-
sumpt* 41. *lib.*6. *num.*10. & tenuit Rota *in eadem de-
cis.*240. *p.*4. *diuers.* Ad quartum, quòd priuilegium
fuit amissum per contrauentionem: quia Moniales 11.
soluerunt decimas vltra quadraginta annos iuxta no-
tata in dictis capitibus, *Cum accessissent, & Accedenti-
bus* Respondebatur primò, non constare de solutione
quadragenaria facta per Moniales post priuilegium
Gregorij: quia non effluxerant quadraginta anni à
die concessionis vsque ad diem motæ litis, neque ante
dictum priuilegium: nam, licèt de terris à Monialibus
nunc possessis fortè fuerint solutæ decimæ vltra qua-
draginta annos; testes tamen concludenter non pro-
bant: quia deponunt, terras prædictas fuisse quon-
dam Isabellæ dictæ Pediala, quæ illas possedit vsque
ad obitum, & in illis Monasterium hæredem instituit:
neque testes percentiunt tempus, à quo Moniales illas
cœperunt possidere vt proprias, ita vt præscriptionem
contra Moniales probare possent: qui testes alias ter-
ras, exceptis prædictis sic vt *supra* relictis, Monaste-
rium

rium possidere nesciunt, vt deponunt *Summario Capituli, n. 3.* & nihilominus propter superuenientiam Priuilegiorum Pij V. & Gregorij XIII. & vsum aliorum Monasteriorum eiusdem Ordinis fuit interrupta quælibet prætensa præscriptio, vt *in dictis decisionibus Conchen. supra relatis.* Secundò, de dicto Decreto irritanti impediente, posse per contrauentionem priuilegio derogari, vt latè per Felin. Ruin. Menoch & Rot. *supra* relatos. Tandem videbatur probandum pro Capitulo, quòd post priuilegium Pauli III. loquens de ducatis 16. & alium Gregorij XIII. de ducat. 25. Moniales de tempore prætensæ solutionis decimarum non habuerunt dictam congruam ducato-
12. rum 16. & respectiuè 25. priuilegium enim non amittitur, nisi quando illud habens est in causa priuilegij, per eum stat, quominus eo vtatur, ita vt exinde resultet eius negatiua. Gloss. fin. *in cap. Abbate, de verb. sign.* vbi Butr. *n. 24. vers. 4.* Abb. *num. 18.* & alij. Surd. *cons. 419. num. 27. in fin. & 28. & 29.*

Et ita decisum vtraque parte informante, &c.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Abulen. decimarum, Veneris, 17. Decembris, 1627.

ARGVMENTVM.

Decimæ ex prædiis relictis Monasterio pro dote alicuius Capellæ, an, & cui debeantur: & quid circa earum solutionem operetur consuetudo.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ prædiales debentur Ecclesiis, intra quarum limites prædia existunt.*
2 *Ecclesia prætendens decimas prædiales, tenetur plenè probare, quòd prædia, de quorum redditibus decimas prætendit, sita sint intra fines suæ parochiæ.*
3 *Decimæ sacramentales vt debeantur, necessariò requiritur administratio Sacramentorum.*
4 *Decimas exigere non potest Rector Sacramenta non administrans.*
5 *Decimarum sacramentalium solutio extinguitur cum personarum interitu.*
6 *Decimæ sacramentales ab eo, qui domicilium mutauit, non debentur priori Curato, sed secundo.*
7 *Capitulum non fundat intentionem suam de iure super decimis.*
8 *Consuetudo super solutione decimarum debet esse generalis.*
9 *Consuetudo circa modum soluendi decimas inducitur decennio ad minus.*
10 *Decimarum solutio facta de tempore vitæ alicuius, non suffragatur ad probandam consuetudinem: quia potest verificari in minori spatio decennij.*
11 *Consuetudo circa modum soluendi decimas inducitur decennio, quando agitur inter Ecclesiam prædialem, & sacramentalem: secus, quando agitur contra possessores prædiorum.*
12 *Consuetudo non inducitur ex actibus, qui dederunt causam liti.*
13 *Consuetudo non probatur ex testibus deponentibus extra casum illius.*
14 *Consuetudo non extenditur de casu ad casum, neque de persona ad personam.*
15 *Consuetudo coadiuuanta iuris dispositione, non dicitur superflua.*
16 *Testes dubij declarantur ab alijs.*
17 *Obseruantia Constitutionis probatur ex illius confirmatione, in qua mandatur, illam obseruari, sicut vsque adhuc obseruata fuit, & posita in vsu.*
18 *Compositiones super decimis non improbantur à iure.*
19 *Obseruantia longi temporis operatur, vt omnia pro validitate præsumantur interuenisse, etiam ad effectum totalis exemptionis à decimis.*
20 *In odium retorqueri non debent indulta in fauorem.*
21 *Reo pro victoria sufficit, probationes actori reddi adeò turbidas, vt sufficienter non concludant.*

DECISIO XCVII.

DIdacus de Villalba, & Anna del'Auguila coniuges incolæ ciuitatis Abulen. assignarunt pro dote Capellæ maioris Monasterij S. Mariæ de Monte Carmelo, eiusdem ciuitatis Abulen. quædam prædia sita in locis de Villamaior, & Parral Castelblanco Sigheres, & Herites vnà cum Molendino existenti in loco nuncupato *la Ribera de Adaxa*: Capitulum verò Abulen. & Parochi Ecclesiæ S. Thomæ eiusdem ciuitatis introduxerunt iudicium aduersùs Conuentus, & Fratres eiusdem Monasterij super solutione decimarum, quas prætendebant ex redditibus dictorum prædiorum tanquam Decimatoriis eiusdem Ecclesiæ parochialis S. Thomæ sibi deberi: vnde, cùm ad fauorem vtriusque partis plures sententiæ in partibus emanassent; tandem causa ad Rotam deuoluta, bon. mem. Reuerendiss. Dominus Patriarcha Hierosolymitanus, præuia decisione, vnica tantùm parte informante, facta sub die 16. anni præteriti, sententias de partibus ad fauorem Capituli, & Ecclesiæ S. Thomæ latas confirmauit, & cùm postea coram me res iudicata, & illius executio iuxta formam rescripti signaturæ hinc inde prætenderetur, dubitaui, an constaret de re iudicata hinc inde, quæ esset exequenda; & Domini mandarunt, vt strictè videretur, an esset recedendum à dicta decisione facta coram bon. mem. Reuerendiss. D. Hierosolymitano: super quo dubio, pluries proposito, & non resoluto, tandem hodie Domini censuerunt, recedendum esse à resolutis

Considerabant enim, quòd aut Ecclesia S. Thomæ prætendit huiusmodi decimas tanquam prædiales, hoc est, ratione situationis dictorum prædiorum intra limites propriæ Parochiæ, aut tanquam sacramentales, hoc est, ratione administrationis Sacramentorum, & ex vtroque capite nullum ius habet.

Nam, quoad primum, cùm huiusmodi decimæ 1.
debeantur Ecclesiis, intra quarum limites prædia existunt, *cap. Cum sint homines, cap. Cum in tua, cap. Cum contingat.* vbi Gloss. *in verb. de iure com. c. Commissum, cap. Quoniam.* Gloss. *in c. Ad apostolicæ, in verb. Consuetudo, in fin. de decimis, cap. vlt.* & *ibi* Gloss. *in verb. prædiorum, de Paroch.* vna cum concordantibus latè deductis per Rotam *decis. 321. num. 4. part. 1. recent.* Rebuff. *q. 6. de decimis*, Henric. Boic. *in cap. Peruenit, num. 2. eod. tit.* Et fuit decisum *in causa Brabaren. decimarum*, 20. Maij, 1591. & 3. Iunij 1594. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & coram me *in causa*
Sabinen. decimarum, 16. Martij, 1609. Ecclesia S. Tho- 2.
mæ debet in hoc plenè intentionem suam fundare, probando, quòd dicta prædia, de [illegible] ibus decimas prætendit, sita sint intra [illegible] liæ, vt ex text. ad literam *in cap. Ad* [illegible] *ne spol. in 6.* Archid. *in cap. Q* [illegible] Hostien. *in summa, de Paroch. n. 1.* [illegible]

& 2. Rebuff. *super. concord. tit. de collat.§. statuimus.*
lib.2.in vers, Parochialis. Hoied *de incompatib.benefic.*
par.1. cap.13.num.2. Et fuit dictum *in causa Pacen.*
decimarum del'Hebrera, Lunæ, 29. Ianuarij, 1601. co-
ram me, vbi aliæ allegantur. Quod non solùm non
probat, ideoque intentionem suam legitimè non fun-
dat, imò & geminatis confessionibus iudicialiter
emanatis pro parte dictæ Ecclesiæ contrarium con-
stat; quòd, scilicet dicta prædia sunt intra limites alie-
næ Parochiæ: vnde non solùm non habet pro se iu-
ris assistentiam, sed imò resistentiam in exactione hu-
iusmodi decimarum, tanquàm extra proprios, & intra
alienos limites Parochiæ.

Quò verò ad secundum: minùs potest huiusmodi
decimas tanquàm sacramentales prætendere, cùm
Patribus Carmelitis possessoribus huiusmodi prædio-
rum non administret Sacramenta; quæ tamen admi-
nistratio necessariò requiritur, vt quoad illas dicatur
3 habere Intentionem fundatam ad tex. *in cap. final. de*
Parochis, ibi: *Nec ab eis temporalia exigant, quibus Sa-*
cramenta non administrant. Abb. *in cap. Ad apostoli-*
4. *ca num.4. de decimis.* vbi quod Prælatus, seu Rector
Sacramenta non administrans non potest decimas
exigere. Hostien. *in Summa, tit. de Paroch. num. 1.*
Rom. *cons 355. num.1.* Hoied. *de incompatib. benef.*
par.1. cap.23. num.2. Rot. *decis.572. num.1. par.1. in*
recent.

Nec illas potest prætendere ex eo, quòd Didacus,
& Anna illas sibi soluerent ratione Sacramentorum,
quæ ipsis viuentibus administrauit, quia, cum per
5. eorum mortem huiusmodi Sacramentorum admini-
stratio cessauerit, vtique & decimarum solutio, quæ
illorum ratione debebatur, vnà cum personarum in-
teritu omninò fuit extincta, *cap. Cùm in cunctis, 16.*
q.1. cap. fin. de Paroch. vbi Abbas *n.2. & 3. in d. cap.*
Ad apostolica. num.3. & de decimis, Innoc. *in c. Omnis.*
num.6. de pœnit. Rebuff. *de decimis. quæst.6. num.24.*
vbi, si quis mutauerit domicilium, decimæ non de-
6. bentur priori Curato, sed secundo. Azor. *instit. moral.*
lib.1. cap.35. quæst.14. Monet. *de decimis, quæst.2. cap.7.*
num.24.

Nec dicatur, quòd Capitulum habeat intentio-
nem fundatam super omnibus decimis diœcesis Abu-
len. in quibus prætendit participationem, & sic non
releuare, quòd huiusmodi decimæ non debeantur ge-
neraliter alicui Ecclesiæ: quia, quicquid sit de hoc,
7. ex quo Capitulum de iure non fundat intentionem
suam super decimis, vt fuit dictum *in causa Pacen.*
decimarum, 21. Iunij, 1604. coram me, & 12. Decem-
bris, 1608. coram bon. mem. Card. Sacrato, ius Ca-
pituli hodie deducitur, provt semper deductum fuit,
restrictum ad ius Ecclesiæ S. Thomæ ratione præsti-
monij, quod habet in ea.

Non obstat igitur, quòd huiusmodi prædia in do-
tem capellæ per prædictos coniuges assignata transi-
uerint cùm onere suo in Monasterium, & Fratres Car-
melitas, vt dicitur *in dicta decis.* coram bon. mem.
Reuerendiss. D. Hierosolymitano: quia per prædicta
procederent; si per præfatos coniuges decimæ fuis-
sent solutæ ratione situationis prædiorum intra li-
mites parochiæ S. Thomæ, & sic tanquàm prædia-
les; sed cùm soluerentur ratione Sacramentorum,
quæ dictis coniugibus ministrabantur, & hæc ad-
ministratio hodie cessauit; vtique nullum potest
considerari onus, quod transiuerit vnà cùm dictis
prædiis.

Nec visum fuit constare de tali consuetudine, quæ
suffragetur eidem Ecclesiæ ad effectum, vt huiusmo-
di decimas possit exigere.

Nam, quoad prætensam consuetudinem ciuitatis
Abulensis super exactione decimarum in concursu
inter Ecclesiam prædialem, & Ecclesiam sacramenta-
lem, iuxta tex. *in d. c. Ad apostolica de decimis,* illa non
est sufficienter probata. Primò, quia testes deponunt
solùm de Ecclesia S. Thomæ non autem generali- 8.
ter de omnibus Ecclesiis; & sic non resultat conclu-
dens probatio consuetudinis, ad notata *in cap. fin.* vbi
Abb. *num. 20.* Card. *num.16.* Butr. *num. 39. de con-*
suetudine.

Secundò, quia non deponunt de decennio præci- 9.
sè, provt ad probandum consuetudinem requiritur,
secundùm Abb. *in cap. Cum sint homines num 6. de*
decimis, quem refert Achill. *decis 3. num.5. eod. tit.*
Put. *decis. 155. alias 154. num. 7. lib.1. & decis 161.*
par.2. diuers. sed solummodò de solutione facta tem- 10.
pore vitæ defuncti, quæ potest verificari etiam in mi-
nori spatio decem annorum; & ideo non releuat. Bart.
in l. Non solum. §. Sed nec probari ff. de nou. oper. nun-
ciat. Dec. *in cap. in præsentia. n.52 de prob.* Aym. *cons.*
54. n.11. plenè Surd. *decis 5. n.10.*

Tertiò tollitur omnis difficultas: quia obiectum 11.
forsan posset procedere, si hodie ageretur inter Ec-
clesiam prædialem, & sacramentalem: quia tunc, vt
deretur, cui decimæ deberentur staretur consuetudi-
ni: & in his terminis loquuntur iura in contrarium de-
ducta, nempe tex. *in d. cap. Ad apostolica. de decimis.*
Achill. *d. decis. 3. num. 7. & 8. de decimis,* & Rot.
decis.279. num.1. & 289. num.1 in recent. Sed, vt suprà
probatum fuit, Ecclesia S. Thomæ non est prædialis,
nec minùs sacramentalis; nec agitur inter ipsas Eccle-
sias, sed contra possessores prædiorum.

Minùs igitur visa est posse allegari altera prætensa
consuetudo; quòd, scilicet, facta translatione bonorum
in aliquod Monasterium pro dote Capellaniarum; nu-
hilominùs sit soluenda decima Ecclesiæ sacramentali,
quæ illi soluebatur ab eo qui bona translulit, licèt
obierit; & sic cessauerit ratio administrationis Sacra-
mentorum: quia vltra exceptiones, quæ contra perso-
nas, & dicta testium fuerunt latiùs ponderatæ per in-
formantes; aduertendum est primò, quòd licèt dicti
testes deponant in genere, etiam de Monasteriis; non
tamen deponunt in specie; quòd aliqua Monasteria,
ad quæ huiusmodi prædia transiuerint, soluant dictas
decimas: & quamuis aliqui ex ipsis deponant, quòd
Moniales Carmelitanæ discalceatæ soluerunt decimas
prædiorum per Franciscum de Salzedo assignatorum
in dotem Capellaniæ, quam in eadem Ecclesia funda-
uit; nihilominùs cùm super dicta solutione fuerit lis
introducta; tanquàm actus controuersus, non potest
haberi in consideratione ad effectum probandæ con- 12.
suetudinis. Rota apud sanct. mem. Gregorium XV.
decis 4. num.2. & ibi Addentes. Secundò non depo-
nunt in specie, quòd decimæ, quas ratione admini-
strationis Sacramentorum soluebant Domini ex præ-
diis sitis in aliena parochia, soluantur etiam ab Eccle-
siis, & Monasteriis, ad quas dicta prædia transeunt; sed
se restringunt, vel ad decimas, quæ fuerunt solutæ à
Dominis quandiu vixerunt; vel ad decimas debitas,
tanquàm prædiales, de quibus hic non agitur; & ideò 13.
nihil releuant, cùm deponant extra casum prætensæ
consuetudinis. Bart. *in l 1. §. Si quis hoc interdicto. n.1.*
ff. de itin. actúque priu. Aym. *cons.30. num.5. & cons.96.*
num.4 Curt. iun. *cons.26. num.10.* Oldrad. *cons.227.*
Natt. *cons.575. n.15.* Cæsar de Grass. *decis. n.4 & 5.*
de probat. Rot. *decis. 422. n.13. par.1. in recent* quæ
consuetudo de iure non extenditur de casu ad casum, 14.
nec de persona ad personam vt in terminis fuit reso-
lutum coram me, *in d. Pacen. decimarum del'Hebrero,*
21. Iunij, 1604.

Nec dicatur, quod huiusmodi testes satis specifi-
cant virtualiter casum, in quo prædia sunt extra paro-
chiam sita, & decimæ tanquam sacramentales soluan-
tur,

tur, dum dicunt, quòd decimæ de bonis, quæ transferuntur in Monasterium, soluuntur vigore consuetudinis illi Ecclesiæ, vbi antea dominus prædiorum erat parochianus: quod necessariò supponit, prædia esse in aliena parochia; ex quo si illa fuissent intra parochiam, non exigerentur ratione parochialitatis, seu administrationis Sacramentorum, sed ratione situationis dictorum prædiorum; & sic non ex consuetudine, sed de iure. Quia aduertendum est, non esse verum, quòd ex dictis testium sequatur necessariò huiusmodi suppositum, nempe, prædia esse in aliena parochia: cum etiam eadem verba benè adaptentur ad casum, in quo prædia sita sunt intra limites parochiæ. Quod patet primò: quia, licèt testes deponant, quòd decimæ soluuntur Ecclesiæ, vbi priùs Domini prædiorum erant parochiani; id tamen non excludit, quin etiam idem Dominus potuerit habere prædia intra limites eiusdem Ecclesiæ, cuius erat parochianus; & sic, quòd decimæ deberentur etiam ratione parochialitatis, hoc est, ratione administrationis Sacramentorum, & ratione situationis prædiorum. Secundò, quamuis testes dicant, quòd decimæ soluuntur de consuetudine: non sunt tamen adeò strictè intelligendi, vt voluerint inferre, quòd decimæ soluuntur solùm de consuetudine, non autem de iure; sed potiùs credendum est, ita eos dixisse, vt indicarent, ita de facto obseruari, & esse in vsu: qui vsus, & obseruantia benè concurrit cum iure; imò consuetudo ipsa quandoque venit
15. coadiuuanda iuris dispositione: quo casu dici non potest superflua, ad notata *in cap.* 1. vbi Gloss. Ioan. Andr. Gemin. & alij *de constit. in* 6. Alex. *cons.* 33. *num.* 4. *& 5. lib.* 1. Natt. *cons.* 189 *numer.* 8. latè Surd. *cons.* 325. *num.* 14. *lib.* 3. Vltrà quòd dicta consuetudo, licèt concurreret in hoc casu cum dispositione iuris communis: non ideò tamen est superflua, cùm operetur respectu exemptionis, quam possent huiusmodi Monasteria prætendere à dispositione iuris communis, vt fuit dictum *i. Carthaginen. decimarum*, 10. Decembris, 1600. coram bon. mem. Penia.

Et quod dicta horum testium sint intelligenda de decimis prædialibus, satis videtur posse colligi ex depositione quarti testis, ibi: *Et quod si talia bona erant solita soluere decimas*, quæ verba denotant onus soluendi decimas, fuisse reale, & annexum ipsis prædiis, vt patet; & sic ab hoc teste, alij testes dubij satis declarantur. Fulgos. *cons.* 161 *num.* 3. *vers. Vltra ergo plenam.*

Sed cessat omnis difficultas, cùm quadraginta, &
16. ampliùs testes examinati pro Conuentu, satis probent contrariam consuetudinem, dum super quarto deponunt, quòd Monasteria Fratrum, & Monialium sunt à quadraginta, & ampliùs annis in quieta, & pacifica possessione, vsu, & consuetudine recipiendi, & recuperandi pro se omnes redditus suorum prædiorum, & terrenorum, absque aliqua solutione decimarum alicui Ecclesiæ, tam ex hæreditatibus, seu prædiis, quæ dict. Conuentus habent in hæreditatem, vt Capellaniis antiquis, & modernis, quàm alio quocunque modo; nec vnquam soluerunt decimam aliquam: quia decimam, quæ soluitur ex talibus prædiis, seu terrenis, soluunt personæ, quæ illa habent in affictu ex fructibus ipsis remanentibus, detracto reddito, quem soluunt dictis Monasteriis: & hanc Ecclesiis soluunt, in quarum territorio sunt dicta prædia, seu terrena, vbi colligunt, qui testes non solùm deponunt de spatio 30. & 40. annorum: sed insuper dicunt, à senioribus iam defunctis audiuisse, ita etiam fuisse in vsu antiquioribus; & deponunt de publica voce, & fama, & coarctant negatiuam.

Quibus testibus visum fuit Dominis fidem esse adhibendam in concursu; non solùm, quia sunt numero plures, & quoad Ecclesiam S. Thomæ habent pro se assistentiam iuris; sed etiam, quia sunt conformes dispositioni Constitutionum synodalium anni 1557. *in cap.* 5. *&* 2. in quibus disponitur, quòd omnes Clerici soluant decimas, saluo ex prædiis, & possessionibus, quæ colent, aut mandabunt coli suorum beneficiorum, & Capellaniarum; nec ex redditibus, quos ex illis receperint, seu exigent, si aliis affictabunt; attamen dictas decimas affictuarij colentes dicta prædia, seu terrena soluant, &c. & Domini priùs detrahant redditus ad ipsos spectantes, & illis detractis, soluatur decima de reliquis fructibus remanentibus. Vnde tantò magis videntur suffragari huiusmodi Constitutiones, cùm illarum obseruantiæ controuerti non possit, tam ex illarum confirmatione, subsecuta de anno 1617. in qua dicitur: *Volumus illa obseruari, sicut vsque adhuc obseruata sunt, & posita in vsu*, quæ verba
stant causatiuè, & ideò benè probant obseruantiam, vt 17.
est text. notab. *in cap. Abbate, vers. Si verò verbum determinet, de verb. signific.* & fuit dictum coram me *in Cæsaraugustana præeminentiarum*, 29. Nouembris præteriti; quàm etiam ex conformi depositione dictorum testium.

Nec officit, quòd dictæ constitutiones, tanquam contra ius, non sustinentur: quia quidquid sit, si concederent totalem decimarum remissionem, siue exemptionem, vt fuit dictum coram me *in Mediolanen. decimarum*, 10. Aprilis, 1606. certum est, quòd cùm solùm determinent modum, & rationem decimandi; non possunt dici contra ius, quod non improbat hu-
iusmodi compositiones super decimis, *cap. Nuper*, 18.
cap. Ex multiplici, de decimis, cap. 2. vbi Innocent. *de transact.* Rebuff. *de decimis, quæst.* 53. *num.* 20. *& seqq.* Monet. *eodem tit. cap.* 5. *num.* 519. *& seqq.* Rota *decis.* 585. *num.* 3. *part.* 5. *& decis.* 279. *ad finem, part.* 2. *recent.*

Prætérquàm quòd ex cursu tanti temporis, & diu-
turna obseruantia, omnia pro validitate præsumuntur 19.
interuenisse. Rota *decis.* 694. *num.* 5. *part.* 1. *&* 506. *n.* 2. *&* 4. *part.* 2. *recent.* quæ obseruantia ad hunc effectum suffragaretur, etiamsi essemus in totali remissione, seu exemptione, vt *in d. Mediolanen. decimarum*, coram me.

Sicuti nec obstat, quòd in primo capite Constitutionis synodalis fuerit obseruata contraria consuetudo; quia vltrà quàm quòd de dicta consuetudine non constat; aduertendum est, quòd ante dictam Constitutionem (vt in ea dicitur) Monasteria non solùm liberè exigebant redditus sibi debitos ex suis prædiis; sed etiam exigebant decimas soluendas ex fructibus, qui arrhendatariis remanebant. Vnde constitutio mandat, vt dictæ decimæ, detracto priùs reddito debito Monasteriis, soluantur per arrhendatarios; salua tamen contraria consuetudine, quæ cùm (vt patet) esset ad
fauorem Monasteriorum; illius præseruatiua non de- 20.
bet retorqueri in odium, *cap. Quod ex gratia, de reg. iur. in* 6. *l. Quod fauore, C. de legib.*

Vnde ex his Domini censuerunt, Ecclesiæ S. Tho- 21.
mæ, vel nullum ius competere, vel saltem illius probationes adeò reddi turbidas, vt sufficienter non concludant, quod Patribus Carmelitis sufficit pro victoria, *cap. in præsentia, de probat. cap. Illud.* vbi Abbas *num.* 3. *de præsumpt.* Rota *decis.* 294. *part.* 2. *diuers.* & fuit in his terminis dictum coram me *in d. Pacen. decimarum del' Hebrero*, 9. Iunij, 1603.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Placentina decimarum, Mercurij, 10.*May*, 1628.

ARGVMENTVM.

Decimæ prædiales an debeantur Ecclesiæ prædiali, an sacramentali.

SVMMARIVM.

1 *Decimæ prædiales spectant ad Ecclesiam, intra cuius fines sita sunt prædia.*

2 *Decima ab eo, qui degit in vna parochia, ibi recipiens Sacramenta, & in alia prædia colit, cui parochiæ sint soluendæ.*

3 *Consuetudo circa modum soluendi decimas sufficit, si probetur per decennium.*

4 *Decimæ ex prædiis nouiter ruptis pertinent ad Ecclesiam prædialem.*

5 *Consuetudo particularis circa solutionem decimarum attendenda est.*

6 *Consuetudo particularis in concursu præualet generali.*

7 *Decimarum in solutione si concurrat consuetudo generalis diœcesis, & particularis parochiæ, attendenda est particularis.*

8 *Decimæ ex prædiis ad culturam redactis debentur Parocho, cui ex consuetudine ante culturam debebantur; & quando procedat, n.12.*

9 *Decima, quæ soluitur de grege ratione pascuorum, dicitur prædialis; quæ verò de fœtibus, lana, lacte, caseo, & similibus, dicitur mixta.*

10 *Decima ex prædio effecto decimatorio Ecclesiæ sacramentalis, redacto ad culturam, debentur Ecclesiæ sacramentali.*

11 *Præscriptio formalis requiritur ad excludendam contrariam consuetudinem, quando agitur de acquirendo iure alicui vti priuato.*

12 *Parocho sacramentali vt debeatur decima ex nouis fructibus prædiorum cultorum, tanquam subrogatis in locum fructuum, qui ex eisdem prædiis recolligebantur, dum erant inculta, quid sit probandum.*

13 *Nouale quid dicatur.*

14 *Ecclesia prædialis præsumitur percepisse decimas omnium fructuum, exceptis illis, quæ probantur alteri soluta.*

DECISIO XCVIII.

MOnasterium B. Mariæ de Guadalupe de anno 1613. concessit naturalibus locorum *del Escurial, & Burdalo*, ad rumpendum quasdam terras, vulgò nuncupatas, *las Deesas de Valuerde*, & *del Palatio*, sitas intra limites territorij *de los Aguixones*, inter duo flumina *de Guadiana*, & *Ruecas*. Vnde orta controuersia, cui deberentur decimæ ex dictis locis nouiter ruptis, an, scilicet, Parocho dictorum locorum *del Escurial*, & *Burdalo*, tanquam administranti Sacramenta præfatis cultoribus; an verò Parocho *de Meaxadas*, in cuius parochia sita sunt dicta prædia *de Valuerde, y del Palatio*, ad fauorem Parochi *de Meaxadas*, cuius loco est D. Episcopus, & Capitulum Placentinum, vti Participãs emanauit sententia in partibus, cui Parochus de Burdalo acquieuit. Quare, cùm Fratres dicti Monasterij de Guadalupe prætendentes participare de decimis horrei *del Escurial, y Burdalo* pro suo iure, & interesse admissi fuerint ad causam, quæ postmodum fuit in Rota introducta; dubitaui, an constet de bono iure partium: & Domini censuerunt constare de bono iure Episcopi non autem Monasterij.

Et pro resolutione huius dubij primò firmarunt, prædia ista, seu *Deesas de Valuerde, & Palatio* sitas esse intra limites territorij *de los Aguixones*, vt satis constat ex depositionibus plurimorum testium, qui dantur in Summario Episcopi, quibus non obstat, quòd prædia ista habeant proprias denominationes *de Valuerde*, & *Palatio*; quia nuncupatio *de los Aguixones* est generica, continens sub se plura alia huiusmodi prædia, quæ licèt tanquàm species habeant proprias denominationes; non ideò tamen sequitur, quòd non veniant sub generali appellatione *de los Aguixones*; & sic intra limites ipsius territorij non comprehendantur, prout satis clarè iidem testes deponunt.

1. Cùm igitur prædia ista sint intra limites Ecclesiæ *de Meaxadas*, decimæ illorum pertinent ad ipsam Ecclesiam, *c. Cum sint homines. c. Cum in tua c. Cum contingat. de decim.* Boic. *in cap. Peruenit. n.2. de decim.* cum aliis per Rebuff. *de decim. q.6.* & fuit resolutum *in causa Barcinonen. decimarum*, 20. Maij, 1591. & 3. Iunij, 1594 coram bon. mem. Card. Pamphilio.

2. Et quanuis ista conclusio satis videatur controuersa apud Doctores, quando, prout in casu nostro, agitur de solutione decimarum prædialium facienda ab eo, qui in vna parochia degit, ibi recipiens Sacramenta, & in alia prædia colit, ita vt in hoc casu recurrendum sit ad consuetudinem, quæ propter difficultatem, & concurrentiam opinionum debet maximè attendi, vt *in dicto c. Cum sint homines. de decim.* Achil. *decis. 3 n.1.* Put. *decis. 150. n 4. vers. Tamen istis non obstantibus. lib. 1. in correct.* Abb. *cons. 58. n.2 vers. His argumentis.* Rota *decis. 274. n.1* & *decis. 289 par. 2. in recentior.* Gutierrez *canonic q. lib. 2. cap. 21. n. 58* Rota *decis. 163. n.3 par. 2. diuers.* & fuit dictum *in causa Tuden. decimarum*, 13. Nouemb. 1591. coram bon mem. Card. Pamphilio: ex quo casus iste non reperitur in iure decisus, vt apud eundem Achil. *decis. 6. n.2. de decim.* & Put. *decis. 176. num. 4. lib. 3.* attamen vltrà quòd videtur esse communior opinio decimarum prædialium solutionem ab eo, qui in vna parochia degit, & in alia prædia colit, fieri debere in loco, in quo sita sunt prædia iuxta terminos *cap. Quoniam. cap Cùm contingat. cap. Apostolica. de decim.* & *cap. Ad decimas. de restitut. spoliat. in 6.* vt notant Doct *in d. cap. Cum sint homines. de decim.* & testatur Achil. *decis. 3. n.1 eod. tit.* quæ est eadem apud Put. *decis. 176. n.3. lib. 3.*

Considerarunt Domini cessare omnem difficultatem: quia constat, quòd in dicto territorio *de los Aguixones* adest particularis consuetudo, vt decimæ prædiorum, quæ coluntur, & de nouo rumpuntur in prædicto territorio, deferantur in horreum loci *de Meaxadas*, nulla habita distinctione, quòd agricolæ, & cultores dictorum prædiorum sint incolæ huius, vel alterius parochiæ, vt vniformiter concludunt vigintiquinque testes *in Summario Episcopi*, quorum aliqui deponunt non solùm de publica voce, & fama, & de auditu à maioribus; sed etiam de visu supra 40. annos, quanuis sufficeret, quòd deponerent de decennio, cùm 3.
satis sit, quòd consuetudo particularis per decennium probetur. Abb. *in d. cap. Cùm sint homines. num. 6. vers. ideò consuetudo. de decim.* Achil. *de decis. 3. n.5. eodem tit.* Put. *d. decis. 150. numer. 5. lib. 1. in correct.* Rota. *dicta decis. 163. par. 2. diuers.* & fuit resolutum *in causa Calaritana decimarum*, 19. Martij, & 23. Iunij, 1610. coram Illustriss. Caualerio, & aliàs sæpissimè. Quod maximè procedit, cũ dicta consuetudo nõ solùm non

sit

sit contra, nec præter ius; sed conformis dispositioni
4 iuris, secundùm quam decimæ ex prædiis nouiter ruptis pertinent ad Ecclesiam prædialem, vt est text.expressus *in d. cap. Cum contingat. de decim.* Imò iuris conseruatiua, & aduersùs contrariam consuetudinem præseruatiua. Suarez *de relig lib.7.cap.4.n.16.*

5. Stante igitur hac particulari consuetudine, quæ seruari debet, Glos. *in cap. Super eo.in verb. Vicinus.in fin. de censib l. De quibus.ff. de legib.l. Venditor.§. Si constat.ff.commun. prædior. l.1.C. quæ sit long. consuetud. etiam in decim. soluen.* Paris. *consil.* 25. *num.* 41. *lib.*4.Aym. *cons.*206. *num.*14. *vers. Idem & magis.* & fuit dictum *in dicta causa Calaritana decimarum,*19. Martij,1610.coram Illustriss. Caualerio.

Non obstat, quòd Monasterium probet ex consuetudine vniuersali diœcesis Placentinæ, huiusmodi decimas solui Parocho, qui cultoribus prædiorum Sacramenta administrat; non autem illi, in cuius parochia sita sunt prædia: quia in concursu consuetudo particu-
6. laris præualet generali. Bart. *in l.2. num.*41. *C. quæ sit long.consuetud.* Paris. *d.cons.*25.*num.*42.vbi alios refert *vol.*4. Put. *d. decis.*176.*num.*6. *&* 7. *lib.*3. & in pun-
7. cto, quòd vbi agitur inter Ecclesiam sacramentalem, & prædialem, concurrit generalis consuetudo diœcesis, & particularis parochiæ circa solutionem decimarum, attendenda sit particularis, fuit resolutum *in causa Oxomen.decimarum,*18.Maij,1592.coram Platto, *& in d.causa Tuden. decimarum*, 13. Nouembris, 1591.coram bon.mem.Card.Pamphilio *in Ciuitaten. decimarum*, 18. Martij,&23.Iunij, 1596. coram bon. mem. Penia, *& in d.causa Calaritana decimarum,*19. Martij,&7.Iunij,1610.coram Illustriss.Caualerio, quæ sunt *in recentior.decis.*279.*&* 289 *par.*2.

8. Non obstat consuetudo, quòd Parochus de Burdalo perciperet ex his prædiis, antequam redigerentur ad culturam, decimam agnorum, casei, & lanæ; ideoque decima noui fructus eidem Parocho debeatur, cùm ex eisdem terris percipiatur, *cap.Cùm in tua,de decim.*Paris.*cons.*73.*n.*17.*vol.*4. Couar.*var.lib.*1.*c.*17. *n.*43. Monet. *de decim.cap.*4.*quæst.*3. *num* 88. Rota
9. *decis.*223.*n.*3.*part.*1.*recentior.* quæ decima, quæ soluitur de grege ratione pascuorum, dicitur prædialis, & quæ soluitur de fœtibus, lana, lacte, caseo, & similibus, dicitur decima mixta, vt coram me *in causa Cordub. redecimarum*,20 Iunij 1625. & ideò cùm prædium sit
10. effectum decimatorium Ecclesiæ sacramentali, ne idem prædium diuerso iure censeatur, si redigatur ad culturam, decimæ adhuc debentur Ecclesiæ sacramentali, *d. cap. Cum in tua.* vbi Butr.& Abb.*in cap.Commissa,de decim* & ita tenent in puncto allegando dicta iura, Addent.ad Monet. *de decim. dicto cap.*4 *quæst.*1. *num.*15.

Quia huic motiuo fuit responsum, primò, huiusmodi perceptionem non probari ex depositionibus testium, nisi per spatium nouem annorum; & tamen quatenus essemus in casu, quo simplex consuetudo sufficeret, saltem decennium requireretur ex iuribus *suprà* deductis.

11. Secundò fuit responsum, quòd cùm Parochus prædialis *de Meaxadas* probauerit particularem consuetudinem ad sui fauorem, non sufficeret consuetudo decennalis contraria; sed requireretur formalis præscriptio, cùm agatur de acquirendo iure alicui vti priuato iuxta doctrin. Abb.*in cap.fin.n.*20 *de consuetud & in cap.Cum Ecclesia Sutrina.n.*45. vbi Rip.*n.*124 *de caus.poss.& propr.*Ruin.*cons.*41.*n.*46.*lib.*1.Bald.*de. præscript p* 4.*q.*10.*n.*3. *gloss.in pragm.sanct.tit.de causis,§. Statuit,al primo, verb. præscripta, vers Si tamen consuetudo esset.* & fuit resolutum *in causa Toletana redecimarum*,20.Maij, & 27.Iunij,1586.coram bon. mem.Card.Pamphilio,& aliàs sæpiùs.

Tertiò fuit consideratum, quòd licèt probetur, Parochum de Burdalo percepisse decimas agnorum, la- 12.
næ, & casei; tamen ad effectum, quòd solus posset exigere nouam speciem decimæ, tanquam subrogatæ, deberet constare, vel quòd ipse solus percepisset omnes decimas ex prædiis ad culturam nouiter redactis. Paris.*d.cons.*73.*n.*19.*lib.*4. vel quòd prædia ista essent no-
ualia, hoc est, quòd antea nullum fructum ex pascuis, 13.
fœno, herbis, caneto, aut similibus reddidissent, ad text.*in cap.Quid per noualle.* vbi communiter scribentes *de verb.sign.* Ruin.*cons.*263.*n.*16. *lib.*5. Ferret.*cons.* 195.*n.*2.*lib.*1.& dixit Rota *in Oriolen.decimarum,*19.
Ianuarij, 1592. *coram Giptio.* Vnde, cùm neutrum 14.
probetur, & Ecclesia prædialis præsumatur percepisse decimas omnium fructuum, exceptis illis, quæ probantur alteri solutæ, sequitur, quòd licèt ista prædia fuerint redacta ad nouam culturam, quamuis Parochus de Burdalo propter mutatam speciem fructuum, & personarum amiserit ius speciale suæ decimæ, attamen ius vniuersale decimæ, quæ præsumitur soluta Parocho prædiali de Meaxadas remanet integrum ipsi Parocho, vt in puncto videtur sensisse Rota *in causa Conchen.decimarum de Villanueua*, 28.Aprilis,1589. coram Orano.

Et ita conclusum, vtraque parte informante, &c.

R. P. D. MERLINO.

In eadem, Veneris, 11. Ianuarij, 1630.

ARGVMENTVM.

Decimæ prædiales an debeantur Ecclesiæ prædiali, an sacramentali.

SVMMARIVM.

1 *Parochus de iure communi habet fundatam intentionem quoad decimas intra limites Ecclesiæ, seu parochiæ, etiam quoad decimas debitas ex prædiis nouiter ruptis.*

2 *Consuetudo in materia solutionis decimarum attendi debet.*

3 *Consuetudo in materia solutionis decimarum inducitur decennio, cum non sit contra, sed præter ius.*

4 *Consuetudo particularis parochiæ in materia solutionis decimarum præfertur consuetudini generali diœcesis, seu Ecclesiæ dominantis.*

5 *Decima ex prædiis ad culturam redactis debentur Parocho, cui ante culturam soluebantur: & quomodo procedat, num seq.*

6 *Parocho sacramentali vt debeatur decima ex nouis fructibus prædiorum cultorum, tanquam subrogatis in locum fructuum, qui ex eisdem prædiis adhuc incultis recolligebantur, quid sit probandum.*

7 *Parochus prædialis habet ius decimandi vniuersale, & in genere respectu quoruncunque fructuum, etiam nouorum.*

8 *Decima vnius speciei præscripta, non censetur præscriptum ius percipiendi decimas aliarum specierum.*

9 *Decimandi possessio decennalis requiritur ad inducendam consuetudinem ad fauorem Ecclesiæ sacramentalis contra Ecclesiam prædialem.*

10 *Præscriptio formalis requiritur ad excludendam contrariam consuetudinem particularem.*

Decisio XCIX.

ORta controuersia de anno 1614. inter Episcopum Placentinum; & Parochos de Escurial, seu de Burdalo, super perceptione decimarum ex duobus prædiis nuper antea ad culturam, & seminationem redactis, an, scilicet, decimæ spectarent ad Episcopum, vel ad Parochos; fuit ab Ordinario Placentino per sententiam in fauorem Episcopi pronunciatum causaque in Rota commissa ad instantiam Monasterij Beatæ Mariæ de Guadalupe, adhærentis Curato de Burdalo, coram Reuerendiss. D. meo Decano, præuia decisione dicta sententia Ordinarij fuit confirmata. Hodie autem coram me cùm fuerit dubitatum, an sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, Domini confirmandam esse responderunt.

De validitate enim constat ex reuolutione actorum, cùm seruata fuerint omnia requisita per Caputaq. *decis.* 260. *par.* 2.

Iustitia autem benè deprehenditur ex eo: quoniam, cùm ista prædia, de quibus agitur, nouiter proscissa, & sata, posita sint in territorio de los Aguixones, cuius parochiæ Curatus est Episcopus; consequenter decimæ ex frugibus dictorum prædiorum percipiendæ de-
1. bentur eidem Episcopo, qui tanquam Parochus de iure communi fundatã habet intentionem quoad decimas intra limites Ecclesiæ, seu parochiæ, *cap. Cùm contingat.* & *ibi Glos. in verb. De iure commun.* Card. *n.* 4. Abb. *num.* 7. *& cap. Quoniam. de decim.* Paris *cons.* 73. *num.* 1. *lib.* 4 Put. *decis.* 361. *num.* 1. *lib.* 1. *in correct.* Rota coram Reuerendiss. D. meo Decano, *decis* 187. *num.* 1. *& decis* 234. *num.* 1, etiam quoad decimas debitas ex prædiis nouiter ruptis, & cultis, *cap. Commissum* & *ibi* Doct. *de decim.* Felin. *in cap. Auditis. num.* 20. *vers. Adducit inter alia.* Guttierrez. *canon. quæst lib.* 2. *c.* 21. *num.* 100. & dixit Rota *in Toletana decimarum*, 5. Aprilis, 1593. coram Arigonio; iuncta præsertim consuetudine vltra 40. annos per plures testes concludenter iustificata, qua introductum est, vt in territorio de los Aguixones, decimæ prædiales soluantur Ecclesiæ, vbi sita sũt prædia, nulla habita distinctione, an coloni degant, & percipiant Sacramenta intra, vel extra ipsam Ecclesiam, vel parochiam prædialem: quæ
2. consuetudo in hac materia omninò attendi debet, *c. Cùm sint homines.* & ibi communiter scribentes, ac præsertim Abb. *sub n.* 6. & *Cùm apostolica. de decim.* Card. *cons.* 88. *n.* 1. *in princ.* Rimin. iun. *cons.* 169. *n.* 17 *in fin.* Eugen. *cons.* 18. *num.* 21. *lib.* 2. Guttierrez *canon. quæst. d. cap.* 21. *num.* 32. Achil *decis.* 3. *de decim.* Put. *dec.* 154. *num* 6 *& seq. lib.* 1. Rota *decis.* 163. *num.* 3. *par.* 2. *diuers.* & fuit dictum *in Tuden. decimarum*, 13. Nouẽbris, 1595. coram bon. mem. Card. Pamphilio, & apud bon. mem. Card. Caualerium *decis.* 73. *num.* 3. & *decis.* 107. *num.* 1. cum aliis, & ad illam inducendam, quando
3. agitur inter duas Ecclesias, sufficit etiam spatium decem annorum, cùm non sit contra, sed præter iûs, vt tradit Abb. *in d. cap. Cum sint homines. num.* 6. *in fin. de decim.* Achil. *decis.* 3. *eodem tit.* Couar. *var. resol. lib.* 1. *c.* 17. *num.* 8. *versic Quartò fortiori ratione.* Modern. Bononien. *var. resol. lib.* 2. *cap* 95. *num.* 19. *ad fin.* Rota *decis.* 163. *n.* 4. *par* 2. *diuer.* & coram Card. Caualerio *d. decis.* 73. *& decis.* 95. *n.* 2 *in princ. & alibi.*

Non obstat, quòd ex generali consuetudine diœcesis Placentinæ, decimæ soluuntur Ecclesiæ sacramentali; non autem prædiali: quoniam contraria consuetudo particularis istorum locorum de Escurial, &
4. Burdalo legitimè probata, seruari debet, & præferri consuetudini vniuersali diœcesis, seu Ecclesiæ dominantis. Put. *decis.* 176. *num.* 6. *&* 7 *lib.* 3. & coram bon. mem. Card. Caualerio *d. decis.* 95. *num.* 3. & *decis.* 107. *num.* 1. & *in Tuden. decimarum*, 13. Nouembris, 1595. coram bon. mem. Card. Pamphilio cum aliis in decisione Reuerendiss. D. mei Decani adductis.

Minùs obstat, quòd cùm ex istis prædiis, antequam 5.
reducerentur ad culturam, decima agnorum, casei, & lanæ solueretur parocho de Burdalo, & Ecclesiæ, in qua à Pastoribus ministrantur Sacramenta, & consequenter ex vi subrogationis decimæ, quæ percipiuntur ex nouis fructibus prædiorum cultorum eidem Ecclesiæ sacramentali, seu Parocho debeantur; non autem Ecclesiæ prædiali, *c. Cùm in tua de decim.* cum concordan. mutatio enim fructuum, seu plantationis, non mutat, aut minuit obligationem soluendi decimam de nouis fructibus, sicut prius soluebatur de aliis. *d. c. Cùm in tua.* & *ibi* Butr. *n* 2. *& n.* 5. *versic. Vnde dicit Ioann. Andr.* Rebuff. *de decim. q.* 14. *n* 23. Card. Mantic. *decis.* 541. *n.* 1. cum aliis per Modern. Bononien. *var. resol. lib.* 2 *cap.* 95. *n.* 16.

Quoniam obiectum visum fuit, satis esse sublatum 6.
ex responsionibus datis in decisione Reuerendiss. D. mei Decani: & præsertim ex eo, quia ad hoc, vt Parocho sacramentali deberetur decima ex nouis fructibus prædiorum cultorum, tanquam subrogatis in locum fructuum, qui ex eisdem prædiis recolligebantur, dum erant inculta, probandum esset, quòd idem Parochus perciperet decimas ex antiquis fructibus, iure vniuersali, & reali concernente ipsam terram, seu prædia, adeò vt nulli fructus recolligerentur ex ipsis prædiis, quin de omnibus ipse solus, & non alius haberet decimam; & sic quòd prædia essent verè decimatoria, & obnoxia iuri reali in fauorem ipsius Parochi: quo casu ratione causæ vniuersalis, & ob vnitatem, & identitatem prædij, decima deberetur ex terra etiam nouiter culta, & ex fructibus post culturam nascentibus, qui in locum antiquorum fructuum subrogantur, & comprehenduntur sub iure vniuersali, & generico decimandi: & ita procedit text. *in c. Cùm in tua* & notant *ibi* Doct. ac signanter Butr. *num.* 2 *&* 5. Anan *num.* 3. *de decim.* Abb. *consil.* 71. *num.* 2. *vers. Secundo principaliter. lib.* 2. Bald. *de præscript. par.* 2. *in princ. n.* 17. *&* 18. Couar. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 17. *n.* 13. Paris. *consil.* 73. *n.* 17. *&* 18. *lib.* 4. Decian. *cons.* 22. *n.* 33. *&* 34 *lib.* 1. benè Guttierrez *canon q. d. c.* 21. *n.* 94. 96. 114 *& seqq. lib.* 2. Rimin. iun. *cons.* 679. *n.* 99. Giouagnon. *cons.* 28. *n.* 5. *& seq. l.* 2. & fuit dictum *in Adrien. decimarum*, 25. Iunij, 1601. coram Corduba, *impress. post d. cons* 28. Giouagnon. Secùs autem dum Parochus, vt in casu præsenti, percepit decimas ex iure particulari, solùm quoad certam speciem fructuum: tunc enim prædium non dicitur effectum decimale; ita vt licèt mutetur status ipsius, remaneat tamen onus decimationis; sed omne hoc ius decimantis restringitur ad illos fructus particularis speciei duntaxat, & iis cessantibus cessat eius decimatio, nec vlteriùs trahitur, aut extenditur, *cap. Cum contingat.* & *ibi* Butr. *n.* 4. *vers. Quandoque dispositio stricta. et* 2. qui sic concordat text. *in cap. Ex parte.* & *cap. Cùm in tua.* cum dispositione dictæ decretalis *in cap. Cùm contingat.* & sequitur Anan. *num.* 7. *in fin. de decim.* & *cap. Tua. eod. tit.* quem textum non fuisse promulgatum ad aliud, quàm ad hoc decidendum, tradit Cassan. *cons.* 34 *n.* 17. Abb. *in d. cap. Cùm contingat. num.* 9. Rebuff. *cons.* 133. *n.* 8. & *de decim. q.* 6. *n.* 35 *in fin.*

Et propterea potiùs dicendum videtur, quòd cùm 7.
Episcopus, tanquam Parochus prædialis in territorio de los Aguixones, fundatam habeat intentionem in omni fructu, & habeat ius decimandi vniuersale, & in genere respectu cuiuscunque fructus; meritò hoc ius, tanquam reale, complectatur etiam nouos fructus, & quicquid nascitur ex ipsa terra, vt benè per Guttierrez *canon. quæst. cap.* 21. *numer.* 114. *& seqq.* Seraphinus *decis.* 561. *num.* 1. & fuit dictum *in Orielen.*

decima

decimarum, 19. Ianuarij, 1592. cotam Giptio: & sic decimatio quoad nouos fructus intrat in fauorem Episcopi habentis ius vniuersale; non autem in fauorem Parochi habentis ius singulare, & restrictum ad particularem speciem fructuum, quæ ampliùs non extat.

Quæ certiora etiam videntur in casu præsenti: tum, quia decima, quæ prætenditur à Parocho, seu à Monasterio B. Mariæ de Guadalupe, ex iure dicti Parochi, prætenditur solùm io vim meræ consuetudinis; &
8. proinde ex præscriptione vnius speciei decimarum nō
potest inferri ad ius percipiendi decimas aliarum specierum; tantùm enim dicitur præscriptum, quantùm specificè fuit possessum, vt in his terminis est textus, *in cap. Tua. il 1. cap. Cum contingat.* & *ibi* Doct. ad benè Card. *n. 6. in fin. de decim.* Couat. *var. resol. lib. 1. c. 17. n. 13.* Surd. *cons. 262. n. 12.* latè Guttierex *canon. q. d. cap. 21. num. 78. & seq.* Put. *decis. 107. lib. 1.* Card. Seraphin. *decis. 346. n. 1.* & fuit dictum *in Conchen. decimarum de Belmonte*, 20. Iunij, 1616. cotam Illustriss. D. Card. Verospio, cum aliis per Modern. Bononien. *ver. resol. lib. 2. cap. 95. num. 27.* Giouagnun. *d. cons. 28. n. 1. lib. 2.* Tum etiam, quia ex testibus benè probatur, quòd Episcopus Rector in hoc territorio de los Aguizones ex antiqua consuetudine percipit decimas, etiā de prædiis, quæ nouiter rumpuntur, & sic res videtur extra controuersiam, iuncta præsertim assistentia iuris in fauorem eiusdem Episcopi, tanquàm Parochi.

Sed ex facto visum etiam fuit cessare difficultatem: quoniam ius decimandi quoad agnos, caseum, & lanam, ante culturam prædiorum prætensum à Rectore de Burdalo non probatur, nisi per nouem an-
9. nos; & tamen ad effectum inducendi consuetudinem
ad fauorem Ecclesiæ sacramentalis contra Ecclesiam prædialē requiritur saltem possessio decennalis, Achil. *decis. 3. & 6. de decim.* Put. *decis. 150. n. 5. l. 1. in correct.* cum aliis *suprà* adductis; imò & in casu isto cùm Pa-
10. rochus prædialis probauerit contrariam consuetudi-
nem particularem ad sui fauorem, non videtur sufficere consuetudo decem annorum; sed opus esse formali præscriptione, quemadmodum fuit firmatum in decisione Reuerendiss. D. mei Decani *versic. Secundò fuit responsum*, &c.

Et ita &c.

R. P. D. VEROSPIO.

Hispalensis decimarum, Lunæ, 4. Decembris, 1628.

ARGVMENTVM.

Collegium Societatis Iesu fundatum cum onere educandi aliquos adolescentes sæculares an, & quando sit exemptum à solutione decimarum.

SVMMARIVM.

1 *Causa finalis desumitur ex procemio.*

2 *Mens, & intentio desumuntur ex verbis dispositiuis.*

3 *Dominium Collegij, vel Monasterij legitimè fundati, acquiritur Religiosis.*

4 *Exemptio à decimis intelligitur de bonis existentibus sub dominio, non autem sub administratione illorum, quibus exemptio concessa est.*

5 *Onus adiectum, tanquam conditio, donationis non immutat donationem ipsam iam factam.*

6 *Minister, & merus executor censetur quis relictus,*

Tamburinij tom. III.

quando omnia bona in aliquod opus erigere tenetur, vel ex lege donationis, vel ex quo bonorum valor onerum impensas non superat.

7 *Onera si donationem non præcesserunt, reputantur tanquam accessoria; & donatio non censetur facta in eorum executionem.*

8 *Executor datus à testatore ad præstanda aliqua onera successiua, habetur pro legatario, nec tenetur cauere coheredibus, si quid post mortem eorum, quibus alimenta præstari debeant, supererit, se restituturum: nisi contrarium suadeant coniectura.*

9 *Diuersa reputantur, quæ habent diuersas qualitates.*

10 *Denominatio fit à digniori.*

11 *Determinatione vna omnia determinantur.*

12 *Vsufructuarius dicitur is, cui relicti sunt fructus rei cum facultate capiendi propria authoritate.*

13 *Exemptio à decimis suffragatur, etiamsi exemptus in quoslibet vsusfructus conuertat.*

DECISIO C.

CVm Capitulum Hispalense integram decimam de Cortesio, seu Prædio de la Naue de los Vallestreros, oppidi de Vetteros, prætenderet exigere à Collegio Sanctissimæ Conceptionis, in dicta ciuitate fundato, & dotato, per Gundisalunm del Campo, non obstante priuilegio Leonis X I. quæ Collegia, & loca Societatis Iesu in regno Castellæ eximebantur à solutione decimæ, soluta tantùm vigesima; post sententiam Nuncij Hispaniarum, qua dicta exemptio fuit approbata, causa ad Rotam per appellationem deuoluta, proposito hodie à me dubio, an intrarent priuilegia Societatis Iesu, Domini vtraque parte informante, affirmatiuè, & pro Collegio responderunt.

Firmarunt enim pro indubitato, hoc Collegium Sanctissimæ Conceptionis esse verè Collegium Religiosorum, & Societatis Iesu; idque nedum ex verbis
ipsius Fūdatoris expressis, quæ in narratione, & procœ- 1.
mio arguebant causam finalem ad theoricam. Bart. *in l. fin. n. 3. ff. de hared. inst.* & *in l. c. in principio. ff. ad Maced.* cū aliis per Boic. *cons. 20. n. 11.* Rot. *decis. 458. n. 4. par. 1. diuers.* In dispositiuis verò declarabant, &
concludebant, eam fuisse mentem donatoris, vt verè 2.
Collegium Societatis Iesu instituerei, & fundaret. *l. Ex hac stipulatione.* & *ibi* Scribent. *ff. de donat. l. Ex his verbis, C. de testam. milit.* Castr. *cons. 407. lib. 1.* sed etiam ex ipsa fundatione, quæ cùm in executionem dictæ Gundisalui voluntatis, ex authoritate, & consensu Reuerend. Patris Generalis facta fuerit, vt patebat ex iis etiam verbis, ibi. *Vnum Collegium nostræ Socie-*
tatis in dicta ciuitate erigimus, & fundamus. dubitari 3.
non poterat, quin eiusdem Collegij dominium in Societatem transtulerit. Butr. *in c. In præsentia. n. 64.* Abb. *n. 63. de probat.* Calder *de regul. cons. 23.*

Nec visum fuit obstare, quòd idem Gundisaluus mandauerit, vt in eodem Collegio 20. sæculares adolescentes, qui literarum studiis darent operam, ali, & educari deberent ex instituto, & disciplina Societatis & cùm ad hunc effectum dotem Collegio videretur constituisse, regulare dici non posset, sed vel sæculare vel mixtum. Indéque quasi fuerit Societas electa, tanquam ministrare bona, quorum sola administratio cō-
cessa dicebatur, non comprehenderentur in indulto 4.
exemptionis, quod respicit tantùm ius dominij. Oldr. *cons. 168. n. 3.* Ruin. *cons. 105. n. 8. lib. 3.*

Considerabant enim Domini, quòd vltra prædicta Fundatoris, & fundationis verba, ex quibus (vt dictum est) apparebat, fundatum, & dotatum fuisse Colle-

gium Societatis Iesu, in ipsa prætereà fundatione, &
contextu instrumenti verba semper dispositiuè fue-
runt collata in ipsam Societatem,imò dominationem
huius prædij, ex quo Capitulum petit integram deci-
5. mam factam fuisse Societati, & eius Patri Generali,vt
ideò onus educandi illos iuuenes, licèt videretur ad-
iectum,tanquam conditio donationi; non tamen do-
nationem Societati factam immutauerit, iuxta di-
stinct.Bart.*in l. Pecuniæ. n. 1. ff. de alim.& cibar.leg.in
l. Si quis Titio.*vbi etiam Gloss.*ff. de leg.2.l. Sulpicius,*
50. *ff. de donat.int.vir.& vxor.*Cuman.*cons.*108.*n.*3.
Sim. de Prætis *de interpr.vltim volunt. lib.5. dubit.2,*
*n.*14.& 15 Mantic.*de coniect. vltim.volunt.lib.8.tit.4.*
*num.*7.& 13.

Et quidem conditio in donatione Collegio imposi-
ta naturæ ipsius donationis haud videbatur aduersari:
quia,cùm impensæ alimentorum pro sæcularibus non
æquarent valorem bonorum donatorum propter
commodum, quod ex illis ad ipsum Collegium de-
bet pertinere, verè donatum eidem fuisse dicendum
6. erat, cum minister, & merus executor tunc cense-
retur relictum, si omnia in dictum opus erogare te-
neretur, vel ex lege donationis, vel ex quo bono-
rum valor onerum impensas non superaret, Gloss.
in l. Si quis Titio 17.*in verb.Vt ministrum*,& ibi Bart,
*n.*1. *ff. de leg.*2. Bald. *cons.*77. *in fine lib.*4. Castrens.
cons 97.*n* 1.*& seq.lib.*1.Ioan.Andr.*in addit.ad Specul.*
*lib.2.part.2.de instr.edit.§. Nunc aliqua.*13 *sub n.*17.
liter. C. Et cùm onera donationem non præcesserint,
7. ita vt in eorum executionem videri posset deinde do-
natum reputantur tanquàm accessoria, *iuxta distinct.*
Castr.*in l. Lucius. Titius.§. A te peto n.*2.*ff.de leg.*2.
Rota *in Ferrariensi bonorum*. 1.Maij, 1610.& 27.Ia-
nuarij,1617. & *in Romana census*, 20.3.Martij, & 19.
8. Iunij 1617.coram Reuerend. D.meo Decano. Quin,si
vera est distinctio,quam *ex d.l.Pecunia.* notant com-
muniter DD.inter onera, quæ vnico actu,& momen-
to temporis explicantur,& ea quæ successiua sunt, vt
secundo hoc casu propter incommodum, quod sen-
tit executor in annuis, vel menstruis præstationibus,
haberi debeat pro legatario, ne cauere teneatur co-
hæredibus,si quid post mortem eorum,quibus alimē-
ta præstari debent, superfuerit,se restituturum;repugnat
omninò, vt plenissimum ius ex donatione Societati
quæsitum non dicatur, quam perpetuo hoc onere
grauatam esse voluit,vt in Collegio,quod pariter per-
petuum esse debebat,iuuenes illos sæculares educaret,
& retineret.Cùm enim nunquam cessare debeat casus
restitutionis, considerari non potest, & durat semper
causa incommodi,cuius *in dicta l.Habetur ratio* & ex
qua,quicquid superest,cedit beneficio grauati: quam
distinctionem,nisi à cohæredibus, sed à testatore fue-
rit ad id oneris assumptus, & nisi contrarium conie-
cturæ suadeant,ex mente Cuiac.*in d.l.Pecunia.*vti ve-
rissimam approbauit Rota *in eadem causa. Rom.* 20.
30.Ionij.1609.coram bon. mem. Andrea.

Hanc autem fuisse donatoris mentem, ex pluribus
etiam patebat,& præcipuè, quòd Collegium semper
distinxit ab ipsis studentibus sæcularibus, dum illos
præcepit quidem esse intra septa Collegij; habere ta-
men separatam habitationem à Religiosis,quos ex ea-
dem Societate ibi etiam studiorum causa esse voluit,
dum mandauit, vt eisdem præessent Patres ex eadem
Societate, & Collegio, dum voluit, vt sicut Colle-
gium perpetuum esse debebat; ita iidem iuuenes
etiam perpetuò retinerentur,& ex bonis donatis, tam
9. sæculares illi, quàm Religiosi iuuenes alerentur: vt
propterea cùm ex harum diuersitate qualitatum appa-
reat illos habuisse pro diuersis *l.in testamento* 27.*ff.de*
*cond.& demonstr.l.*1.*C.si vnus ex pluribus.* Alex.*cons.*
73.*num.*7.*lib.*3. Rim.sen.*in l.Si nominq.sub n.*5.*C. de*
testam. nomine Collegij, cui fuit facta donatio,
intellexerit Collegium Societatis I e s v a Regula-
ribus eiusdem Societatis tanquam à dignioribus, de- 10.
nominatum,Anchar. *cons.*70.*num.*1. Angel.*cons.*348.
num,3.Menoch. *cons.*690. *num.*12. Tiraquell.*de retr.*
lig. §. 30. *Gloss.* 1. *n.*30. Et sicut Religiosis studia re-
colentibus non fuit quæsitum dominium propter
alimenta ipsis constituta; sed Societati: ita ex eo-
dem onere, quod Collegio fuit impositum, fauo-
re adolescentium sæcularium ob eandem studij cau-
sam non fuit effecta Societas eius operis admini- 11.
stra, cùm vna, eademque determinatione omnis
determinentur, *l.Nam hoc iure. ff. de vulg. l. Quan-*
uis. l, Hæreditas. C. eodem titul. l. In testamento. C,
de testam milit. Imò nedum verbis, sed re ipsa appa-
rebat de hac eadem voluntate, & mente donatoris,
vt primò Collegium Societatis instituerct. Secundò,
vt eam conditionem adiiceret alimentorum pro sæ-
cularibus, cùm regulauerit omnia, & ordinauerit
secundùm instituta Societatis, rationes à Ministris
reddi noluerit Ordinario; sed vel Patri Generali, vel
Societati, tanquàm Fundator Collegij, omnium
priuilegiorum, quibus ex eiusdem Societatis con-
stitutionibus Collegiorum Fundatores fruuntur, par-
ticipem se fieri voluit: & demum decreuerit, vt ali-
menta sæculares de manu Societatis accipere debe-
rent: quo casu sine dubio Societati non illis domi-
nium quæsitum fuit. Gloss. *in l. Si quis ita.* 23. *ff. de* 12.
*vsufr.*Bart.*in l.Fundi Trebatiani.*23 *ff.de vsufr.legat,*
Sbrd. *cons.* 162.*num,* 31. Afflict. *decis* 252. *numer.*2.
Achill. *decis.*3. *de renunc.* Vt ideò cùm certum vide-
retur, Collegium esse sub dominio Societatis, priui-
legia, quæ nec controuertebantur à Capitulo, erant
clara, nedum respectu ipsius Collegij; sed etiam re-
spectu fructuum eius prædij qui in alimenta sæcu-
larium cedere dicebantur: quia nec præcisè ex eius
prædij fructibus præstanda sunt; & cùm dominium, 13.
cuius respectu debetur decima, sit penes Societatem,
è cuius manibus, vt dictum est,alimenta peti debent,
nihil refert, quòd illa fructus conuertat, vt exem-
ptione iuuetur. Vitalio. *in Clement.*2. *numer.* 46.*de*
decim.

Et ita,&c.

R. P. D. PIROVANO.

*Nouarien. decimarum, Mercurij,*26.
Februarij, 1631.

ARGVMENTVM.

Decimæ possunt minui præscriptione
legitimè probata: & quando ta-
lis præscriptio dicatur
legitimè probata.

SVMMARIVM.

1 *Decima vt in totum præscribi possit, non sufficit so-*
la possessio; sed requiritur immemorabilis cum fa-
ma priuilegij; vel quadragenaria cum titulo.
2 *Decima potest minui consuetudine, aut præscri-*
ptione.
3 *Præscriptio circa diminutionem decimarum vt*
probetur, debet constare de vniformi præstatione
decimarum per tempus sufficiens,& de possessione
*ita soluendi,n.*4.
5 *Præscriptio circa diminutionem decimarum non*
probatur ex solutionibus factis in vim loca-
tionis.

6 *Præscriptio*

6 *Præscriptio non currit absque possessione.*
7 *Notarij attestationi relatiuæ non creditur, nisi in quantum relatum producatur, & ex se probaret.*
8 *Scripturæ præcisæ, & authenticæ magis statur, quàm generali, & minùs authenticæ.*

DECISIO C I.

IAm fuit resolutum in hac causa 7. Maij, 1627. allegatam præscriptionem per Communitatem Cameræ non obstare. Hodie eodem dubio proposito responsum fuit standum esse in decisis: non enim ampliùs dubitabatur, quin homines, & Communitas Cameri tenerentur ad solutionem decimarum, quæ per Episcopum prætenduntur; neque quòd idem Episcopus contra eos agere posset officio Iudicis ad illarum exactionem: quoniam omnis hæsitatio fuit sublata in decisionibus causæ, 5. Decembris, 1629. 11. Martij, & 10. Iunij anni præteriti, 1630. sed tantummodo fuit reseruatum, vt videretur, si præscriptio obstaret, quod semper fuit de intentione Communitatis contendentis se eximere ab integra decima per annuam solutionem librarum 70. vnde, cùm iam fuerit firmatum, Communitatem in hac probatione deficere; nec iuuetur nouis iuribus, aut fundamentis, meritò in decisis Domini perstiterunt.

1. Nam, etsi non agatur de præscribenda huiusmodi quota in totum, quo casu absque difficultate non sufficeret possessio; sed requiritur implicitus titulus per immemorabilem cum fama priuilegij, Abb. & Felin. *in cap. Cùm apostolica, de ijs, quæ fiunt à Prælatis.* Felin. *in cap. Causam quæ, n. 3. de præscript.* Rebuff. *de decim. q. 13. n. 69.* & latissimè fuit firmatum *in Toletana decimarum de Capilla*, 4. Decembris, 1615. coram bon. mem. Andrea, vel explicitus cum quadragenaria esset necessarius, vt *supra* allegati tenent, & expresè determinat Petr. de Vbald. *d. canonic. Episcop. c. 2. n. 14.*
2. neque etiam difficultas versatur in eo, an huiusmodi quota possit minui consuetudine, aut præscriptione: quia hoc admittitur secundùm veriorem, de qua per Couar. *var. resol. c. 17. n. 8.* Rebuff. *de decim. q. 13. n. 46.* Moneta *eodem titulo, cap. 5. q. 1. num. 89.* Seraphin. *decis. 1204.* sed omnis controuersia consistit in probatione præscriptionis, ad quam Communitas se re-
3. strinxit in suo libello, & in ea defecit: quia de vniformi præstatione decimarum per tempus sufficiens non docuit, prout necessarium esse voluerunt Domini *in Mediolanen. decimarum*, 5. Decembris, 1597. coram bon. mem. Card. Mellino, & *decis. 474. num. 5. part. 1. & 497. num. 2. part. 2. recentior.* probauit enim, quandoque soluisse decimam in pecunia, nempe, annuatim libris 70. quandoque in specie in tot saccis siliginis, quæ non conueniunt vniformitati requisitæ
4. secundùm canones; prætetea ad præscribendum minorem quantitatem ex integra decima, semper doceri debet de possessione, sine qua præscriptio non datur, quæ consistit in eo, vt Episcopo agenti ad integram decimam denegata fuerit exactio, & acquieuerit Episcopus; aliàs contra successorem, aut Ecclesiam nulla præscriptio, aut consuetudo præiudicare potest. Seraphin. *decis. 1102.* Rota *in Valentina decimarum*, 15. Decembris, 1604. coram bon. mem. Ottemberbo, & *in Ciuitaten. decimarum*, 26. Martij, & 18. Iunij, 1618. coram D. Cardinali Verospio.

Non obstant quittantiæ per 40. & vlteriores annos in quantitate vniformi pro libris 70. quolibet anno: quia in multis instrumentis enunciatur titulus locationis, prout *in dec. 7. Maij, 1627.* fuit responsum, super quo titulo firmari non potest præscriptio, aut consuetudo diuersa ab effectu locationis, & conductionis, vt, scilicet, finita locatione dominus possit vti iure suo. 5.
Dec. *cons. 402. n. 15* Rota *decis. 469. n. 2. part. 1. recen.* & interim conductor non sibi, sed domino possideat, *l. finali, C. de acquir. possess.* Surd. *cons. 117. n. 17.* ita vt semper deficiat initium ad præscribendum, quod est 6.
ipsa possessio, *cap. Sine possessione, de regul. iuris in 6.* Balb. *de præscript. part. 3. in fine, vers. Tertium, & quartum.*

Demum non obstat attestatio, seu fides Notarij Zaffiri, qualiter de anno 1558. Thesaurarius mensæ episcopalis affirmauit, Communitatem esse solitam soluere pro hac decima libras 70. omni anno semper, & in perpetuum, ostenderitque eidem Notario libros mensæ episcopalis, in quibus hæc obligatio erat adnotata.

Quia attestationi relatiuæ ad Thesaurarium, & li- 7.
bros mensæ non creditur, sicuti non crederetur Prælato in præiudicium suæ Ecclesiæ, nisi in quantum relata producantur, & ex se probarent. Afflict. *decis. 168. num. 4.* Menoch. *cons. 39. num. 53.* Rota *decis. 792. n. 6.* 8.
part. 1. diuers. & 452. part. 2. recent. & eo etiam casu relatum non releuaret, cùm adsint instrumenta locationum de hac decima, quibus vti scripturæ præcisæ, & authenticæ magis standum est, *l. Si census, ff. de probat. cap. Tertio loco.* vbi Gloss. *in verbo, Testium, eodem titulo*, cum aliis allegatis *in decisione*, 7. Maij, 1627. Et ita fuit resolutum pro Reuerendissimo Episcopo, altera parte informare recusante, &c.

EMINENT. D. CARDINALE Vbaldo.

Augustana decimarum, Veneris, 28. Martij, 1631.

ARGVMENTVM.

Monasterio debentur decimæ Ecclesiæ Parochialis illi vnitæ.

SVMMARIVM.

1 *Parochiali Ecclesia Monasterio vnita, cura animarum eiusdem cum omnibus suis iuribus in illud transit.*
2 *Monasterium percipit decimas parochiæ sibi vnitæ.*
3 *Exemptio à decimis restringitur ad prædia tantùm expressa.*
4 *Transactio super decimis non facta cum Monasterio, cui Parochia vnita fuit, illi non præiudicat.*
5 *Vicarius deputatus per Monasterium ad exercendum curam animarum Parochiæ illi vnitæ, nullum ius habet super decimis; sed sola ei congrua debetur.*
6 *Transactiones super decimis fieri non possunt, absque Papæ authoritate, & sine ea factæ non egrediuntur suum authorem.*
7 *Abbas non potest præiudicare Monasterio.*
8 *Vnio Parochiæ Monasterio probatur effectuata per testes deponentes de decimatione in vim vnionis.*
9 *Ordinarij præsumuntur informati de rebus suarum Ecclesiarum.*
10 *Vnio facta ex titulo permutationis non cadit sub regula reuocatoria.*
11 *Consuetudo non soluendi integras decimas qualiter sit probanda.*
12 *Producens processum non potest impugnare iura in eo existentia.*

DECISIO CII.

PRopoſito hodie per me dubio, an,& quæ decimæ debeantur Monaſterio; integras deberi, dixerunt Domini, abſque vlla diſtinctione, & moti ſunt: quia cùm per viam vnionis à Sede apoſtolica confirmatæ Eccleſia parochialis S.Stephani fuerit ab Epiſcopo incorporata Monaſterio, & in illud propterea tranſiuerit cura animarum eiuſdem Parochiæ, cum omnibus
1. ſuis iuribus, Anchat. *conſ.*114. *num.*2.*& ſeq.* Seraph. *deciſ.*1009.*num.*4. ſanct.mem.Greg. *deciſ.*304.*num.*1. inde ſequitur, quòd Monaſterium,tanquam Parochus
2. ratione dictæ curæ debeat indiſtinctè percipere omnes decimas, *cap. Cùm contingat,cap. Cum in tua, de decim.& in cap.fin. de Paroch.* Rebuff. *de decim. q.*7. *num.*4.*&* 5.*& q.*13.*n.*83. Monet. *eod.tract.cap.*2.*n.*2. Rot. *deciſ.*31. *num.*1. *part.*2. *diuerſ.& deciſ.*469. *n.*1. *&* 541. *num.*4. *part.*1. *in recent.*

Non obſtant tranſactiones: quia illa, quæ fuit facta cum Monaſterio, non tangit materiam decimarum,ſed conuentionem quandam ſuper ſepulturis certarum perſonarum, & ſuper Miſſis dicendis, pro quibus fuerunt Monaſterio conceſſæ decimæ ſuper quibuſdam agris,ex qua conuentione,quatenus poſſet argui exemptio eorundem prædiorum ante dictam conuentionem, non inde infertur ad exemptionem vni-
3. uerſalem omnium bonorum in territorio dictæ Eccleſiæ parochialis exiſtentium; ſed ea debet reſtringi ſolùm ad prædia ibi nominata,*cap.Per exemptionem,de d. priuil. in* 6. Monet.*de decim. cap.*9.*num.*131. Rota *deciſ.*156. *num.*6. *part.*1. *recent.*
4. Aliæ verò tranſactiones, quæ non fuerunt factæ cum Monaſterio, nec de illius conſenſu,illi præiudicare, non poſſunt. Rot. *deciſ.*288. *num.*4. *verſ. Nec ſuffragatur, part.*2. *& deciſ.* 625. *num.*2. *verſ. Secus autem, part.*1. *in recent.*
5. Nec Vicarius per Monaſterium ad exercendam curam animarum deputatus habet authoritatem tranſigendi ſuper decimis,in quibus nullum ius habet, cùm ſolùm ſit ei debita ſua congrua à Monaſterio. Ioan. Andr. *in cap. Expoſuiſti,n.*8. *de præbend.* Felin.*in cap. Poſtulaſti,n.*1. *verſ. Aut perceptio,de reſcript.* Verall. *deciſ.*339.*n.*3 *&* 5.*lib.*3.Rot.*deciſ.*710.*ſub n.*3.*part.*2. *recent.* cum aliis adductis per Addent. *ad deciſ. Gregor.*174. *num* 8. *circa fin.*
6. Vltrà quòd huiuſmodi tranſactiones ſuper decimis, neque fieri poterant abſque authoritate Papæ, & ſine ea factæ non egrediuntur ſuum authorem,*cap. De cætero,cap.Veniens.de tranſact.*Rot.*deciſ.*585.*n.*3 *part.*1. *recent.* & coram D.meo Decano *deciſ.*340. *num.*1.*& deciſ.*362. *num.*3. Rebuff. *de decim. quæſt.*13.*num.*16. *&* 26. & hac de cauſa neque obſtat illa facta cum Abbate de anno 1584. vltrà quòd eſt reſtricta ad vitam
7. Parochi,ſeu Vicarij; & habet clauſulam: *Sine præiudicio iurium hinc inde.* & Abbas non præiudicat Monaſterio. Vital. *in Clem.*1.*num.*57. *de offic.Vicar.*Seraph. *deciſ.*1278. *num.*3.
8. Non obſtat, quòd ſupradicta vnio non fuerit effectuata: quia contrarium apparet ex teſtibus deponentibus de decimatione in vim incorporationis, vt *in Summario Monaſterij, n.*2. *&* 3. ſanct. mem. Gregor. *deciſ.*557.*n.*9.vbi Adden.Caualer.*deciſ.*449 *n.*7.*& deciſ.*500.*n.*5.& de hac decimatione fit etiam mentio in tranſactione facta inter Monaſterium, & Epiſcopum vſque de anno 1404. *in Summ. n.*4. quæ mentio corroborat dicta teſtium, præſertim cùm ſit facta tranſa-
9. ctio cum Epiſcopo, qui præſumitur informatus de rebus ſuarum Eccleſiarum,Seraph. *deciſ.*1026.*n.*3. Rot. *deciſ.*233. *ſub n.*2.*part.*1.*in recent.* ſanct. mem.Greg. *deciſ.*482. *num.*6.

Non obſtat,quòd non probetur effectuatio præciſè & immediatè poſt incorporationem, & vnionem:quia huiuſmodi vnio, tanquam facta ex titulo oneroſo 10.
permutationis,non cadit ſub regula reuocatoria.Gonzal. *ad reg.*8. *gloſſ.*5. §.7. *num.*50.Put. *deciſ.*52.*num* 2. *lib.*1. *in antiq.*

Non obſtat allegata conſuetudo non ſoluendi integras decimas, quia ea non eſt probata cum requiſitis immemorabilis,ſeu legitimæ præſcriptionis, prout 11.
requiritur, quando agitur ad effectum excludendi Parochum à decima ſibi de iure debita.Seraph.*dec.*1404. *n.*2.Rot.*deciſ.*262.*n.*3 *part.*2. *in recent.* Rebuff.*de decim. quæſt.*13.*n.*53.*& ſeq. & n.*69.Gabr. *de præſcript. concluſ.*1. *n.*16.*&* 18. Gratian. *diſcept.*595.*n.*16. Rot. *deciſ.*474.*n.*3.*& deciſ.*469 *n.*2. *part.*1.*in recent.*

Non obſtat,quòd iura,de quibus in actis, non fuerint interpretata, & ſint ſcripta lingua Germanica: quia in Summario per Dominos viſo, fuit data eorum interpretatio, quæ poterit quandocunque iuſtificari ante ſententiam.

Non obſtat,quòd dicta iura non ſint extracta, ſeruatis ſeruandis; quia ſufficit,quòd proceſſus, vbi ſunt dicta iura, ſit productus in Rota à Communitate,quæ 12.
propterea non poteſt impugnare factum ſuum, & dicere, quòd iura à ſe producta non ſint in forma probanti, Surd. *conſ.*5.*n.*37. *& ſeq.* Gabr. *de reg.iur.concluſ.n.*19. Verall. *deciſ.*188.*n.*4.*part.*1. & tenuit Rota *in Caputaquen. Camoria*, 3. Iulij, 1617. coram bon. mem. Vbaldo.

Obiectum,quòd non fuerint citati ſinguli de Communitate poſſeſſores bonorum,ceſſat ex actis, in quibus apparet particularis commiſſio, & citatio contra omnes, & ſingulos de Communitate.

Atque ita deciſum vtraque, &c.

REVEREND. D. PENIA.

Brunduſina gabellæ, Veneris, 13. *Febr.*1604.

ARGVMENTVM.

Clerici, & perſonæ eccleſiaſticæ, vt poſſint cogi ad ſoluendas gabellas, & alia onera à laicis impoſita, quænam requirantur: & quando teneantur ad onera impoſita ſuper bonis, quæ ad ipſorum manus perueniunt Magiſtraliter reſoluitur in hac deciſione.

SVMMARIVM.

1 *Eccleſiaſticæ perſonæ non tenentur ad gabellas collectas, impoſitiones, datia, vel quælibet alia onera à laicis impoſita: & laici cogentes Clericos ad huiuſmodi contributiones, ſunt excommunicati, num.*2.

3 *Clerici,ſeu perſonæ eccleſiaſticæ,vt legitimè poſſint ſubire onera laicalia, & ad ea perſoluenda cogi poſſint, quænam requirantur.*

4 *Clerici,& Eccleſia tenentur cum laicis contribuere in ſubſidium; & vbi laicorum non ſuppetunt facultates.*

5 *Clerici vt teneantur cum laicis contribuere, non ſufficit conſenſus Epiſcopi cum Capitulo; ſed debet vocari,& conſentire totus Clerus.*

6 *Papæ aſſenſus requiritur ad effectum, vt Clerici cum laicis contribuant.*

7 *Clerici, & eccleſiaſticæ perſonæ ad onera laicalia ipſis legitimè impoſita, non à miniſtris laicis,ſed ab eorum Superiore eccleſiaſtico debent compelli.*

8 *Bona hypothecata, & grauata transeunt cum onere suo.*

9 *Clericus tenetur onera soluere pro bonis, quæ ad eum onerata peruenerunt, quando onera fuerunt imposita prædiis, siue bonis propter bona ipsa.*

10 *Onera imposita quando non sunt perpetua, & certa sed pro varietate negotiorum immutantur, desinunt durare, quando res illis grauata peruenit ad Ecclesiam, vel ecclesiasticas personas.*

11 *Onera, quæ imponuntur super bonis ratione personarum tantùm non possunt imponi nisi subiectis*

12 *Ecclesiastici non tenentur ad onera imposita super bonis ratione personarum, siue onera fuerint imposita super bonis, antequam ad ipsos peruenerint, siue post.*

13 *Ecclesiastici non tenentur ad onera fiscalia, licèt ad illos perueniant bona huiusmodi oneribus fiscalibus grauata.*

Decisio CIII.

COmmunitas, & homines terræ Meancæ, Brundisinæ diœcesis, vt subuenirent vrgentibus necessitatibus, multos annuos census super datiis panis, vini, & olei, & aliis huiusmodi redditibus imposuerunt in toto pro summa 50. ducatorum, cum promissione, quam simul congregati, tam communi, quàm proprio nomine fecerunt, quod prædictos census, tanquàm de propriis pecuniis emptos, defenderent, & de euictione sub hypotecha omnium bonorum teneri voluerunt.

Anno 1594. eadem Vniuersitas datia prædicta, super quibus census fuerunt impositi, ac omnes alios redditus, & prouentus publica licitatione præcedente arrendauerunt, seu locauerunt Donato Antonio, & Berardino Docimo ad 14. annos, cum pacto, quòd infra dictum tempus dictum debitum 50. ducatorum extinguerent, quolibet quinto anno, certam partem; interim verò soluerent annuos fructus partis non extinctæ, & vlteriùs persoluerentur annuatim debita, fiscalia, & alia annua onera eiusdem Vniuersitatis.

Interim, cum Donatus Antonius, & Bernardinus maiorem partem prædictorum ducatorum 50. extinxissent, & annua onera soluissent, & multa de prædictis bonis hypothecatis in potestatem Clericorum deuenissent, à quibus prædicti arrendatores exigere volebant eam portionem, quam exigebant, antequàm bona ad Clericos peruenissent, & Clerici contribuere alicui solutioni debitorum fiscalium, vel extinctionis debiti censuum recusarent; moto iudicio coram Archiepiscopo Brundusino, eius Vicarius pronunciauit, quòd Clerici per decennium præteritum tribus tertiis soluere in rebus emptis, & donatis tenerentur, & in futurum, quoad possiderent, excepto ad titulum Ordinis sacri; non tamen in fraudem & pro debitis contractis bona empta, & donata, & patrimonialia transiuisse cum oneribus suis, & Clericos teneri contribuere; non tamen si donatores, & venditores fuissent soluendo, rursus eosdem Clericos teneri pro bona tenentibus contribuere, donec peruenerint ad Ordines sacros, de bonis donatis ad titulum Ordinis.

Causa in gradu oppositionis introducta in Rota, an sententia Brundusini esset confirmanda, vel infirmanda: & quia articulus erat grauis, & exemplaris, proposita die 5 Martij, & die 7. Nouembris, ann. 1603. solis arrendatariis informantibus, non fuit capta aliqua resolutio: quia Domini maturè considerare, & intelligere voluerunt naturam bonorum, super quibus imponerentur hæc onera, & similiter naturam onerum fiscalium. Denique in hac vltima propositione Rota contra arrendatores informantes respondendo, censuit, sententiam Brundusini non fuisse confirmandam: Clara est enim conclusio, ecclesiasticas per- 1.
sonas non teneri ad gabellas, collectas, impositiones, datia, vel quælibet alia onera à laicis imposita *c. Non minùs.* & *c. Aduersus de immun. ecclesiast. cap. 1. eod. tit. lib. 6.* latè Berosi *cons. 31. incip. Conclusio. lib. 2.* & fuit in Rota iam priùs decisum, & signanter *in causa Valentina gabella*, die 4. Decembris, 1594. & die 29. Ianuarij, 1596. coram Domino meo Pamphilio, & die 9. Decembris anni 1598. coram bon. mem. Orano, & *in causa Corduben. gabella.* coram me die Veneris, 19. Ianuarij anno 1601. Et ista conclusio adeò vera est, 2.
vt laici cogentes Clericos ad istas contributiones, sint excommunicati.

Ad effectum enim, vt Clerici, seu personæ ecclesia- 3.
sticæ legitimè possint subire ista onera, & ad ea persoluenda cogi possint, inspecto iure canonico, sequentia copulatiuè requiruntur.

Primò, vt adsit magna necessitas, cui aliàs facilè subueniri non possit, nisi Clerici cum laïcis contribuant vt probatur *d. c. Non minùs.* vbi expressè notat Abb. *num. 4.* & clariùs apparet *per Extrauagantem Benedict. XI. sub tit. de immunitat. eccles.*

Secundò, debet concurrere communis vtilitas, vel saltem pietas, vt *in d. c. Non minùs.* & *c. Aduersùs* & *c. Peruenit. de immunit. eccles.* & de pietate considerauit text. *in l. Ad instructiones. C. de sacros. Eccl.*

Tertiò requiritur, quod illud onus sit tale, vt ad 4.
illud sustinendum laïci non sufficiant: quia Clerici, & Ecclesiastici solùm tenerentur cum laicis contribuere in subsidium, & vbi laicorum non suppetunt facultates, vt *in dicto c. Non minùs.* & *cap. Aduersùs.* quas conditiones considerauit Benedict. *in dicta Extrauag. de immunit. Eccles.* ibi: *Cæterùm attendant sollicitè Ecclesiarum Prælati, & alij Clerici Lateranense Concilium, quod in huiusmodi subuentionibus solum casum necessitatis, aut communis vtilitatis, vbi laicorum ad id non suppetunt facultates, deliberatione prouida noscitur excepisse.*

Quartò, requiritur, quòd ad onus huiusmodi impo- 5.
nendum vocetur, & consentiat totus Clerus; nec sufficeret Episcopus cum Capitulo: quia, quod omnes tangit ab omnibus particulariter approbari debet, *c. Cùm omnes. de constitut. c. Quod omnes. de reg. iur. l. 6.* & approbatur *in dicto cap. Aduersùs*, ibi: *Verùm, si quando fortè Episcopus cum Clericis.* Et considerat Abbas *in dicto cap. non minùs n. 4. & 5. in 4 notab.*

Quintò, potissimùm requiritur in istis oneribus 6.
imponendis ad effectum, vt Clerus teneatur, vt Papam consulat, ipso consulto, & non aliàs Clerici contribuant, *dicto cap. Aduersùs.* vbi notat Abb. *num. 5. vers. Quartò requiritur.* & sic fuit expressè cautum per Benedict. XI. *in dicta Extrauag. de immun. eccles.* Et meritò, quia si in arbitrio Episcoporum, & Cleri, hoc relinqueretur, facilè contingerent huiusmodi impositiones per ambitum, & preces Principum, & ministrorum laïcorum quibus occurrere solent Romani Pontifices, qui non aliter, quàm causa cognita, istas facultates, vt Clerici contribuant, concedere solent.

Postremò, requiritur, quod ad hæc onera, & im- 7.
positiones soluendas, postquàm, prædictis requisitis concurrentibus, imposita fuerint, Clerici, & personæ ecclesiasticæ, non à ministris laicis; sed à suo Episcopo, & Superiore ecclesiastico compellantur: Principes enim, & potestates sæculares non possunt se intromittere in his Ita Innocen. *in d. cap. non minùs n. 6.* Bald. *in l. Ad instructiones. sub n. 3. vers. Quod verum credo. C. de sacros. Eccles.* & Innocent. & Bald. communiter sequuntur DD. & signanter Abb. *in d. cap. Non minùs. n. 18. vers. Dicit tamen de immunit. eccles.* & Guid. Pap. *decis. 78. in fine vers. Si tamen dicitur.*

Et

Et quamuis ista non viderentur pertinere ad hunc casum, in quo agebatur de soluendis oneribus rebus ipsis, seu bonis impositis, antequam peruenirent ad manus Clericorum, adhuc remanebat periculum, saltē ratione illorum onerum, quæ arbitrio Principum imponuntur, respectu quorum, indirectè saltem, possunt Clerici, & Ecclesia tractu temporis grauari ad ista onera persoluenda.

Ad istud periculum euitandum informantes pro arrendatoribus deducebant primò, quia bona de quibus agebatur, transire debuerant cum oneribus
8. suis præsertim cum essent hypothecata & grauata à laicis, quæ alias sine præiudicio hypothecæ transire non potuissent. Gloss. *in c.1. in verb. senioribus de censib.* Bald. *cons.280. col.2. vers. Nam, cum.* & *vers. Sicut si perueniret. lib.2.* Ancharan. *cons.303. n.3. in fine, vers. Ad hoc respondeo. num.4. vers. Et confirmat* Bellon. *cons.40. n.50.* Thesaur. *decis.234. n.9.* vbi affirmat, ita bis fuisse iudicatum.

Sed hoc motiuum non placuit Dominis quia licèt posset procedere respectu onerum realium impositorum, antequàm bona peruenissent ad Ecclesiam, vel personas ecclesiasticas, non durant talia onera, postquàm ad personas priuilegiatas peruenerunt: quod vt manifestius intelligeretur, Domini distinguebant aliquot casus.

9. Primus est, quando possessionibus, prædiis, siue bonis propter bona ipsa indicuntur, siue imponuntur onera, vt *in l. Rescripto. § fin.* & *in l. Muner. § Patrum. ff. de munerib. & honorib.* & hoc casu res sic onerata ad quemcumque perueniat, cum illo onere transit; & consequenter Clericus, ad quem peruenit, pro illa soluere tenetur: est enim illud onus certum, reale, & perpetuum. Ita censuit Innocent. *in c. Non minus. de sacrosanct. Eccles.* Calderin. *consil.7. num.2. vers. Subdit tamen. tit. de consilit.* Archid. *in c.1. de immunit. eccles. lib.6* quem sequuntur *ibidem* Ioannes Andr. *n.5. in princ.* & Gemin. Abb. *cons.13. n.1. vers. Certum est. lib.1.* Anchar. *cons.96. n.6. vers. Cessit autem,* Aug. *cons.24.* Bart. *in d. l. Rescripto, § vlt. num.5. ff. de muner. & honor.* & *in l. Placet. num.59. C. de sacros. Eccles.* quam refert Alphons. Aluarez *in speculo iuris Pontificij, cap.35. § Quoad principalem. vers. Nam si dictum tuum.*

10. Secundus casus est, quando impositio onerum non est perpetua, & certa; sed pro varietate negotiorum imminentium immutatur illa impositio, quæ fit (vt dicunt præcitati Doctores) pro solido, & libra: & tunc res, si tali onere grauata perueniat ad Ecclesias, vel personas ecclesiasticas, desinit durare illud onus, postquàm peruenit ad personam priuilegiatam; *c. Nouerint. 10. q.1. c.1. de iure patron. lib.6* Ita Archid. *d. cap.1. de immunit. eccles. lib.6.* quem refert, & sequitur Ioan. And. *n.5. in fin.* & Gemin. *ibid. num 9. vers. Subdebat tamen.* & Calder. *d. cons.7 de constit. num.1. circa fin. vers. Subdit tamen.* Et licèt *paulò post, in vers. Ita quidem Abb* idem Calder. considerata rei grauitate addat, quòd ista indigerent declaratione Summi Pontificis, quoniam in Ecclesiarum læsionem possent talia statuta emanare; ipse tamen statim inhærendo opinioni Iacobi Buttrigarij, & Bartholi, supradictam distinctionem amplectitur.

11. Tertius casus est, quando ista onera, seu collectæ, & impositiones imponūtur ratione personarum tantùm propter bona, isto casu, cum non inhæreant rebus; sed ratione personarum potissimùm imponantur, consequenter non possunt imponi nisi subiectis, hoc est,
12. ciuibus, & incolis, *l. Rescripto. § Sciendum.* vbi Gloss. *ff. de muner. & honor.* Vnde, cùm Clerici non sint subiecti, non possunt ipsis talia onera imponi, nec Ecclesiæ ad tales impositiones soluendas tenentur siue antequàm bona peruenirent ad Ecclesias, siue personas ecclesiasticas, fuerint imposita, siue postea. Ita præcitati DD. & signanter Gemin. *in d. c.1. de immunit. eccles. num.9. in fine*, vbi concludit, ex hoc patere responsum ad omnia iura, quæ in contrarium possunt allegari, quia loquūtur in prædiis tributariis; & sic onera, quando sunt annexa rebus, & non personis:

Cùm ergo impositiones censuum, de quibus agebatur, non essent onera certa, & ordinaria, nec perpetua, nec talia, quæ verè, & propriè dicerentur realia, Clerici, & Ecclesiæ, ad quos ista bona peruenerunt, non tenebantur ad eorum solutionem.

Idem iudicium fuit de solutionibus fiscalibus. Nam, 13.
licet informantes pro arrendatoribus contenderent, esse onera perpetua, vniformia & consueta solui ab habitatoribus pro tuitione maritimarum arcium, & militum stipendiis, iuxta æstimationem, & descriptionem antiquitùs in castris factam: quia tamen præcitati Doctores affirmabant, tales descriptiones, quæ fiunt pro solido, & libra, non esse perpetuas, sed mutari pro varietate negotiorum imminentium: ideò Ecclesia, & personæ ecclesiasticæ ad istas solutiones non tenentur, licèt ad illas perueniant bona huiusmodi oneribus fiscalibus grauata; *c.1. de immunit. Eccles. lib.6.* vbi Archid. Ioan. Andr. & Gemin. *n.9. Clement. præsenti, de censibus,* & est communis opinio.

Et ex his meritò fuit conclusum contra arrendatores informantes, & sententiam Brundusini fuisse reuocandam, &c.

R. P. D. MERLINO.

Alben. Gabellæ, seu onerum, Veneris, 28. Iunij, 1630.

ARGVMENTVM.

Bona ecclesiastica esse immunia ab oneribus & tributis impositis per Communitates, & Principes laicos, plenè deducitur.

SVMMARIVM

1. *Bona ecclesiastica immunia sunt, & libera ab oneribus & tributis impositis per Communitates, & Principes laicos.*
2. *Immunitas bonorum ecclesiasticorum est de iure diuino.*
3. *Immunitas ecclesiastica vt dicatur de iure diuino, satis est, quod ex testimoniis, vel exemplis ex sacra Scriptura depromptis, vel traditione Ecclesiæ deducatur.*
4. *Bona, dum Ecclesiis traduntur, eo ipso eximuntur a dominio, & potestate laicorum: & ex speciali iure sub dominio Christi Domini constituuntur.*
5. *Christus Dominus omninò immunis fuit a tributis.*
6. *Bona patrimonialia Clericorum etiam laicalia, sunt immunia ab oneribus laicalibus, ob dignitatem personarum, quæ influit immunitatem in ipsa bona.*
7. *Clerici antiquitùs soluebant tributa Principibus laicis de facto tamen, & male; sed non de iure & sub Principibus ethnicis.*
8. *Exemptionem bonis ecclesiasticis Principes Christiani non iure & propriè concesserunt; sed potiùs detexerunt, eamque à Deo concessam conseruerunt, ac illius exercitium sufferunt.*
9. *Bona affecta tributariis transeunt cum eisdem oneribus ad quoscumque, quamuis priuilegiatos successores*

sores; & in ipsas Ecclesias. Declara, vt num. 12. & sequen.

10 *Reintegratio tantùm resti- .are debet, quantum abstulit distractio.*

11 *Reintegratio retrotrahitur, perinde ac si bona, ad quæ datur semper penes reintegratum permansissent.*

12 *Bona ab Ecclesia possessa iure spirituali, & diuino, sunt perpetuò immunia à quibuscunque oneribus sæcularibus, tam præteritis, quam futuris.*

13 *Bona ad cultum diuinum, & officium spirituale destinata, sunt immunia ab omnibus oneribus, nedum publicis, & regiis; sed etiam priuatis, & præexistentibus.*

14 *Bona ab Ecclesia possessa forte temporali, & iure ciuili, sunt immunia ab oneribus impositis de tempore, quò penes Ecclesiam noua reperiuntur.*

15 *Laici non possunt à principio efficere tributaria, & affecta oneribus omnia prædia eorum territorij, ita vt agri, qui postea ad Ecclesias peruenerint, obnoxij sint collectis imponendis, contra Barthol.*

16 *Tributaria res non dicitur, nisi quando reuera, & ipso facto debita est solutio suis singulis temporibus, & contributio.*

17 *Ecclesia quando teneatur ad onera imposita, priusquam bona ad ipsam peruenirent.*

18 *Ecclesia soluens collectas non soluit vti tributum, & in recognitionem dominij, vel superioritatis; sed ob conditionem inhærentem rei, & inseparabilem.*

19 *Bona translata in Ecclesiam quando retineant onus & obligationem soluendi tributum.*

20 *Pacta, & conuentiones inter Principem, & priuatos, per viam contractus inita transeunt, & continuant in quibuscunque personis quomodocunque exemptis, & priuilegiatis.*

21 *Bona si reperiantur descripta in Catastro de consensu Ecclesiæ, collecta ex iis soluenda non est, nisi descriptio facta sit cum authoritate apostolica.*

22 *Status rei mutatur, mutata persona.*

23 *Priuilegio immunitatis gesta priuatorum præiudicare non possunt.*

24 *Immunitate non priuatur persona ecclesiastica soluens collectas.*

Decisio CIV.

IVdex Taurinensis condemnauerat Archipresbyte-
rum Ecclesiæ Gorxenij ad onera realia, ordinaria,
certa, & inuariabilia, in fauorem Communitatis di-
cti loci, pro prædiis eiusdem Ecclesiæ, quàm senten-
tiam in hac parte omninò reuocandam esse Domini
censuerunt: certa est enim Theologorum, Canoni-
starum, & Iurisconsultorum propositio, quam ne-
mo ex Catholicis audet impugnare, bona ecclesia-
1. stica immunia esse, & libera ab oneribus, & tributis
impositis per Communitates, & Principes laïcos Ita
definitum est in Concilio Lateranensi sub Alexandro
III *par.1.c.19.* sub Innocentio III. *cap.46* & habetur *in
cap. Non minùs.* vbi Consules, & alij Magistratus Ec-
clesiasticis, & eorum bonis collectas, & pedagia im-
ponentes anathemate feriuntur: & *in cap. Aduersus.
de immunit. Eccles.* & *in cap. 1. & 3. eodem tit. in 6.* &
in c. Quanquam de censibus. in 6. & *in Clem vnica, de
immunit. Eccl.* quæ Sanctiones innouatæ fuerunt per
sacrum Concilium Tridentinum *sess.25. c.20. de refor-
mat* Romanique Pontifices quotannis in Bulla Cœnæ
§.18. huiusmodi pedagia imponentes, & exigentes
censuris coërcent: & Constantinus primus Impera-
torum palam Christianis immunitatem hanc ecclesia-
sticam, siue potiùs illius vsum exhibuit, vt apud Eu-
sebium *lib.10. histor. ecclesiast. cap.7.* & *in orat. de lau-
dibus Constantini* sublatisque Ethnicis, neminem ex
orthodoxis, & illibatæ Religionis Imperatoribus tri-
butum de bonis Ecclesiarum exegisse, obseruat Card.
Baron. *tom.3. Annal. sub ann.387. n.13.* & Iustinianus
etiam hanc Clericorum immunitatem, vel respectu
bonorum edicto sanciuit, vt *in l. Sancimus. 20. C. de
sacros. Eccles.* & Federic. *in Authent. Item nulla Com-
munitas. C. de sanctiss. Episcop.* Nec à iure positiuo, & 2.
Imperatorum liberalitate; sed immediatè à iure diuino
ortum habuisse huiusmodi immunitatem, respectu
etiam bonorum fatendum est, vt disertis verbis asseri-
tur *in cap. Quanquam. de censib.* ibi: *Ecclesiæ, ecclesia-
sticæque personæ, & res ipsorum, non solùm iure huma-
no, quinimo & diuino à sæcularium personarum exa-
ctionibus sint immunes.* & in Concilio Tridentino di-
cta *sess.25. c.20. de reformatione,* dicitur, *Immunitas hæc
Dei ordinatione, & canonicis sanctionibus instituta est.*
quibus verbis apertè diluitur callida quorumdam in-
terpretatio, qui putarunt, verba, de quibus in *d. cap.
Quanquam,* ibi; *De iure diuino, & humano.* intelligi
posse de iure positiuo, scilicet, canonico, & ciuili.

Nihilque refert hanc immunitatem respectu bo- 3.
norum oculariter non legi scriptam in sacris Scriptu-
tis: quia, vt iuris diuini dicatur, sat est, quòd ex te-
stimoniis, vel exemplis ex ipsa sacra Pagina deprom-
ptis, vel traditione Ecclesiæ deducatur, prout egre-
giè hæc immunitas deducitur ex Genes. *cap.47.* vbi Io-
seph Protex Pharaonis Sacerdotes, & eorum agros
etiam eis à Rege traditos in primæua libertate dimisit:
quamuis reliquos totius populi seruituti Regis subege-
rit: & meminit etiam Ioseph *de antiquit. Iudaic. lib.2.
cap.4.* & Diodor. Sicul. *in 2. lib. histor.* & Herodot. *in
Euterpe, lib 2.* Hinc appositè in dicto Concilio Late-
ranen. de quo *in cap. Non minùs de immunit. Eccles.*
infertur, *non decere Ecclesiam Dei minùs liberam esse
tempore Principum Christianorum quàm fuerit tempo-
re Pharaonis.* Imò & addi potest tempore etiam Eth-
nicorum, qui Flamines, Augures, Salios, Feciales, alios-
que Sacerdotes vnà cum bonis ipsorum immunes, &
liberos à tributo reddebant, vt obseruat, & inde ad
propositum nostrum arguit Præpositus *in cap. Si tri-
butum n.5.* & *ibidem* Card. 11. *q.1.* & sequitur Ioan.
Ant. de Nigr. *in repet. Extrauag. vnica, n.243. de vit.
& honest. Cleric.* Plot. *in addit. ad vlt. cons. Laudens.
sub num.* 8. Aliáque exempla deduci possunt ex pri-
mo Esdr. *cap.7.* & Numer. *cap.* 3. & luculentius testi-
monium patet apud Matt. *cap.17.* vbi filius Regis, qua-
lis est Christus, qui est filius Regum Regis, eximi-
tur à tributo Principis, Ecclesiam autem, & ecclesia-
sticas personas, tanquàm sponsam, familiarésque &
domesticos Christi, eadem potiri prærogatiua, infe-
runt D. Hieronym. *ibidem,* & D. Augustin. *lib.1. qq.
euangelic. q.23.* Ioan. Ant. Niger *in repet. Extrauag.
vnica, n.223. de vit. & honest. Cleric.* & doctè Suarez,
*ad Regem Angliæ, de immunit. eccles. lib.4. cap.5. n.12.
& cap.8. num.16.* quæ testimonia, & exempla ad hanc
rem rectè perpendit Card. Bellarm. *controuers. tom.2.
lib.1. de Cleric. cap.28. in 4. & 5. propositione.* vbi plusi-
bus comprobat hanc immunitatem esse de iure diui-
no; & idem firmarunt Ioan. Montaig. *de collat. Par-
lam. p.2. num.11.* Bursat. *cons.42. num.1. lib.1.* & *cons.
186. n.8. lib.2.* Borell. *cons.74. num.1.* Plot. *in addit.
ad vlt. cons. Laudens. num.8.* Euerard. *consil.30. n.23.
ad fin.* Cenal. *comm. contra commun. q.899. num. 39.
& 42.* Cabed. *decis.83. num.19 par.2.* Thom. Boxz. *de
iur. stat. eccles. libert. lib. 4. cap.8.* plenè Paulus Co-
mitol. *respons. moral. lib.1. cap.97. n.6. & seqq.* Suarez
ad Regem Angliæ, de lib.4. cap.8. num.9. qui alios plu-
res enumerat. Et bona, dum Ecclesiis traduntur, eo 4.
ipso eximuntur à dominio, & potestate laicorum, &
ex

ex speciall iure sub dominio Christi Domini constituuntur, nec per metaphoram, sed per omnimodam proprietatem, ita vt tale dominium Christi in his bonis Ecclesiarum sit proximum, & immediatum, illique dicatur acquisitum, tanqnam principali domino, vt per Innocent. *in cap. Cùm super, num. 3. de causs. possess. & propr.* & *in cap. Verùm, n. 2. de for. compet.* Afflict. *decis. 361. num. 22. & seqq.* & post Suarez *dict. lib. 4. cap. 17. num. 9.* & *cap. 18. num. 5. & 7.* & *cap. 21. num. 5.* plotibus cumprobat Comitol. *respons. moral. lib. 1. cap. 70. & 71.*

5. Vnde, si Christus Dominus omnino immunis fuit à tributis, vt ad literam habetur apud Matth. 17. & ibi notant SS. Hieronym. Chrysost. & Ambros. atque alij per Suarez *d. lib. 4. cap. 5. num. 1. in fin.* consequens est, etiam bona Ecclesiarum, quæ subsunt immediato, & proximo dominio Christi Domini, immunia esse ab omnibus tributis, vt per eundem Suarez *lib. 4. cap. 18. num. 5. & 7. & cap. 24. n. 5.* vbi quòd hoc est valde consentaneum Diuinitati, & excellentiæ personæ suæ. 6. Prætereà, si bona patrimonialia Clericorum, etiam laicalia, sunt immunia ab oneribus laicalibus ob dignitatem personarum, quæ dignitas personæ influit immunitatem in ipsa bona; illa enim adhærent personæ Clerici: nec persona dici potest plenè, ac perfectè exempta, nisi etiam illius bona exempta sint. Ita Abb. Dec. Felin. & alij Canonistæ communiter *in cap. Ecclesia S. Mariæ.* & *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constit.* Bald. *in l. 2. C. de Episc. & Cler.* & alios refert, ac sequitur Suarez *d. lib. 4. cap. 25. num. 4. & seqq.* Ergo multò magis idem erit in bonis Ecclesiarum: tum, quia perpetuò sunt ecclesiastica, & in diuinum cultum per se ordinantur: tum, quia non Clericorum, qui Christi famulatum agunt; sed ipsius Domini patrimonium sunt, & vt dictum est, sub immediato dominio Dei; patrimonialia verò bona Clericorum, sunt quidem sub eorum dominio, sed hoc dominium illis competit vti ciuibus, non autem vti Clericis: & tamen propter sacram qualitatem cohærentem personæ, bona sunt immunia, quæ ratio fortiùs vrget in bonis Ecclesiarum, vt perpendit Suarez *vbi suprà, cap. 16. n. 11.* & *cap. 17. num. 1.*

7. Nec quicquam verò facit antiquitùs aliquando Clericos soluisse tributa Principibus laicis, hàncque exactionem cessasse iisdem Principibus indulgentibus: quoniam id accidit tempore, quo nondum Principes Euangelij iugo ceruices subegerant, & facultas ipsa, seu immunitas à collectis, & tributis Clero competebat quidem de iure; sed adhuc de facto, & malè exigebatur: & sic ipsa immunitas à iure diuino profecta est; immunitatis autem vsus, seu exercitium 8. emanauit à Principum orthodoxorum sanctionibus, qui Principes Christiani non verè, & propriè ecclesiasticis bonis exemptionem concesserunt, sed potiùs detexerunt, & in eam à Deo concessam consenserunt, illiúsque exercitium iussère: & hoc bene agnouit Iustinianus *in d. l. Sancimus 20. C. de sacros. Eccles* ibi: *Cur enim non facimus discrimen inter res diuinas, & humanas? & cur competens prærogatiua cælesti fauori non conseruetur?* Et sic annuit, hanc immunitatem non à sua munificentia, quam aliis in rebus, & locis sæpiùs gloriosus commemorat, sed à dictamine diuino, & à natura effluxisse, & bene ratiocinatur Comitol. *resp. moral. lib. 1. d. cap. 97. n. 11.* vbi etiam antiquam traditionem, & populorum mores circa hanc immunitatem recenset, & ita pariter respondet Suarez *contra Reg. Angl. d. lib. 4. de immun. Eccl. cap. 6. n. 4. & c. 21. num. 3. & 8.*

9. Nec obstat potissimum fundamentum Communitatis, quòd hæc onera olim imposita essent istis prædiis, quæ postea in Ecclesiam peruenerunt; & ideò transiuisse affecta tributaria, & cum eodem onere ad quoscunque quanuis priuilegiatos successores, atque etiam in ipsas Ecclesias; *iuxta can. Tributum 23. quæst 8.*

Quoniam pro responsione duo firmanda sunt vnum in facto, alterum in iure; in facto quòd antiquitus hæc prædia erant eiusdem Ecclesiæ Archipresbyteri Gorzenij; & paucis solummodò abhinc annis distracta in laicos, à quibus in Catastro Communitatis redacta sunt; detecta autem nullitate alienationis iure meritò Ecclesia, & pro ea Archypresbyter modernus in iudicio spolij fuit reintegratus: & propterea, vt reintegratio suum plenarium consequatur effectum, opus est, quòd Ecclesia recuperet prædia libera, & immunia à quibuscunque oneribus, prout erant, antequàm ab antecessore distraherentur, & consequenter reuocanda sunt, & descriptio in Catastro, & impositio onerum, quæ tempore vsurpationis laicorum sequuta sunt: tantùm enim restituere 10. debet reintegratio, quantùm abstulit distractio, *l. fin. § fin.* & ibi Bart. ac alij, *C. de sent. pass. l. Quòd si minor. §. Restitutio. ff. de minor.* & notat Odd. *de restit. in integr. par. 1. q. 44. art. 3. num. 23. & seqq.* & retro- 11. trahenda est hæc reintegratio, perinde ac si semper penes Ecclesiam prædia permansissent, *ad l. 1. § vlt. ff. de quæst l. 1. C. de sent pass.* Bald. *in l. Post editam. num. 1. C. de impuber.* & aliis substit. Costa *de retroact. cap. 8. cas. 17. num. 2. & seqq.* quæ si permansissent, neque relata in Catastro, neque onera fuissent imposita.

In iure autem illud notandum est quòd bona semel à laïcis etiam legitimè possessa, non semper cum onere tributi, & vectigalis transeunt ad Ecclesiam, sed cum distinctione trium specierum bonorum.

Prima est species bonorum, quæ habet, & possidet 12. Ecclesia iure spirituali, & diuino, vt decimæ, oblationes, & hæc semper, ac perpetuò immunia sunt à quibuscunque oneribus sæcularibus, tam præteritis, quàm futuris, quia immediatè habet à Deo, nec commiscenda cum laicis, vt in Numer. *cap. 18.* & notant Canonistæ communiter *in cap. si tributum. 11. q. 1.* & *in cap. secundum. 23. q. 8.*

Alia sunt bona, quæ à priuatis quidem habuit Ec- 13. clesia; sed ad cultum diuinum, & officium spirituale sunt destinata, vt situs Ecclesiarum, & Cœmeterium pro sepulturis, hortus iuxta Ecclesiam, & sunt hæc pariter immunia semper ab omnibus tributis, & oneribus, nedum publicis & regiis; sed, quod magis est, etiam priuatis, & præexistentibus ob eorum specialem sanctitatem, vt habetur *in d. cap. Secundum. 23. q. 8.* & per Bald. *in l. omnes num. 22. C. de sacros. Eccles.* & doctè tradit Turrecremat. *in cap. Si tributum. 11. q. 1.* & *in Summa de Eccles. lib 1. c. 98. in responsione ad 7. argumentum* Ioan. Ant. de Nigr. *in repet Extrauag. vnica, n. 242. de vit. & honest Cleric.* Suarez *ad Reg. Angl. de immunit. Eccles. lib. 4. cap. 17. num. 6. & 7.* & *cap 19. num 2 & 8* & latiùs *cap. 20 n. 17.*

Tertia est species bonorum, quæ possidet Ecclesia 14. sorte temporali, & iure ciuili, vt titolo venditionis, legati vel alio simili, &c. Et in his etiam subdistinguendum est, & quoad onera imposita de tempore, quo penes Ecclesiam bona reperiũtur, certum est ipsi omninò suffragari immunitatem ex superiùs deductis: & Bart. *in l Rescripto, §. final n. 5. vers. S'idete. ff de muner. & honor* ingenuè fatetur, nullum dari remedium, seu cautelam, quòd Clericis, seu Ecclesiis, pro eorum prædiis imponatur collecta; cùm laïci non possint edere legem, per quam libertas ecclesiastica infringatur; & Scriptores omnes Catholicos sine dissensione hoc admittere, monet Suarez *ad Reg. Angl. d. lib 4. cap. 20 num. 2.* Fallitur autem idem Bart. *d. loco,* 15. dum subdit, posse laicos à principio efficere tributa-

tia,

tia, & affecta oneribus omnia prædia eorum territorij, ita vt agri, qui postea ad Ecclesias peruenerint, obnoxij sint collectis imponendis: quia indirectè permitteretur contra libertatem ecclesiasticam, quod directè omninò prohibitum est, *cap. Qua in Ecclesiarum. de Constit. auth. Cassa. C. de sacros. Eccles.* & alibi. Et licèt eo tempore, quo vniuersum territorium efficitur tributarium, prædia sint sub iurisdictione laïcorum: attamen hoc tempus inspici non debet; sed illud, quo ipsæ collectæ imponuntur: tunc enim formam habent & solummodo radicem aliquam causaleto & remotam habuerunt à statuto, quod etiam dum facit territorium tributarium pro collectis imponendis, habet tacitam conditionem, scilicet, si imponantur: quæ conditio, cùm sit potestatiua, non retrotrahitur in præiudicium Ecclesiæ, quæ medio tempore acquisiuit, nec tunc subiacent iurisdictioni laïcorum. Ita eleganter Bartholum impugnando arguit Bald. *in l. omnes. num. 12. & 13.* & *14. cum seqq. C. sine cens. vel reliq. fund. compar. non poss. & in l. Placet. num.* 10. vbi, quòd Bart. in casu, quem posuit, non dicit verum. *C. de sacros. Eccles.* & *in l. Neminem, num. 4. C. eodem*, vbi, quòd, hæc onera tunc nec certa essent, prout tamen requiritur ad effectum, vt ad Ecclesiam transeant prædia cum suis oneribus, & infrà dicetur: & *cons.* 112. *num. 7. lib.* 2. vbi, quòd Bart contra omnes, & non benè loquitur neque dicit verum: & quod illius cautela non valet vnam festucam: quia non potest considerari tributum nisi post indictionem, & specificationem, quæ fieri nequit, postquàm res fecit transitum ad Ecclesiam Abb. *in cap. fid. num. 13. de vit. & honest. Cleric.* Ias. *in d. l. Placet. num.* 21. vbi quod dictum Bartholi est falsum, & damnatum per omnes: & idem testatur Guido Pap. *quæst.* 381. Ruin. *cons. 117. num. 8. lib.* 4 Felin. *in cap. Ecclesia S. Mariæ. n 76. de constit.* Plot. *in addit. ad cons vult. Laudens. num. 10. & 13.* qui testatur ita fuisse declaratum à Senatu Mediolani pro Monialibus Sanctæ Claræ Nouariæ. Alba *cons. 8. num. 4. & seqq.* vbi, quod huiusmodi statutum volens prouidere oneribus, quæ adhuc non sunt in rerum natura, & volens fingere id quod non est, non caret suspicione fraudis. Siluan. *cons. 9. num. 29.* & *cons. 32. num.* 11. Marcambrun. *cons. 40. num.* 29. vbi dicit communem esse hanc opinionem Paseth *cons. 31. num.* 8. Vegg. *cons. 7. num.* 11. Grass. *commun. opin. lib. 1. cap. 18. quæst.* 2. qui pariter de communi testatur. Remig. Gony *de charit. subsid. q. 65. num.* 16. vbi, quod est tutior opinio Card. Alban. *de immunit. Eccles. num.* 95. asserens hanc esse opinionem Legistarum, validissimis rationibus confirmatam; & quòd graue piaculum committeret, quicunque contrarium sentiret. Ceual. *commun. contra commun q. 899. num. 72.* & 106. qui plures alios cumulat. Rimin. iun. *cons. 25 n. 23.* Azor. *instit. moral. par. 1. lib. 5. cap. 13. quæst.* 1. Thesaur. *decis. 234. num.* 5. Ioan. Ant. Niger. *in repet. Extrauag. vnica, de vit. & honest. Cleric. num.* 190. Alphons. de Montalu. *in foro legum Castell. lib. 1. leg. 2. vers. In contrarium.* Mattien. qui alios congerit *ad ll. Hispan. lib. 5 l. 11 glos. 5. n. 5.* Guttier. *pract. quæst. lib. 2. quæst. 132. n. 5.* vbi de veriori, & communiori opinione testatur.

Nec potest dici, statuentes tunc vinculum iniecisse, dum territorium effecerunt tributarium, quo tempore iurisdictionem habebant in prædiis, quæ posteà ad Ecclesiam peruenerunt, & sic transire cum suo onere, quoniam vinculum propriè iniectum est, dum collecta imponitur: tunc enim declaratio illa de toto territorio tributario suum sortitur effectum, cùm tributum im-
16. ponitur, & res non dicitur esse tributaria, nisi, quando re vera, & ipso facto debita est solutio suis singulis temporibus, & contributio, vt post alios tradit Alba *cons. 8. num 5. & seqq.* & tunc solum dicitur actus perfectus, & consummatus, vt declarat Card. Alban. *de immunit. Eccles. num. 70. & 71.* hoc autem tempore bona sunt extra iurisdictionem laïcalem, & subiectum est inhabile ad recipienda onera laicalia, resque dicitur deuenisse ad casum, à quo non posset incipere: & conferunt tradita per Bald. *cons. 115. num. 7. lib.* 2. Alex. *cons. 210. numer. 12.* & *cons. 211. numer. 4. lib* 5. Ruin *cons. 204. n. 11. lib.* 1. Surd. *decis. 20. n. 8.* Alba *d. cons. 8 n. 4.* Card. Alban. *vbi supra, n.* 10

Quòd autem ad onera imposita, priusquàm prædia 17.
ad Ecclesiam peruenerint, ad hæc tunc solummodo tenetur Ecclesia, quando copulatiuè hæc omnia concurrunt, quòd scilicet, onera sint vera, realia, ipsis fundis infixa, imposita sint bonis, propter bona; non autem personis propter bona; quod sint perpetua, certa, & inuariabilia, non autem ex aliquibus causis vrgentibus, & illis cessantibus remouenda. Ita docent Canonistæ *in d. cap. 1. de immunit. Eccles. in 6.* vbi præcipuè Gemin. *num.* 9. Abb. *in cap. fin. n. 12. de vit. & honest. Cleric.* Turrecremat. *in cap. Si tributum. 11. quæst. 1. vers. Alia vero* Barbat. plenè *cons. 1. per tot. lib.* 3. Felin. plenissimè *consil. 46. in 4. dub.* Niger. *in repet. Extrauag. vnica, de vit. & honest. Cleric. num.* 247. cum pluribus seqq. Comitol. *responsor. moral. lib. 1. cap. 94 n* 3. vbi omnia ista recenset requisita, & sat est allegare Magistralem decisionem *in Brundusina g. bella*, 13. Februarij, 1604. coram bon. mem. Pœnia, quam & passim sequitur Sacra Congregatio super controuersiis iurisdictionalibus per Sanctissimum D. N. Vrbanum VIII. magno Reipublicæ Christianæ bono instituta: & in his terminis loquitur text. *in cap. Tributum. 23. q. 8.* ibi: *De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum est antiquitus*, (nempe illud, quod antequàm ad Ecclesiam peruenerint prædia,) *persoluendum est.* & *in cap. Si tributum. 11. q. 1.* vt ibi per Turrecrem. & per Comitol. *responsor. moral. lib. 1. q. 93. n.* 16. Ceual *commun. contra comm. q. 899. n.* 196. Alphons. de Montalu. *in for. leg. Castel. lib. 1. d. l. 2. vers. Ad quorum corroborationem. fol. 13 col. 3.* & Suarez *ad Reg. Angl. d. lib 4 c. 2. n.* 13. qui etiam obseruat, ibi Vrbanum I. loqui iuxta morem sui temporis, quo Imperatores erant Ethnici, & Ecclesia nondum sibi libertatem actu vindicauerat ab hu-
iusmodi tributis; & in hoc casu dum Ecclesia soluit 18.
collectas, non soluit veri tributum, & in recognitionem dominij, vel superioritatis, quam regulariter indicat tributi exactio, vt *ex cap. 2. de censibus*, sed ob conditionem inhærentem rei, & inseparabilem: & quemadmodum erga priuatas personas solueret census, & teneretur ad hypothecas, quæ ab eius Authoribus laïcis priùs impositæ essent; ita pari ratione tenebitur Ecclesia ad tributa, quæ vel ex pacto, vel alia ex causa, & conuentione Princeps, dum prædia possessa à laicis sub eius erant potestate, infixit iisdem prædiis, vt benè per Fr. Ioan. de Neapol. Ord. Prædicat *in quæst. Parisien. q. 39. puncto 3. ad quartum argumentum.*

Imò Card. Albanus *de immunit. Eccles.* Guttierez 19.
pract. qq. lib. 1. quæst. 3. num. 15. vers. Præterea. & fusius Suarez *d. lib. 4. cap. 20. n. 6. quæst. 11. & seqq. vsque ad fin.* asseuerant, tunc demum bona translata in Ecclesias retinere onus, & obligationem soluendi tributum, quatenus hoc tributum à Principe priùs impositum fuerit, expresso pacto inter ipsum, & priuatos inito, vel ex peculiari dominio illius prædij, ita vt ipse in priuatos transtulerit, hac sibi reseruata pensione, censu, seu collecta; non autem si exegisset ex sola vi regiæ potestatis, & iurisdictionis: hæc enim tunc penitùs expirat, cùm bona ad Ecclesiam perueniunt, & res deuenit ad statum, qui incapax est illius subiectionis
tributi erga Principem laïcum: quod secùs est in pa- 30.
ctis, & conuentionibus per viam contractus initis: quia vis illorum transit, & continuat in quibuscum-

que personis quomodocunque exemptis, & priuilegiatis. Felin. *in cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ. num. 77. de constit.* Veg. *consil. 7. num. 5. & seq.* Bellon. *consil. 40. num. 4. & 5.* Festus *de collect. par. 4. cap. 2. num. 31.* Alderan. Mascard. *de gen. interpret. stat. conclus. 1. n. 100.* Azor *instit. moral. part. 1. lib. 5. cap. 13. quæst. 1. vers. Secundo, sciendum est.* vbi, quòd ratione pacti, vel conditione adiecta in legato, siue contractu Ecclesia tenetur ad collectas bonorum, ad quas aliàs non teneretur: & per Suarez *vbi suprà, num. 6. & 15. in fin. n. 28.* vbi respondet ad motiuum, quòd res transit cum suo onere: & *numer. 9.* prudenter indicat, quomodo probari possit, prædia fuisse sub particulari dominio Principis, vel tributum solui ex conuentione, non autem ex solo iure vniuersali principatus; quibus consequens est, vt cùm onera, de quibus agitur, non sint antiqua, nec infixa essent, dum ad Ecclesiam primò hæc bona transiuerunt, & conuentio omninò excludatur; nullatenus Ecclesia ad illa onera teneatur.

31. Non obstat, hæc prædia descripta esse in Catastro laicorum, ex quo regulatur taxa onerum; & inde Archipresbyterum teneri ad collectas, iuxta doctrinam Bald. *in Auth. Sed & periculum. n. 2. vers. Hoc verum, nisi Ecclesia. C. sine censu, vel reliq. &c.* vbi quòd, si Ecclesia facit æstimum, tenetur ad collectas in vim sui consensus; non ex vi iurisdictionis laicorum: quoniam hæc descriptio in Catastro non fuit facta de consensu Rectoris; sed illorum laicorum, qui Ecclesiam hisce bonis spoliarunt, vt *suprà* dictum fuit. Imò, etiamsi facta fuisset de Rectoris consensu, hoc non præiudicaret Ecclesiæ; sed opus fuisset authoritate, & assensu Summi Pontificis, cuius interest communibus Ecclesiarum vtilitatibus prouidere, vt *in cap. Aduersus de immunit. Eccles.* & in puncto Abb. *ibi, num. 1. & 4* & *in cap. Non minus. num. 18. eod. tit.* & *cons. 13. n. 1. & 2. lib. 2.* Marant. *cons. 99. num. 2.* Natt. *cons. 203. num. 4. & seqq.* vbi declarat, doctrinam Baldi procedere data legitima descriptione in æstimo, seu Catastro, nempe, quòd accesserit authoritas Sedis apostolicæ.

Non obstant solutiones factæ: quoniam aut processerunt à laicis; & tunc non præiudicant Ecclesiæ: laici quippe, tanquam subiecti, tenebantur ad collectas: dum verò extat persona immunis, cessat ratio
32. subiectionis, & sic etiam obligatio: mutata enim persona mutatur status rei. *l. 1. C. de imposit. lucr. desc. lib. 10.* Gemin. *in d. cap. 1. num. 9. de immunit. Eccles. in 6.* Anchar. *cons. 129. sub num. 2.* Niger *in repet. Extrauag. vnicæ, de vit. & honest. Cleric. num. 224.* Marant. *d. cons. 99. num. 3. & 4.* Guttier *pract. quæst. lib. 1. q. 3. num. 15.* vbi post Matienz. dicit, hunc esse casum mirabilem, quo res non transit cum suo onere; atque vt *suprà* dictum fuit, reintegratio concessa Rectori debet abolere, quicquid post alienationem gestum est in præiudicium Ecclesiæ.

33. Aut verò solutiones prætenduntur factæ à Rectore & tunc nec etiam præiudicant, cùm Rector non potuerit tollere priuilegium libertatis Ecclesiæ: nō enim est personale beneficium; sed ipsi ordini ecclesiastico, & ipsis bonis Ecclesiarum concessum, cui gesta priuatorum præiudicare non possunt: & in hoc casu opus fuisset assensu Summi Pontificis, vt dictum fuit, & notatur à Castr. *cons. 423. n. 2. lib. 2.* Ceual. *comm. contra
34. commun. q. 899. num. 107. ad fin.* & Modernus Rector, quatenus soluisset; non inde tamen priuatus censetur sua immunitate ab hisce collectis, & oneribus, quæ de iure sibi competit ad text. *in l. Voluntariè. C. de excus. tutor.* Alex. *cons. 33. n. 2. vers. Sed ea mihi. lib. 5.* Castr. *d. cons. 423. n. 2.* Natt. *cons. 447. n. 16.*

Et ita bis diligenter examinato articulo resolutum fuit.

R. P. D. BVRATTO.

Leodien. collectarum, Lunæ, 19. Aprilis, 1619.

ARGVMENTVM.

Equites Hierosolymitani non tenentur ad solutionem collectarum à Clero, & Episcopo absque Papæ scientia impositarum, etiam ex casibus improuisis, & ineuitabilis, ac communis, & publicæ necessitatis, & vtilitatis.

SVMMARIVM.

1 *Collecta imponi non possunt, nisi subiectis ratione personarum, vel bonorum.*
2 *Hierosolymitanorum Equitum Ordinis exemptiones, & immunitates: & n. 4.*
3 *Exceptio firmat regulam in non exceptis.*
5 *Dominium ciuitatis Leodiensis, ac Comitatus Lossensis, necnon iurisdictio spiritualis, & temporalis spectant ad Episcopum.*
6 *Exempti tenentur ad collectas ab Vniuersitate absque Papæ scientia impositas, ex inopinatis & improuisis casibus, qui celeritate expostulant, & moram non patiuntur, nisi verba exemptionum sint vniuersalia, & apta comprehendere etiam huiusmodi casus: & n. 7.*
8 *Gratia concessa ob benemerita, sicuti non venit sub reuocatione; ita etiam nec sub limitatione, quia transit in contrarium, & titulum onerosum.*
9 *Exempti collectæ, & onera ex causa magna necessitatis, vel publicæ vtilitatis imponi non possunt, nisi quando huiusmodi necessitati imminenti aliter prouideri non potest.*

DECISIO CV.

IN decisis sub die 19. Martij. 1604. coram Reuerendissimo Attrebatensi, steterunt DD. videlicet, Commendatorem Hierosolymitanum Leodiensem non teneri ad collectas (vt supponitur) impositas per Serenissimum Principem, & Clerum secundarium. Et inter cæteras rationes dictæ resolutionis placuerunt sequentes; videlicet, primò, quòd huiusmodi impositio sit nulla ex defectu iurisdictionis, & authoritatis, 1.
cùm non possint imponi non subiectis ratione personarum, vel bonorū, vt firmatur *in d. decis.* & est notissimum. Quòd autem, nec idem Episcopus, nec Clerus aliquam habeant iurisdictionem super personis, nec 2.
bonis ordinis Hierosolymitani, indubitatum est: nam vltra immunitatem, & exemptionem Iulij Papæ II. de qua *infrà*, illa fuit etiam non solùm in genere, vt vniuerso; sed in specie concessa, tam personis, quàm bonis amplissima à quacunque iurisdictione, non solùm Ducum, & Regū; sed etiam Episcoporū, Archiepiscoporum, Patriarcharum, & quorumcunque Prælatorum, cum susceptione immediata dicti Ordinis, & illius bonorum, (vt præfertur,) sub protectione sanctæ Sedis apostolicæ, ac expressa inhibitione de non exercendo in personis, vel bonis aliquam iurisdictionem, vt in Literis apostolicis Summorum Pontificum, videlicet, Clementis VII per Pium IV. innouatis & confirmatis, & exinde Pij V. Gregorij XIII. & XIV. & nouissimè Clementis VIII. & S. D. N. quarum verba, & clausulæ accuratè perpenduntur per Decian. *in cons. 51 vol. 3.* & præsertim *num.* – Quod consilium 3.
sequuta est Rot. *in alia resolutione* coram dicto Reuerendissimo Attrebatensi: quibus ponderationibus nihil

hil addi posse videtur. Excipiuntur solùm dictæ Religionis Ordinarij, tam spirituales, quam temporales, quæ exceptio magis firmat regulam in omnibus aliis non exceptis.

4. Secundò, quia dicto Ordini Hierosolymitano, necnon personis, & bonis, tam in genere, quàm in specie (vt præfertur) concepta fuit per eosdem Summos Pontifices immunitas, & exemptio ab omnibus exactionibus, passagiis, & gabellis, datiis, & in specie collectis, cum verbis, nedum generalibus; sed vniuersalibus, & à quolibet onere personali, seu mixto ordinario, vbicunque, & ex quacunque causa imposito, vel imponendo, vt in dictis Litteris Pij IV quarum Literarum verba latissimè ponderantur per Decian. *d. cons. 51. à num. 19. vsque ad num.* 24. & in specie nostra considerari possunt illa verba, & cuiusuis alterius oneris, & ex quacunque causa, & alia prohibitiua de exigendo quascunque collectas, vel contributiones alicui quouis modo, à quibus omnibus extractionibus omnia dictæ Religionis bona liberata fuerunt, cum inhibitione quibuscunque Dominis, tam spiritualibus, quam temporalibus huiusmodi exactionum, & sunt pluries repetita, literæ sunt concessæ motu proprio, cum clausulis fortissimis derogatoriarum derogatoriis, necnon sublata: & ita quòd de subreptionis, vel obreptionis, aut intentionis defectu notari, & impugnari non valeant, quarum clausularum virtus, & efficacia, quæ, qualis, & quanta sit, notissimum est, nec videtur repetendum.

5. Quibus stantibus, sublatum est fundamentum Cleri secundarij super sententia Consistoriali Pauli II. anno 1495. declarante plenum, & integrum dominium ciuitatis Leodiensis, ac Comitatus Lossensis, spectare ad Episcopum, necnon iurisdictionem, tam spiritualem, quam temporalem, & super concordia inita inter D. Episcopum, & Clerum secundarium de anno 1565. ac super deliberationibus consiliorum trium statuum super huiusmodi collectis, ac contributionibus Cleri secundarij, & Commendæ Hierosolymitanæ, necnon & testibus, de quibus *in Summario d. Cleri*. Quæ omnia fuerunt nouiter exhibita virtute compulsorialis Rotalium: nam dictæ Literæ apostolicæ Clementis VII. Pij IV. & aliorum Summorum Pontificum, abstulerunt omnem iurisdictionem & superioritatem, tam Episcopo, quàm quibuscunque aliis ratione personarum, & bonorum, vt *suprà* dictum est, & etiam quancunque obseruantiam longissimam, & præscriptionem, necnon possessionem, & quasi in contrarium. Ex quibus resultat nullitas dictæ concordiæ respectu dicti Ordinis, quatenus in illa comprehenderetur; qui tamen, iuxta dictarum Literarum formam nunquam censetur comprehensus, nisi sit expressè nominatus, & quando non est nominatus, redditur immunis, & exemptus, vt in dictis Literis.

6. Non obstat, quòd ordo Hierosolymitanus non possit, prætextu dictarum Literarum apostolicarum, euitare solutiones, & contributiones collectarum, & onerum impositorum, & quæ quotidie ex inopinatis, & improuisis casibus, vel ratione bellorum, vel incursionis hostium imponuntur: qui casus præuideri non possunt; nec illis prouideri mediante recursu ad Summum Pontificem, cùm celeritatem expostulent, & moram non patiantur, iuxta notata per scribentes; & præsertim Alexand. Ias. & Ripa *in l. Si ex toto. §. 1. de legat.* cum allegatis, &
7. agatur de communi, ac publica vtilitate, & necessitate. Nam vltrà quòd istud non tollit defectum authoritatis, & iurisdictionis, de quo *suprà*, responsum fuit primò, quòd conclusio, de qua *in dicta l. Ex toto. §. 1.* non procedit, quando verba sunt vniuersalia, & apta comprehendere etiam huiusmodi casos. Alex. *cons. 30. num. 3. vers. Nec obstat.* & *num. 14. vol. 5.* Ripa *in l. 1. n. 51. ff. de vulg. & pupill.* Paris. *cons. 68. num. 17. & seq. vol. 1.* Cephal. *cons. 158 num. 9.* Apostill. Ad Alex. *dicto cons. 30* Decian. *d. cons. 51. n. 22.* latè Natt. *cons. 63. n. 11. & seqq. & ferè vsque ad finem*: & *cons. 397. n. 4.* Rol. *consil. n. 33. & seqq. vol. 1.* Et faciunt latè scripta per Aym. de verbis vniuersalib. præsertim repertis in materia iurisdictionis, *cons. 294. n. 1. cum plurib. seqq.* vbi, *præsertim num. 5. & 6.* quando verba vniuersalia sunt negatiuè concepta, & reiterata, & *cons. 308. per tot.*

Quòd autem in proposito verba sint vniuersalia, & plusquam apta comprehendere *supra* demonstratum est: & patet ex lectura dictarum Literarum apostolicarum Pij IV. & præsertim ibi: *& cuiusuis alterius oneris, & ex quacunque causa.* & ex aliis verbis, ibi: *Seu alias quascunque collectas, vel contributiones.* & ibi: *A quibus omnibus exactionib. & ex aliis diuersis partib. omnium dictarum Literarum apostolicarum.* & latè ponderatis per Decian. *vbi supra.*

8. Secundò, quòd cùm dicta exemptio fuerit concessa ob benemerita dicti Ordinis, vt in dictis literis apostolicis, & ponderat Paris. *cons. 44. num. 20. lib. 4.* & latè Decian. *d. cons. 51. num. 24. vers. Septimò, considero.* Sicuti non venit sob reuocatione, ita etiam nec sub limitatione: quia transit in contractum, & titulum onerosum. Caccialup. *in repet. l. Omnes populi ff de iust. & iur. num. 181. in 7. quæst.* & *num. 182.* cum aliis per Decian. *d. cons. 51. num. 24. 25. & præsertim num. 27.* post Natt. *cons. 397. n. 10. & seqq.* vbi sic respondet notatis *in d. l. Si ex toto.*

9. Tertiò, non displicebat responsio, quòd notata *in d. l. Si ex toto.* non procedunt, nisi quando necessitati, vel publicæ vtilitati imminenti non potest prouideri, nisi etiam exempti soluant, vt ex Aretin. *in d. l. Si ex toto.* Natt. *d. cons. 63. num. 21.* vbi, quòd hoc fundamentum valdè eum mouet, adeò vt hanc partem intrepidè teneat, iunctis præsertim verbis latissimis, & clausulis exuberantibus, quæ in indultis istis leguntur: & comprobat Decian. *d. cons. 51. num. 13.* & sunt verba text. *in cap. Aduersus. de immunit. Eccles. in vers. Verùm, vbi laicorum non suppetunt facultates.* qui textus loquitur etiam in casu necessitatis: & nihilominùs vult, Summum Pontificem consulendum esse. In casu isto non verificatur, quòd dictis necessitatibus sine contributione commendæ prouideri non potuerit, imò ex datis *in Summario pro Clero* videtur resultare contrarium, quòd contributio commendæ esset multùm tenuis, prout etiam quòd prætensæ collectæ non tantam requirunt celeritatem, quin possit haberi recursus ad Summum Pontificem, præsertim cum pecuniæ capiantur ad interesse, seu censum, & deinde fiat repartitio pro contributione, cum temporis dilatione ad soluendum, vt ex retrotractis deprehenditur, & consideratum etiam fuit coram Reuerendissimo Atrebatensi. Alia non fuerunt visa Dominis indigere responsione.

Et ita decisum, vtraque parte informante, &c.

R. P. D. MERLINO.

Rauennaten emphyteusis, Veneris, 28. Maij, 1631.

ARGVMENTVM.

Causa, in qua agitur de bonis ratione directi dominij spectantibus ad Ecclesiam, est

cognoſcenda omninò à Iudice eccleſiaſtico; etiamſi agatur inter ſolos emphyteutas, & ſuper ſolo dominio vtili; egregiè reſoluitur, & exemplis illuſtratur.

SVMMARIVM.

1 *Cauſa, in qua agitur de bonis ratione directi dominij ad Eccleſiam ſpectantibus, dicitur omninò eccleſiaſtica, & ab eccleſiaſtico Iudice, non autem laico definienda.*

2 *Laici nihil ſtatuere poſſunt circa bona eccleſiaſtica ex defectu iuriſdictionis, & poteſtatis.*

3 *Forum ſortiri, & ſtatutis ligari, paria ſunt.*

4 *Dominium directum eſt connexum, & complicatum cum vtili, imò & eidem prædominans; & dominium vtile eſt verè, & propriè vna, & eadem res cum directo, & eius natura, vt directum ſemper ſequatur, ſicuti incrementum alluuionis.*

5 *Bona eccleſiaſtica neque indirectè ſubijci poſſunt iuriſdictioni, & iudicio laicorum.*

6 *Iuſpatronatus laicorum, licèt non ſit propriè ſpirituale; eſt tamen ſpiritualitati annexum: & ideò ſuper illo iudicat ſolùm Iudex eccleſiaſticus.*

7 *De poſſeſſione rei ſpiritualis cognoſcit ſolùm Iudex eccleſiaſticus, quemadmodum de ipſa proprietate; non autem laicus.*

8 *Inter dominium directum, & vtile, eſt maior connexio, & complicatio, quam inter proprietatem, & poſſeſſionem.*

9 *Cauſa decimarum, quæ datæ ſunt in feudum ſæcularibus, diſcutienda eſt coram Iudice eccleſiaſtico.*

10 *Poſſeſſorium matrimonij definiendum eſt à Iudice eccleſiaſtico; quamuis agatur inter perſonas merè laicas.*

11 *Emphyteutæ Eccleſiæ non tenentur ad collectas, & onera realia per ſtatuta laicorum, ſuper rebus, & bonis impoſita.*

12 *Dominium vtile vaſſalli ſubijcitur, & famulatur directo dominio domini principalis.*

13 *Laicus ſocius Clerici ſequitur forum eiuſdem Clerici.*

14 *Maior conſors pupilli, aut minoris, gaudet priuilegijs ipſius pupilli, & minoris.*

15 *Eccleſiæ expedit habere magis vnum emphyteutam, quam alium.*

DECISIO CVI.

SEntentiam latam extra Curiam, Domini dixerunt
vitio nullitatis ex defectu iuriſdictionis laborare;
promolgata enim fuit in foro, & Tribunali laicali; &
tamen cùm ageretur de bonis ratione directi domi-
1. nij ſpectantibus ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Coſ-
medin, cauſa erat omninò eccleſiaſtica, & ab Eccleſia-
ſtico iudice; non autem à laico definienda, *cap. De-
cernimus. extr. de iudic. cap. Bene quidem. cap. Denique.
diſtinct. 96. cap. Continua. cap. Relatum. c. Si qua cauſa.
cap. Placuit ſl a.* 11. *quæſt.* 1. in qua quæſtione per to-
tam Gratianus congerit decreta ad hoc ſpectantia ex
ſacris Concilijs, & Summorum Pontificum reſcriptis
deſumpta: & *in d. c. Placuit. deſumpto ex Concil. Car-
thaginen III.* habetur, quòd etiam Apoſtolus huiuſ-
modi cauſas ad Eccleſiam deferri, atque ibi determi-
nari præcepit; & de veritate huius concluſionis nullus
vnquam orthodoxus dubitauit: & ſi qui auſi ſunt im-
pugnare, meritò ſemper ab Eccleſia fuerunt damnati,
proui de Marſilio illo Paduano ſub Paſchali II. tradit
Cardin. Turrècrem. *in Summa eccleſ. lib. 4. par. 2. c. 37.*
qui ſuper hoc refert extare Extrauagantem Ioannis
XXII. quæ incipit: *Licèt.* Azor *inſtit. moral par. 1.
lib. 5. cap. 12. verſ. In hoc proculdubio.* Bannes *in 2. 2.
quæſt. 65. artic. 1. verſ. Item Chriſtus.* Cardinal. Bellar-
min. *controuerſ. tom. 2. tit. de Cleric. cap. 24. a ite verſ.
Quinta propoſitio.* Quemadmodum enim laici quid- 2.
quam ſtatuere non poſſunt circa bona eccleſiaſtica,
ex defectu iuriſdictionis, & poteſtatis, *dicto cap. Benè
quidem. cap. Si Imperator. 96. diſtinct. cap. Lai* 16.
*quæſt. 7. cap. Cùm laicis. extr. de rebus Eccleſ. alien. vel
non* in quibus locis habetur, quòd laicis, etiam Re li-
gioſis, obſequendi neceſſitas relicta eſt, non authoritas
imperandi, nullàque de rebus Eccleſiæ diſponendi at-
tributa eſt poteſtas; & in his, quæ ad Eccleſiam ſpe-
ctant, diſcere debent, non docere, *cap. Clericis. & cap.
fin. de immunit. Eccleſ. in 6.* vbi ſtatuentes ipſi anathe-
matis pœna feriuntur, *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ. de
conſtit.* Ita nec etiam ſuper illis ius dicere, & ſententiã
proferre poſſe, non eſt ambigendum: paria enim ſunt, 3.
forum ſortiri, & ſtatutis ligari. Gloſſ. *in c. Quod Cle-
ricus de foro compet.* Dec. *in dicto c. Eccle. Sanctæ Ma-
ria. num.* 18 Alexand. *conſ. 211. n. 5. in fin. lib. 2.* Rimin.
ſen. *conſ. 268. n. 13. lib. 2.* Beroſ. *conſ. 65. n. 99. lib. 1.* Surd.
conſ. 2. n. 14. in fin. & conſ. 358. n. 26. ad fin & ad propo-
ſitum Theſaur. iun. *quæſt. forenſ. lib. 2. cap. 15. num. 12.
in fine.*

Idque procedit, etiamſi cauſa inter ſolos emphy- 4.
teutas agatur, & ſuper ſolo dominio vtili, quod penes
laicos exiſtit: quoniam dominium Eccleſiæ cùm ſit
connexum, & complicatum cum vtili, imò & eidem
prædominans, ſitque dominium vtile verè, & propriè
vna, ac eadem res cum dominio directo, & eius natu-
ræ, vt directum ſemper ſequatur, ſicuti incrementum
alluuionis, & inſulæ, vt dixit Oldrad. *conſ. 440. num. 7.
verſ. Et ideò rectè.* quem ſequitur Surd. *conſ. 57. n. 23.
verſ. Et propterea.* & ſubiectum bonorum materiali-
ter ſit ſemper, & perpetuò eccleſiaſticum; non poteſt
ab ipſo dominio directo, ſaltem actualiter, ſeparari do- 5.
minium vtile; nec ideò indirectè bona Eccleſiarum
ſubijci iuriſdictioni, & iudicio laicorum, *cap. Quanto.
c. Cæterum* & *ibi* Canoniſtæ, *de iudic.* Cardin. *conſ. 2.
n. 2. verſ. Itẽ in hæreditate.* Campeg. *inter conſ. Albert.
Bran. conſ. 2. num. 34. ſub verſ. Præmitto tertio.* & alios
congeſſit, & ſequuta eſt Rota, accerrimè examinato ar-
ticulo, ſublatiſque contrariis argumentis, *in Romana
Domus de Scappuccis*, 19. Ianuarij, 1611. coram Reue-
rendiſſimo Domino meo Decano: & quoties caſus
contigit, ſemper eam poſteà ſequuta eſt, vt *in deciſ.*
472 *par. 2. recent.* & penes Pacific. de Saluiano *deciſ.*
239. *n. 6.* & *in Romana de Schiachis*, 28 Aprilis, 1617.
coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Pamphilio,
impreſſ. poſt Modern. Mantuan. *controuerſ. forenſ. cap.*
12. *n. 67.* & *alias* ſæpiùs. Et ab hac opinione difficile
eſſe recedere, monet Gratian. *diſcept. forenſ. cap. 447.
num. 21.*

Ita ratione huiuſmodi connexionis, licèt iuſpa- 6.
tronatus laicorum, non ſit propriè ſpirituale; attamen,
quia eſt annexum ſpiritualitati, ideò ſuper illo iudicat
ſolùm Iudex eccleſiaſticus, *cap. Quanto, de iudic.*

Et poſſeſſio rei ſpiritualis, licèt ſit merè temporalis, 7.
& laicalis; attamen etiam de poſſeſſione ſolùm cog-
noſcit Iudex eccleſiaſticus, quemadmodum de ipſa
proprietate, non autem laicus, cùm qualitas ſpirituali-
tatis, qualitatem temporalitatis abſorbeat, & ad ſe tra-
hat. Beroſ. *in rubr. de iud. n.* 51. Crauet. *conſ. 258. n. 8.*
Roland. *conſ. 12. n. 35. & ſequent. lib. 2.* Valaſc. *co.* 93.
n. 3. Menoch. *de recuper. remed.* 15. *n. 205. & ſequentib.*
Couar. *pract. q. c. 35. n. 1.* Gutier. *canon. qq. c. 34. n. 26 &
ſeqq.* latè Azor. *inſt. moral par. 1. l. 5. c. 14. q. 3.* Duard. *ad*

Bullam

Bullam Cœn lib.2.can.15 q 19.num.47. Put.*decis.361.*
8. *lib.1.in antiq.* Certum est autem, maiorem connexitatem, & complicationem esse inter dominium directum, & vtile, quàm sit inter proprietatem, & possessionem, vt per Berof. *in d.cap. Quæ in Ecclesiarum, num.13 de constit.*

9. Itidem causâ decimarum, quæ datæ sint in feudum sæcularibus, discutienda est coram Iudice ecclesiastico: licet enim dominium huiusmodi decimarum, scilicet, fructuum illorum, omnino spectet ad laicos, & feudum censeatur sæculare; tamen, quia oritur, & dependet à iure spirituali, & ecclesiastico, non potest Iudex laicus de illis cognoscere Federic. de Sen. *cons.245. num 1.* Azor. *instit. mor. part.1 lib.7.cap.39.q.3.* Monet. *de decim cap.8.q.1.n.15.* Fagund. *super precept. Eccles. precept.5.lib.3.cap 5.n.5.* vbi Couarr. Rupel. & alios contrarium sentientes refellit.

10. Prout & possessorium matrimonij, quamuis agatur inter personas merè laicas, quia habet admixtam causam, & titulum spiritualitatis, definiendum est à Iudice ecclesiastico. Couarr. *de spons. part.2. cap.7. §.6. num.8. & cap.8.§.12. num.3.* Vaiaic. *dict. consult.93. num 2. ad medium, vers. Et in causa matrimoniali.* latè Molin. *de ritu nupt. lib. 2. different.10. num.19. & seqq.*

11. Eidemmet (quod fortius etiam videtur) ratione pariter connexitatis dominij vtilis cum directo, emphyteutas Ecclesiæ non teneri ad collectas, & onera realia per statuta laicorum, super rebus, & bonis imposita, censuerunt grauissimi Auctores, & originaliter dixit Bart. *in l. Priuata, num.2. C. de excus. mun. lib.10.* Ias. *in Authent. Quas actiones, num 42. C. de sacros. Eccles.* Ripa *in tract. de pest. tit. de priuileg. ad conseru. vbert. num.124.* latè Petr. de Vbald. *in cons.2. post tract. de collect. per tot.* Silo. *cons.9 per tot.* M. Ant. Eug. *cons.96.num.23.lib.1.* D. Fachin. *controu. iur. cap.91. lib.1.* Menoch. *cons.444.num.27.* Ruin. *cons.111.n.10. vers. Item nota quod, lib.5.* Remig. Gonny *de char. subsid. q.61.num.29 & q 59 num 31.* Odd. *cons.70. per tot. & præsertim. n.31.* vbi testatur, hanc opinionem esse veriorem, solidioribúsque rationibus fundatam, necnon magis æquam, & securam: *& num.40.* ait, hanc dici posse communem opinionem, cùm Bartholum, & alios grauissimos iuris sectatores habeat. Bursat. *cons.42. num.22. l.1.* & videtur etiam admisisse Rota *in dicta Roman. domus de Scappuccijs* coram R. D. meo Decano.

12. Et præter motiuum connexionis concurrit etiam prærogatiua qualitatis, & subiecti ecclesiastici: hoc enim dominium vtile vassalli subiicitur, & famulatur directo dominio Domini principalis. Alciat. *in l. Si quis in §. Differentia n.12.vers. Aliud est.* & *ibid.* Zas. *num.22 ff. de acqu. possess.* & benè per Surd. *d cons.57. num.23.vers. Et propterea.* Et in proprietate, tanquàm in prima causa, inseparabiliter inhæret, sine qua nec subsistere potest: vnde meritò dominium directum, cùm sit ecclesiasticum, tanquàm dignius, & potentius debet trahere ad suum Iudicem, & forum discussionem super dominio vtili: quia semper, vt dictum est *supra*, hoc dominium vtile residet in materia, & in re ecclesiastica, veluti in suo subiecto; quemadmodum,
13. hac eadem ratione prærogatiuæ circa competentiam fori, compertum est, quòd laicus socius Clerici sequitur forum eiusdem Clerici. Bart. *in l. fin. n 15. ad fin. ff. de colleg. illic.* Aret. *cons.19 num 24. vers. Secundum esset dubium in fin.* Surd. *cons.222 num.3. & cons.396. num 16 & 18.*

14. Et maior itidem consors pupilli, aut minoris ratione iuris consortij gaudet priuilegiis ipsius pupilli, & minoris. *l. Si communem ff. Quemad. seruit. amitt.* Afflict. *decis.213.* Franch. *decis.269. num.1.* Odd. *de restit. in*

int. part.1. quæst.46. art.10. num.36. atque aliter in hoc casu, vbi agitur etiam solùm de dominio vtili emphyteutæ, diceremus, sequeretur præiudicium ipsius Ecclesiæ, cui expedit habere magis vnum emphyteutam, quàm alium. Ita Berof. *in d. cap. Quæ in Ecclesiarum. num 9. de constit.* & Ruin. iun. *num.12.* Becc. *cons.3. num.61. & 62. lib.1.* & *in dicta decisione Romana de Scappuccijs*, coram Reuerendissimo Domino meo Decano luculenter, & doctè ponderatum fuit. Et ita, vtraque parte informante, pro nullitate resolutum fuit.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Romana legati pij, Veneris, 4. Februarij, 1628.

ARGVMENTVM.

Testamentum factum à Conclauistis post signatam supplicationem facultatis testandi, ante tamen expeditionem Literarum, an valeat.

SVMMARIVM.

1 *Gratia sola signatura perficitur.*
2 *Gratia Principis fit simplici verbo, statim; & gratia perfecta est, antequam Literæ expediantur; quamuis probatio eius non possit fieri per testes, sed per ipsas Literas iam absolutas & expeditas.*
3 *Literæ expeditæ habent vim probationis, quòd gratia facta fuerit sub die data supplicationis.*
4 *Gratia, quoad executores, non dicitur perfecta absque Literis, sed recipit robur ab expeditione Literarum.*
5 *Regula de non iudicando iuxta formam supplicationis, habet locum tantùm quando agitur de canonizanda gratia.*
6 *Priuilegium concessum certo generi personarum, sufficit, quòd priuatim fuerit notificatum.*
7 *Statutum factum per Priores cum consilio prudentum, si in scriptis redigatur, non est necessario publicandum.*
8 *Decretum factum in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, habetur pro publicato.*
9 *Scientia probatur coniecturis, & præsumptionibus.*
10 *Priuilegij scientia non requiritur, quando conceditur per modum statuti, & constitutionis; secus, quando conceditur per modum rescripti.*
11 *Priuilegio generali renunciatum non censetur per impetrationem priuilegij particularis.*
12 *Priuilegium concessum Conclauistis fauet etiam non descriptis in ipso priuilegio.*
13 *Priuilegium concessum Conclauistis censetur concessum causæ, non personis, vel rei.*
14 *Priuilegium concessum studentibus in Romana Curia, de percipiendis fructibus beneficiorum in absentia, dicitur concessum causa studiorum, non personæ, vel rei.*
15 *Executor nominatus ad distribuendum bona in pauperes, non potest vnum tantùm nominare: secus si dictum sit, quod distributio fiat pro anima testatoris.*
16 *Paupertate in iudicanda, religioni iudicantis plurimum tribuitur.*
17 *Executor datus ad aliquem nominandum, si intra annum non nominet, nominatio deuolui-*

tur ad Ordinarium ; dummodo praecedat monitio.

18 *Executio pro bonis habitis per Procuratorem, fieri non potest contra ipsum; sed contra principalem.*

Decisio CVII.

FFater Vincentius Aueroldus miles Hierosolymitanus Præfectus cubiculi Illustrissimi Domini Cardinalis Burghesij, & eiusdem Conclauista, fecit testamentum post signatam supplicationem facultatis testandi concessam à S.D.N.Conclauistis, ante tamen expeditionem Literarum : & cùm A.C.pronunciauerit soper validitate testamenti, quæsitum fuit de iustitia illius sententiæ, quæ potissimùm pendet à tribus. Primò, vt videatur, an prædicta supplicatio signata sufficiat. Secundò, an dicti Priuilegij, siue facultatis adfuerit sufficiens notificatio, quæ habeat vim publicationis. Tertiò, an constet, dictum Equitem illius notitiam habuisse,ita vt eo vsus fuerit.

1. Et quantùm attinet ad primum, cùm supplicatio fuerit porrecta, & signata,gratia dicitur perfecta:quia solo verbo Papa facit gratiam *cap. Quidam*, & *ibi* Butr.*num.*10. Imol. *num* 8. *& seq. de renunc.* Cassad. *decis.*1.*eod.tit.num.*6.*vers. Sed prius.* Caput. *decis.*88. *n.*4.*part.*3.Put.*decis.*94.*num.*1.*&* 2.*in correct.*Sarnen.
2. *in regula de infirmit, qu.*18. Bald *in l. Si quam per calumniam.num.*5.*C. de Episc.& Cler.*vbi, quòd gratia Principis fit simpliei verbo, *statim*; & gratia perfecta est, antequàm Literæ espediantur , quamuis probatio eius non possit fieri per testes, sed per ipsas Literas iam espeditas,& absolutas.Rota *decis* 87.*num.*1.*&* 2. *ac seqq. de rescript. in antiq.* Mant. *dec.* 355. *num.*2. Seraph. *decis.*775. *num.*2. Rot. *decis.*585. *num.*2. *part.*1.*in recent.* Et ista est communis opinio , vt per Celsum Vgonem *in cons.*16.*num.*6.*vers. Quibus vnico.* Et ideò prædicta gratia, cùm Literæ fuerunt postmodum expeditæ, satis probatur , vt ex mente prædictorum Doctorum dicit Molin.*de primog.lib.*2.*cap.*7.
3. *num.*55.*vers. Pro contraria autem sententia.* Et sic expeditio dictarum Literarum habet vim testimunij , & probationis , quòd sub die datæ supplicationis fecerat gratiam Conclauistis , *Auth. de rapt. mul. quæ rapt. nub. coll.*10.*in fin.*

Neque obstat , quòd ipse Molina *vbi suprà* , *n.*51. *& seqq.*teneat contrarium:quia,vt patet ex prædictis, loquitur contra communem opinionem : dum verò
4. nititur authoritate Rotæ *in decis.*458. *in nou. quæ est* 20.*num.*5.*de concess.præben.* & est eadem in hac parte cum *decis.* Ægidij 110. *incip. Præsumitur prouisio. num* 6.*vers. Circa secundum, cum seqq.* minùs officit: nam Rota loquitur ad effectum, quod executor censeatur nominatus : in supplicatione enim nominantur executores in genere ; & pòst per partes nominantur executores,qui in literis esprimuntur , vt in dictis decisionibus : & explicat Garz. *de benef. part.*6. *cap.*2. *num.*1 *& seqq.* post alios, quos allegat : vnde nil mirum,si ante expeditionem Literarum quoad executores gratia non dicitur perfecta ; sed recipit robur, quoad executores ab expeditione Literarum , vt benè
5. declarat Oldrad. *cons* 320. *numer.*9. Dum verò idem Mulin. mouetur ex regula *de non iudic.*iuxta formam supplicationis , illa regula non applicatur ad casum: quia tunc demum locum sibi vindicat, quando agitur de canonizanda gratia , & sic obiectum procederet, si hodie Literæ non essent expeditæ , & prætenderetur testamentum canonizari ex sola supplicatione signata,non autem simplex absolutoria. Mantic. *decis.*355. *num.*2.Seraphin. *decis.*775. *num.*3. Cùm hodie verò Literæ sint expeditæ, cessat omnis amaritudo.

Quantùm attinet ad secundum, an dicti priuilegij 6.
fuerit sufficiens notificatio, quæ habeat vim publicationis,pro resolutione huius articuli dicebant Domini, quòd licèt lex generalis egeat publicatione, vt innotescat omni populo; tamen cùm agatur de priuilegio concesso certo generi personarum , sufficit , quòd priuatim fuerit notificatum. Bald. *in l. Leges, vt generales,n.*2.*vers. Et hoc est benè.*vbi expressis verbis dicit,quòd solùm leges generales , vel generalia statuta indigent publicatione. Sequitur Fulgos.*ibid. num.*1 Castren.*n.*2.*in fin.*vbi,quòd sufficit scientia,*C. de legibus* Rom.*cons.*453.*col.*2.*vers. Sed his rationibus. vbi*, quòd etiamsi verba sonarent, vt publicatio generaliter fieret; tamen si est lex priuata , sufficit , quòd illis priuatis personis,ad quas spectat , fiat nota: quia ista est mens legislatoris.D.meus Ludouicus Carbo *de legibus,lib* 3.*disp.*7.*col.*5.*vers. Postremò priuata lege.* In proposito autem Conclauistæ præsentarunt supplicationem, quæ fuit signata,&(vt moris est)eidem restituta pro expeditione Literarum ad probationé. Vnde inficiari non potest , quin ista signatio supplicationis, & restitutio habeat vim notificationis particularis, cùm (vt *suprà* dictum est) ex Castrense sufficiat sola
scientia : & benè fuit dictum Angel. *in Auth de non* 7.
elig.sec.nub § *fin.in fin.* vbi, quòd si fit aliquod statutum per Priores cum consilio prudentum,& inde scriptura sumatur, non est necesse , quòd publicetur per banna:& dictum Angel sequitur Alex. *in cons.*39.*n.*4. *vers. Modo subditur.lib.*3.Roland. *cons.*99 *n* 37.*vol* 2. Rimin.iun.*in cons.*472.*n.*30.*col* 4.Franc. Cossius *dec. Senen.in repet.c Cognoscentes.in fin. de Const.* Rot.sequendo dictum Angel.*in dec.*578.*n.*2.*part.*1.vbi,quòd
per prædicta decretum factum in Congregatione 8.
Sanctissimæ Inquisitionis habetur , pro publicato. Vnde, cùm Papa fecerit gratiam , & illa postmodum fuerit redacta in scriptis,ex quo fuit facta supplicatio, & signata,ex prædictis videtur dicendum , quòd non egeret alia publicatione, vel notificatione.

Quantùm attinet ad tertium , an Eques habuerit notitiam dicti Priuilegij , ita vt dicendum sit eo vsum fuisse , visum fuit affirmatiuè respondendum attenta qualitate facti , & circunstantiis ; Conclauistæ enim institerunt pro dictis priuilegiis , & prædictus Eques erat ex principalioribus Conclauistis , & in suo testamento generaliter disposuit de omnibus bonis vigore quaruncunque facultatum , & priuilegiorum sibi tam à Sanctiss. D N. Vrbano VIII. nuper concessorum , quàm ab aliis prædecessoribus Romanis Pontificibus , ac etiam vigore quaruncunque facultatum sibi de iure , vel aliàs quomodolibet competentium, quibus omnibus facultatibus se velle vti declarauit omni modo meliori. Ex hoc enim satis patet , quòd de omnibus bonis disposuit. Et ex hac dispositione iuncta cum aliis *supra* ponderatis oritur euidentissi-
ma coniectura, quòd habuerit scientiam dictorum 9.
priuilegiorum , cum scientia probetur ex coniecturis, & præsumptionibus.Ripa *in l. Qui Romæ.*§ *Duo Fratres.num.*50. *ff de verb oblig.* Paris. *cons.*91. *num* 47.
*lib.*2.Aym. *cons.*193. *num.*6 *vers. Contrarium.* Vltrà 10.
quòd non videbatur requiri scientia priuilegij , quando conceditur per modum statuti, & Constitutionis: licèt secùs sit , quando conceditur per modum rescripti, vt distinguendo firmat Sanchez *de matrim.lib.*3. *disput.* 36. *num.*6. *&* 3. vbi affert rationem differentiæ.

Non obstat , quòd Eques obtinuit priuilegium de disponendo pro quinta parte, & quod in Literis posteà expeditis non fuit descriptus in numero Conclaui-
starum : quia ex dicta facultate disponendi de quin- 11.
ta parte non censetur renunciatum facultati generali disponendi.*cap.*1.*de rescript.* Feder. de Sen. *cons.*233.

in

in princ.num.2. verſ. Et primò , quòd non ſit. qua vſus
fuerit, cùm generaliter diſpoſuerit. Nec ex hac impe-
tratione cenſendum eſt,non habuiſſe ſcientiam priui-
legij , cùm præſumptio ſtet in contrarium ex dictis.
Aliàs enim , ſi voluiſſet ſe reſtringere ad facultatem
diſponendi de quinta parte, veriſimile eſt, quòd de ea
ſolùm diſpoſuiſſet , & non de omnibus bonis : & in
omnem euentum, vt etiam dictum eſt , cùm agatur de
priuilegio per viam ſtatuti, non requirebatur ſcientia,
ideóque ſufficiebat , quòd ſtante dicto priuilegio , de
11. omnibus bonis diſponeret, provt diſpoſuit. Et ad non
deſcriptionem ipſius Equitis in priuilegio dictum fuit,
parum referre : quia cùm verè fuerit Conclauiſta in
Curia illorum,qui non curarunt , ipſum deſcribi;non
potuit illi afferre aliquod præiudicium,cùm gratia ſit
facta Conclauiſtis;& nominatio Conclauiſtarum non
ſtat propterea reſtrictiuè ad nominatos , ſed fauet
Conclauiſtis, cùm, vt dictum eſt priuilegium ſit con-
13. ceſſum Conclauiſtis, & ſit cauſæ,non perſonis,vel rei
Oldrad. *conſ.*117.quod duplicatur *conſ* 322. *circa fin.*
14. vbi quòd priuilegium conceſſum ſtudentibus in Ro-
mana Curia , de percipiendis fructibus beneficiorum
in abſentia, dicitur conceſſum cauſa ſtudiorum , non
perſonæ,vel rei.

Non obſtat,quòd Illuſtriſſimus,&Excellentiſſimus
D. Princeps Burgheſius à dicto Equite executor no-
15. minatus ad diſtribuendū bona in pauperes , nō potuit
vnum tantùm nominare ; licèt ſecùs eſſet , ſi dixiſſet,
quòd diſtributio debuiſſet fieri pro anima ipſius. Bar-
thol.*in l.*1.*n.*1 *ff.de opt.leg.*Caſtr.*conſ.*97.*n.*3.*l.*1 Quia
idem Excellentiſſimus Princeps aliam fecit poſteà no-
minationem , & vnà cum paupere iam nominauit il-
lius ſorores.Contra quam nominationem non obſtat,
quòd Frāciſcus primo loco nominatus non eſſet pau-
per , cùm Eques in eum iam tranſtulerit penſionem
23.ducatorum: quia, cùm in iudicanda paupertate re-
16. ligio iudicantis polleat ex adductis per Menoch. *de
arbitr.lib.*1. *c.*65. *n.*7. ſatis viſum fuit dictum Franci-
ſcum poſſe dici pauperem ; provt nec contra eandem
nominationem poteſt obijci,quòd non fuerit facta in-
tra annum ; & ideò nominatio fuit deuoluta ad Or-
17. dinarium : quia hoc eſſet verum , ſi D. Princeps fuiſ-
ſet monitus ad nominandum,& intra annum non no-
minaſſet : & ita loquitur text. *in c.Nos quidem.* & *ibi*
Abb.*de teſtam.*Caſtr.*d.conſ.*97.*num.*2.*lib.*1. qui , licèt
in caſu ſuo teneat contrarium propter conſtitutio-
nem epiſcopalem , tamen hìc ſumus extra terminos
conſtitutionis , quæ etiam deberet loqui de nomina-
tione , provt eſt caſus noſter ; nec ſufficeret , quòd lo-
queretur de executione , vt declarat Abb. *in d.c. Nos
quidem n.*2.

Denique non obſtat,quòd ſententia A.C.condem-
net receptorem ad reſtituendum bona, & tamen poſt-
eà relaxatur mandatum contra bona Religionis : quia
iudicium debuit intentari,provt fuit intentatū, contra
receptorem , ex quo nomine Religionis cepit bona
tanquam ſpolio ſubiecta , & tanquam talis fuit con-
demnatus ad reſtituendū bona : ac propterea manda-
tum benè fuit relaxatum contra bona Religionis, non
18. autem contra bona receptoris : quia receptor non
occupauerat bona nomine proprio , vt dictum eſt,
ſed nomine Religionis ; ac ideò debuit contra ipſius
Religionis bona,non autem receptoris fieri executio.
l.Paulus. & *l. Procurator.ff.de procur.* Signorol. *conſ.*
15.*in fin.verſ.Propterea prædictus.* Guido Papæ *deciſ.*
86.*in fin.* Alexand. *conſ.*95. *numer.* 12. *verſ. Et li-
cèt.l.*1.

Et ita concluſum,negotio pluries propoſito,& ma-
turè diſcuſſo,&c.

EMINENT. D. CARDINALE
Ioanne Baptiſta Pamphilio.

*Pampilonen. præeminentiarum, Lunæ, 1.
Iunij,1609.*

ARGVMENTVM.

Præſcriptio quadragenaria requiritur ad au-
ferendam præcedentiam Rectori in pro-
pria Eccleſia , & illam alteri priuatæ , &
particulari perſonæ acquirendam.

SVMMARIVM.

1 *Præſcriptio dicitur, non conſuetudo,quando agitur
de auferenda præcedentia Rectoris in propria Ec-
cleſia, & illa alteri perſona priuata acquirenda.*
2 *Præſcriptio quadragenaria requiritur ad auferen-
dum præcedentiam Rectori in propria Eccleſia,&
illam alteri perſonæ priuatæ acquirendam.*
3 *Tempus litis deducendum eſt præſcriptione.*
4 *Conſuetudo contra ius quadragenaria requiritur.*
5 *Conſuetudo confunditur alia contraria conſuetu-
dine.*

DECISIO CVIII.

DE menſe Aprilis anni præteriti propoſui du-
bium , an ſententiæ Rotales eſſent confirman-
dæ vel infirmandæ , quod pro illorum confirmatione
fuit reſolutum : ſed, quia nihil fuit actum de releuan-
tia teſtium remiſſorialium ; ideò , vt agentibus pro
Archipresbytero ſatiſfacerem , ſupradicta die 1. Iunij,
1609. propoſui dubium , an conſtet de releuantia di-
ctorum teſtium : quod negatiuè per Dominos meos
fuit reſolutum. Fundamentum reſolutionis fuit : quia
hìc non agitur de ſimplici conſuetudine ; ſed de præ-
ſcriptione , ex quo agitur de auferendo præeminen- 1.
tiam Rectoribus in propriis Eccleſiis de iure debitam,
& illam acquirendi Archypresbytero;& ſic certæ per-
ſonæ priuatæ , & particulari:quo caſu dicitur præſcri-
ptio,vt per Doct.*in c.fin.*& *ibi* Abbas *n.*20.*de conſuet.*
& in his terminis Ruin. *conſ.*155.*lib.*3.& fuit reſolu-
tum *in cauſa Militen præſidentia*,22.Iunij,1579. corā
bon.mem.Card. Seraphino, & per conſequens requi-
ritur ſpatium 40.annorum,*c. De quarta.de præſcript.*&
dicitur in dictis deciſionibus, quòd quidem temporis 2.
ſpatium in præſenti caſu nullus ex dictis teſtibus diſ-
ponit, deducto tempore moræ litis , provt deduci de- 3.
bet,*c.licèt ex quadam.*& *ibi* Abb.*n.*3. *ad fin.de teſtib.*
Put.*deciſ.*348.*n.*1.*lib.*2.& fuit ſæpiùs deciſum.

Propterea etiam,quòd ageretur de ſimplici conſue-
tudine, aut de præſcriptione; attamen eſſet neceſſaria
conſuetudo quadragenaria:quia,cùm illa ſit cōtra iu-
ris diſpoſitionem,ſecundùm quā Rectores in ſuis pro- 4
priis Eccleſiis debent præcedere omnes alios,quamuis
in dignitate maiore cōſtitutos,requiritur ſpatium 40.
annorum.Gloſſ.*in c.fin.in verb Legitimè*, & *ibi* Doct.
omnes,præſertim Abb.*n.*1.*de conſuet.* Bald. *de præſcr.*
5 *par.*5.*partis principalis,q.*12.*n.*2. Nau.*conſ.*3.*n.*2.*in
fin.de cenſib.*

Quibus accedebat,quòd aliqui ex dictis teſtib. di-
cunt,ſe neſcire, an actus geſti per Archipresbyterum,
fuerint facti iure proprio, vel ex cauſa vrbanitatis : &
aliqui deponunt per verbum, *videtur*,& ſic potius iu-
dicant:& quidem alij deponunt de ſimplici auditu ,&
vlterius adſunt aliqui teſtes deponentes , quòd qui-
dem Rectores in ſuis Eccleſiis præcedebant Archi-

presbyterum prædecessorem huius moderni Archipresbyteri, ex quorum dictis videtur confundi allegata consuetudo, iuxta trad. per Barr. & alios *in l. 2. in fin. princ. ff. solut. matr.* Aym. *cons. 96. num. 5. & cons. 134. n. 2.* cum aliis per Gabr. *de consuet. concl. 3. n. 32.*

Et ita decisum, testes remissoriales non releuare.

EMINENT. D. CARDINALE Cauallerio.

Salernitanæ præcedentiæ, Lunæ, 14. Martij, 1622.

ARGVMENTVM.

Cælestini sunt antiquiores Oliuetanis, & ideò illis præcedunt.

SVMMARIVM

1 *Fatalibus non prorogatis post appellationem, sententia transit in iudicatum.*
2 *Res iudicata vt inducatur, requiritur validitas, & iustitia sententiæ.*
3 *Cælestini antiquiores sunt Oliuetanis.*
4 *Præcedentia debetur Religioni antiquiori, tam de iure, quàm ex constitutionibus pontificiis: & n. 5.*
6 *Subrogatum propriè non dicitur id, quod non habet easdem qualitates; & ideò neque habebit eadem priuilegia.*
7 *Præcedentia debetur iuxta consuetudinem: & si alia non adest, secundùm consuetudinem, quæ seruatur in Vrbe.*

DECISIO CIX.

PRætendebant Monachi Oliuetani ciuitatis Salerni præcedentiam in processionibus, & actibus publicis à Monachis Cælestinis, contra quos à Vicario Salernitano sententiam fauorabilem reportauerunt de anno 1595. & hæc causa ad Rotam deuoluta, cùm in ea vsque adhuc nihil actum fuisset, iidem Oliuetani Prætendebant dictam sententiam transiisse in iudicatum, & esse exequendam: ideò proposui dubium, an constaret de re iudicata, quæ esset exequenda: & DD. negatiuè responderunt.

Quamuis enim à die appellationis, & commissionis causæ in Rota, lapsi sint viginti, & plures anni, quo
1. tempore fatalia nunquam prærogata fuerunt, adeò vt videatur intrare res iudicata, Cassador. *decis. 6. n. 8. de appella.* Crescent. *decis. 8. num. 8. eod. tit.* tamen require-
2. batur etiam validitas, & iustitia sententiæ, vt notant Doct. *in l. 4. §. Condemnatum, ff. de re iudic.* Felin. *in c. Super litteris n. 15. de rescript.* Card. Seraph. *dec. 1123. n. 6.* Rot. coram Reuerendiss. D. meo Decano *dec. 574. par. 1. in recent.*

In hoc autem casu multa super nullitate sententiæ ex defectu citationis deducebantur: quia in hoc aderat aliqua discrepantia. Dicebant, sententiam esse in-
3. iustam: nam Cælestini, tam respectu originis; & approbationis, extant antiquiores Oliuetanis, cùm inceperint de anno 1274. Oliuetani verò de anno 1319. vt tradit Azor. *institut. moral. lib 9. cap. 21. vers. Cælestini, & vers. Ordo Oliuetanus.* Ordo vero Cælestinorũ fuit confirmatus à Gregorio X. Ordo autem Oliuetanorum à Ioanne XII. qui fuit posteà priuatus. Roder. *quæst. Regul. tom 1. q.... art. 1. & 7.* Paul Morig. *de orig. omn. Relig. cap. 31. & 32.* quàm etiam ratione ingressus in Ciuitatem Salerni, cùm Oliuetani admissi fuerint solùm de anno 1592. aut præcedenti 1591. Et pro parte Cælestinorum plura documenta antiquissima exhiberentur vsque de anno 1425. Vnde non docto de particulari consuetudine, aut quasi possessione præcedendi, præcedentia debebatur Cælestinis vti antiquioribus, tam de iure communi, quo antiquitas attenditur, vt respondit Collegium Bononiense, post consilia Card. Zabarellæ *cons. 1. n. 20. & seqq.* & ibidem Colleg. Paduan. *cons. 2. n. 71.* & Colleg. 4.
Ferrarien. *cons. 3. n. 13.* quàm vigore Bullæ Gregorij XIII. *in nouo Bullar. 16.* in qua circunscripta quasi possessione, & consuetudine mandatur, vt antiquiores Confraternitates sæcularium præcedere debeant, quam constitutionem procedere in Regularibus, declarauit Sacra Rituum Congregatio in pluribus causis. 5.

Nec Domini obstare putauerunt, quòd Oliuetani ingressi sunt in Ciuitatem Salerni in locum Monachorum Sancti Benedicti: quia benè verum esse dicebant, quòd in eorum Monasterium sunt ingressi, non autem in eorum priuilegia. Vnde, cùm ratione approbationis modernioris haberent qualitatem diuersam à Monachis S. Benedicti, in quorum locum fuerant admissi; non poterant gaudere priuilegio præcedentiæ, quo gaudebant Benedictini, tanquàm antiquiores; ad tradita per Cephal. *consil. 615. n. 100. & seqq.* Dec. *cons. 19. n. 135. lib....* Vnde esto, quòd Monachi Bendictini præcesserint, vt ex fide data, quæ etiam non visa fuit, esse in forma probanti non tamen illorum priuilegiũ suffragabatur Oliuetanis modernioribus contra Cælestinos antiquiores, pro quibus etiam aderat ob seruantia, cùm hic Romæ præcedant Oliuetanos, secundùm quàm consuetudinem regulari deberent in aliis locis, vbi non est Particularis consuetudo, iuxta Decretum Congregationis Regularium confirmatum à Clem. VIII. fel. rec. quod fuit datum. 6. 7.

Et ita decisum, &c.

CORAM EODEM.

Sanctæ Agathæ Gothorum præcedentiæ, Veneris, 13. Maij, 1622.

ARGVMENTVM.

Oliuetani in locis, vbi collegialiter viuunt, præcedunt Monachis Montis Virginis, viuentibus vti singulis, & priuatis.

SVMMARIVM.

1 *Montis Virginis, & Oliuetanorum Congregationes quando inceperint, & à quibus confirmatæ fuerint.*
2 *Præcedentia debetur Religiosis, tam ratione fundationis, quàm ingressus in locum.*
3 *Collegium ad constituendum, tres saltem requiruntur.*
4 *Præcedentia debetur Religiosis posteriùs admissis in aliquam ciuitatem, si ibi viuunt collegialiter, & alij antiquiores non habent Collegium.*

DECISIO CX.

DIctum fuit, Monachos Oliuetanos debere præcedere Monachos Montis Virginis in Terra Ayrolæ.

Licèt enim Ordo Monachorum Montis Virginis fuerit institutus à B. Guillelmo, vsque de anno 1124. vt apparet ex Martyrologio Romano *sub. die 25. Iun.*, quo cadit eius festum, iunctis notatis per Illustrissimũ

Cardinalem Baronium bon. mem.& tradit Azor. *in-*
stit.moral.tom.1.lib 12.c.21.verſ.Ordo Guillelmitanus.
& fuerint datæ confirmationes apoſtolicæ Cæleſtini
II.de anno 1197.& Innocentij III. Summorum Pon-
tificum ,de anno 1209 Oliuetani verò inceperint de
anno 1371.vt refert Azor.*d.c.*21.& fuerint confirma-
ti à Ioanne XXII. qui fuit poſterioribus temporibus,
vt etiam dictum fuit *in Salernitana præcedentia* , 14.
2. Martij præterit, coram me, & ideò Monachis Montis
Virginis tanquàm antiquioribus,etiam quoad ingreſ-
ſum in dictam terram Ayrolæ , videretur debita præ-
cedentia tam de iure communi, quàm vigore Conſti-
tutionis fel.rec. Gregorij XIII.86 *in nouo Bullario* , vt
fuit reſolutum *in dicta Salernitana præcedentia.*

Tamen probatum fuit in dicto Monaſterio Ayrolæ
non adeſſe,niſi ad ſummum duos Monachos,& vnum
conuerſum , quod erat ſic conforme Conſtitutioni
ſanct. mem. Pauli V.*in dicto Bullar.* 89.*in Append.*
§.10. quæ loquitur de iſto loco Ayrolæ in ſpecie , &
mandat , vt ibi non ſit, niſi vnus Monachus , & vnus
conuerſus ; & ſic cùm dicti Monachi non facerent
3. Collegium,ad quod tres ſaltem Monachi requiruntur,
Gloſ.*in c.Nobis.*& ibi Ioan.de Anan *n.*14 & Anchar.
*n.*17.*de surepat.*neque haberent alias qualitates requi-
ſitas ad eſſentiam Collegij,de quibus per Roman.*conſ.*
4. 436.*n.*6.*&* 7.non viſum fuit,quòd illi Monachi Mon-
tis Virginis tanquàm particulares, deberent præcede-
re Monachos Oliuetanos,habentes in dicta terra Col-
legium formatum.Chaſſan.*catalog. glor. mund.par.*4.
*conſiderat.*32.*col.*2.*verſ ſed intellige.*Dec.*conſil.*160.*in*
fine,verſ.Quia ad hoc reſpondetur. Ioan Piccard. *inter*
conſ. Menoch. *conſ.*52. *n.*137. Selua *de benefic. par.*1.
*q.*2.*num.*82.*&* *n.*83.

Et ideò in hoc caſu dictum fuit,Oliuetanos ex hoc
capite debere præcedere.

R. P. D. BVRATTO.

In eadem, 29.Maij , 1624.

ARGVMENTVM.

Monachi Religionis poſteriùs approbatæ collegialiter viuentes præcedunt Monachis alteriusReligionis priùs inſtitutæ;viuentibus tamen vti ſingulis,& priuatis.

SVMMARIVM.

1 *Collegium ad conſtituendum tres ſaltē requiruntur.*
2 *Monachi collegialiter viuentes præcedunt viuentes vti ſingulos.*
3 *Bulla habens decretum irritans & clauſulam,*Sublata,*ac alias clauſulas derogantes cuicunque conſuetudini , non derogatur per non vſum,niſi concurrente ſcientia,& conſenſu Papæ.*
4 *Collegium dici nequit ,quod erectum eſt, reſiſtente Papa voluntate.*
5 *Bulla impreſſa in Bullario, publicata cenſetur.*

DECISIO CXI.

DEciſum fuit coram Reuerendiſſ. D. Cauallerio S. D. N. Datario, Monachos Oliuetanos debere præcedere Monachos Montis Virginis in Terra Ayrolæ.

Non quidem reſpectu antiquitatis originis eorum
Ordinis,vel Monaſterij in dicta Terra,ſed ex eo,quòd
in Terra prædicta Monachi Oliuetani habent Colle-
gium formatum , & Monachi Montis Virginis illud
non habent,vt legitur expreſſum in Bulla ſanct.mem.
Pauli V. *in Bullar.*89.in qua Mandat Monachis Mon- 1.
tis Virginis, quòd in loco controuerſo Ayrolæ reſi-
deat vnus tantùm Monachus,& conuerſus,qui Colle-
gium conſtituere non poſſunt,cùm requirantur ſaltem
tres,*l.Neratius ff de verb ſignificat.* Gloſſ. *in c.Nobis.*
& ibi Ioan.de Anan.*num.*14.&Anchar. *n.*17. *de sure-*
patr.

Et ideò reſidentibus ibidem Monachis Montis 2.
Virginis, vti particularibus debetur præcedentia Mo-
nachis Oliuetanis, tanquam Collegio , Dec.*conſ.*161.
in fin.verſ.Quia ad hoc reſpondetur.·Chaſſan. *in cata-*
*log.glor.mund.par.*4.*conſid.*52.*col.*2.*verſ. ſed intellige.*
Ioan.Piccard.*inter conſil.Menoch.conſ.*52.*n.*137.Selua
*de benefic.par.*1.*q.*2.*n.*83.

Non obſtat,ſi dicatur, in eadem Bulla fuiſſe indul-
tum,quòd ſi forte contigerit, quòd ſi Domus Ayrolæ
ad formam Monaſterij redigatur , competentérque
dotetur,reſtituatur ſub Abbatis , vel Prioris titulo re-
ſpectiuè gubernanda; & ideò quòd cùm hodie probe-
tur per teſtes,adeſſe Priorem cum pluribus Monachis,
præſumatur ſatisfactum Bullæ prædictæ , & debeant
præcedere Monachi Montis Virginis , collegialiter
modò ibidem reſidentes.

Quia quidquid dicant teſtes hinc inde examinati, 3.
cùm Bulla habeat decretum irritans , & clauſulam,
Sublata,&c.cum aliis prægnantiſſimis,per quas dero-
gatur cuicunque conſuetudini ; & non vſus allegari
non poteſt, niſi concurrente ſcientia, & conſenſu Pa-
pæ,Rota *in Romana concordia S.Petri , in recent.de-*
*ciſ.*221.*n* 4.5.*&* 6 *& deciſ.*246 *n.*1.*par.*1.*recentior.* &
requirat,quòd habitatio ad formam Monaſterij ſit re-
dacta, quòdque ex redditibus ſaltem ſex Monachi ali
poſſint , ac Capituli Generalis conſenſus accedat , &
demùm protectoris , & de his non doceatur , negari
non poteſt , quin dici nequeat Collegium , reſiſtente
Papæ voluntate. Bald *in l.*1.§.*Quibus.in princ.ff.quod*
*cuiuſque vniuerſ.nom.*Soc *in l.*1.§. *Municipes. num.*4.
verſ.Et ſic poteſt.ff.d acquir.poſſ.

Neque de publicatione Bullæ prædictæ dubitari poteſt,cùm reperiatur impreſſa *in Bullar.* Rota *deciſ.* 301.*par.*2.*diuerſ* & *in Recent.*298. *n.*2.*par.*2. & illius adimplementum Monachi prædicti Montis Virginis articularunt,& probare conati ſunt.

Fuit propterea concluſum, ſtandum eſſe in deciſis, vtraque parte informante,

---

R. P. D. MOTMANNO.

Sancta Agathæ Gothorum præcedentia, Lunæ,29.Ianuarij,1629.

ARGVMENTVM.

Monachi collegialiter viuentes, licèt Religionis poſteriùs approbatæ , præcedunt aliis Religionis priùs approbatæ,viuentibus vti priuatis , & nullum Collegium conſtituentibus. Monaſterium ſuppreſſum , vt in priſtinam formam reducatur, & antiqua priuilegia recuperet,quænam requirantur.

SVMMARIVM.

1 *Læſio eſt reſtitutionis fundamentum.*
2 *Præcedentia debetur Monaſterio Religionis prius approbata , & ob anteriorem ingreſſum in aliquem locum.*

3 *Mona*

3 *Monachi collegialiter viuentes, licèt Religionis posterius approbatæ, præcedunt alios Religionis prius approbatæ, viuentibus vti personis singularibus, & priuatis, nullum Collegium constituentibus.*
4 *Colle_ij appellatione venit Monasterium, & Conuentus.*
5 *Collegij iura, & prærogatiuæ per vnum tantùm conseruantur.*
6 *Monasterium violenter, & de facto destructum potest in pristinum restitui, & eius iura, & prærogatiuæ non amittuntur.*
7 *Monasterium superioris authoritate suppressum, amittit iura, & priuilegia illi competentia, tanquàm accessoria.*
8 *Monasterium suppressum, si posteà ad antiquā formam reducatur recuperat iura, & priuilegia.*
9 *Dos competens Monasterij dicitur, quæ sufficit, non modò pro alendis personis, sed etiam soluendis oneribus.*
10 *Decretum irritans inducit formam.*
11 *Consensus inductus pro forma non potest per æquipollens suppleri.*
12 *Consensus requisitus ratione superioritatis, actui per modū authoritatis, ac formæ accedere debet.*
13 *Forma non seruata, actus corruit.*
14 *Re:::nciari potest formæ respicienti propriam vtilitatem*
15 *Fauori publico renunciare non licet.*

Decisio CXII.

Monachi Congregationis Montis Virginis, in oppido Ayrolæ commorantes, obtinuerunt, commisi causam restitutionis in integrum aduersùs sententias Rotales quibus fuit declaratum in processionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis deberi præcedentiam Monachis Congregationis Montis Oliueti ibidem residentibus. Vnde, proposito dubio, an constaret de edictis restitutionis in integrum, DD.
1. negatiuè responderunt. Cùm enim sententiæ sint iustæ, cessat læsio, quæ est restitutionis fundamentum, *l. Verum. §. Sciendum.* & ibi Bart *ff. de minor. l. Nam postea. §. Minor. ff. de iureiur.* Ruric. *cons.* 88. *n.* 4. *vol.* 4 Berois *cons.* 121. *n.* 11. & 12 & *cons.* 122. *n.* 8 & *seqq. vol.* 3. Surd. *cons* 226 *n.* 4. Pedemon. *decis.* 158. *n.* 9. Rot. *dec.* 1. *n.* 1. *de rel spoliat. in nou.* & *dec.* 731. *n.* 2. *part.* 2. *in rec.*

Iustitia autem patet ex decisionibus coram bon. mem. Cardin. Cauallerio, & bon mem. Buratto, in hac
2. causa emanatis, in quibus licèt propter antiquiorem instituti approbationem, & anteriore in prædictum oppidum ingressum, pro indubitato haberetur præcedentiam deberi Monachis Montis Virginis, tam inspecto iure communi, secundùm Gloss. frequenti DD. calculo approbatam, *in cap. Quorundam. de elect. in* 6. cum *ibidem* not. per Franc. *n.* 4. Felin. *in rubr. de maior. & obed.* cum aliis copiosè cumulatis per Euerard *in loco ab Ordine, n.* 13. ac *per cons.* Bonon *impress post cons.* Cad Zabar. *n.* 21. *cum seqq.* & dixit Rota *decis.* 588. coram bon. mem. Cardinali Cauallerio, quam etiam vigore Constitutionis Gregorij XIII. quæ est *in ordine*
3. *Bullary noui* 84. Attamen fuit decisum, Monachos Montis Oliueti, eò quòd in dicto loco habent perfectum Conuentum, collegialiterque viuunt, debere præcedere Religiosos Montis Virginis ibidem residentes, vti personas singulares, & priuatas nullum cōstituentes Collegium, ex allegatis *in decis. huius causæ, inter impressas* d. bon. mem. Cardinalis Cauallerij 594. & facit Gloss. *in c. Statutum. in ver. Collegiatas. de elect. in* 6 Innocent. *in c. Cum dilectus. n.* 5. *de elect.* Abb. *in c. Cum non liceat. n.* 2. *de præscrip.*

Nam de suppressione Conuentus, quam olim habebant in dicto loco Monachi Montis Virginis, fel. recor. Paulus V. edidit Constitutionem, *quæ est prima in ordine appendicis dicti noui Bullary*, in cuius §. 10. Pontifex Monasterium ibi tunc existens, tanquàm prædium ad instar Grangiæ vniuit Monasterio eiusdem Ordinis viciniori mandauitque, vt inibi vnus tātùm Monachus cum vno conuerso ad Ecclesiæ curam, & bonorum custodiam relinqueretur. Vnde cessat obiectum, quòd, scilicet, requirantur plures ad constituendum Collegium, cuius appellatione venire Monasterium, & Conuentum, tradidit Rebuff. *ad* 4.
l. Neratius 85. *vers Et sic appellatione ff. de verb. signif.*
& ex text. *in c. Cùm ea. de iis, quæ fiunt à Prœl.* Attamen illius iura, ac prærogatiuæ per vnum tantùm re 5.
ctè consequentur, ad text. *in vulg. l. Sicut §. In Decurionibus. ff. quod cuiusque vniuers.* plenè tradit Gloss. *in c. Gratum. verbo, pauciores, de postulat.* & *in c. Si fortè.* 65. *dist.* idem Rebuff. *vbi supra vers. Ius autem Collegij.* Franc. Marc. *q.* 367. *parte.* 1. cum allegatis *in decis.* 208. *n.* 3. & 5. *part.* 1. *diuers.* quæ loquitur in terminis Conuentus. Siquidem hæc conclusio veriùs 6.
procedit ex casu Collegij, seu Monasterij violenter, & de facto destructi, cuius post vim, aut cladem, subest spes futuræ in pristinum restitutionis, vt notant communiter Doctores *in l. Id quod hostes,* & *ibi.* Alex. *ff. de leg* 1. Bald *in c. Imperialis num.* 9. & 10. *de pac.*
Constan. in vsib. feud. qui casus longe distat ab eo, de 7.
quo agitur vbi suppresso authoritate Superioris Monasterio, omnia iura, & priuilegia illi competentia, tanquam accessoria fuerunt æquæ sublata: quam distinctionem comprobat Glos. *in d. c. Statutum i. verb. Collegiatas. ad med. de elect. in* 6. Felin. *in c. Accedentes. sub n.* 2. addens notabiliter de præscripr. Bart. *in l. fin. sub num.* 13. *vers. Respondeo. ff. de Colleg* Illic facit text. *in cap.* 2. cum Glos. *in verbo, principale,* & *ibi* Innoc. *num* 5. *de nou oper. nunc.*

Non obstat, quòd hodie constet de introductione plurium Monachorum cum consensu Abbatis Generalis, ac Diffinitorum Ordinis, ac licentia Cardinalis
Protectoris, necnon de dote ad illos alendos compe- 8.
tenti. Vnde Monachi Montis Virginis nituntur probare, fuisse, quoad reductionem ad formam Monasterij, satisfactum requisitis dictæ Constitutionis Pauli V. in §. 12. ac proinde factum esse locum recuperationi antiquorum priuilegiorum ad notata per Innoc. *in c. Abbate ante fin. vers. Hoc autem intelligo. de verb sig nifie.* Quia testes examinati deponunt tantùm de quatuor, vel ad summum quinque Monachis, in loco Ayrolæ residentibus: & sic non concludunt de numero, quem ipsa Constitutio exigit, neque de eorum depositionibus causa redditur deprehenditur, adesse dotem pro alēdis saltem sex Monachis competentem, quæ non potest dici talis, nisi probetur in
quantitate congrua esse constitutam, vt sufficiat non 9.
modò alendis personis, sed etiam soluendis oneribus, iuxta textum *in c.* 2. *§. Vos autem. de decim in* 6. quem allegat Rebuff. cum aliis pluribus *in suo de congrua tractatu, n.* 6. & signanter *num.* 7. ac repetit *in l. Conditionalis causa. fin.* 54 *ff. de verb. signif* Glos. *in c. Cum adeo. in verb. Sufficienter de rescript.* Rot. *decis.* 31. *part.* 1. *recent.*

Et præterea non constat, adesse consensum Capitu-
li generalis, qui cùm vigore dictæ Constitutionis 10.
Pauli V. continentis clausulam decreti irritantis, sit adhibendus sub pœna nullitatis, est de forma, vt not. Glos. *in c. Cum dilecta. num.* 6. *vers. Quintum, num. de rescript.* Bald. *in l.* 1. *vers. Quæro ergo ff. de* [illegible] *ber.* & *posthum.* Socin. sen. *cons.* 45. *num.* 9 [illegible] *lib.* 1. [illegible] *abr. tit. de clausul. concl.* 3. *num* 70. cum aliis *ibid* [illegible] per [illegible] um allegatis. Viu. *decis.* 335. *num.* 8. Rot. *decis.* 167. *part.* 2. *in rec.*

rec. & coram Mantic. *decis.* 286. *num.* 25. Ita vt huiusmodi consensus inductus pro forma restrictionis, non possit per consensum Abbatis Generalis, & Deffinito-
11. rum, tanquam per æquipollens suppleri. Glos. *in Clem.* 1. *in verb.* 3. *de vit. & honest. Cleric.* Felin. *in d. cap. Cum dilecta, num.* 2. *vers. Amplia vndecimò.* Alex. *in d. l.* 1. *num.* 8. vbi ponit concordantes, *ff. de lib. & post.* plenè Tiraquell. *de retract. lignag.* § 1. *in verb. En telle quantitate, gloss.* 21. *num.* 11. Viu. qui plurimos cumulat *decis.* 334. *num.* 10. & fuit dictum *in Valentina Baronia*, 10. Martij, 1603. coram Ortembergo, & *in Romana Societatis officij Smit. mille*, 15. Nouembris, 1624. coram bon. mem. Vbaldo, attento præsertim, quòd
12. dictus consensus Capituli generalis videtur à dicta Constitutione requisitus ratione superioritatis, & consequenter actui per modum authoritatis, ac formæ accedere debet. Bald. *in l.* 1. *num.* 45. *C. qui admitt. ad bon. possess.* Alex. *in l. Si quis mihi bona*, §. *Iussum, num.* 10. *vers. Quandoque requiritur, ff. de acq. hered.* Ruin. *cons.* 108. *num.* 3. *lib.* 5. Roland. *cons.* 97. *n.* 7. *lib* 1. Pan-
13. cirol. *cons.* 187. *num.* 391. qua forma non seruata, actus restitutionis Monasterij pro parte Monachorum Montis Virginis allegatus fuit nullus, *l. Cum*, 16. §. *Prætor. ff. de transact. l. Non dubium. C. de legib. c. Venerabilis, de off. deleg.* Becc. *cons.* 12. *num.* 15. *& seqq. lib.* 1. Cephal. *cons.* 582. *num.* 32. Surd. *cons.* 282. *n.* 8. Boër. *decis.* 1. *num.* 44. & plenissimè Viu. *d. decis.* 335. *n.* 3.

14. Neque obstat, quòd prædicti Monachi Montis Virginis huic formæ, vti respicienti eorum vtilitatem, potuerint renunciare, ad text. *in l. Si quis in conscribendo. C. de pact. & l. filio præterito. ff. de iniust. rupt. & irrit. test.* facit *cap. Tuis.* cum *ibi* not. *de testam.* Abb. *in c. fin.* §. *Is autem, de offic. deleg.* quia ex procemio Constitutionis potiùs constat, illius dispositionem emanasse ad diuini cultus augmentum, ac religionis
15. propagationem; & sic fauore publico, cui renunciare non licet. Gloss. *in d. cap. Dilect. in verb. Clausula, de præben. & in Clem.* 1. *in verb. Inhibentes, de iurepatr. cap. Si diligenti, de for. competent.* Geminian. *cons.* 83. *num.* 9. Alex. 167. *lib.* 7. Ruin. *cons.* 46. *in fin. lib.* 5. Gomez *ad reg. de annal. q.* 6. *in fin.* Ellerescott. *var. resol. lib.* 2. *cap.* 68. *num.* 4. Rot. *in Calaguritana fructuum*, 26. Aprilis, 1627. coram Illustrissimo Domino meo Coccino, eiusdem Rotæ Decano.

Et ita, vtraque parte informante, fuit decisum.

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Cæsaraugustana præeminentiarum, Lunæ, 29. Nouembris, 1627.

ARGVMENTVM.

Præcedentia, quæ competit Capitulo accedenti ad Ecclesias inferiores, debetur etiam eius Prælato, seu capiti, ratione connexitatis.

SVMMARIVM.

1 *Singula singulis congruè referenda sunt.*
2 *Honorifica receptio importat concessionem manus dexteræ, & loci nobilioris.*
3 *Præcedentia, quæ competit Capitulo, competit etiam membris eius principalibus.*
4 *Res eadem diuerso iure censeri non debet.*
5 *Caput non debet à membris separari.*
6 *Membrorum confusionem, & separationem iura abhorrent.*
7 *Rector in propria Ecclesia habet pro se iuris assistentiam in præcedendo cæteris omnibus. Contrarium, num. seq.*
8 *Capitulum Ecclesiæ maioris, dum inuitatur ad aliquas functiones, præcedere debet alijs Canonicis, & Prælatis inferioribus, etiam in proprijs Ecclesijs.*
9 *Capitulo debetur reuerentia, sicut Episcopo, & debet præcedere, sicut Episcopus, cuius corporis pars est.*
10 *Exemptus à iurisdictione Episcopi, licèt non teneatur Episcopo ad honorificentiam, tenetur tamen ad reuerentiam; nisi sit exemptus plenariè, & à Papa, num. 11.*
12 *Ius reuerentiale, quod debetur Episcopo ratione dignitatis, non tollitur per quancunque exemptionẽ.*
13 *Exemptum esse ab Episcopo, & vnitum cum Capitulo, simul repugnant.*
14 *Cathedralem Ecclesiam ad dignoscendam, inspicitur tempus de præsenti.*
15 *Cathedralitas supponit, nedum subiectionem; imò & incorporationem cum Episcopo.*
16 *Laudum à parte approbatum, & acceptatum est attendendum, etiam quoad in eo expressa, licèt non contenta in sententia, ad cuius confirmationem emanauit.*
17 *Laudum latum etiam vltra, vel extra compromissa, si sit à partibus emologatum, seruari debet in vim pacti, aut transactionis.*
18 *Inferior in propria Ecclesia debet habere præcedentiam ratione officij, quo fungitur.*
19 *Prior in materia odiosa, & sibi præiudiciali, non venit appellatione Capituli.*
20 *Prior in odiosis non venit appellatione Canonicorũ.*
21 *Verba,* prout solebant, *demonstrant, tunc ita fuisse in vsu.*
22 *Bonum ius resultat ex sententia fauorabili.*
23 *Obseruantia Scripturæ, de cuius interpretatione agitur, attendenda est de tempore illius.*
24 *Testamenti tempus attendi debet, quando agitur de interpretatione contentorum in eo.*
25 *Actus turbatiui, & qui dederunt causam liti, non attenduntur.*
26 *Media talia præsumuntur, qualia sunt extrema.*
27 *Media referuntur ad extrema.*
28 *Extrema potiùs, quàm media sunt attendenda.*
29 *Casus, qui sequitur ex eo, quod est expressum, non dicitur omissus, sed expressus.*

DECISIO CXIII.

CVm sub die 26. Aprilis præteriti fuissent proposita quinque quæsita circa executionem mandati Rotalis, aliàs de anno 1557. per bon mem. Dominum de Rubeis relaxati, & per Illustrissimum D. meum Cardinalem Millinum exequi mandati; Domini responderunt quoad primum, Decano, Dignitatibus, & Canonicis Metropolitanæ dandam esse manum dexteram in Ecclesia regulari collegiata S. Mariæ de Pilari, cùm ad illam certis diebus accedunt. Quoad secundum, Priori, & Canonicis de Pilari dandam esse manum dexteram, dum sedent in Ecclesiis, seu Monasteriis, ad quæ processionaliter itur pro Missa cantanda, aut concione habenda. Quoad tertium, non licere Ecclesiæ de Pilari deferre in Processionibus generalibus, & cùm ad Metropolitanam accedit, Crucem, hastam, perticam, & mazaam deauratas. Quoad quartum, Portinarios nouiter institutos, & ad nutum amouibiles non esse præferendos Portinariis titularibus Metropolitanæ. Quo verò ad quintum, & vltimum,

mum, Priorem de Pilari in absentia Decani Metropolitanæ debere incedere solum in nobiliori loco, exclusis aliis primoribus Dignitatib. & Canonicis Metropolitanæ. Vnde repropositis hodie iisdem, quibus hinc inde partes non acquiescebant, reseruato, vt de tertio, & quinto particulariter videatur; & circunscriptis super quarto firmatis, quæ non habebant difficultatem; quoad alia, nempe, quoad primum, & secundum Domini perstiterunt in resolutis, quorum vtrunque pendet ab interpretatione verborum dicti mandati.

Quo igitur ad primum, verba mandati sunt hæc: *Prior, Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Saluatoris Metropolitanæ teneantur cum effectu*, &c. *accedere ad Ecclesiam B. Mariæ Maioris de Pilari recipiendo honorificè per prædictos*, &c. Priorem, Canonicos, & Capitulum eiusdem Ecclesiæ, videlicet, de Pilari. Et quia non controuertitur, quin vigore dicti mandati manus dextera debeatur Canonicis Metropolitanæ; sola difficultas restringitur ad personam Prioris de Pilari, an ei, scilicet, eadem manus debeatur quoad Decanum, seu Priorem Metropolitanæ, ita vt in propria Ecclesia debeat omnibus præcedere. Et Dominis visum fuit, stantibus verbis dicti mandati, non esse recedendum à negatiua firmata in decisione præcedenti: quia, si Prior, Canonici, & Capitulum Metropolitanę debent honorificè recipi per Priorem, Canonicos. & Capitulum de Pilari, prout expressè continetur in mandato, & deponunt quatuor testes examinati vsque de anno 1537. *in Summario veteri Me-*
1. *tropolitanæ, num 4* vtique singula singulis congruè referendo, ad text. *in l. Si negotium. C. de negot. gest.* & trad. per Castr. *cons. 18. n. 3. in fin. lib. 2.* Prior de Pilari honorificè debet recipere Priorem hodie Decanum Metropolitanæ.

2. Vnde, cum hæc receptio honorifica importet concessionem manus dexteræ, & loci nobilioris per Glos. *in cap. Quam periculosum. in verb. Primatus. 7. quæst. 1.* & *in l. Decernimus. in princ.* & *in verb. residend. C. de sacros. Eccles.* vbi Bald. *n. 2. vers. Secundo, nota.* Abb *in cap. Nobis. num. 5. de surrepat* Felin. *in rubr. num. 88. de maior. & obed.* Roch. *de iurepat. in vers. Honorificum. n. 4* Boët. *in tract. de auth. mag. cons. n. 19. vers. quia qui sedet.* Chassan. *in Catal glor. mundi par. 1. consid 10. ad fin.* & *consid. 11. ante med vers. Secundò dicitur.* latè Tiraquel. *de iur. primog. in præfat. num. 13. & seqq.* & benè declarant Capellanus Regius ipsius Ecclesiæ de Pilari, & Ludouicus de Aynnn examinati de anno 1537. *in Summario veteri eiusdem Metropolitanæ, n. 4, in fin.* & *num. 5.* negari non potest manus dextera Priori, siue Decano Metropolitanæ per Priorem de Pilari, ita vt totus, & integer Chorus dexteri lateris Capitulo Metropolitanæ remaneat.

Vlteriùs etiam ponderarunt Domini, quòd cùm manus dextera, & Chorus non denegetur Canonicis, & Capitulo Metropolitanæ, non solùm ratione cónne-
3. xitatis eadem præcedentia competit Decano, quæ competit Capitulo, cuius ipse est membrum princi-
4. pale, ne eadem res diuerso iure censeatur contra reg. tex. *in cap. Cognouimus. 12. quæst. 2.* & *in l. Eum, qui ades. ff. de vsucap.* Sed etiam esset inconueniens, quòd
5. Prior de Pilari, qui est caput sui Capituli, separetur à suis, & inseratur membris alterius ac diuersi corporis, nempe, Capituli Metropolitanæ: quam membro-
6. rum confusionem, ac separationem iura adeò abhorrent, *cap. 1. 12. distinct. cap. Nouit. de his, quæ fiunt à Prælat.* Rip. *in puncto, resp. 5. n. 4. de constit.*

Fuit denique consideratum, quòd assistentia iuris communis latè ponderata in decisionibus in hac causa factis, 13. Februarij, & 22. Iunij, anni præteriti, quam habet pro se Capitulum Ecclesiæ Metropolitanæ, tanquàm Parentis cæterarum Ecclesiarum, videbatur sibi posse etiam in hoc casu suffragari: quia, licèt 7.
Prior de Pilari, tanquàm in propria Ecclesia dicatur habere pro se iuris assistentiam in præcedendo cæteris omnibus, ad text. *in l. Nihil.* vbi Luc. de Penna, & Ioan. de Platea *C. de palat. sacr. largit. lib. 11.* & *ibi* etiam Gloss. final. Decian. *cons. 67. n. 12. & seq vol. 2.* & fuit dictum *in causa Calaguritana præeminentiarum de victoria, 6.* Nouembris, 1591. coram bon. mem. Penna; tamen contrarium tenuerunt ex Panorm. Fe- 8.
lin. *in c. Cùm non liceat. num. 2. de præscript.* vbi firmat, quòd dum Capitulum Ecclesiæ Maioris inuitatur ad aliquas functiones, præcedere debeat alios Canonicos, & Prælatos inferiores, etiam in propriis Ecclesiis. Et hanc eandem opinionem defendunt Henric. Boic. *in tract. de synod. part 3. num. 27.* Boët. *in tract. mag. cons. num. 79.* Gonzal. Mendoz. de Vasconello *diu. iur. argum. lib. 1. cap. 1. num. 3. versic. Quibus consequens.* vbi dicit rectè sensisse Felin. *modern. discept. forens. cap. 111. num. 11. lib 1.* vbi asseclas huius opinionis adducit.

Nec dicatur, quòd Felin. mouetur ex duplici ratio- 9.
ne, quarum prima est: quia Clerici inferiores debent reuerentiam Capitulo, sicut Episcopo; ideóque inferat, quòd sicut præcedit Episcopus, ita & Capitulum debet præcedere, cùm dicatur esse pars corporis Episcopi, *l. 1. C. de petit. bon. subl. lib. 10* vbi Bald. quem refert Rip. *in d. resp. 5. num. 4. de constit.* Secunda, quia, cùm Capitulum repræsentet personam Episcopi, sicuti præcederet Episcopus; ita & debet præcedere Capitulum. Quæ rationes non videntur applicari ad casum nostrum. Non prima: quia Ecclesia de Pilari, illiúsque Prior, Capitulum, & Canonici sunt per Papam plenè, & totaliter exempti à iurisdictione Episcopi: quo casu non tenetur Episcopo ad ius reuerentiale. Non secunda: quia Capitulum Metropolitanæ, interueniendo in Ecclesia de Pilari sine Episcopo, non dicitur interuenire in diuersa Ecclesia, sed in eadem Ecclesia Cathedrali, ex quo Ecclesia de Pilari olim fuit Cathedralis; & videtur in hoc retinuisse iura cathedralitatis, ita vt cesset repræsentatio pōderata per Felin. & in consequentiam ratio eiusdem Felin. Nam quoad primum, responsum fuit primò, non constare de huiusmodi exemptione. Secundò, quòd quatenus de illa constaret, si reperiatur concessa ante Concilium Constantiense, in quo Martinus V. sacro approbante Concilio, reuocauit omnes exemptiones concessas, tam per Gregorium XI. quàm alios etiam Romanos Pontifices, & promisit, seu declarauit non concessionem de cætero, nisi causa cognita, & vocatis, quorum interest, vt per Gemin. *in cons. 35.* vbi ponit verba Concilij; illa tanquàm reuocata per dictum Concilium non suffragaretur. Tertiò, quòd in omnem casum exemptus à iurisdictione Episcopi, licèt non teneatur Epi-
scopo ad honorificentiam; tenetur tamen ad reueren- 10.
tiam, vt tenuit Bald. *in l. fin num. 3. de bono libert.* Roman. *sing 480.* Henric. Boïc. *de Synodo, d part. 3. num. 53.* Et in specie, quòd teneatur ad ius reuerentiale, vltra prædictos tenuit Castren. *in l. Sed si h. lege. § patronum, num. 4.* & *ibi.* Add *ff. de in ius voc.* Oldrad. *cons. 224.* Bald *tract. de præscrip. part. 1. 5 partis, q. 12. num. 6.* Felin. *in cap. Cùm inter. num. 3 & 4. de sent. & re iud.* & *in d. cap. Cùm non liceat. eod. num. 2 de præscrip.* & *in c. Conquerente. in princ.* vbi alios allegat *de offic. Ordin* Belme. *de charit. subsid. quæst. 28.*

Et si dicatur, quòd hîc agitur de omnimoda exem- 11
ptione per Papam concessa, quo casu ius reuerentiale Episcopo non debetur, vt conciliando contraria opiniones sensit Rot. apud Put. *decis. 114. lib. 3. in correct.* vltra responsiones superiùs allatas aduertendum est, quòd quidquid sit de iure reuerentiali, quòd 12.
debetur

debetur ratione iurisdictionis, in quibus terminis po-
test intelligi distinctio Rotæ; certum est, quòd ius
reuerentiale, quod debetur ratione dignitatis, non
tollitur per quancunque exemptionem. Vnde, cùm
nos versemur in præcedentia; seu iure reuerentiali,
quod debetur ratione dignitatis, allegata exemptio
ad hunc effectum non est habenda in consideratione.

Denique fuit consideratum, quòd euidenter si-
mul repugnat, quod Ecclesia de Pilari prætendat se
13. esse exemptam: & tamen simul etiam prætendat con-
stituere vnum, & idem corpus cum Ecclesia Metro-
politana, & Cathedrali, adhúcque retinere iura ca-
thedralitatis, cùm vnum tendat ad statum vnionis; al-
terum verò ad statum omnimodæ separationis à capi-
te, nempe, Episcopo, vt benè ad propositum conside-
rat Bellamer. *cons 20. num 6. & seq. vers. Secundò. vi-
dere occurrit.* & sic firmum remanet, primam rationem
Felin. optimè applicari.

Quo verò ad secundam rationem, quidquid sit de
prætensa cathedralitate Ecclesiæ de Pilari, super qua
coram me lis pendet, quatenus etiam constaret de illa;
non tamen inde sequeretur; quòd de præsenti posset
concurrere cum Ecclesia metropolitana, quæ hodie
non controuertitur esse sola in statu cathedrarico,
cùm ad effectum, vt dignoscatur, quòd sit Ecclesia
14. cathedralis, inspiciatur tempus præsens, vt est text. ex-
pressus *in cap. Cùm inferior.* vbi Hostien. *n. 13. de maior.
& obed.* Rot. apud Seraph. *decis. 1445. in fin.* & fuit di-
ctum *in Lauretan. iurisdictionis, 20. Iuny,* 1616. coram
bon mem. Card. Sacrato.

Vltrà quòd, si (vt *suprà* dictum fuit) Ecclesia de
15. Pilari prætendit se exemptam, vtique à seipsa excludit
hoc fundamentum cathedralitatis, quod necessariò
supponit, non solùm subiectionem, quinimò incor-
porationem cum Episcopo; à quo tamen asserit, se
omni modo esse separatam.

Sed omnem tollit ambiguitatem sententia, seu
laudum Alphonsi de anno 1513. quod expressè decla-
rat, Ecclesiam de Pilari teneri, & obligatam fore ad
recognoscendum, habendum, & tenendum Ecclesiam
cathedralem Sancti Saluatoris in matrem, Superio-
rem, & Magistram; honorem, & reuerentiam eidem,
prout de iure tenetur, & obligatur, præstandam.

Nec dicatur, quòd hoc laudum emanauit ad solam
confirmationem contentorum in sententia Sanctij, ad
quam habet relationem; idcóque cũ prædicta non re-
16. periantur in sententia Sanctij, non sint consideranda:
quia aduertendum est, quòd cùm sententia, seu lau-
dum Alphonsi fuerit ab vtraque Ecclesia, tam de Pi-
lari, quám de Metropolitana emologatum, approba-
tum, & acceptatum, vt *in Summario veteri Metropoli-
tana, num. 7.* supposito etiam, quòd emanasset ad solam
confirmationem sententiæ Sanctij, de quo tamen nul-
libi constat; nihilominùs etiam quoad non contenta
in priori, & vlteriùs expressa, tanquam ab vtraque
parte approbata, & acceptata, esset attendenda. Card.
cons. 74. col. fin. vers. Item hac approbatio. latissimè Fe-
lin. *in cap. Significasti. de for. compet. n. 7* Abb. *cons. 92.
num. 1. & 2. lib. 1.*

17. Et in specie, quòd laodum latum etiam vltra, vel
extra compromissa, si sit emologatum à partibus, de-
bet seruari in vim pacti. Gloss. & Doct. *in l. 2. C. comm.
vtriusque iud.* Surd. *cons. 136. num. 54. & seq.* Roman.
cons. 173. in fin. & pleniùs *in cons. 175. num. 4.* & *ibi*
Apostil. *in ver. Pacto dat. concord.* Corn. *cons. 125. per
tot. lib. 2.* Gozad. *cons. 98. num. 19. & 20.* Idem Dec. *in
cap. Prudentiam. num. 20. de offic. deleg.* aut in vim
transactionis. Socin. *cons. 85. num. 2. lib. 1.* Nat. *cons.
95. in princ.* Corn. *cons. 69. lib. 4.* & *cons. 325. lib. 2.*
Afflict. *decis. 270. num. 7.* Vnde firmum etiam remanet
secundam rationem Felin. optimè applicari ad casum
nostrum, ex quo Capitulum Metropolitanæ repræsen-
tat personam Episcopi, cui omninò debetur præceden-
tia ista in Ecclesia inferioris.

Sed, quicquid sit de prædictis, visum fuit cessare in
casu isto omnem difficultatem: quia fundamentum
illorum, qui tenent, inferiorem in propria Ecclesia ha-
bere assistentiam ducis, in hoc videtur consistere: quia 18.
inferior in propria Ecclesia ratione ufficij, quo fungi-
tur, debet habere præcedentiam, Abb. *in c. Postulasti.
n. 8. de concess. Præl.* Gemin. *in cap. A collatione. n. 7. de
appell.* Put. *decis. 104. n. 4. 5. & 6. lib. 4. in correct.* Quod
fundamentum cessat in casu isto: quia quando Capi-
tulum Metropolitanæ accedit ad Ecclesiam de Pilari,
Missa, & reliquæ functiones non celebrantur per Ca-
pitulum eiusdem Ecclesiæ de Pilari; sed per Capitu-
lum Metropolitanæ, vt deponunt testes dati *in Sum-
mario veteri, n. 4.* Et sic dici non potest, quòd Capitu-
lum, & illius Prior, tanquam in propria Ecclesia fun-
gens officio suo, debeat præcedere.

Nec officit, quòd Prior de Pilari, qui est caput pro- 19.
priæ Ecclesiæ, in hac materia sibi præiudiciali, & odio-
sa. non venit appellatione Capituli; idcóque, quamuis
ex *suprà* deductis Capitulo Metropolitanæ manus
dextera, & locus dignior debeatur, id quidem procedit
respectu Capituli de Pilari; sed nõ Prioris, qui cùm sit
caput propriæ Ecclesiæ, neminémque agnoscat parem
in capitulo Metropolitanæ, cuius caput non est De-
canus, sed Archiepiscopus, qui non interuenit, cum
nemine debet concurrere; sed solus in loco præemi-
nentiori sedere debet: quia aduertendum est, primò,
quòd si Capitulo Metropolitanæ datur ista præceden-
tia ex eo, quòd repræsentat personam Episcopi, vti-
que eadem ratio suadet, vt eadem præcedentia compe-
tat etiam respectu Prioris de Pilari, cui profectò Epi-
scopus præcedit: aliàs si Prior de Pilari in propria Ec-
clesia haberet huiusmodi præeminentiam respectu
Capituli Metropolitanæ, vtique dici non posset, quòd
Archiepisc. iure repræsentationis præcederet Priorem
de Pilari.

Secundò aduertendum est, quòd cessat omnis dif-
ficultas, quia non est verum, quod ratione imparitatis
non possit, aut debeat esse concursus inter Priorem de
Pilari, & Decanum Metropolitanæ, cùm euidenter
contrarium appareat, primò ex tenore mandati de
1584. *in Summario veteri Ecclesiæ de Pilari, n. 16.* dũ
declarat, quòd in casu absẽtiæ alterius Prioris, vel Me-
tropolitanæ, vel de Pilari, non liceat Dignitatibus as-
cendere ad locum absentis: signum euidens, quòd De-
canus, seu Prior Metropolitanæ consideratur tanquam
æquale caput in concursu cùm Priore de Pilari. Quod
etiam clariùs colligitur ex sentẽtia, seu laudo ab vtra-
que Ecclesia acceptato, & approbato Alphonsi de an-
no 1513. quod datur *in Summario veteri,* sub positio-
ne 26. Aprilis præteriti, pro Ecclesia de Pilari, *n. 3. in
fine,* vbi dicitur. quòd in aliis Congregationibus, &
actibus, tam ecclesiasticis, quàm sæcularibus, in quibus
Priores suarum nomine Dignitatum interuenerint,
seu vocati fuerint, Prior Sedis Metropolitanæ, tanquã
maior, & prima Dignitas post pontificalem, præcedat
Priorem Ecclesiæ S. Mariæ, & honorabiliorem locum
teneat: ex quibus resultat euidens probatio, quòd De-
canus, seu Prior Metropolitanæ nedum est æqualis
Priori de Pilari, sed imò superior.

Ex quibus Domini firmarunt, honorificam rece-
ptionem, de qua in dicto mandato bon. mem. de Ru-
beis, importare, vt detur Capitulo Metropolitano
Chorus, latus, seu manus dextera, non solùm quoad
Capitulum, sed etiam quoad Priorem Ecclesiæ de
Pilari: & in hanc interpretationem tantò faciliùs
inclinarunt, quia vltra prædicta visa sunt alia, &
quidem vrgentia adminiculata concurrere.

Primò enim concurrit antiquissima sententia San-
ctissimi de anno 1221. in qua expressè legitur, quòd
Canonici S.Mariæ dimittant Canonicis Sancti Salua-
toris dexterum Chorum totum. Vnde non obstat,
quòd dicta sententia loquatur tantùm de Canonicis;
non autem de Priore, qui in odiosis non venit appella-
tione Canonicorum: quia cùm Canonicis Metropoli-
20. tanæ debeatur totus dexter Chorus, quem ipsis tenen-
tur dimittere illi de Pilari, ista dimissio integra nō po-
tuisset verificari, si Prior de Pilari in loco præeminen-
tiori dicti Chori remansisset, & partem illius nobi-
liorem occupasset, ad regulam tex. *in cap. Solita. de
maior. & obed.* & *in l. Iulianus. in princ ff. de leg. 3.* benè
ad propositum Anchar. *cons.* 248. *n.* 11. & 12. Menoch.
cons. 202. *n.* 23. & *cons.* 628. *n.* 11. & 12.

Secundò, concurrit prædicta sententia, seu laudum
Alphonsi de anno 1513. in qua clariùs dicitur, Cho-
rum dexterum Priori, & Canonicis Sancti Saluatoris
cùm ad Ecclesiam B. Mariæ certis diebus accesserint,
in totum esse dimittendum.

Tertiò, concurrit instrumentum concordiæ Ferdi-
nandi Archiepiscopi de anno 1539. in quo mandatur,
quòd Prior, Canonici, & Capitulum de Pilari dimit-
21. tunt Chorum dexterum Metropolitanæ, prout sole-
bant: quæ verba, *prout solebant*, apertè docent, tunc ita
fuisse in vsu, & obseruantia, cùm stent causatiuè, vt in
puncto est text. notab. *in c. Abbate. vers. si vero verbum
determinet de verb. signif.*

22. Ex quibus sententiis tantò magis resultat euidens
probatio iuris Ecclesiæ Cathedralis. Grat. *cons.* 134. *n.* 5.
in princ. & fuit dictū *in Cæsaraugustinana Synodi*, 13.
Februarij anni præteriti, coram me: quamuis enim vi-
deantur potiùs respicere petitorium cùm tamen indu-
cant præsumptionem obseruantiæ; quæ nihilominùs
sufficienter colligitur, tam ex sententia Sanctij, ibi:
More solito. quàm ex prædicta concordia Ferdinandi
Archiepiscopi, vt dictum est: maximè conferunt ad co-
adiuuandam mandati antiqui interpretationem, cui
plurimùm dicta obseruantia suffragatur.

Potissimùm verò considerarunt domini, huiusmo-
di obseruantiam satis deduci ex depositionibus trium
testium examinatorum de anno preterito *in Summar.
eiusdem Metropolitanæ, num* 6. quorum duo, qui sunt
ætatis annorum 66. à propria recordatione deponunt
se scire, & vidisse, in vim sententiæ arbitralis, Ca-
pitulum sedisse semper, & diebus, quibus solebant
accedere ad Ecclesiam de Pilari, solitum fuisse sedere
in Choro dextero dictæ Eccesiæ de Pilari, Priorém-
que, & Capitulum illius solitos fuisse præbere, & quòd
præbebant ipsis dictam manum dexteram in dicto
Choro expeditam, & non occupatam à nemine seden-
te, vel sedem habente ad prædictam manum dexteram
diebus prædictis, nisi duntaxat illis, qui erant de dicta
Cathedrali; & videtūt, quòd in ea tali vsu, iure, & pos-
sessione extiterūt, & existunt illi de dicta Ecclesia Ca-
thedrali, sedendi in dicto Choro dextero del Pilar, il-
lum integraliter occupando, quovsque lapsis annis 21.
paulò minùs, vel plùs lis, & causa mota fuit, & depo-
nunt de publica voce, & fama.

Quibus accedunt alij quatuor testes pro Ecclesia
de Pilari examinati de anno 1601. 1606. & 1626. qui
pariter deponunt, quòd Capitulum Ecclesiæ Metropo-
litanæ occupant totum Chorum dexterum, quem illi
de Pilari relinquunt vacuum, & expeditum in propria
Ecclesia, vt *in nouo Summario Metropolitana, num.* 2.
& 3.

Non obstant igitur testes in contrariò dati *in Sum-
mario, n.* 6, quia vltra exceptiones, quæ cōtra illorū per-
sonas, & dicta fuerunt latiùs pōderatæ per informātes,
23. cū agatur de interpretatione dicti mandati, attendi de-
bet obseruantia de tēpore illius. Mant. *dec.* 66. *per tot. &
maxime n.* 4. Rot. *decis.* 100. *n.* 27. *par.* 1. *diuers.* & in si- 24.
mili, quòd quando agitur de interpretatione conten-
torum in testamento, attendatur tempus testamenti,
latè Simon. de Pret. *de interpr. vlt volunt. lib.* 4. *dub.* 9.
n 36. & *seqq.* Non autem actus nouissimi, de quibus
isti testes deponunt, qui tantò minùs habendi sunt in 25.
consideratione, cùm fuerint turbatiui, & dederint cau-
sam liti, vt latè apud san. mem. Greg. *dec.* 4. *n.* 2. & *ibi*
Addent. & in materia dedicationis fuit dictum inter
has Ecclesias coram eodem *in decis.* 569. *n.* 3. Nec pa-
tientia Capituli Metropolitanæ lite pendente ad effe-
ctum purgandi vitium litis probetur.

Quò verò ad secundum quæsitum, quod est vlti-
mum caput præsentis inspectionis, verba mandati sunt
hæc: *Prior, Canonici, & Capitulum,* &c. *deinceps tene ā-
tur illos,* (videlicet, de Pilari,) *tam in prædictis proces-
sionibus, quàm aliis quibuscunque actibus, in quib. insi-
mul conuenire, aut interesse contigerit, ad dexterā par-
tem, seu manum, tam in Choro, quam extra etiam in pro-
cessionibus prædictis collocare.* Ex quib. nulla est diffi-
cultas, quin stantibus verbis illis: *Quam aliis quibus-
cunque actibus, in quib. insimul conuenire, aut interesse
contigerit.* deberetur manus dextera Capitolo de Pila-
ri, etiam in sessionibus, quæ habentur in Ecclesiis, ad
quas fiunt processiones pro Missa, aut Concione ha-
benda, cùm contingat, illos de Pilari, & Metropolitana
simul conuenire, & interesse secundùm casum expres-
sum in dicto mandato. Sed, quia dictum mandatum
prætenditur postmodum correctum, & limitatū iuxta
probationes, & dicta testium, quæ ad certos actus re-
stringebantur; ideò circunscriptis dictis verbis tota
difficultas ad illud reducitur; an mandatum, quod ex-
pressè loquitur de Processionibus, comprehendat hu-
iusmodi sessiones, tanquàm partem Processionum,
quæ ad huiusmodi Ecclesias fiunt pro Concione, aut
Missa habenda, vt dictum est. Et Domini perstiterunt
in affirmatiua: quia, cùm Processio fiat ad Ecclesiam, &
ab eadem Ecclesia reuertatur, actus sessionis interme-
dius censetur esse vnus, & idem cum processione, cùm 26.
talia media præsumātur, qualia sunt extrema, arg. text.
in l. Sicut. §. *Non videtur ff. quib. mod. pign. vel hypoth.
soluat. sub conditione, ff. de hæred. instit. l. Existimo. C.
de verb. oblig.* Vnde dicitur, quòd media referuntur ad 27.
extrema, arg. *l. Talis scriptura. in fin. ff. de legat.* 1. &
facit text. *in c. Secundò, requiris. in princ. de appell.* vbi
quòd illa, quæ sunt in medio, sæpe ad principium, & fi- 28.
nem referuntur. Imò quòd extrema potiùs, quàm me-
dia sint attendenda, firmat Afflict. *in decis.* 195. *n.* 5.
& quod media ab extremis declarentur. text. est *in l.
Qui filiabus.* & *l. Si seruus plurium.* §. *fin. ff. de legat.* 1.
& *in l.* 1. *C. de lib. præter.*

Vnde nun obstat, quòd resistentia iuris impediat
fieri extensionem de casu ad casum; quia, cum, vt di-
ctum est, sessiones istæ sint vnus, & idem actus cum
processionibus expressis in mandato, illæ dicuntur in
eodem mandato contineri, non per viam extensionis 29.
sed per viam expressæ comprehensionis: quia casus,
qui sequitur ex eo, quod est expressum, non dicitur
omissus, sed expressus. *l. Iam hoc iure. ff. de vulg.* Dec.
cons. 15. *in fin.* Aym. *cons.* 62. *num.* 14. *cons.* 161. *n.* 10. &
cons. 257. *n.* 6. Curt. iun. *cons.* 121. *n.* 11. *vers. Postea con-
cordando.* vbi dicit communem; Ideóque in contrariū
latè deducta non officiunt, quæ supponunt, sessiones
esse actus omninò diuersos à processionibus.

Et ita conclusum, vtraque parte informante.

REVE

REVEREND. D. COCCINO Decano.

Cæsaraugustana praeminentiarum, Veneris, 14. February, 1631.

ARGVMENTVM.

DuoCollegia, vbi inter se conueniunt, & datur manus dextera Canonicis alterius Collegij, an etiam competat eiusdem Prælato.

SVMMARIVM.

1 *Verba vniuersalia comprehendunt omnia, ac si specialiter fuissent expressa.*
2 *Præcedentia, quæ debetur Capitulo, debetur etiam Prælato ratione connexitatis.*
3 *Monstruositas resultat ex deformium membrorum confusione.*
4 *Connexitas non intrat, quotiescunque per consuetudinem militat aliqua dissimilitudo inter connexa.*
5 *Collegia duo in vnum conuenientia iudicantur, tanquam vnicum corpus; non autem tanquam duo corpora separata.*
6 *Honorifica receptio quomodo intelligatur.*
7 *Æqualitas seruatur, licèt vnus honoretur plusquam alter, ex aliqua ratione, vel circunstantia.*
8 *Specierum enumeratio declarat, de qua re dispositio sit intelligenda.*
9 *Repugnantia in omni materia fugienda est.*
10 *Obseruantia plurimùm confert ad interpretationem, etiam quando verba essent dubia.*
11 *Obseruantia non præsumitur excessiua.*
12 *Manutentio datur ad limites possessionis.*
13 *Praeminentiarum in materia plurimum defertur consuetudini.*
14 *Manutentionis ad effectum sufficit vnicus testis.*
15 *Confessio Prælati adminiculata probat etiam in præiudicium Ecclesiæ, præsertim quando concernit actum gestum à confitente.*
16 *Testes eliduntur ex contrariis numero maioribus.*
17 *Assistentia iuris communis in materia præcedentiæ remanet turbida, quando duo Collegia inter se conueniunt ad faciendum vnum corpus.*

DECISIO CXIV.

VT aliàs dictum fuit, consulti Domini super interpretatione, & forma executionis mandati de manutenendo, aliàs de anno 1557. coram bon. mem. D. de Rubeis relaxati; quamuis sub die 26. Aprilis, & 29. Nouembris anni 1627. inter cætera respondissent, Decano, dignitatibus, & Canonicis Metropolitanæ dandam esse manum dexteram à Priore, & Capitulo Ecclesiæ B. Mariæ de Pilari in eadem Ecclesia, quoties Metropolitani certis diebus ad illam accedunt: hodie tamen, suscepta iterum super eodem dubio disputatione, resolutum fuit, dictum mandatum de manutenendo, ita esse intelligendum, vt idem Prior Sanctæ Mariæ in propria Ecclesia de Pilari sedeat in sua Sede priorali, accedente Capitulo Sancti Saluatoris: & in hoc à decisis recedendum.

Id autem deducebant Domini. Primò ex verbis generalibus eiusdem mandati, dum in concursu vtriusque Ecclesiæ, in quibuscunque actibus concedit præcedentiam Priori, & Capitulo S. Mariæ, ibi: *Canonici, & Capitulum Ecclesiæ Sancti Saluatoris Metropolitanæ, &c. teneantur, &c. illos* (Priorem, scilicet, & Canonicos Ecclesiæ sanctæ Mariæ Maioris de Pilari) *tam in prædictis, quàm aliis quibuscunque actibus in quibus insimul conuenire, aut interesse contigerit, ad dexteram partem, seu manum, tam in Choro, quàm extra etiam in processionibus prædictis collocare, &c.* Quæ verba tanquam vniuersalia omnem locum comprehendunt & consequenter Ecclesiam de Pilari ad tradita 1.
late per Tiraq. *de retract. lign. §. 1. gloss. 7. num. 10. & seqq.* Surd. *cons.* 453. *num.* 8. Crauett. *cons.* 926. *num.* 7. ac si specifice eadem Ecclesia fuisset expressa, Oldrad. *cons.* 322. *n.* 2. Surd. *cons.* 181. *n.* 42 *& cons.* 358. *num.* 2. Rimin. *cons.* 40. *num.* 12. *lib.* 2. ita vt Prior ipse de pilari in hoc satis videatur habere fundatam intentionem pro retentione suæ Sedis prioralis.

Nec dicatur, quòd, quemadmodum per Canonicos & Capitulum Beatæ Mariæ conceditur manus dextera Canonicis & Capitulo Metropolitanæ; ita etiam 2.
concedi debet per Priorem de pilari Decano Sancti Saluatoris, vel ratione connexitatis ad text. *in cap. Translato.* cum ibi not. *de constit.* & ad latè tradita per Chassan. *in Catal. glor. mund. par. 4. consid. 32. vers. Sed ratione connexitatis.* vel vt euitetur monstruositas, ex deformium membrorum confusione resultans iuxta 3.
text. *in cap. 1. 12. dist.* cum aliis per eundem Chassan. *loco præcitato vers. Tamen hæ responsiones.* vel denique ratione illius honorificentiæ; qua Prior, Canonici, & Capitulum Metropolitanæ in Ecclesia B. Mariæ recipi debent per Priorem, Canonicos, & Capitulum de Pilari, vt ponderatum fuit in præfatis decisionibus sub die 26. Aprilis, & 29. Nouembris anni 1627.

Nam quoad rationem connexitatis, illa non intrat, 4.
quotiescunque, vt in casu isto, per consuetudinem militat aliqua dissimilitudo inter cõnexa, vt fusè explicat Euerard. *in argumento à simili, in secunda col. ante fin. vers. Quando autem duo sunt similia.* Ratio autem vitandæ monstruositatis, quæ ex membrorum confusione oritur, non potest in hac facti specie considerari: 5.
cùm vtrunque Capitulum simul conueniat, tanquàm vnicum corpus; non autem tanquam duo corpora separata, vt ad propositum considerant Felin. *in c. Pastoralis n. 9 vers. Vbi duo corpora.* Abb. §. 1 *n.* 7. Imol. *n* 12. *de rescript* & faciunt notata *in c. Scriptum.* vbi Abb. *n.* 6. Imol. *pariter n. 6. vers. Nota, quod vbi de elect.* Honorificam denique receptionem, visum fuit, necessariò 6.
non inferre in casu isto concessionem manus dexteræ, sed esse intelligendam secundùm subiectam materiã; vt, scil. Decano, atque Capitulo Metropolitanæ ad Ecclesiam Beatæ Mariæ venienti Prior de Pilari assurgat, obuius procedat, ad ostium vsque humaniter excipiat, mandet pulsari campanas, & Chorum dexterum, excepta priorali Sede, vacuum iisdem dimittat, ad tradita per Felin. *in rubr. de maior. & obed sub n.* 8. & conferũt notata per Vitalin *in Clem. Si Sum. n. 34. & seq. de sent.* 7.
excomm. Ratione enim subiectæ materiæ, & qualitatis personarum dicitur etiam æqualitas seruari, licet vnus honoretur magis, quàm alter ex aliqua ratione, vel circunstantia ad text. *in l. 3. §. Præses.* vbi Glos. *in* 5. *discrimine, ff. de munerib. & honorib.*

Hisque conformem fuisse mentem Iudicis, qui dictum mandatum de manutenendo concessit, satis etiam colligitur ex eo, dum idem mandatum loquens de Ecclesia Sanctæ Mariæ, eunte ad Ecclesiam Sancti Saluatoris, postquàm iubet; vt honorificè recipiatur, expressè addidit etiam, vt latus dexterum eidem assignaretur: signum euidens, quòd sub simplici honorifica receptione ex mente Iudicis non continebatur præcisè latus dexterum, cùm de vtroque discretiuè loquutus 8.
fuerit, *l. Hac verba. ff. de verb. signif.* Seraph. *decis* 964. *n.* 3. qui loquitur in his terminis.

Secundò, id deducebant Domini ex verbis, etiam specialibus, eiusdem mandati: in quo, postquàm vtriusque Capituli ad vtranque Ecclesiam mutuus accessus

cessus, necnon in ipsarum qualibet functiones rece n-
sentur, tandem disponitur: Quòd in prædictis Ec-
clesiis, tam in Choro, scilicet, quam extra, Prior, &
Capitulum Sancti Saluatoris teneantur dare manum
dexteram, seu Chorum dexterum Priori, & Capitu-
lo de Pilari: ex his enim verbis clarè patet, idem man-
datum expressam continere præcedentiam Prioris
Beatæ Mariæ in propria etiam Ecclesia: cùm de vtra-
que generaliter & indistinctè loquatur, ex iuribus *su-
prà* allegatis: & consequenter tantò euidentiùs ex-
cludi interpretationem illam, quòd honorifica rece-
9. ptio superiùs ponderata imponet concessionem ma-
nus dexteræ. Ne dicamos, mandatum, quod priùs in
vtraque Ecclesia indistinctè concedit præcedentiam
Priori Beatæ Mariæ, continere repugnantia: si respe-
ctu Metropolitanorum, iniungendo posteà Priori &
Capitulo de Pilari honorificam receptionem, eandem
manum dexteram ipsimet Priori incontinenti aufer-
ret contra reg. text. *in l. Vbi repugnantia. ff. de reg iur.
c. Inter dilectos. de fid. instrument.* Bart. *in l fin §. Item
quæsitum. ff. de cond. & demonstr.* cum aliis per Aym.
cons. 70. *n.* 5.

10. Tertiò, hanc ipsam interpretationem Domini etiam
eliciebant ex obseruantia, quæ ad eandem interpre-
tationem plurimùm confert Honded. *cons.* 13 *num.* 35.
& cons. 89. *n.* 46. *lib.* 2. quando etiam verba essent du-
bia. Rot *decis.* 256. *in fi. par.* 2. *diuer.* Mantic. *decis.* 296.
n. 6. Ac præcipuè in casu isto, in quo cùm ad exequu-
tionem eiusdem mandati Metropolitani compulsi fu-
rint per censuras, eadem obseruantia tantò minùs præ-
11. sumitur excessiua, sed restricta ad limites ipsius man-
dati, vt ad propositum considerat Rot. *decis* 45. *sub
num* 11. *de appell in nou.* & apud Seraph. *decis.* 1189.
12. *n.* 1. *&* 2. maximè cùm non solùm in huiusmodi sum-
mariissimis possessoriis retinendæ detur manutentio
ad limites possessionis, *vulg. § Retinendæ instit. de in-
terd* & ad terminos status, Ruin. *cons.* 155. *n.* 5. *l.* 4. Rot.
decis. 4 *num.* 2. *&* 3 *de dilat. in nou.* & *decis.* 522. *num.* 2.
13. *&* 3 *par.* 1. *diuers.* sed versemur etiam in materia præe-
minentiarum, in qua plurimùm defertur consuetudi-
ni Bald. *in c. Cùm olim in* 1. *not. de consuet.* qui loqui-
tur in puncto circa locum sedendi. Ruin. *cons.* 19 *n.* 6.
lib. 1. Chassan. *in catal glor. mund. par* 4 *consid.* 37. *vers.
De his dignitatibus.* vbi in his terminis loquitur de
præcedentia inter dignitates inferiores. Rota *decis.* 4.
num. 2. *ad fin de elect. in nou.* Seraph. *decis.* 964. *num.* 1.
& 2. & ponderatum fuit *in Colonien. præcedentiæ*, 9.
Iunij 1627. coram R.P.D. meo Vbaldo.

Obseruantiam verò satis concludere videbantur
quamplurimi testes, qui dantur *in Summario pro Ec-
clesia Beatæ Mariæ, à num.* 3. *vsque ad* 6. ritè deponen-
tes de ista quasi possessione Prioris sedendi in prima
Sede Chori dexteri, qui Capitulo, & Canonicis San-
cti Saluatoris assignatur: quos inter, primus deponit
de annis septuaginta, ita vt percutiat annum decreti
manutentionis immediatè præcedentem; & sic con-
cludit obseruantiam anteriorem, ad cuius limites præ-
sumendum est, concessam fuisse manutentionem ex
14. deductis; quamuis enim sit vnicus; sufficit tamen in
his, quæ manutentionem respiciunt, Rot. *decis.* 196.
par. 1 *diuers.* & *decis.* 614. *num.* 5. *&* 1326. *num.* 1. apud
Seraph præsertim verò cùm per alios testes abundè
adminiculetur. Nam ex octo testibus de visu, qui
dantur *in eodem Summario Beatæ Mariæ, sub n.* 3. alius
percutit annum 1561. duo verò annum 1566. & 1567.
quo Capitulum Sancti Saluatoris compulsum fuit ad
paritionem huius mandati rotalis sub censuris, ac pœ-
na ducat, 10000. & post præstitam obedientiam ab iis-
dem censuris absolutum. Reliqui autem quatuor de-
ponunt de annis 1571. 1576. 1581. & 1583. Cum qui-
bus concordant alij septem, qui pariter dantur *sub n.* 4.
de auditu, voce, & fama publica deponentes. Necnon
alij 11. *sub n.* 5. ad perpetuam rei memoriam recepti,
qui immemorabilem cum suis qualitatibus conclu-
dunt. Ac denique alij octo aduersùs depositiones trium
testium Sancti Saluatoris examinati: qui de visu, vocé-
que, & fama publica testantur.

Ad cuius obseruantiæ robur multùm etiam confer-
re arbitrabantur Domini confessionem ipsiusmet De-
cani Sancti Saluatoris, pleno & non contradicente
Capitulo, declarantis, Decanum semper sedisse in pri-
ma Sede Chori sinistri in vtraque Ecclesia. Quæ qui- 15.
dem confessio, vt patet, adminiculata probat etiam in
præiudicium Ecclesiæ. Mantic. *decis* 39. *n.* 1. cum aliis
per Adden. ad sanct. memor. Greg. *decis.* 375. *n.* 11. Præ-
sertim in casu isto, in quo confessio prædicta con-
cernit actum gestum à confitente, Glos. *in c. vlt in fin.*
vbi Abb. *n.* 44. *vers. Ego soluendo. de præsumpt.* Tiraq.
in tract. lignag §. 1. *glos.* 14. *n.* 48. & notant Adden. *ad
dict. decis.* 375. sanct. mem. Greg. *loco cit.*

Non obstant testes Metropolitanæ in contrarium
ponderati in decisionibus, quæ reuidemur: quia ex
declarationibus per eosdem nouiter factis reducuntur
ad concordiam; vel in omnem euentum eliduntur à 16.
contrariis testibus, numero maioribus, ad tradita per
Gabr. *de testibus. conclus.* 4. *n.* 50.

Non obstat assistentia iuris communis, fundata in
præsenti statu cathedralitatis, quo quingentis abhinc
& ampliùs annis gaudet Ecclesia Metropolitana San-
cti Saluatoris: quia, cùm iam fuerit resolutum, con-
stare, Ecclesiam Beatæ Mariæ fuisse antiquitus Cathe-
dralem; potest hodie dubitari, an Ecclesia metropoli-
tana possit in hoc vti assistentia iuris communis con-
tra præfatam Ecclesiam Beatæ Mariæ, quæ videtur re-
tinuisse iura antiquæ cathedralitatis, vt latè deductum
fuit in decisione coram me facta, sub die prima Mar-
tij anni præteriti. Vel saltem, cùm vtrunque Capitu- 17.
lum dicatur conuenire ad faciendum vnum corpus,
assistentia iuris remanet valdè turbida. Chassaneus *vbi
suprà. consider.* 32. *per totam*, & aduertit Rota *in dicta
Colonien. præcedentiæ*, 9. Iunij, 1627. coram R.P.D.
meo Vbaldo. Aut in omnem euentum id respicit pe-
titorium; prout etiam sententia Sancij de anno 1221.
laudum Alphonsi de anno 1513. & Concordia Ferdi-
nandi de anno 1539. Quæ vlteriùs loquuntur solùm
de Canonicis, & Capitulo; non autem de Priore, &c.

Et ita conclusum, parte vtraque informante, &c.

EMINENT. D. CARD. VBALDO.

Colonien, præcedentiæ, Mercurij, 9. Iunij, 1627.

ARGVMENTVM.

Præcedentiæ in materia datur manutentio possessori, in gradu appellationis, etiam deuolutiuæ; probata quasi possessione, & consuetudine, etiamsi sit contra ius

SVMMARIVM.

1 *Manutentionis in iudicio quasi possessio sola attenditur.*
2 *Confessione probatio melior afferri non potest.*
3 *Manutentionis in iudicio probationes leues sufficiunt.*
4 *Præcedentia in materia ius plurimum defert consuetudini, etiamsi consuetudo iuri repugnet, n.* 5.
6 *Præcedentia in materia possessio innata consuetudine, licèt iuri repugnante, est manutenibilis.*
7 *Possessorij actus non præsumuntur esse facultatiui, & iure familiaritatis, quando sunt multi, & continuati per longum tempus.*

8 *Ordina*

8 *Ordinarij possunt præcidere controuersias subortas in processionib. in materia præcedentiæ. Datur tamen ab eorum ordinationib. appellatio deuolutiua.*
9 *Manutentio datur possessori in gradu appellationis deuolutiua.*
10 *Actorum transportatio præsumitur integra.*
11 *Acta causæ, de qua agitur, solum transportada sũt.*
12 *Acta superflua si transportata non fuerint, non nocent.*

DECISIO CXV.

FVit hodie resolutum, manutentionem esse concedendam Prælatis, & Dignitatibus Collegiatarum in quasi possessione præcedendi Canonicos Metropolitanæ Coloniensis in processionibus, aliisque actibus, tam publicis, quàm priuatis.
1. Quia quasi possessio dictarum dignitatum, quæ solæ
attenditur in hoc iudicio manutentionis, §. *Retinendæ. instit. de interdict.* Rot. *decis. 641. n. 8. par. 1. diuers.* remanet sufficienter probata ex confessione eorundem, & Canonicorum emanata in breui Innocentij VIII. vbi asserunt, dignitates digniorem locum occupasse, & de præsenti occupare, tam in actibus publicis, quàm
2. priuatis, vt patet ex lectura Breuis, quod datur *in Sum.*
n. 1. Et ista confessione non potest afferri melior probatio, *l. Cùm precum. C. de liberal. caus.* Gabr. *de confess. concl. 4. n. 1. & seq.* fel. record. Greg. XV. *decis. 200. n. 2. & decis. 458. n. 3.*

Deinde, dicta quasi possessio probatur ex testibus, quorum vnus fuit examinatus ad perpetuam rei memoriam, & alij duo fuerunt examinati formiter hîc in Curia, & omnes optimè deponunt de hac quasi possessione præcedendi, de visu, & de certa scientia, absque aliqua contradictione; & deponunt de toto tempore sui recordatus, & vltra, de auditu à maioribus, vt patet
3. ex lectura depositionum, quæ dantur *in Summ. n. 5. & 6.*
Vnde manutentio denegari non potest, stantibus supradictis plenissimis probationibus, cùm sufficiant etiam leniores. Menoch. *de retinen. remed. vlt. num. 34.* Rot. *decis. 196. n. 6. par. 1. & decis. 375. n. 2. lib. 3. par. 3. diuers.* Seraph. *decis. 1113. n. 1.* fel. record. Greg. XV. *decis. 258. n. 3.*

Non obstat, quòd ista possessio dignitatum non suffragetur contra iuris assistentiam, quam habent Canonici Metropolitani: quia, quicquid sit de hac iuris assistentia, quæ videtur valdè controuersa à DD. vt patet ex latè traditis per Chassaneum *in Catalog.*
4. *glor. mund. consid. 32. per tot.* Dominis placuit responsio, quòd in omnem casum in hac materia præcedentiarum ius defert consuetudini. Bald. *in cap. Cùm olim. n. 1. & seq. de consuet.* Felin. *in c. Statuimus. in princ. de maiorit. & obed.* Card. *cons. 62. n. 1.* Dec. *in l. Cùm quidam. n. 39.* & *ibi* Cagnol. *n. 42. ff. si cert. pet.* Rimin. iun. *cons. 95. n. 22. lib. 1.* & dixit Rota *in Seguntina præcedētia. 22. Iunij, 1609.* coram Reuerendissimo D. Patriarcha Antiocheno, & *in eadem, 8.* Martij, 1613. coram bon.
5. mem. D. meo Vbaldo: quod procedit, etiamsi consuetudo iuri repugnet. Menoch. *cons. 9. n. 51.* Seraph. *decis.*
6. *964. n. 1.* fel. record. Greg. *decis. 124. n. 2. & 4.* Et ideò etiamsi possessio sit contra ius, est manutenibilis, vt in casu nostro Franc. *in c. Ad decimas. n. 8. in 4. limit. de restit. spol. in 6.* Couar. *pract. q. c. 17. sub n. 6. vers. 4.* Rot. *decis. 534. n. 7. & decis. 595. n. 4. par. 1. diuers. & in recent. decis. 185. n. 3. par. 1.* fel. record. Gregor. XV. *decis. 370.* vbi Add *sub n. 10.* & Dixit Rota *in Calcaten. decimarum, 10.* Iunij, 1611. coram Reuerend D. meo Patriarcha Antiocheno: & *in Oneten. iurisdict. 22.* Martij præteriti, coram me.

Non obstat, quòd actus præcedendi potuerint esse
7. facultatiui, & iure familiaritatis: quia ista præsumptio excluditur ex multiplicitate actuum, & ex continuata possessione per congruum tempus, de quo deponunt supradicti testes. Cæs. de Grass. *decis. 1. n. 3. de caus. poss. & propr.* fel. record. Greg. XV. *decis. 572.* vbi Add. *n. 8.*

Non obstat, quòd in Concilio Tridentino *sess. 25.* 8.
cap. 13. de Regular. disponatur, quòd Ordinarij possint præcidere controuersias subortas in processionibus: & ideò cùm Ordinarius in casu nostro decretauerit per modum prouisionis ordinem seruandum in istis præcedentiis, non possit ordo alterari, & dari manutentio dignitatibus, donec per rem iudicatam sit negotium terminatum, *iuxta decis.* Rot. *in recent. 332. n. 4. & 491. n. 11. par. 1.* Placuit enim Dominis ratio, quòd Concilium solummodo disponit, vt Episcopus possit prouidere, & ordinare, quod sibi videbitur, ad euitanda scandala: & ordinatum ab eo debet quidem executioni
demandari; sed non tollit appellationem deuolutiuam, 9.
in cuius gradu benè datur manutentio possessori, vt aliàs censuit Rot. *in Hispalen. & Caurien. permutationis, 11.* Martij, 1596. coram Giptio, & *in Virdunen. Vicariatus, 1.* Iun. 1616. coram bon. mem. Buratto. Nec supradictæ decisiones *in recent.* applicantur casui nostro, cùm loquantur in diuersis terminis de manutentione debita Episcopo in cognitione causarum criminaliũ, & matrimonialiũ, ex forma Concilij Trident. nisi adsit in contrarium immemorabilis canonizata per tres cõformes, vt patet ex lectura dictarum decisionum.

Non obstat defectus non integræ transportationis
actorum. tum, quia præsumptio stat pro integra trans- 10.
portatione, Rot. *decis. 64. n. 4. par. 1. diuers.* Aym. *de antiq. temp. par. 2. n. 55.* & fuit dictum *in Regien. deuolutionis cerrarum, 3.* Iulij, 1617. coram bon. mem. D. meo Vbaldo. Tum, quia prætenditur, non fuisse transportatum decretum enunciatum in decreto, à quo fuit appellatum. Vnde, vel illud primum decretum, quatenus extet, non videtur transportandum, cùm ab eo non
fuerit appellatum, & non sit de ista causa; ex quo non 11.
sunt transportanda, nisi ea, quæ sunt de actis causæ, de qua agitur. Rot. *diuers. decis. 884. n. 1.* fel. record. Greg. XV. *decis. 55. decis. 300. n. 1.* Tum, quia pro parte digni-
tatum dictum decretum enunciatum non controuer- 12.
titur: & ideò esset superflua transportatio, quæ propterea obstare non debet. Rot. *dec. 664. n. 3. par. 2. in recent.*

Et ita decisum, vtraque parte informante.

R. P. D. MERLINO.

Valentina iuris sedendi, Veneris, 16. Decembris, 1633.

ARGVMENTVM.

Præpositi habentes stallum in Choro, & locum in Processionibus immediatè post Canonicos, possunt occupare sedes vacuas Canonicorum absentium.

SVMMARIVM.

1 Immediatè, *verbum quid importet.*
2 Post, *dictio importat continuationem, & adherentiam quocunque reiecto medio, ac interuallo.*
3 *Exceptio firmat regulam in actibus non exceptis.*
4 *Verba sunt intelligenda, vt concessio conueniat personæ, cui est facta.*
5 *Qualitas adiecta actũ in diuersam speciẽ trãsfert.*
6 *Priuilegia omnia rei suppressæ transeunt in rem subrogatam.*
7 *Subrogatum dicitur idem cum primo, in cuius locum fuit subrogatum.*

8 Adinstar, dictio stat causatiuè.
9 *Sedes canonicales sunt fructus Canonicatuum, & ad solos canonicos spectant.*
10 *Sedendi in materia decentia Chori potissimum attendi debet.*
11 *In choro non debet esse aliqua dispersio; sed coniunctissima vnitas.*
12 *Dignitatis aqualitas arguitur ex aquali habitu, & incessu in Processionibus.*

Decisio CXVI.

CONtrouertebatur inter Canonicos, & Præpositos Ecclesiæ Valentinæ præeminentia circa locũ sedendi, & super eo, an Præpositi possent occupare sedes vacuas Canonicorum absentium; num verò in particularibus, & perpetuis eorum sedibus inferioribus, & distinctis à canonicalibus residere deberent. Qua controuersia Rotæ decidenda commissa, responsum hodie fuit, Præpositos posse occupare sedes vacuas Canonicorum: quia eisdem Præpositis fauent literæ apostolicæ, constitutiones capitulares, & decoris ecclesiastici ritus.

In literis enim erectionis Præpositurarum, de quibus agitur, factæ per felicis recordationis Sixtum V. disertis verbis habetur: *Vt Præpositi obtinere debeant stallum in choro, & locum in processionibus immediatè post Canonicos*, vt in *Summario Præpositorum, n.1. & 2.*
1. Quod verbum, *immediatè*, importat, vt sessio Præpositorum nullo medio interposito omnimodè adhærere, & continuatiuè copulari debeat sedibus Canonicorum, Bald. *in l. 1. n.3. C. de condit. insert.* Aretin *cons.71. n.3. in fin. vers. Nam illud dicitur immediatum.* Ruin. *cons.7. num.7 vers. Primo enim lib.4.* Tiraquel. *in l. Si vnquam verb. reuertatur n.125. vers. Nam & ea. C. de reuoc. donat.* Decian. *cons.9. num.10. lib.2.* Chassan. *in Catalog. glor. mundi par.1. considerat.16.* Caputaq. *dec.*
2. *21. num.3. par.3.* Quam pariter continuationem, & adhærentiam, quocunque reiecto medio, ac interuallo infert dictio, *post*. Ita Gemin. *in cap.1. num.8. de restit. spoliat.* Tiraquel. *in l. Si vnquam. verb. Postea n.12. C. de reuoc. donat.* Capic. *decis.37. n.1. & 2.* Et in eisdem literis apostolicis Præpositis conceduntur omnes præeminentiæ, prærogatiuæ, & priuilegia Canonicorum,
3. exceptis Capitularibus, quæ exceptio firmat regulam in actibus non exceptis; & sic circa locum sedendi, vt, scil. sedere debeant in eodem loco, & eodem modo, prout Canonici *l. Quæsitum. §. Denique. ff. de fund. instruct.* Ruin. *cons.41. n.9. lib.2.* Rota coram sanctæ memoriæ Gregor XV. *decis.257 n.4.*

Non obstat, quòd in Literis apostolicis Sixti V adsit restrictio illa, *iuxta ordinem ad id eis præscribendum*, &c. quia verba huiusmodi sunt referenda ad ordinem seruandum inter ipsos Præpositos, inter quos Pontifex cogitauit, posse oriri differentiam præcedentiæ, eò quòd aliqui Theologiæ, alij essent iuris canonici Professores: quas controuersias, prout de iure definiendas reliquit; non autem referuntur ad ordinem sedendi respectu Canonicorum: nam Præpositis sedem Canonicis immediatam decreuit Sixtus V. vt *supra* dictum fuit.

Minùs obstat, quòd verbum, *immediatè*, sit referendum ad sedes canonicales, vt, scilicet, post ordinem sedium canonicalium subsequi deberent sedes Præpositorum: quia hæc interpretatio videtur repugnare verbis expressis literarum apostolicarum, quæ directa
4. sunt in personas Canonicorum, non autem in sedes canonicales, ibi: *Immediatè post canonicos.* Idcóque præcisè de personis intelligi debent, iuxta tradita per Surd. *cons.453. num.53.* cum aliis. Præsertim verò, quia, vt mox deducetur, Canonici non habent particulares, & proprias sedes, & ordinem sedendi ab aliis distinctum.

Ex Constitutionibus etiam Capitularibus datis in *Summario, num.4.* deducitur, Præpositos posse occupare sedes vacuas Canonicorum, quoniam ibi statuitur, vt Dignitates in propriis iam ab antiquo designatis cathedris sedere debeant: Canonici verò incontinenti post Dignitates, & post Canonicos Præpositi; & deinde immediatè Beneficiati. Vnde apparet, solummodò Dignitatibus assignatas fuisse proprias, & perpetuas sedes distinctas; Canonicis verò, & Præpositis destinata fuit successiua, & continua sessio; non autem discreta, & separata, ita vt deberent quidem primò sedere Canonici; sed non in loco separato, & disiuncto à sessione Præpositorum: & discretiua illa, ac particularis dispositio de propriis sedibus Dignitatum, tribuit illis duntaxat diuersam speciem, & qualitatem, non communem Canonicis & 5.
aliis, iuxta notata per Surd. *cons.292. n.8. & cons.321. num.13. & cons.366 num 23.* Quod & suadetur ex eo, quòd idem est aditus Canonicis, & Præpositis ad sedes: nec Præpositi ingrediuntur per diuersos gradus, sed per eosdem omninò, quibus incedunt Canonici ad sedes canonicales; nec sedes canonicales sunt difformes, aut diuersæ, nec in materia, neque in structura à sedibus Præpositorum: signum, quòd nullum est discrimen inter sedes canonicales, & ipsorum Præpositorum: sed, cùm sint contiguæ, & annexæ sine vllo medio, rectè Præpositi subingrediuntur, & occupant sedes Canonicorum absentium ad instar ipsorum Canonicorum.

Non obstat, quòd dicta constitutio loquatur de antiquis Præpositis. Quoniam in modernos Præpositos,
subrogatos per Sixtum V. in Literis erectionis, Præpositis antiquis, transeunt omnia priuilegia suppressorum, 6.
vt scripserunt Petrus de Vbald. *in tractatu de vnione, c.2 n.3.* Garzias *de beneficiis par.12. c.2. n.10* Et perso- 7.
na subrogata dicitur eadem cum prima, in cuius locum subrogata fuit, & sub eadem dispositione comprehenditur, *§. Si igitur defunctus. Authentica de hered. ab intestato venien.* Decianus *cons.52. n.53. lib.1.* Natt. *cons.346. n.3.* Verbáque illa, *adinstar Præpositorum antiquorum*, relata in Literis erectionis, stant causatiuè, vt, scil. Præpositi moderni debeant sedere immediatè, & incontinenti post Canonicos, quemadmodum sedebant Præpositi antiqui, ex traditis per Rotam *decis 171. n 4.*
par.1. diuers. cum aliis. 8

Nec releuat, quòd sedes canonicales sint fructus 9.
Canonicatuum, & ideò ad solos Canonicos spectent, ex Seraph *decis.953. n.2.* Quoniam admittitur ad solos Canonicos spectare, quando ipsi intersunt: sed in casu illorum absentiæ debent admitti Præpositi, qui nullum præstant impedimentum, aut præiudicium Canonicis, nec eos ab hoc fructu sedis excludunt.

Demum Præpositis suffagatur etiam decoris ecclesiastici ritus; quoniam cùm ipsi Præpositi eundem deferant habitum cum Canonicis, cúmque illis incedant in Processionibus sine discrimine loci, nullóque interiecto medio; & posset dari casus notabilis distantiæ inter Canonicos ipsos, & à Dignitatibus ob Canonicorum absentiam; vtique hæc omnia repugnarent
decentiæ Chori: quæ potissimùm in hac materia se- 10.
dendi est attendenda. Rot. *decis 411. n.2. par.2. recent.* discretáque, & distans, quæ contingere posset inter Canonicos sessio, Piorum intercessentium oculis, & animo nõ satisfaceret, & forsan præberet ansam male arguen-
di in eisdem Canonicis, & Præpositis discrepantiam 11
animorum in vnum non cohærentium: in Choro au-
tem non debet esse aliqua dispersio, sed coniunctissi- 12
ma vnitas, vt dixit Rota coram Reuerendiss. Domino meo Decano *decis.197. n 4.* Et æqualis habitus delatio

&

incessus in processionibus æqualem exigit & præeminentiam in sedendo, arguúntque Dignitatis æqualitatem, ita vt ab vno benè inferatur ad alium, ex trad.per Gemin. *in c. Vt apostolicæ n.2.* vbi Franch. *n.2. de priuileg. in 6.* Boët. *in tractatu de authorit. magn. Concil. n.29. & 42.* Gratianus *disceptationum forens. c. 845. n.5. & in Cæsaraugustana praeminentiarum*, 29. Nouembris, 1627. coram Reuerendissimo Domino meo Decano.

Et ita, vtraque parte informante, resolutum fuit.

ILLVSTRIS. CARDINALI SERAPHINO.

Salmanticen. iurisdictionis, 9. Maÿ, 1594.

ARGVMENTVM.

Abbas, qui exercet iurisdictionem ordinariam in aliquo territorio, ex consuetudine immemorabili confirmata à Sede apostolica, potest concedere literas dimissorias ad Ordines: & ei non obstat Concilium Tridentinum *in cap. 10. sess. 23. de Refor.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinarij appellatione comprehenduntur, tam Episcopi, quàm etiam inferiores, in materia eis adaptabili: & n.4.*
2 *Territoriū quando dicatur effectū diœcesis Abbatis.*
3 *Visitatio pendet ab ordinaria iurisdictione.*
5 *Abbas si ex consuetudine concedit literas dimissoriales, ei non obstat Concilium Tridentinum* cap. 10. sess. 23. de reform. *cùm censeatur consuetudo confirmata tribuens iurisdictionem, non exemptionem.*

DECISIO CXVII.

Dvbitaui, an Reuerendissimo Abbati obstet decretum *cap. 8. de reform. sess. 7.* Item, decretum *cap. 10 sess. 23.* Et quantum ad prius decretum, Domini dixerunt, non obstare: quia cùm loquatur de Or-
1. dinariis, quorum appellatione comprehenduntur etiam inferiores in materia eis adaptabili, vt per Gemin. *in cap. Ordinarij. num. 3. vers. Nota istam Gloss. de offic. Ordin. in 6.* Franch. *num. 3.* cum aliis adductis sub die 23. Octobris, 1579. *in hac eadem causa*; sequitur, Abbati hoc decretum non obstare, cùm consuetudo, de qua fit mentio in Bulla, sit talis,
2. quæ nedum eximat, sed etiam tribuat iurisdictionem: quo casu territorium dicitur effectum propriæ diœcesis Abbatis. Ioan. Andr *in cap. Nimis. col penult ad fin. de iur. iur.* Anchar. *in c. Postulasti sub num. 45. de for. compet.*

Neque obstat, quòd non sit Ordinarius loci, sed personarum; cùm hæc iurisdictio proueniat à consuetudine non confirmata respectu locorum: quia est eadem consuetudo, de qua Papa testatur; alioquin si voluisset tantummodo eximere; non autem intellexisset iurisdictionem ad Abbatem de consuetudine spectare, vtique hæc loca immediatè subiecisset Sedi apostolicæ, prout in similibus exemptionibus fieri solet: quod clarè ex vsu subsequuto comprobatur. Aym. *cons. 118. n.2.* & *cons. 211. n.8.* necnon ex quatuor casuum exceptione, quæ in non exceptuatis firmat regulam iuribus vulgaribus: & ideò non sumus in nuda exemptione, sed in consuetudine, quæ ordinariam tribuit iurisdictionem. Hostien. *in Summa de offic. Ordin. n.2.* Abb. *in cap Cum contingat. n.5. de for. compet.*

Non obstat, quòd Reuerendissimus Episcopus velit visitare, tanquàm Sedis apostolicæ delegatus: quia Concilium hoc tribuit Ordinariis tantùm: ipse autem in hoc loco non est talis; sed Abbas: visitatio enim 3.
pendet ab ordinaria iurisdictione, *cap. 1. in fin. de censib. lib. 6.* cum aliis allegatis. Et quamuis decretum hoc deroget consuetudinibus; non tamen derogat confirmatis, vt fuit resolutum.

Non obstat decretum *cap. 9. sess. 24.* quia non tollit iurisdictionem *præfati cap. 8. sess. 7.* loquentis de Ordinariis generaliter, quorum appellatione, vt dictum 4
est, tam Episcopi, quam inferiores comprehenduntur. Prætereà, cùm simpliciter loquatur de exemptis, non est trahendum ad eas Ecclesias, quæ habent proprios Prælatos iurisdictionem ordinariam habentes: non enim est verisimile, Concilium hoc casu voluisse subditos duplici onere visitationis grauare.

Quantùm ad decretum *cap. 10. sess. 23.* Domini dixerunt, si ex consuetudine Abbas dabat litteras dimissorias, dictum decretum ex rationibus *suprà* deductis ei non obstare, cùm huiusmodi consuetudo censeatur confirmata, vti consuetudo tribuens iurisdictionem, non autem exemptionem: & ideò non obstare *cap. Cùm nullus. de temporib. ordinationum, in 6.* non enim hoc ius ita Episcopo, vel episcopali dignitati competit exclusiue ad alios, vt non possit consuetudine præscripta induci, vt tradit Glos. *ibid. in verb. Indultum.* & ideò cùm hîc habeamus consuetudinem confirmatam, eam non tollit hoc decretum.

R. P. D. BVRATTO.

Toletana iurisdictionis, Lunæ, 11. Ianu. 1616.

ARGVMENTVM.

Exempti ab Ordinariorum iurisdictione nequeunt ab ipsis Ordinariis, vel eorum ministris excommunicari. Notarij, & Nuntij relationi creditur, vbi adest stylus.

SVMMARIVM

1 *Absolutio ad cautelam ex inueterato stylo Rotæ, sine causæ cognitione concedi solet.*
2 *Exempti à iurisdictione Ordinarij, inconsulto Summo Pontifice, nulliter excommunicantur sub prætextu, quòd præcepto eiusdem Ordinarij non paruerint.*
3 *Absolutio à censuris non remittitur ad Ordinarium, quando constat de grauamine ab ipso, vel eius Officiali illato.*
4 *Notarij, & Nuncij relationi sine testibus statur, si adest stylus: & loquitur de stylo ciuitatis Toleti.*
5 *Nuncius refert per verba præteriti temporis.*
6 *Notario attestanti de sua deputatione creditur de stylo Rotæ.*
7 *Ad interdictum quomodo procedatur remissiuè.*

DECISIO CXVIII.

Cvm Abbas de Escalona, & alij appellantes à censuris, & interdictis per Commissarium Illustrissimi D. Cardinalis Archiepiscopi latis; prætenderent, se non esse remittendos ad dictum Illustrissimum eorum Ordinarium pro absolutione ad cautelam, ex inuetera- 1.
to stylo, sine causæ cognitione per Rotam concedi solita;

lita; proposito dubio, visum fuit DD. constare de no-
torio grauamine per dictũ Commissarium illato. Fuit
enim a S.D.N. concessa exemptio Collegiatæ dicti lo-
ci de Escalona in limine illius erectionis à iurisdictio-
ne Ordioarij, cum immediata subiectione Nuncio
Hispaniarum, & Sanctæ Sedi Apostolicæ: ita quòd Or-
dinarius non posset excommunicare, suspendere, & in-
terdicere, nec de defectu eius vacationis, & consensus
opponere, cum decreto irritanti, & aliis clausulis am-
plissimis, de quibus in literis apostolicis eidem Com-
missario exhibitis, qui respondit, se scire de verbo ad
verbum omnia in eis contenta, & quòd propterea non
2. indigebat earum lectura, vel intimatione, vt *in summa-
rio Abbatis nunc dato, n.3.* Et ideò inconsulto Summo
Pontifice, & non informato de exemptione Illustris.
D. Archiepiscopo, (qui aliàs præsumendum est, quòd
pro summa eius prudentia, & erga sanctam Sedem a-
postolicam, & S. D. N. obseruantia d. Commissario
mandasset, vt à dictis censuris, & interdictis se abstine-
ret, prout stantibus præmissis abstinere debebat,) non
potuit idem Commissarius ad illa procedere contra
præbendatos eiusdem Ecclesiæ, & alios, prætextu, quòd
eius præcepto non paruerint, prout processit, & sic nul-
liter, *cap. Ad quorundam.* vbi Socin. *n.1. de excess. Præ-
lat.* quæ sustineri nun possunt. Innoc. *in cap. Ex parte,
il. 1. col. 2. n. 3. vers. Licèt. de verb. significat.* & *ibi* Ioan.
Andr. *col. 3. n. 5. vers. Quod si monitus.* Hostien. *in simili
vers. n. 5.* Butr. *n. 11. vers. Secundo casu,* Card. *n. 6. vers.
Quòd si monitus.* & consequenter cessat manifesta of-
fensa, & dubietas, nec debet fieri remissio pro absolu-
3. tione ad Ordinarium, cuius Commissarius excommu-
nicauit, *c. Venerabilis § Sanè. vers. Si verò.* vbi Gloss. &
Doct. *de sent. excom. in 6.*

Non obstat, quòd non sit danda fides attestationi
4. Notarij sine testibus, qui exhibuit dictas litteras: quia
imò illi statur de stylo illarum partium: si enim statur
relationi Nuncij absque testibus, quando adest stylus,
vt illi credatur, vt fuit dictum *in alia Toletana deci-
marum,* 3. Iunij, de anno 1590. coram bon. mem. Penia,
in Vlubonen. iuris deputandi Collectores, 14. Maij, 1603.
coram Rener. Attrebaten. & *in Placentina, & Toleta-
na Canonicatus, & Beneficiorum,* 26. Iunij, 1609. coram
Reuerendissimo D Bononien. multò magis Notarij, vt
5. *in dicta Vlubonen. B.* Et sic cessat etiam obiectum, quòd
dicta attestatio sit facta per verba enunciatiua præteri-
ti temporis; quia est facta à Notario, tanquam Nuncio,
qui semper refert per verba præteriti temporis, ad not.
in cap. Cùm parati. de appellat. & iuxta formam tradi-
tam a Speculat. *in tit. de citat. §. Sequitur videre. n. 11.*
Vltrà quòd est etiam subscripta per eundem Notariũ,
& recognita per testes, citata parte, & cum eius inter-
6. rogatoriis iuxta stylum Curiæ, vt in actis. Et prædicta
fortiùs locum habent: quia ipse erat Notarius causæ
pendentis coram Abbate, & eius assertioni de sua de-
putatione statur ex stylo Rotæ Caputaq. *decis. 245. n.
1. part. 2.* & fuit dictum *in Firmana iurisd.* 26. Iun. 1610.
7. coram Illustrissimo D. Card. Lancellotto, C. Ex qui-
buset iam dictum fuit, non potuisse procedi ad inter-
8. dictum, non seruatis præsertim traditis per Couar. *in
cap. Alma mater. par. 1. §. 1. n. 4. vers. Sed ob vnius. de
sent. excomm. in 6.*

REVEREND. D. COCCINO
Decano.

Burgensis expens. Veneris, 10. Decembris, 1625.

ARGVMENTVM.

Decimæ, seu expensæ necessariæ, quæ sol-
uuntur Capitulo Burgensi ex immemo-
rabili, debentur etiã ex beneficiis vnitis.

SVMMARIVM.

1 *Immemorabilis habet vim priuilegij, & legis, seu
constitutionis.*
2 *Obseruantia est optima interpres.*
3 *Priuilegium percipiendi certos fructus in qualibet
vacatione, non habet locum in beneficiis vnitis.*
4 *Vnio censetur facta sine praeiudicio habentium iura
super beneficio vnito.*
5 *Vnio non tollit ius percipiendi partem fructuum.*
6 *Vnio non tollit ius percipiendi pensionem, nec alia
iura compatibilia cum vnione.*

DECISIO CXIX.

RESolutio dubij circa confirmationem sententiæ
Rotalis pendet ex eo, an, scilicet, Abbas, & Con-
uentus Monasterij de la Vid, teneantur soluere deci-
mas Capitulo Burgensi, quas nuncupant necessarias
expensas, pro duobus præstimoniis, videlicet, de Mata
Iudios, & de Villadiego, vsque ab anno 1539. vnitis
dicto Abbati, & Conuentui, seu illius Hospitali. Et
Domini affirmatiuè responderunt: Capitulum enim
habet immemorabilem ad sui fauorem, canonizatam
& confirmatam in Literis Martini V. quæ consuetudo 1.
habet vim priuilegij, & legis, seu constitutionis, *l.
Hoc iur. § ductus aqua ff. de aq. quotid. & æst. l. 5 1. § fi.
ff. de aq. pluu. arcen.* Socin. *cons. 297. col. 2. lib. 2. c. Cum
dilectus. & c. Consuetudinis. de consuetud.*

Neque est verùm, quòd Literæ Martini videantur
restrictæ ad personas Cathedralis. Nam dictæ Literæ
habent duas partes. In prima generaliter loquuntur
de præstimoniis ciuitatis, & diœcesis Burgensis, ibi:
*Necnon præstimonialium portionum ciuitatis, & diœce-
sis.* In secunda *in versic. Quibus ea obtinentes.* inducunt
modificationem ad personas Cathedralis. Neque ex
eo, quòd Literæ Martini excipiant in Cathedrali be-
neficia illorũ, qui per sex menses residentiam fecerint,
dici potest, quòd Literæ loquuntur tantùm de benefi-
ciis, aut personis Cathedralis. Quia (vt modò pondera-
tum est;) generaliter loquuntur de omnibus, licèt quoad
personas Cathedralis habeant istam modificationem,
vt fuit ponderatum *in decis. in hac causa,* 31. Ianuarij
huius anni, coram R. P. D. meo Merlino; iuncta præser- 2.
tim obseruantia, quæ est optima interpres. Rimin. *cons.*
328. *n. 5. vers. 3.* idem Socin. *cons. 111. in fin lib. 1.* Bart.
cons. 59 n. 6 lib. 1.

Non obstat, quòd huiusmodi præstimonia fuerint
per Paulum III. vnita, & propterea Literæ Martini non 3.
videantur habere locum in vnitis, *ad dec* Seraph 1410.
vbi, quòd priuilegium percipiendi fructus anni cum
dimidio in qualibet vacatione, non habet locum in be-
neficiis vnitis: quia non est par ratio de vno casu ad
alium: nam decisio Seraph. loquitur, quando priuile-
gium concedit perceptionem fructuum beneficij va-
cantis; quod quidem non vacat, cùm sit vnitum; & ideò
fructus non debentur. In casu autem nostro, immemo-
rabilis, & Literæ Martini concedunt, vt quolibet anno
percipiatur decima, quæ propterea debetur, etiã quòd
beneficium sit vnitum, cùm vnio censeatur facta sine 4.
præiudicio habentum iura super beneficio vnito *c. 2.
de relig. dom.* Feder de Sen. *cons. 195. n 4.* Rebuff *super* 5.
reg. de vn gloss. 11 num. 13. & optimè in puncto, quòd
vnio non tollat ius percipiendi partem fructuum, dicit
Ioan. Andr. *in c. pen. n. 3 vers. Nec puta.* vbi Card. *in 2.
opposit. vers. Quæro, an hæc indulgentia.* Butr. *n. 15. vers.
Quærunt Doctores. de verborum signif.* Rot. *decis. vnı-
ca, vers. In contrarium facit. de sepult. in antiq.* Seraph.
decis.

6. decis. 1410. vbi, quòd vnio non tollit ius exigendi pensionem, prout nec alia iura comparabilia cum vnione, vt fuit ponderatum in d. decis. coram D. meo Merlino, ex alia Burgens. Quindenniorum, 4. Martij, 1603. coram bon. mem Penia, quæ est 690. part. 4 diuers. accedente præsertim obseruantia bene probata. In puncto Card. Mantic. decis. 322. n. 5. & 6.

Ex quibus, atque ex aliis elegantissimè deductis in prædicta decis. coram R. P. D. meo Merlino, vna tantùm parte informante, fuit resolutum, sententiam Rotalem esse confirmandam, vtpote iustam, & ex inspectione actorum validam, cùm omnia interuenerint requisita.

R. P. D. MERLINO.

Cæsaraugustana portionis del Castellar, Veneris, 27. Iunij, 1631.

ARGVMENTVM.

Vnio confirmata authoritate apostolica non potest impugnari, maximè stante clausula, *Sublata*, & effectuata quoad vnum beneficium vnitum, dicitur effectum sortita quoad reliqua.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio apostolica supplet omnes defectus, & operatur vt non sit necessaria alia solennitas.*
2 *Clausula*, Sublata, *claudit os volenti impugnare. & Iudici aliter iudicandi adimit facultatem.*
3 *Vnio effectum sortita quoad vnum beneficium, dicitur effectuata quoad alia beneficia vnita.*

DECISIO CXX.

IVdices iussu sanctæ memoriæ Clementis VIII. deputati à Nuncio Hispaniarum pronunciarunt, à quinque portionibus, Vicariatu, & Sacristia loci del Castellar, tunc ferè depopulati, separandam esse quandam partem fructuum, vbi primùm per obitum, vel decessum Portionariorum, Vicarij, & Sacristæ tunc existentium vacare contigissent Portiones; nempe, quinquaginta & sex caficia tritici, decem & septem caficia hordei, & totidem auenæ, ac libras sexdecim in pecunia numerata, quas summas Abbas Monasterij Montis Aragonum annuatim soluebat, & soluere consueuerat dictis Portionariis, Vicario, & Sacristæ; & huiusmodi fructus applicandos, & vniendos esse mensæ conuentuali dicti Monasterij Montis Aragonum Canonicorum Regularium S. Augustini; relicta tamen Vicario pro tempore existenti congrua sustentatione arbitrio Ordinarij: quam applicationem, & vnionem sanctæ memoriæ Paulus V. etiam confirmauit amplissimis clausulis, vt in Breui. Nuper verò, cùm vacasset portio quædam ex dictis per obitum Hieronymi Sanz de Armòra, orta fuit controuersia inter Canonicos, & Capitulum dicti Monasterij Montis Aragonum, & Hieronymum Taffales; & causa in Rota introducta, hodie Domini dixerunt constare de bono iure dictæ mensæ conuentualis, quoad fructus huiusmodi Portionis.

Ex prædictis enim apparet de legitima vnione, & applicatione dictarum summarum frumenti, hordei, auenæ, & pecuniæ numeratæ facta ipsi mensæ con-
1. uentuali; dùmque munita est confirmatione apostolica, non requirebatur alia solennitas. Nec obtiei potest defectus. Decian. cons. 341. num. 12. Rol. cons. 96. n. 21. lib. 1. Cardinal. Seraphin. decis. 1027. n. 8. & decis. 1080. num. 6.

Præsertim attenta clausula illa, vt non possit opponi de obreptione, vel subreptione, aut de nullitate, & defectu citationis, vel alio quocunque cum clausula, *Sublata*, &c. quæ claudit os volenti impugnare, & Iudici aliter iudicandi adimit facultatem. Barr. in l. fin. 2.
circa fin. C. de canon. frument. vrb. Rom. lib. 11. Ruin. cons. 21. num. 15. in fin. & 16. lib. 1. Caputaq. decis. 134. n. 4 part. 3 Put. decis. 50. n. 5. lib. 1. in antiq.

Nec obstat, hanc vnionem, & applicationem non fuisse effectuatam, viuente Clemente VIII. & sic reuocatam per regulam reuocatoriam Leonis XI. & Pauli V. quoniam sustinetur in vim confirmationis emanatæ ab eodem Paulo V. quo viuente, aliquæ Portiones vacarunt; & vnio, & applicatio effectum obtinuit, dum fructus respectiuè applicati peruenerunt in dictam mensam conuentualem: sufficit enim, vnionem, 3.
& applicationem effectum sortitam esse quoad vnum beneficium, ad hoc, vt etiam, quoad reliqua beneficia vnita, dicatur effectuata, idque iure meritò ob vniuersalitatem causæ, quæ potiùs attenditur, quàm quisque casus particularis, & illius exercitium ita in materia regulæ reuocatoriæ vnionum, Garz. de benef. part. 12. cap. 2. n. 254. Rot. apud Cardin. Cauallet. decis. 408. num. 6. & decis. 439. num. 7. & in Gerenden. Vnionis, 13. Nouembris, 1613. coram Eminentissimo Card. Verospio, & notat Addent. ad sanctæ memoriæ Gregor. XV. decis. 557. n. 6. & seqq.

Et ita informantibus tantùm dictis Canonicis, & Capitulo resolutum fuit, &c.

R. P. D. BVRATTO.

Ianuen. redintegrationis, Veneris, 26. Februarij, 1621.

ARGVMENTVM.

Translatus, authoritate apostolica, de Religione incapaci bonorum in communi ad aliam capacem, non reintegratur ad bona quæ possidebant ante professionem in dicta Religione incapaci emissam.

SVMMARIVM.

1 *Capucinorum Religio est incapax bonorum, tam in particulari, quàm in communi.*
2 *Professus in Religione bonorum in communi incapaci, amittit bona per eum habita ante professionem, quæ deferuntur venientibus ab intestato, ac si naturaliter mortuus fuisset.*
3 *Professus Religionem bonorum in communi incapacem, si deinde authoritate apostolica in Ordinem bonorum capacem transfertur, bona per professionem in prima Religione amissa amplius non recuperat, maximè si non constat de voluntate Papæ, id concedendi, num. 4.*
5 *Beneficia Principum intelligenda sunt absque tertij præiudicio non expresso in beneficio.*
6 *Regula de iure quæsito non tollendo, expressam, & indiuiduam derogationem requirit.*
7 *Subreptitia redditur gratia ex taciturnitate eius, quod si concedens sciuisset, vel non concessisset, vel difficiliter concessisset; & an sit tale, iudicis arbitrio relinquitur. num. 10.*
8 *Inferior factum Superioris immutare, vel contra illud dispensare non potest.*
9 *Inferior nequit iuris communis dispositioni derogare.*

Dacs

DECISIO CXXI.

FVit per Dominos vnanimiter resolutum, Fratrem
Petrum Baptistam non fuisse reintegratum ad bo-
na, quæ habebat ante professionem per eum emissam
1. in Religione Capucinorum. Certum est enim, quòd
per ingressum Religionis, tam in communi, quàm in
particulari incapacis, prout est ista, ad Clem. Exiui,
§. Cupientes, de verb. significat. & dispositionem Con-
2. cil. Trident. sess 25. cap. 1. & 3. de reform. illa amisit, &
venientibus ab intestato fuisse delata, ac si naturaliter
mortuus esset. Bart. in tract. minor. lib. 4. distinct. 2.
cap. 2. num. 6. & dist 3. cap. 1. num. 8 Bald. in Auth. In-
gressi, num 63. C. de sacrosanct. Eccles. & not. Doct. in
cap. In præsentia. vbi præcipuè Felin. num. 50. vers. Se-
ptimò quæro. & Berol. num. 539. vers. Alij magis com-
3. muniter, de probat. Et licèt deinde fuerit authoritate
apostolica translatus ad Ordinem Fratrum Capella-
norum S. Ioannis Religionis Hierosolymitanæ capa-
cis: tamen nec ipse, nec dicta religio ex eius persona
prædicta bona potest recuperare. Bart. dicta distinct. 3.
cap. 2. Bald. in dicta Authent. Ingressi, num. 64 in fin.
Feder. de Sen. consil. 26. num. 2. & 3. cum seq. Felin. in
cap. Inter quatuor, num. 4. circa fin. vers. Et dicit Bart.
de maior. & obed. & in dicto cap. In præsentia, num. 50.
vers Et adde. & ibi Berol. num. 150. Castr. in l. Gallus,
§. Et quid si tantùm, num. 20. Iason. num. 71. vers. Ad
idem facit, ff. de liber. & posthum. Natt. cons. 180. n. 4.
Catol. Tap. in dicta Authent. Ingressi, cap. 6. num. 34.
& Summistæ in verb. Religio, vt per Rosell. in fin.
Angel, num. 35 in fine, vers. Quartò, si Religio. Syluest.
num. 10. circa medium. Quia, cùm fuerint per consan-
guineos apprehensa, imò (vt in hoc casu) etiam alie-
nata; res non est ampliùs integra, & dispensatio apo-
stolica non trahitur retrò in tertij præiudicium. Bald.
vbi supr. Feder. de Sen. dicto cons. 26. num. 3. Felin. dicto
cap. Inter quatuor, num. 4. & Berol. dicto cap. In præsen-
4. tia. num. 550. vers. Mihi videtur. Præsertim, quia non
constat de voluntate Papæ, quòd voluerit ipsum re-
integrare ad bona, hæredibus, & aliis, qui ab illis eme-
runt quæsita, cùm nec dictus Frater Petrus Baptista
petierit, nec Papa, tam in primo Breui dispensationis,
quàm in aliis proinde valere concesserit expresè ali-
quam facultatem quoad bona, sed tantùm quoad
translationem personæ de Religione Capucinorum
ad dictum Ordinem Hierosolymitanum in Literis ex-
pressam, vt in simili Rota, in Romana nullitatis cen-
sus, 5. Maij. 1597 coram Corduba impress. per modern.
5. Perus. de cens. decis. 124. & succedunt tritissimæ iuris
conclusiones exclusiuæ voluntatis principis in tertij
præiudicium, l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in
loco publico, cap. Super, de offic. delegat. cap Quamuis,
in fine. vbi etiam Gemin. num. 3. de rescript. in 6. & in
his terminis Nauarr. cons. 14. num 8. de vot. Emmanuel
Rodriq. quæst. regul. tom. 3. quæst. 52. art. 27. col. 2. in
6. princ. vers. Et hanc opinionem. quæ sunt authenticæ
per regulam de iur. quæsito non tollen. cuius expressa, &
indiuidua derogatio est necessaria. Sarnen. super dicta
regul. quæst. 15. num. 6. in fine. Cæsar. de Grass. decis. 1.
num. 10. de verb. signific. Seraphin. decis. 182. num. 7.
Rota decis. 253. num. 6 part. 2. in recent. & fuit sæpissi-
mè dictum. Nec visum fuit Dominis suffragari licen-
tiam magni Magistri recuperandi bona paterna, &
materna quæcunque: tum, quia non fuit narratum
dicto magno Magistro, quòd ipse fuerat professus Ca-
pucinus, & dispensatus per Papam ad transeundum ad
dictum Ordinem Capellanorum, cum conditionibus
viuendi in Conuentu, & aliis, de quibus in dicto Bre-
ui, quæ si sciuisset, vel dictam scientiam non concessis- 7.
set, vel difficiliorem ad illam concedendam se reddi-
disset: & sic subreptitia videbatur. Felin super literis,
num. 8. de rescript. Socin. cons. 260. num. 2. lib. 2. Corn.
cons. 245. num. 4. lib. 1. Cassad. decis. 12. num. 14. de præb.
Rot. decis. 418. num. 1. & 506. num. 2. part. 1. & decis.
105. & decis. 739. vbique, num. 1. part. 2. in recent. Tum, 8.
quia dictus magnus Magister, vti inferior, non poterat
concedere hanc facultatem, & derogare voto pauper-
tatis, in quo Papa non videtur voluisse dispensare, vt
suprà cap. Inferior. de maior. & obed. Clem. Ne Roma-
ni, de elect. Dec. in cap. Cùm accessissent, num 44. de
constitut. Aym. cons. 148. num. 3 & 4. & 179. num. 1. in
fin. nec derogare iuris communis dispositioni, illum 9.
reintegrando ad bona iam amissa, & legitimè quæsita
tam venientibus ab intestato, quàm emptoribus. Au-
thent. iuram. quod præst. ab ijs, & not. in l. omnes popu-
li. vbi Bald. num. 29. ff. de iust. & iur. Dec. cons. 393.
num. 9. vers. Non obstat. latè Alex. cons. 106. num. 2.
lib. 2.

Ex quibus fuit ita decisum, parte tantùm Ioannis
Christophori informante.

ANNOTATIO.

LAtè Sanchez de matrim. lib 8. disput. 21. num. 11.
& 17. & Rot. decis. 288. per tot. & præcipuè num. 5.
post 2. vol. consil. Farinac. in Regien. translationis pen-
sionis, 26. Nouembris, 1622. R.P.D. Pirouano: in To-
letana indultis, 14. Martij, 1625. coram bonæ memo-
riæ Romboldo, & in Mantuana pensionis, 4. Decem-
bris, 1626. coram R.P.D. Merlino. Et an aliquid, quod 10.
fuit tacitum, sit eius generis, vt expressum terruisset
Principem, vel difficiliorem illum ad concedendum
reddidisset, iudicis arbitrio diiudicandum relinquitur,
vt tradunt Cassad. decis. 12. num. 14. de præbend. Felin.
in cap. Cæterùm, num. 4. de rescript. Couarr. variarum
resolut. lib. 1. cap. vlt num. 5 verb. Falsitas. cum aliis per
Menoch. de arbitr. cas. 201. num. 24. & duobus seqq. per
Sanch. d. disp. 21. num. 19. quos secuta est Rota in dicta
Mantuana pensionis, coram R.P.D. Merlino. Verùm 11.
prædicta procedunt, quando nec ex iure, nec ex stylo
Curiæ, vel consuetudine Principis id cognosci potest:
nam taciturnitas qualitatis, quam exprimi in iure spe-
cialiter cautum est, reddit gratiam subreptitiam, non
attento, an Princeps faciliùs, vel difficiliùs concessisset,
vt docent Felin. in cap. Super literis, num. 2. limit. 1.
& cap. Ad aures, num. 12. conclus 9. de rescript. Couarr.
d. cap vlt. num. 6. vers Verùm vt his. Menoch. dicto ca-
su 201. num 27. cum aliis per Sanch. reprobatis con-
trarium sentientibus, dicta disput. 21. num. 13. & tenuit
Rota in Calaguritana iurisdictionis, 8. Aprilis, 1585.
coram Rubeo, relata à Beltramin. in annot. ad de-
cis. 150. Gregor. XV. sub num. 11. vers. In contrarium.
Et idem est de qualitatibus, quæ ex stylo Curiæ, vel
Cancellariæ, aut ex consuetudine Principis exprimen-
dæ sunt, quæ, nisi narrentur, rescriptum redditur subre-
ptitium; nec attenditur, an Princeps eadem facilitate
concessisset. Menoch. d. cas. 201. num. 28. Mascard. de
probat. conclus. 846. num. 8. cum aliis per Sanch. dicta
cap. 21. num 16.

IOAN. FRANCISC. FERENTELLVS.

PRAXIS

PRAXIS CRIMINALIS, ET IVDICIARIA PRO ABBATIBVS, ET PRÆLATIS REGVLARIBVS,

QVATENVS IVDICES SVNT, ac Subditorum crimina corrigere, & punire habeant.

QVÆSITVM PRIMVM.

Utrùm Abbates, & Prælate Regulares sint competentes Religiosorum Iudices.

SVMMARIVM.

1 *Iurisdictio seu potestas quotuplex sit, & quomodo sit Iudici necessaria, vt num. 9.*
2 *Iurisdictio Ordinaria quid sit.*
3 *Iurisdictio Delegata quid sit.*
4 *Iurisdictio Arbitraria quid sit.*
5 *Fidem vnusquisque alteri seruare tenetur.*
6 *Iurisdictio Accessoria quid sit. & quomodo acquiratur.*
7 *Episcopus sit Superior delinquentis in sua diœcesi.*
8 *Abbates fiunt Superiores delinquentium in suis territoriys. & num. 13.*
10 *Legem nemo ferre potest, nisi habeat potestatem & iurisdictionem.*
11 *Abbates, & Prælati Regulares sunt Iudices ordinary suorum subditorum ex vi muneris & propria dignitatis.*
12 *Visitatores, & omnes qui ad cognoscendas causas destinantur, quam potestatem habeant?*
13 *Monachus delinquens in alieno Monasterio à quo sit puniendus.*

1. CTVRIS nobis de Prælatis Regularibus quatenus Iudicum munus exercere, ac subditorum crimina, & excessus corrigere ac punire habent, visum fuit antea explicare an ipsi Religiosorum competentes Iudices exteut. Pro cuius intelligentia clariori præmittendum est, Quadruplicem esse iurisdictionem, Ordinariam scilicet, Delegatam, Arbitrariam & Accessoriam, iuxta S. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 1.* Sot. *de inst. & iur. lib. 1. quæst. 4. art. 1. concl. 2.* Gregor. de Valent. *tom. 3. disput. 5. quæst. 11. punct. 1.* & alij relati ab Azor. *moral instiut. part. 3. lib. 13. cap. 13.* Tolet. *lib. 1. cap. 56. num. 4.* Sayr. *in Claui Regia, lib. 12 cap. 7.* Reginald. *lib. 25. num. 641.* & alij.

Iurisdictio, seu potestas ordinaria illa dicitur, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate qualem habet Summus Pontifex super omnes fideles in rebus spiritualibus, ac etiam in temporalibus ratione spiritualium illis annexarum; qualem etiam habet Episcopus circa persona sibi subiectas. Omnes igitur habentes officium aliqood vel dignitatem, cui ex iure, vel etiam consuetudine, aut præscriptione annexa est potestas, vel iurisdictio, potestatem, vel iurisdictionem ordinariam habere dicuntur: vt aiunt Didacus Couarr. *variarum resolut. lib. 3. cap. 20. num. 6.* & Azor. *loco citato.* 2.

Delegata potestas, seu iurisdictio illa dicitur, quæ competit alicui, non ex officio, vel dignitate, sed ex concessione, vel commissione illius, qui ordinariam potestatem habet; siue commissio sit generalis ad omnes causas, siue specialis ad quasdam solummodo cognoscendas. 3.

Arbitraria potestas est illa, quæ communi partium litigantium consensu alicui compatatur Partes etenim litigantes aliquando ad expensas vitandas, vel aliis de causis inter se conueniunt, ac vnum vel duos, aut plures viros probos, & bonos concordi eligunt voluntate, vel vna pars vnum, & altera alterum, qui litem inter eas ortam dirimant, atque definiant: & hoc dupliciter contingit. Primò, dum eligitur iudex, seu arbiter, ex ipsarum partium conuentione, vt litem amicabiliter componat: & in hoc casu arbiter potest pro suo arbitrio iudicare iuxta æquitatem iuris naturalis, etiam si non seruet ordinem iuris positiui; & ipsius decreto partes assentiri debent. Secundò, dum eligitur in Iudicem: & in hoc casu iuris ordinem seruare ac iuxta eum sententiam ferre debet, & partes illius sententiæ sub mortali acquiescere tenentur; hæc potestas, licet priuata videatur, nihilominus publica quodammodo est. Nam cum vnusquisque alteri fidem 4.
serua 5.

ſeruare teneatur, iure cautum eſt, vt qui arbitri ab aliquibus electi fuerint, obligandi vim per ſuam ſententiam habeant; eius tamen executio ad Principem, illiuſque miniſtros ſpectare videtur.

6. Acceſſoria poteſtas, ſeu iuriſdictio illa dicitur, quæ alicui aliunde accedit, nempe ratione alicuius facti, vel cauſæ contingentis. Ideò quando quis in alieno territorio delinquit, eius Superior acquirit in ipſum iuriſdictionem, & delinquens ratione delicti fit ſubditus illius iudicis, in cuius territorio deliquit, ab eoque puniri poteſt. *l. vlt. ff. de accuſat. cap. placuit 6. q. 3. cap. 1. extr. de raptor. cap. poſtulaſti.* vbi gloſſ. *cap. fin. de foro compet.* Eadem acceſſoria poteſtas acquiritur ex domicilio & poſſeſſione. *cap. Sanè, de foro compet.* Sanchez *in Decalog. lib. 1. cap. 12. num. 38.* Proſper Farinac. *in praxi criminal. tom. 1. quæſt. 7. num. 1.* qui plu-
7. res citat aſſerentes, Epiſcopum, in cuius diœceſi aliquis deliquit effici Superiorem delinquentis in ſua diœceſi, dummodo tamen delinquens non ſit perſona ſpeciali priuilegio ab ipſius iuriſdictione exempta.
8. Idem dicendum eſt de Abbatibus, & aliis Prælatis tam Regularibus, quàm ſecularibus reſpectiue in propriè territoriis, vt communiter teſtantur Iura, & Doctores, vt *num. 13. huius quæſiti.*

9. Secundò præmittendum eſt, harum poteſtatum alteram ità eſſe ad iudicandum neceſſariam, vt iudicans abſque aliqua ex ipſis, mortaliter peccet, quia vſurpat ſibi alienam poteſtatem, quæ res valde grauis cenſetur. Ita Nauarr. *in man. cap. 25. num. 13.* Soto *de iuſtit. lib. 3. quæſt. 4. art. 2.* Tolet. *dicto cap. 56. num. 5.*
10. Syluest. *verb. Iudicium, num. 5.* & alij. Præterea ſententia lata inualida eſt, quia iudicium eſt quædam lex particularis; & legem nemo validè ferre poteſt qui non habeat poteſtatem & iuriſdictionem. *cap. at ſi Clerici, de iudic.* Atque ita D. Thom. & alij locis citatis communiter. Imò (vt notant Azor. *dicto lib. 13. cap. 15.* Iulius Clarus *receptar. ſentent. lib. 5. num. 38. & 39.* & Bonacina *in Decalog. diſput. 10. quæſt. 2. punct. 1. n. 4. verſ. adde etiam.*) ita iudicans tenetur ad reſtitutionem damni, quod alter ob illud iudicium vſurpatum patitur: nam peccat contra iuſtitiam vſurpando ſibi iudicium alienum; peccans autem contra iuſtitiam tenetur ad reſtitutionem damni inde ſecuti.

11. His ita notatis dicendum eſt, Præſidentes Generales Ordinum in ſua quemque Congregatione, Prouinciales in ſua quemque Prouincia, ac Abbates, Priores, Præpoſitos, & Prælatos Conuentuales quocumque nomine nuncupentur, in ſuo quemque Monaſterio ordinariam poteſtatem ſeu iuriſdictionem in Religioſos ſibi ſubditos obtinere, ac inde ordinarios eorum Iudices exiſtere. *cap. ex qua de ſtat. Monach.* Panormit. *ibi, & in cap. Si quis contra Cleric. de for. competent.* Patet, quia iuriſdictio eis ex vi muneris, & propriæ dignitatis competit, ſiue ab vniuerſitate eligantur, ſicut Generales, & Prouinciales ferè communiter, ac etiam in quibuſdam Religionibus Conuentuales Prælati, ſiue à maioribus Superioribus inſtituantur; vt conſtat ex vſu, & priuilegiis ſingularum Religionum exemptarum, quod probauimus *in 1. tom. diſp. 1. quæſ. 4. & 2. tom. diſp. 1. q. etiam 4.* probat etiam Iulius Clarus *lib. 5. recept. ſentent. §. fin. q. 35. verſ. Quæro, quis ſit Iudex Monachorum.*

12. Dico ſecundò. Viſitatores, ac omnes illi, qui à prædictis ordinariis Prælatis ad cognoſcendas ſubditorum cauſas deſtinati ſunt: vel etiam à Capitulis Generalibus, vt ſtatutum eſt *in cap. in ſingulis, & in cap. ea, quæ, de ſtat. Monach.* delegatam, non autem ordinariam poteſtatem, ſeu iuriſdictionem habere dicuntur, eis enim iuriſdictio non ex vi eorum muneris, ſed à prædictis Prælatis, vel Capitulo Generali, eos inſtituentibus prouenit: quod patet & teſtantur Victorin. Manſ. *de modo proced. in cauſ. regular. cap. 2. num. 3.* Franciſcus Ghiſletius *in tractat. de iudice regular. cap. 2. num. 12.*

Dico tertiò. Omiſſis arbitrariis Iudicibus de his etiam in Religionibus nulla ratio habenda eſſe videtur; Monachus in alieno Monaſterio delinquens ab eius Prælato puniri debet; vt patet ex dictis, & arguitur ex text. *in cap. poſtulaſti, de foro competent.* vbi Panormit. *num. 2.* notat, Clericum delinquentem in aliena diœceſi ſortiri forum illius Epiſcopi, vbi deliquit, etiam ſi delictum ſit tale, quod expoſcat priuationem beneficij, & officij. Atque quod Monachum in alieno Monaſterio delinquentem iudicare ad eius Monaſterij Abbatem & Prælatum ſpectet, affirmant Victorin. Manſ. *cap. 3. num. 3.* & Franciſc. Ghiſlet. *d. cap. 2. num. 17.* 13

QVÆSITVM II.

Quænam conditiones requirantur in Prælatis Regularibus, quatenus Iudicum munus exercent?

SVMMARIVM.

1 *In Iudicibus non ſolùm poteſtas, & iuriſdictio, verum etiam ſcientia neceſſaria eſt.*
2 *Iudex, qui ex imperitia perperam iudicare præſumit, tenetur ad intereſſe parti læſæ, & ad litis expenſas.*
3 *In Iudice vitæ puritas neceſſarius eſt, & in quibus conſiſtat.*
4 *Iudex tenetur cauſas celeriter iudicare, & expedire.*
5 *Iudex in iudicando veritatem ſeruare debet.*
6 *Veritas, quæ & quotuplex ſit.*
7 *Veritas conſcientiæ triplex.*
8 *Iudex non ſemper tenetur ſeruare rei veritatem, vel etiam conſcientiæ, quam in ſacramentali confeſſione nouit.*
9 *Iudex ſi priuata ſcientia nouit aliquem innocentem, qui tamen in iudicio reus eſſe probetur; an poſſit eum abſoluere, vel teneatur damnare? refertur prima ſententia.*
10 *Refertur ſecunda ſententia, quam auctor ſequitur.*
11 *Iudex an damnare poſſit eum, quem priuata ſcientia, & ſecretò nouit eſſe nocentem, in actis tamen, & proceſſu probatur innocens?*

Dico primò. In Iudicibus non ſolùm poteſtas, & iuriſdictio neceſſaria eſt, vt diximus in ſuperiori quæſito; verùm etiam ſcientia, qua ſciant rectè eorum munere fungi. *can. vlt. 2. quæſt. 2. can. 1. de pœnit. diſt. 6. cap. ex literis, de conſanguinit. & affinit.* quia peritus debet eſſe Iudex, nec quærere ab aliis, quid eum loqui oporteat. *Authent. de iudic. in princip. col. 6. & dicto cap. ex literis,* notat gloſſ. *in cap. ſciſcitatus, verb. impedimenta, de reſcript.* Nam quilibet ſcire tenetur ea, quæ pertinent ad proprium munus, & officium, ſine quorum cognitione illud exercere nequit. Ita Sanctus Thom. *2. 2. quæſt. 76. art. 2.* Caietan *in ſumm. verb. Iudicis peccata.* Sayr. *in Claui regia lib. 1. cap. 13. n. 2.* Nauarr. *in man. cap. 25. num. 12.* Reginald. *in praxi lib. 25. num. 657.* & alij plures apud Farinac. *prax. criminal. part. 3. quæſt. 111. art. 16. fol. 538.* Quod maximè locum habet in Iudicibus Eccleſiaſticis, qui mediocriter ſaltem in Iure periti eſſe debent, vt ait gloſſ. 1.

per

per illum textum *in cap. cum nobis olim, verb. literatura, de e* . . Intelligendum est autem, vt sint periti non t . um petitia, sed causæ diiudicandæ, de qua agi-
2. tur. *l. . cris iuru, C. de iudic.* Iudicandi autem scientia in Iudice adeò est necessaria, vt qui ex imperitia perperam iudicare præsumit, teneatur ad interesse patri læsæ, & ad litis expensas de proprio soluendas. *Instit. de obligat. quæ ex quasi de . . nascunt.* Nam qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, & ideò tenetur satisfacere. argum. *can. pa, ce, 86. dist.* & aliorum quæ citat gloss. *in cap. sicut nobis, verb. dederunt, de testib.* notant Francisc. Ghislet. *in tractat. de iudice regular. cap. 5. num. 16.* Martin. Bonacina *in Decalog. disp. 10 q. 2 pun . 3. num. 1.*

3. Dico secundò. Requiritur etiam in Iudice vitæ puritas, quæ non s . ùm consistit in abstinentia à verbis contumeliosis, verum etiam in recta intentione: vt scilicet non amore, vel odio, timore, cupiditate, aut alia quauis passione ductus inquirat, vel iudicet, sed solùm ex affectu iustitiæ, quam præ oculis habere perpetuò debet, vnicuique quod suum est tribuendo; quod si non recta intentione, sed amore, aut alia passione motus iudicauerit, licèt sententia valida sit; ipse tamen peccabit iuxta qualitatem passionis, & prauæ intentionis, qua ductus fuerit. Ita Ghisler. *cap. 6. num. 13.* & Bonacina *dicto punct. 3. num. 2.* Consistit prætetea hæc vitæ puritas in abstinentia à peccatis; decet enim vt æquitatem, & iustitiam aliis obseruandam proponens æquus ipse sit, atque iustus. Vnde quidam putant, Iudicem iudicium ferentem dum est in peccato mortali, peccare saltem venialiter. Valent. *tom. 3, disp 5. quæst. 4. punct. 2.* Sayr. *in Claui Regia dicto cap. 15. num. 4.* & alij. Contrarium tamen sentiunt Salon. Bañes, Aragon. *2. 2. quæst. 60. art. 2.* quos sequitur Bonacina *dicto punct. 3. num. 3.* Qui omnes in eo conueniunt, vt mortale peccatum contrahat Iudex in publico peccato mortali iudicans: & hoc propter scandalum populi, vt si Iudex publicus adulter, alios de adulterio condemnare velit. Valde enim scandalizaretur populus videns iustitiam non eandem vim in Iudice habere, quam ille in subditos exercere non veretur. Hanc sententiam communem testatur Valent. *loco cit.*

4. Dico tertiò. Iudex tenetur causas celeriter iudicare, & expedire. *l. properandum, C. de iudic.* Quia Iudici ex officio incumbit cura, & onus iudicandi, & cuique quod suum est, tribuendi. At cuique, quod suum est, non tribuit, dum sententiam sine iusta causa differt. Vnde Iudex causarum expeditionem notabiliter differendo, nedum lethale peccatum committit contra proprium officium; sed quoque ad omne interesse, ac litis expensas, quarum causa est, parti læsæ reficiendas tenetur: quia iniustè damni causam præbens de damno tenetur, vt suprà diximus. Atque ita docent Syluest. *verb Iudex 1. quæst. 12.* Nauarr. *manual. cap. 25. num. 14* Clauis Regia *cap. 12 num. 8.* Bonacina *d punct. 3. num. 4.*

5. Dico quartò. In Iudice non solùm necessaria potestas, scientia, puritas, & celeritas; verum etiam veritas. Iudex etenim in iudicando veritatem seruare debet, iuxta illud Zachar. 7. *Hæc dicit Dominus, iudicium verum iudicate.* & Deuteronom. 17. dicitur: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. venies ad Sacerdotes, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem.* Ratio autem est, quia Iudex constituitur, vt vnicuique quod suum est, tribuat. At non tribueret vnicuique suum, nisi secundum id quod verum
6. est, iudicaret. Vt autem sciant Iudices quæ veritas in eis requiratur: distinguendum est, nam duplex est veritas, vna rei, altera conscientiæ. Veritas rei illa dicitur, quæ cum ipsa re conuenit, ita vt quod asseritur ita reipsa sit. Veritas conscientiæ appellatur, quæ siue cum res ipsa conueniat, siue non; eiusmodi tamen esse existimatur: quare non prout est, sed prout existima-
tur, asseritur. Hæc veritas conscientiæ triplex esse po- 7.
test; prima, cum quis aliquid nouit, vt Dei minister in sacramentali confessione: secunda quando quis aliquid nouit, veluti persona priuata: tertia, cum quis aliquid nouit veluti persona publica, nempe per legitimas testificationes, siue indicia sufficientia, siue per allegata, & probata in processu iudiciali rite fabricato.

Rei veritatem Iudex semper obseruare non tene- 8.
tur, sæpè enim inuestigari non potest, ac soli Deo nota est. Item neque conscientiæ veritatem, quam in sacramentali confessione cognouit; illam etenim extra conscientiæ forum reuelare nullo modo potest, *cap. Si Sacerdos, de offic. ordin. & cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.*

Difficultas autem est, vtrùm iudicare teneatur secundùm veritatem, quam nouit, vt persona priuata, omittendo iudicare secundùm illam, quæ sibi tanquam Iudici, & personæ publicæ Communitatis vices gerenti nota est, vt si priuata scientia nouit aliquem innocentem, qui in iudicio reus esse probatur, debeat sequi publicam scientiam, illúmque secundùm allegata, & probata ad mortem damnare? Item an integrum sit ei damnare quem secretò nocentem cognoscit, sed in publico iudicio, ac processu innocens probatur?

Circa primam difficoltatem nonnulli tenent, Iudi- 9.
cem, omissa veritate, quam ex priuata scientia cognoscit, ac certò scit, teneri ad sequendam veritatem, quæ sibi tanquam personæ publicæ nota est, ac ideo debere talem ad mortem condemnare. Quoties aliter facere non potest, quod liceat tamen ei quæcunque sine scandalo fieri queunt operari, vt sententia contra illum non feratur, nec lata exequatur, vel commodum ei, vt è carceribus aufugiat, tribuendo, vel testes examinando de loco, tempore, die, aliisque circumstantiis maiori qua poterit, diligentia, vt accusati innocentiam, & falsitatem contra eum appositam detegat, vel accusatorem, siue partem sedando, & vel ad Superiorem Iudicem per appellationem rei causam remittendo, coram quo denique ipse inferior veritatis à se cognitæ redderet testimonium, vel alia huiusmodi pro innocentis absolutione, prout sibi melius videbitur, agendo: quod si nihil horum proficeret, tuta conscientia illum condemnare posse, imò debere. Ita D. Thom: *2. 2. quæst. 67. art. 2.* Caietan. Bañes, Salon. & Aragon. *ibid.* Richard *in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2.* Innocent. *in cap. cum debita, in gloss. magna, in fine, de rescript.* gloss. *in can. paratus, in verb. secundum legem,* gloss. Bart. & Bald. *in l. illicitas, §. veritas, ff de offic præsid.* idem Bald. *in prælud. ad 2. lib. Decretal.* gloss. *in cap. 1, de offic. ordinar.* Soto *de iustit. & iure, lib. 5. quæst 4. art. 2.* Couarr. *variarum resolutionum lib. 1. cap 1. num. 6.* Nauarr. *in manual. cap. 25. num. 9 & 10.* Toler. *lib. 5. cap. 16. num. 8.* & Reginald. *lib. 21. num. 3.* Clauis Reg. *lib. 12. cap. 8. num 13.* Gregor. à Valent *tomo 3. disput. 5. quæst. 11. punct. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Francisc. Ghislet. *dicto tract. de iudic. regular. cap. 5. num. 9. & pluribus seqq.*

Licèt autem prædicta sententia ex multitudine at- 10.
que auctoritate Doctorum grauissimorum, qui eam sustinent, probabilis, ac secura reddatur; nihilominus contrarium cum aliis tanquam magis rationi, ac pietati consonum asserendum videtur; nullo modo scilicet posse Iudicem talem à se innocentem cognitum ad mortem damnare; sed debere potiùs supersedere. Ratio est, quia repugnat iuri naturali, & diuino, innocentem directè occidere, Exod. 22. *Insontem;*

& iustum non occides; at in hoc casu, directè occideretur innocens ad seruandum iuris positiui ordinem; tum quia si sit Iudex secundùm leges, vt supremus Princeps, & Dominos, cuius dictum habetur pro lege in suo territorio, non potest talem innocentem damnare, quod & citati Doctores fatentur; ergo neque potest inferior Iudex: nam non tenetur obedire Superiori, nec seruare eius leges contra conscientiam suam, argument. *cap. literas, de restiunt. spoliat. versic nos autem*, vbi habetur, quod quicquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, & priuatus non debet in hoc Iudici contra Deum obedire: ergo neque Iudex in iudicando debet contra conscientiam Superioris legibus obedire: tum quia, ratione naturali, ideo tenetur Iudex iuxta allegata, & probata iudicare, ne discedat à veritate, & iustitia in iudicando; hæc enim est ratio illius legis, & obligationis: ergo quando Iudex certus est, se errare, & non seruare veritatem, ferendo iudicium secundùm allegata, & probata, contra vitam innocentis, debet & tenetur se ab illo iudicio fesendo abstinere. Facit ad hæc text. *in cap. cum aeterni, de re iud. lib. 6. & in Clem. 1. §. verum, de haeretic.* vbi in actu iudicandi textum ponderat conscientiam priuatam Iudicis. Neque obstat, quod supra diximus, nempe Iudicem causarũ expeditionem differendo, & non iudicando peccare mortaliter; quia illud verum est, quando iudicare negligit, secus autem, si ex iusta causa (vt in præsenti) differat. Atque hanc sententiam tuentur Nicolaus Liranus *in cap. 23. Exodi*, explicans illa verba, *innocentem & iustum*, Adrian. *quodlib. 6. art. 3.* Hostiens. & Ioan. Calderin *in cap. Pastoralis, de offic. & potest. iudic. delegat.* vbi etiam Panormit. latè *num. vlt.* & Felin. qui hanc materiam tractat *à num. 23. vsque ad* 16. exclusiue, vbi *in sexta limitatione, sub num.* 24. ait, Iudicem in criminali debere conscientiam imitari. afferens ad id Innocent. allegatum ab Angel. *in l. à diuo Pio, ff. de re iudic. & in septima limitatione* concludit, quod si veritas est Iudici certitudinaliter nota, tunc contra illum iudicare non potest, licet oppositum constet in processu per allegata, & probata. Ita etiam Gerardus de Odone *in 5. Ethicor. in cap.* 17. quem allegat Pelin. *loco cit.* Angel. *in verb. Iudicare, num.* 7. Petr. à Nauarra *lib. 2. cap 3. num.* 161. Emanuel Sà *verb. Index*, Leonard. Less *de iustit. & iur. lib. 2. cap* 19. *dub.* 10. Bonacina *in Decalog. disput.* 10. *quaest. 2. punct.* 2. & alij, quos citat, licet non sequatur Couarr *d. cap* 5. *num.* 3. Sit ergo pro hac re conclusio, quando iudex pro certo cognouit etiam priuata scientia, aliquem, qui per acta, & in processu reus probatur, esse innocentem, non debet, nec potest illum ad mortem damnare, sed tenetur supersedere, vel potiùs officio cedere, etiam si eo modo nihil esset reo profuturus. Secus autem quando dubitat, suspicatur, vel opinatur id ita esse; quia tunc iudicare debet secundùm acta, & conscientiam deponere: & hæc circa primam difficultatem supra propositam.

11. Quoad alteram, videlicet an Iudex damnare possit eum, quem priuata scientia, & secreto nouit esse nocentem, in publico autem iudicio probatur innocens? Dico Iudicem inferiorem non posse talem condemnare; imò quod eum tunc absoluere teneatur: quia Iudex inferior non potest legibus Superioris derogare, sed iuris ordinem seruare tenetur; ordo autem iuris postulat, vt non condemnetur qui secundùm acta, & in processu probatur innocens, nam nemo condemnari debet sine testibus, iuxta illud Deuteron. 17. *In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur:* tum quia sicut Iudex est persona publica, ita etiam scientia publica vti debet, cum ipse non sit Iudex occultorum, sed Deus; *can. consuluisti 2. quaest. 4.* *& cap. tua nos, de simon.* Atque ita de Iudi[illegible] tenent communiter Doctores. videantur S[illegible] *tit. de accus. §. 1. n.* 8 Nauarr. *tom. 1. consil.* 11 [illegible] *num.* 8 Soto *de iust. lib. 5. quaest. 4. art. 2. in pri*[illegible] *argum.* Petr. Nauarr. *dicto* [illegible] *ap.* 3. Clauis Regia [illegible] 11. *cap.* 8. Less. *d.* [illegible] *ap.* 29. *dub.* 11. Bonacina *dicto punct.* 2. *à num.* 5. & alij locis citatis; vbi etiam agunt, an, & quando id supremo Principi integrum sit. Igitur Iudex, vel Prælatus nequibit in suos subditos vt Iudex animaduertere ob crimina grauiora sola ab eis patrata, quæ priuata scientia nouit, puta quia vel ipse vidit, vel ab aliis fide dignis extra iudicium audiuit; in processu autem nihil contra eos probatur; poterit tamen paterna vti admonitione, vel correctione aliqua, siue extraordinaria pœnitentia, vt docent Clar. *receptar sentent. lib. 5. §. fin. quaest. 8. vers. s*[illegible]*d pone* [illegible] *quaest. 66 vers. scias autem.* Victorin. Mant. *dicto cap.* [illegible] *num.* [illegible] *in fine.* Francisc. Ghislet. *d. cap* 3. *in fine.*

Quæsitum III.

Prælati Regulares quomodo in subditorum causis procedere habeant?

SVMMARIVM.

1 *Leuia delicta quænam dicantur?*
2 *Grauia delicta quænam dicantur?*
3 *Publica, vel occulta delicta quæ sint?*
4 *Prælati Regulares leuia subditorum crimina iuxta regularia instituta corrigentes, non tenentur iuris ordine seruato procedere.*
5 *Prælati Regulares grauia, atque notoria subditorum crimina iudicantes, quomodo procedere debeant?*
6 *Non quicquid Iudicis potestati committitur iuris potestati submittitur.*
7 *Prælati Regulares rectius agent, si in subditorum causis summariè & de plano procedant.*
8 *Prælati Regulares in subditorum causis, rimulis, & apicibus iuris postpositis, liberè procedere possunt, secundùm consuetudines & statuta Religionis.*
9 *Ad iudicium quædam pertinent vt necessaria, & essentialia, alia ad eius perfectionem, & solemnitatem.*
10 *Quænam pertineant ad iudicij solemnitatem?*
11 *Quæ ad eius vim, atque essentiam?*
12 *Clausula, summariè, quid importet?*
13 *Particula, simpliciter, quid importet?*
14 *Clausura, de plano, quid importet?*
15 *Clausula, sola facti veritate inspecta, quid operetur?*
16 *Quomodo intelligi debeat, quod Regulares Prælati, posthabitis rimulis, & apicibus iuris, summariè, simpliciter, &c. procedant?*
17 *Prælati Regulares nequeunt contra subditos procedere ad inquisitionem, absque accusatore, aut denunciatore, aut exceptore, aut infamia præcedente.*
18 *Prælati Regulares, licet summario iudicio procedant, nequeunt rei citationem, illiusque interrogationem omittere.*
19 *Legitima defensio nequit etiam per supremum Principem tolli.*
20 *Iudex quantumuis summariè procedat, nequit ex sola vnius accusatione, siue denunciatione, aut testificatione aliquem condemnare.*

21 Præ

21 *Prælati Regulares summario iudicio contra subditos criminosos procedentes, debent inquisitis capitulorum copiam tradere.*

22 *Prælati Regulares summariò procedentes, non tenentur ferias seruare, & quas?*

23 *Prælati Regulares summariè procedentes, debent testes secretò interrogare, ac ab eis iuramentum de veritate aperienda exigere.*

24 *Item debent nedum dicta, sed etiam nomina testium inquisitis tradere.*

25 *Regulares Prælati in subditorum causis iudicandis, eorumque delictis puniendis, omisso iure communi, secundum modum ab eorum Regulis, & constitutionibus præscriptum procedere debent.*

1. PRo clariori huius quæsiti intelligentia præmittendum est, quod delicta alia leuia sunt, alia grauia
2. ex *c.4. Regula D.P. Benedicti.* Leuia delicta ea dicuntur, quæ lethalem culpam, saltem euidentem annexam non habent, prout sunt quotidiani defectus, vt si quis ad Chorum tardè accesserit, si cibum, vel potum absque Prælati licentia sumpserit, vel silentium violauerit, verbis cum fratre contenderit, murmurauerit, & alia huiusmodi, quæ quotidianis pœnitentiis à Prælatis corriguntur. Grauia crimina dicuntur, quæ culpam lethalem euidentem præ se ferunt, & sunt aut contra leges diuinas, aut contra essentialia Regulæ, vt trium Votorum violatio, in Prælatum conspiratio, furtum, grauis percussio, literarum & sigilli Generalis, vel alterius Prælati falsificatio, & his similia. Ita Cardinal. de Turrecrem. *in exposit. Regula D.P. Benedicti super dict. cap. 24.* Victorin. Mans. *in tractat. de modo procedendi in caus. regular. cap. 6. num. 4.* Francisc. Ghisler.
3. *de iudice Regular. cap. 10. num. 2. & seqq.* Rursus crimina manifesta, & publica alia, alia occulta, siue secreta, publica, siue notoria crimina ea dicuntur, quæ ita se exhibent, quod nulla possunt tergiuersatione celari. Panormit. *in cap. ex literis, num. 2. de iureiurand.* Iulius Clarus *lib. 5. § fin. quæst. 9. in princ.* Cuiusmodi sunt, quæ aut publicè coram omnibus, vel maiori parte, aut coram Superiore, siue Iudice in plurium conspectu perpetrantur. Francisc. Ghisler. *dicto cap. 10. num. 5.* Occulta delicta appellantur, quæ vel occultè coram paucis fiunt, vel ita committuntur, vt non ita de facili probari possint, vel probatione indigeant. *gloss. in cap. manifesta 2. q. 1.*

4. His suppositis, dicendum est, Prælatos Regulares, quando leuia subditorum crimina iuxta regularia instituta corrigunt, non teneri ad processum formandum, aut sententiam in scriptis ferendam, siue (vt dicitur) iuris ordine seruato procedendum, sed posse summariè, simpliciter & de plano, sola facti veritate inspecta, absque strepitu, & figura iudicij procedere, eo quod ideo non teneantur tradere capitula, nec vocare ad videndum iuramenta testium, nec ad appellationem admittere, *cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellat.* Ita Cap *allegat. 73. num. 6.* Federic. de Sen. *consil. 105.* Ioan. Monach *cap. 1. de relig. domibus, in 6.* Soto *lib. 5. de iustit. quæst. 4. art. 3.* Roderic. *quæst. regular. tom. 2. quæst. 3. art. 1.* Victor. Mans. *dicto cap. 5. num. 6. & cap. 6. num. 4.* Francisc. Ghisler. *dicto cap. 10. num. 9. & seq.* Salonius 1. 2. *quæst. 67. art. 3.* cum D. Thom. & aliis, Bonacin. *in Decalog. disput. 10. quæst. 2. punct. 5. num. 16.* Probatur, quia id etiam cum laicis in leuibus criminibus obseruatur, *l. leuia, ff. de accusat.* tum quia incongruum videtur, vt Prælati Regulares quoties de leuibus criminibus subditos corrigere vellent, processum formare, testes examinare, defensiones concedere, & alia huiusmodi ad rectum iuris ordinem seruandum necessaria præmittere, aut seruare tenerentur: imò hoc in magnum Religiosæ obedientiæ vergeret detrimentum; supponendum est enim, eos vti patres in tali casu se habituros, ac nihil per calumniam facturos, vel dicturos, sed potiùs fratrum emendationi, ac regularibus institutis prudenter præfecturos: tum etiam, quia Religiosi iuri suo in leuibus cedunt, imò nonnulli non solùm cedunt iuri suo in leuibus, verum etiam in quibuscunque aliis cognitis extra confessionem.

Quando autem Regulares Prælati delicta grauia atque notoria subditorum sola paterna correctione 5.
continere non possunt, sed ea vt Iudicum, non vt patrum personam gerentes corrigere oportet: dupliciter possunt contra eos procedere, primo modo nihil eorum, quæ à iure præscripta sunt circa reorum crimina plectenda omittentes; & hic modus de iure ordinario à Doctoribus appellatur. Secundo modo summariè, simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura iudicij, quod deducitur ex *cap. qualiter, & quando, il 2. de accusat.* vbi non prohibetur Regularibus Prælatis, vt procedant iuris ordine seruato, sed tantum dicitur, *Non credimus, hunc ordinem in personis Regularibus esse vsquequaque obseruandum,* ex quibus constat Regulares Prælatos posse ad eorum arbitrium, prout magis expediens iudicauerint, vel ordinario iure, vel summariè & simpliciter, &c. contra subditos delinquentes procedere; tamen si velint, poterunt altera via procedere; id enim eorum facultati committitur, & non quicquid Iudicis potestati committitur iuris necessitati submittitur. *l. neque, ff. de iudic. cap. consuluit.* vt ibi gloss. *verb. gr. facere, de offic. deleg.* Doctores autem existimant Prælatos ipsos rectius agere, si omisso priori modo, procedendi scilicet ordinario iure, amplectantur secundum, quia primus videtur Religiosis viris parum accommodatus, iura enim, & canones passim ignorant; & ideo ad illud prosequendum necessario seculares iurisperiti, consulendi forent, vnde teneretur Monasterium Monacho, contra quem proceditur, procedere in expensis Aduocatorum, & Procuratorum & in aliis sumptibus; tum quia proprium non habet; quia nisi expensas illi subministraret, priuaret eum defensione sua, quæ exceptio etiam Diabolo, si esset in iudicio, denegari non debet. *can. eorum 11. & cap. cum inter, de except.* tum quia non decet, Monachos forensium disceptationum fore peritos, ac expedit à strepitu causarum seruos Dei fore quietos, *cap. vnic. extr. de sindic.* Quare tutius est, vt prædicti Prælati procedant secundùm statuta regularia, vbi proceditur summariè, simpliciter & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, iuxta quam formam non tenentur reis ministrare expensas, quia nec eas facturi sunt, neque ad eas admitterentur. argument. *cap. ad nostram, & cap. reprehensibilis, de appellat.* Ita Ioan. de Lignano *in Clement. ne in agro, de stat. Regular. cap. de Castilliano, dict. allegat. 75. num. 6.* Panormit. *cap. si quis contra Clericum, num 48 de foro compet.* Roderic. *quæst. Regular. tom. 2. quæst. 3. art. 1.* Vnde Bonifacius VIII. statuit, vt ad correctiones Fratrum Ordin. Min. delinquentium infligendas Prælati dicti Ordin. Rimulis & Apicibus iuris postpositis liberè procedere valeant secundùm consuetudines approbatas, & generalia facta & fienda ipsius Ordinis instituta, ita refertur *in Comp. priuileg. ipsius Ordinis, verbo appellare, § 1.*

Vt autem explicemus, quid sit summariè, simplici- 9.
ter & de plano, &c. procedere, supponendum est, ad iudicium alia pertinere, vt necessaria, & essentialia, alia verò, quæ ad eius perfectionem, & solemnitatem in iudiciis, quæ iure ordinario, seu iuxta exactam iuris communis formam geruntur, nedum essentialia, sed etiam ea, quæ ad perfectionem, ac solemnitatem spectant, ad hoc, vt rectè agatur, obseruanda sunt.

In summariis autem iudiciis solemnitates omittuntur,
at essentialia prætermitti absque defectu nequeunt;
10. nam sine ipsis iudicium iniquum esset. Quæ ad exa-
ctam iudicij formam, ac solemnitatem, & perfectio-
nem spectant, sunt: Citatio die non feriata, libelli
porrectio in scriptis, litis contestatio testium multitu-
do, longæ dilationes, testium receptio post publica-
tas attestationes, sententiæ probatio pro tribunali se-
11. dendo, & alia huiusmodi. Quæ autem ad iudicij vim,
atque essentiam spectant, sunt, quæ continentur *in
Clement. sæpe, de verborum significat.* quæ scilicet ad
realem, perfectámque ipsius veritatis cognitionem,
ac legitimas defensiones necessaria fore videntur, &
quæ aut diuino, aut naturali iure, aut euidentissima
12. ratione seruanda esse videntur. Clausula igitur, *sum-
marie*, id proprie significat, vt quæ ad iudicij vim at-
que essentiam spectant solum requirantur. nec citen-
tur rei ad testium iuramenta videnda, nec testium exa-
minatorum, ac informatoriorum, seu capitulorum co-
pia illis tradatur, per ea, quæ docent Felin. *in cap. di-
lecti filij, num. 2. de iudic.* & alij, quos citat Victorin.
Mins. *de modo procedendi in caus. regul. tr. cap. 7. sub
num. 4.* & ex illo Roderic. *regular. quæst. tom. 2. q. 30.
13. art. 3.* Particula, *simpliciter*, non tollit ordinem iudi-
ciarium, & substantialia iudicij, sed tantùm dilatio-
nes, ac perniciosas subtilitates. Ita Alexand. de Imol.
in l. 3. §. si quis simpliciter, ff. de verborum obligat.
Francisc. Aret. *in l. eum, qui, § 1. ante med. 1. col. versic.
in gloss. eod. tit.* Oldrad. *cons. 115.* vbi latè, quid opere-
tur hæc clausula. Alexand. *cons. 5 col. 2. in princ. vol. 3.*
Ludouic. Roman. *cons. 20. viso puncto*, plenè Cardinal.
in Clem. sæpe, quæst. 4. & ibi plenissimè per Lanfranc.
de Oriano *in verb. simpliciter, de verborum significat.*
facit, quia verbum, *simpliciter*, ex proprio significato
idem importat, quod sine plica, & inuolutione, & si-
ne malitia. gloss. *in dicta Clem. sæpe, verb. simpliciter.*
At ordo iudiciarius inuentus est, non ad decipiendum,
& inuoluendum, sed potiùs vt omnis cesset malitia,
atque in fauorem publicum. Ita Panormit. *in cap. di-
lecti filij. num. 5. de iudic.* vbi etiam Felin. *num. 2.* Clau-
14. sula, *de plano*, importat etiam quod reiiciantur perni-
ciosæ subtilitates, vt quod non sit necesse Iudicem in
alto, id est, pro tribunali sedere, nec quod seruetur ali-
ter stylus iudiciorum, sed sine libello, & aliis subtili-
tatibus, veritas cognoscatur, item quod possit Iudex
procedere diebus feriatis. gloss. *in dicta Clement. sæpe,
verb. feriarum, de verborum significat.* Felin. *in cap.
15. olim, col. 5. num. 5. de accusat.* Clausula, *sola facti veri-
tate inspecta*, operatur, vt per eam censeatur solum
sublata solemnitas iuris ciuilis, non autem solemnita-
tes iuris diuini, iuris naturalis, aut iuris gentium,
quod in Religionibus sunt Regularia instituta, prout
ait Victorin. *vbi proximè.* Ita Panormit. *dicto cap. di-
lecti filij, num 6. de iudic.* vbi etiam Franciscus de Are-
tin. Felin. *in cap. 1. col. 22. sub num. 51 de constit.*
16. Ex dictis colligitur, qualiter singulares Prælati in
indicandis subditorum causis, eorúmque excessibus
puniendis se gerere, ac quæ necessario seruare, quæve
omittere in eorum iudiciis debeant, & possint. Quod
enim posthabitis apicibus iuris, ac summariè, simpli-
citer, &c. procedant, intelligendum erit, vt remitta-
tur clamorosus Aduocatorum strepitus, & rigorosæ
iuris subtilitates, vt porrectio libelli, citatio in die non
feriata, quod non recipiantur testes infames, ij
scilicet, qui repelluntur a testimonio iure ciuili, seu
positiuo tantùm, quod non recipiantur parte non ci-
tata; & his similia, quæ ad solemnitatem non autem
substantiam iudicij spectare noscuntur; ordo tamen
veritatem concernens est seruandus, ac ea, quæ sunt
de substantia, atque essentia iuris, vt sunt testes idonei,
legitimæ probationes, exceptiones, ac legitimæ de-
fensiones, per textum *in dicto cap. olim, de accusat.*
quoniam alias sine ipsis iudicium iniquum foret, in
eo enim audiretur impugnatio, & non defensio, quæ
etiam excommunicato & Diabolo reseruatur, *dicto
cap. cum inter, de except.* & diximus suprà; quod etiam
notat Hieron. à Sorbo *in annot. ad Compend. priuileg.
ord. § 1.*
Primò igitur deducitur Prælatos ipsos non posse 17.
contra subditorum aliquem procedere ad inquisitio-
nem, absque accusatore, aut denunciatore, aut exce-
ptore, aut infamia præcedenti, quia hoc non solùm est
de iure communi, *cap. qualiter & quando, il 2. de ac-
cusat.* vbi textus contra omnem Prælatum & subdi-
tum exposcit infamiam procedere, vt inquisitio fieri
possit; verum etiam de iure diuino, vt probatur ex
illo Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me
de terra*, ex quo patet, Deum ad Caini condemnatio-
nem non processisse, absque voce denunciatrici, siue
accusatrici. Item ex illo Matth. 16. vbi paterfamilias
ingratum seruum, auarum ac crudelem non vocauit,
aut condemnauit, antequam à conseruis illius ingra-
titudo, auaritia, ac immanitas sibi denunciata fuisset.
& *can. nihil 2. quæst. 1.* dicitur, Christus Iudam esse fu-
rem sciebat, sed quia non est accusatus, non est eie-
ctus. Et Ioan. 8. Dominus Iesus Christus adulteræ in-
quit, *Vbi sunt qui te accusabant? nemo te condemna-
uit? nec ego te condemnabo.* Quod autem infamia
procedere debeat, probatur ex illo Genes. 18. *Clamor
Sodomorum, & Gomorrhæorum venit ad me, descen-
dam, & videbo*, &c. Ecce quomodo infamia præcessit
iudicium, quod notatur *in d. cap. qualiter, & quando
il 2 & in cap. inquisitionis, de accusat.*
Secundò deducitur, non posse Regulares Prælatos, 18.
licet summario iudicio in subditorum causis proce-
dant, rei citationem, illiusque interrogationem omit-
tere. Nam citatio nunquam censetur remissa, quia
sapit defensionem, fit enim ad hoc, vt quis valeat se
defendere, & legitima defensio non potest etiam per
supremum Principem tolli. *Clem. Pastoralis, de re iu-
dic.* notat Bart. *in l. filiusfamilias, ff. de donat.* tum quia
ipsa videntur esse de iure diuino. Nam Genes. 3. vo-
lens Deus Adam de patrato crimine damnare, illum
antea vocauit, atque interrogauit, dicens: *Adam vbi est*
Atque *cap. 4.* idem cum Caino fratricida seruauit, eum
vocando, ac interrogando. & Matth. 16. Paterfamilias
volens iudicare seruum illum, cui decem millia talen-
ta dimiserat, ipse autem deinde sui conseruum ob de-
bitum centum denariorum in carcerem coniecerat;
vocauit, eique dixit: *Serue nequam*, &c. & Lucæ 16.
Diues ille villicum de bonorum suorum dissipatione
diffamatum ad se vocauit, eique dixit: *Quid hoc au-
dio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Vnde rei
citatio in quolibet iudicio ita necessaria est, quod nisi
reus citatus fuerit, vel citatio nulliter, & minùs legiti-
mè facta sit, tam processus formatus, quam sententia
lata ipso iure corruunt. gloss. *in l. si accusatoribus, C. de
accusat.*
Tertiò deducitur, Iudicem, quantumuis somma- 19.
riè, ac sine strepitu, & figura iudicij procedat, non
posse ex sola vnius accusatione, siue denuntiatione,
aut testificatione aliquem condemnare: tum quia vni-
cus testis non probat. *l. iurisiurandi, C. de testib.* vnde di-
ctum vnius dictum nullius; tum etiam quia Deute-
ronom. cap. 17. dicitur: *In ore duorum, vel trium te-
stium peribit, qui interficietur*, & cap. 19. *Nemo occida-
tur vno contra se dicente testimonium.* quod confirma-
tur ex sententia Domini nostri Iesu Christi Matth. 18.
dicentis: *In ore duorum, vel trium stet omne verbum.*
& Apost. 2. Corinth. 13. & 1. Timoth. 5. *Aduersus
Presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duo-
bus, aut tribus testibus.* Ergo non possunt Iudices,
quan

quantumuis ſummario iudicio procedant, reos vnius tantum teſtis depoſitione, abſque alia probatione damnare.

21. Quartò deducitur, Prælatos Regulares ſubditorum crimina ſummario iudicio inquirentes debere inquiſitis tradere copiam capitulorum, de quibus cauſa dicenda eſt, ad hoc vt ſe tueri poſſint; nequirent autem ſuas defenſiones facere, capitulorum notitia non habita: nam oportet vt quis arma, quibuſcum aggreditur, proſpiciat, & ſic poſſit ſe ab eis defendere. Ita Victorin. Manſ. & Rodetie. *locis citatis.*

22. Quintò deducitur, Prælatos Regulares ſummariè procedendo, non teneri ferias ſeruare, *dicta Clement. ſæpe, de verborum ſignificat.* Hic autem diſtinguendum eſt: nam tres ſunt feriarum ſpecies; quædam enim ſunt feriæ ob neceſſitates hominum introductæ, quæ vocantur feriæ publicæ, ſiue ruſticæ, vt illæ, quæ ſtatuuntur cauſa meſſium, vel vindemiarum, & in iſtis feriis in iudicio ſummario poteſt iudex arbitrio ſuo procedere, vt *dicta Clement. ſæpe. & ibi* gloſſ. *verb. ob neceſſitates.* vbi etiam Panorm. *num.* 27. Quædam ſunt feriæ introductæ in honorem Dei, & Sanctorum, & harum tempore nec in plenariis, nec in ſummariis iudiciis procedi poteſt, etiam partibus conſentientibus. *cap fin. de feriis.* & colligitur à contrario *ex dicta Clement. ſæpe.* ibi enim traditur facultas Iudici ſummariè, &c. procedenti, vt tempore feriarum ob neceſſitates hominum indultarum à iure procedere valeat: ergo aliarum feriarum tempore id ei non licebit. colligit gloſſ. *ibi, dicto verb. ob neceſſitates.* & Panormit. *num.* 28. Tertia ſpecies eſt feriarum, quæ appellantur repentinæ, quæ repentè indicuntur à Principe propter eius coronationem, vel rem proſperè geſtam, vel propter natiuitatem filij, vel alia iuſta de cauſa, vt *l. ſed & ſi per prætorem, §. ſi feria, ff. ex quibus cauſis mat.* quæ feriæ à ſolo Principe indici poſſunt, *l. à nullo, C. de fer.* & in iſtis feriis nec etiam procedi poteſt in huiuſmodi iudiciis, ſatis eſt enim quod non reperiantur permiſſæ. notat gloſſ. & Panormit. *locis citatis.*

23. Sextò deducitur, Prælatos Regulares, vel alios Iudices ſummariè procedendo, debere teſtes ſecretò interrogare, ac ab eis iuramentum de veritate dicenda exigere, quia ſecreta teſtium interrogatio eſt de iure diuino, vel ſaltem naturali, à Daniele fortaſſis primò introducta, quando ſenes illos, qui innocentem Suſannam accuſauerant, ſeorſum examinauit. Daniel. 13. Ita gloſſ *in l. ſi quando, C. de teſtib.* Bartol. *in Extrauagant. ad reprimendum, §. & figura, verſ. an requiratur publicatio teſtium,* refert Villagut. *lib 6 pract. crimin. can. cap.* 1. *concl.* 11. quod autem iuramentum de veritate dicenda exigere, ſit de iure naturali, probat idem Bart. *loco cit. verſ. item an de calumnia* Imol. *in dicta Clem. ſæpe. verſic. quarto quæritur.* Si tamen hæc iuramenta tacitè emittantur, non vitiatur proceſſus alias legitimè factus, tam in plenariis. quàm & multo fortiùs in ſummariis iudiciis. *cap.* 1 *de iuramento calumn. lib.* 6. gloſſ *d. Clem. ſæpe, verb. non excludi,* & *ibi* etiam Panorm. *num.* 43.

24. Septimò deducitur, Superiores Regulares ſummario iudicio contra ſubditos procedentes nedum dicta, ſed etiam nomina teſtium inquiſitis tradere debere; quia ſi teſtium nomina ſupprimerentur, præberetur audacia infamandi; nam audacia contulit ad infamandum, cum ſciunt teſtes, ipſorum nomina aperienda non eſſe. Ita gloſſ *in cap. olim verb. copiam.* vbi etiam Panormit. *num.* 7. *de accuſat.* contra Hoſtienſem.

25. Præterea notandum, quòd Regulares Prælati in ſubditorum cauſis iudicandis, eorum delictis puniendis omiſſo iure communi ſecundùm modum ab eorum Regulis & conſtitutionibus præſcriptum procedere, necnon pœnam illis taxatam ſubditis delinquentibus imponere debent, licet de iure communi fortaſſis crimina grauiora, aut leuiora iudicentur, & pœna illis maior, vel mitior adhibeatur; prout conceſſit Bonifacius IX. Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, *Nempe etiam ipſe, & alij Præſidentes dicti Ordinis in correctionibus Fratrũ eiuſdem Ordinis, iuris ordine poſtpoſito, ſecundum conſuetudines approbatas, & inſtituta Ordinis procedere liberè & licitè poſſint, & valeant,* vt refertur in *Compend. priuileg. verb. correctio Fratrum,* § 8. In iis autem, quæ in Conſtitutionibus præſcripta non reperiuntur; ius commune in eorum iudiciis obſeruari debet: quilibet enim nemine excepto in iudicando ad ſacros canones ſeruandos obligatur. *cap.* 1. *extr. de conſtitut.* Facit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de regular. cap* 8. vbi præcipit, Regularium Superiores in ſuæ Congregationis Monaſteriis viſitandis illa obſeruare debere, quæ in ſacris Canonibus, & in eodem Concilio decreta ſunt. Ita Villagut. *lib.* 6 *cap.* 2 *per tot.* Gregor Sayr. *in Claui Regia lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 57. Franciſc. Ghiſler. *cap.* 13. *per totum.*

QVÆSITVM IV.

Regulares Iudices quomodo per viam accuſationis contra ſubditos delinquentes procedere debeant.

SVMMARIVM

1 *Triplex modus procedendi aduerſus crimina.*

2 *Regulares Prælati quandonam à iudice procedant per viam accuſationis.*

3 *Iudex, cum ad eum ab accuſatore crimen delatum eſt, quid facere ſolet?*

4 *Iudex aliquandiu non ſemper per viam accuſationis propriè ſumpta, ſed aliquando per querelam procedit.*

5 *Ad accuſationem requiritur, vt fiat in ſcriptis.*

6 *An requiratur, vt exprimantur dies, & annus, quibus intentatur?*

7 *An debeat exprimi nomen accuſatoris, & accuſati?*

8 *Debet exprimi ſpecies delicti.*

9 *Item expreſſio loci, ac temporis, quo delictum patratum eſt.*

10 *Item, quod accuſans ſe ſubſcribat, obligans ſe ad pœnam talionis.*

11 *Quinam ad accuſandum admittantur, remiſſiuè.*

12 *Clericus ſæcularis, vel laicus, vel Monachus diuerſi Ordinis, vel Conuentus Religioſum accuſare non poteſt. Limita, vt num. ſeq.*

13 *Forma inchoandi proceſſum per viam accuſationis.*

SVpponendum eſt, triplicem modum procedendi aduerſus crimina à Doctoribus tradi, primus dicitur per viam accuſationis, ſecundus per viam denunciationis, tertius per viam inquiſitionis, quod habetur expreſsè ex *cap. qualiter & quando, il* 2. § *fin. de accuſat.* relictis ergo aliis duobus modis, de quibus in ſequentibus, in hoc quæſito de modo procedendi per viam accuſationis ſermo habebitur. Ad quod dicemus, quod Prælati Regulares in ſubditorum crimini- 1. 2.

 bus

bus inquirendis per viam accusationis iuridicè procedunt, quando delata contra aliquem accusatione interrogant testes, & postea habita saltem semiplena probatione, procedunt ad interrogandum reum. Quia ad reum interrogandum sufficit semiplena probatio, vt docent Emanuel Sà *in Aphorism. verb. Iudex, n.* 1. Gregor. Sayr. *in Claui Regia lib.* 12. *cap* 10. *num.* 27. Gregor. à Valent. 2.2. *disput.* 5. *quæst.* 11. *punct.* 3. & alij.

3. Vt autem præsens quæsitum meliùs explicetur, notandum est primò, quòd Iudex, cum ad eum delatum est crimen ab accusatore, procedit ad examinandos testes ab ipsomet accusatore nominatos, quibus examinatis, & delictum per vnum aut duos testes omni exceptione maiores probato, legitimè procedit ad reum examinandum; cum hac tamen differentia, quod quando constat de crimine per duos, aut tres testes omni exceptione maiores, censetur planè, & sufficienter probatum, non solùm ad examinandum, verùm etiam ad condemnandum reum. Quando autem crimen probatum est per vnum tantùm testem, censetur crimen sufficienter probatum ad examinandum, & torquendum reum.

4. Secundò notandum est, quòd Iudex non semper procedit per viam accusationis propriè sumptæ, sed sæpiùs procedit per querelam; & hoc dupliciter contingit. Primò, quando quis tanquam accusator exponit querelam contra aliquem tanquam actor, qui promittit se obiecta probaturum, atque ad id testes adducit, qua exposita Iudex legitimè procedit ad capiendas informationes, & examinandos testes ab eo quoad querelam exposuit nominatos examinandos, & postea procedit ad examinandum reum. Secundò, quando quis delictum ab altero patratum defert ad Iudicem, qui postea ex officio procedit ad capiendas informationes, & examinandos de crimine informatos, quibus contra reum deponentibus, legitimè postea eum interrogat, & reus respondere tenetur. Videantur Iulius Clarus *practic. crimin. lib.* 5. *quæst* 9. Azor. *part.* 3. *institutionum moral. lib.* 13. *cap.* 22. & *cap.* 25. *dub.* 5. Bonacina *in Decalog. disp.* 10. *q.* 2. *punct.* 6. *n.* 3.

5. Tertiò notandum est, ad accusationem de iure communi sex requiri. Primò, vt fiat in scriptis; quod est necessarium, ad hoc vt constet, quid præcipuè ab accusatore sit probandum, tum etiam vt accusator quicquam mutare non possit, si fortè viderit se aliquid eorum, quæ proposuit, probare non posse; consuetudine tamen receptum est, vt verbaliter fieri possit, modò Notarius, vel scriba eam statim in scriptum redigat, vt notant Iulius Clarus *d. lib.* 5. *q.* 12. *num.* 7. Less. *de iust. lib.* 2. *cap.* 30. *dub.* 1. *num.* 2.

6. Secundò requiritur, vt exprimantur dies & annus,
quibus intentatur; quod hodie non est necessarium:
nam parum ad rem facere videtur, vt asserunt communiter
Doctores, teste Lessio *vbi suprà, vers. secun-*
7. *dum.* Tertiò necessarium est, vt exprimatur nomen ac-
cusatoris, & accusati, quod requiritur, eo quia debet
8. constare, quis sit accusator, & quis accusatus. Quartò
necessarium est, vt exprimatur species delicti, quod est
omninò necessarium, quia super hoc fundatur intentio
accusantis: ita Lessius *loco citato, versic. quartum.*
9. Quintò requiritur expressio loci, necnon etiam temporis, nempe anni, & mensis, quo delictum patratum est, quod adeò necessarium putatur, vt eius omissio accusationem criminalem nullam reddat: vt docent communiter Doctores *in l. edita, C. de edendo*; quia aliàs accusatio incerta, & lubrica redderetur, & reo subtraheretur facultas se tuendi, probando negatiuam, & testes de falso conuincendo: ita Lessius *loco cit. num.* 3. qui *num.* 2. aduertit, non teneri accusatorem exprimere diem commissi delicti, sed solùm mensem, quod expressè habetur ex *l. libellorum, ff. de accusat.* nam alias accusandi, & probandi facultas valde coarctaretur, facilè etenim contingere potest, vt quis diei, vel etiam hebdomadæ sit oblitus, quia non ita cadit sub sensum, vt locus. Verum si reus petat exprimi diem, & horam delicti, ad probandum se illa die absentem fuisse à loco, vbi crimen patratum esse deponitur, vel probatur, Accusator ad id adstringi deberet, quia aliàs erit defensionis aditus, & viam præcluderetur, cum nulla alia ratione suam innocentiam probare possit, quam ostendendo se nequiuisse eo tempore delictum, de quo imputatur, committere, eo quod esset alibi, vel infirmus, &c. Ita tenent Iulius Clarus *dicta quæst.* 12. *num.* 13. & dicit esse communem sententiam Anton. Gomez. *tom.* 3. *variarum resolutionum, cap.* 11. *num.* 4. licet ipse contrarium sentiat. Ita etiam Eman. Soar. *in annot. ad eum.* & Lessius *dicta dubit.* 1. *sub num.* 5. *versic. sed communis.* & alij apud Farinac. *in praxi crimin. quæst.* 1 *num* 20. Bonacina *in Decalogum disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. *versic. quartò.* quod si accusator sponte apposuit diem, & horam, & demum probare nequeat delictum eo tempore commissum fuisse, sed alio. Licet Doctores ferè communiter sentiant, accusatum condemnari non posse, tamen hæc sententia non videtur iuri, aut rationi congrua; & ideo secus in praxi obseruatur, vt testantur Iulius Clarus *dicta quæst.* 12. *num.* 14. Gomez. *dicta cap.* 11. *num.* 6. Lessius *dicta dub.* 1. *num. etiam* 6 & aliis *locis citatis.* Quia si clarè per dicta testium omni exceptione maiorum probatum est, crimen, nempe sacrilegium, vel furtum talis rei verè, & cum effectu à tali commissum fuisse, tali tempore, aut loco, nil refert, quod sit erratum in die, hora, vel loco particulari; nam non est puniendum delictum, quia hoc, vel illo loco, hac, vel illa die, vel hora commissum fuerit; sed quia commissum est, & commissum esse constat. Hoc tamen limitatur, nisi ratio delicti ex loci, vel temporis circumstantia pendeat; nam eo casu, locus, & tempus eatenus in libello exprimi, & in progressu probari debet, quatenus ad delicti substantiam necessarium est. Pariter si in libello proposita sit qualitas aliqua vel conditio delictum tantum, & eius pœnam aggrauans, etiam si probari nequeat, si tamen delictum ipsum simpliciter probatum fuerit, reus potest, ac debet condemnari; interest enim boni publici, vt tale delictum etiam semel, vel absque tali conditione commissum puniatur, quando plenè in iudicio de eo constat: ita docet Gomez. *dicto cap.* 11. *num.* 7. Lessius *dicta dub.* 1. *num. etiam* 7. quia parum refert, quod accusator non potuerit qualitatem illam, vel conditionem probare, si delicti substantiam probauit.

Sextum requisitum ad accusationem de iure com- 10.
muni est, subscriptio accusantis, qua se obliget, vt nisi obiectum crimen probabit, talionis pœna puniri debeat, quod præcipuè necessarium est in foro Ecclesiastico, vbi Ius canonum obseruatur, vt colligitur ex *cap. qualiter & quando, il* 2. *de accusat.* notat Lessius *dicta dub.* 1. *num. vltim.* Azor. *institutionum moralium part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 19. Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 14. Iulius Clarus *practic crimin. cap.* 5. *quæst.* 81. Farinacius *prax. crimin. quæst.* 16. *num.* 4. & *seqq.* Hoc autem intelligendum erit quando nec plenè, nec semiplenè delictum probauerit; nam quando crimen probauit per famam, vel per vnum testem idoneum, vel per alia indicia illis æquipollentia, tunc reus tenetur confiteri delictum, quod verè commisit, vt docent D. Thom. & Caietan. 2.2. *quæst.* 69. *art.* 1. & communiter Theologi, teste Nauarro *in man. cap.* 25. *num.* 35. & *seq.* Igitur Religiosus accusans ne talionis pœna in ipsum animaduertatur, satis erit, si delictum, quod alteri Religioso apponit, eo modo & in tantum probet, quod reus interrogatus teneatur confiteri.

Quartò

12. Quartò notandum est, non quemlibet ad accusandum admitti debere, sed eos tantùm, qui à iure non repelluntur. Qui autem à iure ab accusatione repelluntur, notant Lessius *dicto cap. 30. dub. 5.* Iulius Clarus *lib. 5. prax. art.* 10. Prosper Farinac. *quæst.* 12. *à num.* 27. Bonacina *dicto punct.* 1. *à num.* 10. *vsque ad finem.* Francisc. Ghislet. *in tract. de iudice Regulari cap.* 16. *à num.* 9. *vsque ad* 44. *exclusiuè.* hîc solùm adnotare libet, quod sicut clericus à laico accusari non potest; ita nec clericus sæcularis, vel laicus Monachum, neque Monachus diuersi Ordinis, vel Conuentus Religiosum accusare potest, quia accusator, & accusatus eiusdem fori esse debent, cùm accusator in probatione defecerit ad talionis pœnam (vt diximus) obligetur, quæ pœna à Regularium Iudice in laicos, vel clericos, aut Religiosos sibi non subditos in probationibus deficientes infligi nequit. Hoc tamen fallit, si laici, vel clerici, aut Monachi accusantes, suam, aut suorum iniuriam prosequantur; quia ratio ipsa naturalis dictat, vt qui offensus est, vel in seipso, vel in suis, iustitia mediante se suosque tueri possit. Ita Gulielm. Durand. *speculat. in tit. de reo, circa fin.* Farinac. *in practic. crimin. quæst.* 12. *num.* 57. Quod probat ex *can. prohibentur* 2. *quæst.* 1. *& can. omnes* 4. *quæst* 6.

13. Processus per viam accusationis earum ita inchoari poterit, In nomine Domini, Amen, die 15 Aprilis 1628. Indictione sexta, sub Pontificatu Sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. anno eius quinto, coram admodum Reuerend. P. D. N. Abbate Conuentus N. Congregationis N. ego D. N. defero, & propono contra D. N. non animo calumniandi, sed mea iura, vel commune bonum tuendi, qualiter supradictus spiritu nequam ductus ex insidiis me aggressus baculo grauiter percussit, quod sub talionis pœna, me probaturum promitto, atque prosequi vsque ad finem, ad hoc vt condigna pœna in eum animaduertatur. Datum in Monasterio tali die, mense, & anno, quibus supra. Ego D.N. qui supra manu propria, vel si scribere nesciat, manu aliena signo Crucis apposito. Qua accusatione, & querela habita, Iudex ad testium examen modo inferius tradendo procedere debet.

QVÆSITVM V.

Quomodo Regulares Prelati in inquirendis, & puniendis subditorum criminibus per viam denunciationis procedere debeant?

SVMMARIVM.

1. *Denunciatio quid sit?*
2. *Denunciatio duplex, Euangelica & iudicialis.*
3. *Iudices quandonam iuridicè per viam denunciationis procedant?*
4. *Iudex quosnam ad denunciationem admittere debeat?*
5. *Iudex nequit contra aliquem via denunciationis procedere intuitu literarum sine nomine, & incerto auctore ad eum directarum.*
6. *Infamia quid sit?*
7. *Forma denunciationis Euangelicæ.*
8. *Forma denunciationis iudicialis.*
9. *Forma incipiendi processum per viam denunciationis.*

Denunciatio nil est, quam delatio, seu manifestatio alicuius criminis facta Iudici competenti, vt suo munere, vel prouidentia vtatur ad aliquod damnum emendandum, vel euitandum, vt colligitur *ex cap.* 2. & 3. *& cap. super his, & cap. cum dilectus, de accusat. & cap. nouit, de iudic.* vbi Nauarr. *not.* 5. *num.* 2. Hæc autem denunciatio duplex est, altera extraiudicialis, seu Euangelica, vt si delictum aperiatur Superiori tanquam patri, & ideo hæc dici etiam consueuit denunciatio paterna, quæ correspondet correctioni fraternæ; nam sicut fraterna correctio fit inter fratres inter se; ita quando non sufficit, vt quia per illam non impeditur, vel emendatur peccatum proximi, fit recursus ad Superiorem, vt patet est. Altera dicitur denunciatio iudicialis, quæ fit coram Superiore, tanquam Iudice, implorando eius officium, vt publica pœna delinquenti iniungatur, vel satisfactio parti debita exhibeatur. Ita Azor *moralium institutionum part.* 3. *lib.* 13. *cap.* 21. Lessius *de iustit. lib.* 2. *c.* 29. *dub.* 12. *num.* 103. Gregor. de Valent. *tomo* 2. *disput.* 5. *quæst.* 12. *punct.* 1. Reginald. *in prax. lib.* 25. *cap* 54. Victorin. Mans. *de modo procedendi in caus. regular. cap.* 13. *in princip.* Martin. Bonacin. *in Decalog. disp* 10. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 2. Suar. *de Relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 10. *cap.* 8. *num.* 9. Licet quidam Doctores quadruplicem denunciationem esse dicant, nempe Euangelicam, Iudicialem, Canonicam & Regularem; verum hæc quatuor ad prædicta duo denunciationum genera reuocari & reduci possunt; vt notant Bonacina, & Suarez *locis citatis.* & hæc iudicialis denunciatio differt ab accusatione, eo quòd accusator suscipit in se onus probandi crimen testibus, denunciator autem non tenetur probare crimina, quæ denunciat, nec se subiicit pœnæ talionis. Item differunt, quod accusatio semper traditur in scriptis cum solemnitatibus, quas in antecedenti quæstione retulimus: ac in denunciatione non sunt necessariæ prædictæ solemnitates; nam denunciatio solis verbis fieri potest. Ita Azor *dict. lib.* 13. *cap.* 12. Clauis Regia *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 11. Suarez *d. cap.* 8. *num.* 11. & alij. 1. 2.

His positis, dico quòd Iudices via denunciationis iuridicè ad inquirenda subditorum delinquentium crimina procedunt ad capiendas informationes, examinandos testes à denunciatore nominatos, vel alios, quos ipse iudex inquirendo ex officio reperit informatos, quibus habitis, legitimè deuenit ad delinquentem examinandum. Ita communiter in praxi obseruari aiunt Azor. *dicto cap.* 11. *& cap.* 15 *dub.* 3. *ad finem.* Iulius Clarus *lib.* 5. *prax. crimin. q.* 7. Bonacina *dict. disput.* 2 *punct.* 6. *num.* 4. 3.

Vt autem hoc rectiùs explicemus, notandum est primò, quòd Iudex non omnes ad denunciationem admittere debet: nam qui repelluntur ab accusando, repelluntur etiam à denunciando, argument. *cap. qui sine,* 3. *quæst.* 7. *& cap. dilectus, de accusat.* notat gloss. 2. *quæst* 8. *in summa specular. tit. de denunciat.* § *quis possit denunciare. vers. canonica quoque denunciatio, num.* 14. Bernard. Diaz *in practic. crimin. canon. cap.* 6. Victorin. Mans. *de modo procedendi in caus. regular. cap.* 14. *num* 4. & alij. Imò nisi denuncians probatæ pœnæ, vitæ & conuersationis, existat, & nisi ad id ex charitate procedat, non debet Iudex ita de facili ex eius verbis moueri, atque ad inquisitionem procedere. *cap. repellentur. & cap. qualiter & quando, il* 2. *de accusat. cap. si peccauerit,* 2. *quæst.* 1. §. *quod testatur,* 3. *quæst.* 7. *can. Episcopus in synodo,* 35. *quæst.* 6. *cap. præterea, de testibus cogend.* Speculat. *d. tit. de denunciat. in princip.* 4.

Secundò notandum, quod Iudex nequit via denunciationis contra aliquem procedere intuitu literarū sine nomine, & incerto auctore ad eum directarum 5.

 quia

quia Iudex contra neminem procedere potest, nisi vel accusator, vel denunciator extiterit, vel infamia præcesserit, *dicto cap. qualiter & quando el 1. de accusat.* & diximus suprà. At in casu, de quo agimus, deest accusator, seu denunciator, quia schedulæ, seu literæ huiusmodi incerti auctoris existunt, vt supponimus; deest etiam infamia, quia per eas nulla prorsùs infa-
6. mia alicui irrogatur, aut saltem insufficiens ad inquisitionem; quia infamia, secundùm Caietan. 2. 2. *quæst. 69. art. 1.* Sot. *lib. 5. de iustit. quæst. 6. art. 2. conclus. 5.* S. yl. *in Claui regia, lib. 12. cap. 10. num. 12.* Reginald. *lib. 14. num. 40* & alios, est frequens vox, plurium bonorum, & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter suspectum reddit: & ideò ad infamiam iudicialem requiritur, vt sit frequens opinio, & vox bonorum; vox enim discolorum, & hominum infimæ sortis, ac maleuolorum, & prauorum, (quales credendum est, fuisse huiusmodi literas scribentes) non efficit legitimam, & iudicialem infamiam; vt notant Doctores citati. Ideò processus super huiusmodi literis formatus nullus est, etiam si in illis testes nominati sint. Ita docent Iulius Clarus *recept. sentent. in prax. crimin. quæst. 5. versic sciat igitur,* Emanuel Roderic. *quæst. regular. tom. 2. quæst. 6. artic. 10.* Francisc. Ghisler. *de iudic. regular. cap. 16, num. 65.*
7. Et sicut duplex est denunciatio, Euangelica scilicet, & Iudicialis, ita duplex est modus eam Superiori faciendi.

Euangelica denunciatio in hanc, quæ sequitur formam Abbati, seu ulteri Superiori Prælato fieri poterit.

Reuerende Pater, Charitatis zelo ductus Paternitati vestræ admodum Reuerendæ, vt Patri, denuncio, qualiter D. N. proprietatis vitio maculatus est, pecunias enim accepit, retinet, expendit, vel donauit, in magna quantitate nulla habita à Paternitate vestra, vel alio Superiore licentia, contra Regulæ, ac Regularium institutorum præcepta, & in grauem eius animæ perniciem, ac proximorum scandalum. Ideo, vt Domini Nostri Iesu Christi mandatis obtemperem, postquam illum fraterna prius, qua debui, charitate corripui, nec eius emendationem elicere potui. Paternitati vestræ eius crimen denuncio, vt ipsius animæ saluti, aliorúmque scandalo piè prouideat.

Iudicialis autem denunciatio in hanc sequentem formam fieri poterit.

Reuerende Pater, Iustitiæ zelo incitatus, ne delicta remaneant impunita, Paternitati vestræ admodum Reuerendæ, vt Iudici denuncio, qualiter D. N suspectam, scandalosámve familiaritatem habet cum tali fœmina, de qua te publica laborat infamis. Et quia debitis monitionibus præmissis illum à tali familiaritate arcere non valui, sed adhuc in maleficio perseuerat, dignum existimaui, huiusmodi delictum dissimulandum non esse, sed cum dicto N. iudicio, ac iudicij pœnis agendum fore.

8. *Hac denunciatione habita, Iudex processum in hanc formam inchoare poterit.*

In nomine Domini Nostri Iesu Christi, Amen. Die tali, Mense tali, Anno tali, in Conuentu tali. Coram nobis D. N. Abbate Conuentus N. vel Generale Præsidente Congregationis N. comparuit D. N. Monasterij N. Sacerdos annorum N. qui præstito iuramento de veritate dicenda Religionis, ac iustitiæ zelo, ac Dei gloria ductus affirmauit, se scire D. N. ab N. Monasterij bona miserè dilapidare, vel suspectam familiaritatem, & scandalosam cum tali fœmina habere: ac propterea eum denunciat, vt iuxta delicti mensuram iuridicè ad pœnam ei infligẽdam procedatur. In quorum fidem prædictum testimonium propria manu coram nobis, & D. N. Secretario subscripsit. Die, mense, & anno quibus suprà.

D. N. Abbas Conuentus N. Congregationis N.

D. N. Secretarius.

Iudex habita huiusmodi denunciatione ab ipso denunciante inquirat an adsint alij testes, qui id scire possint, & de scientia, necnon de aliis circumstantiis iuxta modum, quem in testium examine obseruandum esse tradermus infra: postea legatur eius depositio, & notetur in processu. Quo facto Iudex ad testium examinationem procedere debet.

QVÆSITVM VI.

Quem modum Regulares Prælati contra subditos delinquentes per viam generalis inquisitionis procedentes seruare debeant.

SVMMARIVM.

1. *Triplex est inquisitio.*
2. *In inquisitione omnino generali non est necessaria prauia infamia, aut accusator, vel denunciator.*
3. *Subditi à Iudice interrogati, aut etiam per censuras compulsi, non tenentur in generali inquisitione delicta occulta manifestare, & quomodo se gerere debeant?*
4. *Interrogatus si aperiat crimen adeò occultum, vt nullo modo probare possit, peccat contra iustitiam; sed limita.*
5. *Interrogatus in generali inquisitione, non tenetur seipsum aut complicem manifestare.*
6. *In generali inquisitione Regularium Superiores, quid obseruare debeant?*
7. *Forma incipiendi processum per viam generalis inquisitionis, aut visitationis.*

Triplex est inquisitio. Prima omnino generalis, secunda omnino specialis, tertia mixta. Omnino 1.
generalis est, quando de personis in communi quæritur crimen in communi, vt si Superior inquirat, an subditi Regularia instituta seruent, vel vtrùm aliqui extent, qui crimen aliquod commiserint, vtrùm de aliquo sit fama, vel suspicio alicuius criminis, &c. hoc genere inquisitionis vtuntur Prælati, & Superiores in visitatione Prouinciæ, & locorum sibi subiectorum, vt quando Generalis, vel Prouincialis, aut Visitatores quorumnis Monasteria singula Congregationis visitant, sicut Episcopi suas diœceses. Inquisitio omnino specialis est, quando de persona particulari inquiritur crimen aliquod particulare, vt si Superior quærat an Petrus commiserit homicidium, furtum, simoniam, &c. Inquisitio mixta est illa, quæ constat ex generali & speciali, & hæc duplex esse potest; nam vel de persona in communi quæritur crimen particulare, vt si inuento furto, inquiratur quis illud commiserit; aut de persona particulari inquiratur crimen generale, vt si inquiratur an Petrus homo flagitiosus sit, vel an ali-

qua

qua delicta perpetrauerit. Ita Iulius Clarus *in praxi crimin. quaſt.* 50. 20. *&* 50 Leſſius *de inſtit. lib. 2. cap. 29. dub.* 13. Menocb. *de praſumpt. lib. 1. quaſt.* 88. Farinac. *in pract. crimin. q. 1. n. 4.* & alij.

2. His poſitis dico primò. In inquiſitione omnino generali non eſt neceſſaria prænia infamia, aut accuſator, vel denunciator. Quia non eſſet conſultum publico bono, ſi generalis inqoiſitio contra delinquentes fieri non poſſet, abſque præuia infamia; tum quia in iure præcipitur Prælatis & ſoperioribus Eccleſiaſticis, vt ſuo tempore faciant viſitationes, & inquiſitiones generales, vt quoad Epiſcopos patet *in cap. Romana, §. ſanè, de cenſibus, lib. 6.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 24. de reformat. cap. 3.* & quoad Regulares Prælatos *in cap. in ſingulis, de ſtat. Monach.* & in Concil. Trident. *ſeſſ. 25. de regular. cap. 8. & 20.* tum quia per huiuſmodi generalem inquiſitionem nulli iniuria infertur; nam de nemine in particulari fit inquiſitio. Nec obſtat, quod ſi fiat generalis inquiſitio antequam infamia præceſſerit, deteguntur occulti peccatores, & ſic traditur occaſio ſecreta reuelandi, quod eſſet perinde ac quærere de perſona aliqua particulari, ſeu procedere per inquiſitionem mixtam, quod non licet, abſque præuia infamia, vt inferiùs patebit; non obſtat inqoam, quia reſpondetur id per accidens, & præter inquirentis intentionem contingere. Iudex enim generaliter inquirendo procedit ex officio, atque iure ſuo vtitur, & qui interrogatur cautus eſſe debet, ne ea aperiat, ad quæ non tenetur, vel manifeſtare non debet; præterea niſi talis inquiſitio fieret multa crimina impunita remanerent, quia fortè nemo illa ſpontè deferret. Atque ita docent Molin. *de inſt. tom 4. tractat. 3 diſput. 47.* Nauarr. *in man. cap. 18. num. 38.* Valent. 2. 2. *diſput. 5. quaſt. 14. punct. 1.* Roderic. *regular. quaſt. tom. 2. quaſt. 5. art. 3.* Sayr. *in Claui regia lib. 12. cap. 10. num. 16.* Reginald. *lib. 25 praxis, n. 647.* Leſſius *dicta dub. 13. num.* 108. Martin. Bonacin. *in Decalogum diſput. 10. quaſt. 2. punct. 5. num. 7. &* 8. & alij.

3. Ex his colligunt Doctores. Nun teneri ſubditos à Iudice interrogatos, aut per cenſuras compulſos in generali inquiſitione delictum occultum aperire, ſed ea tantum, quorum auctores infamia de tali crimine laborant. Quia interrogatus ad ea tantum reſpondere debet, ad quæ Iudicis poteſtas ſe extendit. At Iudicis poteſtas non ſe extendit ad ea, quæ ſunt occulta, & nondum diffamata, maxima enim incommoda inde ſequerentur. Ideò ſicut Iudex non poteſt de occultis interrogare, ita interrogatus occulta patefacere non debet, imò etiam ſi ſub iuramento, vel ſub pœna excommunicationis, aut aliis cenſuris & præceptum de veritate aperienda imponatur, poteſt nihilominus negare ſe quicquam ſcire, intelligendo tacitè ſe neſcire eo modo, vt patefacere teneatur; ius enim habet vtendi æquiuocatione, & intelligendi præſtitum iuramentum cum interna reſtrictione, quæ caſum præſentem excludat. Ita Leſſius *dicta dub. 13. num.* 109. Clauis Regia *loco cit.* Bonacina *d. punct. 5. num. 9.* qui teſtantur de communi.

4. Addit Leſſius *num.* 111. quando crimen eſt adeò occultum, vt nullo modo probari poſſit, apertè contra iuſtitiam peccari, ſi illud manifeſtetur; quia cum probari non poſſit, nec etiam puniri poteſt; & proinde nequit ex illius manifeſtatione aliud, quàm infamia ſequi. Limitantur prædicta primò, quando licèt auctor delicti nulla eius infamia laboret, tamen ab eo imminet damnum publico bono obfuturum, quia alia ratione, quam per Iudicem auerti nequit: quilibet enim poteſt manifeſtare id, quod in ſua cognitione abditum tenet, ſi ex occultatione aliis damnum perueniret. Ita Sot. *de inſtit. & iure, lib. 5 quaſt. 7. artic. 1.* Nauarr. *in manual. cap. 18. num. 31.* Roderic. *dict. q. 5. art. 6.* Leſſius *dicta dub. 13. num. 112. & cap. 30. dub. 6. num. 46. & 47. & cap. 11. dub. 9.* Clauis Regia & Bonacina *locis citatis.* Secundò limitantur, quando manifeſtatio criminis neceſſaria putatur ob ipſius criminoſi vtilitatem, & emendationem; tunc enim aperiendum eſt Superiori, non vt Iudici, ſed vt Patri, vt ſua prudentia & authoritate illum corripiat. Ita Leſſius, Clauis Regia & Bonacina *locis citatis.*

Deducitur ſecundò ex dictis Quòd ſi interrogatus in generali inquiſitione non tenetur ad manifeſtandum reum, dum nulla proceſſit infamia, & auctor criminis eſt occultus, multo minùs tenebitur ſeipſum, aut complicem patefacere: quia iudex non habet ius interrogandi de veritate, niſi cum hac limitatione, ſi præceſſit infamia, vel ſemiplena probatio. Ita Bonacina *loco cit. num. 4. verſic. quartò.* Modus autem interrogandi, quo Superiores in inquiſitione generali vti debent, eſt, an teſtes ſciant, aut credant, aut fama ſit, vt colligitur ex *cap. qualiter & quando, el 1. de accuſat.* 5.

Dico ſecundò. In ipſa generali inquiſitione, ſeu viſitatione Regularium Superiores obſeruare debent, vt præmiſſa graui admonitione, exhortationéque ad ſcelera, & peccata vitanda, ac honeſta amplectenda, inquirant de cultu diuino, de obſeruatione Regulæ, atque conſtitutionum Religionis, an ſubditis tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus prudenter, & paterna charitate ſubueniatur? de vita, & moribus tam Prælati, quàm ſubditorum, necnon de aliis ad Religionis ſtatum, bonúmque regimen ſpectantibus, & neceſſariis, & ſi quæ reformanda, corrigenda, aut punienda repererint, tam in capite, quàm in membris, corrigant, & reforment, abſque vlla perſonarum acceptione; item ſequentes Viſitatores perquirant priorum Viſitatorum veſtigia diligenter, & eorum negligentias, & exceſſus referant ſequenti Capitulo generali, ad hoc vt iuxta culpam publicè debitam pœnam reportent; prout habetur *in cap fin. extr. de ſtat. Monach. & in cap. crimina, de cenſib. in 6.* & præcipitur à Concil. Trident. *cit. cap. 8. ſeſſ. 25. de regular.* 6.

Porrò in ipſa generali inquiſitione, ſeu viſitatione peragenda obſeruare debent, Regulares Viſitatores, vt prius forment capitula ſuper quibus, & Prælatus, & ſubditi viſitandi interrogandi ſunt, iuxta modum à Victorino Manſo *de modo procedendi in cauſis regular. cap 9.* traditum; ita enim facilius, ac rectius ſuum munus exequentur.

Forma autem proceſſum per viam generalis inquiſitionis, ſeu viſitationis ſimpliciter incipiendi traditur ab eodem Victor. Manſ. *loco citato, cap. 8. num 2. & ſeq.* & à Franciſc. Ghiſler. *de iudic. regul cap. 16. n. 84.* in hunc modum: 7.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate Domini 1628. die 26. Maij, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D. N. D. Vrbani diuina Prouidentia Papæ VIII. anno eius quinto, Indictione ſexta, ſacrorum Canonum, ſacríque Tridentini Concilij Decretis, ac noſtrarum Conſtitutionum Ordinationibus, de Monaſteriorum viſitatione inhærendo, Reuerendiſſimus P. D. N. de N. Præſidens Generalis totius Congregationis N. vna cum ſuis Collegis eiuſdem Congregationis Viſitatoribus D. A. & D. B. & me D. C. Secretarij, vel Notarij vices agente, acceſſit ad Monaſterium tale, & eiuſdem Monaſterij Patribus huiuſmodi viſitatione intimata, ac conuenienti exhortatione adhibita primo Eccleſiam, deinde ſacra vaſa, & veſtes, cæteraque ad diuini cultus reuerentiam pertinentia viſitauit: omnibúſque, vt decet repertis, ad Monachorum in eodem Conuentu commorantium viſitatione in Camera ſolitæ reſidentiæ ad Reuerendiſſ. P. Abbatis

eiusdem Cœnobij secum tulit, vnà cum prædictis suis Collegis. Et cum dict. P. Abbas vocatus adesset, à prædicto Reuerend. Patre Generali admonitus de veritate super interrogandis fideliter dicenda, prout se facturum esse promisit, ad opportunas interrogationes sibi factas vt infra deposuit. Interrogatus super primo, Respondit, &c super secundo, Respondit, &c. & sic de singulis, necnon de aliis Monachis in Monasterio visitato commorantibus.

Si in hac generali inquisitione, seu visitatione aliquod delictum repertum fuerit, super eo specialis inquisitio instituetur, modo quo infra.

QVÆSITVM VII.

Quem modum Regulares Prælati contra subditos criminosos per viam specialis inquisitionis procedentes seruare debeant.

SVMMARIVM.

1. *Prælati Regulares nequeunt procedere per specialem inquisitionem, nisi præcedat infamia, vel clamorosa insinuatio.*
2. *Quid sit necessarium, vt infamia procedere dicatur?*
3. *Infamia quomodo probari debeat?*
4. *Infamia, ante ipsam inquisitionem orta esse debet.*
5. *Iudex an possit per specialem inquisitionem procedere ex indicijs.*
6. *Forma incohandi processum per viam specialis inquisitionis.*

1. Dico primò. Regulares Prælati nequeunt contra aliquem instituere specialem, siue solemnem inquisitionem, qua pœna delinquentis intenditur, nisi aliqua auctoris delicti infamia, vel clamorosa insinuatio præcesserit, *cap. inquisitionis, §. tertia de accusat.* vbi sic dicitur: *Ad hæc respondemus, nullum esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit, puniendum, quinimò super hoc depositiones contra eum recipi non debere; cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* idem probatur in *cap. cum oportet, & in cap. qualiter & quando, il 2. eod. tit.* Exemplo villici, qui Lucæ cap. 16. primò infamatus est apud dominum suum, deinde ei dicitur: *Quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuæ.* Et exemplo Sodomorum Genesis 18. de quibus Dominus ait: *Descendam, & videbo vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint?* Horum ratio est, quia Iudex non potest ad specialem inquisitionem procedere, nisi adsit aliquis formalis, vel saltem fictus accusator; cùm autem fictus accusator sit infamia, vel clamorosa insinuatio, sequitur Iudicem non posse ad specialem inquisitionem procedere, absque præuia infamia, vel clamorosa insinuatione. Ita Panormitanus super *dict. §. tertia, num. 2. & 3* & ibi communiter scribentes, D. Thom. 2. 2. *quæst. 67. artic. 3.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 29. dub. 15. num. 121.* Gregor. à Valent. *tom. 4. disp. 5. quæst. 14. punct. 1.* Clauis Regia *lib. 11. cap. 10. num. 17.* Reginald. *in praxi lib. 25 num. 648.* plures refert Farinac. *tom. 1. prax. criminal., quæst. 1. num. 5. & quæst. 8. num. 1.* Menoch. *tom. 1. consil. 100.* Bonacina *in Decalog. disput. 10. quæst. 2. punct. 5, num. 10.*

Vt autem infamia præcedere dicatur, non sufficit quod duo, vel tres etiam iurati affirment se vidisse illum contra quem Iudex procedere intendit, tale crimen perpetrantem, vt expressè habetur *in dicto cap. inquisitionis*; quia adhuc factum est occultum; & ideò per publicam inquisitionem patefieri non debet; sed requiritur, vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem Viciniæ, vel Collegij, aut Vniuersitatis, vel Monasterij, vbi delinquens commoratur. Ita Sot. *de secreto membr. 2. quæst. 6. §. tertium dubium.* Caietanus 2. 2. *quæst. 69. art. 2.* Lessius *dict. dub. 15. num. 123.* Clauis Regia *loco citato, num. 10.* Bonacina *dict. punct. 5. num. 11.* necessarium est autem, vt saltem decem personæ inueniantur in ea Vicinia, Collegio, Vniuersitate, vel Monasterio: vt in simili docet Sanchez *in Decalog. lib. 2. cap. 11. num. 19. in fine.* 2.

Dico secundò, hæc infamia probari debet saltem per duos testes iuratos, & legitimos, qui deponant, quòd publicè illud dicatur, vel quòd audiciint publicè dicere, & præsertim à talibus, eos nominando, qui nominati etiam examinari, atque interrogari debent: item deponant, à quo tempore, & qua de causa hæc fama processerit. Ita Pegna *in comment. 19. in 3. part. direct. Inquisit. versic. rursus si testes.* Iulius Clarus *lib. 5. recept. sentent. in practic. crimin. quæst. 6. vers. debent etiam dicere.* Farinac. *loco citato, quæst. 47. n. 129. & seqq.* Et hi testes scire debent, quid sit fama, adeo, quod interrogati, quid fama sit, si dixerint se nescire, nihil probabunt. Iulius Clarus *loco citato, versic. postremò sciat*: fama autem est id, quod communiter, & publicè dicitur. Farinac. *loco cit. num 136.* 3.

Dico tertiò. Vt processus per viam specialis inquisitionis super infamia legitimè fundari possit, necessarium est, vt infamia ante ipsam inquisitionem orta sit, alias erit ipso iure nullus. Farinac. *loco citato, num. 172. & 178.* Ambros. *in process. informat. lib. 1. cap. 2. num. 19.* 4.

Dico quartò. Superior nequit per specialem inquisitionem contra aliquem procedere, si tantùm adsint aliqua indicia etiam manifesta. Quia indicia sunt minoris probationis in iudicio, quam duo, aut tres testes omni exceptione maiores; at duo vel tres testes huiusmodi non sufficiunt ad specialem inquisitionem. *dicto cap. inquisitionis, de accusat.* ergo multo minùs indicia. Ita Sot. *dicta quæst 6. §. at verò. & §. tertium dubium,* Nauarr. *in manual. cap. 18. num. 38.* Valent. *dicto punct. 1.* Clauis Regia *loco cit.* licèt contrarium sentiant Petrus à Nauarr. *lib. 2. de restitut. cap. 4. n. 168.* Azor. *institutionum moralium part. 3. lib. 13. cap. 18.* Emanuel Sà *verb. iudex, de modo procedendi, num. 1.* Molin. *de iustit. tom. 4. tractat. 3. disput. 47.* Iulius Clarus *dicto lib. 5. quæst. 11.* vbi testatur de communi, addeus vnum testem etiam idoneum sufficere, vt Iudex contra aliquem inquirere possit; hæ autem sententiæ inter se concordari possunt, si dicamus primam procedere secundùm iuris dispositionem, ac seclusa consuetudine in contrarium; atque quod ita seruandum sit, vbi aliter ex consuetudine, ac praxi legitimè introductum non est, secundam autem opinionem procedere de consuetudine, quæ iuri communi derogare potest. Vnde (vt testantur isti Doctores secundæ sententiæ) pluribus in locis in praxi receptum est, vt constito de delicto in genere, habitisque indicijs de aliquo, formetur contra illum inquisitio. Ita has sententias conciliat Bonacina *dict. punct. 5. num 12.* hæc tamen praxis, vt citati Doctores aiunt, viget in quibusdam Prouinciis apud Iudices, & tribunalia sæcularia, non autem apud Ecclesiastica, vnde in hoc foro nunquam Iudex absque præuia infamia, vel clamorosa insinuatione, qua sæpè ad ipsius auctores defertur, ad specialem inquisitionem procedere debet. 5.

bet. Lessius *dict. dub.* 15. *num.* 139. *versic. ad primum.*

6. Poterit autem processus per viam specialis inquisitionis hoc modo inchoari.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem 1628. die 15. mensis Aprilis. Cum nostras ad aures peruenisset, fama antecedente, vel clamorosa insinuatione diuulgata non semel, sed sæpius; nec à maleuolis, aut maledicis, sed à probis & honestis personis (vel si fama, & clamorosa insinuatio non adsit, expressa tamen indicia constent) expressis indiciis impellentibus, quod D. N. de tali ciuitate, vel oppido, Cœnobij bona dilapidare non veretur, cum graui ipsius Cœnobij detrimento, ac Monachorum omnium scandalo, sæpiusque de ea re admonitus resipiscendi consilium non suscipit. Quapropter vt bono publico consuleremus, & veritatis tuendæ causa, contra ipsum D.N. super prædictis, ac eorum vnoquoque specialem inquisitionem instituere decreuimus omni modo meliori. Actum in loco nostræ solitæ residentiæ, die, mense, & anno quibus suprà.

Hac forma Iudex ordinarius Conuentus, in quo delictum perpetratum est, processum incipere poterit, infamiæ namque probatio non est necessaria, vt inquisitionem instituat; probabiliter enim existimatur, ipsum infamiæ, quæ viget per se conscium esse. Si autem qui informationem capturus est, non ordinarius, sed delegatus à Prouinciali, vel Generali, aut alio Superiore extet, nec sit in loco, vbi delictum perpetratum fuit, vt infamiæ præcedentis notitiam commodè per se habere possit, de infamia priùs informationem capere debet, quam (vt suprà diximus) duorum testium non inhabilium depositione constare necesse est. In hunc autem, qui sequitur, modum processum inchoare poterit.

In nomine Domini; Amen, anno, &c. Nuper à Reuerendissimo Patre Generali nostræ Congregationis N. siue nobis iniunctum fuit, vt ad Monasterium N. personaliter accedere, ac informationem capere deberemus de & super criminibus à D.N. perpetratis, & signanter super dilapidatione bonorum Monasterij, vel furto, homicidio, &c. ab eodem D.N. commissis, vt igitur huiusmodi mandatis, prout obedientiæ vinculum nos adstringit, obediamus, ad præfatum Monasterium personaliter accessimus, & constito prius nobis ex duorum testium legitimis dictis de infamia, vel clamorosa insinuatione, expressisve indiciis, quod d. D N. Monasterij bona dilapidauit, vel tale furtum, homicidium, &c. perpetrauit; ideo boni publici, ac veritatis tuendæ gratia, inquisitionem specialem super iis, eorumque singulis intimis, atque annexis instituimus. Actum vt suprà, die, mense, & anno quibus suprà.

Deinde ad testium examinationem procedere poterit.

QVÆSITVM VIII.

Quomodo Regulares Prælati contra subditos delinquentes per inquisitionem mixtam procedere debeant.

SVMMARIVM

1 *Regulares Prælati nequeunt per inquisitionem mixtam specialem quoad personas, generalem autem quoad crimina, absque præuia infamia, vel semiplena probatione, & accusatione, vel saltem manifestis indicijs procedere.*

Secus in inquisitione generali quoad personas, speciali vero quoad crimina.

2 *Quando crimen est publicum, potest Iudex in genere, inquirere de eius Auctore, non tamen in specie, absque præuia infamia, vel semiplena probatione, aut accusatione.*

3 *Interrogatus in generali inquisitione non tenetur detegere auctorem criminis, nisi infamia, aut semiplena probatio, vel accusatio præcesserit, limitatamen.*

4 *Quid si absque vlla restrictione iurauerit se veritatem manifestaturum.*

5 *Reus confessus, & conuictus de vno delicto, an possit interrogari de alijs, de quibus non est contra ipsum infamia, vel indicia?*

6 *Iudex in inquisitione generali quoad personas, & speciali quoad delicta, si crimen sit facti permanentis, nequit processum inchoare, nisi prius illi de tali crimine constiterit.*

7 *Regularis Iudex in inquisitione speciali quoad mixta delicta, generali vero quoad personas, quo modo se gerere debeat?*

8 *Forma incipiendi processum in huiusmodi inquisitione.*

9 *Regularis Iudex in inquisitione generali quoad delicta, speciali vero quoad personas, quomodo se gerere debeat?*

10 *Forma incohandi processum in huiusmodi inquisitione.*

1. Regulares Prælati per inquisitionem mixtam, quæ inquirunt specialiter de persona, & generaliter de crimine, absq; præuia infamia, vel semiplena probatione, & accusatione, aut saltem manifestis indiciis procedere nequeunt. Quia alias infamaretur persona, & puniretur absque accusatore, vel supplente ipsius vicem; tum etiam, quia ratio naturalis dictat, ne secreta, & occulta publicè iudicentur; ergo nequeunt supradicti Prælati contra aliquem specialiter inquirere, nisi præcesserit infamia, vel semiplena probatio, & accusatio, vel saltem manifesta indicia. Quando autem per mixtam inquisitionem procedunt, inquirendo de aliquo crimine manifesto, quisnam fuerit eius auctor in communi, non est necessarium præcedere infamiam delinquentis, nec semiplenam probationem, & accusationem; quia nemo quæri potest, sibi factam fuisse iniuriam per huiusmodi inquisitionem, imò potiùs id communi bono expedite videtur; nam nisi tales inquisitiones fierent, sequeretur, quod Communitas grauiter offenderetur, videns Iudicem non inquirere auctorem notorij criminis putarétque eum delinquentem fouere, & malefici spe impunitatis inualescerent. Ita Molina *de iustit. tom.* 3. *tractat.* 3. *disput.* 47. *num.* 2. Lessius *de iustit. lib.* 2. *cap.* 29. *dub.* 14. *num.* 114. Syluest. *verb. correptio. num.* 6. Nauarr. *in man. cap.* 18. *num.* 40. Sayr. *in Claui regia. lib.* 12. *cap.* 10. 23. *&* 24. Michaël Salon. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. *controuers.* 7. Aragon. *ibid.* Bañez *ibid. quæst.* 70. *art.* 1. *dub.* 2. Valent. *tom.* 4. *disput.* 5. *quæst.* 14. *punct.* 1. Reginald. *lib.* 25. *praxis, num.* 652. Martin. Bonacin. *in Decalogum disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 5. *num.* 14. 2. Ex his sequitur, quòd quando aliquod delictum patratum fuit, de quo publicè constat, potest Iudex in genere inquirere quis illud commiserit, non potest tamen in specie contra certas personas processum incipere, nisi præcesserit infamia, vel semiplena probatio, & accusatio; quæ infamia non à maleuolis, & maledicis, sed ab honestis personis, & ante ipsam inquisitionem orta esse debet. 3. Secundò sequitur, illum, qui in inquisitione mixta, seu generali inter

interrogatur de veritate alicuius criminis notorij [illegible] ius auctorem pauci norunt, non teneri ad veritatem, seu auctorem criminis aperiendum. Si [illegible] laboret infamia, vel saltem semiplena probatio, aut accusatio de criminis auctore præcesserit: nam vt aliquis detegatur in inquisitione, necessarium est, quod publica infamia labores, *cap. inquisitionis, & cap. qualiter, & quando, el 2. de accusat.* at delinquens nondum publica infamia laborat, dum duo, vel tres eius delictum extraiudicialiter norunt. Ita Lessius *d. dub. 14. num. 118.* Bonacin. *dicto punct. 5. num. 14. versic. secundo.* & alij contra Azor. *moralium institutionum part. 3. lib. 15. cap. 15. quæst. 4.* & alios. Hoc tamen limitari debet, quando crimen adhuc perpetrandum, vel continuandum esset, vel si ex eo graue damnum alicui immineret, quod alia ratione commodè auerti non posset; nam hoc casu interrogatus posset, ac eum teneretur auctorem patefacere, quamuis omnino occultum, & nulla infamia laborantem, vt Iudex posset opportuna remedia adhibere: vt superiùs de inquisitione generali dictum est. Ita Lessius *dict. dub. 14. num. 119.* Quod si Superior sub iuramento interroget, & testis interrogatus absque vlla restrictione iurauerit se proditurum quicquid de facto, ac de eius auctore nouerit; nihilominus ille non tenebitur auctorem patefacere, si sit penitus occultus, & per occultam monitionem corrigi possit; secus autem, quando de illo est rumor, vel si aliter non censetur emendandus. Pariter, licèt Superior sub pœna excommunicationis, vel alterius censuræ præcipiat, non tenetur interrogatus auctorem patefacere, nisi de illo sit aliqua fama, vel nisi damnum alicui immineat, vel nisi alia ratione non speretur emendandus; de tali enim huiusmodi præceptum colligi debet. Ita Syluest. *verb. correctio, num. 6.* Lessius *d. dub. 14. num. 120.*

5. Sequitur tertiò, reum confessum, vel conuictum de vno delicto, non posse licitè interrogari de aliis, de quibus non extat contra ipsum infamia, vel indicia, nisi fortè crimina, de quibus interrogatur, aliquam habeant connexionem cum illis, quæ confessus est, aut conuictus, quia tunc adsunt sufficientia indicia, aut infamia. Ita Caietan. *2. 2. quæst. 69. art. 2. Azor. dicto lib. 13. cap. 18. quæst. 4.* Iulius Clarus *lib. 5. quæst. 64. num. 50.* Bonacina *dicto punct. 5. num. 14. versic. tertiò.*

6. Aduertendum autem, quòd in inquisitione generali quoad personas, speciali verò quoad delicta. Si delictum sit facti permanentis, Index processum inchoare nequit, nisi prius illi de tali delicto commisso constiterit, per textum *in l. 1. § item illud. ff. ad Syllanian.* Hyppolit. de Marsil. *in practic. crimin. §. principium, num. 4.* Ægid. Boss. *in practic. tit. de delict. num. 2.* Iulius Clarus *lib. 5. quæst. 4. versic. quando verò.* Prosper Farinac. *part. 1. prax. crimin. quæst. 1. num. 6.*

7. Regularis igitur Iudex, cum ad eius aures peruenerit, delictum aliquod particulare in aliquo loco perpetratum fuisse, ad locum delicti vnà cum discretis se conferre debet, factùmque ipsum videre, vt si, ex. gr. (quod absit) aliquis vulneratus fuerit, Prælatus vnà cum sui conuentus discretis ad vulneratum accedet, inspectóque ac bene considerato vulnere, omnia ab aliquo discretorum exactè describi faciet, nisi iam medicamenta applicata fuerint, quare vulnus ipsum inspici non possit, quo casu describere faciet, vulnus non potuisse propter iam applicata medicamenta videri. Deinde vulneratum ipsum delato ei prius iuramento de veritate aperienda, interrogare debet, quare ita vulneratus est, quo tempore, & loco, & à quo sciat sibi vulnus illatum fuisse, quod si dicat nescire, interrogetur quem credit fuisse, & quare ita eredat.

Deinde examinare debet testes præstito eis iura-[illegible] de veritate [illegible], tam [illegible] de [illegible] credo [illegible] alt [illegible], & [illegible] do- nec [illegible] sufficient [illegible] ad [illegible] habeantur indicia, & tunc [illegible] contra eum formabit, si vero [illegible] cunnis, necessaria est alicuius [illegible] incipiatur: forma autem incipiendi [illegible] per viam inquisitionis gen[er]alis quoad per[s]onas [illegible] in delicto facti permanentis traditur à Franc[isc.] Ghisler. *de iudic. regular. cap. 16. num. 86.* in hunc, qui sequitur modum: 8.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi 1628. die 15. Aprilis.

Cùm peruenisset ad aures Reuerendissimi Patris Generalis Congregationis N. publica [illegible] fama deferente, & clamorosa insinuatione suad[en]te, in Monasterio N. tale crimen scandalosum patratum fuisse; attendentes delictum in Dei offensam, & Religionis iacturam cedere, ex iniuncti nobis muneris debito visum est, ioridicas informationes capere à fide dignis, à quibus possimus veritatem indagare; eapropter ad testes debita, ac iuridica forma examinandus procedere decreuimus. Acta sunt hæc in Monasterio N. in loco nostræ solitæ residentiæ anno, die, mense, quibus suprà, & per me D. N. Secretarium descripta.

9. In generali verò inquisitione quoad delicta, speciali autem quoad personas Regularium Iudex, cum ad ipsius aures fama clamorosáque Insinuatio non à maleuolis, & maledicis, sed à prouidis, & honestis personis orta non semel, sed sæpiùs peruenerit, quod in tali Monasterio, vel omnes, vel tales admodum licentiosè vitam ducant, & conuersentur, ac multa contra ius perpetrare non vereantur, ad Monasterium illud personaliter se conferre debet, atque super talium infamatorum vita, & conuersatione capitulis formatis, delatóque testibus iuramento quod ad inquisita, seu interrogata secundùm veritatem respondebunt, solemnem inquisitionem formare, vt rei veritatem indagare, & scandalo, delicta corrigendo, prouidere possit. Formam autem incipiendi processum per viam inquisitionis generalis quoad delicta solum tradit idem Franeisc. Ghislet. *d. cap. 16. num. 90.* modo infrascripto. 10.

In nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem 1628. die 15. Aprilis.

Cùm ad aures Reuerendissimi P: D. N Præsidentis Generalis Congregationis N. delat[u]m fui[sset], quia infamia, clamosoráque insinuatione non semel, aut bis, sed sæpius, nec à maleuolis, & maledicis, sed à probis, & honestis viris, quod in Mon[asterio] [illegible] Religiosi admodum licentiosam vit[am] [illegible]nt, multa facinora perpetrantes; personaliter [illegible] Monasterium se contulit, ad habendum [infor]mationem, an res ita se habeat, necnon hu[iusmodi] scandalum, quatenus opus esset, tollendum. [illegible] præ[illegible] Reuerendissimus Pater Generalis [illegible]uit a [illegible] præfatos Religiosos infamatos de ill[o]ru[m] vita, & conuersatione inquirere omni modo [m]eliori.

Acta sunt ista in Monasteri[o] [pr]ædicto,
die, mense, & anno, q[uibus] [s]upra,
& à me D. N. Secretario
descripta.

QVÆSI

QVÆSITVM IX.

Vtrùm in aliquibus casibus possint Regulares Iudices, absque præcedente infamia ad inquirendum tam in genere, quàm in specie procedere?

SVMMARIVM.

1 *Quando quis delictum occultum in iudicio, quamuis coram paucis confessus fuit, potest Iudex ad specialem inquisitionem contra eum, absque præuia infamia procedere.*

2 *Quid, quando confessus est extra iudicium, vel in tormentis, aut incogitanter Prælato, vel in aliqua secreta epistola, quam Prælatus aperuit?*

3 *Iudex, quando generaliter inquirendo, comperijt auctorem criminis, potest contra illum specialiter inquirere.*

4 *Item quando crimen in iudicio commissum est.*
Item quando inquisitio, vel manifestatio necessaria est ad impediendum malum futurum.

5 *Item quando proceditur, non ad punitionem, sed ad conferendum beneficium, vel eligendum aliquem ad Prælaturam, &c.*

6 *Item quando communis suspicio populi, vel Communitatis supplet vicem infamiæ.*

MVlti sunt casus, in quibus absque præuia infamia Iudices ad specialem inquisitionem proce-
1. dere possunt. Primus casus est, quando quis confessus fuit crimen occultum in iudicio, quamuis illud coram paucis confessus fuerit, vt coram Iudice, & Notario, vt colligitur *ex cap. 1. de accusat. lib. 6.* quia illa confessio facit notorium iuris, consequenter sufficit ad specialem inquisitionem, quia notorium iuris, vel facti plus est, quàm infamia. Idem procedit etiam si solum incidenter illud confessus sit. Ita Nauarr. *in rubric. de iudic. num. 85.* Valent. *tom. 4. disput. 5. quæst. 11. punct. 3.* Auil. *de censuris, part. 2. cap. 5. disput. 4 dub. 3.* Lessius *de iustit. lib 2. cap. 29 dub. 15. num. 124.* Bonacina *in Decalogum, disput. 10. quæst. 2. punct. 5. num. 15. versic. tertius casus.* Nec refert, vtrùm illud crimen, quod sic confessus est, sit circumstantia delicti, de quo agitur, an verò distinctum delictum; nam licet sit omnino distinctum, Iudex contra illud procedere potest. Ita Nauarr. *loco citato, num. 86.* Lessius, Bonacina & alij *locis citatis*, contra Sotum. Nec sufficit confessio rei extra iudicium, etiam si coram multis facta sit, nisi ex ea infamia processerit, vt docent Nauarr. Bonacina & alij *locis citatis.* Sicut nec etiam sufficit confessio tormentorum metu facta, si postea tanquam metu facta reuocetur; quia perinde est, ac si facta non fuisset, præter-
2. ea, nec etiam sufficit confessio facta Prælato incogitanter, aut in aliqua secreta Epistola, quam Prælatus aperuit, adhuc enim delictum dicitur occultum. Ita Sotus *de ratione tegen secret. membr. 2. quæst. 6.* Nauarr. Lessius, Bonacina & alij *loc. cit.*

3. Secundus casus est, quando Iudex per generalem inquisitionem procedenti comperiit auctorem criminis; tunc enim potest contra illum specialiter inquirere. Nec refert, quod testis forte peccauerit reuelando, eo quod nulla esset infamia; nam ex quo delictum in publicam Iudicis notitiam deductum est, siue benè, siue malè, Iudex tenetur contra illud procedere per particularem inquisitionem, & punire, & qui interrogantur cauti esse debent ne detegant, quæ detegere non possunt. Ita Nauarr. *loco citato, num. 87.* Clauis Regia *lib. 12. cap. 10. num. 13. & cap. 11. num. 18.* Lessius *dict. dub. 15. num. 125.* qui testatur, ita sentire communiter Iurisperitos *in l. 2. § si publico, ff. de adulter.* Bonacina *dicto puncto 5. num. 15. versic. quintus.*

Tertius casus est, quando crimen in iudicio com- 4.
missum est, vt si committatur coram Iudice, aliisque circumstantibus, vel si testis falsum deponat in iudicio, vel si detegatur falsa, & calumniosa accusatio, aut literæ falsæ, seu falsa instrumenta, quibus pars vtitur. Ita Nauarr. *loco cit. num. 88* Less. *num. 127.* Bonac. & alij *locis cit.*

Quartus casus est, quando inquisitio, vel manifestatio necessaria est ad impediendum malum futurum publicum, aut priuatum, præsertim animatum; v. g. ad impediendum crimen hæresis, vel apostasiæ, aut læsæ Maiestatis. Quia hæc crimina sunt valde perniciosa Reipublicæ, ab iis enim semper imminet periculum euasionis, tum etiam quia bonum animæ semper præponendum est bonis externis, famæ scilicet, honoris & facultatum. Requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indiciis non leuibus. Ita Nauarr *loco citato, num. 93. & 94.* Lessius *num. 128. & seq.* Valent. Clauis Regia, Bonacina & alij *locis citatis.* Vnde tenemur Inquisitoribus reuelare crimina contra fidem, quamuis sit occolta, & nondum diffamata, quia hîc agitur de bono communi, & de bono fidei & Religionis, quod præferendum est famæ.

Quintus casus est, quando proceditur non ad pu- 5.
nitionem, sed ad conferendum beneficium, vel eligendum aliquem ad Prælaturam, vel officium, ad dispensandum in voto, &c. Quia cum hæc inquisitio non adhibeatur ad pœnam, non requirit præuiam accusationem, vel infamiam, quæ procedere debet, cum per inquisitionem intenditur pœna delinquentis; tum etiam, quia Superior cauere debet, ne officia, & dignitates indignis conferat; quod facere non potest, nisi habeat ius interrogandi eos, qui norunt, quem esse indignum; & hi interrogati Iudici interroganti respondere debent; & per consequens etiam ipse indignus veritatem aperire, vel à dignitate illa, officio, aut beneficio abstinere debet, etiam si cogatur illud acceptare: quia licet nullus seipsum manifestare teneatur, dum coactus, & citra suam voluntatem in aliquo statu constituitur, vt obseruat Sanchez *de matrimonio, lib. 6. disput. 27. num. 7. versic. nec obstat*; tamen in hoc casu tenetur seipsum prodere, vel saltem abstinere à petendo, vel obtinendo beneficio, dignitate, vel officio; quia indignus tenetur facere quantum potest, ne ad Prælaturam, vel officium, ad quod indignus est, eligatur, vt alibi docuimus. Ita Salon. 2. 2, *quæst. 68. art. 1. controuers. 4.* Clauis Regia *loco citato.* Bonacina *dicto puncto 5. num. 15. versic. secundus est.* Caueat tamen Prælatus indigni defectum inquirens ad effectum, de quo agitur, illum aliis, quibus necessarium non est, detegat; quia sicut interrogati eos tantum defectus aperire possunt, quibus alter redditur indignus, vel inhabilis: ita pariter inquirens nequit hos defectus aliis, quibus necesse non est, detegere: consulendum est enim famæ proximi quantum fieri potest. Ita Bonacin. *loco cit. in fin.*

Sextus casus est, quando communis suspicio popu- 6.
li, vel Communitatis supplet vicem infamiæ, vt docet Nauarr. *loco citato, num. 95.* Salon. 2. 2. *quæst. 69. art. 2.* Clauis Regia *d. cap. 11.* Azor. *moral institut. part. 3. lib. 13. cap. 17. & cap. 25. quæst. 3* Lessius *dict. dub. 15. num. 130.* Bonacin. *loco cit. vers. sextus.*

QVÆSITVM X.

Ex quibus indicijs possint Regulares Iudices reum tortura subijcere?

SVMMARIVM

1 *Iudex ad torturam deuenire non debet, nisi pracedant aliqua indicia, vel præsumptiones, aut semiplenæ probationes.*
2 *Tortura quare dicatur quæstio?*
3 *Indicia quæ dicantur?*
4 *Indicia leuia quæ dicantur?*
5 *Indicia grauia quæ dicantur?*
6 *Indicia grauissima quænam appellentur?*
7 *Tortura quare introducta sit?*
8 *Reus quando torturæ subijci possit?*
9 *Reus torturæ subijci potest in criminibus grauioribus tantùm, non autem in leuibus.*
10 *Iudex ad torturam deuenire non debet, si delictum aliter, quàm per eam probari potest.*
11 *Limita, vt num.11.*
12 *Regulariter Clerici & Religiosi torqueri non debent, nisi prius sint infamati.*
13 *Clericus & Religiosis non debet ita grauis tortura inferri, sicut laicis.*
14 *Reus potest torturæ subijci, si eius delictum est semiplenè probatum, & persona est talis, vt torqueri possit.*
15 *Confessio rei extra iudicium sufficit ad illum torturæ supponendum, licet non ad puniendum.*
Limita vt num.16. & 17.
18 *Quid, si reus crimen coram Iudice incompetente confessus fuerit?*
19 *Quid, si reus crimen, quod extra iudicium, vel coram Iudice incompetente confessus fuit, in tortura iterum confiteatur, nec postea confessionem ratificet?*
20 *Fama publica de auctore criminis quibusdam alijs indicijs annexa sufficit ad torturam reo inferendam.*
21 *Limita, nisi fama esset vehemens.*
22 *Vehemens fama quæ dicatur?*
23 *Item nisi quis iam esset infamatus de similibus delictis, malisque moribus præditus, & publica fama grauaretur in præsenti crimine.*
24 *Prior infamia triennio bonæ conuersationis tollitur.*
25 *Fuga quando faciat indicium sufficiens ad torturam?*
26 *Depositio socij criminis an faciat indicium sufficiens ad torturam?*
27 *Dictum vulnerati an satis sit ad torturam inferendam?*
28 *Dictum sodomitati an faciat sufficiens indicium ad torturam?*
29 *Inimicitia quandónam censeatur indicium sufficiens ad torturam?*
30 *Inconstantia & titubatio Rei an sufficiat ad torturam?*
31 *Si quis visus sit exire ab aliqua domo, vel loco habens in manu euaginatum gladium, & ibi reperiatur aliquis interfectus, potest is torturæ subijci.*
32 *Res sublata apud reum inuenta facit indicium sufficiens ad torturam.*
33 *Vtrùm reus pluries possit torturæ subijci?*

VT huius quæsiti materia magis elucescat, Notandum primò, quod Iudex ad torturam deuenire non debet, nisi præcedant aliqua indicia, vel præsumptiones, aut semiplenæ probationes; nam sine indiciis tormentum inferendum non est. *l. ex libero, ff. de quæst. cap. cum in contemplatione, extr. de regul. iur.* vbi Panormit. *n.2.* Iulius Clarus *in praxi crimin §. fin. quæst.64. vers. dic etiam.* vbi testatur de communi. Et indicia, ex quibus reus torturæ subiici potest, probata esse debent, vt docent communiter Doctores. Tortura autem dicitur etiam quæstio, id est, veritatis indagatio per tormentum, vt appellatur quæstio à quærendo, quia Iudex per tormentum inquirit veritatem, vt tradit Panormit. *loco citato, num.1.* 1. 2.

Notandum secundò, quod indicia à Doctoribus generaliter ea omnia appellantur, ex quibus aliquo modo auctor criminis indagari potest, vt fama, publica suspicio, vnius, aut plurium testimonium, confessio Rei, & huiusmodi. Distinguuntur autem indicia in leuia, grauia, & grauissima. Leuia indicia illa dicuntur, quæ ex leuibus coniecturis procedunt, vt dictum testis inhabilis, fama sola, assertio vulnerati, & similia, quæ probabilem suspicionem de auctore criminis commouent. 3. 4.

Grauia indicia, quæ & suspiciones vehementes, & semiplenæ probationes appellari possunt, illa dicuntur, quæ ex magnis, ac solidis coniecturis proueniunt, vt confessio Rei extra iudicium facta, fuga eiusdem post perpetratum delictum, ante inquisitionem formatam, & captas informationes, dictum testis inhabilis tortura firmatum, & similia. 5.

Grauissima indicia, quæ & indubitata dicuntur, necnon violentæ suspiciones, & plusquam semiplenæ probationes, ea sunt, quæ ex maximis coniecturis animum Iudicis conuincentibus procedunt; vt quando vnus testis omni exceptione maior deponit, se vidisse hunc tali loco, & tempore occidentem aliquem, vel auferentem hoc, vel illud à tali loco, vel si quis ab aliqua domo vnum tantum ostium habente cum euaginato, ac cruento gladio, faciéque turbata exire visus fuerit, & in illa domo aliquis interfectus reperiatur, & alia huiusmodi, quæ non modò ad torturam, verum etiam ad condemnationem sufficere censentur, videri poterit Iulius Clarus *recept. sentent. in pract. crimin. lib.5. quæst.20.* Prosper Farinacius *quæst.36. num.36. & seq.* 6.

Secundò notandum est, torturam introductam esse, non in pœnam criminis commissi; quia crimen nondum plenè probatum puniri non potest; sed causa inuestigandi veritatem, & in subsidium; vt quia sufficiens, & plena probatio deest, ipse reus veritatem confitendo suppleat quod ad plenam probationem requiritur, vt *l. diuus Pius, ff. de quæst. can. illi, qui.* vbi gloss. *5. quæst.5.* & docent Nicol. Boher. *decis.163. num.1.* Hippolit. de Marsil. *in l.1. ff de quæst.* Panormit. *in cap cum in contemplatione, num.2. extr. de regul. iur.* Couarr. *practic. quæst. q.23.* & communis Doctorum sententia, & Iulius Clarus *d. lib.5. quæst.64. num.6.* Vnde reus torturæ subiici non potest, nisi quando crimen est semiplene probatum, vel quando vehementia extant indicia, adeò vt ferè moraliter certum sit, ipsum auctorem esse. In hoc autem casu reum torturæ subiici posse ad confessionem naturali rationi congruum videtur; nam si non posset, improbi audacter, & impunè peccarent, damna, & iniurias aliis inferrent, videntes se testibus, vel externis indiciis non conuincendos, cum verò se videant ex indiciis, vel vno teste tormentis subiiciendos, facilius à sceleribus abstinent. Tum etiam quia pleraque maleficia grauissima puniri non possent, quia paucis, vel nullis consciis perpetrantur: cùm tamen ad id bonum Reipublicæ sit necessarium, 7. 8.

rium, quoniam valde interest, ne delicta remaneant impunita.

9. Notandum tertiò, reum torturae subiici posse in criminibus grauioribus tantùm, quae poena corporali, vt mortis, mutilationis, triremium, & in Clericis depositionis castiganda sunt, non autem in iis, quae exilio, vel alia leuiori poena, vt docent Gomez. *variarum resolut. lib. 3. cap. 15. num. 2.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 29. dub. 17. num. 151.*

10. Quartò notandum, quòd si delictum aliter, quàm per torturã probari potest, Iudex ad eam deuenire non debet, quia regulariter ad tormentum non est procedendum, nisi quando veritas aliter haberi non potest; tortura enim (vt superiùs diximus) nil aliud est, quàm subsidium quoddam extremum ad inuestigandam veritatem, vnde reo legitimè per testes conuicto inferri non debet, etiam si crimen fateri nolit, vt docent Nauarr. *in manuali cap. 18. num. 59. & in repetit. can. inter verba, conclus. 6. 11. quaest. 3.* Iulius Clarus *q. 64.*
11. *num. 8.* Lessius *d. dub. 17. num. 152.* qui hoc dupliciter limitant, primò quando reus malitiosè appellat ad Superiorem, causa iustae sententiae executionem impediendi; reis etenim in Italia, & Castella appellatio permittitur ad effectum suspendendi executionem sententiae, si crimen confessi non sint, vt testatur Nauarr. *loco citato.* Secundò limitant, quando reus putatur habuisse socios, vel commisisse alia crimina, quia tunc etiam per torturam interrogari potest, moderatè tamen, pro ratione causae, & indiciorum; debet tamen de illis adesse semiplena probatio, vel indicia sufficientia

12. Quintò notandum est, quod regulariter Clerici, ac Religiosi torqueri non debent, existentibus quibuscunque indiciis, nisi priùs sint infamati, vt docuit Abbas antiquus *in cap. 1. extr. de deposit.* sequuntur Ioan. de Anan. *in cap. 1. de cler. percuss. in 6.* Ioan. And. Anton. de Butr. & Panormit. *in cap. cum in contemplatione, num. 6. extr. de regul. iur.* Felin. *in cap. vniuersitatis, num. 2. de sentent. excommun. & in cap. de hoc, num. etiam 2 de simon. & in cap veniens, num. 5. de testib. & attest. & in cap. cum oporteat, sub num. 7. versic. vnum tamen, de accusat. & inquisit.* Hippolyt. de Marsil. *in singul. 55. incip aduertas ad vnum.*

13. In iis autem casibus, in quibus torqueri possunt, non debet eis ita grauis tortura inferri, sicut laicis, vnde supponi non debent aculeis, vel fidiculis, sed virgulis, seu corrigiatis, *can. 1 in fine, 23. quaest. 5.* Panormit. *d. cap. cum in contemplatione, num. 6. in fine.* Roderic. *quaest. regul. tom. 2. q. 20. art. 7.* asserens, ita in Religionibus seruari.

14. His ita notatis, pro solutione quaesiti dico primò. Reus potest licitè subiici torturae, si eius delictum est semiplenè probatum, & persona est talis, vt torqueri possit. Ita communiter Doctores, teste Iulio Claro *quaest. 21. num. 2.* & Anton. Gomez. *cap. 13. num. 7.* quos refert & sequitur Lessius *de iustit. lib. 2. cap 29. dub. 17. num. 153.* tunc autem crimen dicitur semiplenè probatum, quando vnus testis omni exceptione maior deponit, se vidisse hunc tali loco, & tempore occidisse talem: auferentem hoc, vel illud à tali domo; quod si non deponat de visu, sed de auditu à fide dignis, aut aduersus illum sit aliqua exceptio, eius depositio non facit sufficiens indicium ad torturam.

15. Dico secundò. Confessio de crimine facta à reo extra iudicium, sufficiens indicium censetur ad illum torturae supponendum, licet non ad poenam ordinariam ipsi delicto infligendam, vt si quis inter amicos se tale furtum, adulterium, aut aliud huiusmodi delictum perpetrasse iactauerit, & alia delicta perpetrata fuisse constet, si talis confessio per duos testes conformes legitimè probata fuerit, sufficiet ad reum torquendum, si delictum negauerit. Ita gloss. & Doct. *in l. capite quinto, ff. de adulter.* Panormitanus *in cap. de hoc, num. 7. de simon. & in cap. quam sit graue, num. 2. de excess. Praelat. & in cap. olim, num 9. de rescript.* & ibi etiam Felin. *in 2. col. num. 2. versic. fallit primò*, vbi plures cumulat, Gomez. *tom. 3. cap. 13. num. 8.* Farinacius *quaest. 33. num. 16. & quaest. 37. num. 47.* Iulius Clarus *lib. 5. quaest. 21. versic. confessio extraiudicialis.* Lessius *dict. dub. 13. num. 157.* & com-
munitet Doctores: hoc tamen limitatur, si confessus postea confessionem reuocauerit, quia tunc non potest torturae propter illam confessionem applicari, Bald. *in l. vnica, col. vltim. versic. item dicit Innocent. C. de confess.* dicens cautos aduocatos debere ab eorum clientulis talem extraiudicialem confessionem reuocari facere, & sic impedient torturam, nec tenentur probare errorem; quod dictum Baldi refert, & sequitur Felin. *d. cap olim, num. 1. in 3. col. vers. secundus, de rescript. & in cap. at si Clerici, col. 2. vers. secundo restringe nisi confessus, de iudic. & dict. cap. de hoc, circa init. de simon.* 16.

Secundò limitatur. Nisi talis confessio soli Sacerdoti tanquam locum Dei tenenti facta fuisset ad obtinendam remissionem; quia nullum effectum operaretur ad torturam, aut inquisitionem, aut ad vllam informationem, etiam si iniquus Sacerdos eam aperiat, & crimen in publicum deducatur, adeò vt omnibus de eo constet, *cap. si Sacerdos. de offic. ordinar.* quia alias confessionis Sacramentum cunctis, qui crimen aliquod occultum perpetrarunt suspectum redderetur, cùm magna Dei iniuria, qui illud securum esse voluit tanquam suum tribunal. Ita Gomez. *dicto cap. 13. num 9.* Farinacius *quaest. 51. num. 97.* & communiter Doctores, teste Lessio *dict. dub. 37. num. 160.* 17.

Quod dictum est de confessione extraiudiciali dicendum est etiam de confessione facta coram Iudice incompetente, id est, qui non habet ius cognoscendi in causa, eò quia vel reus non sit ipsi subditus, vel causa sit exempta; quia licet ex huiusmodi confessione reus à proprio Iudice delicti poenam reportare non potest, per textum *in dicto cap. at si Clerici. de iudic.* potest tamen torturae subiici tanquam ex indicio, quod maximam criminis praesumptionem inducit; debet tamen illa confessio non esse tormentorum metu extorta, sed metu probationum, vel esse omnino spontanea. Nam Lessius *loco citato, num. 158.* Iulius Clarus *dicta quaest. 21. ver-* 18.
sic. sed hic quaero, & versic. sed quid si reus. Verum 19.
si reus crimen, quod extra iudicium, vel coram Iudice incompetenti confessus fuit, in tortura iterum confiteatur, nec postea confessionem ratificet, nequit ad poenam ordinariam criminis condemnari, quia confessio in tormentis, praeuiis indiciis facta semper requirit perseuerantiam, & ratificationem: alias nullius est momenti, cum vi tormentorum expressa censeatur. Confirmatur; nam huiusmodi confessiones non habent maiorem vim, quam semiplena probatio, sed si quis post semiplenam probationem torqueatur, & in tortura confiteatur, adhuc condemnari non potest, nisi post torturam confessionem ratificet: ergo idem dicendum est in hoc casu. Posset tamen qui liberè crimen extra iudicium confessus est, puniri pro delicto gloriationis, eò quia in alicuius iniuriam de crimine gloriatus est, per textum *in cap. quam sit graue, de excessibus Praelatorum*, vbi Panormitanus *num. 2.* & communiter scribentes, idem Panormitanus *in cap. de hoc. num. 6. de simon.* Lessius *dict. dub. 17. num. 159.*

20. Dico tertiò, fama publica de auctore criminis quibusdam aliis indiciis adiuncta, sufficit ad torturam reo inferendam; quia fama sola ad id non est sufficiens, cum non faciat semiplenam probationem, vt docent Felin. *in cap. veniens, il 1. num. 12. in princip. de testibus.* & ibi communiter Doctores. Hippolit. de Marsil *singul. 97.* Iulius Clarus *dicta quaest. 21. vers. 1.* Farinac. *quaest. 47. num. 4. & seq.* Lessius *dict. dub. 17. num. 156.* contra Anton. Gomez. *dict. cap. 13 num. 10.* quia fama in criminalibus non probat, sed se habet ad instar accusatoris, estque indicium remotum, & fal-
21. lax. Hoc dictum limitatur primò, nisi fama esset vehemens, tunc enim ex ea posset Iudex reum torturæ subiicere. Ita Felin. *vbi proximè, num. 15.* Hippolit. de Marsil. *in practic. crimin. §. diligenter. num. 19.* Grammatic. *decis. crimin. 34. num. 5. 2.* Farinac. *dict. quaest. 47. num. 8. & seq.* Martin. Delr. *disquisit. magicar. tom. 1.*
22. *lib. 5. sect. 3.* Vehemens autem fama dicitur, quæ fundatur, & orta est ex coniecturis grauibus, & quæ ab honestis, & fide dignis personis ortum habet, quæ bonos, & amicos mouere solet, quæ contra aliquem statim delicto perpetrato orta fuit, & huiusmodi, quæ Iudicis arbitrio omittuntur, vt docet Grammat. *dict. decis. 34. num. 59.*
23. Secundò limitatur prædicta conclusio, nisi quis iam esset malæ opinionis, & famæ de similibus delictis, prauisque moribus præditus, & etiam publica fama grauaretur in præsenti crimine, quia fama prior posteriori coniuncta facit vehementem præsumptionem. Ita Iulius Clarus *dict. quaest. 21. num. 1.* Lessius
24. *dicto num. 156. versic. aduerte tamen.* & alij. Prior tamen mala opinio, siue infamia triennio bonæ conuersationis tollitur, vt cum Nauarr. *comment. 2. de regular. num. 60.* Felin. Mascard. & August. Barbosa alibi probauimus.

Dico quartò, si delinquens patrato delicto, ante formatam inquisitionem, aut captas informationes aufugiat, probat contra se sufficiens indicium ad torquendum. *l. lege Cornelia, ff. ad Senatusconsultum Syllanianum.* Mascard *de probat. conclus. 531. & 819.* Lessius *dict. dub. 17. num. 164.* Si tamen citatus compareat, abstergit omnem suspicionem, & indicium contra se ortum. Bartol. *in l. quis sit fugitiuus, §. 1. ff. de aedilit. edict.* & *ibi* communiter Doctores. Farinacius
25. *quaest. 48 num. 48. & seqq.* Lessius *loco citato.* Quod si quis fugiat, cum videt se capi informationes, vel post citationem, talis fuga non est sufficiens indicium ad torturam, vt docet Iulius Clarus *dict. q. 21. num. 23.* Farinac. *quaest. 48 num. 27. & 30.* Lessius *loco proximè cit.* qui testantur de communi.
26. Dico quintò, quando duo, vel tres capti crimen aliquod fatentur, & detegunt alium in eodem crimine socium, faciunt sufficiens indicium contra talem ad torturam. Ita Iulius Clarus *dicta quaest. 21. num. 20.* Verùm debent tunc cum iuramento deponere, quia agunt vt testes: hoe autem intelligi debet, quando non adest iusta suspicio, id ex maleuolentia proficisci. Depositio vnius socij criminis, licèt iuramento confirmata sit, non tamen facit indicium sufficiens ad torturam, nisi is contra quem deponitur, laboret simul infamia, vel graui suspicione illius criminis, quia per se est testis minus idoneus; at concurrente infamia potest vehementem præsumptionem gignere. Ita Clar. *loco citato, num. 4.* Lessius *d. dub. 17. num. 161.* Si verò dictum vnius socij criminis tortura ei propterea adhibita firmatum sit, facit vehemens indicium, atque ad torturam sufficiens. Clarus *quaest. 45. versic. fin.* Farinacius *dicta quaest. 43. num. 137.* nisi inimicus, criminosus, vel huiusmodi exter. Farinac. *ibid. num. 179.*
27. Dictum vulnerati, persistentis in eo vsque ad mortem, licet sufficiat ad capturam, & informationes capiendas, non tamen ad reum torturæ subiiciendum, vt habetur expressè ex *l. si quis in graui, ff. ad Senatusconsultum Syllanianum* & docent Gomez. *dicto cap. 13. num. 16.* Lessius *loco citato, num. 163.* Idem de assertione sollicitati, corrupti, vel mandatarij docent Clarus *dicta quaest. 21. vers. ex hac.* Farinacius *quaest. 46. num. 35. & 52.* An autem dictum sodomitati faciat 28.
sufficiens indicium ad torturam, dicendum est quod sic, si aliquod aliud adminiculum concurrat; quia crimen hoc est occultum, & quod non solet, nisi secretò committi, & aliter veritas haberi nō potest. Ita Ægid. Boss. *in pract. crimin. tit. de indic. & considerat. ante torturam, num. 160. & in tit. de stupro detest. in masc. in fine.* Plot. *cons. 132. num. 23. inter consil. crimin.* Zileti *tom. 1.* Ricc. *in praxi for. Eccles. decis. 452. num. 6.* vbi testatur, ita pluries in Curia Archiepiscopali Neapolitana dictum fuisse. Debet tamen prudens Iudex in hoc casu passi qualitatem considerare, an scilicet sit pubes, vel impubes, vel infans puerulus, vt latè per Viu. *decis. 157. part. 1.* Simon. de Prætis *cons. 178. lib. 1.* quia isti pueruli faciles sunt ad subornandum. Imò voluit Viu. *dicta decis. 157. num. 9. lib. 1.* post Guid. de Suaaria, quod in hoc crimine occulto sufficiant præsumptiones etiam ad condemnationem. Et quod dictum minoris 18. annorum sit sufficiens indicium ad torturam, voluit Viu. *decis. 86. num. 1. lib. 1.* præsertim in atrocionibus, vt per Hippol. de Marsil. *in l. de minore, ff. de quaest.* Requiritur tamen primò, quod tale dictum sodomitati confirmetur in tortura, vt tenent Marsil. *in practic. in §. diligenter, num. 72.* Farinacius *de indic. ad torturam, quaest. 43. num. 134.* Peguer. *in decis. 76.* Secundò requiritur, quod vltra dictum stuprati adsint alia adminicula, seu indicia, vt per Treuisan. *decis. 14. part. 2.* Riccius *dicta decis. 452. in fine.*

Dico sextò, grauis inimicitia, non tamen sola, sed 29.
cum aliis indiciis, & adminiculis ex ea pendentibus, sufficiens censetur ad reum torquendum, vt si antè minatus est, & minas suas exequi sit solitus, si parauit arma, & visus est circa illum locum eo tempore, quo delictum perpetratum esse putatur. Bart. *in l. fin. ff. de quaest.* Farinacius *quaest. 49. num. 127. & seqq.* Gomez. *dicto cap. 13. num. 11.* Grammatic. *cons. crimin. 30. num. 20. & cons. 34. num. 7.* Ægid. Boss. *tit. de indic. num. 47.* Quod si offensus habeat plures inimicos, attenditur inimicitia grauior, recentior, ac ea in qua plura adminicula concurrunt. Farinacius *dicta quaest. 49. num. 114. & seqq.* Item in delictis occultis, & difficilis probationis sola inimicitia facit indicium ad torturam sufficiens. Farinac. *loco cit. num. 109.*

Dico septimò, inconstantia, & titubatio rei dum 30.
examinatur circa principalia causæ, iuncta aliis indiciis sufficit ad ipsum torturæ supponendum. Iulius Clarus *dicta quaest. 21. num 39.* sola tamen titubatio, vel solum mendacium non sufficit. Consideranda est etiam conditio personæ, & causæ: nam quidam ita perturbantur in illo examine, vt vix sciant quid respondeant. Lessius *d. dub. 17. num. 164. versic. sextum.* Farinac. *quaest. 52. num. 47.*

Dico octauò, si quis visus sit exire ab aliqua do- 31.
mo, vel loco habens in manu cruentatum gladium, & ibi reperiatur aliquis interfectus, potest torturæ subiici, quia hoc est indicium grauissimum. Ita Gomez. *dicto cap. 13. num. 15.* & alij apud ipsum Lessium *loco cit. vers. septimum.*

Dico nonò, si res sublata reperiatur apud reum, 32.
nisi docere possit, vnde eam habeat, facit sufficiens indicium ad torturam. Ita Gomez. *loco citato, num. 12.* Iulius Clarus *dicto cap. 21. num. 41.* qui testantur de communi; declarantes, id esse intelligendum, quando reus

reus est persona vilis, & de qua bona opinio non adsit; secus si sit bonæ famæ. Ita etiam Lessius *d. dub. 17. num. 165.* sumpta indicia ad torturam sufficientem ex citatis auctoribus collegimus, ex quibus Regulares Prælati alia prudenter iudicare poterunt, nequit enim in hoc certa, & vniuersalis Regula assignari, & ideò Iudicis arbitrio relinquendum est, qui in re ita graui cautus esse debet, ne proximum contra ius, & fas torturæ tormentorum Reginæ à Doctoribus appellatæ subiiciat; vt docet Panormit. *in citato cap. cum in contemplatione, num. 2. de regulis iuris.* Dubium remanet, an reus possit sæpiùs torturæ supponi? Ad quod respondeo, quod si nihil confessus est, non potuit sæpiùs torqueri, nisi indicia sint grauissima. Item ex nouis superuenientibus indiciis tortura iterum adhiberi potest, *l. vnius, ff. de quæst. in princip.* Item si reus quæ in tortura confessus fuit postridie reuocet, iterum torturæ subiici potest, etiam si noua indicia non superueniant; quia per talem confessionis reuocationem indicia nondum sunt elisa: imò illa variatio nouum indicium tradidisse videtur. Præterea si non posset repeti, totum hoc remedium sine effectu aliquo esse videtur; nemo enim suam confessionem ratificaret, si crederet se non posse amplius torturæ subiici. Ita Lessius *dict. dub. 17. num. 168.* vbi cum Gomez. *dicto cap. 13. num. 27.* aduertit, in hoc casu reum non esse torquendum plusquam ter. quod si tertio pro eodem scilicet crimine, & in eadem inquisitione tortus, & in tormentis confessus, tertio etiam ad ratificandum eductus, confessionem reuocauit, condemnari non potest, imò est absoluendus.

Qvæsitvm XI.

Vtrùm Iudices Regulares possint damnare reum, à quo delicti confessionem per iniuriam extorserunt?

Svmmarivm.

1 *Iudex regulariter non potest damnare, nec vlterius procedere contra reum, à quo delicti confessionem per iniuriam extorsit.*
2 *Limita vt num. seq.*
3 *Quibus modis dicatur Iudex confessionem criminis à reo per iniuriam extorquere?*

1. Regulariter Iudex non potest condemnare, nec vlterius procedere contra reum, à quo per iniuriam criminis confessionem extorsit; quia huiusmodi confessio per dolum extorta fuit, & consequenter non videtur sufficiens ad condemnationem; tum etiam quia fieri potest, vt reus crimen illud non patrauerit, sed fortè confessus sit sub spe absolutionis facilius obtinendæ. Ita docent Couarr. *variarum resolutionum cap. 2. num. 16.* Petr. à Nauarr. *lib. 7. de restitut. cap. 3. num. 242.* Lessius *de iustit. lib. 2 cap. 29. dub. 18. num. 132.* Antonn. Gomez. *variarum resolutionum tom. 3. cap. 12. de probat. num. 6.* Farinacius *in praxi crimin. part. 3. quæst. 81. num. 276. & 280.* Reginaldus *in praxi fori pœnit. lib. 25. num. 653. & lib. 14. num. 135.* Martin. Bonacin. *in Decalogum, disp. t. 10. quæst. 2. punct. 7. num. 8.* & alij plures apud Doctores citatos, contra Iulium Clarum *recept. sentent. in praxi crimin.*
2. *lib. 5. quæst. 55. versic. circa secundum.* Limitatur prædicta conclusio, quando ex tali delicto magnum imminet damnum Reipublicæ, vel Communitati, ad illúdque auertendum; atque scandalum vitandum necessaria est punitio; quia tunc Iudex potest ad eam procedere, quantumcumque per iniquitatem ei delictum innotuerit. Quia commune bonum priuato præferendum est, & ad illius conseruationem licet aliquando Iudicibus præter iurisdictionem procedere. Ita Reginald. *dicto lib. 24. num. 137.* Bonacin. *dicto num. 8. versic. dixi regulariter.* Limitatur secundò, nisi reus postea primam confessionem expressè ratificauerit liberè & voluntariè. Farinacius *d. quæst. 81. n. 287.* referens Couarr. & alios, Bonacina *loco cit. in fine.*

Quinque autem modis potest Iudex confessionem à reo iniquè extorquere, quos enumerat Lessius *dict. dub. 18. num 173.* Reginald. *dicto lib. 25. num. 653. versic. adde.* Primo si à semetipso inquisitionem incipiat, absque vlla præcedente infamia, aut iuridica denunciatione, quæ eidem denunciationi aditum, & viam aperiat. Secundò, si tormentis, vel propinquo tormentorum metu confessionem elicuit, cum tamen non adessent idonea indicia ad torquendum. Tertiò, si licet extiterint indicia ad torturam sufficientia, tamen persona ob dignitatem, vel ætatem torqueri non poterat. Quartò, si dolo ad confessionem reum induxit, vt dolosè promittendo impunitatem; paria enim sunt, confessionem dolo factam esse, & metu, vtraque enim per iniuriam extorta est. Quintò, si confugientem ad locum sacrum contra ius abstraxit; quia tunc tenetur illum in eum locum restituere, nec potest vlterius procedere, nisi reus legitimè in eius potestatem deueniat. 3.

Religiosi autem Ecclesiæ immunitate non gaudent, quia raró, aut nunquam Monasterij claustrum egrediuntur. Nam iuxta eorum Regulam, & iure communi possunt per eorum Superiores in Monasterio verberari, in carceres coniici, & si opus est de Monasterio expelli, & in aliis Monasteriis arctioribus recludi; vt patet ex iis, quæ leguntur, & notantur *in cap. vniuersitatis, de sentent. excommun. & in cap. fin. de regular. & in cap. dilectus, el 2. de simon. & in can. de lapsis 16. quæst. 6.* Atque ita docent Panormitanus *in cap. inter alia, num. 13. de immunitate Eccles.* Salis *in summ. tit. immunitas x part. 2. cap. 1.* quem refert & sequitur Rodric. *quæst. regular. tom. 2. quæst. 50. art. 4.* Couarr. *variarum resolutionum part. 2. cap. 20. num. 16.* Syluest. *verb. immunitas 3. quæst. 3.* Nauarr *in manuali cap. 25. num. 22.* Praxis Neapol. *cap. 17. num. 11.* Suarez *tom. 1. de relig. tractat. 2. cap. 10. num. 13.* & alij apud Bonacin. *in Decalogum, disput. 3. quæst. 7. §. 3. num. 7.* Idem resoluunt vniuersaliter quoad omnes Clericos tam sæculares, quàm regulares.

Qvæsitvm XII.

De forma, quam in processus continuatione Regularis Iudex obseruare debet.

Svmmarivm.

1 *Crimen per testes probari debet.*
2 *Testium nomina, cognomina, Patriæ, &c. perquirenda sunt.*
3 *Iuramentum à testibus est inquirendum propter veritatem, &c.*
4 *Modus examinandi testes.*
5 *Iudex perpendere debet depositiones testium post examen.*
6 *Forma examinandi, & constituendi reum.*
7 *Iudex quomodo reum suadere debet, vt verum dicat?*

8 *Processus copia an denegari debeat?*
9 *Signa quibus, facile coniecturari possit reum esse conuictum.*
10 *Reo poscenti defensiones an sint concedendæ?*
11 *Forma defendendi reum.*
12 *Defensiones in omni delicto, & cuique sunt concedenda.*
13 *Reus quibus modis defendi possit.*
14 *Testes & rei quomodo torqueantur? & num. 16.*
15 *Forma decreti torquendi testes inhabiles.*
17 *Modus confrontandi reos & testes.*
18 *Iudex quomodo procedat in processu per denunciationem conficiendo?*
19 *Processus quomodo compilari debeat per modum generalis inquisitionis quoad personas tantum?*
20 *Forma processus generalis inquisitionis.*
21 *Quomodo inchoari debeat processus specialis inquisitionis?*
22 *Modus interrogandi testes.*
23 *Processus per viam exceptionis, quomodo formari debeat?*

1. POstquam Iudex processum per viam inquisitionis, denunciationis, aut accusationis incœpit, vt contra reum ad debitæ pœnæ impositionem deuenire possit, necessarium est, crimen priùs per testes legitimè probari; habita igitur denunciatione, vel accusatione, aut processu per viam inquisitionis generalis, siue specialis incœpto ad testium examen procedere debet. Et prius obseruandum est, vt crimina per suas circumstantias in diuersa capita, siue articulos distinguantur, quibus quasi vestigiis ad caput maleficij peueniri solet, ac ipsorum testium veritas, vel falsitas
2. deprehendi: deinde ad ipsorum testium examen deueniendo, eorum nomina, cognomina, patriam ætatem, Religionis tempus, officium, si quod habent, ac statum per Cancellarium in actis scribere faciet, de
3. quibus interrogatoria in processu scribere non oportet, sed satis erit, vt Iudex ea nesciens, antequam testes interroget iuramento delato, illa ab eis de plano petat, ipsósque sigillatim, ac secretè, iuramento eis de veritate super interrogandis aperienda præstito, interrogabit. Deinde aduertat, an satis promptè, ad interrogationes respondeant, indicat enim, quod consensione inter se facta ad testimonium ferendum accesserunt; quod si nimis perplexè, signum est, eos à conscientia deterreri; obseruet etiam, num inconstanter, ac variè respondeant; an signa capitis, vultus, faciei, oculorum, cæterorúmque membrorum appareant, ex quibus aut inconstantiam, aut falsitatem arguere valeat; fingitur namque vultus ab ipso animo, & tandem nil prætermittat eorum, quæ ad veritatem eliciendam aliquo modo condecere sibi visum fuerit.

Cùm autem triplex sit modus processum incipiendi (vt suprà dictum est) nimirum per viam accusationis, denunciationis, & inquisitionis, ita pariter triplicem modum illum continuandi tradere oportet.

Habita igitur contra aliquem accusatione Regularis Iudex ad testium examen procedere debet in hunc, qui sequitur, modum:

Die 26. Aprilis 1628.

4. Coram R.P.N. Abbate N. in Monasterio N. vocatus, monitúsque P.N. Sacerdos Professus Ciuitatis N. ætatis suæ N. religionis verò N. vt dixit, testis productus, & præuio iuramento de veritate super interrogandis dicenda, & ab eo tacto pectore more sacerdotali præstito examinatus, ad opportunas interrogationes respondit,

Primò interrogatus, An sciat ad quid vocatus fuerit.

Respondit, Io non lo sò, ne saprei persuadermilo.

2 *Interr.* An cognoscat P. N. Sacerdotem professum talis ciuitatis Conuentus N. Sacristam.

Resp. Io lo conosco, & è mio amico.

3 *Interr.* Qualiter illum cognoscat, & ex quo tempore.

Resp. Lo conosco in Padoua, doue facessimo il nouitiato insieme già x. anni, e dopo in Napoli, & adesso quì son quasi due anni.

4 *Interr.* Cuius sit famæ & opinionis.

Resp. Io non sò come sia stimato dà gli altri.

5 *Interr.* Qualis habeatur ab ipso teste.

Resp. Io per me lo tengo per buon'amico, ancor che spesso vada fuori del Conuento per suo gusto.

6 *Interr.* Quomodo sciat illum sæpe à Monasterio discedere.

Resp. Perche molte volte è richiesto, per cose di Sacrestia, e non visi troua, & hò inteso dire all' hora dà alcuni PP. che non era in Conuento.

7 *Interr.* Cuius famæ, & opinionis sint PP. à quibus audiuit dictum P.N. Sacristam è Cœnobio discessisse, & an sint illius amici.

Resp. essere PP. di buona vita, & fama, e che non sapea esserli se non amici.

8 *Interr.* An sciat illum esse rixosum.

Resp. essere vn poco risentito, che facilmente, e per picciole caggioni si riscalda.

9 *Interr.* An aliàs fuerit rixatus, ex quibus, & in quo loco.

Resp. Nel Monasterio N. fece questione col P. N. e qui col P.N. se bene non mi ricordo il tempo, e ne la causa precisamente.

10 *Interr.* Si extra Conuentum aliàs id fecerit.

Resp. Non sò.

11 *Interr.* Si solitus sit arma deferre.

Resp. Io non l'hò visto mai portar arme.

12 *Interr.* Tali die qua hora discessit à Monasterio, & qua rediit.

Resp. Lo viddi vscire à 20. hore, e lo viddi ritornare à 22. con furia seguitato dà certi.

13 *Interr.* Si petiit ab illo, cur eum illi sequebantur, & quid respondit.

Resp. Che li disse hauer fatto questione con N. N. sotto il Conuento, e perciò quelli gli veniuano dietro.

14 *Interr.* Si testis ipse descendit ad locum rixæ, & quid vidit, & intellexit.

Resp. vi andai, e vidi N. N. ferito malamente in testa, e si diceua, ch' era stato ferito dal P. N. Sacrestano.

15 *Interr.* Si præfatus P.N. Sacrista erat inimicus N N. prædicti.

Resp. Io non lo sò.

16 *Interr.* An alij erant præsentes, quando N. N. vulnerauit.

Resp. Iui erano il P.N. e il N. & altri.

17 *Interr.* Qua de causa motus supradicta testatur.

Resp. Per nessuno mal fine, mà perche questa è la verità.

Quibus absolutis, lecta testi depositione, quæ de mandato P.P.N. fuit ab ipso P.N. teste propria manu subscripta, eiusque depositionibus, si & in quantum, &c. receptis, fuit P. N. dimissus cum præcepto silentij de his omnibus in virtute sanctæ Obedientiæ. Deinde Notarius concludat dicendo, Acta sunt hæc, &c. coram P.P.N. Abbate Conuentus, & tam Notarius quàm N. Iudex subscribant.

Similiter procedatur ad examen aliorum testium mutatis die, & mense, anno & loco si non in eisdem examinabuntur. Si vero eadem die, loco, &c. prosequatur

quatur hoc modo. Eodem die,loco, &c. & coram eodem.&c.

5. Depoſitiones teſtium,modo quo ſuprà examinatorum, Iudex perpendere debet; ſi illos enim diſcordes, ſingulares,aut cum varietate vacillantes minimè concludentes, & conteſtea repererit, vllo modo accuſatum vocet,conſtituat,aut interroget. Sed quantom ex ſe eſt ab accuſante nouos teſtes, vel, quod melius eſt, criminis remiſſionem exponat. Quod ſi accuſator Chriſtiana charitate declinauerit : Iudex pro qualitate delicti vel admonendo, vel corrigendo, mitius cum accuſato pro ſui prudentia ſe gerere poterit. At accuſatorem qui nouos teſtes,& nihil probantes produxerit, Iudex illius perfidiam pœna talionis, vel alia extraordinaria pro malitiæ qualitate coerceat.

Si verò teſtes nouiter producti erunt conteſtes, vel ex eorum depoſitionibus ſufficienter, & grauiter reus venerit indiciatus, aut teſtium aliquis omni exceptione maior contra ipſum reum cuncludendo depoſuerit; ita vt iudex ex his iure conſtituendum exiſtimet; Debet eum citare, vel alio quo poterit modo vocare, & iuramento præſtito ſuper capitulis ex teſtium depoſitionibus formatis illum examinare.

In quo examine Iudex non poteſt reum interrogare de aliis,quàm de illis,de quibus eſt accuſatus, indiciatus.delegatus, diffamatus, vel conuictus. Marſil. *in pract.crimin.§ ſecunda,num.*13. & Doctores omnes,& D.Thom.2.2.*quæſt.*69.*art.*2.

Prudenter autem Iudex circumloquendo interrogabit à Generalibus incipiendo,& paulatim ad factum deueniat,vt faciliùs veritatem inquirat. Reſponſiones idiomate, & modo, quò ab ipſo reo fiunt vna cum ipſius nomine,cognomine,ætate,patria, &c. vt de teſtibus diximus,in actis adnotentur.

Forma examinandi vel conſtituendi reum.

6. Die,menſe, & anno talibus, coram prædicto R.P. Abbate Monaſterij N vocatus,& perſonaliter conſtitutus P.N. de tali Ciuitate, &c. prout de teſtibus fuit dictum,accuſatus vt ſuprà, & monitus, &c. Reſpondit, &c.

1 *Interr.* An ſciat cauſam,quæ vocatur.

Reſp. Non sò coſa alcuna.

2 *Interr.* Ex quo anno ad hunc Conuentum veniſti.

Reſp. Son quattro anni per ordine di Superiori.

3 *Interr.* Ex quo Monaſterio vltimo loco ad hunc perueniſti.

Reſp. Dà Peruggia.

4 *Interr.* In quibus aliis locis fuerit moratus.

Reſp. In Mantoua,Parma,Bologna, e Roma, o Firenze.

5 *Interr.* Si in dictis locis cum ſæcularibus familiariter egerit.

Reſp. Con alcune perſone di buena fama, e vita, & come conuiene à Religioſi.

6 *Interr.* An cum aliquo in dictis locis fuerit rixatus.

Reſp. Io ſempre hò procurato ſtar quieto con tutti.

7 *Interr.* Quæ verba habuit cum P.N.in Monaſterio N.& in hoc Conuentu cum P.N.

Reſp. Del primo non mene ricordo, & ſempre ſiamo ſtati amici, con queſto ſecondo m' alterai vn poco,perche mi rinfaccio, che ero vſcito dal Conuento.

8 *Interr.* Quare tam frequenter è Cœnobio diſcedat.

Reſp. Per occaſione di negotij concernente all'officio mio.

9 *Interr.* Die tali quò,& ad quid iuiſti.

Reſp. Andai dà vn mio parente per vn mio negotio.

10 *Interr.* Quando rediiſti qui erant, qui te inſequebantur.

Reſp. Non li conoſco.

Hic aduertat Iudex vt dicat verum.

11 *Interr.* Qua de cauſa te perſequebantur.

Reſp. Haueuo hauuto certe parole con vno Cocompagno vicino qui,al quale tirai con vn ſaſſo.

12 *Interr.* Cognoſcis illum.

Reſp. Lo conoſco, e ſi chiama N.

13 *Interr.* Erat tibi inimicus per antea.

Reſp. Padre nò.

14 *Interr.* Qua de cauſa in eum manus inieciſti.

Reſp. Padre coſtui è vn'inſolente, e miſleua à sheffoneggiare come fa ſpeſſo, per lochè mi riſentij, e venimmo alle mani.

15 *Interr.* Illum vulneraſti, & in qua parte corporis.

Reſp. Sò che gli diedi,mà non sò doue, perche mi poſi à fugire ſeguito da quelli ſua compagni.

Quibus peractis de ordine P. P. Abbatis N.præfatus P. N. reus propium examen ſibi lectum ſubſcripſit, & ad carcerem ſe recepit cum præcepto de non loquendo de ſupradictis, ſub pœna, &c. cumque dimiſit.

Si reus delictum negauerit, Iudex leniter ſuadere 7.
debet,vt verum fateatur, & mendacium fugiat, ſi aliquid dixerit; qood ſi perſtiterit in negando, legendas tradat teſtium depoſitiones, ſi ipſe reus illas non petierit, & ſi exceptiones friuolas propoſuerit tanquam conuictus cõdemnabitur prout de iure, *cap.quod vero* 1.*quæſt.*5. *cap in omni negotio,de teſt.* & alij,quos refert Ghiſterius *in ſuo tractatu de iudice regularium.* Attamen Iudex etiam reo conuicto,vel confeſſo, non inſtante debet defenſiones concedere,vt aliquo modo pœna poſſit moderari. Clar.*lib.*5.*§ fi.quæſt.*49.*verſ. eſt igitur. & quæſt.*64 *verſic.ſi autem reus.& quæſt.*55. *verſic. fin.* Farinacius *quæſt.*39. *num.*32. 33. & 35, eſt enim tyranni Iudicis, & valde iniqui contra indefenſum pronunciare.

Si verò exceptiones rationabiles propoſuerit ter- 8.
minus ad illas verificandas dari, & ſi opus fuerit prorogari debet : neque proceſſus copia, & in cauſa graui nec teſtium,,& accuſatoris nomina cum termino ad contra excipiendum, denegari debet. Et ſi defenſiones aliquas produxerit,benignè audiat, & procedat ad vlteriora; ſi verò nullas,aut minimè reuelantes afferat, definitiuè contra illum poterit pronunciare.

Reo indiciato, vel conuicto ad magis illum con- 9.
uincendum,ſi videbitur, poterit Iudex illum cum teſtibus confrontare,ante ipſum ponere, & obſeruare vtriuſque verba,& motina corporis, necnon coloris, & vocis mutationem, oculorum obtutus, & ſi aliqua ſuſpitia fundant,quæ cuncta in actis adſcribantur, èx his enim, & ſimilibus pendens Iudex multa conijcere poteſt. Tandem reum pœnis corpus affligentibus ad veritatem fatendam conſtringere poterit, honeſtiori, & mitiori modo, quam ſæculares vtuntur.

Reus non confeſſus poſcenti defenſiones, dentur à Iudice, qui illum benignè audiat,examinet teſtes, & ſi opus fuerit iterum.& nihil tribuat accuſatori, quod non concedat reo, qui magis iuuari debet, in dubio enim pro reo eſt ius dicendum, *cap.cum ſunt, de reg. iur.in* 6.*& l.fauorabiliores,ff.eod.tit.*

Forma defendendi reum.

Cum de reorum defensionibus mentionem fecerimus, aliqua summatim de hac materia duximus pertractanda.

12. Defensiones quia sunt de iure naturali in omni delicto, & cuique sunt concedendæ, *cap. pastoralis, de sent. & re iudic. in Clement. l. vt vim, ff. de iustit. & iur.* etiamsi si suspicio esset subornationis. *Boss. tit. de indicijs*, & alij relati à Ghislerio *in suo tractatu de iudice regular. cap. 19. num. 12.* & non solum simpliciter delinquentibus, sed etiam excommunicatis, brutis, & Diabolo ipso secundùm Farinac. Marsil. & Specul. relatos ab eodem Ghislerio *cap. 12. num. 9. & seqq.* ita vt neque a Principe denegari iure possit. Clar. *lib. 5. quæst. 49.* Quod adeo verum est, vt non solùm antea, sed post sententiam definitiuam non sunt denegandæ. *l. 1. §. si quis vltro, ff. de quæst.*

13. Reus autem ita defendi potest.

Aut per exceptionem, qua negetur delictum, de quo reus inquiritur.

Aut allegando Iudicem suspectum incompetentem, vel quod rite, & rectè in processu minimè se gesserit.

Aut excipiendo contra accusantem tanquam illegitimum.

Aut confutando testes. Aut similibus, totidémque testibus omni exceptione maioribus contrarium probando.

Aut subsistenti ratione probando se errasse in confessione. Clar. *dicto lib. 5. quæst. 55.* Paris de Put. *de syndic. versic. condemnatio, cap. 4.* non obstante quod fuerit iurata. Cæl. de Graff. *decis. 92. num. 2.*

Aut probando se id fecisse eo casu, quo licitè fieri potest, si detur. Clar. *quæst. 56.*

Aut probando se de illo delicto fuisse absolutum, vel alias punitum: quoniam neque Deus bis iudicat in idipsum, atque num. 2. *Non consurget duplex tribulatio. cap. de his, de accusat. l. qui de crimine, cod. tit.* Clar. *quæst. 57.* Farinac. *q. 4. n. 43.*

Aut alio modo se excusando prout delicti qualitas expostulauerit: ætate, ebrietate, ira, ignorantia, metu, aut vi id perpetrasse; aut prouocatus, vel ad defensionem sui, amicorum, siue coniunctorum, seu pro tuendis te familiari, aut honore proprijs, vel suorum, aut furore, crudelitate ve incensus, vt passim occurrere solet, & id similibus: vt est videre Clar. *q. 60. loco cit.* & Farinac. *d. q. 39.*

Quomodo torqueantur testes & rei.

14. Testes inhabiles, v. g. quia socij criminis, criminosi, infames, confusi, varij, obscuri, vel contrarij comperiantur ad eorum testimonium roborandum à iudice torqueri poterunt, tortura tamen religiosa, ac præuio decreto, &c.

Forma decreti torquendi testes inhabiles.

15. Sed cum N. N. de quo suprà socius criminis exijstat, aut mendax, &c. ad huiusmodi notam, seu mendacium, &c. auferendum, necnon vt eius depositio magis afficiat N. N. accusatum & veritas elarescat; prædictis R. P. Abbas, asperis, ac minacibus verbis mandauit præfato P. N. Sacristæ, vt ad cellam tecto egressu se reciperet, ibique fenestra, & hustio clausis maneret carceratus, viuens in pane, & aqua quousque sinceram, ac puram veritatem testaretur. Ille verò oculis ad terram demissis confusus nihil respondit: & illum dimisit. Similiter, & reus veritatem fateri recusans, & vehementer indiciatus, poterit pro veritate habenda torqueri: sed antea de nouo debet lenibus verbis interrogari, ad euitandam torturam. Aliàs aduersus eum tali modo decernetur.

Forma torquendi reum.

Die verò 14. eiusdem mensis iterum accersitus P. N. Sacrista vt suprà inquisitus, & plenè indiciatus, coram R. P. Abbate N. constitutus, ac iuramento de veritate, &c. sibi præstito. Interrogatus si velit veritatem dicere super iis, de quibus aliàs fuit interrogatus. 16.

Respondit. Quanto dissi nell' vltima mia depositione è la verità. Et pluries monitus ne persisteret in obstinatione, & mendaciis, nam constat ex testibus se occidisse N. N. gladio. *Resp.* Io giamai hò hauuto armi ne ferito nessuno, e questa è la verità dica pur ogn' vno come li pare.

His auditis sæpe dictus R. P. N. Abbas N. dicti P. N. Sacristæ obstinatam pertinatiam agnoscens, pro consequenda veritate decreuit, vt pro tortura clausus & solus à propria cella non discedat, in pane, & aqua ieiunet donec veritatem attestetur, & eidem P. N. Sacristæ ordinauit supradictarum obseruationem sub pœna confessi delicti, illúmque licentiauit cum præcepto de nemini loquendo, ac ad dictam cellam recto itinere eundo.

Quod si tales torturæ ad veritatem à testibus, & reo eximendam nihil profecerint, & iudici expedire videbitur, poterunt inuicem confrontari, quod quidem hoc modo fieri poterit.

Modus confrontandi reos, & testes.

Præfatus R. P. N. Abbas N. P. N. Sacristæ obstinationem agnoscens, vt illum de mendacio magis conuincat, atque ad veritatem confitendam inducat, & pro omni alio bono respectu, ac meliori fine mandauit, ante ipsius præsentiam perduci, dictum P. N. testem cum iuramento examinatum, cui delato iterum iuramento vt suprà; testes enim in confrontatione iterum iurare debent. Farinac. *quæst. 72. num. 148.* 17.

Interr. An cognoscat P. N. Sacristam hic præsentem.

Resp. Lo conosco.

Deinde ab eodem R. P. N. Abbati N.

Interr. Dictus Sacrista an cognoscat d. P. N.

Resp. Et io purelo conosco.

Iterum *Interr.* P. N. testis si essent vera, quæ tali die, mense, & anno contra P. N. Sacristam deposuit, & si tunc pro veris illa affirmare, & ratificare intendit.

Resp. Quando dissi tutto è vero, e lo dissi per discarico della mia conscienza, & adesso lo confermo in presenza di lui, che non lo può negare.

Tunc dictus R. P. N. Abbas N. mandauit Notario vt legeret alta, & intelligibili voce depositiones dicti P. N. testis factas de die, mense, & anno, &c. illísque lectis, & ab ipso rectè auditis,

Interr. Abbas dictum P. N. testem, an illa essent, quæ aliàs deposuit aduersus P. N. Sacristam.

Resp. Questo, e quanto dissi contro il P. N. Sacrestano, & è la verità.

Modò *Interr.* P. N. Sacrista quid responderet aduersus testem.

Resp. Quando dice costui tutto è bugia, ne mi credeua, che fusse di così mala conscienza à testificar contro vn' innocente come sono io.

Similiter, & reliqui testes confrontabuntur, & procedetur vlterius.

His peractis præfatus Abbas dimisit dictum P. N. testem, & mandauit accersiri alium testem productum, &

& aliàs examinatum, qui in eius præsentia sistens, &c. Facta confrontatione hoc modo continuabitur. Et per R.P.N. Abbatem visa persistentia testium fuit dimissus P.N. Sacrista ad cellam cum ordine de se defendendo, non obstante ipsius pertinacia in negando, nam habet eum pro conuicto.

Dictus verò P. N. Sacrista sibi concedi copiam indiciorum, & competentem terminum ad se defendendum, eúmque quatenus opus erit prorogari; prout per dictum R. P. N. Abbatem fuit decreto mediante concessa dicta copia, & assignatus terminus quatuor dierum ad se defendendum.

Hæc de processu per viam accusationis attigisse
18. sufficiat. Qua methodo Iudex procedet, & in processu per denunciationem conficiendo, mutatis tantummodo nominibus accusantis, & accusati, in denunciantem, & denunciatum, &c.

Quibus auditis prædictus R.P.N. Abbas N. & considerans quam perniciosum sit, & Deo odibilem virum sanguinum, ne conuersatione peruersa peruertantur & reliqui, & ne delicta remaneant impunita, maturato consilio ad testium à P.N. denunciante contra D.N. denunciatum productorum examen processit. Die, &c. coram, &c. Vt in processu per viam accusationis.

19. Videbimus nunc quomodo compilari debeat processus per viam generalis inquisitionis quoad personas tantùm. In quo Iudex debet examinare testes, ab offenso nominati, quod si nullus fuerit nominatus examinentur vicini, & quos iudicauerit probabiliter posse scire, quousque delicti aliquod habeatur indicium contra vnum, vel plures. Nec interest vtrùm testes legitimi sint, necne; si enim ad condemnationem non probant, ad inquirendum, & indicandum deseruiunt. Qui testes descriptis ipsorum nominibus, cognominibus, &c. vt suprà dictum est, interrogabuntur de delicto, de offenso, vel offensis nominatis.

At si nemo adsit offensus, vel nominatus. Ante omnia sunt interrogandi. Si sciant ad quid fuerint vocati: quo loco, tali hora & die fuerint.

An sciant tale crimen patratum fuisse, & vbi, & à quo præsumitur: & qua de causa ita præsumitur: qualis vitæ & famæ sit contra quem præsumitur, si talia solitus committere. Si ab aliquibus, & à quibus hoc intellexerint, & his similia.

At si sciatur offensus, offendens verò prorsus ignoretur, testes à sagaci Iudice poterunt vt suprà interrogari, de homicidio interroget de tempore, loco, si rumorem intellexerunt: cum quibus erant, si occisus habebat inimicos, & qui erant, & quomodo ipsi hoc sciant, à quibus audiuerint, & coram quibus, & alia similia, quibus prudens Iudex excerpere veritatem possit.

10. Huiusmodi verò processus forma hæc erit. His auditis prædictus R. P. N. Abbas facto verbo cum suis senioribus, habitóque cum illis consilio de perpetrato delicto perpendens quàm graue sit, & Deo odibile, de voto eorumdem seniorum procedat ad examen testium, &c. hoc modo, &c.

Præfatis loco, & die, & coram R.P. Abbate, ac senioribus, siue consultoribus iam dictis P. N. talis ciuitatis, &c. vt suprà de accusatione.

Testes verò poterunt interrogari, de causa suæ vocationis, si cognoscant vulneratum, & quomodo, si sciant fuisse vulneratum, & à quo, si suspicatur, à quibus audiuit, quomodo, & quando, & coram quibus, si antea rixatus fuisset cum aliquo, qua de causa, coram quo, quando, & quomodo id sciant, qua de causa ita deponant; & his similia. In delictis facti permanentis.

At in delictis facti transeuntis v.g. si quis fuerit iniuriatus, nullo præsente, vel ei aliqua fuerint sublata, ita vt non appareat criminis vestigium, & cætera huiusmodi: sumpta per Iudicem iniuriati, vel furati denunciatione, ei deferatur iuramentum super veritate denunciationis, procedet ad vlteriora examinando testes ante omnia super bona vita, & fama denunciantis, de quibus constito, poterit formari processus. Idem Ghisler, *d. cap. 19. num. 13.*

Iudex ergo in talibus causis monitis, iuratísque testibus interrogationes hoc modo facere poterit. Si sciant quare vocati. Si cognoscant denunciantem furatum, vel iniuriatum, si sit bonæ famæ, & conditionis, qualis ab ipsis habeatur, si sciant illum habere illas res quas perdidit, si viderint, quomodo sciant, si nunc habeat, vel non, & quare; si quando fuit iniuriatus intellexerunt iniuriantem, si cognouerunt vocem, si solet sæpè cum aliis contendere, si sciant, intellexerint, & à quibus, &c. similia.

Constito de fama, & bona vita denunciantis, Iudex iterum illi deferat iuramentum an verè furatus vel iniuriatus fuerit, & à quibus credit id factum, & quare sic credit, & petat ab ipso indicia, & testes, si quos habet, quibus delinquens possit verificari &c.

Si ex testium depositione aliquis fuerit indiciatus, postposita inquisitione generali quoad delictum deueniendum est ad specialem quoad personam; in qua adhibendi sunt testes, qui probabiliter possunt esse informati, prout sunt amici, qui conuersantur cum inquisito, & qui de vita, & fama ipsius verisimiliter possunt deponere, quare pro tali habeatur, & à quanto tempore, quomodo sciat, si cum hominibus eiusdem opinionis solitus est versari, si aliàs fuit de tali, vel simili crimine inquisitus. Si talem illum credant, & qua de causa, si ab aliis audierint, quo tempore, loco, & coram quibus, & similia, quæ Iudici videbuntur necessaria, & apta ad veritatem detegendam.

Processus per viam inquisitionis specialis debet 21.
inchoari à fama inquirendi, qua probata per duos testes idoneos poterit procedi ad vlteriora, etiam quod alij testes contrarium dicant Innoc. *in cap. inquisitionis, de accusat.* Roman. *cons.* 177. Cæpol. *cons.* 39. & aliis, &c.

Modus interrogandi testes in hoc habetur. 22.

Testibus examinatis, Pater Abbas, & ipsius seniores in vnum considerantes Dei offensam, & scandalum maximum oriri si tale delictum absque condigno supplicio prætermittatur: de voto, & consilio supradictorum seniorum deliberauit procedi ad inquisitionem contra dictum P.N. an apud homines bonæ vitæ fuerit alias infamatus de tali crimine impudicitiæ, & ad informationem capiendam, testésque examinandos, vt sequitur.

Testes verò examinari possunt hoc modo. Die, mense, anno, ac loco supradictis, coram R.P.N. Abbate N. & eius senioribus iamdictis D. T. de talibus, de tali ciuitate, Sacerdos professus ætatis suæ. &c. religionis verò, vt dixit, &c. vocatus, necnon & monitus præstito illi iuramento de veritate dicenda de, & super interrogandis, prout tacto pectore more sacerdotali cum effectu iurauit, ad opportunas interrogationes respondit vt sequitur:

1 *Interr.* An sciat quare fuit vocatus.

Resp. Io non la sò, se non mi è detta.

2 *Interr.* An cognoscat P.N.

Resp. Lo connsco benissime.

3 *Interr.* Quomodo illum cognoscat, & ex quo tempore.

Resp. Lo conosco allo studio in Roma per che fusse monaco sono 16. anni.

4 *Interr.* Si familiariter alias postea cum illo egerit.

Resp.

Resp. Non ci hò hauuto strettezza, mà quì, & in Roma siamo stati alcun tempo di stanza.

5 *Interr.* Si est bonæ vitæ, & famæ, & qualis ab ipso habeatur.

Resp. Io lo tengo per buon'amico, & non mi ricordo hauerne inteso il contrario.

6 *Interr.* An fama habeatur, quod sit lasciuus.

Resp. E vna certa fama simile.

7 *Interr.* Si scit quid sit fama.

Resp. E quello, che si tiene, e dice communemente.

8 *Interr.* Quomodo sciat talem famam.

Resp. perche l'hò inteso dire dà più diuerse persone.

9 *Interr.* A quibus audierit, & an sint homines probi.

Resp. L'hò inteso da molti huomini di buona vita, & in particolare dal P. T. N. & dal P S. N.

10 *Interr.* Quomodo, & qua occasione ab illis audierit.

Resp. Discorrendo de diuerse cose, & vltimamente il tal giorno, perche il P. Procuratore lo dimandaua, e lui staua à raggionar con vna giouane alla porta del Conuento, per lo che dissero sempse il P. N. stà intricato con donne.

11 *Interr.* An ipse testis aliquando viderit illum cum mulieribus.

Resp. Io l'hò visto poche volte volensieri burlar con donne.

12 *Interr.* Ex quo tempore sciat talem famam de illo.

Resp. Non solo era stimato tale nel secolo, ma 8. anni sono in Bologna sene parlaua molto.

13 *Interr.* An huiusmodi fama prouenerit ex illius maleuolis.

Resp. Io non sò, che quelli dalli quali l'hò inteso li siano nemici, e pensu, che coo gli effetti se l'hà causata.

14 *Interr.* An odio, vel alia causa motus hæc dixerit.

Resp. Solo per testificar la verità.

Quibus absolutis dictus R. P. Abbas, lecta depositione facta mandauit D. T. vt illam subscriberet, prout de facto manu propria subscripsit. Et R. P. Abbas si, & in quantum depositionem recipiendo illum dimisit cum præcepto de non loquendo de supradictis virtute sanctæ Obedientiæ.

Simili modo poterit prosequi examen aliorum testium, donec fama per duos ad minus testes idoneos probata fuerit.

Constito de fama, Iudex inquiret de facti veritate, accersitis pro testibus hominibus oon suspectis bonæ vitæ, & conscientiam timentibus, & amicis ipsius infamati (si tales habeantur) si secus qui haberi poterint homines probi, & super facto, fama postposita interrogentur, & modo quo suprà. Scilicet an sciant causam suæ vocationis, si cognoscant infamatum, à quo tempore, & qua occasione, an illum vnquam cum mulieribus viderint loquentem, quoties, vbi, quando, & cum quibus mulieribus, si cum inhonestis, & locis suspectis, & si illum fraterna charitate obiurgauerint, quid dixerit, &c. si non viderint, si audierint à quibus, quomodo, vbi, & quando: & omnis diligentia adhibeatur, vt facti veritas comperiri possit.

Forma autem procedendi in similibus hæc congrua erit.

Volens præfatus R. P. N. Abbas clariùs agnoscere an mala fama, quæ ad ipsum per delationem, & testes deuenit veritati nitatur, vna cum suis decretis processit ad inquirendum, & ad examen testium super facto. Modo quo suprà iam dictum est. Die, mense, anno, &c. coram, &c. vocatus, & monitus N. &c. interrogabit nuper dictis interrogationibus. Et si semiplenè contra infamatum ad minus probetur, illum, vt suprà diximus in accusatione constituat, & omnia ibi contenta vsque ad finem obseruabit.

Eadem obseruabuntur in formando processu per 23.
viam exceptionis, prout in accusatione, mutatis nominibus. Verum Iudex in hoc præ oculis habeat æquitatem, neque eo rigore, quo dictum est in supradictis procedat, & mitiori modo veritatem inquirat. At si excipientem dolosum, & conspirantem, testésque minus veridicos, & iniquos compererit, omni quo decet rigore procedere debet, vt peruersis, & criminosis aditus delinquendi recludatur, &c.

QVÆSITVM XIII.

Quid circa testium examen Regulares Prælati in inquirendis subditorum criminibus aduertere debeant.

SVMMARIVM.

1 *Iudex neminem condemnare potest, nisi in veritate illum reum esse comperiat.*
2 *Vt aliquis in causis criminalibus condemnetur, necessary sunt, & sufficiunt duo testes legitimi.*
3 *Limita in rebus leuioribus, in quibus vnius dictum sufficere solet.*
4 *Testes, vt plenè probent, deponere debent iurati.*
5 *Item necessarium est, quod sint contestes.*
6 *Testes singulares quando plenè probent?*
7 *Sollicitatio pœnitentium in confessione probari potest per testes singulares, concurrentibus præsumptionibus, indicys, & alys adminiculis.*
8 *Idem de crimine hæresis, & violatione sigilli confessionis.*
9 *Vt testes plenè probent, debent esse idonei.*
10 *Item vt dicant, se sensu externo percepisse.*
11 *Limita vt num. seq.*
12 *Testis de credulitate deponens, an plenè probet?*
13 *Testes omni exceptione maiores quinam dicantur?*
14 *In causis criminalibus repelluntur a testimonio ferendo minores 20. annis.*
15 *Item inimici eius, contra quem testimonium dicitur.*
16 *Item consanguinei, ascendentes, vel descendentes, accusatoris, vel etiam collaterales, vsque ad quartum gradum, & affines.*
17 *Item mulieres.*
18 *Crimen sollicitationis in confessione plenè probari potest per fœminas.*
19 *In causis criminalibus repelluntur à testificando familiares accusatoris.*
20 *Repelluntur etiam infames infamia iuris, vel facti.*
21 *Item periuri, qui in aliqua causa falsum cum iuramento deposuerunt.*
22 *Socy criminis an plenè probent?*
23 *Homo vilis & inops, an repellatur à testificando in causis criminalibus?*
24 *Quibus non licet accusare, nec etiam licet testimonium ferre.*
25 *Vnus testis valde fide dignus simul cum altero minus idoneo faciunt plenam probationem.*
26 *Laici in causis criminalibus nequeunt ferre testimonium aduersus Clericos, vel Religiosos.*

27 *Nisi*

27 *Niſi crimen, de quo accuſantur, patratum fuiſſet in loco vbi non eſſent Clerici.*

28 *Vel niſi crimen eſſet notorium.*

29 *Vel etiam, niſi teſtimonium eſſet ſuper criminibus exceptis.*

30 *Teſtimonium laici contra Clericum admittitur quoad faciendum indicium.*

32 *Mutilati membris, vel corpore vitiati nequeunt teſtimonium in cauſa criminali contra Clericum ferre.*

1. CErtum ſanè eſt Iudicem neminem condemnare poſſe, niſi in veritate illum reum eſſe comperiat. At quoniam veritatis manifeſtatio, & comprobatio ex teſtibus præcipuè pendet; idcirco plurimum operis, atque laboris in eis admittendis, & examinandis Iudices impendere debent. Igitur quot, & quales teſtes in ſubditorum criminibus inquirendis Regulares Prælati requirere debeant, explicare in præſenti neceſſarium duxi. Idque vt ordine fiat, primò dicam, quot teſtes in his cauſis requirantur. Secundò, quinam admitti debeant, quive à ferendo teſtimonio repellantur.

2. Primò itaque ſciendum eſt, quòd quando per teſtes veritas in cauſis criminalibus inquiritur, neceſſarij ſunt, & ſufficiunt duo teſtes legitimi fide digni, & omni exceptione maiores, *cap. licet vniuerſis, & cap. in omni negotio, de teſtibus, cap. cum eſſet, de teſtament. can. quod verò 2. quæſt. 5.* Facilius eſt etenim vnum ſedocere, quàm duos, & efficere, vt vniformiter idem teſtentur; ideò iure optimo ſtatutum eſt, duos teſtes requiri ad condemnandum. Ita Iulius Clarus *in practic. crimin. lib. 5. quæſt. 21. num. 7.* Bañez 2.2 *quæſt. 70. art. 2.* Aragon. & Salon. *ibid.* Valent. *tom 4 diſput. 5. quæſt. 14 punct. 2. num 2.* Azor *inſtitutionum moralium, part. 3. lib. 13. cap 16. quæſt. 2.* Leonard. Leſſius *de iuſtit. lib. 2. cap. 30. dub. 4. num. 24. & ſeqq.* Sayr. *in Claui reg. lib. 12. cap. 21. num. 24.* Martin Bonacin. *in Decalog. diſp. 10. quæſt. 3. punct. 3. num. 1.*

Quod autem duo teſtes ſufficiant, patet ex illo Deuteronom. 17. *In ore duorum, aut trium teſtium peribit qui interficietur; nemo occidatur, vno contra ſe dicente teſtimonium.* & cap. 19. *Non ſtabit vnus teſtis contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit, ſed in ore duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum.*

3. Verum in rebus leuioribus vnius dictum ſufficere ſolet; ideo furantes ligna in ſyluis, vel fructus in hortis puniuntur ex teſtimonio ſolius cuſtodis; abſolutè tamen dictum vnius non ſufficit in rebus grauibus ad condemnandum, niſi alia accedant indicia, vel niſi reus ipſe ſuum crimen fateatur. Ita Doctores communiter.

4. Vt autem duo teſtes plenè probent, quatuor neceſſaria ſunt. Primò, vt deponant iurati. patet ex text. *in cap. nuper, de teſtibus.* vbi dicitur: *Nullius teſtimonio quantumuis Religioſus exiſtat, niſi iuratus depoſuerit, in alterius præiudicium debet credi*, idem habetur ex *cap. fraternitatis, & ex cap tuis, eodem tit.* Et ratio eſt, quia facilius eſt, mentiri abſque iuramento, quàm cum iuramento.

5. Secundò requiritur, vt ſint conteſtes, id eſt, vt de eodem facto deponant, conſequenter conuenire debent in loco, tempore, & ſpecie delicti: aliàs ſi eſſent ſingulares, quorum alter alterius dictum non confirmaret, ſed vterque ſuum tantum, vt ſi vnus deponeret, delictum mane ante prandium commiſſum fuiſſe, alter verò veſperi poſt prandium, vel vnus menſe Auguſti, alter verò menſe Septembris, nihil probarent; quia eſſet probatio per vnum teſtem tantùm, & non per duos, vt eſt neceſſarium; atque ita habetur ex *cap. licet, de probat. & cap. cum dilecti, de accuſat. & cap. bona memoria, el 1. de elect. l. ob carmen, in fine ff. de teſtib.* & docent Panormitanus *in dicto cap bona memoria, el 1.* Sot. *de iuſtit. lib. 2 quæſt. 7. art. 2.* Farinacius *in praxi crimin part. 3. quæſt. 64. num. 37. & ſeqq.* Leſſius *d. dub. 4. num. 33* & alij communiter locis citatis.

Verum ſi teſtes ſingulares de eadem delicti ſpecie deponant, quæ iterari poſſit, vt de furto, blaſphemia, vel huiuſmodi, licet in loci, aut temporis circumſtantia non concordent; quamuis plenè non probent, tamen pluſquam ſemiplenam probationem inducunt. Ita D. Thom. 2.2. *quæſt. 70. art. 2. ad 2.* Felin. *in cap. cum cauſam, num. 12. in fine, ff. de teſtib.* Sot. *dicto art. 2.* Secus tamen, ſi de vno, eodémque delicto iterabili deponant, & in tempore, ac loco diſſentiant, vt ſenes illi qui Dan. 13. aduerſus Suſannam teſtimonium tulerunt. Licet enim vterque in crimine adulterij Suſannæ impoſito conuenerit; tamen circa locum criminis apertè diſſenſerunt, & inde de falſitate conuicti ſunt.

Si verò teſtes conueniant in perſona, in delicti ſpecie, & tamen alter eorum deponat de die, menſe, & anno, alter autem dicat, ſe de eo non recordari; tunc
non ſingulares, ſed conteſtes cenſentur, ac plenè pro- 6.
bant, ſufficiúntque ad condemnationem, quia valet dictum teſtis etiam ſi diceret ſe non recordari de menſe, & anno. *cap. cum Ioannes, de fide inſtrument.* Ita D. Thom. *loco cit.* Bald *in cap. ab excommunicatione, in penult. col. de reſcript.* Felin. *loco cit. num. 13.* idem affirmantes, ſi alter teſtis deponat, ſe de loco vbi delictum patratum fuit memoriam non habere. Secus ſi diſcrepent in die, vt dictum eſt. Item ſi teſtes de vno eodémque actu continuationem per ſe ferente deponerent, licet vnus poſt alium vidiſſet, vt qui vnus poſt alium Petrum cum tali muliere concũbentem per foramen, ſeu ſciſſuram vidiſſe deponerent, vtique plenè probarent, ac conteſtes cenſerentur. Syluest. *loco cit.* Armill. *verb. teſtis, num. 6.* & alij communiter.

Præterea ex ſpeciali conceſſione Gregorij XV. cri- 7.
men ſollicitationis pœnitentium in confeſſione probari poteſt per teſtes ſingulares, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis; ita voluit prædictus Summus Pontifex in ſua conſtitutione edita contra Confeſſarios ſollicitantes pœnitentes in confeſſionibus, ſub dat. die 30. Auguſti, anno 1622. Pontificatus ſui ſecundo, quam refert Laurent. de Peirtin. *tom. 2. priuileg. Ord. Minim. conſtit. 4 dicti Pontificis*, vbi §. 7. ſic dicitur: *Dantes etiam facultatem Venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſia Dei tam pernicioſum remaneat ob probationum defectum impunitum, cum difficilis ſit probationis, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indiciis, & alijs adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, &c.* Sicut etiam per teſtes ſingulares probari poteſt, quem eſſe hæreticum, vel hæreſim ſapere, vt pluribus citatis docet Achuna *in tractat. de confeſſ. ſollicit. quæſt. 12. num. 12.*
qui *num. 10.* idem docet de crimine violationis ſigilli 8.
confeſſionis.

An autem & quando teſtes ſingulares probent, videatur Felin. *in cap. licet ex quadam, num. 2. per tot. de teſtib.* vbi latè hanc materiam proſequitur.

Tertiò neceſſarium eſt, vt ſint teſtes idonei, vt ſci- 9.
licet ipſis nihil iure opponi poſſit; qui autem teſtes cenſeantur idonei, inferiùs patebit.

Quartò requiritur, vt dicant, ſe ſenſu externo per- 10.
cepiſſe, *cap ſi teſtes, §. ſolam 4. quæſt. 3.* quia non poſſunt eſſe certi de facto externo, niſi per aliquem ſenſum: ideò ſi ſolùm deponant, ſe ab aliis audiuiſſe, non plenè probant, ſed ſolùm faciunt indicium ad inquiren

quirendum ab illis. Angel. *verb. testis, num. 25.* Syluest. *eodem verb. quæst. 6.* Lessius *loco citat. num. 34.* Sayr. *in Claui Regia lib. 12. cap. 21. num. 21.* Bonacin. *d. punct. 3.*

11. *n. 2.* Vbicunque tamen testis habet deponere super aliquo actu, qui directè per aliquem sensum corporeum probari non potest, satis est, quod deponat super præsumptione appropriata illi actui, vt putà, quia quis vidit nudum cum nuda in lecto, præsumitur copula carnalis. Felin. *in cap. literis, num. 2. & seqq. de præ-*

12. *sumpt.* Si verò de credulitate deponant; tunc distinguendum est: nam si credulitas est proxima sensui, per quem veritas percipitur, valet testimonium, vt si testis deposuit se vidisse nudum cum nuda in eodem lecto, per quod credit eos adulterium commisisse, talis testis probat, est text. *in cap. literas de præsumpt.* & *ibi* communiter Doctores. Secus dicendum est, si credulitas sit remota à sensu, vel actibus, per quos veritas percipitur, vt si testis deponens se credere adulterium, mouetur ex eo, quia vidit aliquos confabulantes, vel deponentes eum homicidiu, dicit se prius vidisse aliquem fuisse armatum, & ex eo credere illum occidisse eum, qui in mane repertus est mortuus; nihil enim probat, quia talis credulitas est nimis remota à sensu, vel actibus, per quos percipitur veritas super qua deponitur: debet enim credulitas elici ab actibus, ex quibus homines communiter aliquid præsumunt, & verisimiliter credunt, alias dici possunt vanæ voces populi, & vana credulitas, de qua non curatur. *cap. Vsius, de elect.* Ita Bald. *in l. testium, in vltim. col. vers. item quæris, C. de testib.* Ioan. Andr. *in addit. ad Speculat. de testib. § opponitur, vers. item qui deposuit de credulitate.* Panormit. *in cap. quoties, num. 6. de testib.* & *ibi* Felin. *num. 10.* idem Felin. *in cap. inquisitionis. §. quasimodo, num. 12. de accusat.* Farinacius *de testib. 68. num. 74. 111. & seqq.* apud quem plura super hac materia videri possunt.

13. Quo verò ad secundam partem, quínam scilicet admitti debeant, quíve à testimonio ferendo repellantur; notandum quod quidam dicuntur testes idonei, siue omni exceptione maiores, alij minus idonei, quibus aliquid opponi potest, vel ex natura rei, vel ex iuris dispositione. Testes omni exceptione maiores appellantur, qui nulla legitima exceptione reprobari queunt. Panormit. *in cap. 1. de testib. & in cap. 1. de consang. & affinit.* Farinacius *quæst. 62. num. 1. & seqq.* Victorin. Mans. *de modo proced. in caus. regul. cap. 25. num. 2.* & alij.

Testes minus idonei, qui à testimonio ferendo in causis criminalibus repelluntur, multi sunt.

14. Primò repellitur minor 20. annis. *l. in testimonium, ff. de testib. can. si testes, §. in testimonium 4. quæst. 3.* eius tamen dictum præbet sufficiens indicium ad capiendam informationem, non tamen ad reum tormentis subiiciendum. Lessius *d. cap. 30. dub. 5. num. 37.* Bonacina *d. punct. 3 num. 3. vers. secundò.* & communiter Doctores.

15. Secundò repelluntur à testimonio in causis criminalibus ferendo inimici eius, contra quem testimonium dicitur, *can. accusatores, el 1. & duobus sequentib. 3. quæst. 5. cap. cùm oporteat, & cap. meminimus, de accusat.* & hi repelluntur etiam in criminibus exceptis, in quibus alij testes minus idonei admittuntur, vt in probanda simonia, hæresi, & huiusmodi. *cap. per tuas, de simon.* & non solùm inimici veri, sed etiam præsumpti, Menoch. *de arbitr. iudic. lib. 1. quæst 28.* Grammat. *consil. 12. num 2. & 3. consil. 45. num. 17. & seq. & consil. 58. num. 9.* etiam si inimicitia publica non sit Grammat. *consil. 3. num. 15.* Farinacius *quæst. 53. num 15.* debet tamen esse inimicitia grauis, vt si præcesserit grauis iniuria, aut lis super causa capitali. Ita Farinacius plures citans *quæst. 12. num. 34. de inquisit.* Bonacina & Lessius *locis citatis*, qui subdit, hoc Iudicis arbitrio definiendum relinqui.

Tertiò repelluntur consanguinei, ascendentes, vel 16.
descendentes accusatoris, vel etiam Collaterales vsque ad quartum gradum; quamuis aliquando admitti possint ad defendendum Reum. Idem dicendum est de affinibus: ita Syluest. *verb. testis, quæst. 1.* Farinacius *de testib. quæst. 54.* Lessius *loco citato, vers. quartò, & num. 38.* Bonacina *loco cit. vers. quartò.*

Quartò repelluntur de iure Canonico à ferendo 17.
testimonio in causis criminalibus mulieres, ob fragilitatem sexus, ac ingenij mutabilitatem. *can. mulierem, 33. quæst 5. cap. forum, de verborum significat.* Farinacius *dicta quæst. 54.* Lessius *dict. dub. 5. num. 36.* Bonacina *loco cit. vers primo.* Admittuntur tamen mulieres, vbi veritas, aliter haberi non potest. Mascard. *de probat. conclus. 461. num. 6. & conclus. 762. num. 16. & 22.* Nam testes minus idonei admittuntur tanquam idonei, quando delictum eo tempore, vel loco, aut modo patratum est, vt alij testes haberi non possint. Bald. *in l. si quis ex argentarijs, § 1. ff. de edendo.* Clauis Regia *lib. 12. cap. 21. num. 24.* Lessius *dict. dub. 5. num. 41.* Gregor. à Valent. *tom. 3. disput. 5. quæst. 14. punct. 15.*
Bonacina *dict. num. 3. vers. hinc constat.* Vnde crimen 18.
sollicitationis pœnitentium in confessione plenè probari potest per fœminas, quæ sint testes singulares, adiunctis præsumptionibus, indiciis, & aliis iuris adminiculis, quia tale delictum, cùm fiat inter solam fœminam, & confessarium, aliter probari non potest, per fœminas, quæ sint testes singulares deponentes super diuersis actibus diuerso loco, & tempore gestis, & aliàs frustra emanassent Summorum Pontificum constitutiones tam seueris pœnis in huiusmodi crimen animaduertentes: & hoc pluribus docet Achuna *in tractat. de confess. sollicit. quæst. 22. num. 8. & seqq.* Laurent. de Peirin *tom. 2. priuileg. Ord. Minim. annot. ad constit. 4. Gregor. XV. §. 7. num. 22.*

Quintò repelluntur à testificando in causis crimi- 19.
nalibus familiares accusatoris, *can. 1. 3. quæst. 5.* Farinacius *de testib. q. 55. n. 35. & seqq.* vbi declarat, quínam sint familiares.

Sextò repelluntur infames infamia iuris, vel facti, 20.
can. testes 2. quæst. 7. can. constituimus 3. quæst. 5. can. beatus, & can seq. 6. quæst. 1. Bartol *in l. Cassius, versic. si verò quæris, ff. de Senat.* Menoch. *de arbitr. iud. lib. 1. q. 27.* quia probationes in causa criminali debent esse luce meridiana clariores. *l. sciant cuncti, C. de probat. & can. sciant 1. quæst. 8.* Infames tamen infamia facti, possunt aliquando admitti in subsidium, quando scilicet aliter veritas haberi nequit, sed cum tortura Iulius Clarus *receptar. sentent. in praxi crimin. q. 14 num. 13.* Lessius *d. dub 5 sub. num. 38. vers. sextò.*

Septimò repelluntur periuri, qui in aliqua causa 21.
falsum cum iuramento deposuerant. *dict. can. constituimus 3. quæst. 5.* qui enim semel peierauit, putatur facile secundò peieraturus, per reg. *semel malus, de regul. iur in 6.* Farinacius *de testib. quæst. 56. num. 186.* Lessius & Bonacin. *locis citatis.*

Octauò repelluntur socij criminis, *cap. veniens,* 22.
el 1. de testib. cap. 1. de confess. l. fin. C. de accusat. In criminibus tamen exceptis admittitur socius criminis, vt idoneus testis; vt in hæresi, crimine læsæ maiestatis, falsæ monetæ, maleficio, seu sortilegio, sodomia, & furto famoso. *can. nemini 20 quæst. 4. cap. 1. de conf. ff.* Panormit. *ibi, num. 5.* Speculator. *in tit. de accusat. §. versic. item repellitur.* necnon etiam in quolibet alio crimine, quod non potest sine socio committi. Ita Gomez. *variarum resolutionum lib. 3. cap. 12. num.* . Lessius *d. dub. 5. num. 39.* Bonacina *loco citato, vers. octauo,* & alij. In talibus ergo delictis depositio socij non solùm sufficiet ad torturam, verùm etiam censebi

tur

tur ſemiplena probatio, & accedente alio ſocio, qua idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari. Hæc tamen depoſitio facienda eſt tanquam à teſte, videlicet cum iuramento, & parte citata, cui etiam danda eſt copia defenſionis, vt poſſit ſe defendere. Ita Leſſius *loco proximè citato.*

23. Nonò repelliint homo vilis, & inops, quoties ſuſpicio eſt, vt pecunia corruptus falſum deponat. *l. 3. & 4. ff. de teſtibus*, Syluest. *verb. teſtis, quæſt.* 1. Iulius Clarus *dicta quæſt. 24. num.* 14. Farinacius *d. quæſt. 56. num.* 48. Leſſius *dicto num. 39. verſic. nono*, Bonacina *loco etiam citato, verſic. vltimo*, & aliis communiter. Secus tamen ſi ſit honeſta perſona, text. *in cap. ſi qui teſtium, verſ. teſti, & ibi gloſſ. fin. de teſtib.* & gloſſ. *in §. item teſtium, verb. locuples 4. quæſt. 3.* Panorm. *dicto cap. 1. ſi qui teſtium, col. 2. verſic. nota benè.* gloſſ. & *ibi* Felin. *num.* 8. Batt. *in l. ex libero, ff. de quæſt.* vbi addit; quòd ſi talis perſona ſponte ſe offert nihil ei creditur, per textum *in § ſi verò ignorantes, in verb. feſtinantes, in Authent. de teſtibus.* Erit tamen in Iudicis arbitrio videre, an paupertas reddat teſtem ſuſpectum, ſecundùm Alberic. *in l. 3. in princ. ff. de teſtib.* Panorm. & Felin. *vbi proximè.*

24. Poſtremò repelluntur à teſtimonio ferendo omnes illi, qui ab accuſatione arcentur. *cap. de cætero, de teſtib. cap. cum oporteat, iuncta gloſſ. in verb. inimicus, de accuſat. can. 1 4. quæſt. 2.* Foller. *in pract. crimin. verb. accuſatione porrecta, cap. 4. num. 3.*

Aduertendum tamen, quod teſtis minus idoneus admittitur tanquam idoneus, quando crimen eo loco, vel tempore commiſſum eſt, vbi copia aliorum te-
25. ſtium haberi nequeat, vt diximus. Præterea vnus teſtis valde fide dignus poteſt ſupplere defectum alterius qui eſt minus idoneus, adeò quod ſimul efficiant plenam probationem. Bald. Angel. & alij *in l. ſi quis ex argentarijs, §. cogentur ff. de edend.* Bald *in l. 1. col. 2. C. de teſtib.* Roman. Alexand. & alij apud Felin. *cap. teſtimonium, verſ. adde alium caſum, num. 13. de teſtib.* Leſſius & Bonacina *locis citatis*, & alij communiter.

26. Aduertendum præterea, quod laici in cauſis criminalibus non poſſunt eſſe teſtes contra Clericos, *cap. de cætero*, & *ibi* Doctores communiter, *de teſtibus*, quia laici clericis inimici ſunt, quia eorum caſtitatem, & grauitatem imitari nolunt, tum etiam propter reuerentiam, & quia non ſunt paris conuerſationis, vel gradus, *can. clericos, & can. laicis 1. quæſt. 7.* quæ ratio fortius locum habet cum Religioſis. Verum ne eis ex hoc priuilegio liberius, & impunè delicta etiam præſentibus laicis perpetrandi occaſio tribuatur, limitan-
27. dum eſt hoc dictum, niſi crimen, de quo clericus, vel Religioſus accuſatur, commiſſum fuiſſet in loco vbi non eſſent clerici, quia vt veritas inueniatur, quando ipſa aliter haberi non poteſt, conceditur id quod alias non concederetur, & receditur à regulis iuris. Ita Panormit. *in dicto cap. de cætero*, quem ſequitur Hippol. de Marſil. *in l. diuus, col. 2. ad finem, num. 9 ff. de quæſt.* Bernard. Diaz *in practic. crimin. cap. 120. col. 2.* addens, eſſe prudenter per Iudicem conſiderandam qualitatem perſonæ delinquentis, & teſtium, & delicti perpetrati: & an Reus aliàs ſit inuiſus, aut gratus oppidanis illius loci, idem tenet Victorin. Manſ. *de modo procedendi in cauſis regularibus, cap. 24. num. 3.* licet contrarium ſentiat Felin. *in dicto cap. de cætero, num. 5.*

28. Secundò limitatur, quando Clerici, vel Religioſi delictum eſt notorium, per textum *in cap. cum dilectus, el 2. ad finem, de purgation. canon.* quem ad hoc dicit optimum Panormit. *ibi, num. 5. & in dicto cap. de cætero, num. 4.* vbi etiam Felin. *num. 6.* Anton. *in cap. cum non ab homine, in 7. col.* & ibi Panormitanus *col. 8. num. 22. de iudic.* Bernard. Diaz, & Victor. Manſ. *locis citatis.*

Tertiò limitatur, quando teſtimonium eſſet ſuper criminibus exceptis, iuxta gloſſ. *in dicto cap. de cætero, verb. ſuam*, Panormitanus *num. 6 in fine*, Felin. *num. 9. etiam in fine, verſic. limita ſextò*, & ibi communiter omnes. 29.

Licèt tamen regulariter laici contra clericos ad teſtimonium non admittantur, quantum ad plenam probationem faciendam, admittuntur tamen quoad indicium, vt ſaltem clericus ſubiiciatur torturæ. Innocent. *in cap. 1. de probat. & cap. quoniam, de teſtibus*, Panormitanus *vbi proximè, num. 5.* Felin. *num. 7.* facit quod notat Bart. *in l. fin. ff. de in litem iurand.* vbi vult quod quotieſcunque priuilegiata probatio plenè probat in ciuilibus, in criminalibus faciat indicium ſufficiens ad torturam; ſed teſtimonium laici in ciuilibus contra clericum plenè probaret, per *cap. 3. & cap. iam liceris, de teſtib.* ergo, &c. 30.

Aduertendum tertiò, quod mutilati membris, vel corpore vitiati nequeunt teſtimonium in cauſa criminali contra clericum ferre, vt ex Abb. antiquo refert Bald. *in ſua margarita, in verb. mutilati*, Hippolyt. de Marſil *in ſua practic. crimin. §. nunc videndum, col. pen. num. 52.* quod dicit, eſſe perpetuò menti tenendum, refert Diaz *d. cap. 120. col. 2. in fine*, Victorin. Manſ. *loco cit. num. 4.* 31.

Hæc de teſtibus dicta ſufficiant, alia, ſi deſiderantur, videri poterunt apud Doctores, qui latè hanc materiam proſequuntur, meum enim non eſt, ea profeſſo eam tractare. Satis ſit, hæc pauca pro præſentis inſtituti ſermonis complemento annotaſſe.

Quæsitum XIV.

Quem modum Regularis Prælatus in terminando proceſſu contra ſubditos delinquentes obſeruare debeat?

SVMMARIVM.

1 *Sententia diffinitiua quando à Iudice ſit ferenda?*
2 *Sententia diffinitiua triplex eſt, explicatur.*
3 *Sententia contra iuris ordinem lata, nulla eſt.*
4 *Sententia ferenda eſt in his, quæ in proceſſu delata ſunt.*
5 *Sententia antequam proferatur citandæ ſunt partes.*
6 *Sententia in ſcriptis ferenda eſt.*
7 *In ſententia an exprimenda ſit cauſa, per quam Iudex mouetur ad illam ferendam.*
8 *Sententia an pro Tribunali ſedendo ferenda ſit?*
9 *In ſententia an aliæ requirantur ſolemnitates.*
10 *Probatio maior exigitur, ſi ſententia ferenda ſit contra Prælatum.*

POſtquam Regularis Iudex teſtium, ac Rei depoſitiones legitimè habuit, ad cauſæ expeditionem procedendo, iis, quæ in actis deducta ſunt, benè priùs conſideratis, ac diligenter inſpectis, diffinitiuam ſententiam proferre debet, in qua proceſſus terminatio conſiſtit; nam ſicut eius initium eſt libelli oblatio, ita finis, & extremum eſt ſententiæ pronunciatio, quibus terminis quicquid ad cauſam ſpectare dicitur, in- 1.
cludi, & coërceri debet. Triplex autem diffinitiua ſen- 2.
tentia ferri poteſt, nempe condemnatoria, abſolutoria, & declaratoria. Condemnatoriam ſententiam

fert Iudex contra Reum, cum crimen, de quo accusatus, denunciatus, aut inquisitus fuit, plenè est probatum, vel ab ipsomet Reo confessum: quia contra criminosum Iudex condemnatoriam sententiam ferre non potest, antequam vel per legitimos testes conuincatur, vel reum se ipsemet confiteatur. *can.* 1. & 2. 5. *quæst.* 1. Absolutoria sententia fertur, cum nihil contra accusatum, denunciatum, vel inquisitum in actis legitimè probatum fuit. Declaratoria, cum exceptus habilis, aut inhabilis ad beneficia, vel dignitates, & Prælaturas per sententiam iudicatur dus est. Item cum quis accusatus, aut denunciatus, vel etiam inquisitus fuerit, quod alicui constitutioni contrauenerit, ac per diffinitiuam sententiam declaratur, illum huiusmodi constitutioni contrauenisse, vel non, & per consequens in pœnas per eam taxatas incidisse, vel non. Antequam autem Regularis Iudex ad diffinitiuam sententiam contra reum proferendam deueniat, aduertendum est, quod in illa ferenda debet seruare iuris ordinem, quem in causis Regularium seruandum esse diximus suprà, qui ordo de ipsius iudicij substan-

3. tia est, indicia expendendo, an leuia, grauia, vel grauissima extent, an sint purgata, necne, ac alia huiusmodi; sententia etenim contra iuris ordinem lata nulla est, *can. vxor* 19. *quæst.* 4. *l prolatam*, C. *de sentent.* Petr. de Ancharan. *consil.* 167. *incip. visis diligenter*, dicens, quod sicut omissio ordinis iudiciarij in causis ordinariis reddit processum nullum, ita omissio ordinis qualis qualis in summariis, & extraordinariis. Ita etiam Innocent. Archid. & alij plures, quos congessit Felin. *in cap. qualiter*, & *quando*, *el* 1. *num.* 2. *de accusat.*

4. Secundò aduertendum, quod sententia ferri debet super his, quæ in processu deducta, atque in eo probata sunt, eorum limites non excedendo. Iudex enim secundùm allegata, & probata iudicare debet, vt tradunt communiter Doctores, vt diximus suprà.

5. Tertiò, quod antequam sententia proferatur, citanda sunt partes. *Clem. sæpe*, § *fin. de verborum signific.* nam sententia lata contra non citatum nulla est. ex adductis à Felin. *in cap. qua in Ecclesiarum*, *n.* 66. *de constitut.* Nauarr. *consil.* 5. *de appell. num.* 3.

6. Quartò, quod sententia etiam in iudicio summario in scriptis ferenda est, *d. Clem sæpe*, *d.* § *fin.*

7. Quintò, quod regulariter non est opus in sententia exprimere causam, quæ Iudicem ad eam ferendam impulit, *cap. sicut*, *iunct. gloss. verb. exprimantur. de re iudic.* Dixi *regulariter*, quia in aliquibus casibus necessarium est, in sententia exprimi causam, ob quam fertur; videri poterit Speculat. *tit. de sentent. prælat.* §. *qualiter*, *ad finem*, *vers. verum*, Domioic. *in can. in tantum*, 2. *col. dist.* 21. Panorm. *in cap sicut*, *de sentent.* & *re iudic.* & ibi Felin. latè *à num.* 13. idem Panormitanus 1 *part consil.* 7. & alij apud Felin *loco cit.*

8. Sextò, licet sententia regulariter pro tribunali sedendo ferri debeat, *cap.* & *si sententia*, §. *fin. de re iud. lib.* 6. in summario tamen iudicio id necessarium non esse *d. Clem. sæpe*, § *fin.*

9. Septimò, quod licet in sententiis ferendis plures exigantur solemnitates, in summario tamen iudicio, (quale cum Regularibus à Regularibus Prælatis obseruandum fore diximus) omitti possunt.

10. Octauò consideret Iudex personam, aduersus quam sententia ferenda est, an scilicet sit Prælatus, contra quos maior vtique, ac plenior exigitur probatio, quam contra alios; hi enim multorum calumniis expositi esse solent; inspiciat præterea, an sit persona grauis, etiam de Religione benemerita.

QVÆSITVM XV.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares habeant potestatem subditos corporalibus pœnis puniendi?

SVMMARIVM.

1 *Natura humana post peccatum originale prona est ad malum ab adolescentia sua.*
2 *Potestas coercitiua corporalis in Religionibus non exemptis reperitur in Episcopis.*
3 *In exemptis reperitur in proprijs Prælatis.*

Non potest humana communitas sine timore ac disciplina in officio contineri, quantumuis bona in hac vita mortali videatur; in homine etenim caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, eiusque natura post peccatum originale prona est ad malum ab adolescentia sua, *can. omnis ætas* 12. *quæst.* 1. qua de causa natura ita post peccatum corrupta, & ad malum inclinata, vnusquisque viam suam sequitur, ac propriam inclinationem, & affectionem amplectitur; ideoque septies in die cadit iustus. Ergo etiam in Religioso statu hæc potestas omnino necessaria est, vt ordo, & pax, ac institutio Religiosa conseruetur, ac fratres in vnum habitantes, Religiosè, piè, ac iustè in hoc seculo viuant; hæc autem potestas de iure communi, & sic quoad Religiones non exemptas reperitur in Episcopis, quia illorum iurisdictio extenditur per totam diœcesim, quæ monasteria etiam, & Monachos complectitur. *can. Monasteria* 18. *quæst.* 2. *cap. quanto*, *de offic. ordin. cap. cum Episcopus*, *de offic. ordin. in* 6. vnde de iure communi Abbas, vel alius Prælatus Regularis est immediatus Regularium Iudex in iis tantum, quæ spectant ad Regulam suam, & Regularia statuta non tangunt, vt ait Nauarr. *comment.* 2. *de regular. num.* 63. In exemptis autem talis iurisdictio manet in proprijs Prælatis, & hoc non de iure communi, sed ex speciali priuilegio exemptionis, cuius vigore in Religionem, ac eius Prælatos à Summis Pontificibus translata est omnis potestas, quæ in Episcopis reperiebatur, non enim extincta est, nec ipsi Summo Pontifici reseruata, quia hoc non erat expediens, cùm ordinariè, & regulariter in ipsa Religione, imò in vnaquaque domo Religiosa sit necessaria. Ita Nauarr. *dicto comment.* 3 *num.* 63. *vers. addo secundò.* Roderic. *quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 3. *art.* 7. Suar. *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 9. *num* 3.

(right margin: 1. beside first line; 2. beside "viuant; hæc autem potestas"; 3. beside "natt. comment...")

QVÆSITVM XVI.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint Religiosos subditos pœna exilij punire.

SVMMARIVM.

1 *Prælati regulares licitè possunt subditos delinquentes in exilium mittere.*
2 *Qua ratione possint Regulares Prælati subditos pœna exilij punire?*
3 *Ad quod Monasterium spectet subministrare expensas Monacho in exilium misso?*
4 *An possint Regulares Prælati subditos delinquentes extra propriam Religionem in exilium mittere?*

Respon

1. RESpondeo dicendo, quod licitè possunt Regulares Prælati subditos delinquentes in exilium mittere; quia licitum est Ecclesiasticis Iudicibus Clericos hac pœna punire, *can. cum beatus*, 45. *distinct.* *can. si quis* 3. *quæst.* 4. *cap.* 1. *de calumniatoribus*, cum suis gloss. quæ ibi id notant, & alios textus adducunt. At Regulares Iudices eamdem habent coërcitiuam potestatem quoad pœnas corporales in suos subditos, quam habent Episcopi in suos, nec vllibi in iure prohibitum eis repetitur. Quod hac pœna in suos Religiosos delinquentes animaduertant; nec est adeò rigorosa, quod talium Prælatorum potestatis limites excedat; nam si possunt triremium pœnam infligere (vt inferiùs probabimus) quæ hac durior, asperiorque dubio procul censetur, vtique multo fortiùs pœna exilij punire eis licebit. Atque ita Roderic. *regularium quæstionum, tomo* 2. *quæst.* 24. *artic.* 1. Suarez *de relig. tomo* 4. *tractat.* 8. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 8.

2. Dupliciter autem possunt Regulares Iudices Prælati subditos delinquentes in exilium mittere; primò intra propriam Religionem, secundò extra ipsam, & simul relegando. De exilio intra Religionem videntur quotidiana exempla; nam vbi sunt filiationes Monasteriorum, aut Prouinciarum, solent Regulares Prælati ob crimen Religiosos à propriis Monasteriis, vel Prouinciis ad aliena transferre; quod videtur quoddam exilij genus, quod ipsorum Religiosorum animabus saluti esse persolet; nam sicut occasio peccandi facile præcipitat etiam eos, qui aliquam virtutis curam habere solent; ita, eadem occasione sublata, facilius est à difficillima, & aspertima scelerum semita ad amœnissimam virtutis viam reuocari; vt ait D. Isidorus relatus à Gratiano *in can. valet*, 8. *distinct.* in hanc sententiam: *Valet interdum conuersis pro salute animæ suæ mutatio loci; plerumque enim dum mutatur locus mutatur mentis affectus. Congruum est enim & inde etiam corporaliter euelli, vbi quisque illecebris deseruiunt; nam locus, vbi quisque prauus vixerit, in aspectu mentis apponit, quod sæpe ibi cogitauit, vel gessit.* Ideò tantò grauior erit hæc pœna, quantò in loca magis distantia, vel minùs cognita motatio facta fuerit. In iis autem Religionibus, vbi non sunt filiationes, habet locum hoc exilium per mutationem Prouinciæ, aut Regni, vel propriæ originis, vel professiunis, & educationis in eadem Religione.

Dubium autem est, ad quod Monasterium spectet subministrare alimenta Monacho in exilium misso, & quidem in iure statutum est, vt Clerici regulares cum delinquunt, debeant in alia loca Religiosa ad pœnitentiam redigi; sed res eorum prioribus Ecclesiis, vel Monasteriis non subtrahantur; adeò tamen vt priores Ecclesiæ, vel Monasteria eis necessaria suppeditent, ne locis, ad quæ relegati fuerint, sint onerosi: ita habetur *ex can. de lapsis*, §. *si qui verò*, 16. *quæst.* 6. & notat ibi gloss. *in summa.* Quod si tales Monachi nihil de suo habuissent, eadem ratione, scilicet ne Monasteriis, in quibus positi fuerint, sint onerosi, ad Abbatem prioria Monasterij spectabit, eis prouidere de necessariis tempore pœnitentiæ: ita gloss. fin. *in cap. vltim. de regular.*

3. Ac Panormitanus *ibi num.* 4. relato Hostiens. distinguit, quod vel talis Religiosus, qui relegatur, obtulit bona Monasterio sufficientia, & tunc ex illis bonis sustentabitur, aut nulla obtulit, vel non sufficientia, & tunc si vtrumque Monasterium est sufficiens, tenentur primum necessaria alimenta suppeditare, ob memoriam pristinæ fraternitatis, vel secundum tantum est sufficiens, & illud tenetur vel neutrum est sufficiens, & tenetur Episcopus, qui omnibus indigentibus sibi victum quærere non valentibus procedere tenetur. *can.* 1. & 2. 82 *distinct.* quod fortè procedere poterat, cum Monachi sub Episcoporum potestate erant, necdum ab eorum iurisdictione immunes, quo tempore tanquam eorum Superiores, & patres de eis curam habere, ac illis de necessariis prouidere debebant. Hodie verò cùm Religiosi per priuilegia ab Episcoporum potestate exempti sint, hoc spectabit ad Superiores intra propriam Religionem; qui, si prius, & posterius Monasterium ad expensas talibus Religiosis subministrandas non erit sufficiens, prouidere debent, vt copiosiora, vel ditiora Cœnobia tale onus reportent, ad ea, quæ scribit Archidiac. *super dicto can. de lapsis, num.* 2. In iis autem Religionibus, vbi neque in commune, neque in particulari proprium quid possidetur, Monasterium, in quod ad pœnitentiam agendam mittuntur, eis necessaria tribuere consueuit, vt testatur Roderic. *quæst. regular. tom.* 2. *quæst.* 24. *art. vltim.*

4 Quoad exilium extra propriam Religionem, cum scilicet Regulares Prælati subditos delinquentes expellunt, simul præcipientes, vt à tali Prouincia, vel Regno discedant, dicendum est, eos talem pœnam nequaquam imponere posse, atque si id faciant, non teneri Religiosos illos eam pœnam subire; quia postquam est eiectus non est subditus Religioni, neque huiusmodi præceptum eum adstringit; eo ipso enim quod cessauit subiectio, cessauit etiam præcepti ius, & obligatio: tum quia nequit Prælatus præcipere subdito in id tempus, pro quo vel ipse non est futurus Prælatus, vel alter non est futurus subditus, præceptum enim morte mandantis expirat, nisi sit lex; quia extra territorium ius dicenti obtemperandum non est, *cap.* 2. *de constitut lib.* 6. Confirmatur alia ratione à simili; nam si Prælatus Religioso, quem eiicit, iniungat, vt aliam Religionem ingrediatur, eiectus tale præceptum seruare non tenetur, secundùm Nauarr. *consil.* 77. *titul. de Regularibus.* Atque ita docet Suarez *dicto cap.* 10. *num.* 9. addens, id procedere, quando Superior simpliciter præciperet; nam si subditus eum tali pacto, & conuentione ad vitandum aliud genus grauioris pœnæ iustæ, eiectionem acceptasset, tunc si conditio æqua fuerit, & liberè acceptata, obligat, non per modum præcepti humani, sed ex naturali lege fidelitatis, vel iustitiæ; nec obstat, quod grauioris pœnæ metu acceptata fuerit, quia ille metus non fuit iniustè incussus, sicut quando damnato ad mortem remittitur pœna, cum conditione, vt teneatur ducere in vxorem talem mulierem, vel tale munus publicum exercere, iusta est conditio, & obligans postea in conscientia.

QVÆSITVM XVII.

Vtrùm Abbates & Prælati Regulares possint subditos ad triremes damnare?

SVMMARIVM.

1 *Triremium pœna est nimis acerba.*
2 *Abbates prohibentur flagellare per laicos Monachos, aut Conuersos.*
3 *Abbates & Prælati Regulares de consuetudine possunt imponere pœnam triremium suis subditis.*

1. Videtur dicendum, quod non; quia pœna triremium videtur nimis acerba, & aliena à charitate fraternitatis, & paternitatis inter Regulares habendæ, necnon etiam valde periculosa saluti animarum eorum quibus infligitur, ob prauam societatem. & mores perditos, & innumeras peccandi occasiones illius status. Vnde numquam legitur antiquos Patres Basilium, Augustinum, Benedictum, & aliarum Religionum institutores tali pœna vsos, sed sola eiectione à Congregatione contentos extitisse,
2. vt ex eorum Regulis patet. Præterea prohibentur à iure Abbates sub pœna excommunicationis Summo Pontifici reseruata castigare Clericos, vel Monachos, aut Conuersos, flagellando eos per laicos, etiam causa Regularis disciplinæ, *cap. vniuersitatis, de sentent. excommunicat.* Ergo prohibentur etiam damnare eos ad triremes, quia ibi rei grauiter feriuntur à præfectis eis laicis.

3. Nihilominus his non obstantibus affirmandum est, in Prælatis Regularibus adesse hanc potestatem imponendi suis subditis huiusmodi pœnam, quod docet consuetudo singularum Religionum, de qua restatur Nauarr. *commentar. 3. de regular. num. 52.* & cum huiusmodi pœna nullam sanguinis effusionem directè includat, neque alio speciali iure sit prohibita: potestas eam imponendi potuit acquiri per consuetudinem, quæ iurisdictionem tribuere potest, *cap. duo simul, de offic. ordinar. cap. cum contingat, de foro competenti.* vbi gloss. *verb. consuetudine*, alia refert.

4. Neque obstant rationes superius in contrarium adductæ, per eas etenim non probatur Prælatos Regulares tali potestate carere, sed suadetur ipsos rarò debere, ac posse ea vti; quia aliquando hæc pœna delicto congrua, ac debita esse potest, & ideò non est per se iniusta, & illicita, nec iure prohibita. Sicut neque etiam obstat, quod antiqui Patres, ac Religionum institutores ea vsi fuisse non legantur; nam tunc non erat ita necessaria, quia non aderat tanta personarum multitudo in singulis Religionibus, nec earum feruor adeò decreuerat. Neque semper hoc genus pœnæ excedit limites fraternæ & paternæ charitatis, ac Religiosæ mansuetudinis, licet grauissima sit, est enim veluti quædam perpetua mors. *l. penult. ff. de regulis iuris*; nam aliquando necessarium est illo vti, vt reus pœnam delicti æqualem reportet, & alij eius exemplo in posterum à criminibus arceantur; & ad satisfaciendum scandalo ex enormi, & publico delicto exorto.

Neque item obstat, quod Abbas non possit castigare subditos Religiosos, flagellando eos per laicos; & ideò nequeat eos ad triremes damnare, vbi per laicos verberantur; quia, vt ait Nauarr. *loco citato*, citans Panormitan. & Stephan. Aufret. contrarium obseruatur de consuetudine, quæ non solùm à pœna, & censura; verum etiam à culpa excusat, vel respondetur, quod *dicto cap. vniuersitatis*, loquitur, quando pœna flagellationis directè imponitur, & Religiosus ad hoc traditur ministro, vt vapulet; quando autem pœna triremis imponitur persona Religiosa directè traditur ad corrigendum; flagellatio autem est per accidens. Vel rursus respondetur illum textum loqui de verberatione, quæ fit modo Religioso, & iuxta regularem disciplinam: quo casu non potest Abbas subditum Religiosum per laicum, sed per clericum, vel Monachum flagellare; quando autem Religiosus, vrgente causa grauis delicti, non Religiosorum, sed aliorum secularium, & infamium reorum more feriendus est, vt contingit in verberatione illa, quæ fit in triremibus, non procedit ille text. quia eius dispositio ex casu non posset decenter seruari, non enim potest Religiosa persona illud munus per se licitè, aut decenter exequi. Atque ita concludunt Nauarr. *citato num. 52.* Roderic. *in summa, in tractat. Ordin. iudicial. cap. 12. num. 13. & tomo 2. quæst. regular. quæst. 25. art. 1.* vbi idem confirmat priuilegio à Pio V. Priori Generali Ordinis S. Hieronymi in Hispania super hac re concesso. Idem tradit P. Suarez *de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 10. à num. 3. vsque ad 8. exclusiuè.*

Quæsitum XVIII.

Vtrùm Abbates, & Prælati Regulares possint suos subditos degradare, ac brachio sæculari tradere, siue eis pœnam mortis, vel mutilationis membrorum imponere.

Summarium.

Pro clariori huius quæsiti intelligentia sciendum est, degradationem esse duplicem, verbalem scilicet, & actualem, seu realem, quæ non solet inferri, nisi illis, qui sunt in sacris constituti. 1.

Degradatio verbalis est sententia, qua persona Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sine spe illius consequendi, non amisso tamen priuilegio Clericali, & hæc degradatio appellatur etiam depositio. 2.

Degradatio actualis, seu realis est executio depositionis verbalis, & fit quando vltra depositionis sententiam persona Ecclesiastica personaliter priuatur Ordinibus Ecclesiasticis per detractionem Clericalium insignium, & spoliatur omni beneficio, ac priuilegio Clericali in perpetuum absque vlla spe illius consequendi, & hoc, quando Episcopus, præsente Iudice seculari, cui degradandus tradi debet, publicè abradit illi loca capitis, & manuum, in quibus in collatione Ordinum vnctio facta fuit, & demum successiuè detrahit omnia signa, quæ in susceptione Ordinum suscepit; & postea exuit eum habitu Clericali, & dicit Iudici, & Officiali seculari, vt illum ita spoliatum in suum forum, & iurisdictionem recipiat. Videantur *can. felix 15. quæst. 7. cap. non potest, de re iudic. cap. cum non ab homine, de iudic. cap. degradatio, de pœnis, lib. 6.* Concil. Tridem. *sess. 13. de reformat. cap. 4.* Hanc degradationis diuisionem tradunt Panormitanus *in cap. qualiter, & quando, num. 10. de accusat. in cap. at si Clerici, §. de adulterijs, de iudic.* Angel. *verb. degradatio, in principio,* Syluest. *eodem verb. num. 10.* Enriq. *lib. 13. cap. 55. §. 3.* 3.

§.3. Sayr. *de cenſur. lib.5.cap.*10.*num.*10.Bonacina *de cenſur. diſput.* 4. *punct. vnic. num.* 2. & alij Doctores communiter.

Inſuper notandum eſt, actum illum, quo degradatus traditur Curiæ ſeculari, aſſe effectum degradationis actualis, qui tamen non ſemper comitatur degradationem realem; nam non omnis degradatus realiter Curiæ ſæculari tradendus eſt; vnde in actuali degradatione declaratur priuatus priuilegio Clericali, non ſemper tamen brachio ſæculari traditur, niſi in quibuſdam criminibus valde enormibus, vt homicidio proprij Epiſcopi, vel homicidio iterato, vel in crimine hæreſis, vel falſitate literarum Papalium, vel Sodomia ſæpiùs exercita, ac aliis, quæ enumerat D. Auguſtinus Barboſa *de officio & poteſtate Epiſcopi, part.* 3. *allegat.* 110. *à num.* 13. *vſque ad* 22. Et
5. hæc actualis, ſeu ſolemnis degradatio Clerici in ſacris etiam Preſbyteratus Ordinibus conſtituti fieri debet ab Epiſcopo, ſibi aſſiſtentibus ſex Epiſcopis ſi degradandus ſit Preſbyter, ſi verò Diaconus, aut Subdiaconus tribus tantùm Epiſcopis, *can. ſi quis tumidus, & dicto can. fœlix* 15. *quæſt.*7. At ex Concilio Tridentino *dicto cap.*4. poteſt Epiſcopus per ſe, vel eius Vicarius in ſpiritualibus Generalis contra Clericum ad actualem degradationem procedere, adhibitis, & ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus infulatis, id eſt vſum Mitræ, & baculi habentibus, ſi in ciuitate, & diœceſi reperiri, ac commodè interuenire poſſent; alias quin aliis in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutis, quot Epiſcopi ex ſacrorum Canonum diſpoſitione adhibendi erant; & in ea adhibenda ſunt quædam verba quæ terrorem incutiant. De hac hac igitur actuali, ſeu reali, & ſolemni degradatione in præſenti noſter ſermo eſt, vtrùm ad eam Abbatum, & Prælatorum Regularium poteſtas ſe exten-
6. dat; in quo communis Doctorum ſententia eſt, non licere Prælatis Regularibus, neque aliis Epiſcopo inferioribus ſuos ſubditos degradare; nec priuare priuilegio Clericali, & eos tradere Curiæ ſæculari, quantumuis illos priuent ſtatu, ſeu habitu Religionis, niſi illis Prælatis id conceſſum ſit per priuilegium, vel conſuetudinem à Romano Pontifice toleratam. Ratio eſſe poteſt, quia huiuſmodi degradatio videtur quidam actus Ordinis dependens ab ipſa conſecratione, iuxta gloſſ. *in cap. tranſmiſſam, de elect.* quæ inter actus Ordinis Epiſcopalis enumerat etiam Clericorum depoſitionem. Ita etiam Panormitanus *ibi num. vltim.* & communiter Doctores. Sayr. *de cenſuris, lib.*5. *cap.*20. *in fine*, Barboſ. *dicta allegat.*110. *num.*5. Actum autem Ordinis Epiſcopalis non poſſunt Prælati inferiores, abſque Sedis Apoſtolicæ indultu exercere; tum quia ſi degradationem comitetur traditio brachio ſæculari, niſi huiuſmodi traditio fiat ex priuilegio Summi Pontificis non poteſt ab irregularitate excuſari, vt tradit Suarez *de cenſuris, diſput.* 47. *ſect.* 1. Tum etiam quia hæc immunitas conceditur Religioſo, non tantùm, vt Clericus eſt, ſed etiam, vt eſt Religioſus, in fauorem non priuatæ perſonæ, ſed Religionis: & ideò nequit Prælatus priuare ipſam Religionem hoc fauore, ob delictum priuatæ perſonæ, niſi hoc ei ſpecialiter concedatur; ſicuti nequit priuata perſona renunciare priuilegio in fauorem Communitatis conceſſo, cui per talem renunciationem præiudicium inferatur. Atque ita docent Sayr. *dicto cap.*20.*num.*18. dicens, hanc poteſtatem degradandi nulli Prælato Epiſcopo inferiori, niſi tantùm eius Vicario in ſpiritualibus Generali competere ſine priuilegio; ita etiam Aula *de cenſuris, part.* 3. *diſput.*5. *dub* 4. Bonacina *dicto puncto vltimo, num.*8. Barboſ. *citata allegat.*110. *num.* 25. Suarez *de relig. tom.* 4. *tractat.*8. *lib.*3. *cap.*10. *num.*1. *&* 2. vbi etiam reſpondet obiectioni, quæ fieri poteſt communis vſus, & praxis ſæcularium Iudicum condemnandi ad mortem Religioſos delinquentes, & eiectos, de qua teſtatur Caſſan. *in conſuetud. Burgund. apud eum ibi.*

An autem poſſint Regulares Prælati pœnam mor- 7.
tis, vel mutilationis ſubditis delinquentibus imponere? Reſpondendum eſt negatiuè, quia nullus Iudex Eccleſiaſticus Summo Pontifice inferior poteſt mortis pœnam imponere, *cap. cum non ab homine, de iudic.* nam alias irregularitatem incurreret, eſſet enim cauſa proxima mortis; quod certum eſt, vt tradunt communiter Doctores in materia de irregularitate. Idem dicendum eſt de pœna mutilationis membrorum, ea enim eſt eiuſdem rationis cum pœna mortis quoad irregularitatem, & repugnantiam cum Eccleſiaſtica manſuetudine.

Qvæsitvm XIX.

Utrùm liceat Religioſis à ſententijs, & correctione ſuorum Prælatorum appellare?

Svmmarivm.

1 *Regulariter de iure communi non licet Religioſis à correctione, & præceptis ſuorum Prælatorum legitimè factis appellare; ſiue iudicialiter, ſiue extraiudicialiter procedant. & num.*5.
2 *Niſi Prælati modum in correctione excedant.*
3 *Appellatio eſt quædam defenſio.*
4 *Defenſio eſt de iure naturæ, & ideò nemini deneganda.*
5 *An prædictis obſtet Concilium Tridentinum.*
6 *Quid ſentiendum ſit ratione priuilegiorum Religionibus conceſſorum?*
7 *Appellatio quando ſit concedenda, & num.*10. *&* 11.
8 *Recurſus ad Superiorem non eſt denegandus.*
9 *Religioſus quando cenſeatur grauatus.*
12 *Appellationis ordo obſeruandus, aſſignatur.*

Dico primò. De iure communi regulariter non 1.
licet Religioſis à correctione; & præceptis ſuorum Prælatorum legitimè, ſecundùm Regulares conſtitutiones factis appellare. Probatur *in cap. reprehenſibilis, de appellat.* vbi ſic dicitur: *Statuimus ne ſubiecti contra diſciplinam Eccleſiaſticam in vocem appellationis erumpant.* & infrà: *Præcipuè verò hoc in Religioſis volumus obſeruari, ne Religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi, contra Regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter, ac deuotè ſuſcipiant quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem iniunctum.* Idem habetur *in cap. ad noſtram, eodem titul.* vbi Summus Pontifex præcipit cauſam Abbati, vt licet Religioſus appellare præſumat, eum tamen iuxta ſui Ordinis inſtitutionem caſtiget, dicens: *Quòd remedium appellationis non ideo eſt inuentum, vt alicui à Religionis, & Ordinis obſeruantia exorbitanti debeat in ſua nequitia patrocinium exhibere.* Ex iiſdem iu- 2.
ribus colligitur à contrario ſenſu, integrum eſſe Religioſis appellare, quando eorum Prælati modum in correctione excedunt; nam *in dicto cap. reprehenſibilis*, dicitur, vt Religioſi non præſumant appellationem interponere contra Regularem ſui Ordinis

disciplinam; ergo à contrario licet eis appellare à correctionibus, quæ Regulares disciplinæ modum excedunt. Idem à contrario sensu colligitur ex *dicto cap. ad nostram.* nam ibi dicitur, ideo non esse à Regulari correctione appellandum, ne scilicet Religioso ab obseruantia Regulari exorbitanti patrocinium exhibeatur. Ergo quando Religiosus à Regulari obseruantia non exorbitat, sed iustè se contra Prælati excessum tuetur, licitè appellare potest. Clarius idem constat ex *ex cap. de Priore, eodem titul.* vbi mandatur grauiter puniri Regularem Priorem, qui appellationem Religiosi ad Sedem Apostolicam non admisit. Id ipsum probatur ex *cap. licet, de offic. ordi-*

3. *nar. & cap. super quæstionum, de officio delegat.* Ratio est, quia appellatio nihil aliud est, quàm quædam defensio. *cap. cum inter, de except.* at defen-

4. sio est de iure naturæ, & ideò nemini deneganda. *Clement. pastoralis, §. cæterum, de re iudic.* Naturalis enim ratio cuique suadere videtur, vt seipsum eò meliori, quo potest modo tueatur; vnde se grauatum, vel grauandum sentiens Religiosus ad superiorem Iudicem appellare potest, vt eo pacto se, & sua iura tueri possit. Atque ita tenent gloss. final. *in dicto cap. ad nostram, de appellation.* & ibi Panormitanus *in principio*, & communiter scribentes: idem Panormitanus *dicto cap. de priore, num. 6. & dicto cap. licet, num. 1. & dicto cap. reprehensibilis, in fine*, Dec. *dicto cap. de priore, sub num. 1. in gloss. 1.* Syluest. *verb. Appellatio, quæst. 7. num. 9* Tabien. *eodem verb. quæst. 11. num. 12.* Nauarr. *commentar. 3. de regular. num. 51. & lib 2. consil. in 1. edition. titul. de sentent. & re iudic consil. vnic. num. 6. & titul. de appellation consil. 4. num. 1. & titul. vt lite pendente, consil vnic. num. 8.* vbi consulit per hanc appellationem suspendi sententias, & censuras Prælati Regularis, Azor *institutionum moralium, part. 1. lib. 12. cap. 11. quæst. 8.* Roderic. *quæstionum regularium tomo 1. quæst. 29. artic. 2.* Sayr. *in Claui regia lib. 12. cap. 17 num. 38 & sequentibus*, & alij plures quos congessit Sanchez *in Decalogum lib. 6. cap. 8. numer. 102* Franciscus Cotiolan. *in tractatu de casibus reseruatis, part. 2. cas. 5. de iudic regular. §. 10. num. 16. 28. & seq.*

5. Et hoc habet locum, siue Prælatus Regularis iudicialiter, siue extraiudicialiter procedat, vt non liceat Religiosis appellare quando Superior quouis horum modorum procedendi Regulæ terminos non transgreditur: secus autem quando eos excedit. Quia Prælatus secundùm Regulæ instituta procedendo, neutro modo grauamen infert; at illa excedens in vtroque grauat; appellatio autem grauatis conceditur. Ita Panormitanus *dicto cap. cum speciali, §. fin. num. 3.* Alexander de Neuo *ibidem, num 8.* & Præposit. *in fine*, quos refert, & sequitur Sanchez *dicto cap. 8. num. 103.* contra Hostiens. Ioan. Andr. & alios apud eundem ibidem.

6. Neque obstat Concilium Tridentinum statuens sess. 25. de regularib. cap. 4. *Ne liceat Regularibus à suis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad suos superiores accedendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò sine prædicto mandato in scriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinarijs locorum tanquam desertor sui instituti fuerit, puniatur.* Quia non prohibet appellationem, sed recessum à Monasterio, prætextu Superiores adeundi; sic prædictum Concilium interpretantur Nauar. *dicto numer. 51. versic. ad secundum*, Azor *dicto cap. 11. quæs. 8. versic. si opponas*, Sayr. *dicto cap. 17. num. 39.* Roderic *dicto art. 2. in fine*, Sanchez *dicto num. 102. circa med.* Cotiolan *d. §. 10. num. 27.*

Præterea neque obstant priuilegia concessa Religionibus, per quæ statuitur ne liceat illarum Religiosis à Superiorum correctionibus, præceptis, ordinationibus, mandatis, ac decretis appellare: quorum plura referuntur à Hieronymo à Sorbo *in Compend. priuileg. Mendicant. verb. appellare, & in Compend. Societ. verb. appellatio.* Respondetur enim, ea priuilegia, sicut etiam particulares ipsarum Religiones, in quibus denegatur Religiosis appellatio, intelligenda, & interpretanda esse eodem modo, quo ius commune eamdem appellationem prohibens intelligi debere diximus, videlicet quando Prælati Regulares corrigentes, aut punientes suos subditos Religiosæ disciplinæ metas non excedunt; quia tunc grauamen non inferunt; secus autem quando excessus, & grauamen interuenit. Ita Nauarr. Azor. Sayr. & Roderic. *locis citatis.* Sed hæc responsio non placet, quia priuilegia in dubio aliquid vltra ius commune operari debent, *cap. Abbate, de verborum significat.* Sed si prædicta Pontificia indulta modo prædicto interpretantur, nihil concedunt, quia non appellare à moderata, & legitima correctione, ex debito iustitiæ necessarium est, iuxta doctrinam D. Thom. 2. 2. *quæst. 68. artic. 3.* in Religiosis autem etiam est necessarium ex speciali debito obedientiæ; ergo si Summi Pontifices hoc tantùm prohibitum esse voluerunt, nullum speciale priuilegium concesserunt, quod contra ipsorum mentem esse videtur; dicendum ergo est, prædicta indulta, & constitutiones aliquid amplius prohibere; nempe, vt non sit integrum Religiosis appellare, nisi quando grauamen est certum, & constat de iniustitia præcepti, aut sententiæ. Vel si appellationem interponant, per eam non suspendatur iurisdictio Superioris quoad vim obligandi per præceptum vel sententiam de qua appellauit, & quoad potestatem procedendi in causa de qua agitur. Nam de 7.

iure communi non solùm conceditur appellatio, quando grauamen est certum, sed etiam quando est dubium, & solùm denegatur, quando manifestè patet, nullum grauamen inferri, vt constat ex *cap. cum speciali, § porrò, de appellat.* Ita Sanchez *dicto cap. 8.* *num. 110.* Per hoc tamen non denegatur Religiosis 8.

alius modus se tuendi, scilicet per recursum ad Superiorem causa querelæ, quando appellationi locus non est; vt docent Nauarr *lib 2. consil. in 1. edit. tit. de sentent. & re iudic. consil. 2. num. 8. & in 2. tit. de appellat. consil 5. num. 8.* Roderic. & Sayr *locis citatis*, Suarez *de relig tom. 4. tractat 8. lib. 2. cap. 11. num. 6. & 7.* qui censet, huiusmodi recursum non solùm esse licitum, quando in pœna imponenda Prælatus debitum modum excedit, sed etiamsi sit iusta, & secundùm Regulam, dummodo materia sit talis, vt Superior possit gratiam aliquam, vel quasi dispensationem concedere; quia tunc ex nullo capite malum est, illam procurare, dummodo etiam vera, & sufficiens relatio Superiori fiat, ne gratia, siue remissio subreptitia sit. Censet etiam talem recursum haberi posse non solùm ad altiores Prælatos intra Religionem, sed etiam vsque ad Summum Pontificem, vel ad quemcumque alium habentem iurisdictionem ad mutandum præceptum, vel pœnam Religioso impositam, à suis Superioribus; quia in his omnibus eadem ratio militat. Per hunc tamen recursum iurisdictio inferioris, nec quantum ad vim obligandi per præceptum vel sententiam, nec etiam quoad procedendum ad executionem, vel vlterioris causæ defensionem, donec à Superiore non inhibeatur; ita Sanchez *d. num. 110. in fine*, & Suarez *d. num. 6.*

Regulares igitur non solùm de publicis delictis, verùm etiam in grauioribus causis, vt quando de occultis grauioribus, atque grauissimis criminibus ad eorum infamiam, aut officiorum, siue etiam actiuæ,

ac

ac paſſiuæ vocis priuationem, aut carcerationem, vel
aliam grauiorem pœnam contra eoſdem agitur, ſi grauentur appellare poſſunt ad Superiorem Prælatum.
9. Quia tunc talis defenſio eſt neceſſaria; nam niſi ſuſpendatur ſententia, & executio, imminet periculum grauis nocumenti: & fortaſſe irreparabilis. Vt autem Religioſus cenſeatur grauatus, non ſufficit, quod ſententia contineat rigorem, ſed neceſſarium eſt, quod ſit iniuſta, vnde quandiu Prælatus iuſtitiæ limites non excedit, etiam ſi ſummo rigore vtatur, obligat per ſuum præceptum, & ſententiam, nec poteſt ſuſpendi per appellationem, quæ inter Religioſos ſaltem
10. tem non habet locum, niſi quando iniuſta eſt ſententia, vel præceptum contra eos latum; vnde iniuria non intercedente, etiam ſi Religioſus appellet, Prælato ſententiam, vel præceptum non mutante, tenetur ſubditus parere, vel non reſiſtere, donec à Superiore alia via requiſito relaxatio fiat; quia iuſtitia ſuam vim retinet, etiam ſi ſit rigoroſa. Ita Suarez
11. *de relig. tom. 4. tractat. 8. lib. 2. cap. 11. num. 9.* Præterea neceſſarium eſt, vt clarè conſtet de iniuſtitia, nec ſufficit, quod ſit dubium, an ſententia iuſta ſit, necne; quia *in dicto cap ad noſtram*, abſolutè dicitur, quod non obſtante appellatione Religioſi Prælatus ſecundùm Regulam, ac Ordinis conſtitutiones eum corrigat, & caſtiget; ac idem ſine vlla limitatione ſtatuitur *in dicto cap. reprehenſibilis*; ergo nulla limitatio, vel exceptio à nobis addenda eſt, niſi quam naturalis ratio neceſſariò poſtulat, ſcilicet in manifeſta iniuria; tum etiam, quia in dubio obediendum eſt Prælato, ac eius ius præferendum eſt. Ita Suarez *alijs citatis vbi proximè, num. 10.*

Ordo appellationis aſſignatus fuit à ſacra Congregatione, videlicet ab Abbate, ſeu Priore, vel Prælato 12.
Conuentuali ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, & à Protectore ad ipſam ſacram Congregationem, vt ab eadem declaratum fuiſſe anno 1597. refert Hieronymus à Sorbo *in ſuis annotationibus, ad Compendium priuileg. dicto verb. appellare, circa* §. 1. & ex eo Sanch. *d. cap. 8. num. 107. in fine*, Suarez *d. cap. 11. num. 5.* Coriolan. *d. §. 10. num. 28.*

Et hæc de Praxi Criminali breuiter dicta ſufficiant. Ad laudem Dei, ac B.M.S.V. & S. Ioannis Gualberti, & Omnium Sanctorum.

INDEX

Locupletissimus Rerum, Verborum, Materiarum, atque Sententiarum, quæ in hoc tertio Tomo continentur.

In Disputationibus, prior numerus Disputationem; alter Disputationis Quæsitum; tertius Quæsiti numerum; quartus denique Paginam indigitat: in Decisionibus verò, priori numero Decisio; altero, numerus Decisionis; vltimo demum, Pagina notatur.

A

Abbates

Abbatia

ex

Cæleſti

C

Confir

D

 communi

Ecclesia

Episco

Exempta

F

Item

G

Locum

N

præche

Ordinarium

in

Prælati

Priuilegium

Q

ad

S

Sedis

T

Transitus

V

F I N I S.